





AD CONCILIA
VENETO-LABBEANA
SUPPLEMENTUM.

SANCTORUM CONCILIORUM ET DECRETORUM COLLECTIO NOVA,

SEU

COLLECTIONIS CONCILIORUM

A PP. PHILIPPO LABBEO, & GABRIELE COSSARTIO

Soc. JESU Presbyteris

PRIMUM VULGATÆ,

DEIN EMENDATIORIS, ET AMPLIORIS

OPERA NICOLAI COLETI SACERDOTIS

VENETIIS RECUSÆ

SUPPLEMENTUM,

In quo additamenta, variantes lectiones, emendationes ad Concilia Veneto-Labbeana;

NOVA ITIDEM CONCILIA, AC DECRETA PERMULTA EXHIBENTUR.

Omnia ex editis & M. SS. codicibus undique quæsitis Græcis Latinisque, collegit, digessit, additisque præfationibus, notis, dissertationibus historicis, criticis, chronologicis, dogmaticis illustravit

JOANNES DOMINICUS MANSI

LUCENSIS

Clericus Regularis Congregationis Matris Dei.

TOMUS TERTIUS

Ab anno MCCLXXII. ad annum MCCCCXV.



LUCÆ MDCCXLIX.
Ex Typographia Josephi Salani, & Vincentii Junctinii.
SUPERIORUM FACULTATE.

Anno Christi | Anno Christi

SYLLABUS
EORUM, QUÆ IN TERTIO CONCILIORUM TOMO CONTINENTUR.

ANNO CHRISTI

ANNO CHRISTI | ANNO CHRISTI

ANNO CHRISTI | ANNO CHRISTI

Constantiensis Oecumenici Concilii complementum dabimus in sequenti Volumine IV.

APPEN-

APPENDIX AD CONCILIA PRÆCEDENTIUM SÆCULORUM.



GREGORIUS PAPA X.

Sedit ab anno 1271. usque ad annum 1276.

ANGLICANA CONCILIA DUO

Aliud apud Eyam in Norvvicensi diœcesi, alterum vero Londini,

Anno 1272. habita.

An. 1272. Affert Wilkins t. II. pag. 25 Ex Wharton. Angl. Sac. Vol. I. p. 399.



POSTQUAM Bartholomæus de Cotton in annalibus suis Norvvicensibus sub hoc anno magnæ cladis in ecclesia & civitate Norwic. partim per tonitrua & fulgura, partim per cives factæ, mentionem fecisset, addit: quæ cum patefacta fuerunt domino Henrico III. regi, multum condoluit, & destinavit literas suas ad omnes portus Angliæ & ad omnia maritima, quod si qui de Norwico fuissent inventi, quod fuissent capti & detenti, quousque aliud ab ipso reciperent in mandatis. Similiter mandavit omnibus episcopis & magnatibus regni Angliæ, quod die S. Ægidii comparerent coram ipso ad Sanctum Edmundum, consilium daturi qualiter contra prædictos malefactores fuisset procedendum. Eo anno dominus Rogerus episcopus tunc temporis convocavit totum clerum suæ dioeceseos apud Eyam in crastino decollationis S. Johannis Baptistæ pro præmissis, & de eorum consilio omnes prædictos malefactores in genere, aliquos etiam nominatim excommunicavit, & denunciavit excommunicatos, monitione in forma juris præcedente; civitatemque Norvvicensem ecclesiastico subposuit interdicto, & in prolatione ejusdem sententiæ dies clarissima versa est quasi in noctem, & quoddam tintinnabulum in campanili eodem tempore fractum cecidit.

Hoc anno concilium provinciale die S. Lucæ Octob. XVIII. Londini celebratum fuisse afferunt annales Eversden. Quid autem in eo actum sit, haud declarant.

AD LUGDUNENSE II. OECUMENICUM CONCILIUM

In causa præsertim reductionis Græcorum ad S. Romanam ecclesiam habitum

Anno 1274.

ADDITIO

COLLECTORIS PRÆMONITIO.

An. 1274. INter multas epistolas Romanorum Pontificum aliorumque Principum, quæ de arduo hoc negocio, reducendorum nempe ad consensum cum Romana ecclesia Græcorum, scriptæ fuerunt, exhibenturque a PP. Martene & Durand Vet. Monum. tom. VII. pleræque a re concilii per quam remotissime absunt. Qua de causa illis, utpote ad intentum haud ita proxime conducentibus, omissis, unicam tantummodo seligam Gregorii X. ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, quæ respondet ejusdem Principis literis recitatis Græce & Latine apud Labbeum inter acta hujus concilii. Est vero illa ibidem pag. 233. Hac expedita, dabo excerpta ex Libro Humberti de Romanis summi ordinis Prædicatorum magistri ordine V. quo in opere, jussu Gregorii papæ confecto, ea proponit quæ in hoc concilio Lugdunensi tractanda fore censebat. Idem consilium dein post Humbertum sequutus Guillelmus Durandus Mimacensis episcopus, librum & ipse pariter digessit de rebus in concilio Viennensi tractandis, quod opus sæpius excusum est, ut suo loco dicam. Omnium postremas afferam animadversiones meas ad acta cæteraque omnia in isto concilio discussa ac definita.

ANNO CHRISTI 1274.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ X. MICHAELI PALÆOLOGO

Græcorum imperatori illustri.

Lætatur papa de voluntate Palæologi ad unionem propensa, & rogat ut nuncios mittat respondeatque ad literas ab eodem missas.

Litterarum series, quas nobis novissime tua magnificentia destinavit, cunctis qui spiritu Dei aguntur ipsas audientibus, gaudii & exultationis in Domino materiam subministrant. Siquidem circa instans unionis Latinorum & Græcorum desideratæ, perutilis ac Deo acceptæ negotium, & intensum tuum testatur affectum & votivum illius exitum repromittit. Adjiciens inter cetera, quod cum qualem te ostendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis scrupulus in nostro corde remaneat de consummatione ac perfectione negotii supradicti.

Hæc quidem catholicos rei conscios in jubilum excitant animos, sed multorum circa hoc motus reprimit, quod, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis & status asserunt unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum & simultate deductum. Propter hoc & nobis super apocrisariorum nostrorum, qui ad tuam pervenere præsentiam, deliberantibus missione, id dissuasere frequentius, viam aliam quæ se videbatur offerre præ manibus potius suadentes.

Licet autem illius credulitatis aures non duxerimus inclinandas, hæc tamen excellentiæ tuæ ad stimulum quasi sollicitationis exponimus, ut attendens quod ex his quæ de prædictis tuis litteris brevis supercommemoravit epilogus, & aliis quæ patent latius in eisdem, te oris tui verbo non solum Deo, sed & universis audientibus, si famam tuam non negligas, ad consummationem prædicti negotii quasi obligasse videaris, ad illam sic solerter intendas, sic efficaciter in veritate procedas, quod tuæ promissionis effectu per evidentiam operis apparente, obstruantur ora inique loquentium, qui celsitudinem tuam libenter forte notarent, quasi non in sinceritate debita hoc tam salubre negotium prosequaris: sed & nunc post nuncios nostro tempore tanto detentos, quasi necessitate dilationis ingesseris, sicut hactenus ex eadem parte frequenter ingestas asserunt, ut & per angustias temporis & per inopinatos casus, qui persæpe in negotiis tractandis emergunt, desiderato fructu memoratum negotium frustraretur, ne quando nobis supergaudeant, qui insultent ac dicant, Ecce quod verebamur accidit: sicut enim vobis prædiximus, solam perditionem temporis habuit vestrorum missio nunciorum.

Hæc sicut ad tuam instructionem & provisionem de paterna dulcedine prodeunt, ita in tuæ considerationis attentione dulcescant. Sic enim ad salutem animæ tuæ afficimur, ut & personæ in via hac, quam præmissæ litteræ te ambulare describunt, zelemus honorem, & desideremus te diligentissimum fore opinionis tuæ custodem, curam habentem de bono nomine, nec famam aliquatenus negligentem. Persta igitur; nosti enim quod perseverantiæ palma debetur. Persta, & quæ te præmissæ tuæ litteræ tam sollicite incœpisse commemorant, & nuncii nostri, qui ad nos rediere, testantur, sollicitudine continuanda, & quantum facultas permiserit augmentanda, prosequere ad obtinendum immensum divinæ retributionis præmium, & memoriale inter homines, de tam pio, tam amabili, Deo & Christianitati tam votivo, tam utili opere in æternum: missurus apocrisarios quorum eædem magnitudinis tuæ litteræ pollicentur adventum, cum potestate plenaria, & ad omnia quæ nostrarum missarum ad te per eosdem nuncios litterarum tenor exigit, plene, prout decet, instructos, de quorum securo conductu sicut inserta tuis litteris petitio continebat, per viam a celsitudinis tuæ nunciis ad nos propter hoc inter cetera destinatis, de speciali mandato tuo, ut dicebant, electam, salubriter duximus providendum.

EXTRACTIONES DE LIBRO

quem fecit venerabilis vir & religiosus frater Humbertus de Romanis, magister quondam v. ordinis Prædicatorum, de his quæ tractanda videbantur in concilio generali Lugduni celebrando sub Gregorio papa X. sub anno Domini MCCLXXIV. in calendis Maii.

Ex schedis Mabillonii.

Prima pars agit de negotio ecclesiæ contra Sarracenos, & habet XXVII. capitula.

CAP. I.

Quod ad summum pontificem pertinet vigilare diligenter super populum Christianum.

Ad omnes siquidem prælatos pertinet vigilare, secundum illud Lucæ 2. *Pastores erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Nam latro ex improviso superveniens gregi, transjugulat pastorem, quem invenit dormientem; & Dominus dicit Apocal. 3. *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur*; sed hoc summe seu maxime pertinet ad summum pastorem, tum quia habet maximum gregem, tum quia grex suus est omnibus periculis expositus, tum quia ipse habet maximam mercedem, non solum æternam, sed etiam temporalem, quia Dominus universorum est. Unde ceteris dormientibus, Petrus specialiter increpatur Marci XIV. *Simon dormis, non potuisti una hora vigilare mecum?* Maxime ad illum, ait papa Gregorius, hoc est vigilans quodam præsagio futurorum.

CAP.

ANNO CHRISTI 1274.

CAP. II.

Quod populus Christianus subjacet triplici incommodo, sicut olim populus Israeliticus.

Sicut enim populus Israeliticus primo a tempore Abrahæ usque ad finem fuit quasi continue ab infidelibus impugnatus. Secundo sub Roboam & Jeroboam circumbiliter* divisus. Tertio, pars illa quæ veri Dei cultui adhæsit, majoribus sceleribus se involvit; sic populus Christianus semper a foris infidelium persecutionem habuit & habebit. Secundo, patitur divisionem inter Græcos & Latinos, qui in ventre Rebeccæ, ecclesiæ, colliduntur, ex quo regnum ecclesiæ in se divisum miserabiliter desolabitur. Tertio, ecclesia Latinorum, salva fide, quoad mores pluribus fœditatibus implicatur.

Vox corrupta

CAP. III.

Quod ad summum pontificem pertinet contra prædicta tria remedium adhibere.

Sicut enim pastor nititur oves a lupis defendere, dispersas congregare, ægras sanare; sic ad summum pastorem pertinet contra hostes forinsecos ecclesiæ defensionis bravium providere, dispersos schismate reunire. Latinos ægros moribus reformare, implendo illud Ezechielis, *Quod pingue & forte custodiam &c.*

CAP. IV.

Quod christianitas impugnata fuit a sui initio usque nunc a VII. *generibus hominum.*

Primi impugnatores fuerunt Judæi a Stephano inchoantes. Secundi fuerunt idololatræ persequentes apostolos & martyres. Tertii fuerunt philosophi gentiles, de quibus Act. XVII. *Disserebant cum Paulo; alii dicebant: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator.* Quarti sunt hæretici diversarum sectarum. Quinti fuerunt imperatores ante Constantinum magnum, qui moverunt decem generales persecutiones significatas per decem cornua bestiæ monstruosæ, de qua habetur Apocalypsis XVI. Septimi fuerunt barbari, videlicet Wandali, Gothi, & Huni, qui & Hungari dicuntur, & Tartari. Septimi fuerunt & sunt Saraceni, quorum seductor Mahometus finxit se esse prophetam a Deo missum ad exponendum & corrigendum legem Judæorum & Christianorum. Isti septem gentes Israel impugnantes, de quibus habetur Deuter. VII. & septem capita bestiæ, de quo habetur Apocalyps. XVI.

CAP. V.

Quod ista septem genera persecutorum jam pene enervata sunt præter Saracenos.

Primum quidem Judæi scientia convicti, potentia subacti, nihil ultra sciunt aut possunt contra populum Christianum. Secundo idololatria cum crucis vexillo exsufflata, tantum in partibus Aquilonis apud Prucinos & quosdam alios paucos exsultat. Tertio, philosophia per veram sapientiam destructa est, immo in obsequium fidei per viros excellentis ingenii explanata. Quarto hæretici olim contra ecclesiam palam latrantes sua latibula sunt ingressi. Quinto, imperatores ecclesiam quam olim conculcabant, a multo tempore jam exaltant. Sexto, barbari non comparent præter Tartaros, qui etsi solos Hungaros persequantur, contra tamen Saracenos præbent auxilium Christianis. Septimo autem, Saraceni semper in malitia perseverant.

CAP. VI.

Quam gravis sit persecutio Sarracenorum?

Septem sunt circumstantiæ quæ aggravant istam persecutionem. Prima pertinet ad diuturnitatem temporis quo duravit. Decem enim persecutiones duraverunt circiter annos CXXXV. Nam sicut habetur in libro qui dicitur Imago mundi, prima fuit sub Nerone qui imperavit annis XIII. & mensibus VIII. Secunda, sub Domitiano, qui imperavit annis XV. & mensibus V. Tertia, sub Trajano, qui imperavit annis XVIII. & mensibus VI. & dimidio. Quarta, sub Marco Antonino, qui imperavit annis XVIII. & mensibus V. Quinta, sub Severo, qui imperavit annis XVII. Sexta, sub Maximo, qui etiam Maximianus imperavit annis III. Septima, sub Decio qui imperavit annis VI. Octava, sub Valeriano, qui imperavit annis XV. Nona, sub Aureliano, qui imperavit annis V. & mensibus VI. Decima, sub Diocletiano, qui imperavit annis XX. Persecutiones autem Vandalorum, Gothorum & Hunorum, licet fuerint valde graves, transierunt tamen valde velociter ut tempestas. Persecutio vero Saracenica, quæ incoepit a tempore Eraclii, jam duravit plus quam annos DCLX. & sic plus quam aliæ simul junctæ. Secunda circumstantia pertinet ad continuitatem persecutionis. Nam imperatorum non fuerunt continuæ, sed fiebat silentium in cœlo, succedente tyranno persecutori aliquo principe catholico Christiano. Similiter nec persecutio barbarorum fuit continuata, sed interpolata; persecutio vero Saracenica, ex quo coepit, numquam fuit nisi paucis & male servatis treugis interrupta. Tertia circumstantia pertinet ad loca, primò quia fere ubique terrarum invaluit, nam de tota fere Asia sunt expulsi Christiani. Totam etiam Africam tenent Saraceni, in qua aliquando fuerunt CCCCXLIV. episcopi, nunc vero unus solus apud Marrochiam super Christianos sibi subjectos. Europæ vero multas partes occupaverunt, Hispaniam, Siciliam, Italiam, & licet per Johannem Tusculanum principem depulsi sunt ab Italia, & per Carolum ab Hispania, adhuc obtinent magnam partem. Item, persecutio eorum ferventior exarsit circa loca sacratissima quæ profanant. Quarta circumstantia pertinet ad generalitatem persecutionis; ceteri enim divisim aut ani-

animas tantum sicut hæretici, aut corpora tantum sicut Barbari, aut terras tantum sicut Tartari. Saraceni vero hæc tria insimul persequuntur. Quinta circumstantia est quantum ad animositatem obstinationis ipsorum, quia multi Judæi & hæretici & philosophi & imperatores, & plures idololatræ conversi sunt & baptizati. Nam Vandali, qui & Poloni, & Huni, qui & Hungari; Gothi, qui & Daci, sunt effecti catholici: Saraceni vero nulli vel paucissimi sunt conversi. Sexta circumstantia est quantum ad calliditatem. Sicut enim lex illorum callide est conficta, quod contra difficultatem in credendis, austeritatem in præceptis & poenis divinis, carnalia permittit, voluptuosa, sensibilia, ad preces Mahometi omnes salvandos fore finaliter dogmatizat. Septima circumstantia est quantum ad multitudinem persecutorum, multiplicati sunt enim super numerum, propter multitudinem uxorum & ancillarum.

CAP. VII.

Quam sit dolendum super dejectione Christianitatis facta a Saracenis.

Possumus enim lamentari dicendo Thren. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* de Jerusalem sentiendo; & istud Thren. ultimo, *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos*, intelligendo de terra promissionis, quæ debetur veris Abrahæ filiis Christianis. Sequitur ibidem, *Servi dominati sunt nostri*, videlicet Saraceni, non de Sara libera, sed de Agar ancilla progeniti. Impletum est illud psalmi, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, quia sepulcrum, & omnia loca sancta in regione illa vidi ego oculis propriis, qui tractatum ipsum conscripsi, capellam in qua se receperant Saraceni, qui ibant cum Friderico imperatore, & dicebatur pro certo, quod ibi noctu dormiebant cum mulieribus ante faciem Crucifixi. Sequitur, *Effuderunt sanguinem sanctorum tuorum tamquam aquam;* quia sicut non possunt numerari guttæ aquæ, sic non possunt numerari clerici, religiosi, nobiles & alii, quorum sanguis est effusus a Saracenis a tempore Mahometi, qui legem suam per gladium docuit promovendam.

CAP. VIII.

Quantum specialiter hic dolor tangit clerum & specialissime summum pontificem.

Clerici enim & sacerdotes, sicut quorum est dolere pro malo totius corporis; unde Jeremias, qui fuit de sacerdotibus, civitate destructa, maxime eam flevit. Heli sacerdos usque ad mortem doluit arcam Dei captam, quæ significavit sepulcrum sanctum Christi. Mathathias cum filiis fleverunt sancta in manu extraneorum data. Ergo *plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Sed summus pontifex super alios lugere debet, quia violatur Christianitas cum periculo depositi animarum. Nam propter timorem violationis templi & violationis depositi dicitur 2. Machab. 3. *Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur.*

CAP. IX.

Quot sunt rationes quæ movere debent cor Christianum ad impugnandum Saracenos, & quæ sunt retractivæ, & quæ sunt remedia contra illa.

Sciendum igitur, quod multi dolent super his malis nihil auxilii deferentes; similes mulieribus, obsessa civitate, plorant in domibus, nec egrediuntur ad præliandum, nec insultui resistunt. Sunt autem quæ ad hoc movere debent, 1. Zelus divini honoris. 2. Zelus Christianæ legis. 3. Caritas fraterna. 4. Devotio ad terram sanctam. 5. Conditio belli. 6. Exempla præcedentium patrum. 7. Gratia ecclesiæ. De quibus omnibus plenius habetur in opusculo de cruce prædicanda contra Saracenos, titulo XI. & sex sequentibus. Sunt autem octo retractiva Christianorum a bello Saracenorum. 1. Est illaqueatio peccati. 2. Est nimius timor poenæ corporalis. 3. Nimius amor propriæ patriæ. 4. Mala hominum verba. 5. Aliorum prava exempla. 6. Nimia affectio erga suos 7. Ficta impotentia. 8. Minor fides. Tertio notandum est, quod contra hæc omnia ponuntur remedia in opusculo supradicto, titulo XVIII. & septem sequentibus.

CAP. X.

Quod septem sunt genera hominum obloquentium contra negotium quod exercet ecclesia contra Saracenos.

Notandum quod obloquentes passagio terræ sanctæ similes sunt exploratoribus, qui detraxerunt terræ promissionis, deterrentes populum, & ideo cum sibi acquiescentibus perierunt, sicut habetur numero XIV. Sunt similes illis, quibus Deus dicit: *Clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec intrantes sinitis introire.* Hi etiam sunt, per quos via veritatis blasphematur; 2. Petri 2. Bene enim hujus via peregrinationis multos ad coelum duxit, & ab inferno reduxit. Horum autem obloquentium septem sunt genera, quorum per septem capitula sequentia obstructum est loquentium iniqua.

CAP. XI.

Responsio contra primum genus obloquentium.

Dicunt igitur primi quod non licet Christiano fundere sanguinem Saracenorum, exemplo Christi, *qui cum pateretur, non comminabatur*, 1. Pet. 2. & dixit Petro: *Mitte gladium in vaginam.* Apostoli etiam pro nomine JESU non pugnabant, dicentes: *Non vos defendentes, carissimi, non reddentes malum pro malo*, & multa hujusmodi. Mauritius

ANNO CHRISTI 1274.

tius & focii arma & gladios projecerunt, æftimati funt ficut oves occifionis. Refpondeo tripliciter, 1. Quod vinea ecclefiæ aliter producitur in effe, fcilicet plantando & rigando, aliter confervatur, gladio putando, & contra volentes extirpare gladio defendendo. 2. Quod aliter proceffit impotens populus Chriftianus, quia per humilitatem; aliter nunc potens, quia per gladii poteftatem. Non enim fine caufa gladium portat. 3. Quod ficut artifex amiffo uno inftrumento, utitur alio fibi relicto; fic non habens nunc miracula, & habens arma, defendit fe per ea. Ifti autem obloquentes nolunt effe pauperes, humiles & afflicti modo, ficut fuit ecclefia tempore primitiæ. Sicut ergo mutant ifti ecclefiæ ftatum pro fuis voluptatibus, fic permittunt ecclefiam variari in fuis diffenfionibus. Quis enim diceret non refiftendum Saracenis, fi parati effent omnes Chriftianos perimere, & totum cultum Chrifti delere? Propter hoc enim Machabæi fabbatis pugnaverunt; nec Chriftus dixiffet, vendere tunicam & emere gladium, nifi utendum effet aliquando gladio Chriftianis. Cetera vero quæ arguuntur in contrarium, ad præparationem animi, non ad executionem gladii referuntur, vel quia eft tempus evaginandi gladium ut nunc, & eft tempus recludendi gladium, vel quia non ad quodlibet membrum Corporis Chrifti, quod eft ecclefia, pertinet hoc gladio uti, fed tantum ad brachium laicale.

CAP. XII.

Refponfio contra fecundum.

Secundi obloquentes dicunt ab ifta pugna ceffandum, propter multum fanguinem in ea effufum vel etiam effundendum, ne dens fanus propter putridum extrahatur, & fanguis innoxius propter noxium, & amplior quam noxius effundatur. Sed ifti debent recolere hiftorias & res geftas antiquorum. Nam Carolus Martellus occidit de Saracenis, qui venerunt contra eum in auxilium ducis Aquitaniæ, CCCLXX. millia, cum parvo detrimento fuorum. Item, Godefridus *de Bullon*, capta Jerufalem cum fuis Chriftianis, tot de Saracenis occidit, quod in porticu Salomonis fanguis occiforum afcendebat ufque ad genua equorum. Carolus etiam Magnus in Hifpania bis de Saracenis innumeras ftrages fecit. Plures ergo Saraceni occifi funt a noftris, quam e converfo. Quod fi multi de noftris occifi funt pugnando, plures occifi fuiffent, nifi viriliter reftitiffent. Sicut enim venientes cum claffibus de Africa Januam depopulantes, quafi omnes trucidaverunt; fi illis permitteretur, vellent Chriftianorum genus totaliter extirpare. Nec eft etiam fatuum pro falute morti fe exponere; unde martyres fe mortibus obtulerunt, quamvis ex hoc minui videretur populus Chriftianus; ficut per hoc quod a multis virginitas obfervatur: quia ecclefia magis intendit replere coelum quam mundum. Qui autem in hoc bello moriuntur, licet vacuent mundum, tamen replent coelum, forte aliter non falvandi, & per paucorum mortes pluribus falus & incolumitas procuratur.

CAP. XIII.

Refponfio contra tertium.

Tertii a paffagio retrahentes dicunt, pugnam iftam effe indifcretam & Dei tentativam, quia illi multi in terra fua aere confueto cibis abundant, paffus norunt; nos omnia habentes contraria, fine difcretione imus ad bellum. Sed dicendum eft ad iftos: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sunt enim angeli in adjutorium Elizei. Onias, Jeremias, & ceteri fancti orant pro populo Dei. Oratio enim fit in tota ecclefia ad Deum pro populo, ficut olim pro S. Petro, & ficut angelus Domini proftravit multa millia Sennacherib. Unde cum poft captam Jerufalem Saraceni, refumtis viribus, multitudine innumerabili invaderent Chriftianos, Chriftiani non plures quam quinque millia equitum, & XII. millia peditum, occiderunt centum millia Sarracenorum, & in porta Afcalonis qua fugiebant, duo millia fuffocantur. De his autem qui perierunt in mari, & inter fruteta confumti funt, non fuit numerus certus. Noftri etenim ut communiter in bello funt fortiores, probiores, & melius armati, non folum corporaliter, fed magis fpiritualiter, propter fpem certam mox gloriam confequendi; quia mors non fugitur, fed optatur.

CAP. XIV.

Refponfum contra quartum.

Quarti obloquentes dicunt, quod etfi liceat Chriftianis fe defendere, non tamen contra Saracenos, vel terras eorum invadere. Quibus refpondendum eft, quod immo; primo quia aliter ipfi invaderent nos quietos. Secundo, quia fi extirpantur fpinæ de terris fterilibus, ut fiant novalia; multo magis fuperftitiofa gens expelli debet, ut introducatur cultus Dei. Tertio, quod ipfi habent legem, ne umquam audiant loqui de Chrifto, ut convertantur ad ipfum. Chriftus autem dicit Luc. 19. *Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare fuper fe, adducite huc, & interficite ante me.* Quarto, quia ficut zizania intro, non permixtum. Quinto, quia ficut ficulnea fine fructu habito & fperato. Sexto, quia ficut Sodomitæ concedentes uxoribus abuti ut placet, & alias nefandas turpitudines, dicentes fufficere tibi quod in mane aqua fe abluant. Septimo, quod irritam quis faciens legem Moifi, fine ulla miferatione moritur, & multo magis illi, qui Filium Dei conculcant. De terris autem ipforum dicendum eft, quod ante Mahometem fuerunt Chriftianorum; fed ipfe cum fuis pofteris vi abftulit & injufte. 2. Quod tempore Godefridi de *Bullon* Chriftiani jufto bello recuperaverunt terram promiffionis. 3. Quod ex dono Dei ipfa eft filiorum Abrahæ, qui fecundum fpiritum hujufmodi ante funt Chriftiani. Saladinus autem & alii Saraceni injufte iterum abftulerunt. 4. Quia fcriptum eft Matthæi: *Auferetur a vobis regnum*

gnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.

CAP. XV.

Responsio contra quintum.

Quinti oblocutores dicunt, quod non debemus Saracenos persequi, sicut nec persequimur Judæos, nec Saracenos nobis subditos, nec idololatras, nec Tartaros, nec Barbaros. Quibus respondendum est, primo de Judæis, qui tolerantur, quia *reliquiæ Israel salvæ fient*. Item, quia crudele esset mactare subjectos. Item, propter prohibitionem prophetæ dicentis: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei*. Saraceni autem nobis subditi tolerantur, quia nocere non possunt. Item, quia in multis servitiis utiles sunt, & facilius converti possunt. De idololatris autem qui sunt in partibus Aquilonaribus, sicut sunt Phiteni, speratur eorum conversio, quia *omnis lingua serviet ei*, nec ipsi nos infestant, quare dimittuntur: Tartaros autem nec sic leviter invadimus, quia inter nos & eos medii sunt Saraceni, & ideo primitus expugnandi. Item, certas mansiones non habent, in quibus possunt semper inveniri, sicut nec Cumani.

CAP. XVI.

Responsio contra sextum.

Sexti dicunt, quod ex ista pugna non sequitur fructus spiritalis, quia Saraceni magis convertuntur ad blasphemiam, quam ad fidem: occisi autem ad infernum mittuntur; nec etiam fructus temporalis, quia terras acquisitas non possumus retinere. Quibus respondendum est: in hoc est fructus triplex. Primus spiritualis, quia propter indulgentias & alia bona annexa plures Christiani citius salvantur. Secundus corporalis, quia per hoc a Saracenorum invasione Christiani corporaliter defenduntur. Tertius temporalis, quia spolia adquiruntur, & ipsi tributis subduntur, & licet temporaliter ad Dei cultum reducuntur.

CAP. XVII.

Responsio contra septimum.

Septimi oblocutores dicunt, quia non videtur esse de voluntate Domini hoc bellum, propter infortunia quæ permittit, sicut quod Saladinus quasi subito recuperaverit totam terram promissionis, tanto sudore ac labore Christianorum vix obtentam. Item, quod Fredericus imperator vadens illuc ad succurrendum, perierit, in parva aqua. Item, quod pius rex Franciæ Ludovicus cum fratribus suis & tot nobilibus captus fuit in Ægypto, & negotio infecto mortuus est cum filio apud Tunicium, & in spiritu vehementi contusæ sunt naves ejus. Quibus respondendum est primo, quia sunt justi, quibus mala proveniunt quasi mala egerint impiorum. Secundo, quia si diabolus triumphavit de multis & multotiens, propter hoc non de-

A sistendum est a pugna contra ipsum, nec similiter contra ejus membra. Tertio, quia filii Israel, licet de consilio Domini in ultionem leviter pugnarent, & in bello devicti sunt, sed finali bello victoriam sunt adepti. Quarto, quamvis vellet Dominus quod pugnaretur contra Philisthæos, sui foederis tamen sustinuit arcam capi, Saul regem cum filiis suis occidi, & populos fugari. Igitur ista evenerunt, non quia Deo non placeat bellum, at propter peccata pugnantium, vel propter merita adaugenda: unde pius rex Franciæ Ludovicus gloriabatur dicens, quod Domino in die judicii dicturo, quia pro nobis male tractatus fuisset, responderet, quod ipse captus fuisset pro ipso, & similiter male
B tractatus. Aliquando autem hoc accidit propter indiscretam audaciam nostrorum, sicut accidit Judæ Machabæo, qui nolens ponere maculam in gloria sua, cum octingentis militibus præsumsit aggredi viginti millia peditum & duo millia equitum contra consilium sociorum, debemusque non propter hoc a pugna desistere, sed nos ipsos humiliare, & ad Deum clamare, quia malleis adversitatis bonos consolidat, non enervat.

CAP. XVIII.

Quod septem sunt causæ, quare quidam sunt tepidi in negotio contra Saracenos.

C

Prima causa est avaritia clericorum, qui de sudore & labore pauperum decimas extorquentes, nolunt illas decimari pro recuperanda terra sancta rorata sudore sanguinis JESU-CHRISTI, opulenti, delibuti, nihil compatientes super contritione veri Joseph. Secunda causa est mors suorum; qui magis deberent recordari, quod sanguinem suorum a Christianis fusum nolunt remittere, donec vindicaverint juxta votum, & propter hoc perpetuo arma ferunt. Tertia causa est malus eventus nostrorum, contra quod dicit David, *Non refrangat ista res*. Quarta causa
D est ex multitudine hostium effrenata desperatio, contra quod dicit Judas: *Non in multitudine exercitus victoria belli est*. Item, Deuteronomii 20. *Si videris multitudinem, non timebis*. Quinta causa est tepor fidei, contra quod scribitur 2. Machabæorum, *Maxima autem sollicitudo erat pro templo*. Sexta causa, sapientia mundi, secundum quam videtur non posse negotium prosperari. Sed virga Moysi devorat virgas magorum, quia sapientia Dei vincit malitiam hujus mundi, & Magi ab Oriente venerunt ad JESUM, sequentes stellam. Sic relicta mundi stultitia, in fide & spe Christi peregrinandum est ad ejus sepulcrum & tumulum. Septima causa est, oblocutiones prædictæ. Sed qui terræ
E promissionis detraxerunt, & qui detractoribus consenserunt, in deserto perierunt, & non viderunt Dominum Deum in terra viventium.

CAP. XIX.

Quod ex hujusmodi tepiditate venerunt septem mala in Christianitate.

Primum malum, quod tepidi in hoc negotio

ANNO CHRISTI 1274.

tio non dant consilium virile, quia sunt pueri & effeminati. Secundum malum est, quod non juvant nisi inviti & cum murmure, sicut malus servus sequitur cum murmure dominum præliantem, contra quod 1. Machab. 3. *Prœliabantur prœlia Israel cum lætitia.* Tertium malum est, quia numquam excitant alios ad hoc ipsum, contra quod dicit Thomas, Joh. 11. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quartum malum est, quia faciunt alios tepescere. Quintum malum, quod exponunt Christianitatem destructioni, sicut tepide agentes in castro obsesso exponunt captioni ipsum castrum. Sextum malum est, quia tepiditas eorum tepescere faciat audaciam adversariorum, contra quos dicitur Apocalypsis 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.*

CAP. XX.

Quod expediat esse in ecclesia aliquos, qui circa hoc negotium sint ferventes.

Fervor iste accenditur, primo per illud: *Qui gladium accipit, gladio peribit.* Sicut ergo Mahometus legem suam per gladium multiplicavit; sic lex sua per gladium peribit, Sic in Ser..... fere omnia regna per gladium acquisita finaliter per gladium sunt amissa. Secundo, accenditur iste fervor, ex eo quod magister Jacobus in Historia transmarina refert, Dominum apparuisse in somnis Petro Heremitæ, cum pernoctaret in ecclesia nocte Dominicæ Resurrectionis, injungens ei legationem ad Urbanum papam & principes Occidentis, ut succurrerent Christianis in terra sancta conculcatis; quod & fecit & commovit fere totam Europam, & recuperata est terra sancta. Tertio fervor potest accendi ex eo quod Turpinus in epistola de actis seu gestis Caroli refert, quod B. Jacobus apparuit in somnis eidem Carolo, ter invitans eum, quod sicut alias terras multas subjugaverat, ita iret in Hispaniam, & locum suum liberaret a Saracenis, ut esset via fidelibus ad ipsum perpetuo visitandum.

CAP. XXI.

Quod hujusmodi fervor magis pertinet ad prælatos, quam ad alias personas.

Prælati debent fervere pro recuperatione terræ Christi, & defensione; tum quia sunt ejus baillivi, tum quia ejus vassalli; tum quia ejus stipendiarii, a quo habent quidquid habent. Unde Mathatias & sui filii sacerdotes pro lege & pro templo & civitate & populo Dei, se & sua totaliter dedicavit.

CAP. XXII.

Quod iste fervor summe pertinet ad papam.

Quamvis hoc negotium, quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, specialiter tamen hoc pertinet ad summum pontificem. Primo, quia majora negotia sibi reservata sunt; hoc autem est de maximis,

A quod fidem tangit. Secundo, quod solus papa potest ad hoc negotium pro auxilio cogere totum clerum ad id quod necessarium ad hoc ipsum. Tertio, quia ipse solus potest dare plenam indulgentiam, quæ est maximum promotivum. Quarto, quod si ipse qui est caput tepeat vel tremiscat, omnia membra tremiscent. Quinto, quia scriptum est Deuteronom. 20. *Appropinquante bello, stabit sacerdos ante aciem.*

CAP. XXIII.

Quod per summos pontifices super hoc negotium bellum est promotum.

B Primum hoc bellum habet auctorem a sede Romana, 23. quæst. 7. omnibus Hispaniæ episcopis scribit, quod in Saracenos juste pugnatur. Secundo, ab eadem sede habuit exemplum; unde 23. quæst. 8. dicit Leo papa nuntia quædam in Romanum pontificem (*a*) Saracenos clam furtiveque venturos esse dicebant, pro quo nostrum congregari populum maritimumque ad littus descendere decrevimus; & egressi sumus. Tertio, datæ sunt cruces & inventæ ab Urbano II. in concilio Claromontensi recuperata est tunc terra. Quarto diversæ religiones armorum per diversas provincias sunt ad hoc institutæ. Quinto, amissa Jerusalem civitate, C & tradita Saladino, missæ sunt a Gregorio papa VIII. cum promissione de relaxatione peccatorum; sed ipse post mensem unum & dies 27. suæ creationis obiit; cui successit Clemens pap. III. & in diebus ejus rex Franciæ Philippus & rex Angliæ Richardus recuperaverunt Accon. Sexto, in conc. Lateran. Innocentius papa III. plenitudinem indulgentiæ inchoavit, & libertates multas concessit, quæ hodie dantur cruce-signatis, & de proprio thesauro triginta millia marcharum dedit, & duo millia marcharum de quibusdam eleemosynis pro transfretatione pauperum dedicavit. Septimo, per diversas provincias datæ sunt nunc decimæ, nunc vigesimæ, & D hujusmodi, usque ad hæc tempora.

(a) Apud Gratianum non *pontificem*, sed *pontem* legitur.

CAP. XXIV.

Quod etsi hoc negotium non sit per quemcumque adjutorem terminatum, non est desistendum, & maxime a summo pontifice, quod adhuc nova adjutoria instaurentur.

Non est ab hoc negotio desistendum propter infortunia tribus de causis. Primo, propter salutem Christianorum, quorum multi per hoc salvantur, qui alias damnarentur. Secundo, propter repressionem Saracenorum, E qui ut supradictum est, aliter nos invaderent quietos. Tertio, propter spem de finaliter triumphando. Nam antiquus ille populus sæpedictus ad Deum revertens, finaliter semper vincebat. Historia Caroli-Magni, Antiochena & transmarina, ostendit Christianos semper in fine victores. Recuperatas etiam cernimus multas terras ab eis primitus occupatas, Siliciam seu Siciliam, Sardiniam, Januam, Cataloniam, Insulas, Hi-

ANNO CHRISTI 1274.

Hiſpaniam, excepto uno angulo, nec eſt abbreviata manus Domini, quæ interfecit CLXXXV. millia de Aſſyriis una nocte.

CAP. XXV.

Qualiter procedendum eſt de novo ad adjutoria.

Notandum quod pro iſto negotio neceſſaria ſunt tria cum ſuis annexis. Primo orationes, ſecundo cogitationes, tertio conſultationes. Orationes autem faciendæ ſunt in publico & in privato, proceſſiones, letaniæ, jejunia, eleemoſynæ, & hujuſmodi injungenda; confeſſiones etiam & correctiones de peccatis faciendæ ſunt, ſine quibus orationes parum valent. Cogitationes autem debent eſſe diutinæ, non ſubitæ, cum multa collatione cum viris idoneis, inſpiciendo hiſtorias cum iis, qui de talibus ſcripta reperiuntur. Conſilia vero de talibus habenda ſunt, non cum inexpertis, nec cum involuntariis, nec ſpecialiter cum malis, quia non habent ſpiritum Dei; ſed expertis, voluntariis, & ſanctis & juſtis viris, qui habent ſpiritum conſilii ſanioris.

CAP. XXVI.

Quid de hoc ſentiat communis opinio.

Communis opinio ſentit, quod oporteret illuc continue tenere tot pugnatores, quot probabiliter crederentur ſemper poſſe reſiſtere Saracenis, ad quod eligerentur non mercenarii homines, habentes ſolum oculum ad ſtipendia, ſed habentes zelum fidei; nec homicidæ, aut peſſimi ſicut hactenus factum eſt, ſed homines a peccatis abſtinentes; quia neſcit juſtitia Dei patrocinari criminoſis, & illis morientibus, aut redeuntibus, aut ejectis propter malam vitam, mox alii ſubſtituerentur. Suſtentatio autem eorum faciliter poſſet haberi præter adjutorium laicale; primo, ſi de ſuperfluo theſauro eccleſiarum in lapidibus, vaſis, & veſtimentis & hujuſmodi emerentur redditus perpetui. Secundo, ſi de collegiis ſingulis una vel plures præbendæ illi uſui aptarentur & deputarentur. Tertio, ſi prioratus, in quibus pauci aliquando cum ſcandalo morantur, illic applicarentur. Quarto, ſi abbatiæ deſtructæ, quarum reformatio deſperatur, illic ſimiliter applicarentur. Quinto, de beneficiis vacantibus fructus unius vel plurium annorum ad hoc ſervarentur, & multa alia hujuſmodi.

CAP. XXVII.

De his quæ pro toto negotio ante concilium ſunt agenda.

Primo igitur laicis & clericis habentibus cordi negotium diligenti conſilio tractandum eſt, & conferendum de omnibus adjutoriis & ſubſidiis a quibuſcumque petendis. Debent etiam magnates ad hoc induci primo, quia ſunt vaſalli Dei, a quo tenent potentiam, ne permittant ei auferri terram ſuam. Secundo, exemplo regum & principum Iſrael, qui ſemper pugnabant contra Philiſthæos, prophetæ autem & ſacerdotes exhortabantur, & pro pugnantibus orabant & ſacrificia offerebant. Tertio, exemplo nobilium chriſtianorum. Carolus enim magnus contra Saracenos uſque ad mortem pugnavit, & multas libertates Francis dedit, ut eos paratiores haberet ad hanc pugnam, propter quod non ſunt digni nomine Francorum, qui non gerunt bellum Saracenorum, multi etiam reges nobiles, qui mori citra mare inertiam reputabant. Quarto, quia cum aliis pœnitentias facere nolunt aut non poſſunt, nobilius quam in armis ſatisfacere nequeunt.

Explicit prima pars.

SEQUITUR DE SECUNDA,

in qua agitur de ſchiſmate Græcorum.

IN ſecunda parte agitur de ſchiſmate Græcorum, & habet XIX. capitula.

CAP. I.

Quod una ſit eccleſia.

Quod una ſit eccleſia probatur per auctoritates. In Canticis: *Una eſt columba mea.* Item in Evangelio dicit Dominus in ſingulari, *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Et Apoſtolus: *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et multa hujuſmodi leguntur. Item in ſymbolo fidei: *Unam ſanctam eccleſiam catholicam.* Secundo probatur per rationem, quia Chriſtus ſponſus eccleſiæ non eſſet monogamus, cum tamen minimus epiſcopus prohibeatur eſſe bigamus. Tertio, ſciendum eſt quia eſt una, unitate Domini, fidei, baptiſmi & animi, juxta illud: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Et iterum in Actibus apoſtolorum: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Item unitate finis.

CAP. II.

Objectiones in contrarium.

Contra hanc unitatem eſt illud Apocalyſis: *Septem eccleſiis, quæ ſunt in Aſia.* Item dicitur eccleſia Gallicana & eccleſia Anglicana. Item alia militans, alia triumphans. Item alia primitiva, alia moderna. Item in typo Chriſti patriarchæ plures habuerunt uxores. Sed major eſt gloria regis habere ſub ſe plura regna, quam unum tantum. Et in Canticis: *Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ; adoleſcentularum vero non eſt numerus.* Item malignantium eccleſia eſt una. Cum autem unum uni opponitur & non plura, item plures homines non ſunt unus homo.

CAP. III.

Reſponſiones ad prædicta.

Primo, ſciendum quod eccleſia univerſalis eſt una, particulares autem eccleſiæ ſunt plures, ſicut ſunt lapides multi, acervus autem unus. Univerſalis autem diſtinguitur particu-

ANNO CHRISTI 1274.

ticulariter vel ex parte rectorum, sicut in prima instantia, vel ex parte nationum, ut in secunda; vel ex parte statuum, ut in tertia; vel secundum tempus, ut in quarta; & nihilominus est una, sicut juvenis & senex, pauper & dives. De bigamia autem patriarcharum, fuit figura Christi in Jacobi quia duæ uxores liberæ significant eos, qui ex Judæis & gentibus serviunt ex amore, ancillæ vero significant eos, qui de utrisque serviunt ex amore. De pluralitate vero regnorum dicendum est, quod constituit unum imperium, & sic omnes ecclesiæ unam matrem ecclesiam integrant, quæ dicitur Regnum cœlorum. Ad illud Canticorum, dicendum quod sexagenarius numerus propter senarium & decalogum significant perfectos in præceptis, B qui generant Christi filios prædicando. Octoginta concubinæ, quia quatuor bis significant volubilitatem temporalium propter quatuor partes mundi, & quatuor elementa significant eos, qui in prædicatione habent oculos ad temporalia. Adolescentulæ vero sine numero significant imperfectos ad germen prædicationis. Ecclesia vero malignantium non est ecclesia simpliciter, sicut nec angelus Satanæ non est angelus in modo loquendi simpliciter. Quod vero dicitur de contrarietate, verum est in eodem genere & non in diversis: nam plura mala opponuntur uni bono. Ad ultimum dicendum est, quod una non est de unitate reali, sed unitate rationis, sicut est. Nam ternarius & quaternarius sunt plures numeri, & tamen faciunt unum numerum majorem, puta septenarium.

CAP. IV.

Quod tota ecclesia universalis debet habere unum summum pontificem.

Quod in ecclesia sit tantum unus rector probatur primo, quia omnes unum corpus sumus. Si enim haberet plura capita, monstruosum esset. Secundo, quia totus mundus, ut sit bene ordinatus, habet unum principem summum, similiter & ecclesia. Tertio, quia si hæc particularis ecclesia non habet nisi unum episcopum, nec alia nisi alium, ut sit melius ordinata: Ergo tota christianitas, quia est una ecclesia, habet unum summum pontificem. Quarto, quia sicut plures episcopi habent super se unum archiepiscopum, & plures archiepiscopi unum patriarcham, ita omnes patriarchæ debent habere super se unum summum pontificem. Quinto, quia discordia exeunte inter æqualiter summos, si essent, non esset superior qui manum poneret in ambobus, & confunderetur tota christianitas. Sexto, quia facta est sicut navis institoris, in qua debet esse unus summus gubernator. Septimo, quia dicitur regnum Dei, in quo debet esse bonus rex, ne regnum divisum in se ipsum desoletur. Octavo, quia David super XXIV. sacerdotes constituit unum summum pontificem. Nono, per illud Osee: *Filii Israel & Judæi ponent sibimet caput unum*. Decimo, quia *fiet unum ovile & unus pastor*. Si enim dicatur quia Christus est unum caput, verum est; A sed quia absens visibiliter per suos vicarios regit, sicut unam diœcesim per unum episcopum, unam provinciam per unum archiepiscopum, & unum regnum per unum regem; sic universalis ecclesia per unum pastorem. Discretus enim paterfamilias recedens præter particulares vicarios, derelinquit, unum generalem, cui ceteri obsequuntur.

ANNO CHRISTI 1274.

CAP. V.

Objectiones in contrarium.

Primo obiicitur contra ita; qua cœlestis hierarchia non habet caput nisi Deum. Secundo, quia apostoli non leguntur fuisse sub obedientia Petri, sed de pari omnia faciebant, quæ nunc papa sibi appropriat. Tertio, quia *qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est & mihi inter gentes*, & sunt omnes immediate a Christo. Quarto, quia in temporalibus non oportet unum esse super omnes, cum multi reges non recognoscunt superiores, nisi Deum. Quinto, quia plures sunt parochiæ, in quibus multi sunt curati de pari & in solidum. Sexto, quia sicut inveniuntur simul fuisse duo imperatores, sic possunt esse simul duo papæ. Septimo, quia sicut dictum est Petro, *Quodcunque ligaveris super terram*; sic dictum est aliis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ergo C idem de successoribus.

CAP. VI.

Responsio ad objecta.

Ad primum dicendum, est, quod non est simile de ecclesia triumphante, in qua cessat omnis prælatio conservorum; quia in exercitu indigent homines duce, quo non indigent ducti & perducti ad victoriam & quietem. Secundo, quia habent Christum visibilem præsentem visibiliter, unde est illud: *Non docebit vir proximum suum*. Sicut Christo D conversante inter apostolos, non habebant alium superiorem, sed compescuit eos dicens: *Qui voluerit major esse, erit inter vos minimus, omnes autem vos fratres estis. Magister autem vester unus est Christus*. Et *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi*. Tertio, quia prælatus datur ad cœrcendum a malo & ducendum ad bonum, quo illi non egent. Ad secundum & tertium dicendum est, quod quia apostoli a Christo vocati & missi, non indigebant ad Christum requirere, nec status illic patiebatur, & similiter etiam postea aliquo tempore observatum est, sed a Spiritu sancto hæc obedientia est explanata, sicut est in multis pertinentibus ad sacramentum. E Ad quartum dicendum, quia non est simile, quia coæquales in temporalibus habent superiorem simpliciter, sed in spiritualibus, qui potest corrigere etiam in regimine temporalium ratione delicti. Qui autem non haberent superiorem in spiritualibus contendentes de eis, non possent ab alio cohiberi. Et similiter ad quintum de curatis in solidum, qui habent superiorem episcopum. Ad sextum de imperatoribus similiter, quibus pa-

ANNO CHRISTI 1274.

papa præerat, ve non erant in solidum, sed sibi imperium dimidiabant. Ad ultimum, A sicut ad secundum & tertium, quia multa fecerunt apostoli & immediati successores de privilegio speciali, quæ modo aliis non licerent.

CAP. VII.

Quod iste summus, est pontifex Romanus.

Quod autem Romanus pontifex sit iste summus, patet per auctoritates. Dictum est Petro: *Tu vocaberis Cephas*, quod est caput, & *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, & *Pasce oves meas*, & *Confirma fratres tuos*, & *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & B *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, & primus eorum Simon-Petrus semper in catalogo ponitur, & in confessione fidei primus pro omnibus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, & in electione Mathiæ primus locutus est, & in prosecutione fidei primus prædicavit, & in concilio legalium primus proposuit. Deinde per rationes, primo quia non est aliqua sedes in mundo, cujus præsules tot & tanta pertulerint propter fidem: plures enim martyres episcopos habuit, quam ecclesia aliqua; & quia Roma est locus communis & medius occidentalibus & orientalibus, ut per mappam mundi patet, & quod Roma fuit caput mundi, quando Petrus illic transtulit sedem, & Con- C stantinus ordinavit Dei nutu, quod omnes ecclesiæ subessent Romanæ; sicut David, quod omnes sacerdotes subessent summo sacerdoti. De hac etiam subjectione extant multa concilia patrum. Item non est alia sedes inobediens, quæ dicat sibi deberi universalem subjectionem, quæ tamen alicui debetur. Item, Romana sedes fuit multo tempore in possessione pacifica vel quasi hujusmodi subjectionis.

CAP. VIII.

Objectiones in contrarium.

Primo, objicitur quod Christus est caput, D non Petrus. Secundo, quia Jerusalem in medio gentium posita est, ubi & Dominus illorum crucifixus est, ubi cœpit christianitas & omnia sacramenta, quæ sunt ecclesiæ fundamenta. Tertio, quia in primo concilio Jacobus episcopus Jerosolymorum protulit ibi sententiam quasi superior, non Petrus. Quarto, quia quatuor concilia, quæ sicut evangelia venerantur, & tria alia apud Græcos celebrata sunt & non apud Latinos, ex quo videtur magis esse caput apud eos. Quinto, quia sicut Petrus fuit pontifex Romanus, ita & Antiochenus. Non ergo magis debetur primatus illi sedi, quam isti. Sexto, quia E si Petrus hunc primatum habuisset, non propter hoc debetur cuilibet successori, sicut nec gratia miraculorum ipsius.

CAP. V.

Responsio ad objecta.

Ad primum dicendum, quod Christus est caput per se, Petrus autem sicut vicarius. Ad secundum, quod Jerusalem solum erat caput Judæorum, Roma autem est caput totius mundi, cui Christus dominaturus erat, & non solum Judææ. Ideo Romana sedes primatum tenet, & etiam ne ecclesia videretur judaizare: propter quod ecclesia Jerosolymitana usque ad tempus Justiniani imperatoris habuit dignitatem simpliciter episcopi; sed sub eo in concilio Constantinopolitano datus est ei patriarchatus propter honorem Dominicæ resurrectionis. Ad tertium dicendum, quod nondum erat determinatum de præeminentia Petri. Ad quartum dicendum, quod concilia non potuerunt congregari nisi per virtutem imperatorum Catholicorum, quorum primus Constantinus apud Constantinopolim, ubi posuerat sedem suam, & sic deinceps in partibus illis, propter potentiam successorum, ubi & magis vigebat christianitas, quia sub solo patriarcha Antiocheno erant CLIII. episcopi, præter illos qui suberant Alexandrino & Constantinopolitano. In occidentalibus enim erant pauci, nondum conversis Polonis, Hungaris, Anglicis & aliis multis, tum quia in occidente plures erant turbationes; nusquam tamen nec umquam sine auctoritate Romanæ sedis fit verum concilium generale. Ad quintum dicendum, quod Petrus potestatem suam Romam transtulit, & non eam reliquit illi, quem Antiochiæ præfecit. Ipse autem pontifex Antiochenus esse desiit, ne essent duo simul, & Romanus pontifex esse cœpit. Potestas autem ejus, eo per martyrium consummato, debuit ad aliquem transire super terram, & magis ad Romanum, qui successit morienti, quam ad Antiochenum, qui successit viventi, ne simul fierent duo papæ seu duo pontifices. Ad sextum dicendum, quod successor carnalis non habet quidquid prædecessor habuit, illo distribuente ad libitum. Secus autem est in spirituali, qui nihil habet a prædecessore, sed a Deo, qui apud ecclesiam semper vult esse plenitudinem potestatis: non sic autem de gratia miraculorum, quæ non sic est necessaria ad salutem.

CAP. X.

Quare Græci potius dicuntur schismatici, quam Latini.

Videretur quod Latini essent magis, vel æque schismatici, quam Græci, sicut enim ipsi dividuntur a nobis: ita e converso & ipsi magis conservant antiquas consuetudines apostolorum in barbis & carentia campanarum & hujusmodi; & Latini a Græcis habuerunt jura & philosophiam, quorum studium de Athenis venit Romam, & inde Parisius tempore Caroli-magni. Item, novum testamentum scriptum fuit prius in Græco, præter evangelium Matthæi, qui scripsit in Hebraico; & apud Græcos plures apostoli prædicaverunt, Johannes, Paulus, Andreas, & plures epistolas Paulus scripsit ad eos, quam ad Latinos, & plus eis prædicavit verbo, quam Latinis, & ab eis habemus scripta Dionysii, Damasceni, Gregorii Nazian-

ANNO CHRISTI 1274.

ANNO CHRISTI 1274.

zianzeni, Gregorii Nyſſeni, Baſilii & Chryſoſtomi, & fere omnia concilia, & ſic quaſi a patribus filii dividemur. Reſpondeo. Schiſmaticus uno modo cujus culpa ſit diviſio, ſecundo modo rebellans capiti, tertio vero conſtituens ſibi caput, propter quæ tria, Græci & non Latini dicuntur ſchiſmatici, & omnes Orientales, qui Græcis ſe conformant.

CAP. XI.

Quæ fuit cauſa & ſit adhuc ſchiſmatis Græcorum.

Cauſa diſpoſitiva hujus ſchiſmatis fuit multiplex varietas rituum in barba nutrienda, in materia ſacramenti Euchariſtiæ, in continentia miniſtrorum eccleſiæ. Item, gravamina Romanæ eccleſiæ in exactionibus, excommunicationibus & ſtatutis, in oppreſſione tyrannica principum Latinorum, in verbo & facto, quia vocabant eos canes, trahebant per barbam, & multa hujuſmodi, ſicut duritia Roboam diviſit regnum. Fertur in quadam hiſtoria, quod cum adhuc regnum Saracenorum eſſet ſubjectum Romano imperio, & quidam ex parte imperatoris diſtribueret togas militibus, & veniſſent Saraceni ad hujuſmodi togas recipiendas; dixit diſtributor: Quid ad nos de iſtis canibus? Verbum autem iſtud ita conturbavit Saracenos, quod propter hoc ſubtraxerunt ſe ab imperio Romano. Et ideo conſtat, quod exaſperatio potuit eſſe diſponens Græcos ad ſchiſma. Item, ſecundum hiſtorias Latinorum, regna maxima, ut Romanorum, Francorum & Anglorum, proceſſerunt a Græcis ab excidio Trojæ, & ab eis Chriſtianitatis proceſſit, propter quod ſe majores reputant, & magis dolent de negligentia aut contemtu; & quia Latini, ipſis non requiſitis, addiderunt in Symbolo Nicæno, *Filioque*, & quia ſubjectione reſignavit. Hæc igitur, tertia ſcilicet varietas rituum, exacerbatio Latinorum, ſuperbia eorum, diſpoſuerunt ad ſchiſma. Cauſa autem contemplativa ſchiſmatis fuit, quod quamvis Conſtantinus tranſtulerit ſedem imperii apud Conſtantinopolim, tamen imperium remanſit unum, Græcorum ſcilicet & Latinorum, uſque ad tempus Caroli-magni; quoniam, ſicut habetur in chronicis, incœperunt diviſim nominari imperatores Græcorum & Latinorum; propter quam diviſionem eccleſia Romana favendo magis imperatori Romano contra imperatorem Græcum, probabile eſt, quod tunc ille cœperit rebellare, & populus propter dominum. Unde in chronicis invenitur, quod Conſtantinopolim faciebant vocari primam omnium, quia apud illam erat ſedes imperii; ſed per Phocam imperatorem, procurante Bonifacio papa, ordinatum fuit, quod Romana eccleſia, ſicut erat, ſic & diceretur Caput omnium. Cauſa autem durationis ſchiſmatis, eſt primo cauſa perſeverans & durans diſpoſitiva. Secunda, conſuetudo, ſicut in ſimili patet inter illos, qui dicunt ſe Guelphos & Gibelinos in Italia: quia anteceſſores ſui ſic tenuerunt ſine alia ratione. Tertia eſt inſcitia ſeu ignorantia eorum, qua nec res reſponſis intelligunt. Quarta eſt diverſitas linguarum, qua eis prædicare non poſſumus. Quinta eſt defectus tractatorum & magnitudinem negotii propter diſtantiam locorum. Sexta & maxima eſt diſſenſio de imperio, quod eccleſia vult haberi & teneri a Latinis, ipſi vero a ſuis. Nam Græci qui ſunt in poteſtate Latinorum, ſicut patet in Calabria, obediunt Romanæ eccleſiæ. Septima poteſt addi, quia Græci quondam ſchiſmatici, ſucceſſivis temporibus paulatim prolapſi ſunt in diverſos errores & hæreſes, quibus pertinaciter inhærent. Itaque modernis temporibus non tantum ſchiſmatici ſunt cenſendi, ſed etiam hæretici manifeſti: in quibus erroribus & hæreſibus nutriuntur & imbuuntur maxime per illos, quos vocant ſuos calogeros. Prædicti autem errores alibi notati ſunt & collecti.

CAP. XII.

Quod ſcripſit Leo Tuſcus de cauſis iſtius ſchiſmatis.

Cauſæ hujus ſchiſmatis ſunt duodecim. Prima, quia papa Paulinum, quem Gratianus imperator Græcus Antiochiæ poſuerat, reprobavit. Secunda, quia ſub Theodoſio imperatore CL. epiſcopi concilium celebrantes ſine conſcientia papæ, Conſtantinopolitano epiſcopo nomen patriarchæ attribuerunt. Tertia quia ſub Marciano imperatore Leo papa depellere voluit Conſtantinopolitanum præſulem, & ex tunc de pari contenderunt. Quarta, quia cum, Zenone imperatore, Felix papa & Gelaſius ſucceſſor ejus excommunicaſſent Achacium præſulem Conſtantinopolitanum, ipſe e contrario excommunicavit ſummum pontificem. Quinta, quia cum Anaſtaſius declinans in partem Achacii in excommunicatione mortui, & ſucceſſoris ſui Eucharii in eadem malitia perſeverantis, nollet recipere legatos eccleſiæ Romanæ, tamen ſub papa Hormiſda receptos ludibrio habuit & abjecit; propter quod idem imperator, ut dicunt Latini, fulmine periit, & XL. epiſcopi Græci dederunt obedientiæ dextram apoſtolicæ ſedi. Sexta, quia Agapitus papa Conſtantinopolim veniens contra duos hæreticos, qui negabant in Chriſto duas eſſe voluntates, a Juſtiniano pio imperatore ſuſceptus, depoſuit præſulem Conſtantinopolitanum, epiſcopum hæreticum & alium ſubſtituit. Septima eſt, quia Martinus papa evocatus a Roma Conſtantinopolim, a Conſtantino imperatore, favente Paulo Conſtantinopolitano præſule, cum nollet ei conſentire, & propter hoc excommunicavit eum, miſſus eſt Terdonæ in exilium, ubi & miracula faciens defunctus eſt. Octava, ex hoc quia Juſtinianus Conſtantini filius........clam Romano pontifice ſynodum fecit, quam vocavit ſextam, in qua cum condemnatione eccleſiæ Latinorum editi ſunt canones multi. Nona, quia cum Leo imperator inſurrexiſſet in ſacras imagines, & per litteras papales ac legatos monitus & coercitus nollet reſipiſcere, Gregorius papa propter hoc excommunicavit Conſtantinopolitanum præſulem, cultum ſacris imaginibus detrahentem. Decima, ex hoc quod Con-

ANNO CHRISTI 1274.

Constantinus cum Irene matre sua parum a pessimis prædecessorum semitis discedens, præcipue tamen ad sacrarum imaginum cultum revocare nolens, congregavit synodum sine papa. Undecima, quia cum Bulgari converti vellent Romanis instrui disciplinis, ille imperator cum suo patriarcha legatos Romanos ad hoc missos a suis finibus expulerunt. Duodecima, quia cum tempore Manuelis imperatoris Græci & Alexandri III. omnia fere fuissent pacificata, legati Manuelis, inuncto papa apud Venetias, ubi Fredericum I. imperatorem Romanorum reconciliaverat, negotium tepescere dimittentes, non sunt prosecuti.

CAP. XIII.

Quod damnosum sit schisma Græcorum in ecclesia Dei.

Damnosum hoc schisma est valde, quia per hoc quicumque subsunt patriarchæ Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno, & fere Jerosolymitano, sunt ab ecclesia Romana præcisi; & qui in varias hæreses devoluti sunt & ejecti, non sunt in statu salutis, & excommunicati indigne suscipiunt & administrant sacramenta Dei, & adjiciunt falsa dogmata, ut a devotione Romanæ ecclesiæ se magis subtrahant & avertant, sicut Jeroboam fecit vitulos aureos.

CAP. XIV.

Quod graviter offendant qui dant occasionem minus instantibus schismati.

Notandum autem, quod non fuit ex culpa Moysi schisma Dathan & Abiron, quos vocant, sed Roboam, qui dura & injusta comminatus fuit; & si grave est scandalizare unum ex pusillis, multo magis gravius est tantam multitudinem & patres exasperare, & coram cæco offendiculum ponere.... Sciendum est illud quod schisma non est singulare.......... inter Saracenos post mortem Mahometi exortum est schisma, quod adhuc durat inter Saracenos de Ægypto & de Africa, & similiter inter multas nationes Christianorum.

CAP. XV.

Quantam curam debent ponere Latini ad reconciliationem Græcorum.

Ad istam reconciliationem curam debent apponere Latini. Sed sacerdos & levita pertranseunt vulneratum, nec compatiuntur membris, & propter hanc injuriam schisma magis, ac magis crevit, & profectum in pejus, sicut rima seu scissura in pariete quando non apponitur remedium, & sicut in guerra a principio faciliter fit pax, quæ post strages multorum hinc inde fieri non potest. Et sicut turris, quæ propter castrum cadit, multas domos vicinas secum pertrahit ad ruinam; sic & ipsi Græci Jacobitas & multos alios orientales secum traxerunt, ut cauda draconis tertiam partem stellarum; propter quod in ecclesia primitiva statim scissuræ apponebatur remedium, ut habetur Act. 6. Ortum est murmur, statim duodecim apostoli convocantes multitudinem sedaverunt, institutis diaconibus septem; & similiter orta dissensione propter observantiam legalium, Paulus, & Barnabas ascenderunt Jerusalem, ut habetur Act. xv. Et Romæ orta dissensione inter Judæos & Gentiles, Paulus eisdem Romanis epistolam ad, &c.

CAP. XVI.

Quod ista cura maxime pertinet ad dominum papam.

Ista cura maxime ad papam pertinet, primo, quia est vicarius Domini JESU-CHRISTI, qui ideo de cœlo descendit, ut faciat utraque unum, & papa in Græciam deberet descendere, si spes esset probabilis, quod propter hoc remuneraretur * ovile. Secundo, quia est pater omnium, & deberet occurrere filio prodigo renitenti, ut inducat in domum, & dare stolam primam, id est recipere ad dignitates. Tertio, quia est pastor in medio ovium dissipatarum, & aliis dimissis, ire ad illam quæ periit. Quarto, quia sponsus Rebeccæ dicitur dolere, quod in ventre ejus filii extant. Quinto, quia judex ad nihil aliud tendere debet, nisi ut a discordiis subditi recedant, dicendo cum Moyse: *Viri fratres estis qui occidistis alterutrum*. Sexto, quia rector navis debet agere, ut ad portum salutis concorditer remigetur.

* reuniretur.

CAP. XVII.

Quæ sint utilia ad hujusmodi negotii executionem.

Ad hanc reconciliationem necessaria videtur scientia seu peritia linguæ græcæ, quia per genera linguarum diversitas gentium in unitate fidei congregatur; & sicut scientia, quæ prius per infusionem habebatur, nec per studium acquiritur, sic debet esse studium de linguis, cum prius esset donum infusum, & sicut fiebat tempore Hieronymi & Augustini, ut nostri percurrerent libros eorum, & viderent, quibus innituntur. Sed vix in curia Romana invenitur, qui sciat legere litteras ab eis missas, & legatos ad eos missos oportet habere interpretes, de quibus nescitur utrum intelligant aut decipiantur. Secundo, necessaria videtur copia librorum græcorum, ut scilicet latini haberent omnia scripta eorum, theologicorum, expositorum, conciliorum, statutorum, officii ecclesiastici, & historiarum. Verisimile est enim multa inveniri pro nobis, quia non consonant omnia, & curatum est de libris philosophiæ & jure transferendis, non sic de theologicis, qui sunt arma militiæ nostræ, & curant milites parare arma corporalia contra eos. Clerici non curant de crimine ad destitutionem, monitionem, & altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Tertio, necessaria videretur frequens missio solemnium nunciorum, sicut Ezechias misit ad decem tribus divisas, ut reverterentur ad Dominum; qui

ANNO CHRISTI 1274.

qui nuncii etiam Latinos in Achaia visitarent, & corrigerent, qui propriis sumtibus irent, non extorsiones facerent. Quarto, videretur necessaria missio exploratorum, militum, mercatorum, vel religiosorum, sicut Moyses & Josue fecerunt. Quinto, videtur necessaria honorabilis receptio ipsorum, & non habere eos contemtui, sicut rex filiorum Amon. Sexto, attractio aliquorum Græcorum magnorum, prudentium per matrimonium, vel aliter, qui docerent & dirigerent, quomodo esset agendum erga eos. Septimo, cessatio Latinorum ab oppressionibus illorum. Octavo, caritativa servitia hinc & inde inter magnates. Nono translatio librorum nostrorum in linguam eorum, in quibus proficient.

CAP. XVIII.

Quod in tribus consistit discordia inter Græcos & Latinos.

Prima discordia de imperio Constantinopolitano. Cum enim Constantinus illuc sedem imperii transtulisset, successores ejus pacifice imperabant Orienti scilicet, & Occidenti, quousque Saracenis irrumpentibus Italiam, Pippinus Francorum rex evocatus a Stephano papa ad defensionem, factus est Romæ patritius, & deinceps reges Francorum patricii Romanorum, facti sunt imperatores Romani, & sic translatum est jus eligendi imperatorem a Græcis in Germanos in personam Caroli-Magni filii Pippini, quem Leo papa Romæ coronavit in imperatorem, & postea ecclesiæ auctoritate propter culpas imperantium in Constantinopoli capta fuit civitas Constantinopolis a Francis & Venetis, & repulsis imperatoribus Græcis, Petrus comes Autissiodorensis coronatus est ab Honorio papa III. in imperatorem Constantinopolitanum. Post cujus mortem orta est dissensio, successoribus Petri dicentibus ad se jus imperii pertinere, Græcis e contrario asserentibus. Secunda discordia est de pertinentibus ad fidem. Nam Græci invidiam moti quando Burgari conversi sunt ad fidem, & vellent imbui a Romana fide, ut illos averterent, Latinis imposuerunt hæresim de processione Spiritus-Sancti, & paulatim cœperunt in aliis articulis dissentire a Latinis. Tertia discordia, de obedientia & subjectione; nam propter sedem imperii illuc translatam, volentes parificari Romanis, quia secunda Roma dicta est, seu nova a Constantino, & paribus privilegiis dotata, & propter hoc sententiam quamdam latam a papa Romano contra suum patriarcham non receperunt, & tandem obedientiam quam prius exhibuerant, negaverunt, & sibi sine auctoritate & confirmatione papæ patriarcham fecerunt, & patriarchæ Latino per papam creato non obedierunt, sicut superius prætractatum est.

CAP. XIX.

De remediis contra hæc tria.

Contra discordiam de imperio, qua durante aliæ perseverant, videretur remedium, quod vel per pecuniam a Latino principe acquiratur, sicut principatus de Morea, & quidam alii, si tamen liceat, vel quod per pacta aut matrimonia imperator ille ad obedientiam reducatur, quod esset magis sine effusione sanguinis & sine periculo; necessarius non est eventus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Contra secundam discordiam videretur remedium, quod in omnibus ritibus suis, in quibus potest ecclesia dispensare, ipsi tolerarentur, dum tamen in his quæ sunt de substantia fidei consentirent, nec nostros ritus reprobarent. Contra tertiam discordiam videretur remedium, quod ab eis plenitudo obedientiæ non expeteretur, dummodo patriarcha eorum a papa confirmaretur, & ab eis legati Romani cum honore reciperentur.

Expliciunt extractiones II. Partis.

IN TERTIA PARTE AGITUR

de corrigendis in ecclesia Latinorum.

CAP. I.

De corrigendis contra cultum divinum.

Circa cultum divinum videretur statuendum, quod non cogerentur homines ad colendum nova festa præter auctoritatem Romanæ ecclesiæ, & præter quam in majoribus festis ab ecclesia institutis liceret hominibus operari post auditum officium, tum quod in festis magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis, & lupanaribus; quæ mala docet otiositas; tum quod dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad acquirendum sibi victum. Secundo, quod propter canonicos non solventes non cessaretur a divinis; sed culpabiles aliter punirentur. Tertio, quod in omnibus ecclesiis ars cantus melius doceretur & addisceretur. Quarto, quod divinum officium sic abbreviaretur, quod devote & integre diceretur & audiretur. Quinto, quod in magnis ecclesiis ad omnes horas haberetur numerus sufficiens clericorum.

CAP. II.

De corrigendis circa ecclesiam Romanam.

Circa Romanam ecclesiam videretur maxime sedis vacatio brevianda, primo per hoc quod cardinales, ea durante, nihil possent percipere de bonis papæ vel ecclesiæ, nec munia quæcumque, alioquin contrarium faciens, ipso facto esset voce privatus. Secundo, quod si infra certum tempus non elegissent, quod per electionem notariorum adjungerentur eis aliqui de primariis vel aliis officialibus curiæ, vel etiam e converso, vel metropolitanus illius provinciæ cum suffraganeis, seu aliqui alii, prout magis videretur circa hoc expediens providendum.

CAP.

ANNO CHRISTI 1274.

A

CAP. III.

De corrigendis circa religiosos.

Primo, quod religiones Medicantium minuerentur, & exceptis religiosis approbatis & confirmatis, quorum vita exemplaris & doctrina salutaris est, alii non sustineantur. Tot enim alii sunt qui Truttani (*a*) vocantur, & correctio non viget apud eos. Secundo, quod nulla religio mulierum sustineatur, nisi habeat unde possit sustentari in in domo sine mendicitate & discursu. Tertio, quod de prioratibus solitariis & destructis fierent collegia, in quibus religio servaretur, præviso unde valerent sustentari. B Quarto, quod nullus, nisi debilis & infirmus, aut hospes transiens comederet extra refectorium.

(a) Truttani sunt errones, plani & impudici, qui per provincias passim vagantur, & mendaciis de strophis suis omnibus illudunt, dum alios se fingunt, quam revera sint.

CAP. IV.

De corrigendis circa prælatos.

Circa prælatos primo, videretur diligens examinatio facienda in deligendis & promovendis, etiamsi nullus se opponat, timore vel amore, quia ad faciendum custodem thesauri, non sufficit patrifamilias quod nihil mali sibi de illo opponatur, nisi etiam ipse, aliis tacentibus, de idoneitate ipsius inquirerit, diligenter. C Secundo, quod prælati facilius deponerentur. quia ab eis non cito profertur contra malos sententia, sed per multos annos protrahitur causa, idcirco absque timore perpetrant mala. Tertio, quod sæpius visitarentur, & eorum vita & fama summo pontifici referretur. Quarto, quod pompæ eorum & familiarum restringerentur.

CAP. V.

De corrigendis circa curias prælatorum.

In curiis prælatorum videtur vigilandum, quomodo justitia melius servaretur, extorsiones pro sigillo tollerentur, & usuræ loco sortis non sigillarentur. D

CAP. VI.

De corrigendis circa parochias.

In parochiis videtur reprehensibile primo quod aliquæ earum ita sunt pauperes, quod nulla bona persona vult eas recipere. Secundo, quod divites parochiæ dantur talibus qui nolunt vel nequeunt residere. Tertio, quod ponuntur vicarii non meliores, sed melius forum de vicariæ servitiis facientes. Quarto, quod non dantur propter Deum melioribus, sed indignis, aliquando propter munus a manu, vel a lingua, vel ab obsequio. E Quinto, quod non corriguntur diffamati, sed peccare libere sæpius pro pecunia dimittantur. Sexto, oporteret quod fieret aliquod opusculum pro instructione ignorantium idiotarum in suis officiis, ex quo nesciunt scripturas.

CAP. VII.

De corrigendis circa clerum.

In clero quantum ad communem statum, quoad multos vigent gula, luxuria, pompa, prodigalitas, otium, & alia multa mala, quæ essent corrigenda propter scandalum laicorum.

CAP. VIII.

De corrigendis circa quæstuarios prædicatores.

Quæstores mendaciis & immunditiis maculant ecclesiam & reddunt irrisibilem. Secundo, prælatos muneribus corrumpunt, & propter hoc dimittunt eis dicere quidquid volunt. Tertio, in brevibus seu cartellis suis tot indulgentias fingunt, & mentiuntur, & male exponunt, quæ fere nullus credit. Quarto, multa acquirunt, & pauca ad domos principales remittunt, falsis reliquiis decipiunt.

CAP. XIX.

De corrigendis circa usum clavium.

Circa claves est primo reprehensibile, quod committuntur nescientibus solvere vel ligare. Secundo, quod indulgentiæ indiscrete laxantur & restringuntur. Tertio, quod excommunicationes in multorum laqueum multiplicantur.

CAP. X.

De corrigendis circa scientias.

Primo, in grammatica corrigendum est, quod aliqua turpia leguntur, per quæ juvenes ad lasciviam excitantur. Secundo, pro theologia videretur expediens, quod biblia glossaretur continue de dictis sanctorum in libris non glossatis. Tertio, circa statuta patrum, quod concilia, maxime universalia, in metropolitanis ecclesiis omnibus haberentur.

CAP. XI.

De corrigendis circa imperium.

Circa imperium vacans videretur constituendus vicarius, ad quem haberetur recursus propter guerras & casus varios emergentes, vel addendo quod statueretur cum pace comitatus, quod rex Teutoniæ fieret non per electionem, sed per successionem, & esset deinceps contentus regno illo, & magis timeretur, & magis justitia in regno Teutoniæ servaretur. Item, quod in Italia provideretur de rege uno vel duobus, sub certis legibus & statutis, habito consensu communitatum & prælatorum, & per successionem regnarent in posterum, in certis casibus possent deponi per apostolicam sedem. Aliquando enim Lumbardi regem habuerunt, vel quod rex in Lumbardia institutus esset vicarius imperii in Tuscia, vacante imperio, & im-

ANNO CHRISTI 1274.

ANNO CHRISTI 1274.

imperatori confirmato & coronato per apostolicam ſedem, & non aliter regnum recognoſceret ut vaſallus: Imperium enim quaſi ad nihilum eſt redactum, & a pluribus quotquot fuerunt electi ad imperium ſeu promoti, plura mala ſub eorum dominio ſecuta ſunt, & pax unitas turbata, & ſtrages hominum factæ, & pauca bona ſecuta; & alia multa ſunt quæ realiter perſuadent, ut quæratur modus aliquis conveniens ad providendum circa hoc, ſi valeat inveniri.

CAP. XII.

De modo procedendi in concilio.

Non videtur expediens de his, quæ papa poteſt per ſe ſine prælatis exhibere, quod de ipſis cum prælatis habeat tractatum, ſed ante concilium vel poſt illa expediat ſine ipſis.

Expliciunt Extractiones de tertia parte.

De hoc vero concilio ita ego in notis ad Raynaldum diſſerui.

Agendum hic ſuſcipit Annaliſta de concilio Lugdunenſi II. œcumenico, cui ab illo contextæ narrationi nos pro noſtro more quædam addemus a ſcriptoribus libata, quæque vel ipſorum Collectorum diligentiam fugerunt. Ac primo quidem de menſe, & die, & anno, quo cœpit nulla eſt inter ſcriptores controverſia, cum omnes temporis notæ in actis hujus concilii diligenter adſcribantur. Coepit nonis maii anni hujus 1274. tum ſeſſio altera die XVIII. ejuſdem menſis habita. Succeſſit ſeſſio tertia die VII. junii; die VI. julii quarta; die XVI. ejuſdem menſis quinta; die XVII. ejusdem poſtrema. De patrum numero non ſatis inter ſcriptores conſtat: Ptolemæus Lucenſis in Annalibus 1570. ſupputat; Bernardus Theſaurarius in hiſtoria Gallica mille quadringentas *paſtorales virgas*; Joannes Iperius in Chron. S. Bertini Epiſcopos 1570. Abbates & alios inferiores Prælatos 1000. adiicit. Nangius, & Trivettus numerum hunc Patrum in arctum cogentes, interfuiſſe aſſerunt Epiſcopos 500. Abbates 60. Prælatos, & alios circa 1000. Congruit his Bernardus Guidonis in vita Gregorii, F. Pippinus in Chronico, & veteres rerum Pontificiarum chroniſtæ Martinus Polonus, cæterique ab Eccardo inter Hiſtoricos medii ævi to: II. vulgati. Author Chronici Parmenſis, qui opus ſuum ad annum 1310. perducit, Rer. Ital. to: IX. exterorum, qui concilio huic adfuerunt numerum prorogat ad CLX. millia, quod tamen de patrum numero vix credibile eſt. Recentiores Scriptores nihil moror, utpote qui non comperta nec meditata ſcripſerint; ſed prout quiſque in antiquo aliquo, quem explicabat, ſcriptore offendit, nihil aliud cogitans, ita ſcripſit. Inter has ſententias præferendam arbitror illam, quam potior, & ſanior ſcriptorum pars tenet de Epiſcopis quingentis, Abbatibus LX. vel LXX. & Prælatis inferioribus M. Adfuiſſe etiam cum cæteris Magiſtros ſupremos Templariorum, & Hoſpitalariorum equitum, ſcribit Spondanus, quod ex ipſis Concilii actis petitum eſt. Sed mendi aliquid in acta hic irrepſiſſe conſtat; nam concilio quidem præſens adfuit magnus Templariorum Magiſter, teſte Bernardo Theſaurario. Templariis tunc præerat Gullelmus de Bieavixeu; qui tunc recens electus & in Ciſmarinis adhuc partibus agens ad concilium, eodem Bernardo teſte, ſe contulit. An vero cum Magiſtro Templi Magiſter pariter Hoſpitalariorum adfuerit, acta quidem aſſerere videntur; ſed cum in illis genuinum nomen magiſtri Hoſpitalis non legatur, neque pariter Hoſpitalari illi, qui adfuit, titulus *magni magiſtri* tribuatur, quod tamen Templariorum magiſtro additur; atque inſuper de hoc magiſtri Hoſpitalis itinere ad concilium nihil ſcribat Bernardus, qui id tamen notat de magiſtro Templariorum; ideo ſuſpicor concilio huic non quidem ipſum per ſe magiſtrum Hoſpitalis, ſed per legatum adfuiſſe. Quod & eruitur ex conſilio magiſtri Templi dato Clementi V. de quo inferius. In eo enim aſſeritur adfuiſſe concilio magiſter Templi, & de ordine Hoſpitalis F. Guillelmus de Corcellis.

Ad conſtitutiones concilii hujus quod attinet, diligenter illas Annaliſta perſequitur. Animadvertere tamen juvat conſtitutionem illam de iis, quæ in electione Romani Pontificis a Cardinalibus ſervanda fuerant, non diu poſt ſuſpenſam ab Adriano V. & Joanne XXI. dein a Cœleſtino V. innovatam rediiſſe; prout ſuis annis adnotabimus.

Græcos in hoc concilio ad communionem receptos nemo ignorat, idemque argumentum ab Annaliſta diligenter tractatur. Sed ab illo, ſicut & ab aliis omnibus huc uſque ignoratum fuit, Logotetam, qui pro Imperatore legatus in concilio agebat, ſchiſma quidem nomine ipſius Imperatoris ejuraſſe; *ſed per hoc mandatum ejus non oſtendit*; ut notavit Innocentius V. in inſtitutione quam dedit nunciis ſuis ad eumdem Imperatorem deſtinatis, quam publici juris fecit P. Martene in Collection: Monum. tom. VII. col. 254. Hinc de ſinceritate Græci principis argumentum capias.

Præterea iis, quæ de rebus in hoc concilio tractatis apud Labbeum diſſeruntur, addenda eſt Leodienſis epiſcopi abrogatio, de qua pariter mentio fit in actis. Sed ex Cornelio Zantfliet, qui chronicon ſuum anno 1450. circiter abſolvit, vulgatumque eſt in eadem Collectione a Martene tom. V. diſcimus Epiſcopum hunc fuiſſe in vitia omnia effraenem, qui cum propterea a Gregorio, adhuc tunc ejus archidiacono, corriperetur, calcem illi impingere auſus fuit. Huic amoto ſtatim a pontifice ſucceſſor datur Johannes de Angia. Præter hunc, alterum etiam Epiſcopum, Rhodienſium nempe, depoſitum tradit Bernardus Theſaurarius; ſed hujus cauſa ignoratur. Denique cœpta præcedenti anno de ceſſione Comitatus Venuſini in favorem Sedis Apoſtolicæ tractatio in concilio peracta, & confirmata, ut in nota A. 1273. LI. ſcripſi.

Addere hic pariter juvat nomina Archiepiſcoporum quorumdam, ſicut & Cardinalium omnium, qui concilio huic præſentes adfuerunt, legi in Charta confirmationis jurium. S. R. E. quæ ſane confirmatio a F. Conra-

ANNO CHRISTI 1274. 1275. rado Minorita Rodulphi legato exhibita, fuit Nicolao III. Papæ anno 1278. de quo in annalibus ibidem num. 47.

In eodem pariter concilio præceptum datum est omnibus verbi Dei præconibus, ut pro concione populum hortarentur ad inclinandum religiose caput, quoties in Ecclesiis *Jesu* nomen pronunciari audirent. Qua de re Gregorius hoc ipso anno 12. Kal. Octobris literas dedit ad Fratrem Joannem de Valentia priorem provincialem ordinis Fratrum Prædicatorum, quas literas exhibet Martene inter acta selecta capitulorum generalium ordinis Prædicatorum Anecdot. tom. IV. col. 1776. Id executioni ut mandarent, ordinis Prædicatorum Fratres in capitulo generali Mediolani anno 1278. statuerunt, *ut juxta constitutionem Domini Gregorii Papæ editam juxta concilium Lugdunense, quod quandocunque nomen Domini Nostri Jesu Christi nominatur, omnes fratres inclinent capita sua propter reverentiam Crucifixi*.

Diu etiam multumque in eodem concilio adnisi sunt quidam, ut regularium monachorum privilegia vel tollerentur penitus, vel labefactarentur; at resistentes regulares, quorum gratia summa erat apud Pontificem, id evicerunt, quo nihil in eorum detrimentum innovaretur. Discere id licet ex statutis in A capitulo generali Ord. Cisterciensis anni 1274. vulgatis a Martenio Anecdot. tom. IV. ubi in constitutione XIV. edicitur vectigal quoddam a Monasteriis ejus Ordinis solvendum Abbati Citercii ad faciendos sumptus erogatos *propter defensionem libertatum Ordinis quas libertates major pars Prælatorum ibidem* (in concilio) *existentium totis viribus impugnabat*. Id etiam constat ex literis Joannis Vercellensis Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, quæ subduntur statutis in capitulo anni 1274. ejusdem Ordinis apud Martene ibidem. ANNO CHRISTI 1274. 1275.

Denique Lugdunensibus patribus consultandum fuit de jungendo in unum quemdam communem ordinem omnes ordines militares. B Sed cum multa, & varia jactarentur, rem tandem intactam relinquere visum fuit, cum Reges Hispaniæ numquam idem consilium admissuri reputarentur *propter tres religiones* (S. Jacobi, Calatravæ, & militum Jesu) *armorum, quæ sunt in patria sua stabilitæ*. Narrat hæc Magnus Magister Templariorum in consilio dato Clementi V. cum de jungendis Templariis Hospitalariisque tractaretur, vulgato a Baluzio in Collect. Actor. Veter. ad Vitas Paparum Avenionens. tom. II. col. 181.

AD SALZBURGENSE CONCILIUM

A Friderico Salzburgensi archiepiscopo

Anno 1274. *habitum*

ADNOTATIO CRITICA.

An. 1274. Quod olim vir doctissimus Henricus Canisius in Præfatione ad Salzburgense concilium anni 1274. se primum editum subodoratus est, duo nempe Salzburgensia concilia sub Friderico archiepiscopo convenisse; id equidem veritati cohærere intellexi nuper, cum indicem MS. codicum Vaticanorum legi, quem Montfauconius in Biblioth. Bibliothecarum Manuscript. to. I. vulgavit. Ibi enim pag. 1017. adnotatur codex num. 4401. in quo præter statuta Guidonis in actis Salzburgensibus apud Labbeum commemorata, continentur etiam *Friderici archiepiscopi Salzburgensis statuta synodi provincialis annis* 1274. & 1280. Ex his vero corrigas Steronis mendum, qui in chronico ab eodem Canisio laudato, unius tantum concilii Salzburgensis sub Friderico meminit; idque anno 1281. consignat.

APUD PERTHUM IN SCOTIA CONCILIUM

In causa decimarum, pro terra sancta colligendarum,

Anno 1275. *habitum*.

An. 1275. Magister Bagimundus apostolicæ sedis in Scotiam legatus eo venerat ut decimas extraordinarias omnibus ecclesiasticis beneficiis impositas a Pontifice, pro juvanda in terram sanctam expeditione colligeret. Gravius id visum clero Scotiæ; quare coacto ad Perthum pro consueto more concilio, id muneris impositum est legato apostolico, ut ad urbem repetens moderationem tributi hujus a pontifice impetraret, satisque haberet, si antiqua vectigalia cum modico augmento *computatis nempe septem pro sex*, darent. Ivit legatus, sed urgente pecuniarum necessitate re infecta rediit. Ita ex Chron. Passatensi Wilkins Conc. Britan. t. II. pag. 27.

IN-

ANNO CHRISTI 1276. 1277.

INNOCENTIUS PAPA V.

Cœpit anno 1276. eodemque desiit.

ADRIANUS PAPA V.

Cœpit anno 1276. quo & desiit.

JOANNES PAPA XXI.

Cœpit anno 1276. desiitque anno 1277.

NICOLAUS PAPA III.

Sedit ab anno 1277. usque ad annum 1280.

TREVIRENSE CONCILIUM

Anno, ut creditur, 1277. habitum.

Observatio prævia P. Martene.

An. 1277. Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag.

" SEquens Trevirense Concilium descripsi ex veteri codice MS. insignis monasterii S. Matthiæ Trevirensis, ante annos 400. exarato, cujus initio habetur Lugdunense sub Gregorio X. concilium, deinde hoc Trevirense, tandem liber instructionum ad clerum, compositus per venerabilem dominum G. Durand episcopum Mimatensem. In fine vero hujus concilii celebratum dicitur Treviris in ecclesia S. Mariæ Majoris, anno Domini MCCXXVII. cal. Martii. Sed vereor ne omissa littera L. error sit in numero & legendum sit MCCLXXVII. &c. certe hic sit mentio Lugdun. concilii, quod anno LXXIV. celebratum est.

INCIPIUNT STATUTA CONCILII TREVIRENSIS.

1. Præcipimus firmiter & districte, quatenus omnes sacerdotes de cetero nigris cappis & rotundis vel superpelliciis cum stolis synodum intrent, & tam eundo quam redeundo ita honeste in hospitiis suis se habeant, ne status clericorum vertatur in contemtum.

2. Item præcipimus firmiter sub pœna suspensionis, ut unusquisque sacerdos penes se habeat statuta concilii Trevirensis & præcepta synodalia, & singulis mensibus legant, vel legi sibi faciant, & librum, in quo continentur, ad synodum secum deferant, & in manibus suis teneant ibidem.

I.

De baptismo & ejus speciebus.

3. Baptismus cum reverentia & honore celebretur in aqua communi sub hac forma: N. *ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Et laici doceantur a sacerdotibus suis sic baptizare, etiam mulieres, ut sciant in articulo necessitatis, & distincte proferantur, id est cum quadam magna discretione, omnia verba in baptismo, maxime prædicta, in quibus tota vis sacramenti consistit. Et Gallici sacerdotes in Romano doceant laicos quomodo debeant baptizare parvos pueros suos in necessitate, etiam pater & mater cum intentione baptizandi, *Je te baptoi en nomme do Patre, & do Fis, & do Sainte Esperit.* Theutonici vero dicant: *Jeh deuffen dich N. in de me name des Vaderez, in de des Sounes, in de des Heilegen geistos.* Et semper interroget sacerdos laicum, cum in necessitate baptizaverit, quid dixerit, aut quid fecerit; & si invenerit cum discretione baptizasse, & formam verborum observasse, & intentionem baptizandi habuisse, approbet factum, & faciat sibi deferri puerum, & non baptizet eum, sed chrismate inungat eum, & dicat illa verba quæ dici solent. Sin autem, rebaptizet eum. Ad levandum puerum de fonte tres admittantur, quod amplius est a malo est.

II.

Sequitur de confirmatione, & inunctione.

4. Moneant sacerdotes populum sibi subditum frequenter ad confirmationem, quia in hoc sacramento datur Spiritus S. ad corroborationem fidei per sanctam Trinitatem; & pueri adulti accedentes ad confirmationem, prius pure confiteantur.

5. Item, ad sacramentum extremæ unctionis moneant sacerdotes populum sibi subditum, quia in medicina corporis & animæ, & pluries potest iterari, quando contingit pluries lethaliter, id est mortaliter ægrotare; sed baptismus nec confirmatio pluries non possunt iterari: & sacerdotes exhibentes devote exhibeant, & ipsa verba extremæ unctionis proprio ore proferant, nihil exigentes ab infirmis.

III.

Sequitur de Eucharistia.

6. Sacramentum Eucharistiæ ad minus semel in anno suscipiant laici; prius contriti & pure confessi suo proprio sacerdoti, vel viris litteratis, hominibus auctoritatem delegatam & habentibus licentiam a sacerdote loci, ubi volunt vel debent audire confessionem. Si qui autem hoc obministrant sine licentia suorum propriorum sacerdotum, illi nobis vel officiali nostro denuncientur, super hoc, ut justum fuerit, corrigendi.

7. Corpus Domini cum campanula & lucerna & luminibus honorifice & decenter portetur ad infirmos.

8. Si aliqua negligentia contigerit in hoc sacramento, videlicet obmittendo, effundendo, spargendo, vel evomendo,, jussa canonum observentur.

9. Item, sacerdotes moneant populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore, cum contigerit sic portari.

10. Item, hostia ante transubstantiationis verba non elevetur, ut videri possit a populo, ne panem adoret.

11. Item sacerdos, quando in necessitate oportet eum duas missas celebrare, si ad primam missam post sumtum sanguinem ablutionem sumpserit, jejunus non est ad secundam missam, nec ei licebit celebrare secundam missam. Tamen illa ablutio tradatur alicui homini existenti, bonæ vitæ & honestæ & continenti personæ, & non detur cuilibet rudi & indiscreto rustico existenti.

12. Item sacerdos, quando celebrat missam, sumat ipsemet corpus Domini, & alteri non det ad sumendum, nec pro infirmis sumat, quia nullo modo fieri debet. Qui autem contra fecerit, pœna gravi punietur, quia plus peccat dimittendo quam sumendo.

13. Item, sacerdos, qui celebrat missam, debet conficere corpus Christi, & canonem legere; alias peccat mortaliter: quia facit populum adorare panem simplicem, quod est idololatria.

14. Item, nullus sacerdos celebret missam cum hostia consecrata aliquo modo, quia gravissime peccaret, & gravissime puniretur.

15. Item, nullus sacerdos det hostias non consecratas pueris vel aliis hominibus pro corpore Christi, quia nullo modo fieri debet.

16. Item, nullus sacerdos det corpus Domini pueris vel infirmis, qui cibum non valent retinere.

17. Item, nullus sacerdos propter occulta peccata mortalia, quæ scit per confessionem, debet negare corpus Domini alicui publice: peccat enim graviter quilibet sacerdos faciens hoc quod facere non debet.

18. Item, ex relatione multorum audivimus, quia quidam sacerdotes sunt, qui in Pascha Domini licentiant suos subditos ad communicandum non confessos in mortalibus peccatis, ut post Pascha confiteantur, eo quod ipsi sacerdotes nimis tarde inceperunt audire confessiones suorum subditorum, & A ideo non possunt eos audire; quod ne de cetero fiat sub pœna suspensionis & excommunicationis firmiter præcipimus, & districte inhibemus.

IV.

In quo loco confessio sit audienda.

19. Sacerdotes confessiones suorum subditorum recipiant in loco patulo, & sacerdotes non absolvant confitentes, nisi pœnitentiam promittentes.

20. Item, sacerdotes remittant ad nos vel nostrum pœnitentiarium peccata graviora, scilicet homicidia, sacrilegia, & maxime de B corpore Christi, de chrismate & oleo sancto, de aqua baptismi, perjuria & falsa testimonia, & peccata quæ sunt contra naturam, simoniam, incestum monialium, consanguineorum, & deflorationem virginum, veneficia, injectores manuum in parentes, vota fracta, incendiarios, usurarios, etiam illos, qui parvulos pueros suos sine baptismo perire permittunt.

21. Item, nullus sacerdos præsumat absolvere aliquem existentem reum in casibus pertinentibus ad dominum papam vel ejus legatos, nisi cautione idonea vel satisfactione præcedente, vel in articulo mortis. Primus casus est de illo qui verberat clericum vel re- C ligiosum. Secundus casus est de illo qui incendit ecclesiam, & est denunciatus excommunicatus ab episcopo. Tertius casus est de illo qui frangit ecclesiam, & est similiter excommunicatus ab episcopo. Quartus casus est de illo qui scienter & sponte communicat excommunicato a domino papa, & eos recipit in divinis officiis. Quintus casus est de illo qui falsificat litteras domini papæ. Sextus casus est de illo qui communicat alicui excommunicato a domino papa, in crimine scienter impendendo ei consilium, auxilium & favorem.

22. Item, nullus sacerdos absolvat aliquem a sententia excommunicationis...... in eum D auctoritate superioris, nisi in articulo mortis.

23. Item, præcipimus firmiter & districte, ut sacerdos in casibus perplexis, id est dubitamentis & erroneis, mittant subditos ad peritiores se, qui habent auctoritatem super hoc delegatam.

24. Item, nullus sacerdos revelet confessionem, directe vel indirecte, nutu, verbo vel signo, generaliter vel specialiter; alioquin in degradatione honoris sui gravissime & indesinenter punietur.

25. Item, in usura, furto, rapina, fraude acquisitis, caveant sibi sacerdotes, ne injungant pœnitentias vel missarum, vel E eleemosynarum, vel hujusmodi, priusquam ablata reddiderint, vel de reddendo cautionem præstiterint, si habeant unde restituant.

26. Item, nullus sacerdos ex cupiditate sua injungat in confessione missas, nec septennale, nec tricennale, nec annale; & pro vivis nullum fiat tricennale, nec annale.

27. Item, in confessione non requirat sacerdos nomina personarum cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantum-

ANNO CHRISTI 1277.

tummodo & qualitates, quæ notantur in hoc versu, *Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando*.

28. Item, sacerdotes cauti sint in interrogationibus de peccatis, ne simplicibus detur occasio faciendi quod prius nesciverunt.

29. Item, nullus sacerdos non sibi subditum recipere præsumat in confessione, ligare vel absolvere, nisi de licentia nostra, *alia manu*, vel presbyteri sui, & ex causa rationabili, & honesta.

30. Item, sacerdotes in casibus, in quibus absolvere possunt, his verbis utantur in absolutionibus suis: *auctoritate qua fungor ego te absolvo a vinculo excommunicationis & restituo te unitati ecclesiæ sanctæ in nomine patris & filii & spiritus sancti amen*.

31. Item, inhibemus firmiter & districte, ne aliquis sacerdos scribat peccata confitentium in literis apertis, sed tantummodo clausis.

V.

Sequitur de matrimonio & ejus Speciebus.

32. Matrimonium cum honore & reverentia in facie ecclesiæ celebretur.

33. Item præcipimus districte, ut antequam matrimonium contrahatur, fiant edicta in tribus diebus dominicis & festivis, quod tales volunt contrahere; si aliquis scit impedimentum, votum scilicet, consanguinitatem, affinitatem, compaternitatem, & hujusmodi, dicat. Et si nullum impedimentum invenerit sacerdos neque a populo, neque a contrahentibus, conjungat eos sub debita forma verborum, & prosequatur officium nuptiarum, sicut scriptum est in libris ordinarii.

34. Item, clandestina matrimonia prohibemus sacerdotibus, ne aliquo modo ab eis fiant.

35. Item, nulla persona ignota recipiatur ab aliquo sacerdote ad contrahendum matrimonium, sine litera episcopi sui, vel officialis, vel personæ authenticæ, cui fides sit adhibenda.

36. Item, prohibemus firmiter, & districte, ne laici quicumque sint, auctoritate sua sine sacerdote aliquos matrimonialiter audeant conjungere. Quod si fecerint, tam ipsi, quam eis in hoc aliqui consentientes, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur, & alias pœna gravi puniantur, & hoc diebus dominicis præcipimus per presbyteros subditis suis denunciari & intimari. In matrimonio autem celebrando observetur hæc forma verborum, ut dicat vir mulieri: *accipio te in meam uxorem*; mulier autem e contrario viro dicat: *accipio te in meum maritum*, & hæc verba sint de præsenti, non de futuro. Verba autem in sponsalibus observentur: *accipiam te in meam uxorem*, *accipiam te in meum maritum*, ita ut sint verba de futuro & non de præsenti.

37. Item, præcipimus ut pro benedictionibus nuptiarum, sicut nec pro aliis sacramentis conferendo, nullus sacerdos aliquid exigere audeat, aut præsumat.

38. Item, cum libera debeant esse matrimonia, inhibemus, ne quis consanguineus, affinis vel alius habens potestatem super volentes matrimonio conjungi, recipiat quocumque colore quæsito aliquam pecuniam pro matrimonio contrahendo, vel contrahendo, impediendo.

VI.

De ecclesiis & ad eas pertinentibus.

39. Item, munda serventur vasa ministerii, & vestes & pallæ altaris; ampullæ chrismatis non sint vitreæ, sed de aliquo metallo, maxime de stagno; & diligenter discernant sacerdotes in quo vase sit chrima, in quo vase sit oleum sanctum, in quo vase sit oleum infirmorum.

40. Item, præcipimus ut illi qui tenentur ornare ecclesias, in coopertura videlicet, in libris, in vestimentis & aliis necessariis ad ecclesias pertinentibus, eas exornent, & faciant hoc quod tenentur: ita quod exinde non possint redargui, sed ut magis debeant & possint ab aliquo commendari.

41. Item, sacerdotes, sive presbyteri habeant hostias decentes & non putridas vel muscidas, in mundo vase.

42. Item, quando corporalia lavanda sunt, primo proponantur a sacerdote in aquam, & postea tradantur alicui religiosæ personæ ad lavandum.

43. Item, præcipimus firmiter, & districte ut aqua baptismi, oleum sanctum, chrisma, oleum infirmorum, corpus domini diligenter & sub firma custodia & sera custodiantur, & in tali vase, quod cum ipso sacramento non valeat leviter apportari. Quicumque autem sacerdotes in hoc negligentes fuerint, gravissime punientur.

44. Item, sacerdotes non dimittant altaria ita parva, ut in eis cum timore celebrare oporteat.

45. Item, sacerdotes firmiter præcipiant subditis suis, ut cimiteria eorum firmiter serventur, ne pecora, & alia animalia intrent.

46. Item, nullus ecclesiam audeat obligare pro debitis alienis, alioquin nihil valeat * & sic sit suspensus ab administratione spiritualium & temporalium. Idem dicimus de monacho pro laicis debitis obligato.

* videtur deesse *contractus*.

47. Item, nullus sacerdos portionem ab antiquo assignatam audeat minuere, seu ecclesiam constituere censualem.

48. Item, non permittant sacerdotes ludos theatrales fieri in ecclesia, & alios ludos inhonestos.

49. Item ecclesia debet reconciliari, si conjuges, vel alii in ecclesia commisceantur. Idem dicimus de cimiterio. Item pro simplici fornicatione. Item pro adulterio, & homicidio. Item pro effusione sanguinis violenta ibi facta.

50. Item, nullus in odium alterius altaria denudet, vel crucifixum deponat, vel spineis coronis circumdet, vel pro vivis cantet missam pro defunctis, vel nomine eorum, quos odit, feretrum cum exequiis mortuorum in ecclesia ponatur, ut citius moriantur; quia gra-

ANNO CHRISTI 1277.

graviſſime puniretur, & deponeretur.

51. Item, nullus sacerdos permittat ſibi ad altare feminam miniſtrare.

52. Item campanariæ non vendantur, ſed gratis alicui honeſtæ perſonæ concedantur.

53. Item, inhibemus ne fontes, arbores, aut aliæ creaturæ quæcumque ſint, vel etiam oſſa mortuorum in muris inventa, de quibus nec ſacra ſcriptura loquitur, nec aliquatenus ab aliquibus adorentur; quia idololatria eſt & etiam zelus gentilitatis.

54. Item, præcipimus ut feſtum S. Katerinæ virginis & martyris ſolemniter celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis devote celebrari. Item feſtum S. Elizabeth.

VII.

Sequitur de canonicis & beneficiatis.

55. Item, præcipimus ut omnes faciant ſe ordinari, ſcilicet alii in ſubdiaconos, alii in diaconos, alii in ſacerdotes ſecundum quod nobis, decano & ſuo capitulo viſum fuerit expedire.

56. Item, tales caveant diligenter ne ab eis patrimonium crucifixi male expendatur.

57. Item, monemus omnes & ſingulos habentes beneficia curam animarum habentia, ut ſecundum quod conſtitutum eſt in concilio Lugdunenſi, infra annum ſe faciant in preſbyteros ordinari, & reſidentiam faciant perſonalem; alioquin contra ipſos, quantum poterimus, procedemus; & de ipſis beneficiis ordinabimus prout ad noſtrum officium pertinebit.

58. Item, inhibemus omnibus perſonis eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis, quam in contra facientes ferimus, ne quis præſentet vel præſentatas admittat ad beneficia curam animarum habentia manifeſtum vel notabilem in ætate defectum.........

Hic relinquitur locus vacuus in ms. 2. pag.

VIII.

Sequitur de decanis.

59. Item, præcipimus firmiter & diſtricte, ut omnes decani collegiorum & chriſtianitatis in ſuis capitulis legi faciant ſtatuta concilii tertii, & ſtatuta ſynodalia, & ad obſervationem omnes moneant & efficaciter introducant. *

* inducant

60. Item, præcipimus quod decani accuſent vel deferant nobis vel officiali noſtro omnes ſacerdotes, vel clericos luſores & tabernarios, fornicatores manifeſtos & celebratores clandeſtinorum matrimoniorum & uſurarios & negotiatores. Similiter alii clerici de decanis hoc idem facere teneantur.

61. Item, nullus ſacerdos celebret miſſam ſine matutinis, & horis dictis debitis, & in mortali peccato exiſtens, & ſuſpenſus ab officio ſuo & communicans excommunicato, niſi abſolutus.

62. Item præcipimus firmiter, & diſtrictè, ne quis ſacerdos quacumque occaſione aliquid exigat pro ſepultura, aut pro aliquo eccleſiaſtico ſacramento; ſed piæ conſuetudines obſerventur.

A 63. Item, moneant ſacerdotes populum ſibi ſubditum ad confeſſionem puram & integram faciendam proprio ſacerdoti ſuo, vel viris literatis habentibus auctoritatem ſuper hoc delegatam.

64. Item, præcipimus ſervare jejunia conſueta, & ſacerdotes doceant populum ſibi ſubditum quæ ſunt peccata mortalia in communi, & ſolita ſunt fieri, ſicut furtum, uſura, rapina, venditio ad novum, vel emtio, blaſphemiæ, fornicatio, operari in diebus feſtivis, & aliorum inobedientia divinorum mandatorum; mala decimatio, falſum judicium, malum exemplum, ſacrilegium, homicidium, incendium, & violentia, error in fide, fictio, hypocriſis, & invidia, ira, gula, B accidia, ſuperbia, ſimonia, & hujuſmodi. De talibus vero, & articulis fidei, & de decem præceptis ſacerdotes ſubditos ſuos inſtruant, & alias illiterati, & inexperti ſacerdotes nullatenus populo ſibi ſubdito prædicare præſumant, ne contingat eos fieri magiſtros erroris, qui nequaquam fuerunt diſcipuli veritatis; ſed cum ab aliis viris litteratis ſubditis ſuis contigerit prædicari verbum Dei, devote audiant & diſciplinate, & inde propter ſcandalum hominum non recedant, & nullatenus verbum Dei, quod pro ſuorum ſit ſalute ſubditorum, impedire audeant, ſed in omnibus promoveant in quantum poſſunt.

C 65. Item, præcipimus firmiter, & diſtricte, ut viros religioſos, ſcilicet fratres prædicatores & minores, cum ad vos veniunt, benigne ſuſcipiatis, & caritative pertractetis, & plebes vobis ſubditas ad hoc inducatis, ut ab ipſis verbum Dei audiant, & alias eorum conſiliis ſanis acquieſcant, diligenter & fideliter moneatis. Alios vero cujuſcumque ſine noſtris litteris ad prædicandum, vel confeſſiones audiendas, ſeu pœnitentias indulgentiaſque injungendas, nullatenus recipere præſumatis.

66. Item, præcipimus firmiter, & diſtricte ſacerdotibus, ne prædicare permittant aliquos illiteratos, videlicet begardos vel D converſos, ſeu alios, cujuſcumque ordinis ſint, etiam extra eccleſiam, videlicet in vicis vel in plateis, & ſacerdotes parochianis ſuis præcipiant ne tales audiant propter hæreſes & errores quos ſeminant in populo. Similiter & quæſtionarii prædicatores, formam prædicandi in generali concilio Lugdunenſi promulgatam excedentes, & falſa veris intermiſcentes, de ſalutate interpoſita etiam coram populo redarguantur. Et quia quæſtionarii hujuſmodi per litteras falſas, aut revocatas, ſuper quibus deliberare non ſciunt ſimplices ſacerdotes, quæſtum faciunt; diſtricte præcipimus & firmiter inhibemus, ut nullus deinceps ſine litteris noſtris, vel offi- E cialis noſtri aliquatenus recipiatur.

67. Item, inhibemus diſtricte, ne quis ſacerdos mulieres ſuſpectas in domo ſua habeat. Et decani noſtri nuncient nobis de ſacerdotibus illis, quos ſciunt habere focarias, negotiatores, aut uſurarios; alioquin ipſi decani ab officio ſint ſuſpenſi.

68. Item, præcipimus quod ſacerdotes veſtes decenter longas, & non viridis aut rubei coloris gerant, & cingulum habeant conte-

ANNO CHRISTI 1277.

tectum. Superpellicea vel cappas habeant rotundas, & deferant ad ecclesiam. Ornamentis superfluis, maxime nodis aureis vel argenteis in vestibus suis & in caputiis suis nec in se nec in equis ad aliquam unitatem pertinentibus non utantur. Tonsuram clericalem semper portent & bonorum morum honestatem digna conversatione prætendant.

69. Item, tripudia, & choreas, & hujusmodi ludos sæculares in conviviis & in ecclesiis fieri non permittant; alioquin a divinis per triduum, ipso facto se noverint suspensos. A talibus etiam tripudiis, & hujusmodi ludis sæcularibus & choreis sub poena suspensionis se ipsos sacerdotes abstinere omnino præcipimus firmiter & districte.

70. Item, præcipimus ut sacerdotes scribant omnes ecclesiarum suarum in missalibus suis.

71. Item sacerdotes numquam exponant aliquid de ornamentis ecclesiasticis, nec aliquid religiosi audeant exponere Judæis sine licentia nostra speciali.

72. Item, prohibemus ne vicarii perpetui ponant mercenarios, alioquin constituens, constitutus uterque ab officio suo suspensus denunciabitur.

73. Item, præcipimus districte ut nullus sacerdos præsumat habere plures ecclesias parochiales cum effectu, nisi prius habita nobiscum dispensatione.

74. Item, præcipimus quod omnes sacerdotes curati sigilla sua infra unum mensem sibi fieri procurent.

75. Item, præcipimus quod nullus presbyter deserviat cum patre suo presbytero, nec post patrem immediate.

76. Item, faciles sint ad audiendas confessiones pauperum, & ad conferendum sacramenta, nihil ab eis exigentes.

77. Item caveant sibi sacerdotes sub privatione honoris sui, ne sollicitent aliquam personam in confessione, quod & ubique fieri prohibemus, contrarium facientes excommunicamus.

78. Item præcipimus, quod sacerdotes suspensi, excommunicati, simoniaci, notorii fornicatores, cum suspensi sint quoad se & quoad alios, celebrare non præsumant, nisi prius habita dispensatione.

79. Item, præcipimus quod sacerdotes illitterati non conferant cum Judæis coram laicis, & sacerdotes præcipiant omnibus subditis suis, ne aliquam potionem vel medicinam ab eis sumant.

80. Item, caveant sibi omnes sacerdotes ut filios suos, vel filias suas non permittant contrahere cum illis, quos baptizaverint, quia non staret matrimonium.

81. Item, sacerdotes non prohibeant mulieribus, si statim post partum volunt reconciliari ecclesiæ, quia possunt. Non tamen debent commisceri viris.

IX.

De sacerdotibus & clericis.

82. Item, præcipimus districte ut omnes sacerdotes habeant breviaria sua, in quibus possunt horas suas legere, quando sunt in itinere.

83. Item, nullus sacerdos celebrare missam præsumat sine clerico respondente.

84. Item, sacerdotes ante prandium suum cibum suum benedicant, & postea omnes sacerdotes gratias agant, & sedentes in mensa pias collationes habeant, utiles & honestas.

85. Item, nullus sacerdos celebret de die duas missas, nisi in casibus concessis, videlicet in Nativitate Domini potest dicere tres missas.

86. Item sacerdos in aliis diebus potest unam missam celebrare pro defunctis & aliquam de die, si necesse fuerit propter necessitatem peregrinorum hospitum & infirmorum, vel forte nuptiarum.

87. Item, nullus sacerdos vel prælatus vasa ecclesiæ, vel ornamenta, vel cortinas ad usus sæculares convertat, vel ad convivia concedat.

88. Item, nullus presbyter arma deferat vel clericus.

89. Item, nullus sacerdos candens ferrum benedicat.

90. Item, nullus sacerdos inungat infirmos oleo * benedicto.

(* f. non benedicto.)

91. Item, nulli sacerdotes duellis, torneamentis, furum suspendiis, & judicio sanguinis, & etiam clerici non intersint.

92. Item, solemnia jejunia ab ecclesia instituta diligenter observent omnes sacerdotes, & faciant a subditis observari.

93. Item, præcipimus ut omnes sacerdotes ignoti aut extranei sine nostra aut ejus qui a nobis super hoc potestatem habeat, licentia, præsumant in nostra dioecesi celebrare.

Item, præcipimus ut omnes sacerdotes non permittant trutannos, & alios vagos scholares, aut goliardos cantare versus super *Sanctus & Agnus Dei* in missis, vel in divinis officiis, quia hoc sacerdos in canone quam plurimum impeditur, & scandalizantur homines audientes.

95. Item, inhibemus sub pœna excommunicationis, quam in contra facientes ferimus, ne quis sæculari quacumque præditus potestate, jurisdictionem ecclesiasticam impedire vel perturbare præsumat, & quod presbyteri dictos contrafacientes diebus Dominicis denuntient sic ligatos.

96. Item, præcipimus illos omnes qui absolutionem a sententia excommunicationis in eos lata, & revocationem ejusdem per vim vel metum extorquent, excommunicatos singulis diebus Dominicis & festivis nuntiari, & quod absolutio hujusmodi seu revocatio nullam penitus obtineat firmitatem.

97. Item, monemus omnes clericos, qui concubinas suas manifeste detinent, ut infra xv. dies ab earum conversatione omnino desistant, easque a se rejiciant & expellant, nec eas vel alias recipiant, sub poena excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in contra facientes.

X.

Sequitur de usuris.

98. Item, præcipimus districte, ut omnes usurarii restituant quidquid ultra sortem perce-

ANNO CHRISTI 1277.

ceperunt, sub poena contra eos in Lateranensi concilio edita, quæ talis est: statuimus ut omnes usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam: sed nec oblationes eorum quisquam accipiat; qui autem acceperit, aut christianæ tradiderit sepulturæ; & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui episcopi satisfaciat, ab officii sui executione sit suspensus.

99. Item, præcipimus districte, ne in mutuo ultra sortem exigant, & ne propter moram solutionis aliquid petant. Ne etiam propter inducias sua mercimonia carius vendant, & ne pecuniam suam ad Camvercinos vel Judæos ponant propter lucrum, & ne ex pacto procurent sibi fieri remunerationes, quia non excusantur apud Deum.

100. Item, præcipimus ut sorte deducta, reddant pignora & remittant.

101. Item, districte præcipimus, ne nomine tutelæ vel procurationis, vel timore domini sui, aliqui committant usuras, quia sicut non suo, ita nec alieno nomine debet quis fœnus in duplicem usuram exercere.

102. Item, præcipimus ne ea intentione mutuent pecuniam suam ante messem, vel vindemias, recepturi in messe vel vindemiis bladum vel vinum pro multo minori pretio quam valeat in tempore; ne bladum vel vinum emant illicite paciscendo ante messem vel vindemias ad exponendum sive expendendum in domibus tantum & non ad vendendum.

103. Item, inhibemus sacerdotibus et clericis beneficiatis, ne tempore messis vel vindemiarum emant vilius bladum vel vinum a pauperibus, ut postea carius vendant.

104. Item, omnes vitiosos contractus animalium sive in locatione, sive in segetibus in campis adhuc emensis in futurum, nisi fiant secundum æstimationem aliquorum peritorum, firmiter inhibemus.

105. Item, nullus scienter emat rapinam, quia tenetur ad restitutionem.

XI.

Sequitur de nobilibus, & advocatis.

Item, monemus & sub divinæ ultionis pœna præcipimus, ut nobiles & domini terræ homines suos permittant celebrare dies festos, & non compellant eos arare, nec alias eis angarias festivis diebus imponant.

107. Item, præcipimus districte, ut se contra Camvercinos, & alios usurarios ita habeant, ut in generali concilio est statutum.

108. Item, dominis terræ præcipimus aut Judaicis suis, ut eos cogant sub aliqua pœna ut non intromittant se de aliqua medicina, nec aliquam potionem dent Christianis.

109. Item, cum de consuetudine approbata & tandiu observata, quod non extat memoria, tam religiosi quam clerici injuriantes vel molestatores suos coram judicibus ecclesiasticis in causam traxerint, & nonnulli nobiles barones, ballivi, præpositi villici & laici potestatem sæcularem habentes Trevirensis diœcesis tam religiosos quam clericos coram se litigare compellant, & non patiantur eos suum prosequi jus coram judicibus ecclesiasticis; præcipimus universis & singulis presbyteris, quatenus in ecclesiis vestris prædictas personas moneatis, ut ab hujusmodi tam religiosorum quamquam clericorum molestatione desistant: nos enim prædictas personas, quæ jam post dictam monitionem religiosos & clericos coram se compulerint litigare, excommunicationis vinculo innodamus, & præcipimus eos singulis diebus dominicis & festivis excommunicatos publice denuntiari.

110. Item, cum hodie causæ non debeant agitari nisi in civitatibus, vel locis magnis, & solemnibus, ubi possit haberi copia jurisperitorum, inhibemus ne causæ ex jurisdictione ordinaria descendentes ab aliquo vicario, rectore, & decano christianitatis, inter subditos audiantur, nisi vel de plano vel consensu partium partes suas vel compositionem amicabilem interponant, maxime cum in negotiis diffiniendis, duo, ut sacrorum canonum testatur auctoritas, sententia videlicet & potestas, necessario requirantur.

111. Item, moneantur laici a sacerdotibus suis, ut in omni juramento tria observent, alioquin sunt pejuri, videlicet veritatem, judicium, & justitiam; quia si aliquid istorum trium defecerit, perjurium dicitur. Veritas enim debet esse in conscientia, hoc est ut firmiter sciat sic esse vel non esse; alias si credit tantum, non debet de scientia, sed de credulitate jurare, propter quod omnes committunt perjurium, qui ita jurant esse vel non esse, quibus firmiter non constat de facto. Item judicium debet esse; judicium, discreta deliberatio, id est ut etiam non juret verum, nisi propter necessitatem vel utilitatem. Item, justitia debet esse ut id quod juratur sit licitum & honestum.

112. Item, non excusatur a perjurio qui compulsus sciens perjurat, quia ambo sunt perjuri, scilicet præcipiens & faciens.

113. Item, moneantur laici ne proni sint ad jurandum, & pro modica causa.

114. Item, præcipimus omnibus sacerdotibus, ut mala juramenta impediant in quantum possunt.

115. Item, in omnibus diebus Dominicis & festivis moneant sacerdotes subditos suos, ne juvent aliquem jurare ratione consanguinitatis, timoris pecuniæ vel amoris, quia omnes taliter jurantes, nisi firmiter sciant & constet eis de facto, perjuri sunt, cum videlicet jurant ita esse vel non esse quod ignorant.

116. Item, diligenter intimetur omnibus laicis a sacerdotibus suis, quam graviter illi delinquunt, qui perjurium committunt.

XII.

Sequitur de religiosis.

117. Item præcipimus ut monasteria ordinum, sanctorum videlicet Benedicti & Augustini, ad observationem regulæ & ordinis sui reformentur.

118. Item, nulli monacho vel moniali duo officia in monasterio assignentur, nisi de pro-

vi-

ANNO CHRISTI 1277.

videntia abbatis, & de consensu capituli, propter evidentem necessitatem vel utilitatem monasterii, & nisi aliter abbas & conventus judicaverit esse ordinandum.

119. Item, præcipimus districte, ut omnes novitii post annos discretionis vel probationis, statim faciant professionem suam in manu abbatis.

XIII.

Sequitur de voluntate, paupertate, & communi vita.

120. Item, præcipimus districte, ut omnes monachi & moniales, omnibus proprietatibus suis mobilibus & immobilibus quas hactenus habuerunt, sine difficultate renuntient, & omnia in communes usus monasterii redigantur. Qui vero renuntiare renuerint, excommunicentur; quod si nec sic resipuerint, per abbatem aut abbatissam; aut si non possunt, per nos restringantur.

121. Item, quicumque monachi aut moniales in morte habuisse proprium deprehensi fuerint, ecclesiastica careant sepultura. Si qui vero talium in cimiterio fratrum hactenus sepulti fuerant, ejiciantur.

122. Item, præcipimus, ne monachi denarios, quos in missis vel privatis recipiunt, vel publicis in sacrificio, sibi reservare præsumant; sed abbati vel cui ipse præceperit assignentur in communes usus expendendi. De denariis anniversariorum vel tricesimorum et omnium quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo sibi quicquam appropriare præsumat, nec per monachos, nec per moniales dividantur de cetero, sicut hactenus per abusionem fieri consuevit, sed in communes usus omnia redigantur.

123. Item, præbendæ quæ per abusionem hactenns divisæ fuerunt, in communitatem redigantur. Nulli ergo omnino pro victu denarii assignentur, sed de communi salario sive cellario pascantur.

124. Item, monachis et monialibus vel conversis curtes vel allodia pro certa pensione de cetero nullatenus assignentur; si quæ vero jam assignata sunt, statim omnino revocentur.

XIV.

Sequitur de dormitorio, de refectorio.

125. Item, abbates cum monachis, abbatissæ cum monialibus dormiant in dormitorio communi, et omnes tam monachi quam moniales in dormitorio communi dormiant; nisi illi qui ægrotant: nusquam utantur coopertoriis in lectis de pannis coloratis vel etiam cortinis.

126. Item, præcipimus districte abbatibus et abbatissis, ut suis subditis tam in victu quam in vestitu, secundum uniuscujusque monasterii possibilitatem, necessaria administrent. Panis vero, et vinum, et alia necessaria dentur fratribus in communi ad sufficientem necessitatem, nec alicui aliquid specialiter assignetur; et quod unicuique in communi superfuerit, iterum communi communitati reservetur, vel pauperibus distribuatur; et hospitalia pauperum in omnibus monasteriis restaurentur, et eis consueti reditus assignentur.

127. Item, inhibemus districte, ne monachi vel moniales habeant servos vel ancillas speciales, nisi forsitan in talibus constituti sint officiis, quod eis omnino carere non possint; & tunc de conscientia prælatorum suorum eos assumant. Si quis autem alias tales personas retinere præsumserit, expelli eos de monasteriis per prælatos præcipimus.

XV.

Sequitur de castitate & alia vita.

128. Item, præcipimus quod quicumque monachus vel monialis in lapsu carnis ceciderit, de quo erit manifestum, ad nullam deinceps dignitatem vel officium possit assumi in monasterio, nisi per emendationem manifestam, & honestam conversationem suam per sedem apostolicam, vel ejus legatum, vel loci ordinarium secum meruerit dispensari.

129. Item, præcipimus, quod si quis abbas vel monachus in officio positus, in vitium carnis lapsus fuerit, de quo fuerit manifestum, ab officio moveatur in continenti, & in poenam sui criminis de cetero stet ultimus in choro, vocem in capitulo non habeat, ad aliquam monasterii ordinationem non veniat, nisi propter manifestam emendationem providentia abbatis eum de consilio conventus duxerit admittendum: ad abbatem vero vel officium aliquod numquam eligatur deinceps, nisi ut dictum est, per sedem apostolicam, vel ejus legatum, vel loci ordinarium, secum meruerit dispensari. Idem contra abbatissas & moniales & canonicas regulares districte præcipimus observari.

130. Item, præcipimus districte & firmiter omnibus abbatibus, ut prohibeant suos subditos a mulierum suspecta familiaritate, & ne aliquando aliquis eorum ubicumque solus cum sola sedere vel stare aliquatenus præsumat.

131. Item, ludos chorearum, alearum, schaccorum, taxillorum, anulorum monachis & monialibus omnino interdicimus; & ne infra septa sui claustri, vel ipsum claustrum tabernas habere, ipsas ibi vel alibi intrare, ibi sedere, bibere vel ludere aliquis audeat firmiter inhibemus.

XVI.

Sequitur de vestiaria & procuratione vestimentorum.

132. Item, præcipimus districte, ut abbates & monachi, abbatissæ & moniales, nec mantella nec surchotos (*a*) portent de cetero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreto, (*b*) sed quanto possit haberi melioris pretii, prout regula præcipit. Cucullas autem habeant cum amplis capuciis & latis, & quando equitant, cappis utantur nigris, & clausis clamydibus.

133. Item, statuimus ut habeant abbatissæ & moniales habitum decentem & religio-

(a) Vestis species quam Galli *surcot* seu *surtout* vocant, eo quod aliis indumentis supervestiatur.

(b) Moretum est panni subfusci species.

ANNO CHRISTI 1278.

giosum. Sorchotas autem lanças & tunicas nullo modo habeant.

134. Item, ut dictum est, mantella de bruneta nigra sive morero, & pellicia de vario, & alias exquisitas & sumtuosas pelles districte omnibus inhibemus.

135. Item, non habeant moniales manicas strictas vel consutitias, nec habeant monilia, nec fibulas, nec annulos aureos, vel argenteos, nec aurifrigia, nec cingulos sericos, nec aliquem sæcularem ornatum.

136. Item, abbatissæ & moniales quando eas egredi contingit, non utantur habitu sæculari, nec habeant sellas deauratas aut phaleratas, aut frena deaurata, sed modeste incedant et religiose.

137. Item superpellicia habeant et religiose formata, non crispata, nec nimis longa.

XVII.

Sequitur de porta & fenestra.

138. Item, præcipimus ut abbates ostia claustrorum suorum claudant, & portas, nec egredi permittant aliquos monachorum sine socio & sine causa legitima et rationali necessitate. Qui autem propria temeritate egredi præsumserit, hoc ipso careat videlicet quod vocem in capitulo non habeat, et locum tenebit ultimum in choro, donec per nos vel officialem nostrum fuerit revestitus.

139. Item, claves claustri sint semper apud priorem, nec sicut dictum est, aliquis sine licentia exire audeat, vel aliquam mulierem cujuscumque conditionis vel dignitatis introducere præsumat, sine abbatis licentia speciali; introducta tamen cum licentia non intus (intret,) nec comedat ullo modo.

A 140. Item, claves semper habeant abbatissæ super se, et si eas quandoque contingat abesse, committant eis priorissæ.

141. Item, prohibemus ne monialibus de cetero detur licentia egredi de monasterio, etiam causa visitandi parentes vel amicos, nisi fortitan inevitabilis urgeat necessitas, ut puta fames, vel incendium, vel aliud hujusmodi, et tunc quanto citius potest fieri revertantur.

142. Item, in quolibet monasterio ordinetur monialis Deum timens, discreta, pudicitiæ & religionis amatrix, quam fenestrariam vocant, quæ diligenter custodiat fenestram, quam sonante completorio firmiter seret, nulli datura locum ibi amplius fabu-
B landi usque mane post dictam primam, & capitulo celebrato.

143. Item, statuimus & districte præcipimus, ut nulla monialis supervenientibus amicis vel parentibus loqui audeat sine licentia abbatissæ vel priorissæ, quæ statim ad fenestram loquuturæ jungat, sociam honestam & maturam, & nihil omnino sine licentia fenestrariæ loquatur; quod si moniales facere præsumserint, graviter punientur.

144. Omnia quæ de monachis dicta sunt, a canonicis regularibus præcipimus in omnibus firmiter & districte observari.

Expliciunt statuta & præcepta synodalis con-
C *cilii Trevirensis. Celebratum est hoc concilium in ecclesia sanctæ matris Mariæ majoris Trevirensis a venerabil. domino Trevirensi archiepiscopo, præsentibus provincialibus episcopis & provinciæ prælatis an Do. MCCXXVII.*
Explicit.

LONDINENSE CONCILIUM

Pro nuncio Romam mittendo, ut negocia ecclesiæ Anglicanæ tractaret,

Anno 1278. *habitum.*

An. 1278. *Concilii hujus unicæ supersunt literæ convocatoriæ & syngrapha qua episcopi fidem suam obligant ad sumptus reficiendos illis, qui Romam mittendi essent. Sunt autem ambo apud Wilkins tom. II. pag. 30. ubi habiti concilii annus 1277. assignatur, qui tamen annus ex veteri stilo currebat, cum novo esset annus 1278.*

MANDATUM ARCHIEPISCOPI CANTUAR. PRO CONCILIO PROVINCIALI LONDINI HABENDO.

Venerabili in Christo patri Godefr. Wigorn. episcopo, &c. Literas Cant. archiepiscopi recepimus in hæc verba. Robertus Cantuar. archiepiscopus, H. London. episcopo salutem, &c. Meminimus in congregatione nostra communi, dudum habita Northampton. negotia varia utilitatem pariter et honorem totius ecclesiæ Anglicanæ tangentia in medio fuisse proposita; in quorum executione licet viæ de communi consilio excogitatæ fuissent, et executores viarum prædictarum varii deputati: quia tamen in qui-
D busdam negotiis, seu executoribus eorundem nobis adhuc exitus est incertus; quædam autem penitus inconsummata existunt; emerserunt autem quædam nova, quæ ad aversionem (nostrorum) jurium, consuetudinum, libertatum, et grave periculum ecclesiæ Anglicanæ redundant: fraternitati vestræ per præsentia scripta mandamus, quatenus omnes fratres et coepiscopos, seu suffraganeos nostros auctoritate nostra faciatis peremptorie per vestras literas evocari, quatenus nobiscum in civitate London. in crastino B. Hilarii in propriis personis conveniant una cum aliquibus personis majoribus de suis capitulis, et locorum archidiaconis, et procuratoribus totius cleri dioecesium singularum, nobi-
E scum super negotiis memoratis tam prædictis quam instantibus efficacius tractaturi; ut eisdem, eorumdem communi mediante consilio, finis imponatur laudabilis, ut ita incerta certitudinem, et inconsummata consummationem, et emergentia nova consilium debitum sortiantur. Qualiter autem hoc nostrum mandatum fueritis executi, nos per vestras literas patentes, harum seriem conti-

ANNO CHRISTI 1278.

tinentes, certificare curetis, die et loco prædictis. Dat. apud Mechlindon. 16. kal. Decembris, anno Domini 1277. Harum igitur auctoritate literarum, vos tenore præsentium, peremptorie evocamus, quatenus prædictis die et loco, secundum formam nobis directam, personaliter intersitis, super dictis negotiis, una cum prædicto domino archiepiscopo et coepiscopis Cant. provinciæ, tractaturi de receptione præsentium, et quid super his facere decreveritis, nos per vestras patentes literas, harum seriem continentes, reddatis plenarie certiores. Dat. apud Windf. 8. cal. Decembris, A. D. supradicto.

Archiepiscopi Cantuar. & aliorum episcoporum procuratorium duobus nunciis ad curiam Romanam abeuntibus datum, cum constitutione salarii pro expensis.

Ex Reg. Giffard. Wigorn. fol. 73. apud Wilk. ib.

Universis christi fidelibus præsentes literas inspecturis vel audituris, Robertus, Dei gratia, Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, Walterus Exoniensis, Stephanus Cicestriensis, et Godefredus Wigorn. ejus dono gratiæ episcopi, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos et quemlibet nostrum in solidum teneri discreto viro magistro Johanni de Lasey clerico nostro et coepiscoporum nostrorum Cant. provinciæ nomine, pro expensis suis a nobis et coepiscopis nostris prædictis de consensu procuratorum episcoporum absentium pro negotiis nostris et cleri nostri, nos, bona, et statum ecclesiarum nostrarum & cleri contingentibus in Romana curia procurandis, pro uno anno taxatis in centum marcis sterlingorum, tresdecim solidos, quatuor denarios pro qualibet marca computanda, eidem magistro Johanni vel suo certo procuratori has literas deferenti solvendis, in capitulo S. Pauli Lond. in Octab. Paschatis, anno Domini 1278. sine ulla dilatione, dolo, vel fraude. Ad quam solutionem præfato magistro Johanni, vel suo certo nuncio, ut præmissum est, fideliter prædictis die & loco faciendum, pro nobis & coepiscopis nostris prædictis obligamus præfato magistro Johanni, vel ejus assignato, nos, ecclesias nostras, successores & executores nostros, & omnia bona nostra mobilia & immobilia ecclesiastica & mundana, præsentia & futura; ita quod si contingat nos in solutione prædictæ pecuniæ præfatis loco & termino deficere, bona fide legitima stipulatione interveniente, permittimus solvere, refundere & dare præfato magistro Johanni expensas, interesse & damna quæ increverint occasione prædictæ pecuniæ, suis die & loco, non solutæ; principali nihilominus rato manente. Super quibus expensis, interesse, & damnis volumus quod credatur juramento præfati magistri & sui assignati sine alterius onere probationis; subiicientes nos & successores nostros, ac executores in præmissis specialiter jurisdictioni, præcepto, seu potestati sanctæ Romanæ ecclesiæ, summi pontificis, vel judicis seu executoris super hoc a sede apostolica delegandi, prout præfatus magister, vel ejus assignatus duxerit eligendum: quod ipsi ad petitionem præfati magistri vel sui assignati sine monitione, denunciatione, in jus vocatione, libelli oblatione, & absque omni judiciali strepitu de pleno possunt nos et successores nostros vel executores per censuram ecclesiasticam compellere ad plenam solutionem, tam prædictæ pecuniæ, quam damnorum, expensarum, et interesse, quæ vel quas sustinuerit occasione ejusdem pecuniæ, suis loco et termino non solutas, ut sæpius est expressum. Et renunciamus in præmissis pro nobis et successoribus nostris, et executoribus, beneficio epistolæ domini Adriani, privilegio fori, et loci consuetudini, cavillationi, contradictioni, privilegio cruce signatis indulto, et indulgendo, beneficio auctenticæ, quæ loquitur de duobus reis —— et omni juris remedio, tam canonici quam civilis, quod contra præsens instrumentum, vel contenta in eodem posset obiici vel opponi; quibuscunque etiam literis vel a sede apostolica, vel a potestate regia impetrandis, seu etiam impetratis, per quas istius nostræ obligationis executio retardari in aliquo valeat, vel deferri. Centum autem alias marcas eidem magistro similiter pro expensis fecimus præ manibus numerari, quarum prætextu in istis aliis centum pro expensis similiter eidem, pro nos per præsentem obligationem promissis, nolumus aliquod obstaculum generari. In cujus rei testimonium præsentes literas vice nostra et aliorum coepiscoporum nostrorum sigillorum nostrorum fecimus munimine roborari. Dat. & actum in prædicto capitulo S. Pauli Lond. die proxima ante festum conversionis S. Pauli anno Dom. 1277.

SYNODYCA CONCILII AD PONTIFICEM.

Sanctissimo in Christo patri domino Nicolao divina providentia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici, R. ejusdem miseratione archiepiscopus Cant. totius Angliæ primas, Joh. Lond. Nic. Winton. Godefr. Wigorn. Walt. Exon. Stephanus Cicestrens. Robertus Bathon. & Wellen. Ric. Menevens. Will. Landavens. Anianus Asaphen. Anianus Bangoren. ac cæteri suffraganei & universus clerus Cant. provinciæ, recommendationem & devota pedum oscula beatorum. Sanctæ paternitati vestræ devotius intimamus, quod nos in omnibus negotiis, nos, bona & statum ecclesiarum nostrarum contingentibus, constituimus, ordinamus, & facimus dilectos nobis in Christo magistros Willelmum de Cornerio capellanum nostrum, & Johannem de Lasey clericos, procuratores nostros conjunctim pariter & divisim, ad petitiones nostras in vestræ sanctitatis præsentia proponend. & super eisdem vestræ sublimitati humiliter supplicand. et ad impetrand. in curia vestra litteras simplices & legendas justitiam communem, seu gratiam continentes; ad contradicendum etiam vel consentiendum in judices anteque loca; concedentes eisdem procuratoribus nostris, ac alicui eorundem, alium vel alios procuratores substituendi, et eosdem pro libitu revocandi, cum sibi & nobis viderint expedire. Pro illis insuper procuratoribus nostris ac substitutis eorum in forma præcitata rem ratam haberi, exponimus cautionem. Et in testimonium præmis-

ANNO CHRISTI 1278. 1279. forum nos —— Cant. & alii superius nominati pro nobis ac successoribus nostris, coepiscopis et cæteris constituentibus universis, de voluntate ipsorum, et consensu expresso, A nostra sigilla præsentibus literis duximus apponenda. Dat. Lond. K. L. Feb. anno Domini supradicto. ANNO CHRISTI 1278. 1279.

VVINDESORIENSE IN ANGLIA CONCILIUM

Anno 1278. *habitum*.

An. 1278. DE *concilio isto hæc tantum supersunt apud Vvilkins tom. II. pag.*32.

Hoc anno magnum conc. Windesoriæ in vigilia festi natalis Domini per breve regium celebratum fuisse, meminit regist. Wigorn.

VVEDDELENSE IN DANIA CONCILIUM

Anno 1278. *habitum*.

An. 1278. DAnici hujus concilii unica mentio superest in Dano quodam chronologo apud Ludevvig Reliquiarum to. IX. pag. 33. qui his verbis totum expedit *A. D.* 1278. *celebratum est concilium in VVeddel, cum prælatis ecclesiarum sub archiepiscopo* (Lundensi) *Trugotbo.* Chronolog. alius apud eundem ibid. pag. 169. idem tradens anno sequenti assignat. En illum *A. Dom. MCCLXXIX. Trugotus archiepiscopus celebravit concilium Vedlæ in Jutia, seu* Judlanda.

LONDINENSE CONCILIUM

Pro subsidio pecuniario a Clero Regi præstando,

Anno 1279. *habitum*.

An. 1279. Ex Wilk. to. II. pag. 37. „ HUjus concilii in octavis S. Hilarii congregandi mentio fit in concilii Redingensis constitutione prima. Convocatur autem, ut regi subsidium a clero præstetur. Soli episcopi hic summonentur ab archiepiscopo; inferiores vero clerici consilium suum de auxilio regi faciendo dioecesanis suis episcopis communicare, aut procuratores ea de re tractaturos constituere jubentur. Sed audiamus archiepiscopum de hoc concilio ita scribentem.

Venerabili in Christo fratri &c. episcopo London. &c. frater J. &c. salutem &c. Quam sit decens quanq. expediens clerum nobis commissum regiis favore & gratia consolari, docet experientia contrarii nuper præteriti in ecclesiarum spoliis & gravaminibus profanis, quorum recens memoria perseverat; docet idem evidentia periculi in januis imminentis, si, quod avertat Deus, dissimularet majestas regia quorundam laicorum pertinacem in bona ecclesiastica manum mittere, quorum audaciam illustrissimus Dei gratia rex E. * clementiæ suæ legibus contra hujusmodi editis refrænavit. Cujus circa nos solicitudini, si ingrati fuerimus, non solum ipsum ad indignationem provocabimus; verum etiam regem regum pro ingratitudinis vitio offendemus. Sacro etiam testante eloquio, majestatem regiam tenentur omnes subditi grata honorificentia prævenire, & illi præcipue, qui regali munificentia concessis olim ecclesiæ Christi honoribus confoventur. Cum etiam vilissimi censeantur, qui cæteros honore præcellunt, nisi insuper eosdem transcendant etiam obsequiis charitatis; ac per nobiles & pleoejos regni Angliæ dicto domino regi fuerit nuper in quodam temporalium subsidio ministratum, sub cujus regimine nos omnes vivere oportet, & gratia communiri; expedit non solum per orationem suffragia dictum dominum ad protectionis —— beneficia excitare; verum etiam corporalibus impendiis & muneribus ejus sumptus innumeros, quantum poterimus, relevare. Cujus liberalitatis exemplum archiepiscopos & episcopos D Angliæ cæteris in clero minoribus præstitisse. Et certe satis est canonicum ecclesias dotatas patronis indigentibus subvenire. Qua propter vestram imploramus & exhortamur in Domino charitatem, in virtute obedientiæ firmiter injungendo, quatenus convocato, quam citius fieri poterit, per vos aut vestros clero vestræ diœcesis, eidem studeatis ad Dei honorem & pacem ecclesiæ suadere, ut dicto regi hoc pro gratitudinis indicio postulanti, studeant elapso tempore decimæ sic affluenter pro viribus subvenire, ut ipse de devotione clericali merito gaudeat, & ad ipsos excitetur favorabilius in posterum sublevandos. Caventes in- E super, ne obsequii exilitate indignationem magis provocent, quam excitent clementiæ lenitatem. Hujusmodi autem servitii vel subsidii quantitatem per vos, aut per procuratores vestros, vel certe per procuratores proprios ad hoc, si expedire videritis, destinandos, nobis intimare studeant in congregatione nostra London. in octab. S. Hilarii imminente. Et —— modus iste in congregatione nostra provisus extitit proxime præterita de consilio episcoporum ibidem præsentium, & procuratorum episcoporum absentium; mandamus vobis, quatenus hanc deliberationem paci ecclesiæ, ut præsagimus non fallaciter pernecessariam, studeatis cæteris coepiscopis nostris cum celeritate debita nunciare. Quid autem super his facere de-

ANNO CHRISTI 1279.

decreveritis, & ſub qua forma præmiſſa duxeritis exequenda, nobis cum quapoteritis celeritate per literas veſtras patentes, harum A continentes ſeriem, reſcribatis. Valete. Dat. apud Mortelake VIII. id Nov. conſecrationis noſtræ anno primo.

ANNO CHRISTI 1279.

AD CONCILIUM REDINGENSE IN ANGLIA

Anno 1279. habitum

ADDITIONES.

Quædam tuitio libertatum ſcholarium Oxon. per archiep. Cant. promulgata in conc. Redingenſi.

Ex Wilk. tom. II. pag. 39.

FRater Johannes miſeratione divina Cant. archiepiſc. totius Angliæ primas, dilectis ſibi in Chriſto cancellario ac univerſitati magiſtrorum & ſcholarium Oxon. B Lyncoln. dioeces. ſalutem, gratiam & benedictionem. Quærentes in agro ſcholaſticæ diſciplinæ ſcientiæ margaritam non immerito, quo poſſumus, favore proſequimur, eaque libenter eis concedimus, per quæ materia ſubmota gravaminis ipſorum ſtatus tranquillitas proſperetur. Hinc eſt, quod veſtris devotis precibus inclinati, perſonas veſtras cum omnibus bonis ad vos communiter pertinentibus, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis; aut in futurum juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem libertates & immunitates ab epiſcopis, regibus, magnatibus, & aliis Chriſti fidelibus vobis rite conceſſas, ſicut ea omnia juſte & rationabiliter obtinetis, vobis & C per vos veſtris ſucceſſoribus de fratrum noſtrorum unanimi & expreſſo conſenſu, auctoritate præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad hæc quia intelleximus, quod nonnulli propriæ ſalutis immemores, cum propter delicta in univerſitate Oxon. perpetrata, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiis per cancellarium univerſitatis ipſius, vel judices inferiores deputatos ab eo, vel per ipſum cancellarium una cum tota univerſitate, quandoque ſolorum regentium & non regentium fuerint innodati a vobis & a veſtra juriſdictione recedunt, claves eccleD ſiæ temere contemnendo; ut dictæ ſententiæ robur obtineant firmitatis, quotiens nos vel fratres noſtri ſuper hoc a vobis legitime fuerimus requiſiti, quod per nos, vel fratres noſtros, vel eorum officiales in noſtra provincia executioni demandentur, de expreſſo & unanimi conſenſu fratrum noſtrorum vobis tenore præſentium indulgemus. Volentes inſuper tranquillitati veſtræ uberius providere, ut veſtra communitas in futurum in ſtatu proſpero & tranquillo valeat gubernari, vobis concedimus, & de expreſſo & unanimi conſenſu fratrum noſtrorum ordinamus & ſtatuimus, ut ſi qui clerici in noſtra provincia beneficiati die aut nocte inventi fuerint E in pacis perturbationem arma deferentes, vel tranquillitatem ipſius univerſitatis per modum alium perturbantes, & ſuper hoc convicti fuerint legitime aut rite, ſeu per eorum fugam præſumptive confeſſi, quod eorum beneficia in manibus prælatorum ſuorum ad denunciationem cancellarii faciendam ipſis epiſcopis ſub ipſius univerſitatis ſigillo communi per triennium ſequeſtrentur, & de fructibus beneficiorum hujuſmodi, percipiendis interim vel perceptis, læſa vel læſis per convictos, vel confeſſos, aut fugitivos hujuſmodi, legitime ſatisfiat. Quod ſi beneficium eccleſiaſticum non habuerint, per quinquennium ad receptionem beneficiorum eccleſiaſticorum inhabiles habeantur, niſi læſis ab eiſdem interim ſatisfecerint competenter, & gratiam univerſitatis meruerint obtinere; fama eorum nihilominus poſt ſatisfactionem integra conſervata. In quorum omnium teſtimonium ſigillum noſtrum una cum ſigillis fratrum noſtrorum præſentium huic ſcripto eſt appenſum. Dat. in concilio noſtro apud Redyng. 2. Kal. Aug. anno gratiæ 1279.

Proceſſus contra epiſcopum habentem quinque filios.

Ex Reg. Peckam fol. 12. a.

Reverendo in Chriſto patri ac Domino Roberto Dei gratia epiſcopo Portuenſi, frater Johanes, &c. Eccleſiarum multiplicationem avidam & effrænem qualiter, Domino juvante, de conſenſu coepiſcoporum noſtrorum, provideret, oſtendit ſchedula proceſſum continens ſigno meo ſignata, quam lator præſentium veſtræ poterit oſtendere ſanctitati. Proceſſum autem habitum circa notum vobis epiſcopum, veſtro ſecreto ſignifico, ut per vos ſanctiſſimo pontifici innoteſcat; cui ſuper hoc ita expreſſe non ſcribo, ne hoc ad oculum deveniat adverſantis; habet enim exploratores ſuos in curia, & præcipue mercatores Luchan. cum complicibus ſuis, qui prædicto epiſcopo defendendo ac præmuniendo amplius ſunt ſoliciti, quam propriis animabus. Noveritis igitur, pater ſanctiſſime, quod Redingiæ finita congregatione vocavi ipſum coram epiſcopo Landaven. magiſtro W. de Corner. & Mag. R. de Feryne, præcipiens ei in virtute obedientiæ, ut diceret mihi fideliter coram ipſis, ſi verum eſſet, quod contra ipſum fama publica teſtabatur, qui omnem carnis commixtionem penitus abnegavit. Sed ante præceptum emiſſum diu ſolus cum ſolo exiſtens in camera prænominatos teſtes aliquantulum expectarem; ipſe quaſi conjectans agenda, ſtans cum ſtante dixit mihi quædam turpia, & dictis adjecit ſe in confeſſione illa dicere, cum prius nullum confeſſionis ſignum vel minimum oſtendiſſet. Ipſa autem ebdomada apud Mortelac venit ad me quædam mulier nomine Juliana mecum, ut dicebat, de factis epiſcopis locutura, quam cum jurare feciſſem ſuper ſancta Dei evangelia, ſe nihil mihi falſum vel frivolum relaturam, ſubjunxit, quod quin-

ANNO CHRISTI 1279. 1280.

quinque filios adhuc superstites dicto pepererat pontif. utique secundum ordinem non Melchisedec sed Aaron talia perpetranti: fama insuper clamat similia bonarum & gravium personarum. Propono autem eum adhuc aggredi iterato; sed scio quod conatus meus parum proderit, nisi me litera juvet apostolica; vel ut ei inducatur purgatio, vel fiat inquisitio specialis. Aliter enim mox ut eum tetigero, appellationis alis falsidiciæ rete meum effugiet, infinitam pecuniam effusurus. Hæc obsecro oculus non invideat alienus. Istud nunc idem domino Matthæo significo, cui, si placuerit, ad sedationem tanti scandali, & extirpationem putredinis, communicare poteritis, & velitis, efficaciter propter Deum, mihi nihilominus vestrum beneplacitum per latorem præsentium intimantes. Fere oblivioni dederam, quod mihi in curia existenti religiosus quidam Anglicus intimavit, dictum episcopum homicidii, usurarum, simoniæ, ac similium scelerum esse vinculis alligatum, de quibus adhuc nec per famam neque inquisitionem publicam aliquid reperi fide dignum. Custodiat Deus incolumitatem, &c. Actum apud Mortlac in octab. S. Laurentii amaritudinis meæ anno primo.

A *REVOCATIONES PROVISIONUM CONCILII REDING.*

Memorandum, quod venerabilis pater Jo: Cantuar. archiepiscopus venit coram rege & consilio suo in parliamento Regis S. Michaelis, anno regni regis septimo apud Westm. & confitebatur, & concessit, quod de statutis, provisionibus & declarationibus eorumdem, quæ per ipsum promulgatæ fuerunt apud Reding. mense Augusti anno eodem, inter quasdam sententias excommunicationis, quas idem Archiepiscopus ibidem promulgavit.

Ex Rot. claus. 7. Edvv. I. m. I. dorso Pryn. 3. vol. p. 235. seq.

Primo, deleatur, & pro non pronunciata habeatur illa clausula in prima sententia excommunicationis, quæ facit mentionem de B impetrantibus literas regias ad impediendum processum in causis, quæ per sacros canones, &c.

Secundo, quod non excommunicentur ministri regis, licet ipsi non pareant mandato regis, in non capiendo excommunicato.

Tertio, de illis, qui invadunt maneria clericorum, ut ibi sufficiat pœna per regem posita.

Quarto, quod non interdicat vendere victualia Eboracensi archiepiscopo, vel alii venienti ad regem.

Quinto, quod tollatur magna charta de foribus ecclesiarum. Confitetur etiam & concessit, quod nec regi nec hæredibus suis, nec regno suo Angliæ, ratione aliorum articulorum in concilio Reding. contentorum, ullum præjudicium generetur in futurum.

PONTEFRACTENSIS SYNODUS

In Provincia Eboracensi Anno 1279. habita
Ex Reg. VVickvvane.

An. 1279. Affert Wilk. ad eundem ann.

VVIllelmus, permissione &c. Dilecto in Christo filio archidiacono Clyveland: salutem &c. Quia communi deliberatione nostra, & capituli nostri Ebor. conformiter habita, provisum est, quod quilibet archidiaconus pro subsidio domino regi faciendo suos subditos convocabit, vota, & liberalitates super hoc attentis & votivis inductionibus scrutaturus: ita quod die veneris proxime ante festum sanctæ Scholasticæ virginis, quilibet archidiaconus cum duobus dignæ eminentiæ viris, & unico ipsius archidiaconatus decano nobis apud Pontefract, ubi personaliter erimus Deo dante responsum pro communitate totius archidiaconatus faciat; vobis denunciamus, ut modis omnibus in archidiaconatu vestro cum prona celeritate similiter idem fiat, ita quod apud Pontefract. responsum in forma supradicta super quanto & quantitatis modo plenius habeamus; quod nullatenus omittatis. Vale. Dat. apud Ebor. 6. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

CONSERANENSIS SYNODUS

Ab Augerio episcopo circa annum 1280. celebrata.

Excerpta hæc dedit Montfaucon. Bibliot. Bibliothecar. MS. to II. p. 1157.

AD honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosæ Virginis Mariæ, atque beatissimi Licerii Confessoris & omnium sanctorum. Nos Augerius sola Dei patientia episcopus Conseranensis, cupiens subjectos nostros in iis, quæ ad salutem animarum pertinere noscuntur, feliciter gubernari, infrascriptas instructiones & constitutiones in præsentiarum duximus promulgandas. Primo igitur instructiones, secundo constitutiones ponentur. Sicque binario numero præsentis libelli lectio peragatur.

Incipiunt instructiones.

Fratres carissimi & sacerdotes Domini, cooperatores nostri officii estis. Nos quidem licet indigni locum Aaron tenemus, vos Eleasari & Ithamar. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis: nos pastores vestri sumus, vos commissæ vobis plebis: nos summo pastori Domino nostro Jesu Christo rationem de vobis reddituri sumus, vos vero de plebibus vobis commissis.

Hoc exordium petitum est ex hom. Leonis papæ IV. quam legi mos erat in conciliis. MANSI

Ve-

Vestram itaque fraternitatem hortamur in Domino, sedulo monemus atque obsecramus obnixe, ut quæ his scriptis vobis pro nostra vestraque salute suggerimus, fideliter memoriæ commendare atque adimplere summopere studeatis. Officii igitur nobis commissi onus rite atque legitime peragendum: duo quippe principaliter unicuique vestrum necessaria esse noscuntur. Primum est vita & conversatio irreprehensibilis; secundum est scientia commendabilis, illa præcipue quæ in quatuor consistit. Primo in septem sacramentorum ecclesiasticorum administratione, infra seriatim dicetur; secundo in sacramentorum cauta custodia & contractione; tertio in divinorum officiorum celebratione; quarto in animarum atque ecclesiarum regimine & dispositione: & ibi agetur de sepulturis, de decimis, de ecclesiastica censura, de Judæis.

De vita & conversatione Clericorum.

Prima itaque vita & conversatio irreprehensibilis, & quoad nos & quoad alios perquam necessaria est, quia necessaria nobis est vita nostra, sed aliis fama nostra. Unde Dominus inquit, *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Alioquin secundum Prophetam, si sacerdos qui est unctus peccaverit, faciet delinquere populum; & iterum, *incantatore a serpente percusso quis medebitur?* & rursus: *si sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Sacerdotes quidem in bene docendo & male agendo Deum instruunt, qualiter eos debeat condemnare, & tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos trasmittunt. Qua enim libertate possunt eos corripere, dum tacite sibi respondent se eadem, quæ corripiunt, commisisse? quia esse non potest hortator viduitatis, qui conjugia frequentaverit. In evangelio quoque probatur eum qui trabem portat in oculo suo non posse festucam in oculo fratris sui videre. Item David: *peccatori autem dicit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et secundum Gregorium, cujus vita despiciatur, restat ut ejus prædicatio condemnetur: hinc etiam est Isaias a Domino ad prædicandum mittendus, prius ab iniquitate mundatur, et os ejus calculo tangitur, qui forcipe tollitur de altari.

Prius igitur debent sacerdotes errata sua corrigere, & postmodum ad alia diluenda festinare. Nam & gallus prius seipsum alarum verbere corripit, & deinde ad horas præcinendas accedit. Sacerdotes enim plerumque exemplo suæ passionis accendunt, quos servitute doctrinæ diutius confirmare non possunt: & vita discipuli exempla eruditæ religionis de se præstare nescit, quæ in seipso experimento non didicit. Ut igitur vita & conversatio vestra irreprehensibilis appareat & cæteris luceat per exemplum, expedit ut sit juxta ecclesiam cella vestra. Nullus vestrum arma vel gladios ad feriendum ferat, nisi forte tempore guerræ, vel ex probabili causa timoris.

A Nullus comam nutriat, neque barbam, & unusquisque coronam & tonsuram habeat congruentes: quas & conjugati non bigami privilegio clericali gaudere volentes, publice portent.

Nullus canum vel avium jocis inserviat. Nullus ebrietatibus, crapulis, litibus, scurrilitatibus, percussionibus & blasphemiis vacet.

Nullus spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, intersit; sed pompas sæculi & convivia publica fugiat: privata vero non tantum pudica, sed etiam sobria colat.

B Unusquisque vestrum dolos & conjurationes caveat, odium, æmulationes, obtrectationes atque invidiam effugiat, non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoque gestu incedat; sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendat.

Obscœnitatem & membrorum, & verborum, sicut & operum penitus execretur. Senioribus debitam præbeat obedientiam, neque ullo jactantiæ studio seipsum attollat, bonis moribus studeat, & ab omnibus illicitis cor ac linguam, & corpus, Deo auctore, conservet. Omnis enim jactantia atque immoderatio a bonis est moribus aliena.

Nullus tabernam intret, nisi forte necessitatis causa in itinere constitutus.

C Curam pauperum, peregrinorum & aliarum miserabilium personarum habeant, præbentes eis refectionem: viduas, orphanos & pupillos defendite: & tam in iis, quam in aliis hujusmodi, totius boni exemplum in vobis præbete.

Officia, seu commercia sæcularia, maxime inhonesta, mimos quoque, joculatores & histriones, ac pravorum & infamium consortium fugite.

Nullus baratas ac lucra inhonesta, ac cujuslibet generis fœnus exerceat, aut undecim pro duodecim in ludo juxtuare, aut bladum vetus & corruptum pro novo & sincero mutare, seu commodare præsumat.

D Ad aleas & taxillos, vel etiam cum laicis ad luctas ludere nolite, vel ludis hujusmodi interesse.

Officiis ecclesiasticis, & aliis bonis studiis cum diligentia vacate. Caputiis brevibus aut aliis inhonestis vel laicalibus diversorumque colorum, aut aurifrisiatis vestibus, aut pannis rubris, seu viridibus, vel virgatis manicis quoque consutiatis ac sæcularibus rostratis, vel cordelatis aut incisis chirothecis depictis, frenis, sellis, pectoralibus ac calcaribus deauratis uti nolite: Sed sacerdotes veste desuper clausa atque talari & aliis ornamentis decentibus utantur & honestis.

E Continenter & caste vivere studete, & nullus clericus fœminas secum teneat, de quibus aliqua sinistra suspicio esse possit. Sed nec etiam matres, sorores, vel alias suas consanguineas juvenes secum in domibus ecclesiarum tenere præsumat; sed eis forte indigentibus alibi, si voluerit, necessaria subministret.

Clerici quoque membrorum truncationes per se non faciant aut indicent inferendas, sententiam sanguinis dictando vel proferendo

ANNO CHRISTI 1280.

do aut scribendo: sed nec ubi talia exercentur, dum fiunt, interesse præsumat.

Nullus in sacro ordine constitutus, præcipue sacerdotes & religiosi, artem chirurgiæ exerceant, quæ ustionem vel incisionem inducat.

Nullus tabellionatus officio fungatur in curia sæculari, aut procurationes, seu ballivias villarum, aut dicaturas sæcularium principum tenere præsumat. Sed nec procurationes quorumcumque laicorum recipiant. Nec tutor, vel curator vel advocatus in curia sæculari, nisi pro seipso & ecclesia sua, pro sanguineis suis & pupillis & orphanis & aliis miserabilibus personis esse præsumat.

Nullus etiam, privilegio clericali gaudere volens, sergentariæ, seu bannariæ officio uti præsumat.

Nullus, sine rationabili causa, mercata seu nundinas frequentet; & tunc in habitu honesto incedat.

Nullus clericus ob amorem, vel gratiam parentum, vel amicorum suorum possessiones alienas, vel fructus earum violenter intrudat; alioquin si ablatis restitutis juxta delicti qualitatem poenam graviorem merito poterit formidare.

Nullus clericus dono, pretio, gratia, amore, vel odio sibi credi faciat a laicis; actiones, ut adversiones fatigandi causa ad ecclesiasticum forum trahat.

Quivis presbyter in principio sui presbyteratus vestes sacerdotales sibi fieri faciat, cum quibus obitus sui tempore valeat sepeliri.

Nullus in sacris ordinibus constitutus ruptariis vel balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præesse præsumat, aut purgationis aquæ ferventis, seu frigidæ, aut ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat. Ultimo scitote Sacerdotis esse officium omnibus prodesse, nulli autem nocere velle. De iis etiam alia inter constitutiones quærentur.

Postea vero de scientia Sacerdotum aptissime loquitur.

Hinc de Sacramentis.

De materia restitutionum.

A De custodia & contrectatione Sacramentorum.

De Divinorum officiorum celebratione.

De officio Missæ.

De animarum atque Ecclesiarum regimine.

De Sepulturis.

De Decimis.

De censura ecclesiastica.

De ecclesiis et earum privilegiis et ornamentis.

De officio et potestate rectorum, capellanorum et de regimine ecclesiarum. Prohibet multa genera sortilegiorum, et addicit poenas eisdem.

Prohibet rectoribus ne absolvant aliquem ab excommunicatione, nisi in articulo mortis et in casibus hic expressis. Statuit ut B rectores non tradant curam presbyteris nisi de licentia.

Prohibet ne religioso communicetur cura animarum et pœnam ponit.

De Divinis officiis et aliis ad ea pertinentibus.

Casus reservati episcopo et Vicario suo.

Prohibet matrimonium in ecclesia solemnizari, contractum inter infantes, vel de quo est dubium.

De chrismate & sancto Oleo.

De excommunicatione & interdicto.

Ponit pœnam pro falsantibus literas apostolicas & curiæ nostræ.

C Quod nullus teneat scholas nisi in casibus hic contentis, in dioecesi vel civitate Conseranensi.

De officio & collatione tonsurarum.

De actionibus ecclesiarum.

De vita & honestate Sacerdotum.

De capellanis, monachis et religiosis.

De censibus et procuratoribus.

De Ostensione reliquiarum.

De Pedagiis.

De Judæis.

De Leprosis.

De Sortilegiis.

De rapinis clericorum.

De Usuris.

D

SENONENSE CONCILIUM

In quo Simon Carnotensis episcopus debitæ subjectionis argumentum Senonensi archiepiscopo præbet,

Anno 1280. *habitum*.

An. 1280. Ex Gall. Chr. nov. edit. to. VIII. pag. 372. app.

ANno Domini MCCLXXX. reverendus pater Simon de Perruchejo in Carnotensem episcopum per sedem apostolicam in Romana ecclesia confirmatus ac etiam consecratus, veniens in diœcesi Senonensi circa Ascensionem Domini, antequam intraret diœcesim Carnotensem, ex parte reverendi patris domini Gilonis Dei gratia Senonensis archiepiscopi per probos viros de ecclesia Senonensi requisitus fuit curialiter, ut accederet ad ecclesiam Senonensem, ipsi archiepiscopo ac ecclesiæ Senonensi professionem facturus, prout hactenus, ut tenentur, fecerunt singuli episcopi suffraganei ecclesiæ Senonensis. Ipse vero Simon Carnotensis episcopus respondit, se non credere ad hoc teneri, & velle super hoc deliberare; maxime cum ipse in Romana curia immediate post consecrationem suam professionem fecisset debitam, ac etiam consuetam. Quod audiens dictus archiepiscopus, per eosdem probos viros prædicto episcopo inhiberi fecit auctoritate metropolitana, ne ipse episcopus in diœcesi Carnotensi ordines celebraret, seu aliud officium pontificale in dicta diœcesi exerceret, donec fecisset ipsi & ecclesiæ Senonensi professionem superius nominatam. Qua inhibitione ipsi episcopo sic facta, idem episcopus contra mandavit ordines suæ diœcesis, quos ad diem Sabbati

post

ANNO CHRISTI 1280.

post Pentecosten jam fecerat evocari. Demum deliberatione ab eodem episcopo habita cum peritis, tandem die Jovis ante nativitatem B. Johannis Baptistæ, scilicet XII. calendas Julii, qua die ipso anno celebrata fuit Senonis sancta Synodus, præfatus Carnotensis episcopus Senonas venit, & in ecclesia Senonensi receptus cum processione solemni, prout consueverunt recipi novi episcopi Carnotenses, tamquam aliorum episcoporum decani; ipse episcopus finita processione prædicta, super majus altare prædicto archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi solemniter & publice fecit & legit professionem debitam a singulis episcopis suffraganeis Senonensi ecclesiæ fieri consuetam, & propria manu subscripsit. Actum Senonis præ- A sentibus prædicto archiepiscopo & religiosis viris fratribus Philippo sancti Johannis, Johanne sancti Remigii, Odone sancti Pauli Senonensis, Nicolao Dei loci, Johanne de Morigniaco, Thoma de Jardo, Hugone de Calmis, Guillelmo de Castro-Nantonis abbatibus, Johanne archidiacono, Girardo decano Senonensi, Stephano Wastinensi, Stephano Maledunensi, Johanne Pruvinensi, Simone Stampensi archidiaconis, magistris Guillelmo de Mailli & Odone de Blesi, Simone Cornuti & Jacobo de valle Ederæ canonicis Senonensibus, Guillelmo de Calvomonte camerario Carnotensi, Johanne de Albiniaco, magistro Raignaudo & Monciaco canonicis Carnotensibus, & magistro Roberto Cornu- B ti Senonensi & Carnotensi canonico.

CONCILIUM GENERALE APUD PERTHUM

Anno 1280. *habitum*.

An. 1280. Ex Vvilk. to. II. pag. 43.

DIe lunæ post festum S. Bartholomæi concilium generale apud Monachos nigros in oppido Pertho, celebratum fuisse patet ex sententia Archibaldi episcopi Moraviensis hoc anno lata, in chartular. vet. eccles. Moravien. fol. 46. in bibl. juridic. Edinburg. quæ hujus est tenoris.

Sententia A. Moraviensis episcopi contra Vvill. de Fentona lata, in concilio apud Perth. denuncianda.

Universis episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, & cæteris ecclesiarum prælatis, in concilio die lunæ proxima post festum sancti Bartholomæi, in ecclesia fratrum prædicatorum de Perth. celebrando, congregatis. A. Dei gratia Moravien. episcopus salutem in salutis auctore. Noveritis nos in lite inter nos & dominum Willielmum de Fentona diutius agitata subscriptum a judicibus delegatis obtinuisse decretum. R. Dei gratia episcopus J. Decanus Roffensis ecclesiæ, & prior de bello loco ejusdem dioecesis executores deputati, a viro religioso Dei gratia abbate de Dei unico judice a sede apostolica delegato in causa, quæ super terra ecclesiæ de Keltalargyn vertebatur inter venerabilem patrem A. Dei gratia Moravien. episcopum, actorem ex parte una, & dominum W. de Fonton. dominum de Beuford in le hard. & Cæciliam sponsam suam reos, ex altera; dilectis sibi in Christo decano christianitatis de Innernys rectori ecclesiæ de Lundechyn, & vicario de Wardlaw salutem in salutis auctorem. Quum nos die mercurii proxima ante festum sancti Michaelis, anno gratiæ MCCLXXIX. ad ecclesiam de Keltalargyn accedentes, præfatum episcopum Moraviensem personaliter ibidem comparentem nomine ecclesiæ suæ in veram & corporalem possessionem dimidiæ Davach terræ, ad jus & proprietatem dictæ ecclesiæ de Keltalargyn de jure spectantis, & præfato episcopo nomine ecclesiæ suæ cum ædificiis, aquis, piscariis, juribus, ac cæteris omnibus pertinentiis, ad dictam terram spectantibus, per præfatum judicem ex secundo decreto alias finaliter adjudicato, prout in actis inde confectis plenius continetur, juxta mandatum dicti judicis, imo verius apostolici, induximus, & ibidem publice denunciando, auctoritate apostolica, monuimus, ne præfatus Willielmus, per se, vel per alios, ab illo tempore, in antea præfatum episcopum quocunque modo impedire præsumat, quo minus de prædicta terra & ejus pertinentiis omnibus & singulis, prout sibi visum fuerit expedire, libere valeat disponere & ordinare; ac C spretis monitionibus nostris præfatus Willielmus percepta injuste & retenta firma prædictæ terræ de termino sancti Martini, anni gratiæ supradicti, præfatum episcopum quo minus pacifice possessione decreta uti valeat & gaudere hactenus temere præsumpsit impedire. Vobis mandamus, conjunctim & divisim in virtute obedientiæ, qua sedi apostolicæ tenemini, sub poena majoris excommunicationis in personas vestras ex tunc latæ, si in hoc mandato nostro, imo verius apostolico, negligentes fueritis vel remissi; firmiter injungentes, quatenus statim visis literis istis, adjunctis vobiscum quibusdam cappellanis, & aliis fide dignis, ad castrum D de Beuford personaliter accedentes, trinas monitiones, videlicet, semel, secundo, & tertio, auctoritate nostra, imo verius apostolica, ibidem faciatis; ut præfati Willielmus a Cæcilia, firma prædicta ipsi episcopo plenius restituta, de cætero, per se vel per alios eundem episcopum vel procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum impedire non præsumant, quo minus de prædicta terra & ejus pertinenciis, ut prædictum est, libere valeat disponere: & nos, si monitionibus vestris contemptis usque ad proximum Pascha in sua contumacia perseveraverint, ipsos, quos ex tunc ab ingressu ecclesiæ in his scriptis suspendimus per to- E tum decanatum de Innernys, & alibi, ubicunque visum fuerit expedire, pro suspensis hujusmodi denuncietis; & si iterato super præmissis legitime moniti, ut prius, infra diem dominicum post, inque festum ascensionis Domini, a sua rebellione desistere non curaverint, ipsos quos ex tunc propter crescentem contumaciam poena dignos gravio-

ri,

ANNO CHRISTI 1280.

ri, in his ſcriptis excommunicamus, ſententia ſupradicta ſingulis diebus dominicis & feſtivis pulſatis campanis, candelis accenſis, publice & ſolenniter denuncietis excommunicatos. Sane ſi adhuc tertio ſuper præmiſſis legitime moniti, ut prius, animo indurato claves eccleſiæ vilipenderint et ad gremium matris ſuæ infra feſtum ſancti Petri ad Vincula proxime futurum redire non curaverint, cum creſcente contumacia creſcere debet et poena ſententiarum interdicti, quam ex tunc in terras eorum, etiam omnia loca, ubi moram traxerint, quandiu ibi ſteterint, in his ſcriptis proferimus, tam diebus quam locis, et ſub eadem ſolennitate, ut ſupradictum eſt, efficaciter publicetis, ab executione mandati noſtri, imo verius apoſtolici, nullatenus ceſſantes; ſed omnia ſuperius vobis injuncta ſub poena præcomminata fideliter exequentes, quouſque ſu- A per præmiſſis omnibus ad condignam ſatisfactionem venientes præmiſſarum ſententiarum relaxationem meruerint obtinere, ut vos ſuper hoc per literas noſtras patentes, ut ab executione vobis in hac parte demandata deſiſtere debeatis, fueritis certiorati. Datum apud kinloſſ, in craſtino annunciationis beatæ Mariæ, anno Dom. MCCLXXX. Quare veſtræ univerſitati attentius ſupplicamus, quatenus zelo Dei, et juſtitiæ, et gratia viciſſitudinis prædictum dominium W. in ſingulis eccleſiis veſtrarum diœceſium ſententiis ſuſpenſionis, excommunicationis, et interdicti ſuperius expreſſis ſubjacere denuncietis, ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitandum, donec promiſſa ſuper commiſſis ſatisfa- B ctione condigna, beneficium abſolutionis meruerit obtinere. Datum apud Spyny die dominica poſt feſtum aſſumptionis beatæ Mariæ, anno Dom. MCCLXXX.

SENONENSIS PROVINCIÆ CONCILIUM

Pro deputanda Romam legatione ad eccleſiæ Gallicanæ negocia tractanda

Anno 1280. *habitum.*

An. 1280. Ex Gall. Chr. to. VIII. pag. 372. Append.

Concilii hujus nomen & res in eo decretæ continentur in ſequenti mandato Simonis Carnotenſis epiſcopi quod hic exſcribo. Cum vero Concilii hujus non ſatis accurate tempus mandatum illud definiat, hinc non inani conjectura opinor ſententiam illam latam in Concilio provinciali Senonenſi adverſus Johannem de Ambaſia Anno 1281. *Septembri Menſe, legendam Galliæ Chriſt. tom. VIII. pag.*436. *append. ad hoc pariter concilium pertinere. Vix enim credibile eſt, ut tam brevi temporis ſpatio, quod a medio circiter Septembri anni* 1280. *(hoc enim tempus ſententiæ illi adſcribitur) & initium quadrageſimæ anni* 1281. *quæ mandati adſcriptio eſt, totius provinciæ ſynodus bis haberetur. Igitur hanc ſententiam poſt mandatum referam.*

Simon miſeratione divina Carnotenſis epiſcopus, dilectis ſibi in Chriſto de Burgo medio, Bleſenſi de Nealpha veteri; & de Joſaphat Carnot. abbatibus, ſalutem et ſinceD ram in Domino caritatem. Cum a veſtra non credamus memoria receſſiſſe in nuper præterito provinciali concilio a reverendo patre G. Dei gratia Senonenſi archiepiſcopo, et omnibus ejus ſuffraganeis, ac omnibus capitulorum abbatibus, prioribus conventualibus non exemptis Senonenſis provinciæ in dicto concilio convocatis et exiſtentibus, ordinatum fuiſſe et unanimiter concordatum, quod pro ſtatu & negotiis eccleſiæ Gallicanæ ſpeciales nuncii jam a dicto concilio deputati, ad Romanam curiam mitterentur, nobiſque a dicto concilio datum fuit in mandatis, ut ſecundum ſummam nobis ab eodem conc. nominatam per diœceſim noſtram E veſtrum cuilibet certam pecuniæ ſummam duceremus imponendam, ſecundum quod vobis ſuppetunt facultates nobis vel mandato noſtro Carnoti ſolvendam infra certum terminum a nobis præfigendum. Nos vero diligenti inquiſitione & conſideratione ſuper præmiſſis præhabitis, communicatoque bonorum & peritorum conſilio, cuilibet veſtrum impoſuimus ſex libras Pariſienſes ſolvendas Carnoti nobis vel officiali noſtro, quem ad hoc ſpecialiter deputamus, ſi nos abeſſe contigerit, infra diem dominicam qua cantatur *Læ-* C *tare Jeruſalem*, pro negotio memorato. Vobis authoritate dicti concilii & noſtra mandamus, quatinus de dicta pecuniæ ſumma ſatisfacere infra dictum terminum nullatenus omittatis; vobis præcaventes, ne iter dictorum nunciorum propter defectum ſolutionis prædictæ valeat retardari, quia ſtatim cum poterunt audiri rumores certi de creatione ſummi pontificis, neceſſe habebunt iidem nuncii arripere iter ſuum. Si quos autem caſus, gravamina, vel capitula habeatis, per quæ veſtræ eccleſiæ opprimantur, ſuper quibus per ſedem apoſtolicam conſilium habere debeatis, ea infra dictum terminum, ſi placet, cum dicta pecunia traſmittatis. In ſignum autem præſentis mandati vobis directi ſigilla veſtra præſentibus apponatis. Datum anno Domini 1280. ſabbato poſt Cineres.

Sententia ſynodi Senonenſis adverſus Johannem de Ambaſia.

Gilo miſeratione Divina archiepiſcopus Senonenſis, Renodus Pariſienſis, Guillelmus Autiſſiodorenſis, Johannes Meldenſis, Johannes Trecenſis, & Gilo Nivernenſis ejuſdem gratia epiſcopi, totumque provinciale concilium Senonenſe, ſede Aurelianenſi vacante, venerabili in Chriſto fratri Simoni Dei gratia epiſcopo Carnotenſi, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Gravem religioſorum virorum abbatis & conventus beatæ Mariæ de Pontilevio ordinis beati Benedicti, Carnotenſis diœceſis, nunc & alias recepimus querimoniam, quod Johannes dominus de Ambazia & de Calvo monte Carnotenſis diœceſis, quam plurimas violentias, injurias manife-

ANNO CHRISTI 1280.

nifestas, ac damna gravia intulit, Dei timore postposito, ac etiam irrogavit, & adhuc non cessat dampnabilius irrogare abbati & conventui prædictis, ac rebus monasterii prænotati, propter quas violentias, injurias sacrilegas in personas & res præfati monasterii commissas, a venerabili viro archidiacono Blesensi in ecclesia Carnotensi judice ordinario ejusdem loci fuit in judicium evocatus ad instantiam eorundem religiosorum, & cum mandato dicti archidiaconi & monitioni ejusdem canonice factæ nollet obedire, fuit, sua contumacia exigente, & adhuc est excommunicationis vinculo canonice innodatus, prout in actis coram eodem archidiacono confectis plenius continetur. Verum, cum ipsius domini perversa rabies non cessaret, peccatum peccato, malitiam malitiæ cumulando, super violentiis & injuriis postmodum personis a monasterio prædictis ab eodem irrogatis & illatis, fuit ad judicium evocatus ad instantiam eorundem religiosorum coram venerabilibus viris decano & capitulo Carnotensis ecclesiæ, sede vacante, qui quidem decanus & capitulum excommunicationis sententiam certis ex causis, & sua inobedientia exigente, in eundem dominum promulgaverunt, prout in actis coram eisdem decano & capitulo confectis plenius continetur, quas quidem sententias idem dominus, Deum non habens præ oculis, vilipendens, ad emendam venire recusavit, & adhuc pertinaciter recusat, animo indurato claves sanctæ matris ecclesiæ contempnendo, propter quæ dicti archidiaconus, decanus, & capitulum judices ordinarii dicti loci aggravando sententias prædictas, familiam suam & terram suam Carnotensis diœcesis supposuerunt ecclesiastico interdicto, quas more solito vilipendens, eas sustinuit diutius, & adhuc sustinet animo indurato, & quia crescente contumacia, crescere debeat & pœna, Corpus Christi de terra sua Carnotensis diœcesis fuit amotum de mandato decani & capituli prædictorum, justitia exigente. Porro cum dictus dominus, Deum non habendo præ oculis, sententias hujusmodi jam sustinuerit per quadriennium & amplius animo indurato, & adhuc sustinet, quod quidem non caret scrupulo hæreticæ pravitatis, vobis auctoritate prædicti concilii mandamus, quatinus moneatis canonice dictum dominum, ut infra mensem a tempore vestræ monitionis absolutionis beneficium postulet, & commissa emendet, & de eis satisfaciat, ac obtineat se absolvi redeundo ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, prout forma ecclesiæ hæc requirit. Quod si hæc facere contempserit, ex tunc citetis eum personaliter coram vobis super fide & articulis fidei vobis loco nostris sufficienter responsurum, & contra eum processurum, prout postulaverit ordo juris: vobis enim quantum ad omnia præmissa & singula dictum negotium contingentia committimus vices nostras, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam auctoritate dicti concilii firmiter observari. In quorum testimonium ad requisitionem præfati concilii sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum & actum Senonis in nostro provinciali concilio anno domini millesimo ducentesimo octogesimo, die mercurii post festum sancti Michaelis Archangeli.

STATUTA JOANNIS PERCKAM

Cantuariensis archiepiscopi.

De Eucharistia custodienda.

An. 1280. Ex Wilk. t. II. pag. 40. Ex MS. Colleg. Baliol. Oxon. I. 3.

Dignissimum eucharistiæ sacramentum præcipimus de cætero taliter custodiri, ut videlicet in bursa vel loculo propter comminutionis periculum nullatenus collocetur, sed in pixide pulcherrima intrinsecus lino candidissimo adornata, in qua ipsum corpus Domini repositum in aliquo cooperticulo de serico, purpura vel lino purissimo operiri præcipimus, ita quod sine omni comminutionis periculo possit inde faciliter extrahi & apponi; quod etiam sacramentum in omni quindena, ne putrescat species innovetur. Circumferatur autem cum debita reverentia ad ægrotos, sacerdote saltem induto superpellicio, & gerente orarium cum lumine prævio in lucerna, & tintinnabulo sonoro, ut populus ad reverentiam debitam excitetur, qui ad prosternendum se vel orandum saltem humiliter sacerdotali informetur prudentiæ, ubicunque regem gloriæ sub panis latibulo evenirer deportari. Et de hoc archidiaconi in suorum remissione peccaminum sint soliciti, quos tunc negligentes invenerint, disciplina rigida castigantes.

De chrismate singulis annis conficiendo.

Quum sacri chrismatis consecratio de anno in annum per locorum episcopos fit agenda, juxta sacrorum canonum sanctiones, & ipsum chrisma per eosdem confectum annuatim fidelibus sit tradendum, & vetus, quod superest, de veteri chrismate in sacris ecclesiis concremandum. Presbyteri quoque, qui præsunt ecclesiis, aut per se, aut per decanos, vel subdecanos a locorum episcopis annis singulis ante Paschæ solennitatem, vel quamcitius fieri poterit, sacrum chrisma in singulis ecclesiis petere teneantur; adeo viz. ut si quis de alio chrismate quam de illo novo, quod proprii episcopi largitione vel concessione acceperit, baptizare, seu baptizatum in vertice ungere, nisi præoccupante morte, temptaverit, ipse in se damnationis manifestatam protulerit sententiam. Quidam tamen vel ignorantia crassa induti, quæ dolo creditur esse vicina, vel spiritu contumaci sacris in hac parte canonibus reluctantes, quod a crimine idololatriæ seu peccato ariolandi non multum abhorret, vetus chrisma alicubi per biennium, alicubi per trien-

ANNO CHRISTI 1280.

nium, & alio amplius reservantes eodem in baptismate, & aliis sacrificiis damnabiliter abutuntur, novum ab episcopis locorum de anno in annum non accipientes neque petentes. Quod ne fiat, de cætero præcipimus districte sub poena suspensionis, quam ferimus in contumaciter contrarium facientes. Quod idem immo de sacro catechumenorum & infirmorum oleo sano accipiendum credimus intellectum.

De obsequiis episcoporum faciendis.

Sanctum & salubre novimus esse pro defunctis Dominum deprecari, pro illis præcipue, qui pervigilant, rationem pro aliis reddituri, quibus cæteri lege gratitudinis fortius astringuntur. Quocirca statuimus, ut pro singulis episcopis decedentibus Cantuar. provinciæ residui fratres superstites solenne faciant officium defunctorum, non solum in capellis suis singulis, sed etiam cum post decessum aliquorum vel alicujus recentem in consilio, vel alias pro utilitate ecclesiæ reliquæ congregantur; præcipientes insuper, & in virtute obedientæ firmiter injungendo, ut singuli sacerdotes tam seculares quam regulares missas dicant singulas, cum a dioecesano eis fuerit veritas intimata pro ipsius anima a peccati maculis expianda. Et si quis hujus ordinationis per mensem contemptor extiterit, ipsum extunc a celebratione suspendimus divinorum. Rogamus insuper sacerdotes exemptos, religiosos, & si qui etiam sint sæculares, ut ordinationem ipsam, salvis in aliis exemptionis suæ juribus, gratis suscipiant, vel eam saltem sibi auctoritate propria constituant observandam: satis quod nos grati erimus gratiæ, & dolebimus, si quos invenerimus de ingratis. Quid autem super hoc facere decreverint exempti, nobis in congregatione nostra futura proxima studeant nunciare. Item cum salubriter sit statutum, ut prælati in indulgentiis conferendis xl. dierum numerum non excedant, ne claves ecclesiæ contemnantur, quibus tamen thesaurus institutus committitur dispensandus; caveant alii quicunque, ne per multiplicatas indulgentias a prælatorum gratia sibi quæsitas dedecus faciant prælatis ecclesiæ super ipsos in suis prædicationibus indulgentias offendendo, ne qui claves habeant, subjici eas faciant vilipendio. Item per misericordiam Jesu Christi studeant fratres & sanctimoniales ut pudicitia rigida conservetur, puniendo solicitatores & corruptores earum, ipsas etiam a perendinationibus in parentum suorum seu amicorum domibus compescendo, inhibendo monasteriis secularium fœminarum. Clerici pro suis criminibus detenti a publica potestate, & tandem pro convictis ecclesiæ restituti, non faciliter liberentur, nec perfunctorie pro eis purgatio admittatur, sed cum omni juris solennitate, & tam provida maturitate, ut oculos merito offendere non debeat regiæ majestatis, seu quorumlibet aliorum, quos exagitat studium æquitatis. Item præcipimus, ut in proxima congregatione nostra tempore parliamenti proximi post festum S. Michaelis ad tres hebdomadas per Dei gratiam futura, præter personas episcoporum & procuratores absentium, veniant duo aut unus a clero episcopatuum singulorum, qui auctoritatem habeant una nobiscum tractare de his, quæ ecclesiæ & communi utilitati expediunt Anglicanæ, etiamsi de contributione aliqua vel expensis oportet fieri mentionem &c.

De ornamentis ecclesiæ ad parochianos pertinentibus, & de arboribus crescentibus in cœmeterio.

Ad doctrinam præsentium & memoriam futurorum. Cum plerumque altercationes inter rectores ecclesiarum in provincia nostra constitutos, eorumque parochianos super variis ornamentis & rebus ecclesiasticis, quæ, & quanta, quomodo ad rectorem pertineant infra scripta, quæ autem ad eorum parochianos, & quæ ad eos pertineant, ut sequitur, teneant pro doctrina. Ut autem existant parochiani in singulis certiores, intelligant & observent universi, quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale, v.z. casula alba munda, amictus, stola, manipulus, zona cum duabus tuallis, crux magna processionalis, & alia minor pro mortuis, lanterna cum tintinnabulo, thurribulum, velum quadragesimale, vexilla, campanæ, manuales pro mortuis, feretrum, vas ad aquam benedictam, osculatorium, candelabrum ad cereum paschalem, campanæ in campanili, & cordæ ad easdem, fons sacer cum serulis, & reparatio navis ecclesiæ interius & exterius tam in altaribus, quam imaginibus, fenestris earum, & vitris cum clausura cœmeterii ad ipsos parochianos pertinere. Cætera autem omnia tam in reparatione cancelli, quam in ornamentis ejusdem internis & externis, secundum diversas ordinationes & consuetudines approbatas, debent a rectoribus locorum & vicariis reparari. Cæterum advertentes quod ea sacra sunt & religiosa, quæ sacris vel religiosis adhærent, quodque laicis disponendi de rebus sacris & ecclesiasticis non est quævis attributa potestas, nisi quibus incumbit necessitas obsequendi; auctoritate sanctorum canonum in hac parte suffulti laicis omnibus & ecclesiarum parochianis nostræ provinciæ prohibemus, ne de herbis, vel arboribus crescentibus seu radicatis, in coemeterio dedicato, vel aliis locis sacris, quicquam disponant suo nomine, quovis modo, sed sint, sicut essent de jure, herbæ, & arbores supradictæ in dispositione & ordinatione rectorum ecclesiarum & capellarum hujusmodi, quorum dispositioni ecclesiæ singulæ & earum obventiones omnimode conceduntur. Quibus si abusi fuerint dicti rectores, & arbores in hujusmodi crescentes coemeteriis (quæ quidem arbores coemeteria ipsa & loca juxta ecclesias & capellas, ubi plantatæ fuerint, non modicum condecorant) absque sufficienti & rationabili causa evulserint, deturpaverint, seu radicitus extirpaverint, sciant se pro præsumptione hujusmodi, pro modo & qualitate per nos vel nostros tanquam jurium & libertatum violatores canonice puniendos. Quocirca devotioni vestræ committimus & mandamus, quatenus has literas nostras, & contenta in eis, in capitulis vestris generali-

Anno Christi 1281.

libus, & congregationibus aliis jam venturis, solenniter publicetis, & faciatis per locorum rectores & vicarios presbyterosque parochiales in singulis ecclesiis parochialibus & capitulis nostri archidiaconatus dilucide publicari, injungentes & virtute obedientiæ, quod percepta harum copia in aliquibus ecclesiarum & capellarum libris ad memoriam faciant eam scribi, ut si super A præmissis in posterum controversiam vel contentionem, quod absit, contigerit oriri, eisdem finis imponi valeat feliciter per præmissa; denunciantes eisdem quod in visitationibus nostris faciemus specialiter inquiri, si præsentes publicatæ, & in libris scriptæ fuerint, ut mandatur, quodque non parentes velut inobedientes ultione canonica percellemus.

MARTINUS PAPA IV.

Sedit ab anno 1281. usque ad 1285.

AD CONCILIUM LAMBETHENSE

Episcoporum & Cleri provinciæ Cantuariensis

Anno 1281. habitum

ADDITIONES.

An. 1281. Ex Wilk. to. II. pag. 50.

Concilium hoc (forsan idem quod tribus hebdomadis post Pascha hoc anno indictum fuerat) celebratum fuit apud Lamheth septimo die Octobris, uti constat ex mandato archiepiscopi Cantuar. citato in registro Peckam fol. 175. b.

"Frater J. &c. episcopo London. &c. Quia pro necessitate ecclesiæ manifesta intendimus Dei ope & gratia secundum sacrorum canonum sanctiones instanti mense Octobri apud Lamheth concilium celebrare, fraternitati vestræ committimus, & in virtute obedientiæ firmiter injungendo mandamus, quatenus venerabiles fratres coepiscopos nostros universos, nec non abbates, priores electivos, exemptos & non exemptos, decanos cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, archidiaconos & capitulorum procuratores, citetis peremptorie per vos & per alios, quod septima die dicti mensis coram nobis apud Lamheth personaliter sint præsentes, concilium ibidem secundum sacros canones celebraturi, nobiscum facturi & recepturi quod ipsum sacrum concilium duxerit ordinandum; denunciantes eisdem, quod contra adsentes in forma canonica procedemus. Nec debilitatis excusationem sufficere reputamus illorum, qui per maneria sua juxta dioeceses suas & extra, & ad alia loca per Cant. provinciam se faciunt pro familiaribus negotiis in quibuscunque vehiculis deportari; mandantes insuper singulis episcopis, quod secum deferant in scriptis nomina omnium in forma prædicta de suis dioecesibus ad concilium vocatorum. Denuncietis etiam cæteris omnibus, qui sentiunt se gravatos, quod in casibus illis, quorum correctionem ad concilium noscitur pertinere, audientia per Dei gratiam eis in forma prædicta concedetur. Vos autem prædictis die & loco in forma prædicta comparentes comite sanitate certificetis nos per patentes vestras literas, quid feceritis de præmissis. Valete in Christo & virgine gloriosa. Dat. apud Slyndon III. kal. Augusti anno consecr. nostræ tertio."

Antequam autem concilium hoc congregatum esset, rex duas sequentes archiepiscopo Cantuar. misit prohibitiones, ne aliquid in eo agatur, quod in præjudicium coronæ & dignitatis suæ regiæ cedere possit. Extant ambæ in reg. Peckam fol. 101. b.

"Edvvardus, &c. venerabilibus in Christo patribus J. Dei gr. Cant. archiepiscopo, totius Angliæ primati, & omnibus episcopis, & aliis prælatis in instanti concilio apud Lamheth celebrando conventuris, salutem. Mandamus vobis, quod sicut baronias vestras, quas de nobis tenetis, diligitis, nullo modo concilium de aliquibus, quæ ad coronam nostram pertinent, vel quæ personam nostram, vel statum nostrum, vel statum concilii nostri contingunt, tenere, seu aliquid contra coronam & dignitatem nostram in eodem statuere præsumatis. Sciturí pro certo, quod si feceritis, nos ad baronias vestras graviter capiemus. Teste meipso apud Lindhurst 28. die Septemb. anno regni nostri nono."

"Edvvardus, &c. ven. in Christo patribus J. &c. & omnibus episcopis, & aliis prælatis in instanti concilio apud Lamheth &c. Vinculo juramenti nobis estis, ut nostis, astricti, quo nobis in omnibus ad coronam & regiam dignitatem nostram spectantibus, omnem quam poteritis fidelitatem observare debetis. Quapropter vobis mandamus in fide & fidelitate, quibus nobis tenemini, firmiter injungentes, quod tam ad conservationem quam ad defensionem jurium nostrorum, & regni nostri, omnem quam poteritis diligentiam adhibere curetis. Et vobis omnibus & singulis sub vinculo juramenti memorati, et sub poena amissionis temporalium, quæ de nobis tenetis, firmiter inhibemus, ne in præjudicium nostri vel ejusdem regni in dicto concilio contra nos vel jura nostra, quibus prædecessores nostri reges Angliæ, & nos ex antiqua & approbata consuetudine usi fuimus procurare vel attemptare aliquid præsumatis, vel etiam alicui hujusmodi procurare, attemptare, seu statuere volenti assensum præbeatis. Sed taliter vos habeatis in hac parte, quod vos debeamus potius specialiter commendare, quam de contrariis, quod absit, increpare. T. m. &c. ut supra."

Tho. Walsingham Hist. Angl. in an. 1281. ita de hoc concilio & constitutionibus in eo fa-

ANNO CHRISTI 1281.

factis loquitur. "An. gratiæ M. CC. LXXXI. qui est annus regni regis Edwardi a conquestu primi octavus frater Johannes Peckam Cantuariensis archiepiscopus, ne nihil fecisse videretur, convocat concilium apud Lambheyth; in quo constitutiones Othonis & Octoboni quondam legatorum in Anglia innovans, jussit eas ab omnibus custodiri."

ANNO CHRISTI 1281.

PROVINCIÆ CANTUARIENSIS CONCILIUM

Anno 1281. *habitum*.

Ex Reg. Peckham fol. 59. a.

" Concilii hujus nihil superest aliud præter eas, quas hic subjungo literas forte synodicas adversus monachos ceterosque " exemptos, quos ad concilium venire detrectantes. Joannes Cantuariensis archiepiscopus verbis, & facto ipso castigat. Literas " vero has damus ex Wilkins. Concil. Britan. " tom. 2. pag. 63.

Literæ archiepiscopi Cant. contra exemptos non venientes ad concilium provinciale pro ecclesiis appropriatis.

Frater Joannes, &c. episcopo London. salutem, & sinceram in Domino charitatem. Celebraturi nuper, ut scitis, apud Lamheth provinciale concilium cum coepiscoporum nostrorum venerando collegio, universos nostræ provinciæ prælatos inferiores, quos conciliorum tractatibus interesse jubent sacri canones, vocandos decrevimus, ac inter cæteros religiosæ sanctimoniæ personas præcipuas, abbates scilicet ac priores, non solum episcopali gradui subjectos, juxta ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ, verum etiam alios ab episcopali obedientia exemptos, ratione saltem ecclesiarum non exemptarum, quas in proprios usus, permittente Domino, detinent occupatas; sperantes nos solius Dei honori, ac communibus ecclesiæ Anglicanæ commodis servientes, eorum juvandos potentia, dirigendos consiliis, & sanctitatis suæ meritis promovendos: exempti vero, tanquam pullos onagri liberos se putantes, minime vel modice condolentes suæ sanctæ matris angustiis, cujus viscera multi ex eis plus onerant quam honorant, quasi per effectum vel defectum verius de se dictum illud Johannis propheticum allegarent: arium " quod foras extra templum ejice foras, & " ne metiaris illud: nec parturientium cervarum audire rugitus, nec ad ipsum concilium in anxietate matris auxilium, consilium, & solatium venire dignati sunt, utpote filii alieni a semitis claudicantes; quin potius ne aliquo detumesceret distenta eorum nimis elatio, nec procuratores ad suæ excusationem absentiæ mittere curaverunt, tam reverendum collegium contemnentes, B Agar ex parte similes, quæ illustrem despexit dominam, videns se divisionis filium concepisse. Sic agonizante olim Dei militia, & se laudabiliter periculis exponente, divisi a præliantibus Reubenitæ intra terminos proprios quieverunt, gregum sibilis delectati. Nos autem tam ingratæ præsumptionis audaciam secundum sacri juris regulas corrigere cupientes; scientes quæ juxta salvatoris sententiam, contra nos esse qui nobiscum esse despiciunt, severitati tamen plurimum detrahentes quam possemus in contemptores hujusmodi, si vellemus, canonice exercere; vobis in virtute obedientiæ, qua sedi Cantuar. tenemini, firmiter injungendo mandamus, C quatenus omnes ecclesias non exemptas in London. dioeces. quarum nomina sub sigillo nostro præsentibus sunt appensa, exemptis monasteriis appropriatas, cujuscumque ordinis existant, auctoritate nostra sine moræ dispendio sequestrantes, eas faciatis sub arcto sequestro nihilominus custodiri, donec super hoc aliud receperitis in mandatis. Non exemptos quidem, quorum nomina in schedula annexa præsentibus continentur, quos nos propter eorum contumaciam ab ingressu ecclesiæ suspendimus, justitia exigente, sic suspensos faciatis publice nunciari; nomina vero ecclesiarum ipsarum, quarum fructus taliter sequestratis, & qualiter hoc mandaD tum nostrum fuerit executi, nobis proximo die juridico post festum sancti Thomæ apostoli significare curetis per vestras literas patentes, harum seriem continentes. Dat. apud Mortelak. XIV. Kal. Novembris, anno consecrationis tertio.

AQUILEJENSE CONCILIUM

A Raimundo Patriarcha Aquilejensi

Anno 1282. habitum.

An. 1282. *Synodi hujus provincialis acta, quæ anno 1282. nulla extant apud Labbeum, sufficit P. de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis cap. LXXIX. Persimilia sunt, & in multis eadem cum canonibus concilii anni 1339. Sed & in multis discrepant; quare hic danda censeo adscriptis in margine locis, quæ in statutis illis posterioribus repræsentantur.*

CONSTITUTIONES PROVINCIALES AQUILEJENSES.

Hoc totum deest in conc. an. 1339. Raymundus Dei gratia Sanctæ Sedis Aquilegensis Patriar. ad præsentium certitudinem, memoriam futurorum. Super speculam a Domino constituti ex injunctæ nobis servitutis ministerio super grege solicitudini nostræ commisso, ne veri pastoris nomine abutamur, mentem, & spiritum solicitudine dirigere cogimur accurata; ut impetus, quos in eum facit hostis antiquus, aut præveniendo eminus propulsemus; aut si in eum per partem aliquam fraudulenta calliditate irrupit, cooperante divina gratia, collectis in unum viribus excludamus. Considerantes igitur, quod humani generis inimico, qui insidiari non desinit, procurante, sic jugiter C crescit diei malitia, sic mala tempora invalescunt, quod divina tepet devotio, moribus & actis deformatis dissolute vivitur, & sacris reverentia non habetur: quinimo peccatis exigentibus, impunita temeritas adeo excandescit, & per agrum licentiæ vagatur effrenis, quod ..... proh dolor, libertas ecclesiastica miserabiliter ancillatur, nonnulli iniquitatis filii, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, exultantes in rebus pessimis, & cum male fecerint gloriantes, non solum ad ecclesiarum bona cæca cupiditate manus improbas moliuntur extendere, verum etiam interdum in Christos Domini, & tangi prohibitos, desævire sacri- D lege non verentur: ad opportunæ provisionis tam reformantia, quam obviantia remedia juxta possibilitatis nostræ modulum decrevimus recurrendum. Ea propter ad restaurandas ruinas graves, & varias, quibus ecclesiæ Aquilegensis Dioecesis & Provinciæ subjacere noscuntur, & restaurandas scissuras quibus tam ipsarum, quam ecclesiasticarum personarum status multifariam cernitur fluctuare, diligenti studio, ne de negligentiæ vitio damnari possimus, & summo patrifamilias, qui pro grege suo etiam mori dignatus est, cum ad exactionem processerit, de credita nobis dispensatione gratam valeamus reddere rationem, quantum fragilita- E ti nostræ bonitas divina permittit, pro viribus laborantes, ad honorem Dei, Cleri honestatem, animarum salutem, ecclesiarum commodum, & ecclesiasticæ libertatis tutelam, præsenti sacra synodo approbante, infrascriptas constitutiones edimus perpetuo valituras: universis suffraganeis nostris in virtute obedientiæ præcipientes, quod ipsas & diligenter observent, & per suos subditos mandent, & suo posse faciant observari. Subditis autem tam nostris, quam ipsorum suffraganeorum sub excommunicationis poena, quam ex nunc in transgressores hujus nostri mandati promulgamus his scriptis, mandantes ut eas studeant inviolabiliter observare.

De celebratione Festi Beatorum Hermachoræ & Fortunati & eorum commemoratione facienda.

Devotione congrua, & debitis honoribus gloriosos Christi Martyres Hermachoram, & Fortunatum, S. Aquilegensis ecclesiæ Patres pariter & patronos, a grege nobis credito venerari, ut eorum apud Dominum adjuvetur patrociniis, cupientes; ipsorum festum per Aquilegensem Civitatem, dioecesim, & provinciam solemniter a Clero & populo anniversarie celebrari, ac per ecclesias ejusdem civitatis, Dioecesis, & provinciæ universas, singulis diebus ferialibus in Matutinis & Vesperis eorum commemorationem fieri cum Antiphona, & collecta, & eorum in eisdem Ecclesiis præcipimus haberi legendam. Est primus canon anni 1339.

De divinis Officiis celebrandis devote.

Quoniam reverentiæ, ac devotionis sinceritas obsequia etiam modica reddit grata, divina officia ut grata sint Domino & accepta reverenter, & devote juxta SS. Patrum statuta & consuetudines in Ecclesiis rationabiliter hactenus observatas, statuimus celebrari. Conc. anni 1339.

De vita, & honestate Clericorum.

In canonicarum sanctionum observationibus Clerum nostræ Civitatis, Dioecesis, & provinciæ dilatato corde currere delectati volumus & mandamus. Sanctorum Patrum Canones necnon constitutiones tam per ipsos, quam per Reverendum Patrem, & D. Fratrem Conc. idem.

trem (a) Latinum Ostiensem, & Veletrensem episcopum, tunc Apostolicæ Sedis Legatum super vita & honestate Clericorum editas, in Aquilegensi Civitate, Diœcesi & Provincia in omnibus observari.

Contra Sacrilegos in personas Ecclesiasticas excedentes.

Horribilium scelerum nefanda præsumptio, sic fallente Diabolo, contra Clerum noscitur escrevisse, quod clericalis ordinis dignitas non tam in minoribus, verum etiam in majoribus prout etiam experientia docente præsertim didicimus, contemptui, & morti exponitur. Conteruntur velut vasa testea filii Sion incliti; & sicut oves ad occisionem deputantur a Belial filio Ecclesiæ filii, & Prælati, in quibus Dei Filius se honorari asserit & contemni, & pupillam oculi tangi prohibens in eisdem. Ne igitur magis & magis per impunitatis licentiam crudelium insolescat cervicositas, impiorum & superbia invalescat, statuimus, & sancimus, quod si contingat D. Patriarcham Aquilegensem, qui pro tempore fuerit, capi, (b) quod absit: omnes ejus suffraganei, quamcito id ad notitiam ipsorum pervenerit, Aquilegensi Capitulo nunciare teneantur apud Aquilegiam, si absque proprio periculo potuerint, vel apud locum alium, quem idem Capitulum duxerit statuendum, tractaturi cum effectu de libertate illius, præfixo eis termino personaliter convenire. Donec autem detentus fuerit, in tota Aquilegensi Civitate, Diœcesi, & Provincia Divina sint officia interdicta. Sacrilegi quoque qui præsumpserint in eum taliter manus extendere, ac eorum complices, & fautores, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, aut status existant, singulis diebus Dominicis, & festivis pulsatis campanis, & candelis accensis per universas tam Cathedrales, quam Collegiatas, & Parrochiales Ecclesias Civitatis, Diœcesis & Provinciæ memoratæ, postquam per Aquilegens. Capit. ipsorum nomina suffraganeis scripta fuerint, nominatim excommunicati publice denuncientur; & tam ipsi, quam eorum filii, & hæredes, usque in quartam generationem omnibus feudis, quæ tunc tam ab Aquilegensi ecclesia quam ab aliis ecclesiis sub suffraganeis suis subjectis habuerint, & universis dignitatibus, beneficiis, honoribus, & officiis, quocumque nomine censeantur, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, quæ tunc in Civitate, Diœcesi, & Provincia obtinuerint supradicta sine spe

A restitutionis perpetuo sint ipso facto privati, & inhabiles ad omnia obtinenda. Si vero forte præterea de facto dignitates, beneficia, honores vel officia quamvis Ecclesiastica, vel secularia, per collationem, electionem, vel assumptionem fuerint assequuti, collatio, electio, seu assumptio hujusmodi ipso facto non valeat; & nihilominus collatores, electores, & assumptores ipsi sint ipso facto excommunicationis sententia, quam in eos ex nunc ferimus, innodati.

Si autem (quod Deus avertat) D. Patriarcham Aquilegensem, qui pro tempore fuerit, contingat interfici vel captum claudere diem extremum in carcere, iidem sacrilegi, & eorum complices & fautores cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, aut B status, & ab ipsis descendens posteritas universa, in detestationem tam horrendi sceleris, dignitatibus, beneficiis, honoribus, & officiis omnibus, tam ecclesiasticis, quam secularibus, necnon feudis, allodiis, & bonis aliis universis mobilibus, & immobilibus sint privati perpetuo, ac inhabiles ad alia obtinenda; & ipsorum bona omnia ad usum & utilitatem Aquilegensis Ecclesiæ confiscentur. Ejusque successor cum consilio, & auxilio suffraganeorum & capituli Aquilegensis tam apud Sedem Apostolicam, quam apud Imperatoriam majestatem, hujusmodi injuriam persequi teneantur. Ingrediente vero aliquo eo- C rumdem civitatem aliquam vel locum dictæ Diœcesis, vel Provinciæ, statim usque triduum post ejus recessum ibidem divina officia sint suspensa. Qui autem eum sciens esse sacrilegum sibi aliqua necessaria dederit, vel vendiderit, sive quovis modo præstiterit, aut ipsum hospitio susceperit, excommunicationis sententiæ, quam in eum proferimus, subjaceat ipso facto. Et insuper loci Diœcesanus, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, illum, seu illos capere toto posse laboret, ipsius D. Patriarchæ assignandos.

Cæterum, si contingat, D. Patriarcham Aquilegensem per aliquem laicum invadi de D guerra; omnes ejus suffraganei hominibus suarum civitatum & Diœcesum, ne vadant vel mittant in subsidium hujusmodi invasoris, inhibere districte teneantur: contraire, vel mittere præsumentes, tam spiritualiter, quam temporaliter, quanto durius poterant, processuri. Ei autem, qui ire vel mittere in subsidium D. Patriarchæ voluerit, nullum impedimentum præstetur.

Si forte (quod absit) aliquem Episcopum Aqui-

NOTÆ C. V. PATRIS DE RUBEIS.

(a) Frater Latinus cognomine Malabranca, quem & de Frangipanis & Ursinium appellatum legimus, Filius erat Sororis Joannis Ursini Tit. S. Nicolai in Carcere Diaconi Cardinalis, qui postea summus Pontifex fuit Nicolaus III. appellatus, & patris ex gente Malabranca æqualis nobilitatis conjugum. Ordinis Prædicatorum alumnus ab eodem Nicolao III. ad purpuram evectus fuit, renunciatusque Ostiensis, ac veliternus Antistes. Legatum Sedis Apostolicæ egit Bononiæ & in tota Æmilia, Florentiæ & in Tuscia, ut Guelforum compesceret, & Gibellinorum factiones. Plura disserunt Quetifus & Echardus in Bibliotheca scriptorum ordinis prædicatorum. Constitutiones, quas Latinus de Vita & honestate Clericorum ediderat, servari mandat in Aquilejensi provincia Raimundus Patriarcha.

(b) Recens adhuc vigebat memoria Gregorii de Montelongo, quem Albertus Comes Goritianus ceperat, & in carcerem truserat. Rem narravimus cap. LXXV. allegatis Clementis Papæ IV. Epistolis ac Juliani & Danduli Chronicis.

ANNO CHRISTI 1282.

Aquilegensis provinciæ capi contigerit; tam D. Patriarcha Aquilegensis, quam omnes alii ejusdem Provinciæ Coepiscopi, quamcito id ad eorum auditum pervenerit, sacrilegos ipsos & complices & fautores eorum, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, aut status extiterint, statim inquirere; & post quam ipsi D. Patriarchæ per capitulum ejusdem Episcopi eorum homina scripta fuerint, nominatim excommunicatos teneantur per universas Ecclesias suarum Civitatum & Dioecesum tam Cathedrales, quam Collegiatas, & Parrochiales pulsatis campanis, & candelis accensis singulis diebus Dominicis & festivis, denunciare ac facere denunciari. Quamcito per ipsum D. Patriarcham vel per Aquilejense Capitulum, absente D. Patriarcha vel Aquilegensi Sede vacante, fuerint apud Aquilegiam vel alium locum vocati præfixo eis termino, ad tractandum efficaciter de deliberatione ipsius capti Episcopi, conveniant. Civitas quoque, & Dioecesis ejusdem Episcopi, nec non civitas & Dioecesis, in qua captus, vel detentus, aut ad quam ductus fuerit, Ecclesiastico subjaceat interdicto, donec libertati fuerit restitutus, & de damnis, & injuria satisfactionem receperit competentem. Ita tamen, quod ipso episcopo relaxato, sint suæ Civitatis, & Dioecesis relaxata divina, nisi forte in ipsa civitate, vel aliquo loco, seu Parrochia illius Dioecesis captus vel detentus, aut illuc deductus exstiterit. In quo casu Civitati, loco, seu Parochiæ captionis, ductionis & detentionis hujusmodi, nisi ipsius satisfactione competenti præstita, Divina nullatenus relaxentur. Præfati vero sacrilegi, & eorum complices, ac fautores cujuscumque fuerint præeminentiæ, dignitatis, aut status, ac eorum filii, & hæredes usque in quartam generationem omnibus feudis, quæ tunc ab ipso Episcopo, & ejus ecclesia, & ab aliis Ecclesiis eidem subjectis habuerint, & universis dignitatibus, beneficiis, honoribus, & officiis, quocumque nomine censeantur, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, quæ tunc in Civitate, Dioecesi obtinuerint memorata, sint privati perpetuo, & inhabiles ad alia obtinenda. Si autem postmodum de facto dignitates, beneficia, honores, vel officia Ecclesiastica, sive sæcularia fuerint eis collata, vel ipsi electi fuerint, seu assumpti, collatio, electio, seu assumptio talis non valeat ipso facto; & nihilominus ipsi collatores, electores & assumptores ipso facto excommunicationis vinculo sint innodati.

Si quem autem Episcoporum dictæ Provinciæ interfici, vel captum in carcere contigerit expirare; sacrilegi hujusmodi & tota posteritas ab eis descendens dignitatibus, beneficiis, honoribus & officiis omnibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, allodiis, & bonis aliis universis mobilibus, & immobilibus, quæ tunc in Civitate, & Dioecesi habuerint ejusdem Episcopi, & feudis quæ tunc obtinuerint ab ipso Episcopo, & ejus Ecclesia, & aliis ecclesiis sibi subjectis perpetuo privati sint, & inhabiles ad alia obtinenda, eorumque bona ad usum, & utilitatem Ecclesiæ ipsius Episcopis confiscentur. Cujus etiam Successor cum consilio, & auxilio D. Patriarchæ, Suffraganeorum ejus, & Aquilegensis Capituli, & apud Sedem Apostolicam & apud Majestatem Imperatoriam persequi hujusmodi injuriam teneatur. Si quando vero dictorum Sacrilegorum aliquis civitatem aliquam, vel locum Dioecesis, vel provinciæ Aquilegensis intraverit, statim sint ibi suspensa Divina, donec ibi fuerit, & triduo post ejus reversum. Is quoque, qui eum sciens esse sacrilegum, necessaria quævis ei vendiderit vel donaverit, sive quocumque modo præstiterit, vel eum hospitio susceperit, sit ipso facto excommunicationis vinculo innodatus. Loci etiam Dioecesanus illum, seu illos capere assignandos successori dicti episcopi pro viribus elaboret, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Ad hæc, si aliquis Suffraganeorum Aquilegensis Ecclesiæ per aliquem laicum fuerit de guerra invasus, tam D. Patriarcha Aquilegensis, quam omnes alii suffraganei suarum Civitatum, & Diœcesum hominibus ne in subsidium dicti invasoris aliquatenus præsumant ire, vel mittere districte inhibeant: & contra præsumentes hujusmodi, quanto durius poterunt tam spiritualiter, quam temporaliter procedentes nullum præpeditionis obstaculum volentibus in subsidium ejusdem Suffraganei se conferre, vel mittere aliquatenus interponant.

Cæterum, si D. Patriarcha Aquilegensis, qui pro tempore fuerit, vel aliquis Suffraganeorum ejus in Civitate sua vel castro, burgo, seu quocumque alio loco suæ jurisdictionis obsessus fuerit, ita quod egredi, & regredi non valeat pro suæ libito voluntatis, ipsi obsidentes, si personæ singulares fuerint cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, vel status extiterint & eorum complices, & fautores excommunicationis vinculo sint ipso jure ligati. Si autem Communitas alicujus Civitatis vel Terræ culpabilis fuerit in hoc facto, præstando consilium, auxilium, vel favorem quacumque machinatione, arte vel dolo; Civitas ipsa, vel terra Ecclesiastico subjaceat interdicto. Si vero vassalli fuerint, feudis, quæ ab ipso Domino suo obsesso, seu ab ejus Ecclesia obtinent, sint ipso facto privati. Ad hæc si quem Episcopum Provinciæ memoratæ pro defensione suæ Ecclesiæ, ac libertatis ejusdem, vel pro exequutione, seu observatione Constitutionum hujusmodi, eiici de Civitate sua forte contigerit, ipso facto Civitas Ecclesiastico subjaceat interdicto: & tam Potestas, seu Rectores, quam Officiales, Consules, Consiliarii, & universi, qui ad hoc consilium præstiterint, auxilium, vel favorem, excommunicationis vinculo sint astricti per universas Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Parrochiales Aquilegensis Civitatis, Dioecesis & Provinciæ, postquam per ipsum suis literis D. Patriarchæ Aquilegensi, & suis Suffraganeis ejectio hujusmodi fuerit intimata, usque ad satisfactionem condignam excommunicati, pulsatis campanis, & candelis accensis, quolibet die dominico, & festivo publice nunciandi.

Si autem de Episcopatu suo ejectus fuerit occasionum aliqua prædictarum dictus D. Patriarcha cum aliis suffraganeis suis & Clero Aquilegensis Civitatis, Dioecesis, & Provinciæ sibi cum quatuor equis & quinque personis

ANNO CHRISTI 1282.

nis ipsius personam inclusam teneatur in omnibus necessariis providere.

Circa inferiores quoque Prælatos ut puta Abbates, Priores, Præpositos, Archidiaconos, Decanos, Archipresbyteros, Plebanos, & quoslibet in personatu, vel dignitate constitutos; necnon Ecclesiarum Cathedralium Canonicos Aquilegiensis Civitatis Dioecesis, & Provinciæ si aliquem capi, vel interfici aut captum in carcere mori contigerit; prædicta omnia sicut circa Episcopos statuimus, & præcipimus observari.

At si Clericus alius aut persona Ecclesiastica prædictæ Civitatis, Dioecesis, vel Provinciæ captus, vel interfectus fuerit vel captus, in carcere forsitam expiraverit; sacrilegus, seu sacrilegi, & eorum complices per omnes Ecclesias Civitatis, & Dioecesis, in qua sacrilegium perpetratum extiterit, singulis diebus dominicis, festivis pulsatis campanis & candelis accensis excommunicati publice denuncientur: Civitas quoque (c) seu locus & tota Parochia, ubi tale sacrilegium sive capiendo, sive detinendo, aut ducendo, vel interficiendo, fuerit perpetratum, interdicto Ecclesiastico sit subjecta.

Si vero Decanus, vel aliquis Canonicus Aquilegiensis Ecclesiæ, vel Prælatus, aut Clericus inferior præfatæ Aquilegensis Civitatis, Diocesis, seu Provinciæ pro defensione jurium Ecclesiæ suæ vel pro harum Constitutionum observatione, sive excusatione fuerit de Ecclesia sua ejectus Diocesanus ipsius cum suo Clero sibi secundum ejus statutum providere teneatur.

Ne quis Episcopus alicui de aliena Civitate, vel Dioecesi absque sui Diocesani literis conferat primam tonsuram.

Considerantes quod aliqui non ut divinis insistant obsequiis, sed ut privilegio clericali muniti declinent in perpetratis seu perpetrandis malitiis judicium seculare, clericari procurant; statuimus ut nullus Episcoporum nostræ Provinciæ alicui de aliena Civitate, vel Dioecesi absque literis sui Dioecesani, qui agnitionem habere debet sui pecoris pleniorem, primam tonsuram conferre præsumat. Qui autem præsumpserit, per annum ab executione collationis hujusmodi sit suspensus.

De Statutariis contra Ecclesiasticam libertatem.

Plerique indevotionis filii sic Matris Ecclesiæ utero, pro qua etiam se defensionis murum deberent exponere, alienos se reddere non reverentur; quod Dei timore postposito, & materna reverentia retrojecta statuta execrabilia, quæ ad justificationis colorem Reformationes, seu Consuetudines nuncupatione rei dissona, nominant, cum deformationes, seu corruptelæ, ut nomen rei consonet, verius dici possint, conflare præsumunt in conculcationem Ecclesiasticæ libertatis. Constitutione namque perpetuo valitura sancimus, quod nulla statuta, vel Reformationes, seu Consuetudines, aut quævis edicta, quecumque censeantur nomine, in Aquilegensi Civitate, Diocesi, vel Provincia contra Ecclesiasticam libertatem edantur. Si quæ vero per Communitates, Potestates, Rectores, Ancianos, Officiales, Consiliares, seu personas alias, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, aut status, fuerint edita, infra duos menses ex nunc computandos de suis Capitularibus totaliter aboleantur per ipsos ullo nunquam tempore iteranda. Hos enim Potestates, Rectores, Judices, Ancianos, Officiales, Consiliarios, Scriptores & quoslibet alios, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, seu status, qui eis uti in advocando, judicando, vel alias exequendo de facto præsumpserint, & qui Constitutionis hujusmodi extiterint contemptores, ex nunc pro ex tunc præsenti scripto declarantes auctoritate Canonum excommunicationis sententiæ subjacere; ac mandantes ab omnibus usque ad satisfactionem condignam evitari, Civitates contemptorum hujusmodi cum suburbiis, ac castra, & loca generali supponimus interdicto.

De occupatoribus bonorum, & jurium ecclesiasticorum.

Quia vero nonnullos sic seducit coeca cupiditas, quod voluntatis libito, abstinentiæ ruptis habenis, ad illicita relaxato, circa invasionem & occupationem bonorum & jurium Ecclesiasticorum tanto impudentius delectantur, quanto qui ea eripiunt rariores inveniunt...... Nos hujusmodi pravorum improbis conatibus resistere cupientes ne neglecta incendia vires sumant; universos tam Duces, quam Marchiones, Comites, Barones, Potestates, Capitaneos, Vavasores, Communitates, & universitates Civitatum Castrorum, Villarum, & quorumcumque locorum, ac Cives, & quasvis alias personas, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, honoris, gradus, conditionis, status, & sexus, qui loca, castra, villas, jura, jurisdictiones, feuda, decimas, census, mutas, argentifodinas, privilegia, instrumenta publica, seu quaslibet alias scripturas authenticas, prata, nemora, molendina, pascua, piscarias, possessiones, montes, valles, insulas, paludes, aquas, salinas, domos, & alia loca quæcumque, Ecclesiis, Capitulis, & personis Ecclesiasticis Aquilegensis Civitatis, Diocesis vel Provinciæ spectantia occupaverint, vel quovis modo detinent occupata; vel Ecclesias ipsas, Capitula, seu Ecclesiasticas personas impediunt quominus eis libere pro suæ voluntatis libito uti possint, aut in eis angarias, vel parangarias exercere præsumunt; aut qui prædictæ civitatis, Dioecesis, vel Provinciæ Ecclesias aut Capitula seu Ecclesiasticas personas impediunt, ne in Terris, seu possessionibus suis possint uti aquis, aquarumve ductibus, salinas facere, vel molendina construere, ac illis

(c) Hanc indicat constitutionem Julianus in Chronico Forojul. (*a P. de Rubeis ibid. vulgato*) ad annum M. CC. LXXXIV. ubi eædem narrat Rubei Soneschalchi in Civitate Austria; quam propterea Ecclesiastico interdicto suppositam voluit Raimundus.

ANNO CHRISTI 1282.

lis uti pro suæ libito voluntatis præsenti constitutione diligentius admonemus eis mandantes; ut infra duos menses a præsentis constitutionis publicatione peremptorie res ipsas & earum possessiones prædictis Ecclesiis Capitulis, seu ipsarum Rectoribus, aut prælatis restituant cum effectu: de perceptis etiam, & quæ percipi potuerunt, ac de damnis, & injuriis illatis satisfaciant competenter, ac ab exactione angariarum & parangariarum & impedimentis ac occupationibus hujusmodi deinceps penitus conquiescant. Alioquin de voluntate & assensu Suffraganeorum nostrorum & tam nostra, quam totius præsentis auctoritate Concilii, ex nunc pro ex tunc in universos, & singulos, qui hujusmodi Constitutionis tenorem per se vel per alium, quacumque machinatione, ingenio, arte, vel dolo violare præsumpserint; si Duces fuerint, vel Marchiones, Comites, vel Barones, Capitanei, Potestates, Vavasores, Cives, aut quævis aliæ personæ, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, honoris, gradus, conditionis, status, vel sexus, excommunicationis sententiam promulgamus: Civitates, Terras, & loca eorumdem Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Potestatum, Capitaneorum, & Vavasorum, seu aliorum Nobilium interdicto Ecclesiastico supponentes. Si vero fuerint communitates, sive universitates Civitatum, Castrorum, villarum & & quorumcumque aliorum locorum, Potestates, Gastaldiones, Maricos, Rectores, Ancianos, Conciliarios, & Officiales ipsorum voluntate, assensu, & auctoritate prædictis excommunicationis ex nunc vinculo innodamus: & Civitates, Castra, villas, & loca ecclesiastico supponimus interdicto. Non obstante, quod detentores, seu occupatores huiusmodi, illicitæ venditionis, locationis, concessionis, impignorationis, seu infeudationis sibi factarum per Prælatos, seu quaslibet alias personas juxta sanctiones Canonicas vel Civiles prætendant titulum, seu allegent: Diocesanis auctoritatem & licentiam concedentes, quod excommunicatos excommunicationibus supradictis possint absolvere vice nostra, & ibidem hujusmodi relaxare, cum ab ipsis delinquentibus satisfactum fuerit competenter.

Contra defraudatores decimarum & Quartisiorum Ecclesiis debitorum.

In tantum erroris demum quidam prolapsi noscuntur, quod saluti animarum temporale commodum præferentes, decimas quas in signum universalis dominii sibi reservavit Dominus in Ministris, eis subtrahere seu de ipsis avaritiam defraudare præsumunt eosdem; non considerato prudenter, quod Anania, & Saphyra, pro eo quod agri pretium, quem vendiderant, defraudaverint, ab Apostolorum Principe terribili fuerint morte mulctati. Ea propter statuimus quod omnes Sacerdotes Aquilegensis Civitatis, Diocesis, vel

A Provinciæ sub excommunicationis poena, qua, si secus fecerint, noverint se ligatos ab omnibus, suorum confessiones audierint, specialiter inquirere teneantur; si ex suis possessionibus, & earum obventionibus, & rebus aliis, ex quibus decimæ, vel Quartisia solvi debent, decimas & Quartisia illis Ecclesiis, sive Prelatis, Rectoribus vel Capitulis earumdem, ad quas spectare noscuntur, integre duxerint persolvenda. Eis, quos decimas seu Quartisia ipsa non plene solvisse repererint absolutionis beneficium nullatenus impensuri, donec sibi non constiterit illos de subtractis, seu retentis satisfacturos, vel satisfactionem plenariam impendisse, & de solvendo in posterum promisisse. Ad cujus B Constitutionis observantiam Fratres Prædicatores, Minores, Heremitanos, & Religiosos alios, cujuscumque sint ordinis teneri volumus & mandamus.

Ne excommunicatorum corpora tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ.

Ne prout plerumque consuevit accidere in animarum periculum, temporalis rei dispendium, ac transgressionis pejus incentivum speratam satisfactionem et debitam absolutio adimat..... statuimus quod excommunicatorum a canone, vel ab homine corpora, si ante mortem excommunicati denun- C ciati fuerint, etiamsi fuerint absoluti sepulturæ Ecclesiasticæ non tradantur; nisi prius de his, pro quibus excommunicati fuerant, damnum seu injuriam passo, si præsens fuerit, vel ipso absente in manus Diocesani, seu ejus Vicarii, aut Plebani, sive vices ejus gerentis, satisfactione, vel satisdatione præstita competenti. Si quis autem Sacerdotum, quacumque dignitate, professione, vel Religione præfulgens, hujusmodi Constitutionis transgressor extiterit, ab officio, & beneficio sit suspensus, & nihilominus corpora hujusmodi exhumentur.

Ut Suffraganei Aquilegensis Ecclesiæ ipsam singulis annis visitent, ut tenentur. D

Fidei & dilectionis zelus, quo S. Aquilegensi Ecclesiæ Sponsæ nostræ astringimur, nos prout nos decet, circa ipsius honoris decorem negligentes esse non sinit. Nolentes igitur, Sponsam ipsam congruis honoribus defraudari præcipimus quod omnes nostri Suffraganei prædictam Ecclesiam annis singulis, prout ex debito juramenti (d) tenentur visitare procurent. Si vero, a quibus nondum nobis est præstitum debitum juramentum, infra mensem ex nunc præstare nobis ullatenus non omittant.

E *Ut quilibet suffraganeus Aquilegensis Ecclesiæ præsentes Constitutiones habeat.*

Ut autem prædictarum constitutionum plenior

F

ANNO CHRISTI 1282.

(d) De lege seu consuetudine, qua Episcopi Suffraganei singulis annis Metropolitam, ac Metropolitanam invisere Ecclesiam tenebantur, Thomasinus agit in Nova, & vetere Ecclesiæ disciplina. Loca citavimus superiori capite num. 2. prælato visitationis documento, quam anno 1296. per dejectum procuratorem egit Joannes Episcopus Patavinus.

nior habeatur notitia, ſtatuimus quod quilibet Suffraganeorum noſtrorum ipſas uſque ad proximam Dominicam reminiſcere, & habeat, & in Eccleſia ſua publicet, vel faciat publicari; ſemel deinde anno quolibet in ſua Synodo publicandas.

Actum Aquilegiæ in Majori Eccleſia anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, Indictione decima, die vero quartodecimo exeunte Decembre, & die ſabbati ſequenti in generali noſtra Synodo Conſtitutiones ipſas laudante & etiam approbante, Dilectis Filiis Leonardo de Farrignaco Vicedecano, & Capitulo Aquilegenſi, ac Venerabilibus Fratribus noſtris Henrico Tridentino, Bernardo Vicentino, Adalgero Feltrenſi (*e*) & Bellunenſi, Ulcino Tergeſtino, Bono (*f*) Juſtinopolitano, Bonifacio Parentino, Marcio Cenetenſi, Egidio Emonenſi, Wernardo (*g*) Petenſi Epiſcopis, nec non Procuratoribus Venerabilium Fratrum noſtrorum infraſcriptorum, ſcilicet Presbytero Antonio Canonico Garden. Bartholomæi Veronenſis. Petro Presbytero S. Laurentii de Padua Johannis Paduani, Eppone Abbate Monaſterii S. Michaelis de Monte de Pola, Petro Canonico Polen. Johannis (*h*) Polenſis. Presbytero Avancio Præſavii Tarviſini & Bernardo Decano Civitatenſi Folcheri Concordienſis Epiſcoporum Procuratoribus nobis aſſiſtentibus in eadem: præſentibus quoque Dilectis filiis Conrado Roſacenſis, Pagano Belinienſis, & Federico Oziacenſis Monaſteriorum Abbatibus Fratribus Proſperino Cuſtode Fratrum Minorum in Forojulii Jacobo Lectore Fratrum Prædicatorum Conventus Civitatenſis; ac aliorum fidelium, tam Clericorum Religioſorum, & Secularium, quam laicorum Aquilegenſis Civitatis, Dioceſis & Provinciæ multitudine copioſa.

DE

(*e*) Utramque Eccleſiam, Feltrenſem, & Bellunenſem adminiſtrabat Adalgetus; quem Algerum, quem Algerium, & Adigerium nuncupatum legimus apud Ughellum.

(*f*) Synodo Raimundi anno 1281. interfuiſſe Bonum Juſtinopolitanum, legimus in Veneta Italiæ Sacræ editione. In eumdem Chronologiæ lapſum impegit Jo: Franciſcus Palladius in Hiſtoria Forojulienſi Parte I: lib. VI. Idemque utroque in loco occurrit error in Egidio Emonenſi.

(*g*) Wernardus, ſeu Bernardus Petenenſis deſiderantur in hujuſce Eccleſiæ Tabulis apud Ughellum.

(*h*) Non legitur Johannes Polenſis apud Ughellum. An idem dici debeat ipſe cum Anonymo Polæ Antiſtite, ad quem extant Innocentii IV. literæ anno 1251. conſcriptæ apud eumdem Ughellium, divinare non licet.

DE CONCILIIS GRÆCORUM

Michaele Palæologo Andronico Seniore imperante

HISTORICA SYNOPSIS.

GRæcorum epiſcoporum ſæpe adeo inſtitutæ ſunt Michaele Palæologo & Andronico ſeniore imperantibus coitiones, ut longus fuerim, ſi acta ſingularum, prout a Pachymero narrantur, deſcribenda ſuſciperem. Id mihi olim conſilium fuerat; nec ejus immutandi cogitatio occurrit, niſi poſtquam unius vel alterius fuſiorem deſcriptionem abſolvi. Suſcepto jam labore, ſimulque iterum B perpendens, rem agere a præfixo mihi ſcopo paulo aberrantem intellexi (neque enim propoſitum fuit niſi catholicorum concilia tradere); hæſi primum: dein conſilium cepi ſchiſmatica hæc concilia non omittendi quidem, at ſynoptice & in unam omnia ſeriem conjuncta tradere; ex quo fieret ut lectores meos a moleſtia relevarem, ſimulque in re præſenti erudirem, nec ea in parte quidquam illis deſiderandum in opere hoc meo relinquerem.

Igitur eorum, quæ ſub Michaele & Andronico ſeniore coiverunt, conciliorum indicendorum cauſæ potiſſimæ occurrerunt duæ. Sive enim patriarchæ incumbentium C capitibus ſuis malorum pondere oppreſſi, dignitate ſeu ſpontanei, ſeu coacti cedebant; ſtatimque de ceſſione illa admittenda reiiciendaque concilium deliberabat. Sive animum principis religio aliqua ſollicitabat; reique diſcutiendæ concilium indicebatur. Rurſus vero convocandorum ad ea concilia Patrum haud una fuit ratio. Interdum pro re nata celerrimum conſilium quærebatur: tunc e patribus CPoli forte præſentibus raptim concilium cogebatur; ſive graviorem maturioremque conſultationem tempus permittebat, reique dignitas poſtulabat; atque tunc demum proximi remotioreſque epiſcopi præviis literis ad certam diem invitabantur. D Hæc noſſe eruditos lectores meos in limine Diſſertationis hujuſce volui, ne forte tantam conciliorum frequentiam admirati, imponi ſibi exiſtiment.

Horum omnium conciliorum caput conſtituo conventum illum ſacrorum hominum cum adjunctis Reipublicæ optimatibus, in quo de tutore ſeligendo Joanni Laſcari Theodori Laſcaris filio, puero novenni, agendum fuerat. Coitionem hanc ex utriuſque hierarchiæ viris principibus, conſtantem *ſacram ſynodum* appellat Pachymerus hiſtor. lib. I. cap. XXIX. Summa rerum tunc decretarum fuit tutela principis & magni Ducis dignitas Michaeli Comneno collata. Cur E in eo conventu deſcribendo immorer diutius, nihil eſt; neque enim eccleſiaſtici quidquam negocii tunc expediendum proponebatur; neque in ea re tractanda, cujus cauſa acciti ſunt Patres, memorabile quidquam accidit, præter callidam illam Michaelis artem in aucupando omnium principum ac præſertim epiſcoporum & patriarchæ favore, quo velificante haud diu poſt vectus eſt ad imperium. Actum id anno 1259. Poſſinus in Chronologia notat.

In gradu ſummæ poteſtati vicino conſtituto Palæologo haud difficile fuit ad ſumma imperii ſcandere. Favebat illi ſenatus, fervebant in eum populi & cleri ſtudia; quare Deſpota prius renunciatus, id dein egit ut collega pueri imperatoris ſalutaretur. Propoſitum eſt id in communi ex clero & Reipublicæ principibus conventu. Poſt haud moroſam diſceptationem e Republica fore cenſuerunt, ſi imbelli puero ſocius adderetur princeps moribus ſanctiſſimis inſtructus, in omnes artes belli paciſque expeditiſſimus. Unum ſupererat impedimentum ſubmovendum, juramentum ſcilicet quo Palæologus fidem ſuam avo pueri Joanni imperatori ejuſque ſtirpi ſpoponderat; id vero demum ſacro præſulum coetui diſcutiendum commiſſum eſt. Viſum patribus, nihil id obſiſtere quominus Palæologus imperii particeps fieret; cum hoc poſceret Reipublicæ bonum, imperii ſervandi neceſſitas exigeret. Conferre id pariter ad ſarctum tectum ſervandum juniori principi imperium; cujus principatum eo majori ſtudio eſſet defenſurus, quod non alienum, ut antea, ſed ut proprium tuebatur. Addebant, precariam hanc Palæologi poteſtatem in poſteros ſuos nequaquam tranſmittendam, de hæreditario jure familiæ nihil demere ſeu officere. Utraque hæc ſynodus Nicææ convenit.

Tertia celebris epiſcoporum convocatio tunc indicta cum Arſenius patriarcha, non prodita cauſa, ex ædibus epiſcopalibus ſeceſſit in monaſterium Agalmatim. Rei tunc novæ gravitatem in ſynodo diſcuti oportere cenſuit Michael novus imperator. Conquiſiti ergo undique epiſcopi, variantibus primo ſententiis, tandem convenerunt, ut Nicætas Heracleæ epiſcopus ſynodi ablegatus ad Arſenium ſe conferret, regreſſionem communi nomine ſuaſurus, vel, ſin minus, abitionis ſuæ cauſas exponeret; quas ſi probabiles judicaſſet, concilium ut tollerentur curaturum; ſin minus exorari ſe permitteret ad reverſionem. Patriarcha, quem mordebat conſcientia imperii Michaeli Comneno delati legitimi hæredis incommodo, cauſam, quam forte unicam hanc habebat, ſe proditurum negavit; cæterum petenti demum conſilii nomine Nicætæ ſe daturum conſenſit dimiſſionis ſuæ libellum. Is vero dum ſcriberetur dictante eodem patriarcha, Nicætas ſuggeſſit ſcribi oportere ſe dignitatem illam dimittere, quod minus ea ſe dignum noſceret; indignatus tunc ille inceptum perficere recuſavit, remque infectam dimiſit. His ſynodo renunciatis, cum de patriarcha revocando deſperarent patres, moneretque Nicephorus Epheſinus Arſenii illius ordinationem minime canonicam extitiſſe, quod Theodorus tunc imperator expediri omnia ita

ANNO CHRISTI 1282.

ita celeriter jusserit, ut gradus omnes sacerdotii minus idoneis temporis interstitiis, (vix unius dieculæ inter eos interjecto spatio) percurrerit; his aliisque rationibus persuasi ad novam patriarchæ electionem, velut sede jam vacante, processerunt, & vota in Nicephorum tandem convenerunt. Hæc synodus tertia Nicæna anno 1260. habita ex Pachymero lib. II. cap. XVI. qui & addit dejectioni huic Arsenii, & Nicephori assumptioni Andronicum Sardensem, & Manuelem Thessalonicensem episcopos palam restitisse, nec in communionem novi electi unquam venire consensisse.

Nicephoro patriarcha in locum amoti Arsenii brevi e rebus humanis exempto, de patriarcha sufficiendo arduum negocium tractari cœptum est. Difficultatem rei expediendæ præbebat Arsenius, quem injuria amotum alii quidem contendebant, quare jure reparandum, quod inique erat actum, censebant; alii ut priora illa jure sentiebant gesta, ita nihil inique agi rebantur, sicut Nicephoro olim, ita & nunc aliquo quopiam substituendo. In hæc studia scissi patres nihil certi definiebant. Fluctuabat etiam incertus imperator, qui cum secum meditaretur, ut puero, legitimo imperii collega, dejecto, solus imperaret; id ut majori firmitate obtineret, auctoritate patriarchæ muniri optabat: an vero id sperare ab Arsenio posset, ambigebat. Demum expensis in utramque partem rationibus, ad Arsenii jura accessit; atque ita factio illa prævaluit. Judicatum ergo pro Arsenio; senex revocatur; acceptat; CPim (quam urbem imperator haud diu antea reduxerat e Latinorum manibus) venit, resumptaque rerum sacrarum tractatione imperatorem, id poscentem, in Urbe principe iterum coronat. Hæc de synodo CPtana anni 1261. Pachymerus in Michaele Comnen. lib. 3. cap. I. & II.

Quemadmodum Arsenio juri suo restituendo synodi authoritas valuit; ita & reducendo iterum ad privatam fortunam suffragia patrum in synodo collectorum valuerunt. Michael Comnenus, qui principatus ambitioni jura omnia postposuerat, cum Joanne imperii hærede legitimo primo dignitatem æquavit; dein nec æqualem patiens, summam sibi authoritatem usurpavit solus, sociumque fastidiens, in gradum inferiorem dejectum, ne unquam timeret pristini juris exactorem, luminibus orbavit. Ægerrime id boni omnes tulerunt ac præsertim Arsenius, qui muneris sui id esse ratus, ut usurpatorem debiti sui admoneret, orbatumque innocentem principem ordini suo convenientibus armis defenderet, anathema in Michaelem pronunciavit. Tactus eo fulmine imperator alte indoluit, & remedio quocumque, leni, aspero frustra tentato, tandem desperans restitutionem suam, quandiu Arsenius rebus præesset, ad eum iterum amovendum animum adjecit; quare criminibus quibusdam, de quibus illum sycophanta quidam tunc accusaverat, opportune usus, synodo, quam frequentissimam ea de causa collegerat, vel ipsis invitatis Nicolao patriarcha Alexandrino & Euthymio Antiocheno, reum illum accusavit: Coeundi locus statutus est triclinium Alexii in ipso imperatoris palatio; quo coacti patres, primo quidem accusatorem admiserunt, eoque præbente lectus est libellus, hæc ferens ex Pachymero lib. IV. cap. III.

„ Primum: Ex principio matutinæ hymnodiæ psalmum pro imperatore recisum a patriarcha jubente solo Trisagio, & super ea commemoratione, prooemium absolvi. Secundum: nimium se propensum & familiarem Sultani præbuisse, adeo ut ei & comitibus permiserit sæpius lavari in lavacro ecclesiæ, ubi sunt signa venerandæ Crucis marmoribus insculpta, cum isti essent Agareni & Christi mysteriorum expertes. Tertium: quod filius ejus communicari per suum monachum sacras Eucharistiæ reliquias jussisset, cum non constaret, an sacro baptismo initiati fuissent. Prætereaque ipse Sultan cum suis Satrapis, per matutinum splendidæ magnæque Dominicæ, patriarchæ litanias celebranti adfuisset, & simul litanias recitasset. Hæc & id genus alia libello inerant.

Tunc judicio ut sistat se patriarcha vocatur, missis ad illum episcopis tribus et clericis totidem. Sed accitus recusavit, quod judices et locum habere se suspectos diceret. Eadem invitatio semel iterum et tertio est habita, ac tertio pariter repulsa. Recusanti patriarchæ judicium, cui imperator adesset, reposuerunt patres, in cognitione rerum ecclesiasticarum potissimam olim partem habuisse principem; eum proinde excludi tunc minime debere, cum de re gravissima ageretur.

Postremo vocatur ad synodum patriarcha judiciali appellatione novissima; obfirmatumque in recusando, reum canonis Apostolici de recusatione judicii censuerunt: accesserunt ad cumulum pristinæ accusationes in libello imperatori porrecto expressæ; addebatur tandem contumacia non sistendi se judicio. Hæc simul omnia satis habita sunt ad ferendam in reum depositionis sententiam; cui tamen ex episcopis nonnulli obstiterunt, rati inauditum præsulem, nec nisi de ambiguis criminibus accusatum injuria damnari. Inter eos, qui judicium illud improbarunt, eminebat Nicolaus Alexandrinus patriarcha ejusque socii, alii quidam episcoporum, & monachorum ac laicorum plures; quibus una sedit sententia, ut communionem omnem cum cæteris episcopis & reliquis iis adhærentibus præciderent. Hinc natum schisma, quod Græcorum ecclesiam fœde annis pluribus dilaceravit. Acta hæc anno 1266. Possinus in adnotationibus chronologicis ad Pachymerum evincit.

Alterius synodi incœptæ non absolutæ sermo est apud Pachymerem in Michaele lib. IV. cap. XV. Conspiraverant scelesti quidam in caput imperatoris; verum indicio facto comprehensi, quæstione interrogati sunt ut socios proderent. Illi cæteros siluerunt, patriarcham jam depositum Arsenium, quasi facinoris conscium & consortem prodiderunt. Succensens imperator reum illum ad synodum dixit; postulavitque simul ad eum transmitti e sacro ordine delegatos, qui synodi nomine eum interrogarent. Interim optare se dixit, ut reus ille anathemate obstrictus tene-

ANNO CHRISTI 1282.

neretur quoadusque vel convictus supplicio puniretur; vel accusationem æqua defensione frustraret. Nihil denegatum principi est. Missi qui censuram a synodo latam misero Monacho significarent; simulque quid pro se excusando afferret acciperent. Ille attonitus primum, dein calumniam detestari, tum hominum & Dei fidem pro sua innocentia deprecari, statimque proripuit se e conspectu interrogantium, omnia Dei judicio permittens. Is erat hominis habitus, ut synodales nuncii satis intelligerent calumniam innocenti irrogatam; quare regressi exposuerunt omnia imperatori, qui placatus quæstionem de Arsenio omnem dimisit. Acta hæc anno 1267. ex Possini chronologia.

Venio nunc tandem ad synodos in causa conciliandæ Latinos inter & Græcos pacis habitas, quarum multas in unam confusas exhibet Venetus Labbei editor, qui si plus aliquid in Pachymero legendo indulsisset, rem profecto multo accuratius tractasset atque explicuisset. Gregorius X. vix in summum sacerdotem renunciatus negocium componendæ pacis inter Græcos & Latinos sub Urbano IV. cœptum, atque a Clemente IV. continuatum absolvendum suscepit. Ejus rei gratia missæ ultro citroque legationes; tum & in utraque ecclesia virorum doctorum coitiones factæ sunt plures. Eo tamen discrimine, ut Romanus quidem pontifex cum S. R. E. cardinalibus virisque doctis, quos Romæ præsto habebat plures, rem agitarit; eidem vero discutiendæ Græci frequentia episcoporum concilia habuerint. Pachymerus lib. V. cap. XII. concilii cujusdam meminit cui adfuere Rom. pont. legati, nempe fratres nonnulli Ordinis Minorum, inter quos idem scriptor Joannem quemdam distinguit, *Parastron* denominatum, quod Græcum ariginem dicunt; Hunc virum institisse vehementer ait apud Græcos, ut conjunctionem hanc amplecterentur; monuisse persæpe *Patriarcham & Synodum* ut pro viribus quique ad tantum boni obtinendum adniterentur. Hæc prima mentio synodi ad negocium illud tractandum coactæ apud Pachymerum in Michaele lib. V. cap. XI. Ad hanc porro synodum pertinere credo orationem illam Græcorum præsulum, quam Pachymerus ibidem recitat, eo tendentem, ut persuaderet, Græcos quidem paratum gerere ad ecclesiarum conciliationem animum, nec pro se obstituros quominus id boni contingeret. Cæterum cum ex accretione symbolo facta tanquam re aliqua interiecta, ecclesiarum divortium provenerit, interpositionem hanc, qui posuerunt, Latinos tollere necesse esse judicabant. Se ea sublata paratos ad coitionem spondebant.

Adeo aversos a veritate Græcos suos intelligens Michael imperator novam episcoporum synodum coram se coegit (Pachymerus lib. V. cap. XII.) ipse ad Patres verba fecit; demonstrare obnitens, adductis ex historia exemplis, Latinos nulla hæresis nota inurendos esse, quod Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedentem sentiant. Quare ut ad communionem admitterentur, obstare nihil; id modo obtineretur ab illis ut e symbolo additamentum tollerent. Multa in hanc sententiam perorans, tandem quievit, expectans quid patres afferrent sive dictis suis consonum sive oppositum. Quieverunt omnes; & patriarchæ quidem expectatio tota in Charthophylacem (is erat celebris Joannes Veccus, qui dein catholicæ sententiæ strenuus assertor fuit apud Græcos); sed cum ille obstinato silentio insisteret; anathemate intentato ni diceret, vocem tandem emisit in eam sententiam, Latinos quidem esse & non dici hæreticos. Ea vox patres in schismate obfirmavit, & imperatorem exacerbavit, adeo ut audacem hominem actutum in carcerem detruserit.

Hoc fulmine tacto Vecco tempestas alia ingruit ex instituta in ipsum Joannis Chumni accusatione de male gesta legatione ad Cralem Serbiæ. Auditus denunciator in synodo, eoque statim missi ab imperatore viri senatorii ordinis, qui toti causæ adsisterent. Vetitum id est ab episcopis, qui per sacros canones nefas esse censuerunt clericum patriarchæ judicari ipso non permittente patriarcha. Igitur instantibus pro judicio instituendo senatoribus, recusantibus episcopis, re infecta discessum est. Gesta hæc in annum 1273. Possinus in Chronologia Pachymeriana confert.

His impedimentis unionis negocium procedebat parum; quare eidem promovendo imperator volumen confecit multis obnitens, Latinos nulla hæreseos nota aspergi. Scriptum hoc misit ad patriarcham, idemque coacta e selectissimis viris synodo palam legendum curavit. Redditas ea in re singulorum patrum sententias jussus est Jasites Job colligere, & in unam continuati sermonis seriem digerere. Id opus brevi absolutum synodo iterum repræsentatur, & singulatim exquisitis sententiis approbatione omnium & subscriptionibus munitur: hanc se tenere fidem atque ab ea nunquam se recessuros Patribus in commune affirmantibus. Tum scripti ita approbati transmissio fit ad imperatorem. Nova hæc synodus eodem, quo prior, anno 1274. convenit, habeturque apud Pachymerum lib. V. cap. XIV.

Inter has ultro citroque tractationes major anni pars extracta, donec tandem Græci ad ecclesiæ catholicæ consortium admissi sunt a pontifice, admissionisque suæ literas legati Græcorum CPim retulerunt. Is legatorum reditus obstrictam patriarchæ fidem tenebat, qui eo tempore quo negocium tractari cœperat, negavit se conjunctionem illam admissurum, fidemque suam obligavit, cathedram se dimissurum, statim ac unio illa perficeretur. Coacta de ea causa synodus. Judicatum constare ex facto ipso de patriarchæ libera & spontanea abdicatione; nam abdicationem illam juratus spoponderat, siquidem ecclesiarum conjunctio perficeretur; quare ea impleta, sponsionem efficiebat liberam & absolutam, ac propter jurisjurandi religionem necessario implendam. Ita ergo volens nolensque Josephus exauthoratur, jussu synodi, ac pro legitima sedis vacatione pronunciatum est. Convenit synodus hæc anno 1274. ut Possinus supputat.

Ita viduata schismatico patriarcha ecclesia, Joanni Vecco viro imprimis catholico & docto regenda committitur; cujus electio pro con-

ANNO CHRISTI 1282.

consueto more in synodo episcoporum & cleri CPtani decreta est anno 1275.

Haud ita multo post imperator nuptias filiæ suæ Annæ cum Michaele despota occidentis (quas rebus maxime conducturas rebatur) statuerat. Connubio huic obstabat lex a Sisinnio patriarcha lata de conjugio inter propinquos minime jungendo. Porro Nicephorus juvenis pater & Michael imperator, sponsæ parens, fratres erant germani. Insuper Nicephori uxor Anna alteri Annæ, de cujus nuptiis, agebatur consobrina erat. Huic igitur multiplici vinculo implicatæ necessitudini solvendæ synodus convenit. Visum est patribus bonum pacis, quæ ex eo conjugio sperabatur, causam offerre justam ad relaxationem vinculi; si quid fuisset indecentiæ tollente sive excusante commodo publicæ quietis ex eo foedere proventuro. Ita judicatum a synodo, nec aliter præstitum. Synodo annum statuo eundem qui supra 1275.

Pachym. lib. VI. cap. VI.

Crescebat hæc inter pro junctione utriusque ecclesiæ in Græcia tumultus; cui augendo plurimum dedit incitamenti legatorum papæ adventus CPim. Veccus patriarcha unus & forte unicus erat, qui Latinorum partes strenue defendebat. Ea aliisque de causis imperatoris invidiam incurrit, (imperator enim ita Latinis palam favebat, ut Græcis tamen clam adhæreret) apud quem non uno de crimine, ficto licet, delatus, demittere se dignitate statuit. Secessit igitur in monasterium dum interim causa ejus in concilio tractaretur, sed cum accusationum illarum calumnia tandem patuisset, vel sycophantiarum illarum inanitatem Patres intelligerent, quin & politica alia suadente ratione judicio omni suppresso, manum iterum clavo sacræ gubernationis admovit. Tunc habitum est concilium pro exhibendo fidei Græcæ ecclesiæ testimonio, coram legatis a pontifice missis Constantinopolim. Scriptas literas ita ea de re per dolum compositas fuisse scribit Pachymerus lib. VI. cap. XVII. ut Græcorum quidem sententiam servarent, sed tantis verborum involucris tectam, ut Latini secum convenire Græcos arbitrarentur. Nec minus fraudis adhibitum est in subscriptionibus; nam prolixus ille nominum catalogus iis literis adjectus, vel inania erant nomina a Calligrapho conficta, vel homines erant vulgares, nullo dignitatis splendore illustres, quamvis ibi se specioso episcoporum titulo velabant.

Hoc inivit consilium imperator, ut neutri parti, Latinis scilicet Græcisve, displiceret. Quin & Latinorum gratiam sibi magis magisque conciliaturus, cum intellexisset ex Græcis quosdam vel ipsa Græcorum sacra post factam utriusque ecclesiæ conjunctionem execrari, concilium frequentissimum collegit, in quo rei hujus indignitate latius exposita, rogavit, ut anathema diceretur in eos, qui sacra violare contumeliose tentassent, nihil singulatim exprimendo. Hac usus est arte, ut Latinis fucata zeli specie placeret, nec displiceret Græcis, qui sanctionem hanc frequentes admiserunt, rati opinioni suæ nihil ex illa offici, cum nihil extra jus se facturos judicarent, si eorum sacra recusarent qui es-

Pachym. lib. V. c. XVIII.

A sent orthodoxæ fidei injuriosi. Concilii hujus annus est 1276.

ANNO CHRISTI 1282.

Hic finis extitit conciliorum sub Michaele Palæologo coactorum, eorum saltem quorum nulla mentio in Collectionibus huc usque vulgatis facta est. Veniunt nunc suo ordine concilia sub Andronico seniore Michaelis patris anno 1282. defuncti successore coacta. Quo in censu omittenda consulto duxi concilia illa, sive quæ pro Vecco exauthorando, sive quæ illo jam deposito pro catholico dogmate disputante convenerunt. Utrorumque enim conciliorum istorum acta & historiam partim ex Labbeana, partim ex nostra hac collectione repetas. His ergo omissis, unum præ cæteris describendum mihi venit B concilium, cujus summa eo tetendit, ut Gregorius Cyprius, post obitum Josephi patriarchatu potitus, dignitate se illa demitteret, ejusque commentarius in testimonium quoddam S. Joannis Damasceni scriptus damnaretur.

Petitam e S. Joanne Damasceno sententiam hanc: *Productorem* (Patrem) *per Verbum enunciatorii Spiritus*; in Græcos vehementer urserat Veccus, in plena Græcorum synodo orthodoxam causam defendens. Quod vero recta impeti hæresim suam hac S. Doctoris sententia intelligerent Græci, illius retundendæ accommoda opinioni suæ interpretatione negocium patriarchæ Gregorio commiserunt. Ille vero munere hoc suo func C ctus est edito de hoc argumento tomo, quem actutum ex episcopis plures, instante imperatore, subscriptione sua roborarunt. Verum ex quo dissidia tollenda censebantur, id magis seditionem concitavit. Continuo enim rationem exponendi mentem Damasceni obscuram & implicitam criminati sunt quidam. Ulterius procedebant alii accusantes Gregorium, vocem illam προβολεὺς *productor* in qua sententiæ Damasceni tota vis inerat, minus orthodoxe & sensu a mente SS. Patrum plane alieno ab illo exponi: ac si scilicet non quidem pro principio activo emanationis S. Spiritus vocem illam accepisset cum SS. Patribus, sed potius D pro principio *explendescentiæ* quam a *processione* distinguebat. Id vero demonstrabant ex commentario tunc edito a Marco Monacho ejus discipulo, qui hanc ipsam Damasceni sententiam, ista plane interpretatione seu exposuerat seu corruperat. Hoc vero discipuli scriptum non sine censura & approbatione Magistri prodierat, ut Marcus ipse afferebat, & res erat exploratissima. Eo igitur nomine ingens in Gregorium invidia creata est; nec diu res processit, quin synodus frequens colligeretur, in qua & de abdicatione patriarchæ, & de ejus orthodoxia lis instituta fuisset, nisi intercessisset imperator, persuasus ex eo judicio nihil com- E modi in publicam quietem proventurum. Eo persuadente res ita convenit, pactionibus tamen occultis. Spondebat patriarcha se sponte cessurum; vicissim & synodus, fide data, sese obstrinxit, laturam se pro orthodoxia patriarchæ sententiam. Ita data utrinque & recepta fides. Quibus præmissis patres orthodoxum se noscere patriarcham pronunciant. Actutum patriarcha libellum spontaneæ cessionis suæ porrigit, ita tamen arti-

Anno Christi 1282.

tificioſe doloſeque contextum, ut de ſinceritate cedentis ſuſpicionem juſtam præbuerit. Nec concilium pro ſe quidquam attulit ſincerius; nam vix e medio ſubducto patriarcha, tomi ab eo ſcripti diſcuſſio inſtituitur. Variantes tamen ſuper ejus damnatione Patrum ſententiæ, tandem convenerunt in tollenda ab ea lucubratione loci Damaſceni interpretatione; atque ita a litibus ceſſatum eſt. Hæc de ſynodo anni 1289.

In hunc modum amoto Gregorio Cyprio, alius quærendus erat Conſtantinopolitanus patriarcha. Ea de cauſa itum eſt in concilium; tumultuatum ibi plurimum ab Arſenianis, ab iis nimirum qui Arſenii olim patriarchæ exauthorationem oppugnabant, eaque de cauſa ſeceſſionem a reliqua eccleſia fecerant. Statuendum a Patribus contendebant, Joſephi, qui in Arſenii locum aſſumptus olim fuerat, patriarchalem ordinationem nullam & irritam haberi; tum & dogma eccleſiæ Latinæ damnari de *proceſſione* Spiritus Sancti per *Filium*; denique de ſacerdotum ordinatione exacto judicio diſcuti oportere ajebant, tum & eccleſiæ adminiſtrationem ſibi committi poſtulabant, ſpondentes ſe totam ad leges canonicas reformaturos. Nihil horum impetrarunt; quin & cum indignatione illis rejectis, Patrum tota cura in quærendo novo patriarcha converſa eſt. Is tandem inventus in Athanaſio, cujus indoles ultra modum ſevera, quanquam multos terrebat, rigidos tamen eccleſiaſticæ diſciplinæ exactores, in ejus favorem pertraxit. Hæc concilii anno eodem 1289. octobri menſe habiti, de quo Pachymer. in Andron. lib. II. cap. XII. ſumma eſt.

Ea dignitas hominem rigidum & ſeverum brevi deſtituit; cujus abdicationis cauſas varias lege apud Pachymerum, neque enim patriarcharum res geſtas, ſed concilia deſcribenda hic aſſumo. Nihil quidem in ea ceſſione acceptanda concilii interceſſit, cum imperator ipſe per ſe illam admiſerit, mandaritque eccleſiæ, ut de ſucceſſore provideret. Verum dum iſta geruntur, accidit ut Andronicus imperator filiam Muzalonis magni Logothetæ fratri ſuo deſponderit, nec poſt multum puella vitiata, injuria conſanguinei cujuſdam, indicio tumentis uteri deprehenſa fuerit. Quæſtio tunc orta, numquid irrita extunc deſponſatio cenſenda eſſet; an procedi ad nuptias per ſacras leges liceret. Sententiæ Patrum variarunt; nihilque certi ſtatutum eſt; quare imperator juris indagine abjecta cum fratre quidem filiam pincernæ Libadarii conjunxit; puellæ vero nuptias Conſtantini filii ſui deſtinavit, ſuo tempore celebrandas, poſtquam ſcilicet longioris oblivio vitii infamiam obliteraſſet; quod & executioni ſumma fide mandavit. (Pachym. lib. II. c. XXVI.) Concilio huic annum ſtatue ex Poſſini chronologia 1292.

Alteri ſub Andronico concilio argumentum præbuit delicatula imperatoris religio. Mos erat reliquis ante illum imperatoribus cum ad Saracenos principes literæ ſcriberentur, illos fratris nomine ſalutare. Scribendum igitur cum eſſet imperatori ad Sultanum Babyloniæ, num pro more agere ſibi liceret ex epiſcopis forte præſentibus exqui-

Anno Christi 1282.

A ſivit. Plerique licitum negarunt; cæterorum opinione receſſit Theoleptus Philadelphienſis epiſcopus, ageret fide ſua imperatori ſuadens; neque enim nefas cenſeri hominem Saracenum fratrem appellari, cum vel ipſos malos dæmones filios matris ſuæ ſcriptura in Cantico appellet: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me;* quod de malis ſpiritibus dictum eſſe ille ex Nyſſeni interpretatione aſſerebat. Excepta eſt cum indignatione epiſcopi oratio, ac motum ea de re diſſidium in cauſa fuit apud imperatorem ut ſynodum convocaret. Ibi dicti invidia in Philadelphienſem concitata eſt ab epiſcopo Dyrrachienſi; ſed leniente ſententiæ Philadelphienſis aſperitatem imperato-
B re, tandem nihil grave in illum ſtatuerunt Patres; imo nihil illum in religionem offendiſſe cenſuerunt. (Pachym. lib. III. c. XXIV.) Atque ita demum Synodus altera anni 1292. ſolvitur.

Proxime ab hac ſynodo quinquennio celebre aliud concilium Græcos epiſcopos exercuit. Illud nimirum quod convenit occaſione inventarum chartarum ab Arſenio olim patriarcha in foramine quodam reconditarum, anathematibus in authores depoſitionis ſuæ (Arſenii ſcilicet) refertiſſimas. Puer quidam caſu repererat. Totam hanc hiſtoriam ex ipſo Pachymero ad concilium CPtanum anni 1297. retuli.

Alteram etiam ſynodum ab hoc biennii di-
C vortio ſejunctam peculiari ſub titulo dedi; ea vero diſquiſitum eſt, num valerent nuptiæ quas pupillus, tutore eodemque imperatore invito, conciliaverat.

Regebat per hos dies eccleſiam CPtanam Joannes Coſmas patriarcha, qui cum multa haberet in quibus imperatorem argueret, nec ulla ſe daret opportunitas principem ipſum commode alloquendi, (id enim de induſtria imperator evitabat) ſeceſſionem in monaſterium fecit ad vitam privatam. Grave id imperatori & plenum invidiæ; quare ad monaſterium illud ſe contulit, ubi ſolemne colloquium, præſentibus epiſcopis, cæteriſque imperii principibus, inſtitutum eſt.
D Primus querelas ſuas expoſuit patriarcha; quarum hæc ſumma: foedus & nuptiæ cum Crali Serbiæ conciliatæ; illi enim viro jam conjugato filiam ſuam Simonidem octennem deſponderat; ejuſque viciſſim uxorem jam repudiatam, filiam Terteris, ſibi in conjugem adſciverat; tum exprobravit vectigalium exaggerationem nimiam; tandem contemni ſe ſi quid forte juſtum precaretur, dolebat. Poſtquam his ſatis peroratis ſiluit, tunc imperator a capite exorſus, apologiam pro ſe inſtituit, obtendens urgentem illam imperii neceſſitatem, qua cogente in foedus conſenſiſſet, nunquam alias a ſe impetrandum niſi graviſſima mala extorſiſſent; cæterum
E filiam ſuam deſpondiſſe ſe viro non quidem cum legitima uxore ſed cum pellice conjuncto probabilibus argumentis demonſtrabat; nec ſe conjugem alterius, ſed pellicem tantummodo juſto matrimonio ducturum ſtatuiſſe. Reliquas accuſationes minori opera diluit, cauſans ærarii anguſtias, & ſuam in favorem eccleſiæ propenſionem, cui ne ſemper obſecundaretur, rerum circumſtantias obſtitiſſe affirmavit. Ea imperatoris oratio ar-
riſit

risit pluribus; nec patriarchæ displicuit, qui tandem exoratus ministerii sui munera resumpsit. Ita solutum in præsens concilium, quod tamen haud diu post alterum excepit in causa Joannis celebrandum. Episcopus ille acerrimorum Gregorii Cyprii olim patriarchæ accusatorum facile princeps, nec ejus exauthoratione placatus, bellum in tomum ab eo scriptum, de quo supra, instituit. Imperator primo furentem compescere tentavit; mox frustra se niti intelligens, lenitate in iram conversa, & dignitate illum exauthoravit, & in cella reclusit. Acciderunt hæc juxta Possinum anno 1289. Quare solidis undecim annis usque scilicet ad annum 1300. damnationis suæ pœnam toleravit. Tunc vero tandem sera pœnitentia animum imperatoris cœpit; fassusque est crimen suum coram frequenti Patrum concilio ad id coacto. Omnem in se sumebat rei actæ culpam, insontemque ab iis criminibus, quorum obtentu reum damnaverat, pronunciavit episcopum; rogare proinde se patres dixit, ut canonica sententia virum pristinæ famæ & dignitati restituerent. Inclinabant in eam rem ex patribus plerique: summa contentione retinebatur cum aliis nonnullis patriarcha. Hinc dissidium ortum inter Patres, ex quo factum ut judicium prorogaretur, nec de ferenda sententia spes ulla affulgeret. Moræ hujus pertæsus patriarcha, simulque offensus quod tam multos sibi resistentes haberet, novam secessionem in monasterium adornavit. Hæc viro exitio fuerunt; ut mox in historia sequentium conciliorum narrabitur.

Secessionis suæ causam non satis idoneam habuisse se Joannes Cosmas agnoscens, brevi se patriarchatui restituit; sed nec diu post ut iterum secederet causam hanc prætendit. Hilarion Selymbrensis episcopus crimen quoddam turpe, tanquam a patriarcha clam admissum, quod ab homine deploratæ famæ & calumniatore audierat, secreto detulit ad imperatorem, simul indicans quonam authore hæc teneret. Princeps rem, ut erat, calumniam judicans, ut perpetuo silentio premeret Selymbrensi mandavit. Ille nihil mutiturum spopondit; nihilo tamen secius brevi ejus accusationis fama tota urbe insonuit, sparsumque est pariter, quisnam imperatoris auribus hæc insusurraverat. Patriarcha calumniam tulit impatientissime, nec in delatorem se gessit moderatius; quin frequentes ea de re synodos habuit, teste Pachymero lib. IV. cap. XXVIII. contendens apud Patres vehementer ut poena calumniæ in illum decerneretur. Sed patres morosiores ea in punitione nactus, adeo excanduit, ut actutum se nova secessione quieti suæ privatæ consulturum, addito ad fidem adstruendam juramento pro concilio affirmaverit. Nec cunctatus, illico se proripuit in monasterium, ex quo continuo abdicationis suæ syngrapham misit ad imperator. In eo scripto cum singula inique in se gesta percensuisset, adjecit, tantis debilitatum contumeliis onus sacræ administrationis ferre se nequaquam posse, eique resumendo ne ullis deinceps precibus & auctoritate forte adigeretur, jurato se æternum vale dixisse sacerdotio affirmavit.

A Imperator ea accepta abdicatione, quid inde sibi præstandum esset, in commodius tempus differendam consultationem censuit, atque in præsens solutum concilium est, cui annum 1303. Possinus assignat.

Brevi tamen altera episcoporum longe celebrior coitio, imperatore invitante, indicta est CPim. Quid per canones statuendum foret de spontanea illa Patriarchæ cessione, aliqua, saltem in specie, juramenti religione firmata, disquirendum erat. In duas sententias pro consueto more abitum est, aliis abdicationem illam valere, nec integrum deinceps esse patriarchæ repudiatam dignitatem resumere, vetante juramento, contendentibus; aliis injuria ab invito extortam nec valere tuB entibus, nec juramenti, forte nuncupati, vinculum tale fuisse quo obstringeretur; relaxari quin illud posse ac debere, idque petitis e tota antiquitate sacris exemplis factum sæpius demonstrabant. Ita Flavianum recipere sacram ordinationem vel jurato recusantem, initiatum nihilo secius constat. Inter hæc dissidia visum est tandem patriarcham destinata e patribus legatione interrogare, & quid sibi mentis fuisset, cum secessurus, professus est: *per quam servus Dei sum, non sum vobiscum*. Ille sciscitationibus legatorum de scripto reposuit, se quidem ea semper mente fuisse ut nunquam juraret passim; formulam vero illam, de qua quærebatur, habuisC se familiarem, nec unquam se a proposito non jurandi consilio, ea loquendi consuetudine recessisse putabat. Ex eo, quid sentiret de sententia illa sua discerent. Equidem fatebatur in sua ad imperatorem abdicatione scripsisse se juratum abjecisse dignitatem; sed hæc dolore injuriæ acceptæ turbato & imprudenti excidisse. Cæterum ea tunc fuisse mente & nunc pariter esse; si pacandæ ecclesiæ necessarium fore judicaretur, ut ipse iterum clavum resumeret, præsto esse se; sin minus, abdicationem suam acciperent ratam confirmatamque. Id vero tunc demum se intellecturum dixit, si omnes XL. episcopi in abdicationem suam consenserint, uno alteD rove dissentiente velle se destinatam sibi a Deo administrationem resumere. Valuit ea responsio ad augenda dissidia; cum quidam integrum negabant patriarchæ regressum post juratam (id enim pervincebant) cessionem; aliis coactionem mentisque perturbationem in ea secessione causantibus. Erant inter hos tertiæ veluti factionis homines, qui juramenti vim omnem in verbis patriarchæ agnoscebant; sed abdicationem suam jurasse illum asserebant conditioni alligatam; siquidem nullam pœnam pro evulgata temere calumnia Selymbrensis tulisset; hac pœna decreta & juramenti vinculum exolveretur, & patriarchæ nihil obstitisset ad regressum. VeE rum eam in Selymbrensem animadversionem alii ut injustam improbabant; alii stricto jure debitam affirmabant. Dum ita episcopor. dissidia fervèrent; alia quædam inciderunt, unde novis conciliis occasio nata est & argumentum.

Athanasius, olim patriarcha, tunc monachus, nescio quid de terræmotibus in urbis eversionem imminentibus, nisi malum instans precibus & vigiliis sacris averruncaretur, præ-

ANNO CHRISTI 1282.

prædixerat. Vaticinium iſtud ad imperatoris aures ſtatim delatum eſt, qui dum ſacra omnibus urbis monaſteriis per triduum indicit, ſummo mane ſuccedentis diei levem, perendie validiorem terræ concuſſionem ſentit. Is caſus fidem conciliavit oraculo; unde tanta de vate opinio increbuit, ut ſtatim imperator, epiſcopi, & populus de reſtituenda illi ſede cogitarint. Indicto in eam rem concilio propoſitum eſt ab imperatore deliberandum, quo pacto, & quando conveniret reſumi patriarchalem dignitatem ab Athanaſio. Ac prima quidem concilii ſeſſione totus Patrum favor illi velificabat. At dato ſe colligendi ſpatio altera ſeſſio inter multos fautores multos tulit Athanaſio adverſarios. Tota ergo res inter altercationes ſtabat. Cum interim Joannes Coſmas accitum imperatorem ut habuit in conſpectum ſubdolis verborum illecebris ab eo obtinuit ut patriarcha agnoſceretur. Ita vero agnitus, continuo pro jure patriarchali anathema in eos dixit qui reſtituendo in ſedem patriarchalem Arſenio operam darent. Terribili religione concuſſus ſuperſtitioſus timiduſque imperatoris animus ad concilii ſolamen ſe convertit. Invitantur actutum patres, ſcinduntur in diverſa, prout quiſque affectus erat in Joannem bene vel ſecus. Qui abdicationis juratæ religione adſtringi illum rebantur, illi tanquam ab exauctorato latam excommunicationem inanem judicabant; ſecus illi pronunciabant, quod nondum depoſiti acta omnia valerent. In his anguſtiis verſans imperator; unam quæ ſupererat, evaſionem tentavit, ipſum enim per ſe iterum adiens patriarcham rogavit ſupplex, ut eam relaxaret religionem, quam ille obligaverat. Res pro voto ſucceſſit; Joannes enim hoc reſcriptum dedit, ad Concilium.

Ex Pachym. in Andr. lib. V Cap. VI.

„ Domine mi ſancte imperator, & vos divina & ſacra ſynodus, tuque ſenatus, & „ qui adſtat atque audit Domini populus, „ quotquot in clero cenſemini, quique habitu inſignes Monachico eſtis, & multitudo reliqua. Ego ex Orthodoxis genitoribus natus ac ſancte educatus, prius quidem ſacerdotali dignatus honore ſum; poſtea Monachus factus, judiciis quæ novit Deus in thronum evocatus patriarchalem fui; gratia primum ac beneplacito Dei, deinde conſilio, voluntate, ſententia prævio examine perlata veſtrum omnium, qui dignitate præminetis. In ea dignitate, uti me geſſerim pie ac recte, novit ſolus Deus. Gloriari enim mihi non expedit, juxta divinum Apoſtolum. Contigerunt autem interim ſcandala, quot qualiaque, vos ſcitis: ob quæ, ne quod inde nocumentum inferretur Chriſtiani ullius animæ; & quo in pace ac ſtatu tranquillo ſancta Dei eccleſia ſtabiliretur, ceſſi ad tempus throno, & cellula clauſus mea, quievi. Oborta autem mihi in ſeceſſu illo dubitatione, an bona iſta eſſet ac Deo probata quies mea; cum quid ſibi ſuper eo cordi eſſet, „ ut demonſtrare dignaretur, Deum orarem; ſpecies quædam divina ſuperadſtitit mihi, dicens: Si amas me Petre, Paſce oves meas. Rurſus igitur propter hoc redii ad thronum. Quoniam vero iterum movebantur majorem in modum ſcandala, & eccl. propter hoc afficiebatur contumeliis: ſecundo e cathedra patriarchali deſcendi, eumdem, quem prius, intuens ſcopum, pacis meo ſeceſſu ſtatuendæ. Poſtquam autem deinde contigere, quæ vobis ſunt cognita, & excommunicatio pronunciata eſt a me in eum, qui reſtituere attentaret throno patriarchali dominum Athanaſium, quod mihi futura videretur hujus iſtiuſmodi promotio odioſa omnibus & moleſta; vos vero ſuper iſta recens excommunicatione conſulti, non admittitis illam, tamquam, ut dicitis, non ſit canonice perlata. En ego ultro ipſe qualecumque eſt, aut eſſe poteſt, excommunicationis iſtius vinculum ſolvo, revocanſque illam, pro relaxata deinceps, neminemque in poſterum ligante habeo. Neque tamen in domini Athanaſii regreſſum ad thronum de cætero aſſentior. Quomodo enim ipſum in pontificem admittam, hominem accuſatum & deformatum ignominia nondum abſterſa; denique pejoris ad hoc, quam ego ſim ipſe, conditionis; adeo quidem, ut parum abſit, quin de religione eius æquam dubitandi cauſam præbeat; præſertim cum ſuper hæc omnia, patriarchatu ipſe dudum ultro ceſſerit eccleſiaſtice, ac canonice? Hæc omnibus dico & conteſtor. Si quid vero poſthac ſecus quam fas fuerit accidat, vos videritis. Meum enim ſenſum plane declaravi. Deus autem pacis, qui proprium pro ſancta eccleſia dare ſanguinem non pepercit, ipſe quod huic expedit ad pacem & turbarum amotionem „ faciat. *Subſcriptio.* *Abbas Joannes.*

ANNO CHRISTI 1282.

Hac recreatus ſynagraphe imperator, concilio ſe offerens chartam uſque eo legit, quo de reſtitutione Athanaſii non permittenda agebatur; urſitque vehementer apud coactos in unum patres ut tandem in Athanaſium convenirent. At ſurdis pleriſque canebatur; cujus moræ inanis pertæſus princeps, aſſumptis in comitatum iis quos connutio ſuo favere norat, recta ſe contulit ad monaſterium Athanaſii, eumque nactus ſalutavit patriarcham, cæteris acclamatione conſentientibus. Ita abruptum eſt concilium, cujus tamen pars illa, quæ reſtitutioni Athanaſii reſtiterat, perſeverans in ſententia, ſeceſſionem ab eccleſia facere conſtituit, in qua & aliquandiu perſeveravit. Hæc omnia habet Pachymerus lib. V. cap. 3. 6. 7. Acta ſunt hæc anno 1394. ex Poſſini ſupputatione. Atque hic finis Græcanicorum conciliorum ex Pachymero, qui hiſtoriam ſuam ad undecimum uſque Andronici ſenioris annum producit, & cum eo hic pariter & nos Diſſertationem hanc noſtram claudimus.

CONCILIUM LONDINENSE

Anno 1282. habitum.

An. 1282. Ex Wilk. Conc. Brit. to. II. pag. 67.

„ HAnc synodum archiepiscopus Cantuar. „ convocavit apud novum templum „ London. post Purificationem B. Mariæ ad „ tractandum de libertate Almarici de Mon- „ teforti. Mandatum archiepiscopi in regi- „ stro fol. 142. vocatur: *litera convocationis pro libertate Almerici de Monteforti*. Quid „ autem in synodo hac actum sit, ex sequen- „ tibus constabit.

Literæ directæ domino papæ de literis suspectis exhibitis in concilio apud novum templum London.
Ex reg. Peckam. fol. 14. a.

Sanctissimo in Christo patri ac domino reverendo Martino, Dei gratia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo pontifici, frater Joannes permissione divina Cantuar. ecclesiæ minister humilis, totius Angliæ primas, cum filiali reverentia pedum oscula beatorum. Sanctitati vestræ tenore præsentium innotescat, quod cum ego & vener. fratres & coepiscopi mei, London. scil. & Roffen. cum procuratoribus aliorum episcoporum absentium, ad complenda piæ paternitatis vestræ mandata, circa liberationem domini Almarici de Monteforti capellani vestri, nuper apud novum templum Londoniat. die Jovis, viz. quinta mensis Februarii, essemus personaliter congregati, quasdam literas a venerabili patre archiepiscopo Dublinen. & discreto viro magistro Ardicione Punteri Mediolanensi. capellano vestro, collectoribus decimæ in subsidium terræ sanctæ provisæ, in regno Angliæ a sede apostolica deputatis, recipimus sub hac forma.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni archiepiscopo Dublinensi, & dilecto filio Magistro Ardicioni sedis apostolicæ capellano, collectoribus decimæ in subsidium terræ sanctæ provisæ in Anglia, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquesti sunt nobis mag. Symon de Micham cancellar. Saresburiensis, ac Robertus perpetuus vicarius de Sturminster Sarisburien. diœces. quod cum felicis recordationis Gregorius papa prædecessor noster in generali concilio Lugdunen. decimam omnium proventuum ecclesiasticorum terræ sanctæ subsidio, vos fratrem Joannem de Derlingtun, archiepiscopum Dublinen. & quendam mag. Reymundum de Nogeriis capellanum apostolicæ sedis in regno Angliæ, collectores decimæ, hujusmodi primo anno per ipsius prædecessoris sub certa forma literas deputavit; volens etiam, ut singulæ personæ tunc deputandæ ad colligendas hujusmodi decimas, de pecunia ex ipsa decima tunc colligenda singulis diebus, quibus circa præmissa vacarent, tres solidos esterlingorum singuli reciperent pro expensis. Demum cumque idem prædecessor bonæ memoriæ Gerardum Verdunensem episcopum tunc electum in partes regni Angliæ pro negotio ipsius decimæ specialiter destinavit, eligendi aliquas personas idoneas, & ipsas mutandi, & in earum locum subrogandi, quoties expedire videret, concessit plenariam potestatem. Idem Gerardus cancellarium & vicarium præfatos ad colligendam prædictam decimam usque adquinquennium ex tunc immediate sequens in Saresbur. civitate ac diœces. ut asserunt, deputavit; sic idem cancellar. & vicar. præfati per hujusmodi quinquennium ad colligendam decimam ipsam continue non absque fatigatione gravi laborantes, decimam prædictam per eos collectam ad mandatum nostrum, ut asserunt, integre & sine diminutione aliqua persolverunt. Sed vos de dictis tribus solidis, quos & singuli eorum pro suis expensis, quibus propter hoc interim subierunt, deberent recepisse juxta hujusmodi beneplacitum dicti prædecessoris nostri cancellario & vicario præfatis de decima ipsa satisfacere indebite contradictis. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus cancellario & vicario præfatis, quibus ex nostra speciali gratia concessimus prædictas expensas per prædecessorem nostrum concessas, utrique eorum integre ac sine diminutione aliqua restituatis. Alioquin vos ad id exequend. per dilectos filios archidiac. Cant. & Dublinen. quibus super his nostris literis damus in mandatis, compelli, sicut expedit, faciemus. Dat. apud Urbem veterem calend. Novemb. pontificatus nostri anno primo.

Quas literas dictus cancellar. Sarisbur. coram nobis ibidem personaliter constitutus asseruit se porrexisse dictis archiepiscopo & capellano, sub protestatione, quod nolebat eis uti, nisi essent legitimæ & veraces. Dum autem ipsæ literæ in nostra præsentia legerentur, filium quod adhærebat eisdem, separatum fuit a bulla, & dixit tunc publice cancellarius memoratus, quod ipsis literis ex tunc renunciavit, & eis uti noluit ullo modo; quodque Ricardus de Burtun. easdem literas sibi tradiderat tanquam veraciter impetratas; qui Ricardus statim præsens existens, interrogatus super hoc respondit, quod Robertus vicarius ecclesiæ de Sturminster Sarum diœces. dominus suus in præscriptis literis nominatus, in Romana curia eas sibi tradiderat, & quod ante quindecim dies tradiderat easdem de mandato domini sui prædicti cancellario memorato. Ad hæc idem Ricardus nobis quasdam alias literas obtulit in tenore subscripto.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cant. & Dublin. archidiaconis, salutem & apostolicam benedictionem.

Conquesti sunt nobis magister Symon de Micham Cancellar. Saresbur. & Robertus perpetuus vicarius de Sturminster Saresbur. diœc. quod cum felicis recordationis Gregor. papa prædecessor noster in generali concilio Lug-

ANNO CHRISTI 1282.

Lugdun. decimam omnium proventuum ecclesiasticorum terræ sanctæ subsidio venerab. fratrem nostrum fratrem Johannem de Derlingtun, nunc Dublinen. archiepiscopum, & quendam magnum Raymundum de Nogeriis sedis apostolicæ capellanum in regno Angliæ, collectores decimæ hujusmodi primo anno per ipsius prædecessoris sub certa forma literas deputavit, volens etiam ut personæ tunc deputand. ad colligend. hujusmodi, singulis diebus, quibus super præmissa vacarent, singuli tres solidos esterlingorum reciperent pro expensis. Demum cumque secundo anno idem præcessor bonæ memoriæ dominum Gerardum Verdun. episcopum tunc electum ad partes regni Angliæ pro negotio ipsius decimæ specialiter destinavit, eligendi aliquas personas B idoneas, & ipsas mutandi, & in earum locum alias subrogandi, quotiens expedire videret, concessit plenarie potestatem. Ac idem Gerardus cancellarium & vicarium præfatos usque ad quinquennium immediate sequens ex tunc in Saresbur. civitate ac dioec. ut afferunt, deputavit; sic quod idem cancellar. & vicarius per hujusmodi quinquennium ad colligendam decimam ipsam continue laborantes decimam ipsam cum per venerabilem fratrem nostrum fratrem Johannem de Derlingtun, archiepiscopum Dublinen & magnum Ardicionem sedis apostolicæ capellanum, principales collectores decimæ prelibatæ fuissent requisiti, integre & sine di- C minutione aliqua persolverunt. Sed dicti frater Joannes de Derlingtun, & magister Ardicio cancellario & vicario antedictis de expensis, quas propter hoc interim subjerunt, juxta hujusmodi beneplacitum dicti prædecessoris nostri de decima ipsa indebite, ut afferunt, satisfacere contradicunt. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos fratrem Joannem de Derlingtun, & mag. Ardicionem moneatis, quod de dictis expensis cancellario & vicario præfatis, quibus, ex nostra gratia speciali concessimus, & super hoc eisdem nostris literis dedimus in mandatis, sine diminutione aliqua satisfaciant competenter; alioquin eos- D dem usque ad satisfactionem condignam per omnem censuram ecclesiasticam, auctoritate apostolica compellatis. Dat. apud Urbem veterem non. Novembris pontificatus nostri anno primo.

Quæ cum publice lectæ fuissent, interrogavi dictos archiepiscopum & mag. Ardicionem, utrum præscriptas literas ambas veras esse crederent sive falsas: & dictus archiepiscopus ipsas esse suspectas; capellanus vero eas falsissimas existere testabantur; instanter petentes, ut in dicto negotio tam arduo facerem, quod esset per me legitime faciendum. Unde dictum Ricardum tanquam suspectum feci detineri, custodiæ dicti London. episcopi, in cujus eramus dioecesi commendatum; præscriptas literas, quas etiam sanctitati vestræ sub sigillo meo transmitto, tanquam suspectissimas retinendo, quousque super hoc vestræ recipiam beneplacita sanctitatis. Insuper cum a prædicto Ricardo quæreremus, utrum aliquas alias literas apostolicas secum a curia deportasset, idem sic interrogatus respondit; quod portavit secum E

A a Curia usque ad duodecim paria literarum Herforden. episcopo tunc præsenti directarum, quas asseruit se cuidam civi London. commisisse, eidem episcopo liberandas; qui tamen episcopus statim negavit, se aliquas ab eo literas accepisse. Quid autem super præmissis fuerit faciend. me dignetur sanctitatis vestræ clementia plenius informare. Custodiat Dominus, &c. scriptum XVI. cal. Martii anno a nativitate Domini, 1281. *

* stilo novo 1282.

Martini IV. bullam pro Almarico de monteforti, de qua in hoc concilio actum est, profero ex Wilkins ibidem pag. 69.

BULLA MARTINI IV. PRO ALMARICO DE MONTE FORTI.

Ibid. fol. 64. a.

MArtinus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cant. & ejus suffraganeis salutem, & apostolicam benedictionem. Olim cum ad felicis recordationis Nicolai papæ prædecessoris nostri audientiam pervenisset, quod dilectus filius Almaricus de Monteforti capellanus noster, dum dilectam in Christo filiam nobilem mulierem sororem suam, uxorem dilecti filii nobilis principis Walliæ, per partes mantianas regno Angliæ vicinas ad eundem principem conducebat, laqueum captionis incurrerat; & quod carissimus in Christo filius noster rex Angliæ illustris eventum hujusmodi non absque affectu compassionis intelligens de conservando sororis prædictæ pudore, sibi sollicitudinis studium vigilantis indiderat procurando benignius, ut nobilis eadem traduceretur ad virum; quodque præfatus capellanus ex ordinatione felicis recordationis Johannis papæ prædecessoris nostri sub quorundam prælatorum dicti regni custodia permanebat, dictus Nicolaus prædecessor noster circa liberationem ipsius capellani, quantum secundum dominum, & absque turbatione status pacifici dicti regni poterat, solerter intendens, ne diutius præfatus capellanus detentionis hujusmodi tædio gravaretur; attente quoque considerans, quod & pietatis affectio circa prædictam, sicut præmittitur, servatam sororem, ac memoria sanguinis, quo eidem capellano rex ipse connectitur, regalem animum ad eum verisimiliter inclinare debebant, sibique fontem aperire dulcedinis cordis sui: dilectum filium Reymundum de Nogeriis decanum Anniciens. ecclesiæ, capellanum nostrum pro liberatione Almarici prædicti ad eundem regem specialiter destinavit, serenitatem regiam per suas literas rogans attentius, ut pro sua & apostolicæ sedis reverentia circa liberationem Almarici jam dicti sic opem & operam efficaces impenderet; eumque faceret, postquam existeret liberatus, extra regnum prædictum sub favore regio usque ad loca sibi tuta conduci, quod exinde ipsius regis nominis gloria susciperet incrementum. Et ne prætextu captionis seu detentionis hujusmodi, simultatem aliquam suscitandi aliqua occasio suscitaretur, & eidem regno ejusque incolis alicujus timendæ turbationis materia im-

ANNO CHRISTI 1282.

immineret; ab eodem mag. Raymundo per alias suas literas nonnulla exequenda, & a prædicto Almarico facienda providit, per quæ hujusmodi posse obviari periculis ab aliquibus credebatur: viz. quod si præfatus Almaricus certe formæ in prædictis ad eundem regem directis insertæ literis, simpliciter, absolute ac libere consentiret: de quo quidem consensu libero voluit memoratus Nicolaus prædecessor, ut magister ipse cognosceret & diligenter adhiberet industriam & cautelam, ne forte in posterum a calumniosis consensus hujusmodi diceretur extortus, ab eodem Almarico obligationem reciperet corporali præstito juramento, quod memoratum regnum absque apostolicæ sedis expressa licentia nullo unquam tempore reintraret, quodque præfatus Almaricus regnum ipsum, aliasque terras præfato regi subjectas, per se vel per alios hostiliter nequaquam invaderet, nec etiam occuparet, nec invadi vel occupari ab alio procuraret. Et si secus forte præsumeret, excommunicationis sententia, quam per eundem mag. Reymundum ferri voluit in eundem, ligatus existeret, & omnibus ecclesiasticis beneficiis ac privilegio clericali privatus, & per eundem mag. R. ad illa redderetur inhabilis vel alia obtinenda. Et quod postquam idem A. ad loca tuta regni Franciæ perveniret, obligationem similem renovaret, etiam sub juramento, & pœnis similibus sibi per eundem mag. R. imponendis, vel etiam infligendis, perpetuo servaretur. Quod si postquam ad loca tuta dictum Almaricum pervenire contingeret, ipse obligationem non renovaret eamdem, aut contra præmissa vel aliqua præmissorum veniret; extunc eisdem excommunicationis, privationis, & inhabilitatis pœnis dictum Almaricum prælibatus N. prædecessor voluit subiicere, prout hæc in prædictis ad sæpefatum regem directis literis plenius continentur. Sed eodem Nicolao prædecessore morte prævento, hujusmodi negotium non potuit expediri. Porro literas regias, quas pridem vacante tunc apostolica sede, per eundem magn. R. venerabilibus fratribus nostris Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de quorum tunc temporis eramus numero, rex ipse direxit, intelleximus diligenter dilatæ liberationis Almarici prædicti causam plenius advertentes. Et quia tam ex ipsarum literarum tenore, quam ex præfati magistri relatione collegimus, quod idem rex ad ejusdem sedis in hoc beneplacita exequenda promptum se exhibet & paratum, sibi uberum dona rependimus gratiarum; ipsum per nostras literas rogantes attentius & hortantes, ut æterni regis intuitu, per quem idem rex regnat & regitur, ac pro apostolicæ sedis & nostra reverentia, regiæque dignitatis honore, hujusmodi gratæ nobis regiæ promptitudinis studium prosequens, circa liberationem Almarici jam dicti, opportunum & efficax studium de benignitate regia largiatur; faciens eundem Almar. postquam liberatus extiterat, extra regnum suum sub favore regio usque ad loca sibi tuta conduci, ut dictus rex illum sibi proinde retributorem constituat, qui de sua munificentia largitatis pro nimis grandia recompenset; & sedis apostolicæ gratia, quam libenter devotis filiis explicamus, circa personam suam votivum suscipiat incrementum. Et quantum sedes ipsa ex quodam piæ compassionis affectu, quo conscriptos militiæ ordinis clericalis prosequitur, negotium hujusmodi cordi gerit, memoratum mag. Reymundum de cujus experta probitate confidimus, ad præfatum regem propter hoc duximus remittend. ut ab eodem Almarico diligenter, ut expedit obligationem recipiat supradictam; in qua per eundem Almaricum adiici volumus, ad ipsius regis suique regni cautelam, quod dictus Almaricus eidem regi vel regno suo, aut ipsius regni personis adversari volentibus, favorem vel consensum aliquem non præstabit, prout dictus rex per easdem literas regias postulavit. Rogamus etiam regem ipsum, ut in hac parte beneplacitis apostolicis conformans, devotius desideria cordis sui efficaciter exequi studeat, quod ab eo petitur confidenter, ut ex hoc regiæ devotionis sinceritas clarius elucescat, & Romana ecclesia mater sua, quæ ipsum gerit inter charitatis viscera prædilectum, laboris tædia occasione hujusmodi non cogatur ulterius experiri. Cum itaque hujusmodi negotium sedes apostolica non immerito cordi gerat, ac ipsum absque præjudicio ecclesiasticæ libertatis nequaquam deserere valeat imperfectum; nos diligentiæ vestræ studium, quod circa promotionem ipsius negotii præstitistis, dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatem vestram rogamus & hortamur attente, per apostolica nihilominus scripta vobis districte præcipiendo mandamus; quatenus vota vestra beneplacitis apostolicis conformantes, ac hujusmodi studium prosequentes, opem operamque solicitam, prout utilius expedire videritis, impendatis, ut festina, prout optatur, proveniat ejusdem liberatio Almar. sic efficaciter vos in hac parte gerentes, ut devotionis vestræ promptæ sinceritas condignis laudibus attollatur, ac sedis apostolicæ gratia erga vos digne suscipiat incrementum, nec oporteat propter hoc sedem ipsam ulterius laborare. Dat. apud urbem veterem XII. cal. Octobris, pontificatus nostri anno primo.

Archiepiscopi & episcoporum provinciæ Cantuar. litera synodalis directa domino papæ super liberatione Almarici de Monteforti.

SAnctissimo in Christo patri ac domino dom. Martino, divina providentia, &c. sui humiles & devoti frater. J. permissione divina &c. & ejusdem ecclesiæ suffraganei universi, cum filiali reverentia pedum oscula beatorum. Eminentia vestræ sedis, pater sanctissime, quæ omni potentatui totius ecclesiæ dominatur, & præ cunctis principatibus & sedibus universis coruscare cernitur sapientiæ radiis præcellentis, per vener. virum mag. R. de Nogeriis decanum Anniciens. capellanum vestrum super liberatione venerabilis viri dom. Almarici de Monteforti, vestri similiter capellani sua nobis nuper mandata provida deliberatione transmisit, quæ

ANNO CHRISTI 1282.

quæ, prout, decuit, reverenter & devote A suscepimus: & ad eadem exequenda opem & operam, quam debuimus, quamque potuimus, exhibuimus efficacem: nempe, cum periculo quod ex ipsius capellani liberatione circa turbationem regni Angliæ poterat formidari, per formam ipsius mandati prospectum utique videtur juratoriæ remedio cautionis, quam subire debebat Almaricus prædictus, poenis nihilominus quibusdam adjectis quas idem incurreret contra proprium juramentum veniens ipso facto, & demum in litera apostolica memorata provide suppletum fuisset, quod in quadam alia litera præcedenti, quæ, viz. a domino Nicolao piæ recordationis prædecessore vestro super eadem emanavit materia, fuerat defectivum; B viz. de præfati serie juramenti, non tantum ad actum & consensum, verum etiam favorem noxium extendend. nobisque ex ipsius magistri Reymundi decani Annicien. prædicti fida relatione nihilominus & aliunde constaret, quod antedictus dom. Almaricus memoratam obligationem sibi impositam sponte suscipere, & quantum in se fuerat, pollicitationem hujusmodi extitit adimplere paratus. Nos cum pace domini regis juxta mentem ipsius literæ vestræ in ipso negotio procedere satagentes, ipsum requisivimus; supplicantes eidem, ut pro apostolicæ sedis reverentia, nostrarumque multiplicata precum instantia, liberationi plenariæ sæpedicti do- C mini Almarici regium absque ulterioris moræ dispendio, dignaretur de cætero adhibere consensum; præcipue cum suæ turbationis & regni, quæ ex hoc poterat provenire periculo, fuisset plenarie satisfactum. Et licet evocatis plerisque principibus atque magnatibus regni sui, eorum assensibus super ista materia requisitis, nonnullorum vota & consilia obstitissent; ipse tamen rex mansuetus & Deo devotus, proprii pectoris sinceritate, & ad ecclesiam Romanam pia devotione promotus, liberaliter a nobis exhortata concessit. Quod in eo tanto laudabilius æstimamus, tantoque celsiori laudis præconio ducimus attollendum, quanto ex turbatione seu rebellione Wallensium recenter in Anglia suscitata, magis excitativa detentionis quam suæ liberationis a carcere procedere viderentur judicia; & verisimiliora opinione vulgari prodirent in medium argumenta, propter quæ nos eidem affluentium rependentes vicissitudinem gratiarum, ipsum dom. Almaricum de carceris custodia educentes usque civitatem Londoniarum salvo deduci fecimus & conduci; ipsumque in multorum fide dignorum præsentia ad hoc specialiter vocatorum, liberatum pronunciavimus & a carcere penitus & plenarie absolutum; ipsumque præfato magistro Reymundo liberum fecimus omnino assignari, & per eundem mag. ipsum domi. Almaricum sub securo conductu regio ad loca tuta regni Franciæ conducendum, sanctitati vestræ cum gaudio transmittimus liberatum. Fulgeat in ecclesia Dei, pater sanctissime, vestræ sanctitatis auctoritas per tempora longiora Act. London. IX. cal. Martii, anno Dom. 1282.

AD CONCILIUM TURONENSE

Anno 1282. habitum

ADDITIO.

EPISTOLA MARTINI PAPÆ IV. AD J. TITULI S. CECILIÆ presbyterum cardinalem in Franciam apostolicæ sedis Legatum.

Ut quædam statuta per archiepiscopum Turonensem in suo provinciali concilio facta corrigat.

Ex MS. illustrissimi domini Chauvelin.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. p. 78.

MArtinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio J. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali S. & A. B.

Non indigne sollicitudinis studium apostolica sibi sedes inducit, ut veluti cunctorum mater & magistra fidelium quæ corrigenda viderit, & quæ cognoverit reformanda confirmet, & humanis actibus regula limitatis, grex dominicus, cujus nobis est, disponente Domino, commissa custodia, pacis tranquillæ commodis gratuletur. Intelleximus siquidem, quod venerabilis frater noster achiepiscopus Turonensis favens propriæ voluntatis arbitrio, pridem inter cætera, quæ in suo provinciali concilio noscitur statuisse, ut potestates sæculares ecclesiasticasve personas opprimentes, quos statuta canonum volentia immunitati ecclesiæ providere, statuunt usque ad satisfactionem congruam excommunicationis sententiæ subjacere, præcepit ejusdem provisione concilii excommunicatos per omnes cathedrales, collegiatas, & parrochiales ecclesias Turonensis provinciæ diebus dominicis nunciandos, nec non & singulos qui jurisdictionem ordinariam ecclesiasticam, antiquas ecclesiasticas consuetudines & etiam libertates impedire, diminuere, turbare, vel in aliquo usurpare præsumserit quoquo modo, ac omnes illos qui consilium, auxilium, auctoritatem, mandatum, opemve præbuerint ad præmissa, clam vel palam, cujuscumque conditionis, ordinis aut status existant, prædicti auctoritate concilii excommunicationis sententia innodavit. Illos etiam qui de oppressione, usurpatione, læsione aut diminutione, perturbatione seu im-

ANNO CHRISTI 1282.

impedimento, vel aliquo præmissorum hujusmodi suspecti fuerint, nisi ad mandatum ordinariorum se purgare curaverint, tamquam de hoc ob hoc convictos merito, quos auctoritate prædicta, usque ad satisfactionem congruam excommunicationis sententiæ voluit præfatus archiepiscopus subjacere ipso facto, præcepit nominatim modo simili publice nunciari. Statutum quoque provincialis concilii contra illos, qui, ut ejusdem archiepiscopi verbis utamur, ponunt in religiosis domibus comestores, olim editum, ad illos archiepiscopus memoratus extendit, qui comestores hujusmodi vel custodes in domibus prælatorum aut aliarum personarum ecclesiasticarum etiam quarumcumque ponere dinoA scuntur, quosque simili sententia innodavit. Cum itaque statuta hujusmodi eorum generalitate, perplexitate, involutione ac qualitate pensatis, spiritualiter & temporaliter quamplurimum captiosa fore, si diligenter attenditur, dinoscantur, ac proinde limam debitæ correctionis exposcant, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus statuta ipsa tibi faciens exhiberi, ea prudenter & provide corrigas, immutes, emendes, temperes, medereris, & reformes, in quibus, & prout tibi ratio suggeret, & æquitas suadebit, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Datum apud Urbem-veterem IV. nonas Maii pontificatus nostri anno III.

CONCILIUM TARRACONENSE

Anno 1282. celebratum.

I.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 278. Ex MS. Colbertino.

CUm nos BERNARDUS miseratione divina Terraconensis archiepiscopus effemus in civitate Terracona personaliter constituti, præsentibus venerabilibus fratribus AL. Barchinonensi, G. Ilerdensi, F. Tirasonensi, R. Vicensi, A. Dertusensi, JA. Oscensi episcopis suffraganeis nostris; sed V. Calaguricensi, A. Pampilonensi, P. Cæsar-augustano, A. Valentino. P. Gerundensi, P. Urgellensi absentibus, & se per procuratores & litteras excusantibus, & capitulorum ecclesiarum cathedralium & aliorum prælatorum Terraconensis provinciæ procuratoribus, ac venerabilibus & discretis fratre ARNALDO DE CASTRONOVO magistro militiæ Templi in partibus Aragoniæ & Cataloniæ, & fratre BERENGARIO DE ALMANARRA tenente locum magistri Ultramanni S. Johannis Jerosolymitani in Castellania Empostæ similiter præsentibus, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sacrosanctum concilium celebrantes, de assensu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem & defensionem ecclesiarum, clericorum, religiosorum, monasteriorum, & rerum omnium prædictorum.

II.

De honestate vestium.

Item, statimus quod clerici omnes provinciæ Terraconensis, sive sint in sacris, sive in minoribus ordinibus constituti, non portent nec induant camisias, tunicas, vel alias vestes cordatas, nec botoneos aureos vel argenteos, vel alicujus alterius metalli deferant in pectore, nec in manicis, nec in aliqua parte vestis; nec portent sotulares consutitios, nec rota tractos; nec aliquas induant seu portent vestes virgatas cum cabiscio fisso in longum. Et si quis contra fecerit, pœnam x. solidorum usualis monetæ pro quolibet excessu incurrat: quam exigat quilibet diœcesanus, & in proprios usus convertat.

III.

Contra invasores, raptores & clericos percutientes.

C Item, declarando constitutiones prædecessorum nostrorum, videlicet dominorum PETRI & BENEDICTI bonæ memoriæ, quarum, prima incipit, *Olim excommunicasse*; & secunda, *Cum nos dictus*, &c. statuimus quod quamdiu personæ invasorum & raptorum rerum ecclesiasticarum, & personæ etiam illorum qui in prælatos cathedralium ecclesiarum & aliorum locorum religiosorum Terraconensis provinciæ supradictæ, aut infra terminos locorum fuerint prædictorum, quod ipsæ civitates, castra, seu villæ & alia loca cessent, ipsis invasoribus, raptoribus, seu perD cussoribus præsentibus, penitus a divinis; & dicti malefactores, percussores, seu raptores, per rectorem seu capellanum loci ipsius excommunicati nihilominus nuntientur, & tamquam excommunicati ubique ab omnibus evitentur.

IV.

Contra diffidantes clericos.

Item, sacro approbante concilio, addimus constitutioni olim editæ per dominum PETRUM bonæ memoriæ prædecessorem nostrum, contra illos qui clericos diffidarent, E quod si aliquis temeritate propria diffidaverit seu acunydari fecerit aliquas personas religiosas Terraconensis provinciæ, fatica juris in diœcesano, in cujus diœcesi prædictæ personæ religiosæ morentur, primitus non inventa, ipsum ex tunc, recepta per dictum diœcesanum ab ipsis personis de parendo juri idonea cautione, si monitus diffidationem non relaxaverit, decernimus excommunicationis sententiæ subjacere, & per ipsum diœcesanum aut rectorem loci illius ubi ipse diffidator fuerit, excommunicatus, ab omnibus evitetur.

V.

V.

Quod christianæ non habitent cum Judæis, & eorum filios non nutriant.

Statuimus etiam, sacro approbante concilio, quod nulla mulier alicujus loci provinciæ Terraconensis audeat habitare cum Judæis, aut filios eorum nutrire seu lactare; & quæcumque contra hujusmodi inhibitionem nostram, postquam monita super hoc fuerit, præsumserit supradicta, decernimus eam ex tunc excommunicationis sententiæ subjacere: ita videlicet, quod cum illud diœcesano, aut rectori loci illius ubi mulieres super hoc culpabiles inventæ fuerint, extiterit nuntiatum, per jam dictum diœcesanum aut rectorem ipsæ mulieres excommunicatæ nuntientur, & tamquam excommunicatas ab omnibus faciant evitari; & ne ipsæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant, ipso facto, volumus & mandamus, quod præsens constitutio per dioecesanum, aut rectorem locorum, in quibus Judæi morantur, semel annis singulis publicetur.

VI.

De publicatione constitutionum.

Ut autem prædictæ constitutiones ad notitiam perveniant singulorum, mandamus omnibus episcopis suffraganeis nostris, quod in synodis suis prædictas constitutiones facient publice nuntiari.

VII.

Contra illos qui episcopos interficiunt, vulnerant, capiunt, vel percutiunt, vel alium prælatum.

Quoniam exempla præterita cavere nos ammonent in futurum, idcirco nos BERNARDUS divina miseratione Terraconensis episcopus, assistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris ARNALDO Barchinonensi, R. Vicensi, P. Urgellensi, JAC. Oscensi, JASPETRO Valentinensi, GARGIA Tirasonensi, BN. Gerundensi, & G. Ilerdensi episcopis, ac procuratoribus aliorum episcoporum absentium, necnon & capitulorum cathedralium ecclesiarum & collegiatarum & quamplurimis aliis prælatis præsentibus, sacro Terraconensi approbante concilio, statuimus, ut quicumque, instigante diabolo, per se, vel A per alium interfecerit, vel vulneraverit, vel ceperit, aut percusserit aliquem episcopum, omnibus feudis, ac rebus aliis, & beneficiis universis, quæ in ecclesiis quibuscumque Terraconensis provinciæ tempore commissi sceleris obtinebit, ipso facto, perpetuo sit privatus, & pleno jure ecclesiis a quibus prædicta tenuerit, applicentur; nec descendentes ab eodem malefactore usque ad quartam generationem ad gradum aliquem clericatus provehantur, nec beneficium aliquod ecclesiasticum feudale, vel aliud quodlibet in Terraconensi provincia assequantur, ne minus vindictæ quam excessus memoria tanti facinoris prorogetur. Adjicientes, quod si quis episcopus, vel alius quicumque prælatus, B aliquem de prædictis descendentibus ad aliquem ordinem promovere, vel aliquod ecclesiasticum beneficium, seu quodlibet aliud conferre præsumserit, & a collatione illius ordinis, quem scienter contulit; per biennium sit suspensus, & collatio ejusdem beneficii sit irrita ipso jure, & ea vice per proximum superiorem de illo beneficio ordinetur. Si vero aliquem de prælatis inferioribus eb episcopis, seu alios, vel canonicum ecclesiæ cathedralis ausu temerario quisquam interficere aut mutilare præsumserit, & filii sui incurrant pœnam expressam superius ipso facto, proviso quod illis feudis & possessionibus quibuscumque tantummodo sint privati, C quæ ab ecclesiis quarum personas sic læserint, modo quolibet obtinebunt. Hoc salvo quod alias super hoc in canonibus continetur. Et prælatus qui tales malefactores, vel filios eorum ad aliquem ordinem promovere, vel cuiquam beneficium ecclesiasticum, conferre præsumserit, a collatione illius ordinis, quem scienter contulit, per annum noverit se suspensum, & collatio hujusmodi sit irrita ipso jure, & ea vice de beneficio per superiorem proximum ordinetur. Quicumque autem de prædictis malefactoribus vel filiis suis a quocumque episcopo sciente vel ignorante ordinem receperit, executionem non habeat ordinis sic suscepti, nec D beneficii collatio valeat, ut est dictum, salvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis, quibus per hanc constitutionem non intendimus in aliquo derogari. Hæc autem statuta salubriter per diœcesanos episcopos provinciæ Terraconensis singulos in synodis suis & diœcesibus præcipimus publicari, & nihilominus hi, qui prædictas poenas incurrerint, in synodis nuncientur. Datum apud Terraconam XI. calendas Aprilis, anno Domini MCCLXXXII.

IN SUPERIORES CONSTITUTIONES

JOANNIS DOMINICI MANSI

ADMONITIO.

x meis d Ray- aldum dnotatio- . ad an. 282.

Apud Martene die XI. kal. Aprilis anni 1282. inscriptum extat concilium quod Bernardus Tarraconensis archiepiscopus cum sex episcopis suffraganeis habuit, quo latas a prædecessoribus suis constitutiones omnes ita confirmavit, ut constitutionibus VI. adjectis priora statuta reformarit, auxerit, roborarit. Sed collato hoc Tarraconensi Concilio cum alio concilio Tarraconæ pariter habito anno 1329. in quo priorum conciliorum constitutiones plures ex integro referuntur, intelligimus concilium istud anni 1282. nihil esse aliud quam trium conciliorum sub Bernardo archiepiscopo collectionem; nam canon tertius inscriptus contra invasores, raptores, & clericorum percussores, idem est cum canone in priori concilio a Bernardo edito. In quo pariter concilio reperias canonem alterum ibidem recurrentem, quo cavetur ne Christiani cum Judæo contubernium ha-

habeant, quod in Martenio totidem verbis legitur. Denique Bernardus in concilio tertio anno 1282. celebrato, ut ex concilio anni 1329. conſtat, conſtitutionem dedit *in eos qui interficiunt vel capiunt epiſcopum vel prælatum*, quam pariter conſtitutionem totidem expreſſam verbis habes in ſtatuto ſexto concilii apud Martenium. Eſt igitur Martenis iſtud concilium conciliorum trium ſub Bernardo collectio, quorum poſtremum tantummodo præſenti anno 1282. XI. Kal. Aprilis celebratum fuit. Id præterquam ex iis, quæ dicta ſunt, perſpicue conſtat, tum pariter demonſtrant nomina epiſcoporum, quæ adſcripta leguntur in primo ſtatuto ejuſdem concilii, ſi conferantur cum nominibus epiſcoporum, quæ noviſſimæ ejus concilii conſtitutioni præfiguntur. In priori enim legitur *F. Tiraſonenſis*; in noviſſimo vero *Gargias Tiraſonenſis*; ibi *P. Gerundenſis* per procuratorem adeſt; hic *Bn.* Gerundenſis per ſe præſens adſiſtit; in illo ſuffraganei ſunt ſex; in hoc vero octo. Quis ergo concilia plura ſimul collecta non agnoſcat?

CONSTANTINOPOLITANUM CONCILIUM SCHISMATICORUM

In quo Veccus olim CPtanus patriarcha ex conjuncta cum Latinis communione reus damnatur & inter duas eccleſias unio ſcinditur.

Anno forte 1283. habitum.

„ Cum Græci ad ſcindendam conjunctionem illam eccleſiarum, ſuæ ſcilicet & Latinæ quam Veccus CPtanus patriarcha tanto molimine procuraverat ſummo ſtudio ferrentur; Veccus rebus ſuis melius ſe conſulturum cenſuit, ſi ſponte ſe ſumma dignitate abdicaret, quo a curis publicis remotus ſibi & Deo vitam ageret in monaſterio. Sopitus hiſce adverſariorum furor, ſed non extinctus: brevi iterum exarſit magniſque incendiis urbs conflagravit; tum tota furoris flamma in eumdem Veccum incitata eſt. Eo igitur perdendo Synodus CPoli convenit vivo adhuc Joſepho patriarcha, qui in locum Vecci ſucceſſerat. Quid in ea actum, narrat Pachymerus in vita Andronici lib. I. cap. VIII. cujus verba hic damus. Annus ſynodi quamquam a Pachymero nullus proditur, ex iis tamen quæ ille narrat deductus annum 1283. ſupputante Poſſino in obſervationibus Pachymerianis lib. 3. cap. 2. ſignat.

CONSTANTINOPOLITANÆ SYNODI ACTA

Ex Pachymero in Vita Andron.

An. 1283. Tunc igitur hujus motores machinæ, omni genere delinimentorum cum cæteros qui aderant antiſtites, tum Alexandrinum præ omnibus patriarcham Athanaſium, virum exiſtimationis & auctoritatis maximæ, in ſuas attrahere partes non utiliter conati, duos thronos ſtatuerunt, alterum vacuum, inſignibus ornatum patriarchæ Conſtantinopolitani Joſephi, & quaſi eum repræſentantem, quod is morbi neceſſitate decumbens præeſſe ſynodo nequiret; alterum cui palam præſideret Alexandrinus Athanaſius, ſe autem ipſos, ut Joſephi, ægroti vicarios, & ejus ſenſuum nuncios, ac voluntatis executores, in capite ſynodi fixerunt. Frequens inde convenit epiſcoporum cœtus, præſente ibidem magno Logotheta, præſente inſuper Georgio Cyprio & Rhetore Holobolo nuper ex magni agri monaſterio Conſtantinopolim reverſo: aſſidente præterea Monacho Theodoſio Saponopulo, qui ex ordine protonotariorum Imperatoris in vitam monaſticam tranſierat; aliiſque pariter aſſiſtentibus plurimis. Delatæ ad hunc conventum Joannis Vecci, & præcipuorum cum illo concordiæ duarum eccleſiarum auctorum accuſationes ſunt; de quibus qui pro Joſepho agebant, ferri ſententias ſtudebant; non quæ dogma ipſum dijudicarent; & quid, ut ſecurum ad pacem Eccleſiæ tenendum: quid, ut minus probatum, reiiciendum eſſet declararent: ſed quia cauſabantur ſcandalum ortum ex intempeſtiva ventilatione quæſtionum quas inexploratas relinqui præſtiterat; contendebant non eſſe inquirendum, recte ne an ſecus, qui de controverſiis nuper moD tis ſuas ediderant ſententias, ſcripſiſſent: verum eos hoc ipſo quod dogmata moviſſent, quod in diſputationem prius in uſu habita vocaſſent; quod ſcripturas replicaſſent; quod per illos fando auditæ dum recitarentur Patrum auctoritates eſſent, tamquam perturbatores quietis publicæ, ac graviſſimi reos criminis, condemnari ſatagebant: & obſequentibus quos convocaverant, revera condemnandos curaverunt, ac graviſſima quæque animadverſionis eccleſiaſticæ exempla in eos ediderunt, quos ſe ne minima quidem aſperſos conſcientia hæreſeos, & nuſquam a recta fidei declinaſſe regula, & affirmantes & paratos demonſtrare offerentes, ut atroE cium convictos delictorum damnaverunt, pœniſque addixerunt maximis, in quo erat hæc mira procedendi ratio. Libellos ab unoquoque flagitabant quibus exponerent, quid crederent. Prolatis iis, ſi quid quiſpiam de Dogmatibus muſſitaſſe videretur, damnabatur; non ſcriptum, ut ajebant, ſed ſcriptor; iſque idcirco ſolum quod ea conſignaſſet litteris, quæ prava, recta ne eſſent, in medio relinquebatur, extremis Eccleſiaſticæ cenſuræ notis affectus declarabatur. Primus ad cæterorum exemplum iſti ſe ſubjecit ignominiæ, quaſi remedium canonicæ abſolutionis pœnitentiæ profeſſione amoiens, magnus Logotheta Muzalo: qui ſimulans ſe de doctrina nihil præjudicare, fruſtra erat. Eminebat enim ejus flagrans ſtudium in partes proceſſionem ex Filio Spiritus negantium. Cujus dogmatis tanto flagrabat zelo, ut flammam

ANNO CHRISTI 1283.

mam spirare videretur. Tamen ille libellum a se prius imperante Michaele palam datum, quo se professus erat idem cum Latinis credere, ultro jam execrans, & comburendum offerens, jurejurando etiam interposito est coram synodo professus se se haud ideo flammis hoc scriptum donare, quod sibi esset conscius pravum in eo aut a sana doctrina exerrans quidpiam positum: sed quoniam agnosceret eo ipso se graviter peccasse, quod omnino scribere de dogmate ausus esset; quod de talibus differere; quod Patrum testimonia de his inquirere, congerere, accommodata, & utilia tunc visa ad causam, quae ageretur; licet non ignoraret idem olim a multis, & magnis viris simili occasione factitatum. Verum quia illa tunc a se non tempore pacis allegata fuissent, at importune oggesta, tunc cum atrox & vehementissima procella saevis hinc inde fluctibus multorum undecumque insurgentium Ecclesiam ageret, ferretque. Ergo quia in eo se religione supervacanea intemperanter elatum, sero tandem poenitens intelligeret, velle in detestationem ejus erroris igne consumi hoc suum scriptum; non quatenus testimonia continebat Patrum, sed quatenus sui ipsius foetus esset ingenii. Consequenter scriptum super eodem argumento veteris magni Logothetae productum, aliaque aliorum, & quibus qualiscumque mentio inesse dogmatum deprehensa est, universa, ut eo nomine abunde rea, igni sunt tradita. His quasi praestructis ad Vecci causam praejudiciis, ipsum sunt denique aggressi animo infensiori, quippe quem non intempestive modo motionis dogmatum, sed haereseos reum peragere studerent. Et erat ille quidem haud dubie ejus affinis de qua modo est dictum, intemperantiae, nimia curiositate scrutandarum arcanarum veritatum, quas scriptis abstrusas Patrum, illic tamquam in sacro quodam operto, ut humano superiores captu, tacite obnoxieque venerari fuerat satius: caeterum ulterius nitebantur ejus accusatores, qui eum ista investigatione impetu concitatum nimio, praecipitasse in haeresim demonstrare conabantur.

Cap. X. Pulsibus ergo crebris Aeris Ecclesiae campani turbam simul advenarum sibi faventem, urbanum simul populum magno numero convocarunt. Congregandae multitudinis haec factiosa erat causa. Sperabant ipso apparatu synodi quae cogi ferebatur ad emendanda quae perperam acta fuerant in conventione cum Latinis, intellecturos homines e vulgo, se deceptos ab auctoribus conventionis ejus, in impietatem fuisse prolapsos, quam nunc expiari oporteret. Inde autem confidebant exarsuros eos, & in seditionem concitandos adversus Veccum, quem ejus rei totius praecipuum artificem suspicarentur. Quare illum huic invidiae objecturi, ardenter petebant, citari rite ac juberi se sistere judicandum a synodo. Crebris igitur Viatorum missitationibus Veccus comparere coram congregatis Patribus jussus est, ad reddendam rationem eorum quae scripserat: idque dum fieret, interim qui haec curabant, scripta illa Vecci, ut errorum & fraudum plena invidiosissime apud populum traducebant, magnopere ostentantes, exaggerantesque perniciem illorum. Id Veccus non ignorans cunctabatur obtemperare vocantibus, morasque innectebat longas suo in vadimonium occursui: non inverisimiliter allegans, manifestum esse periculum, ne populus persuasus gravi se implicatum malo, piaculoque subjectum per pacem cum Latinis initam, furiose in ejus pacis auctorem erumperet, cum is primum in conspectum esset datus. Itaque cum non ignoraret, arte adversariorum totam ejus negotii culpam in se conferri, haud sibi videri tutum proficisci quo vocaretur; discerpendo utique a multitudine, cui qui se vellent perditum sinistris ante sparsis rumoribus persuaserant, penes se unum residere causam mali omnis. Haec jure causari eum magnus Logotheta intelligens, acri nec inutili opera incubuit ad seditionem comprimendam populi, metu huic admoto ab Imperatore, quem, si qua vis fieret, offendendum graviter, & severe animadversurum in violentiae compertos, denunciavit. Sic sedato plebis impetu, Veccum aggreditur, demonstrans; non esse jam quod causaretur ullam a seditione formidinem: nec ille abnuit venire: cui comparenti ultimus in synodo locus datus est; indeque ut causam ille sedens diceret, seseque purgaret ab objectis circa ea scripta sua vehementer instabant. At Veccus aliud potius quodvis, quamquod tunc erat, talia purgandi tempus esse sciens, respondebant: causas quibus defendi suum scribendi consilium posset, ei fuisse temporis affixas quod nunc praeteriisse fatebatur. Scire sese, qua tempestate illa scripsisset quae modo in crimen vocabantur, exegisse a se tunc praesentem rerum statum, ut talia scriberet: inique secum agi si post conversionem rerum tantum praestare nunc cogatur, ea recta esse, quae cum suam ab opportunitate rectitudinem ducerent, mutatione quae incidit, temporum, suam quasi defensionem amiserunt. Omittatur ergo crimen modo intempestivum, aut in tempus differatur, ejus quod nuper extitit, simile. Res quae tunc gerebantur imposuisse sibi necessitatem scribendi quae scripserit, nemine alio ad id agendum occurrente quod publice interesset ab aliquo fieri. Vocare autem in examen sermones bene in tempore prolatos, remotis jam circumstantiis quibus illorum opportunitas palam monstrabatur, ut in rationem exigentibus inquisitionem habet intempestivam, sic respondentibus conditionem injungit iniquissimam, causae talis dicendae, cujus omnis defendendae conatus vanus ac stultus merito existimetur. Illud solum decidere oportere Patres synodi praesentis, an non eum quem nec cogitantem nec volentem ad Patriarchatum ipsi vocaverunt, modo redactum in ordinem per illos, & priore in proprium Thronum revocato pastore, aequum sit, ipsis judicantibus, retinere etiamnum honorem quem illorum antea eligentium, & ad Patriarchatum vocantium suffragiis acceperat? Haec postrema praesertim Vecci positio plerorumque cordibus infixit spiculum: audiebanturque indignantium voces: *Tu scilicet Patriarchatus honore gaudebis, praesente jam legitimo Patriarcha? Tu*, inquam, *suspectus Haereseos, a quo jure*,

Anno Christi 1283.

jure, scripto edita fidei professio exigatur, cuique multis argumentis opus sit ad persuadendum te recte ac catholice sentire? Sic illi repulsa iracunde Vecci postulatione, mitius deinde cum illo agentes, blande perpulerunt, ut sistere se coram Josepho vellet, quo ipso adducto, & persuaso detinere sibi offensum supplici significatione pœnitentiæ: deinde ipsi compositum Libellum, quo professio rectæ fidei conjungebatur cum amolitione suspicionum, si quæ in contrarium extarent, quibus ad extremum annectebant abdicationem Sacerdotii, Vecco ut subscriberet dederunt: atque ita verbis officiisque paulo benignioribus commodiuscule tractatum dimiserunt. Quod cum postea Josephus cognovisset, vim illatam homini Orthodoxo, ut dignitatem abdicaret, uti minime regulis Patrum conformem, injustam fuisse judicavit.

Hæc ipsa concilii in se constituti acta ita describit Joannes Veccus in libello de injusta sui depositione vulgato ab Allatio Græc. Orthod. to. 2. pag. 22. unde hic dantur.

Horum itaque principium fuit, ut dixi, ante synodale decretum contra nos latum, loco nostri in thronum nostrum promovere æmulum, nec non ab ipso, eoque solo contra nos sententiam publicari, & quod immanius est, neque ab ipso, sed ab hominibus profanis, & his antiquæ adversum nos improbitati deditos, sub nomine nihilominus illius dictari, quæ usque quo processerit, ex factis ipsis enunciabimus. Quartus dies erat, ex quo, quæ ab illis depositio nomen habuit, pronunciata fuerat, cum nos ad tribunal vocamur, *Audi cœlum, & auribus percipe terra*. Depositus accersitur ad respondendum, qui decreto condemnatus est ad illi contradicendum; a throno etiam ante sententiam latam ejectus, ad depulsandam calumniam. Sed quo scopo? ut quæ ille respondendo, contradicendo, injuriam depulsando protulisset, non absque ratione prolata esse existimata, proprium robur haberent. Et quis tandem eorum roboris finis futurus erat? Patriarchicus thronus? Sed hic antea ablatus est alius super illo jacet, namque generaliori nomine cathedram ipsam vocitamus. Et quisnam etiam ex iis, qui ad intelligendum ineptissimi sunt, inania, quæcunque nos in nostri defensionem sive justa sive vero adduxissemus futura non dignovisset? Tu vero, nuntii præcipiebant, absque ullo præsulatus signo ad nostrum procedito tribunal. Gratia sit nobis ob hanc veritatem, neque enim dicam, injustitiam. Hinc enim veritatem apertissime ostendistis, vos, non ut judicaretis, sed ut contra nos præter fas latam sententiam stabiliretis, congregatos fuisse. O amorem fraternum a vobis tanti habitum. Probe igitur vereque supra veluti ex vobis innocens declaratus in his, quæ injuste passus sum, pro vestra dignitate respondi. Neque enim nostræ innocentiæ parva declaratio est, cum res supradictæ modo quo diximus processerint.

Sed quæ subsecuta sunt, fortasse quispiam magis ex canonum legumque præscripto actitata esse existimabit? Qui æquo animo audis, attendito. Ut enim secundum canones nobis nuntii missi sunt, qui hoc etiam in se canonicum continebant, cum non per præsules, sed laicos quosdam, & administros Clericos, facti sunt, Pauli vocem nos mutuo accipientes, ut Paulus clamans, Cæsarem appellavit, ita & ipse Cæsarem appello auditorem rerum mearum, & perturbationis expertem cognitorem voces has nostras cum illis, qui mala omnia in nos moliebantur, nunciis attulissent, inde reversi; haud fas est, inquiunt, tibi vel solo imperatoris aspectu frui. Ne id cogites, neque inde tibi utilitatem ullam expectes. An non etiam hoc, interrogabo enim te, quem oratio mea æquum auditorem appellavit, magnam ad jus observandum, meorum judicum propensionem ostendit? An vero si homicida, sive aliorum, quæ acerrimis pœnis prohibentur, facinorum patrator, imperatoris audientiam appellasset, pro quibus se injustitia affectum ab iis, qui calculum tulerant, cognoscit, ob appellationem criminis notam incurrisset? At nobis hoc quoque crimen reputatum est: nec dum capio quoddam aliud judicium reus præ illo, quod imperatoris est, appellabit. Etenim si cum, qui judicio sistitur, Patriarcha est, crimen, adversus Græcos odium, & in dogmatibus error, supervacaneum quid & prope inutilis imperatoris auditio reputata est, in quanam alia persona, & in quo alio judicio, qui similiobnoxii reputantur, præsentiam imperatoris appellabunt? Hac igitur ratione hoc quoque de nobis transactum est: tum deinceps synodus dissoluta est, & adversus nos coactus congressus dissipatus.

Tertia postmodum die Synodalis congregatio cum principum assistentia cogitur, iterumque cum eadem multorum ex vili plebecula improbitate, & si non omnium, impetus, & concursus, & nuncii prioribus non absimiles. Nos porro Deo nosmetipsos primum committentes, & animo postmodum quæ nobis utilia esse videbantur, revolventes, & ad accersentes accessum, & in spernendis imperiis contumaciam, æque periculosum esse deprehendebamus, illum si cum nostra defensione comitaretur, hanc, tanquam quæ nostra calumniantibus, plenam facultatem omnia agendi concessisset. Namque nostra præsentia cum defensione poterat ad nostra damna multitudinem concitare, quod in ea pars, quæ minus ratione uteretur, non nostri defensionem, sed conatus adversus nos publici accusationem, & demolitionem illam esse reputasset: & nos non nobis suppetias ferre, sed Latinis esse adjumento, si id ageremus existimaremur. Et forte etiam ob hanc eandem caussam sacrificium Deo offerre opinatus quispiam, neci nos pessimæ tradidisset. Talis enim homo est, & nulla ratione duce res dijudicat, cum de Deo ac Fide quæstio est, & judicium constituitur. Et contumacia magis ac magis in noxam nostram excitasset, tanquam quæ crimina. Cum itaque utraque nobis periculosa viderentur, tertium inire consilium decrevimus. Namque cum in omnibus nostris consuetudinibus invulneratam & nostræ pietatis infractam integritatem conservatam a nobis cum apprime teneremus, facto opus esse judicavimus, accef-

ANNO CHRISTI 1283.

cessum nempe non diutius protrahere, & satis pro nobis responsum, si nostræ fidei professionem emitteremus, reliqua vero omnia, quæ nobis adversarii contentiose opponerent, silentio pertransiremus, & ad omne, quod injuste passi eramus, vel inposterum toleraturi essemus, nihil tum responderemus. Quod & factum est. Et ad tribunal accessimus non judicandi, sed quam antea condemnationem subivimus, firmius reportaturi, ob quod ut videbatur, tantummodo nostram præsentiam studiose poposcebant, qui atrocissima quæque in nos moliebantur, & nobis præter injustitiam infamiæ quoque notam inurebant. Quæ enim tum dicimus? Quæ & audivimus?

Statim, illa, quæ nos de unione Ecclesiastica scripto tradidimus, in judicium vocata sunt. Et adversariis tantum illud incumbebat, disputationis stadium aperire, & ingens contradictionis certamen constituere, ut per pravas interpretationes, ad quas construendas illi nomothetarum magis more, quam demonstrationum methodis Patrum vocibus utuntur, vesaniorem plebeculæ multitudinem quasi lenocinio allicerent, sicque adversus nos victoriam reportarent. Nos porro eorum machinæ, & molimina cum non præterirent, erant vero, iram populi contra nos succendere, qui ab antiquo tempore famæ apud eosdem vulgatæ hærebant ad unionem stabiliendam maximum in modum ab eodem modo habitam studium nos nec exiguum contulisse. Et responsio quidem, utcumque illa fuerit, ita se habuit. Si de fide nos hodie inquirimur, palam & libere vocem sustollentes dicimus, credere, & profiteri, & tenere quemadmodum sancta catholicaque ecclesia profitetur, & tenet, a qua sacro lavacro abluti sumus, a qua sincerum Fidei lac hausimus, a qua sermones dogmaticos didicimus, quos ab infantia ipsa ad canitudinem hanc capitis peræqua ætatibus proportione pertractavimus, prius addiscentes, & postmodum docentes. Ad hæc

A vero, quæ subsecuta est eorum responsio, hoc in loco digerere, ineptum prorsus existimo. Namque Christianos nos & orthodoxos esse indices declararunt, nihilominus præsulatus privationem decreverunt, nescio qua ratione, & unde moti, ad simile decretum prolapsi sunt, & plane non aliunde, neque rebus aliis, nisi iis, quas supra præmemoravimus. Neque enim poterant vix compotis animi multitudinis rabiei, & effrænatæ appetitioni resistere, quam in se quisque convertendam fore putabat, si vel minimum illis obstitisset, quæ adversus nos potentes alioquin viri intentabant. Condemnatio itaque uti diximus, nec aliam ob causam hæc fuit.

B Nos vero qui tum propter jam adductas rationes nihil respondimus, nunc palam, apertoque, ut omnes audiant, ore, respondemus. Addecebat ne, o universi Sacerdotes, & qui divinorum canonum, & sanctarum constitutionum scientiam tenetis, sacerdotio eum privari, qui prælaudatam fidei professionem & animo credit, & lingua deprædicat? Orthodoxum nobis, o Judex, Christianismum attestaris, & sacerdotium adimus? Forte dices, quod pro ecclesiastica unione scripta publicaverim. Bene, bene, si nostra sententia non rectam sinceramque, & excellentissimo quodam modo pietatem præseferret: si res vestras imploravimus: si alienum ab ecclesia dogma introduximus.
C Quod si in his omnibus innoxii, & animo & mente sumus, & nostra scripti tractatio non alia erat, quam utriusque ecclesiæ nexus, bene & admodum utiliter Dei gratia procedens si quæcunque diximus, aut scripsimus mediatores nos, & pacificatores, non novorum dogmatum assertores comprobant, & non ut contra veritatem impudens audaxque lingua calumniantium contendit, quare indignum illis qui patiuntur, indignum & illis, qui ita decreverunt, de nostri sacerdotii ademptione decretum latum est?

ANNO CHRISTI 1283.

CONSTANTINOPOLITANUM CONCILIABULUM

In quo episcopi, qui utriusque ecclesiæ Latinæ & Græcæ conjunctionem procuraverant damnantur,

Georgio sive Gregorio Cypri CPtano archiepiscopatu potiente,

Anno facile 1283. habitum.

Paulo post a priori synodo, sed Patriarcha CPtano plane diverso, nempe sub Gregorio Cyprio, synodus altera CPoli convenit, id agente in primis Athanasio, qui Sardianorum episcopatu potitus Andronici nomen assumpsit. Hujus cogendæ causa prætendebatur B *tuendi schismatis studium; reipsa vero Arsenianæ factioni Andronicus ille favebat in primis. Hic imperatori Andronico, cujus favore pollebat, persuasit, ut coacta synodo de illorum causa cognosceretur qui in celebrem Græcorum cum Latinis conventionem operam suam contulerant; qua in re pro merito urgenda, quod segniorem se Gregorius præbuisset, ut ipsi quidem dictitabant, ideo synodo huic habendæ Chazalam quendam ab imperatore præficiendum jurarunt. His ita constitutis, quid in ea synodo actum sit exponit Pachymerus, cujus verba statim dabimus. Annus rei gestæ idem statuitur a Possino qui & superioris synodi fuit, nempe annus 1283. quod il-* C *le tota discussa Pachymerianæ narrationis serie deducit.*

Feria secunda hebdomatis, quam *Diakinesimam* vocant, statim sequentis post diem Resurrectionis, proponitur edictum imperatoris; & quia fuerat eatenus Monachus Athanasius in antistitem Andronicum transformatur; idemque non modo decernitur, & scribitur episcopus Sardium: sed in patrem, ac confessionum imperatoris arbitrum legitur.

Proponitur palam edictum imperatoris, Chalazam titulo spiritualis Augusti patris honestans; ac quidquid ipse decrevisset, ratum esse jubens. Delegatur præterea, qui personam imperatoris repræsentaret Michael Stra- D tegopulus, qui postea Protostratoris dignitate ornatus est. Locus autem conventui, cui & ipse adfuturus patriarcha esset, Deiparæ templum assignatur in Blachernis situm. Erat autem & hoc præter cætera statutum, ut quisquis adversaretur qualicumque istius synodi decreto, reus læsæ Majestatis ageretur. Præsidebant porro simul quidem patriarcha, simul autem Sardensis, una cum plurimis eorum qui occasione damnationis, & secessus Arsenii sese dudum a communione cæterorum absciderant. Assidebant ex diverso regii ministri missi ad exequendam inexorabiliter quamcumque synodus decerneret reorum ob acta nuper, & olim, tunc vituperabilia E visa, peragendorum vindictam. Tunc qui accusabantur Antistites singillatim causam dicturi, citati nominatim introducebantur, nihilque ibi audiebatur aliud, nisi: ducatur hic, aut ille. Mox cuique in faciem dica impingebatur violatarum legum. Plerique accusantium monachi erant, summam criminis in eo ipso constituentes, quod, ut quærebantur, persecutionem ab his injustam passi essent. Subito Judex, torve reum intuens, tollatur, ajebat; nempe impius, & malo dignus; acclamabant assessores. Quas ad voces imperatorii qui aderant, satellites, condemnatum vinctis manibus, & pedibus ignominiose trahebant foras; Monachis interim accusatoribus partim magna voce diris devoventibus damnatos, partim manus sacras non abstinentibus a pulsandis miseris & sacris eorum penulis, quas indigne gestari ab iis exprobrabant, contumeliose discerpendis. Dum ea per illam hebdomadam ita gererentur, nemine retia undique tensa crudelitatis vindictæ inhiantis effugere valente, haud obscuris indiciis deprehendebatur, iniquo hæc animo patriarcham ferre. At is, utcumque ringebatur mærore, ac indignatione intimis, cernens quæ fierent, sequebatur tamen præeuntes assentiens in speciem ipsorum placitis; cæterum clam damnans, & detestans immania decreta: adeo ut privatim apud fidas aures non dubitaret, synodum vocare, conciliabulum sceleratum. Denique cum eos, qui se ultro non sisterent, trahere frustra repugnantes per ministros imperatorios cœpissent, incessit eos cupido Theodori quoque Cyziceni coram se in reorum subselliis videndi. Quare satellitibus, ut eum abducerent mandarunt. Porro ille non comparere certus, quam potuerat tutissime se absconderat, in Prodromi monasterio, procellam sub tecto dum detonaret opperiens. Causa huic, & alii declinandi vadimonii non tam erat judicii periculum & damnationis aut de gradu dejectionis ignominiæ quam metus contumeliarum intolerabilium quibus se coram illic a vilissimis humunculis dehonestandos prius expertorum acerbitatem illam exemplo didicerant. Igitur missi a synodo corripuerunt repertum in latebris Theodorum. At ille obluctans resistebat; ut lepas petræ sic monasterio inhærens. Lictores trahendi impares sociis adhibitis vim ingeminabant; quam sæpius auxerunt aliis atque aliis accitis. Quorum inter summa ope conantium & ad invivisum tribunal raptantium infestas manus elapsus ille templi adita subiit, & inviolabili, ut putabat, sacræ mensæ asylo potitus inde per ecclesiasticos ministros quorum eo penetrandi jus est, denunciabat satellitibus se neutiquam quidquid contra molirentur inde abscessurum. Quare illi die in iis frustra consumpto coacti sub vesperam redire re infecta, ut synodo renunciarunt quod evenerat, perculsus qui ut judex sedebat, nempe, ait, inanis circa Cyzicenum longi temporis opera otium inutiliter consumpsit multis cæterorum absolvendis causis suffectûrum. Et his dictis surrexit; præscripta patriarchæ formula quam tenere deberet in aliis pari exemplo

plo puniendis. Ita post eos, qui vexati maleque multati præsentes fuerant, reliqui ut contumaces in absentia damnantur: hoc uno benigne agere in hos vilis feris illis arbitris quod acerbitates contumeliosissimarum incomitiationum in præsentes exercitarum remiserunt; loco movere non comparentes citra ignominiosam ipsorum adstantium traductionem contendit.

Sed ut ad synodi acta redeamus, in his & illud est. Ab augusta Theodora Fidei libellum exegerunt, prætereaque, ut scripto dato se renunciare profiteretur conventioni Ecclesiarum & Obedientiæ papæ paulo ante publice admissis: sancte denique polliceretur, se nunquam petituram persolvi viro suo defuncto justa funebria, decantatione psalmorum, & cætero ecclesiastico ritu celebranda. Harum rerum merces ostendebatur, honos commemorationis nominis ejus in ecclesia, inter sacra conjungendi cum nomine imperatoris ipsius filii. Ab Alexandrino item patriarcha postularunt Athanasio, ut assensu comprobaret suo damnationem, & dejectionem e gradu privatorum suis sedibus Antistitum: insuper ut ipse quoque diserte declararet pro irritis, perperam decretis se habere, quæ nuper in causa papæ ac conciliationis Græcæ cum Latina ecclesiarum statuta fuissent. Hoc postremum ab eo petendi causa fuit, quod is propter rationes a nobis ante memoratas, communicasset cum iis qui illa egerant. Addebatur hac dumtaxat conditione, si hæc scripto, & chirografo firmaret, ei tribuendum, ut e sacris Diptychis nomen ejus inter cæteros patriarchas memoraretur. At Antiochenus patriarcha Theodosius princeps, occulto tactus metu, ne quid hi gravius in sese consulerent, exterius tamen præseferebat, haud sibi probari, sed nec ad se quidquam arbitrari pertinere, quæ fierent. Ergo aspernabundus, & speciose securus, conscriptam abdicationem patriarchatus, Imperatore inscio, Antiochiæ reliquit, ipse in Syriam migrans; ubi Latinorum in potestate multæ tum adhuc, & magnæ civitates erant, Ptolemais, Berytus, Sidon, Tirus, oraque illa maritima universa, in qua Itali adversus Opes Æthiopum suum egregie imperium tuebantur. Clerus porro Antiochenus abdicatione principis accepta, concordibus calculis patriarcham creavit Hagio-Symeonitum Arsenium, virum præclara sanctimoniæ specie venerabilem, quem statim Constantinopolitani agnoscentes in communionem admiserunt, pronunciato palam ejus e Diptychis nomine. Postmodum tamen, fama sparsa, communicasse ipsum cum rege Armeniæ ab Ecclesia discisso, minime sumpto ad inquisitionem veri spatio, cupide mulctarunt honore isto, & e sacris tabulis ejus nomen expunxerunt. Contigit autem ipsum sub hoc tempus e vivis cedere. Quem est credibile, si vel modicum superfuisset, ad causam dicendam Constantinopolim venturum. Cæterum antistites ad ei successorem eligendum congregati duas in sententias scissi sunt. Cilices quippe Pompejopolitanum Dionysium, Syri vero, Cyrillum Tyrium in Patriarchatum vocaverunt. Inter quæ deliberante ac trepidante Dionysio, præoccupavit thronum Cyrillus, & in eo firmatus prævaluit. Igitur Alexandrinum hic Constantinopoli degentem nullo admodum doloris affecit sensu, quod inter patriarchas non recitaretur nomen ejus: societas enim in pari sorte multorum privatam ipsius molestiam levabat. Neque spes illi oblata istius honoris adipiscendi, magnum habuit illicium; præsertim quod caro emenda proponeretur; exacta in id comprobatione inconvenientium actorum synodi præsentis: quorum quin se fundum, & auctorem ferret, ac consequenter eorum invidiam in se susciperet, qui talia gerentibus communicaret, vitare non posse, facile videbat.

MEL-

MELFITANUM CONCILIUM

Anno 1284. habitum.

I.

Ut Græci in regno Siciliæ constituti addant in symbolo, Filioque procedit.

Extat ap. Mart Vet. Mon. to. VII. pag. 283.

SPonsa Christi, fidelium mater omnium & magistra, sacrosancta videlicet Romana ecclesia, orthodoxorum patrum atque doctorum firmissimis vallata sententiis, Spiritum-sanctum a Patre & Filio ab æterno publice tenet, docet & prædicat, & etiam profitetur. Cum itaque unumquemque fidelium, si salvus esse voluerit, & æternæ damnationis non subire judicium, cum ea sentire & tenere oporteat & etiam profiteri; nos inter eos, quos catholicæ fidei fovere debet integritas, nullius varietatis involutum vendicet locum, salubriter constitutione duximus statuendum, ut omnes Græci clerici in regno Siciliæ existentes, ut discrepare nequaquam videantur a capite, sed in præmissis salubriter sentire, cum ipsa in illa parte symboli, ubi dicitur *& in spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre*, hoc salubriter adjiciant, cantent & profiteantur firmiter & observent, *Filioque procedit*, illud in suis libris, in quibus symbolum scriptum habent, infra duos menses a tempore publicationis constitutionis hujus ad perpetuam & futuram memoriam faciant annotari. Ad quod si in animarum suarum periculum super hoc non fuerint concordes, volumus eos per locorum ordinarios vel prælatos per subtractionem & privationem beneficiorum compelli. Si vero locorum ordinarii vel prælati infra unum mensem prædictos duos immediate sequentem, super compulsione & correctione hujusmodi fuerint negligentes, tamdiu a pontificalibus, si episcopi vel superiores fuerint, quam minores qui immediate præesse noscuntur, ab officio, ipso facto, auctoritate constitutionis hujus noverint se suspensos, donec per illationem debitæ castigationis innoxios negligentiam suam in melius reformaverint. Et ad hoc ut hujus nostræ constitutionis salubre edictum effectum debitum efficaciter sortiatur, volumus quod per episcopos sive prælatos eosdem, sub pœna prædicta contra prædictos Græcos, singulis annis super hoc diligentius inquiratur. Datum Melfiæ v. calendas Aprilis pontificatus domini Martini IV. an. IV.

II.

Contra gravantes ecclesias & personas ecclesiasticas.

Cum felicis recordationis dominus GREGORIUS X. in concilio Lugdunensi omnes illos qui clericos, vel quaslibet alias personas ecclesiasticas, ad quos in aliquibus ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis spectat electio, pro eo quod rogati, seu alias inducti, eum, pro quo rogabantur seu inducebantur, eligere noluerunt, (ipsos) vel consanguineos eorum, aut ipsas ecclesias, monasteria, seu loca cetera beneficiis seu aliis bonis suis, per se vel alios spoliando, seu aliis injuste persequendo gravare præsumserint, ipso facto excommunicationis sententia se noverint innodatos: nos eidem constitutioni, ut in regno Siciliæ servetur in posterum, salubriter duximus adjungendum, quod quicumque clericos vel personas easdem, ad quos electio ipsa in locis prædictis noscitur pertinere, vel ipsorum consanguineos in personis seu rebus vel bonis eorum vel alias quomodocumque per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, ut aliquem vel aliquos eligere debeant, opprimere seu etiam gravare, præsumserint, ex hujusmodi injuriis, vel gravaminibus, vel pressuris, sive secuta electio fuerit, vel etiam non secuta, ipso facto, ut superius est expressum, excommunicationis sententiæ volumus subjacere: quam quidem constitutionem nostram volumus etiam ad provisionem extendi, ut idem in eo quod in electionibus superius exprimitur, observetur.

III.

Contra illos filios Græcorum qui contrahebant vel duxerant matrimonia, & faciebant se ad sacros ordines promoveri.

Sicut nuper ad nostrum pervenit auditum, nonnulli, qui nati sunt ex Latinis parentibus, dum in minoribus sunt ordinibus constituti, matrimonia contrahunt, & postmodum ritus volentes observare Græcorum, quos idem Græci semper habuisse ferunt ab ecclesia primitiva, durantibus matrimoniis hujuscemodi, se faciunt ad sacros ordines promoveri. Nos itaque insolentiis hujusmodi obviare volentes, prælatis omnibus districtius inhibemus, ne aliquem clericum conjugatum, uxore non emittente castitatis votum, ad sacros ordines promovere præsumant, nisi evidenter eisdem constiterit, quod iidem promovendi de Græcis parentibus sunt producti. Volumus autem quod prælatis, qui scienter tales duxerint ordinandos, per annum a collatione ordinum quos contulerint, sint suspensi, & ordinati ab officio & beneficio perpetuo sint privati.

IV.

Contra episcopos & alios prælatos, qui ducebant presbyteros Græcos ad sacrificandum Latinis.

Licet felicis recordationis dominus INNOCENTIUS papa IV. districte statuendo præceperit, ut quoties intra eamdem civitatem atque diœcesim, permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores, locorum pontifices viros idoneos debeant ordinare, qui secundum

ANNO CHRISTI 1284.

dum diversitatem rituum & linguarum divina illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instituendo verbo pariter & exemplo; nonnulli tamen abbates & personæ ecclesiasticæ, qui sub se habent ecclesias & populum Latinorum, avaritiæ dediti, quæ idolorum est servitus, non considerantes præmissa, quodque in diversitate hujusmodi, si Græcus Latinis divina officia celebret, ignorans Latinus populus & Græci sermonis ignarus, nesciet, ut est moris in ecclesia, sacerdoti *amen &c.* respondere, minime advertentes, sacerdotes Græcos Latinis ipsis præficiunt, qui eisdem celebrant & ministrant ecclesiastica sacramenta, pro eo quod eos minori pretio possunt obtinere conductos. Nos itaque volentes insolentias hujusmodi protinus amovere, hoc fieri sub pæna suspensionis, quam ipsos abbates & alios incurrere volumus, ipso facto, si confecerint, districtius inhibemus.

V.

Contra clericos habentes concubinas, & etiam contra ipsas concubinas.

Licet felicis recordationis dominus ALEXANDER papa III. duxerit statuendum, quod clerici, qui focarias habere noscuntur, per prælatos, ut eas a se amovere debeant, moneantur, eas de cetero minime admissuri; C ita quod, si adquiescere contemserint, eos ab ecclesiasticis beneficiis, usque ad satisfactionem condignam suspendere debent, & si eas suspensi detinere præsumserint, debent ipsos ab eisdem beneficiis perpetuo removere: quia tamen ex constitutione hujusmodi nulla vel modica utilitas provenit, propter negligentiam prælatorum, nos huic constitutioni, quam in regno Siciliæ observari volumus, duximus adjungendum, ut si clerici qui nunc habent publice concubinam, infra duos menses a tempore publicationis præsentis constitutionis hujusmodi computandos, concubinas a se taliter non amovent, ipsas vel alias in domo propria vel D aliena minime admissuri, ipso facto, ab officio, beneficio sint suspensi, & si eas retinuerint usque ad mensem alium beneficiis per locorum ordinarios perpetuo amoveantur: quam extendi volumus ad eos etiam, qui publice concubinas recipient in futurum. Quod si archiepiscopi, episcopi, & alii inferiores exemti, vel non exemti, ad quos spectat correctio clericorum, ad procedendum per correctionem hujusmodi contra tales clericos observandam fuerint negligentes, tamdiu ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos, donec constitutionem ipsam debitæ executioni mandabunt. Ut autem mulieres seu concubinæ hujusmodi, quæ in eo- E dem crimine scienter participant criminosis, pænam (debitam) non possint effugere, si infra tempus præfixum concubinarii, quod superius expressum est, ab eis non recesserint, numquam ad eos postmodum redituræ, vel aliæ fuerint, quæ de novo sibi concubinarios fecerint, ex tunc, ipso facto, excommunicationis sententiæ volumus subjacere. Ceterum ne prælatus aliquis ad pecu-

A niarum quæstum vel lucrum constitutionem hujusmodi præsumat convertere, districtius inhibemus, ne quis pecuniam vel emolumentum aliquod in utilitatem propriam concedere recipiat in hac causa: quod si contra fuerit perpetratum, si archiepiscopus, episcopus, aut abbas, vel alius prælatus exemptus extiterint, qui delinquunt in receptione hujusmodi, donec duplum ejus quod receperit in pios usus convertat; archiepiscopus vel episcopus a pontificali officio; abbas vero vel alius prælatus exemptus ab officio sit suspensus; alii vero abbates, minoris & inferioris gradus personæ, sententiæ excommunicationis subjaceant, ipso facto, a qua absolvi non possint nisi duplum B ejus quod receperint, in opus pietatis duxerint convertendum.

VI.

De procuratore statuendo post mortem prælati, & de ratione reddenda.

Cupientes ecclesiarum vel locorum ecclesiasticorum vacantium indemnitatibus providere, salubri hoc edicto in perpetuum valituro duximus statuendum, ut mortuo archiepiscopo, episcopo, vel abbate, seu quovis alio abbate, canonici, monachi, vel alii clerici ecclesiæ, monasterii, seu loci vel monasteriorum prædictorum procuratores constituant, qui custodiant bona, ac fructus, reditus & proventus, provenientes de bonis ecclesiæ, monasterii, seu loci hujusmodi recipiant, exigant, & conservent, de illis reddant capitulo annis singulis rationem. Nullus autem monachus, canonicus, conversus, clericus, vel laicus de bonis ecclesiarum & locorum hujusmodi appropriare sibi, detinere, distrahere, vel in alios (usus) quomodolibet illicite transferre præsumat; sed omnia futuro pontifici integre reserventur. Procuratoribus vero pro labore ipsorum, consideratis ecclesiarum & locorum facultatibus, & qualitatibus personarum, competens salarium statuatur. Si quis autem aliquid appropriare sibi contra constitutionis præsentis tenorem præsumserit, duplum eidem ecclesiæ infra mensem restituere teneatur. Canonici vero vel clerici ecclesiarum & locorum ipsorum, procuratores, qui & inventarium (non) fecerint, ac ablata reddere, & rationem, ut superius est expressum, ponere vel recipere contemserint, a beneficiis quæ ab eadem ecclesia tenent per triennium sint suspensi, si fuerint sæculares, & si infra tempus prædictum se ipsis ingesserint, ipsis perpetuo sint privati: si autem monachi seu canonici regulares, ineligibiles ad quamlibet dignitatem seu officium, vel beneficium perpetuo habeantur.

VII.

De probibitis alienationibus.

Quia nonnulli prælati ecclesiarum, etiam ecclesiastici viri, cupiditatis vitio laborantes, terras, domos & alia bona ecclesiastica immobilia ad longum tempus locare præsumunt,

ANNO CHRISTI 1284.

munt, in ipsius contractus initium recipientes aliquam pecuniæ quantitatem, & postmodum annis singulis longe minorem, quam ipsorum bonorum seu possessionum fructus valere noscuntur; & alii ad locationes hujusmodi faciendas inducuntur minis & terroribus laicorum: statuimus, & hoc edicto perpetuo inhibemus, ne aliquis prælatus seu clericus sæcularis seu etiam regularis, domos, terras possessiones vel quævis alia bona, loca ecclesiastica immobilia, aliquibus ultra quinquennium, nisi evidens & manifesta necessitas vel utilitas ecclesiæ prolixius locationis tempus exposcat, locare audeat vel præsumat: ex qua quinquennali vel prolixiori locatione pecuniam nullam recipiant, nisi, sicut tangit singulos, nomine pensionis; & locatio eadem semper licitationibus exponatur. Inhibemus insuper permutationes, venditiones, emphiteosim, & quoslibet contractus alios de rebus ecclesiasticis fieri, nisi in casibus a jure permissis: ita tamen quod in eis debita juris solemnitas observetur. Nos enim omnes contractus superius nominatos, si aliter eos fieri contingeret, irritos decernimus & inanes. Locatores vero & clericos etiam præbentes consensum eis sive regulares fuerint, sive etiam sæculares, nec non directe vel indirecte ut prædicitur, compellentes eosdem, excommunicationis sententia innodamus, a qua absolvi non possint, quousque de facto revocetur contractus, & ecclesia reddatur indemnis. Possessiones vero & quælibet bona immobilia ultra tempus prædictum aliis jam locata ab eisdem prælatis, protinus revocentur, & cum ad ecclesias ipsas redierint, non alienentur, vel locentur aliter, nisi sicut superius est expressum.

VIII.

Contra appropiantes & spoliantes ecclesias bonis suis.

Cultum divinum nonnulli ecclesiarum prælati & personæ ecclesiasticæ diminuere & enervare non verentes, parrochiales ecclesias & capellas sibi subjectas, vel in quibus monachus vel clericus sæcularis institui consuevit ad vitam vel ad tempus non modicum, cupiditatis vitio seu carnalitatis affectu, aliquibus laicis sub annuo censu concedunt, alii vero ad concessionem hujusmodi minis & terroribus inducuntur, nonnulli etiam, nisi timentes facere fraudem legi, bona ecclesiarum & capellarum ipsarum modo prædicto locare præsumunt, ex quo capellæ & ecclesiæ hujusmodi remanent bonis omnibus spoliatæ, ita quod in ipsis nullatenus vel minus debite in divinis officiis deservitur: Nos igitur locationes hujusmodi a jure damnatas penitus reprobantes, expressius inhibemus, ne aliquis prælatus, seu persona ecclesiastica, sæcularis vel etiam regularis, locationem hujusmodi faciat, seu facienti consentiat vel subscribat. Nam locationi consentientes & etiam subscribentes, nec non & laicos recipientes ecclesias seu terras modo prædicto, excommunicationis sententia innodamus, a qua nequaquam absolvi possint, quousque contractus sic de facto habitus revocetur totaliter, & ecclesia ipsa indemnis etiam conservetur.

IX.

Ut dictæ constitutiones inviolabiliter observentur.

Quia constitutionum editio, quæ ut plurimum pro reformatione status hominum producuntur, obtinere debet roboris firmitatem, universis archiepiscopis & episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis per regnum Siciliæ constitutis, tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, ut constitutiones, quas in generali vacatione prælatorum regni Siciliæ apud Melfiam in præsenti edidimus, observent, & a subditis suis faciant, inviolabiliter observari; & hoc ut efficacius ad notitiam perveniat singulorum, volumus quod constitutiones ipsæ per prælatos locorum singulis annis in eorum synodis publice recitentur. Datum Melfiæ v. calendas Aprilis pontificatus domini Martini papæ IV. anno quarto.

AD

ANNO CHRISTI 1284. 1285. 1287.

AD SYNODUM S. HIPPOLYTI IN AUSTRIA

Anno 1284. *habitum*,

ADDITIO.

An. 1284. „ SYnodi ad S. Hippolytum in diœcesi Pa„ taviensi acta ex Hansizio dedit vene„ tus Labbei editor; Hansizius vero ex Lu„ nig. Spicileg. ecclesiast. & ex P. Hieronymo „ Pezio edere se illa profitetur. Cum vero „ Pezius hanc ipsam synodum anno 1274. „ consignatam dederit, id typographi men„ do pro anno 1484. scriptum affirmat „ Hansizius, cum reipsa Lunigius ex Vien„ nensi codice sub anno 1284. produxerit. „ An vera sit hæc Hansizii conjectura de an„ no celebrati concilii ignorare me profi„ teor. Cæterum acta synodi a Pezio ex MS. „ cod. Seissensteinensi vulgata obiter tantum „ inspexisse Hansizium oportet; alioqui enim „ admonuisset lectores suos acta illa non ita „ plane congruere cum cod. Cæsareo Luni„ gii, sunt enim canones quidam in alteru„ tro qui non recurrunt in alio. Hic vero „ mearum esse partium duco geminos cano„ nes hujus concilii referre ex eodem Pezio, „ quos frustra repetas sive ex Hansizio, sive „ ex Veneto Labbei editore.

CANONES.

De vicariis triennio instituendis.

ITem quia mutationes Sacerdotum, quæ de anno in annum a plerisque fieri consueverunt, dispendium in dotibus, & scandalum in plebibus frequenter inducunt, & nihilominus generant pericula animarum; adiicimus districtius decernendo, ut vicarii locati in ecclesiis Plebanorum, quorum absentiam tolerámus, infra triennium non mutentur, nisi ex tali causa, propter quam ipsi debent coram suo archidiacono vel decano....

De anticipatoribus & supplantatoribus.

Item omnino supplantatores & anticipatores clericorum in ecclesiis & capellis a divinis volumus esse suspensos, ipsorum iniquitatem, si nobis legitime detecta fuerit, parati pœnæ subiicere graviori. Intelligimus autem anticipatores in proposito, qui plus exhibentes, vel etiam ante tempus pecuniam offerentes, Clericos in ecclesiis vel capellis institutos instituendos præveniunt & supplantant.

HONORIUS PAPA IV.

An. 1285. *Sedit ab anno* 1285. *usque ad* 1287.

AD HERBIPOLENSE CONCILIUM

Anno 1287. *habitum*,

ADDITIO.

An. 1287. COncilii Herbipolensis actis ea adjungenda censeo quæ Joannes Witoduranus in Chron. ab Eccar. in corpore historico med. ævi to. 1. pag. 1758. vulgato, adnotavit his verbis. *Honorius IV. misit in Theutoniam Legatum Episcopum Cardinalem, qui Rege præsente in Herbipoli solemne concilium convocavit, & quartam partem omnium proventuum a prælatis omnibus postulavit per annos quatuor. Cunctis ergo Episcopis, & aliis prælatis trementibus, & contradicere formidantibus surrexit Dominus Probus episcopus Tullensis, frater minor quondam lector Constantiensis, de Tuvving oriundus, & stans super baptisterium nobilissimum pro omnibus appellavit, & se confudit, quia de episcopatu contemptibiliter dejectus in pristinum saccum est reversus.*

Ex actis concilii hujus legendis apud Lunigium Spicileg. Ecclesiastic. continuat. III. pag. 500. canonem sequentem accepi, qui in actis apud Labbeum non legitur.

CANON.

De Claustralibus habentibus bona pignorativa.

Abbates, & Abbatissæ, & priores monasteriorum simili modo illos, qui possessiones ecclesiasticas titulo pignoris detinent obligatas, ex quibus jam receperunt ultra sortem, restituant prælatis ecclesiarum, quarum ecclesiarum sunt.

ANNO CHRISTI 1287. 1288.

AD CONSTITUTIONES DOMINI COELESTINI

Legati in Lombardia

Anno 1287. *editas*

ADNOTATIO CRITICA.

An. 1287. Ex meis ad Raynal. adnot. ad an. 1287.

CONcilio Mediolanensi Muratorius attexuit constitutiones *Gaufridi tituli S. Mauritii* presbyteri cardinalis A. S. L. quas Legatus ille edidit in Laudensi concilio assidentibus episcopis provinciæ Longobardiæ undecim. His constitutionibus titulum hunc offendit in veteri cod. præfixum vir doctissimus: *Incipiunt constitutiones domini Cœlestini legati in Longobardia*. Ambigua hæc & obscura arbitratur Muratorius, neque enim cohærere inter se existimat titulum hunc cum nomine Legati, qui in præfatione harum constitutionum exprimitur. In titulo enim est *Cœlestinus*, in præfatione vero *Gaufridus*. Suspicatur tamen deberi hæc Gaufrido Bardo qui per hos annos Romana purpura fulgebat, absumptusque fuit morbo, qui Romæ sæviit post funus Honorii IV. Sed virum doctissimum falli mihi plane exploratum est; Guifredus seu Gaufridus iste A. S. L. per Insubriam idem est *Guifredus tituli S. Marci* legatione per Insubriam a Gregorio IX. donatus. Idem vero anno 1237. vel circiter ad episcopatum Sabinensem promotus, dein sub nomine Cœlestini IV. Romanam cathedram ascendit; hinc natus titulus: *Constitutiones domini Cœlestini*. Mendum tamen irrepsit in titulum cardinalitium Guifredi, neque enim presbyterum cardinalem *tituli S. Mauritii* agebat; nullus enim fuit S. Mauritii titulus cardinalitius; sed potius cardinalis erat tituli S. Marci; cum tamen, pro more ejus ætatis, tituli hujus nomen prima tantum litera indicaretur, imperitus amanuensis legendum censuit *S. Mauritii* pro *S. Marci*. Concilium igitur hoc Laudense non anno quidem 1287. sed forte anno 1227. celebratum fuit.

NICOLAUS PAPA IV.

Sedit ab anno 1288. *usque ad* 1292.

SALZBURGENSE CONCILIUM

A Rodulpho archiepiscopo, occasione solemnis translationis lypsanum S. Vigilii Salzburgensis archiepiscopi,

Anno 1288. *celebratum*.

An. 1288.

„ COncilii hujus documenta huc illuc petita hic simul omnia exhibenda sunt. Ac primo quidem damus ea quæ de illo narrat Anonymus Leobiensis in chronico apud Pez Austriac. Rer. Scriptor. to. I. pag. 863.

Rodulphus archiepiscopus (Salzburg.) ad consulendum papam (Nicolaum) quomodo Albertum (ducem Austriæ filium regis Romanorum Rodulphi, qui cum archiepiscopo rem habebat) super castris quibusdam, quia eum nimium metuebat. Sed aliud consilium habere non potuit; nisi quod concilium indiceret, & in audientia suffraganeorum, & totius cleri publicaret sibi quod liceret facere, quod dux petiit juxta sanctorum sanctiones; ut per alios cognosceret, quod sibi pontifex petita non contemptibiliter, sed rationabiliter denegasset. Insuper præsentibus sibi suffraganeis corpus B. Vigilii Karinthianæ gentis apostoli cum psalmis & canticis transtulit, & cum maximis laudibus elevavit. Quingentis & 12. annis legitur quievisse. In tumulum ejus corpus venerabilis archiepiscopi Eberardi translatum de Rastat, quod ibi per 44. annos quieverat, collocavit.

„ De episcopis qui ad concilium istud, convenerunt hæc habet chronicon Salzburgense apud eumdem Pezium ibid. pag. 390. Translatum est corpus B. Vigilii per D. Rodulphum archiepiscopum Salzburgensem VII. id novembr. in concilio quod eodem tempore per eum extitit celebratum cooperantibus sibi suffraganeis suis Emicho Trisinsensi, D. Hainrico Ratisponensi, D. Wenhardo Pataviensi, D. Gurcensi Hertnido. D. Chunrado Chyemensi, D. Wernh (Wenhejo) Sevoviensi, D. Chunrado Laventino.

„ Encyclicam Salzburgensis archiep. epistolam, qua suffraganeos, cæterosque invitat ad synodum vulgata est in Anecdotis Pezii Codic. Diplom. par. 2. pag. 149. ex quo hic datur.

RUDOLPHI ARCHIEP. SALZBURGENSIS

Epistola encyclica qua suffraganeos suos ad celebrandum concilium provinciales &c. convocat.

IN hoc votorum nostrorum versatur intentio affectiva, ut vinea Domini Sabbaoth, quatenus vigiliis, & gubernaculis nostris a superna, & apostolica dispensatione est credita & decreta, vitiorum sentibus purgata & virtutum palmitibus implantata in gloriosi conditoris sui facie, & in conspectu cœlestis Agricolæ florens appareat gloriosa. Sape

ANNO CHRISTI 1288.

ne dum infirmitatis nostræ vires ad executionem tam alti operis præmetimur, id quod in hac parte mentis, & meditationis nostræ præsumit affectio, recusant humeri, non audent movere digiti, manus aggredi contremiscunt sine illorum consilio, & assensu, qui ad culturam præfatæ vineæ nobiscum in partem sollicitudinis sunt vocati. Ea propter operæ pretium nobis est, ut provinciale concilium diu ante nos omissum, & a nobis a creationis nostræ tempore intentatum juxta venerabilis capituli nostri consensum & monita congregare, in quo in digito Dei ejectis Dæmoniis, & ope summi opificis vulpeculis demolientibus vineam effugatis de venerabilium suffraganeorum, & aliorum prælatorum nostræ provinciæ industriosa providentia eradicemus morbida, consolidemus infirma, redintegremus deperdita, & commendemus pro meritis speciosa: & specialiter super reformatione morum, qui tam in clero, quam in populo Salzburgensis provinciæ propter facilitatem veniæ, & correctionis dissuetudinem sunt damnabiliter deformati, de vestro & aliorum patrum & fratrum in eodem concilio aggregandorum exquisito fideli consilio aliquod salubre remedium pariter cogitemus, & ecclesiarum necessitudinibus, quantum superabundans Dei bonitas ministraverit, quod singulariter non possumus, universaliter consulamus.

In quo etiam concilio corpus felicis recordationis Domini Eberhardi archiepiscopi, venerabilis prædecessoris nostri tradere, qua usque nunc cum tædio ac stupore animi nostri caruit, intendimus ecclesiasticæ sepulturæ. Signum enim in nobis esset dedecoris, si venerabile corpus illius, qui tot honorum insigniis Salzburgensem ecclesiam insignivit, sinamus ulterius jacere extra corpus ecclesiæ nostræ, quasi non fuerit digna memoria inhumatum.

In quo insuper concilio (imo quod ad ipsius celebrationem instantis concilii jam quasi per sexennium dilati non mediocriter nos admonuit nostrumque animum excitavit) proponimus de pleno fratrum consilio diem desiderabilem, & omnibus acceptabilem auctore Domino publicare, in quo venerandas reliquias sanctissimi corporis sancti Vigilii confessoris atque pontificis, secundi patroni sanctæ Salzburgensis metropolis, cui licet insufficientibus meritis sola Dei misericordia præsidemus, de humilitate loci, ubi diu requievit hactenus, in altari decentiore venerationi suæ in ecclesia nostra majori fundatum & ditatum a priscis temporibus, solemnitate devota & devotione solemni, Deo nobis propitio, & orationem sanctæ Matris ecclesiæ fulcienti suffragio disponimus transferendum. Non careret equidem indevotionis ignavia, si os sibi electi Dei confessoris gloriosi & benedicti in sæcula, jamdiu canonizati, & inter sanctos in sanctorum catalogo, jam adscripti, de communi nostra dissimulatione ultra fatiscat in terræ pulvere, cujus spiritum ante Deum in superno Divorum agmine non ambigimus exultare. Quem enim tam longe tam lateque miraculorum celebri claritate divina magnificavit dignatio, hunc revera prompto affectu humana debet devotio honorare.

Verum quia sine desideranda vestra præsentia non speramus per effectum commode posse fieri compotes tanti voti; ideo paternitatem vestram requirimus & monemus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ injungimus per præsentes, quin imo salva pulcritudine vestræ reverentiæ sub pœna excommunicationis, quam ex tunc prout ex nunc in vos ferimus in his scriptis, si mandati nostri inventi fueritis contemptores, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus simul cum omnibus abbatibus, præpositis, Archidiaconis, aliisque prælatis nostræ civitatis & diœcesis vestræ jurisdictioni subjectis, qui canonica impeditione non fuerint præpediti, vobiscum sub simili auctoritate vestra ordinaria specialis mandati districtione vocandis adducendis in nonas Novembris, ideft quinto die post instans festum omnium sanctorum Salzpurgæ in memorato concilio vestram curetis præsentiam proculdubio exhibere, ut vestrorum aliorumque suffragante consilio, quæ præmisimus, prosequamur utiliter, & prosequente nos Dei gratia salubriter exequamur.

„ Ad istud pariter concilium refert Pezius „ geminas epistolas Henrici Ducis Bavariæ „ inferioris, quas idem Pezius vulgavit ibid. „ pag. 139. ex quo hic.

AD PATRES SYNODI SALZBURGENSIS.

Ne quid statuant quod patriæ moribus & legibus repugnet.

Celebrationi vestri provincialis concilii favendo applaudimus & applaudendo favemus, sperantes quod in eo morum morbi curentur, viror virtutum refloreat, glorificetur Altissimus, ordo status ecclesiastici decus induat, & decorem. Verum quia interdum inferiores clerici, familiares superiorum pontificum, in hoc dominis suis complacere desiderant, quod circa conditionem statutorum sub verborum superficie quasi sub foliis pungitivas abscondunt sententias, anguem in herba, & scorpionem sic callide occultando sub testa, quibus sententiis cum sibi placuerit, principes seu terrarum Dominos tanto confidentius pungunt, feriunt & offendunt; quanto eas non de pharetra sui particularis consilii; sed potius ab auctoritate totius provincialis concilii jactitant emanasse: ideo vestra paterna sinceritas & sincera paternitas statutis edendis oculos circumspectionis aperiat, apponat, ut talis omnino cesset involutio laqueorum, & cum lex esse debeat patriæ conveniens, talia statui non sinatis, quæ patriæ sint in offendiculum, ipsisque principibus in offensam. Et nonne melius est unumquemque vestrum gladium suæ jurisdictionis, qui utique felix est mucro episcopi, fortiter in manu propria tenere per capulum, ipsumque, cum opus est exercere, & cum sibi placuerit, iterato mittere in vaginam, quam se in totum alterius in hoc submittere arbitrio, in alium quodammodo honorem proprium transferendo? Esset etiam forsitan formidandum, si statuta Sacerdota-

ANNO CHRISTI 1289.

lia, quæ mansuetudinis & modestiæ debent spirare odores, in gravamen principum & dominorum sæcularium verterentur, ne forte cogerentur & ipsi illis, & præsertim laicis, quos patriæ limes includit suo pœnis a lege permissis edicta facere, prout suæ tutelæ crederent opportuna.

AD CANONICOS SALZBURGENSES.

Graviter queritur de statutis Synodi Salzburg. quæ principum honori derogent.

Ibidem.

QUoniam una cum Reverendo patre Salzpurgensi episcopo unum corpus facitis, cujus ipse caput, vos autem comprobamini esse membra, & sicut ipse pontificatus honore præcedit, sic vos estis ejusdem ecclesiæ senatores, ideoque consistorio & consiliis ejus vos decet semper assistere super arduis negotiis debite requirendi; & ob hoc miramur si vestra discretio hujus scripturæ consensum adhibuit, quæ de suo concilio sub Constitutionum nomine dicitur exhiberi, per quam æstimatio principum læditur, pontificalis mansuetudo negligitur, & plura alia tam insolita quam indecentia inducuntur. Et quia inter alia de captivitate pontificum, & canonicorum cathedralium, nec non subversionibus episcopatuum pœnalis constitutio A asseritur poni, quæ etiam horrorem piis mentibus incutiunt, nec ponenda sunt, nisi contra hujusmodi scelera committentes: nos considerantes, quod crudelis est qui famam negligit, obnixe rogamus, ut justitiæ, & veritatis intuitu patentibus literis declaretis, nullius extare memoriam, quæ recordetur in nostris partibus alicui episcopo esse violentas manus injectas, vel aliquem Canonicum vestræ ecclesiæ captivatum inducentes, si fieri potest, archiepiscopalem animum; ut devotionem fidelium principum a favore Salzpurgensis ecclesiæ non repellat, prudenter & modeste revocans, quæ forte minus provide per sibilum mali consilii sunt suggesta.

B Mirandum etiam est, quod vos excusationibus aliquorum episcoporum fidere apponitis, num nullus eorum sigillum suum apponi faceret litteræ, quæ pro una libra denariorum Ratisbon. monetæ, vel Pataviensis dirigitur, nisi eam prius legat, & intelligat ter vel quater. Si tantum innocentes existunt, dicunt vobis litteræ patentes, continentes, quod licet statutis salutaribus bene consenserint, illis tamen, quæ principibus derogant, nec consenserunt, nec consentiunt, nec aliquo modo voluerunt eadem sigilla sua hujusmodi derogationibus applicari.

STATUTA SYNODALIA

Cadurcensis, Ruthenensis & Tutelensis Ecclesiarum Anni 1289.

ADMONITIO PRÆVIA

P. Martene.

Ex Mart. Anecd. to. IV. pag. 672.

Q*Uæ hic subjicimus antiqua statuta synodalia, ex tribus codicibus manuscriptis vetustissimis eruimus. Unum ministravit Neapolitana insignis monasterii S. Severini bibliotheca, ex quo illa descripsit noster Bernardus* de Monfaucon, *qui hic edenda ultro mihi ea concessit. Duos alios reperimus in nostro Parisiensi S. Germani monasterio. Codex Neapolitanus nullum præfert titulum, sed incipit a synodali Raymundi de Calomonte episcopi Ruthenensis epistola, desinitque in hæc verba*: Iste liber fuit compositus & publicatus tempore domini Nicolai papæ IV. & domini Simonis archiepiscopi Bituricensis in ecclesia Ruthenensi & in synodo generali, ciclo lunæ currente XVII. & littera dominicali B. & primo anno post annum bissextilem, & anno Domini MCCLXXXIX. ex præcepto & auctoritate reverendi in Christo patris domini Raimundi de Calomonte divina providentia episcopi Ruthenensis; quem librum una cum contentis & continendis in titulo sequenti cum consensu * capellani sui servari firmiter & perpetuo statuit, & præcepit in his tantum quæ rationi sunt consona sive juri. *Deinde subjicit alia ejusdem ecclesiæ statuta, concilium Bituricense sub Fulcrando archiepiscopo anno 1336. celebratum, statuta synodalia Girberti Ruthensis episcopi anno 1341. edita. Concilium Bituricense anni 1286. aliud item Bituricense concilium anni 1276.*

* f. capituli

Codex Parisiensis bibliothecæ S. Germani a Pratis num. 814. hunc habet titulum: Incipit synodale compositum per reverendum patrem in Christo dominum Guillelmum Dei gratia episcopum Caturcensem. *Hunc titulum sequitur synodalis ejusdem episcopi epistola, tum statuta synodalia eadem quæ in codice Neapolitano, sed quibusdam additionibus passim aucta, tum constitutiones editæ anno 1286. in concilio Bituricensi, quas excipiunt* Constitutiones antiquæ synodalis ecclesiæ Caturcensis, *dende* synodale seu Constitutiones cathedralis ecclesiæ Tutelensis. *Alter ejusdem bibliothecæ codex ita incipit*: Incipit synodale cathedralis ecclesiæ Tutelensis compositum per reverendum patrem Guillelmum Dei *&c. In inferiori vero ora marginali legitur*. Defenis officialis Tutelensis. *Eademque continet quæ in codice præcedenti. Ex his patet statuta ista synodalia primum edita fuisse jussu Raymundi de Calomonte episcopi Ruthenensis & anno 1289. promulgata, deinde eadem tempore Johannis papæ XXII. a Guillelmo episcopo Caturcensi quibusdam additionibus aucta ecclesiæ Caturcensi fuisse accommodata, ac postmodum circa idem tempus ab episcopo Tutelensi adoptata.*

Por-

ANNO CHRISTI 1289.

Porro cum Neapolitanus codex pura & sincera statuta, ut ab auctore edita sunt, exhibeat, illa ut in eo continentur hic præsertim repræsentare nobis proposuimus: præmissis tamen utraque epistola synodali, & editis Italico, ut vocant, caractere additionibus, quæ nobis alicujus visæ sunt momenti, deinde statuta unicuique ecclesiæ propria subiiciemus.

ANNO CHRISTI 1289.

EPISTOLA SYNODICA

Raymundi episcopi Ruthenensis.

QUoniam frequenter ex simplicitate & ignorantia sacerdotum; illorum præcipue quibus animarum cura committitur, plura emergunt pericula in collatione sacramentorum & regimine animarum; ideo nos Raimundus miseratione divina episcopus Ruthenensis, cum nostri capituli consilio & assensu quædam super iis utilia & necessaria in hoc libro synodali sub compendio tradimus, quæ de jure divino seu ecclesiastico sunt aut consona ratione, quæ a clericis nostræ civitatis & diœcesis in sacris ordinibus constitutis, & maxime rectoribus & capellanis curam animarum habentibus legi & sæpe & intelligi episcopali auctoritate præcipimus & mandamus, & diligenter & firmiter observari. Quorum transgressionem quæ inobedientiam induceret, castigatione debita prout res exegerit severiter puniemus; nisi forte juri alicui obviaretur, supra quod dispensare seu quicquam statuere non valemus, tunc enim ea volumus pro non statutis haberi.

Cum igitur synodus æstivalis ecclesiæ Ruthenensis in die martis & die mercurii proximis post quindenam festi Paschæ, synodus vero hyemalis in die martis & die mercurii proximis post festum beati Lucæ Evangelistæ consueverunt celebrari: præcipimus ut ad dictam synodum hyemalem veniant Ruthenam personaliter omnes prælati & clerici & sacerdotes curam animarum habentes dictæ nostræ diœcesis Ruthenensis, vel saltem vicarii seu capellani ministrantes in ecclesiis pro eisdem. Ad synodum vero æstivalem ambo per se & personaliter veniant, scilicet tam prælati quam rectores & capellani perpetui curati, quam pro eis ministrantes cum capellano curato. Et si forte infirmitate vel alia inevitabili necessitate seu causa, per nos vel officialem nostrum approbanda detenti, venire non potuerint: mittant tunc aliquem capellanum vel clericum loco sui, & nobis vel officiali nostro, causam suæ absentiæ studeant intimare. Transgressores vero temerarii hujus præcepti, qui eo ligari possunt & debent, ipso transgressu excommunicationem incurrant, & nihilominus prout nobis vel officiali nostro videbitur ulterius punientur.

Venientes autem ad synodum in eundo & redeundo honeste incedant, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se habeant, ne status ipsorum vertatur in opprobrium populo & contemtum.

Injungimus etiam omnibus qui debent esse in synodis, quod induti cappis clausis vel superpelliciis stent in synodis & jejuni, & diligenter mente intelligant salubria monita & mandata.

In qualibet parochiali ecclesia iste liber synodalis omnimode habeatur. Quem sacerdos parochialis clericis suæ parochiæ & laicis prout expedire viderit diligenter exponat, & eumdem librum ad synodos deferat, & coram se in synodo teneat. Et si de contentis in eo vel aliis dubitet, nos extra synodum consulat super eis. Et nullus in eodem libro sine nostra licentia aliquid addat vel minuat; alioquin pœnam falsi se noverit incursurum.

Nullus causas inducat ad synodum, quæ alio tempore coram nobis vel officiali nostro possent facilius & commodius expediri.

Sacerdotes verò parochiales, qui vicarios non habent, die dicta præcedenti synodum inquirant diligenter & publice in ecclesiis, an in suis parochiis aliqui sint infirmi: & si ita sit, antequam iter arripiant veniendi ad synodum, illos infirmos visitent etiam non requisiti, & eis dicant quod faciant quidquid boni potuerint ad suarum animarum salutem; præcipientes nihilominus eorum visitationem fieri per vicinos presbyteros in aliis vel eadem ecclesiis remanentes. Cum vero clerici in synodo fuerint congregati (ab episcopo) vel alio cui ipse jusserit, incipiatur ter antiphona *Salva nos Domine*, & ea completa cum suo versu & *Gloria Patri*, episcopus, flexis genibus cantando incipiat hymnum, *Veni creator:* & eo completo, dicat versum, *Confirma hoc Deus:* vel versum: *Emitte Spiritum tuum*, & clerus respondeat. Postea dicat episcopus: *Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Actiones nostras*, &c. Deinde archidiaconus dicat evangelium: *Misit Jesus duodecim.* Deinde fiat sermo litteraliter. Post hæc legantur statuta synodalia, vel pars illorum, & alia quæ secundum varios eventus temporis episcopus viderit expedire. In utraque vero die completo sermone, laici a loco ubi tenebitur synodus expellantur. Secunda die vero synodi incipit episcopus flexis genibus cantando alta voce: *Veni sancte Spiritus*, & postea legitur Evangelium: *Designavit Dominus Jesus.* Deinde fit sermo litteraliter, & postea leguntur reliqua statuta synodalia, & ea quæ ad salutem pertinent animarum. Et quia salus animæ secundum Augustinum a fide catholica recipit fundamentum, idcirco de ipsa primitus est videndum.

EPISTOLA SYNODICA

Guillelmi episcopi Caturcensis.

ONus regiminis quod ex officio jurisdictionis prælatis incumbit, tanto premit gravius, & a summo pastore principe districtior de ipso ratio exigitur, quanto subtilius ab ipsis de subjectorum salute quæritur & durius de neglecto regimine punietur. A quibus non solum de propria, sed de salute quæretur etiam aliena. Propter quod nos GUILLELMUS *ordinis fratrum Prædicatorum sola Dei patientia episcopus Caturcensis, licet indigni, considerantes susceptæ dignitatis officium,*

cium, quanti sit ponderis exercitium, quanti sit in executione laboris, ex bona ammonitione, quanti sit meriti, & ex neglecto periculo, ubi a summo judice requiretur in extremo judicio quod committitur in integrum, & cum usuris quod tribuitur ampliatum. Ad honorem SS. Trinitatis & gloriosæ Virginis Mariæ & B. Stephani prothomartyris, cujus titulo commissa nobis ecclesia gloriatur, & meritis gubernatur, pro exoneratione nostræ conscientiæ, cui cura imponitur, & a qua ratio in extremo judicio exigetur & commissæ nobis ecclesiæ & specialiter cleri, qui nostræ disciplinæ, quamvis indigni simus, sicut filii paternæ curæ subjicitur, quasdam constitutiones & ordinationes pro nostra & ipsorum populique salute scribi fecimus, ut ex scriptura frequenter inspecta fiendorum renovetur memoria, & perficiatur citius disciplina: quas præsentialiter promulgantes sub lxx. distinctionibus & capitulis divisimus, ea inferius sub rubricis propriis adnotantes tam ex antiquis constitutionibus prædecessorum nostrorum, quam ex conciliis provincialibus & legatorum apostolicæ sedis statutis & novis juribus & nostris novis statutis compilata, quæ a clericis nostræ civitatis & diœcesis, & maxime in sacris ordinibus constitutis rectoribus & capellanis & eorum vicariis administrationem seu curam animarum habentibus legi sæpe & sæpius & intelligi auctoritate episcopali mandamus, & diligenter & firmiter observari, nisi forte jura alicui obviarent.

In primis statuimus ad fatigationes nostrorum subjectorum removendas, & ut opportune qui congregandi sunt, omni excusatione semota, venire valeant, ut die Mercurii & die Jovis post festum Pentecostes synodus in nostra ecclesia cathedrali semel in anno celebretur, in qua de omnibus querelis, quæ inter diversos ecclesiæ ordines & beneficiatos nasci solent judicetur; ad quam omnes prælati & clerici nostræ civitatis & diœcesis, & sacerdotes & beneficiati curam animarum habentes, & eorum vicarii venire personaliter teneantur, nisi essent gravi infirmitate vel alia necessitate inevitabili per nos & officialem nostrum approbanda detenti, quod venire non possent; & tunc aliquem capellanum aut clericum mittere teneantur loco sui, qui nobis vel officiali nostro causam suæ absentiæ studeat juramento proprio intimare, &c. ut supra.

I.

De fide catholica.

Quoniam, ut Apostolus ait ad Hebræos, *Impossibile est sine fide placere Deo*: & Salvator in Johanne: *Qui non credit, jam judicatus est*. Et in Marco: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur*: & secundum Augustinum, fides est fundamentum omnium virtutum, ideo recte incipiendo a fundamento, instruendus est in fide populus ut salvetur. Videndum est igitur quid est fides, unde dicatur, in quibus consistit, quæ est pœna non habentis fidem, & quod præmium. Fides autem sic definitur ab Apostolo: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*. Substantia ideo dicitur, quia est fundamentum fabricæ spiritualis: sperandarum rerum, id est ipsarum beatitudinum æternarum, quæ nobis promittuntur in evangeliis & prophetis. Argumentum vero non apparentium dicitur, quia per sancta evangelia & veras scripturas & prophetias jam completas debemus habere argumentum, id est probationem non apparentium, scilicet tam de præteritis, ut Christum fuisse passum & similibus, & de præsentibus ut corpus Christi vere confici quotidie in altari; quam de futuris complendis, ut Christum venturum ad judicium, & unicuique secundum sua opera retributurum. Dicitur autem fides a fido fidis, vel a fidentia, id est, confidentia, quia per eam ut per quoddam lumen animæ ad Deum tendere vere confidimus: & hanc fidem habent mali sine caritate: & de hac dicit Jacobus: *Fides sine operibus mortua est*; boni vero cum caritate, de qua dicitur in Marco: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*. Consistit autem fides catholica in XIV. articulis fundatis de summa Trinitate & Incarnatione Verbi Dei. Quorum VII. pertinent ad Deitatem, & VII. alii ad humanitatem. Illorum qui pertinent ad Deitatem, primus respicit in se essentiam divinam, & alii tres immediate sequentes, personas essentiæ divinæ.

II.

De articulis fidei.

Primus est: *Credo in Deum*, & non dicit deos, ut notet unitatem essentiæ. Secundus est: *Credo in Patrem omnipotentem*: repete *Deum*. Tertius est: *Credo in Jesum-Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*, repete *Deum*. Quartus est: *Credo creatorem cœli & terræ*, & indicat creationis effectum. Sextus est: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum*, & indicat remissionis peccatorum effectum. Septimus est: *Credo carnis resurrectionem, vitam æternam, amen*, & indicat effectum glorificationis corporis cum dicit: *carnis resurrectionem*: & glorificationis animæ, cum dicit, *vitam æternam*. Illorum vero articulorum qui pertinent ad humanitatem est primus: *Qui conceptus est de Spiritu-sancto*. Secundus: *Natus ex Maria virgine*. Tertius: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus*. Quartus: *Descendit ad inferos*. Quintus: *Tertia die resurrexit a mortuis*. Sextus. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Septimus: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Alii autem distinguunt alio modo articulos fidei secundum numerum apostolorum, quorum quilibet dicitur apposuisse in symbolo suum articulum: & sic dicunt esse XII. articulos. Alii dicunt, quod sicut sunt septem dona Spiritussanct.: ita sunt VII. articuli fidei, scilicet, Incarnatio seu nativitas Christi, baptismus ejus, passio ejus sive mors, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio in coelum, adventus ad judicium: sed

ANNO CHRISTI 1289.

ſed primus modus melior & communior judicatur.

Sed in iſtis fuerunt aliqui qui erraverunt dicentes Spiritum-ſanctum a Patre procedere, non a Filio. In iſtis erroribus ſunt aliqui Græci. Alii quod Spiritus-ſanctus a Patre & Filio non procedit æternaliter, & quod ab eis procedit tamquam a duobus principiis, & duabus ſpirationibus, non una ſpiratione: ſed hodie iſti ſunt errores ſublati per conſtitutionem domini Gregorii papæ X. in qua dicitur quod Spiritus-ſanctus æternaliter a Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed una ſpiratione procedit.

Notandum etiam & tenendum hodie, quicquid aliqui alii dixerint, quod Chriſtus emiſſo jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis formaretur unica & immaculata ac virgo ſancta mater eccleſia conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati Æva ſibi in conjugem eſt formata, ut ſic certe figuræ primi & veteris Adæ, qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri, in noſtro noviſſimo Adam, id eſt Chriſto veritas reſponderet. Et ſic veritas Johannis evangeliſtæ eſt hodie approbata, qui dixit, quod Chriſto jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit, & quod per alios jam alias dictum eſt, per anticipationem, intelligitur dictum.

Notandum etiam & tenendum, quod ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectus vere ac per ſe humani corporis eſt forma, & qui ſentit contrarium hæreticus eſt cenſendus.

Notandum etiam, quod per virtutem baptiſmi parvulorum culpa remittitur, ac virtutes & informans gratia infunduntur quoad habitum: etſi non pro illo tempore quo ad uſum, licet multi theologi fuerunt aſſerentes gratiam parvulis non conferri. Per hæc etiam hodie ſunt declarata quæ antiquitus erant obſcura & dubia.

III.

Septem dona Sancti Spiritus.

Septem autem dona Sancti Spiritus ſunt hæc, ſcilicet donum ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, pietatis, timoris Domini. Primum & quartum conveniunt Patri; ſecundum & quintum, Filio; tertium & ſextum, Spiritui-ſancto, & ſeptimum, Filio. Præmium credentium fidem catholicam eſt vita æterna: pœna vero non credentium, gehenna perpetua. Licet autem clerici & præcipue ſacerdotes curati dictos articulos ſcire teneantur explicite, ut ſcilicet ſcire teneantur intentionem cujuſlibet articuli populo explicare: laicis tamen ſufficit eos ſcire implicite, id eſt, ſimpliciter, ut ſcilicet ſciant eos rude & ſimpliciter prout jacent: vel implicite in generali credant vera eſſe quæcumque credit eccleſia. Salvo quod ex naturali inſtinctu credant in ſpeciali unum eſſe Deum retributorem omnium bonorum, & punitorem omnium malorum. Imo frequenter debent inhibere laicis ſacerdotes, ne circa Trinitatem vel articulos fidei ſeu ſacramenta Eccleſiæ, rationem quærant quomodo vel quare ita ſit. Quia tanta eſt ſubtilitas fidei, quod ea quæ ſubſunt ei non poſſunt intellectu comprehendi. Fides etiam non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed dicatur eis quod credant ſine dubitatione firmiter omnia quæcumque catholica fides aſſerit, & ſancta Romana tenet eccleſia, quamvis in ſpeciali non habeant de omnibus intellectum, majorem fidem teſtibus fidei adhibendo, quam carnis oculis & aliis ſenſibus humanis, qui ex ſui fragilitate de ſubtilitate fidei nos, niſi per ſanctorum miracula plene certificare non poſſunt. Teſtes enim ſunt apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines & electi, quorum plurimi pro teſtimonio fidei diverſis cruciatibus affecti, probati inventi ſunt, quia & in vita & poſt mortem eorum, propter ipſorum merita divina potentia mortuos ſuſcitavit, cæcos illuminavit, contractos erexit, & ſanavit infirmos & innumerabilia fecit miracula, quæ in Chriſtianorum oculis apparuere frequenter. Doceant igitur ſacerdotes populum in dictis articulis fidei, & maxime cum infirmos communicant, ut credant firmiter, quod unus eſt ſolus verus Deus, incommutabilis, omnipotens; creator omnium, ſine principio & ſine fine, & ſunt in eo tres perſonæ, ſcilicet Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, & iſtæ tres perſonæ ſunt unus Deus. Item, circa fidem Incarnationis Verbi Dei, ut credant Dei Filium pro redemptione humani generis carnem aſſumſiſſe in beata Virgine de carne ejuſdem Virginis, non viri, ſed Sancti Spiritus operatione, & qui prius tantum erat Deus in ea factus eſt verus homo. Item, natum fuiſſe de eadem Virgine, in conceptu & in partu virginitate durante. Item, eundem Chriſtum conſputum, alapis cæſum, flagellatum & multipliciter irriſum in cruce mortem viliſſimam ſuſtinuiſſe. Item, eundem Chriſtum in anima & divinitate ad inferos deſcendiſſe. Et ab inde ſanctorum captivas animas eduxiſſe. Item, eumdem Chriſtum in ſepulcro corporaliter jacuiſſe. Item, eumdem Chriſtum in eadem carne glorificata tertia die a mortuis reſurrexiſſe, per * quem & nos omnes in carne quam gerimus reſurgemus; boni in carne impaſſibili glorificata; mali in carne paſſibili & damnata. Item, eumdem Chriſtum XL. die ad cœlos aſcendiſſe, & L. die Spiritum-ſanctum apoſtolis, ſicut prædixerat, tranſmiſiſſe. Item, doceant populum, eumdem Chriſtum venturum eſſe ad judicium, & unicuique ſecundum ſua opera redditurum, bonis vitam æternam, malis autem ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Item per ſacerdotes frequenter laici moneantur, ut ſciant *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & *Credo in Deum*, & ſe ſigno crucis ſignare, & quod iſta docere ſuos liberos non omittant. Item, in præceptis legis eſt populus inſtruendus.

* al. quam

IV.

De X. præceptis legis.

Præcepta legis ſumme ſunt cuſtodienda, & diligenter per ſacerdotes ſubditis exponen-

nenda triplici ratione. Primo, ut lumen ſpirituale recipiant juxta illud Pſalmiſtæ: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, ſcilicet ad videndum quid ſit faciendum & a quo abſtinendum. Secundo, ut mortem æternam caveant juxta illud in Johanne: *Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum*. Tertio, ut vitam æternam habeant, juxta illud Matthæi: *Si vis ad vitam æternam ingredi, ſerva mandata*. Sunt autem aliqui ſacerdotes, quod valde reprehenſibile eſt, mandata hujuſmodi ignorantes, quod in ſuarum & ſubditorum ſuorum periculum vertitur animarum. Sciant igitur ſacerdotes X. eſſe mandata legis, ſicut habetur in Exodo XI. capitulo. Primum præceptum eſt: *Non habebis deos alienos*. Secundum: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium eſt: *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*. Quartum eſt: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut longævus ſis ſuper terram*. Quintum eſt: *Non occides*. Sextum eſt: *Non mœchaberis*. Septimum eſt: *Non furtum facies*. Octavum eſt; *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nonum eſt: *Non concupiſces domum proximi tui*. Decimum eſt: *Non deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*. Quæ omnia his verſibus continentur;

Sperne deos, fugito perjuria, ſabbata ſerva.
Sit tibi patris honor, ſit tibi matris amor.
Non ſis occiſor, mœchus, fur, teſtis iniquus.
Vicinique thorum, reſque caveto ſuas.

Primo præcepto prohibentur iſta, omnis idololatria, omne ſortilegium, ſacrilegium, omne augurium & divinatio & hæreſis, & generaliter omnis amor creaturæ pluſquam Creatoris. In hoc etiam mandato præcipitur unus Deus colendus, ſecundum illud Deuteronomii: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*. Secundo mandato prohibetur omne illicitum juramentum, falſum, doloſum, blaſphemia, hoc eſt dictum: *Non aſſumes*, &c. ideſt, non jurabis pro nihilo, non falſum, non injuſtum, non mendacium, non in contumeliam Dei. Contra tertium faciunt, diebus Dominicis & præcipuis feſtivis ad eccleſiam ſine rationabili cauſa & ex contemtu non venientes, peccatis inſiſtentes, & dies feſtos quantum ad opera ſervilia & carnalia non obſervantes. Quarto mandato præcipitur principaliter honor parentum carnalium, qui conſiſtit in ſolatione illorum, in obſequio operum, in exhibitione neceſſariorum, in timore offenſæ, præceptis eorum obtemperando, & in ſigno, ſcilicet eis aſſurgendo. In hoc etiam mandato præcipitur honor prælati: in omnibus ſupradictis præcipitur honor Dei, in ſequentibus utilitas proximi. Quinto præcepto prohibetur deliberata voluntas, conſilium, auxilium, actus injuſte occidendi & odium fraternum, & omnis illicita iracundia, cum deliberatione percuſſio. Sexto prohibetur omnis coitus, excepto fœdere matrimoniali; puta, fornicatio, adulterium inceſtus, ſtuprum, peccatum contra naturam. Dare licentiam, conſilium, auxilium: locare ſcienter domos luxuriantibus, & omnis cum deliberatione præter legem matrimonialem humani ſeminis effuſio. Septimo prohibetur furtum, uſura, rapina, decimarum retentiones, debitorum denegationes. Octavo prohibetur adulatio, detractio in judicio, falſa teſtificatio, quæ fit amore, timore, rancore vel munere, & omnis oris falſitas in nocumentum ſui ipſius vel proximi. Nono prohibetur omnis illicita concupiſcentia rei alienæ immobilis. Contra hoc præceptum faciunt proximum injuſte impetentes, ad vendendum compellentes, mortem ejus deſiderantes. Decimo prohibetur concupiſcentia cujuſlibet mulieris non ſuæ, & rei mobilis. Contra hoc præceptum faciunt qui cogitant de ea, qui libenter recipiunt eam, qui petulanter loquuntur cum ea, qui muneribus ſollicitant eam. Iſte eſt unus modus ordinandi præcepta ſecundum ſuperficiem litteræ Exodi. Licet alii alio modo & alia conſideratione ea duxerint ordinanda, & in dictis præceptis debent populum inſtruere ſacerdotes. Item & in ſeptem eccleſiæ ſacramentis de quibus ſubſequenter eſt videndum.

V.

De ſacramentis titulo generali.

Videndum eſt quid eſt ſacramentum, & unde dicatur, & quot ſunt ſacramenta, & quare fuerunt inſtituta, & quæ ſunt neceſſaria, & quæ ſunt voluntaria, & quæ poſſunt iterari, & quæ non; & a quo fuerunt inſtituta, & a quibus debent conferri, & quæ appellantur ſacramentalia.

Sacramentum eſt ſecundum Auguſtinum inviſibilis gratiæ viſibilis forma. Dicitur autem ſacramentum a ſacris ſeu ſecretis virtutibus, quia ſub tegumento rerum corporalium divina virtus ſalutem ſecretius operatur. Vel dicitur a ſacro ſacras, & mens mentis, quaſi ſacrans mentem. Sacramenta vero ſunt ſeptem, ſcilicet baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, pœnitentia, extrema unctio, ſacer ordo, & matrimonium. De dictis ſacramentis prima quinque ſunt neceſſaria ideo quia ſine ipſis bellum diaboli ſuperari non poteſt. Unde baptiſmus eſt clypeus ingredientium fidem catholicam contra bellum diaboli, & dicitur janua omnium ſacramentorum. Confirmatio eſt clypeus pugnantium in bello, unde per eam dicitur robur dari, & Sancti Spiritus gratia augumentari. Euchariſtia eſt clypeus progredientium huc & iſtuc in bello mundi, & viaticum appellatur. Pœnitentia eſt clypeus regredientium a bello, & pro redeuntibus datur, & ideo ſecunda tabula poſt naufragium appellatur. Extrema unctio eſt clypeus egredientium cum triumpho, & ideo datur egredientibus de hac vita. Duo vero ultima ſacramenta, ſcilicet ordo & matrimonium dicuntur voluntaria, ideo quia ſine ipſis eſt ſalus. Inſtituta vero fuerunt ſacramenta triplici ratione, ſcilicet propter humilitatem, ut dum homo rebus ſenſibilibus & inferioribus ſe ſubiicit reveren-

renter, ex hac obedientia apud dominum magis mereatur. Item propter eruditionem, ut per illud quod foris in specie visibili cernitur, erudiamur ad virtutem invisibilem agnoscendam. Item, propter exercitationem, cum enim homo otiosus esse non debeat, proponitur ei in sacramentis utilis exercitatio & salubris. Iterari autem non debent baptismus, confirmatio, ordo. Alia autem sacramenta iterari possunt. Salvo, quod benedictio matrimonialis quæ sacramentalis est, iterari non debet.

Etiamsi sit consuetudo quod mulier virgo contrahens cum viro qui aliam uxorem habuit benedicatur; quia benedictio viri, vel e converso mulieris, tamquam magis digna, cum per carnalem copulam facti sunt una caro, attrahit ad se minus dignam: & cum talia sint spiritualia, & contra jura consuetudo non valet, nisi esset per papam confirmata. Immo capellanus dans benedictionem, ab officio & beneficio suspensus est, & cum testimonio litterarum sui episcopi ad sedem apostolicam est mittendus. Ex quibus apparet, quod alius dispensare non possit, nisi papa: & quod talis benedictio est sacramentalis. Et si sic suspensus se divinis ingesserit sicut prius, est irregularis, & solus papa cum eo dispensat: & ideo sibi caveant qui in talem pœnam inciderint.

Quinque vero de dictis sacramentis ab ipso Domino instituta fuerunt, scilicet baptismus, sacer ordo, eucharistia, pœnitentia, matrimonium. Alia vero, scilicet confirmatio, extrema-unctio fuerunt divino instinctu ab apostolis introducta. Sacerdotes etiam simplices conferre possunt & debent omnia sacramenta, exceptis sacramentis confirmationis & ordinum, quæ sunt a solis episcopis & superioribus conferenda. Sacramentalia autem appellantur benedictiones nubentium, sepulturæ, absolutiones defunctorum, & alia quæ sacramentis accedunt. Præcipimus igitur ut omnia & singula sacramenta a clericis, & laicis, & præcipue sacerdotibus in magno honore & devota reverentia habeantur. Sub excommunicationis & suspensionis officii & beneficii, & in virtute obedientiæ injungentes, ut quocumque tempore, & quacumque hora diei vel noctis sacerdos pro baptismo vel pœnitentia, vel eucharistia, vel extrema-unctione fuerit requisitus, omni occasione & mora postpositis, ad conferendum ea exhibeat liberaliter se paratum. Nullus quoque sine auctoritate legitima, seu absque nostra licentia ministret in diœcesi Ruthenensi vel Cadurcensi vel Tutelensi ecclesiastica sacramenta, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium in casu necessitatis, vel nisi de licentia rectoris seu vicarii ecclesiæ parochialis habentis canonicam occupationem seu voluntariam ad breve tempus.

Caveant autem ante omnia prælati ordines conferentes, & clerici illos recipientes, & omnes ministri ecclesiæ, ne ordines vel alia sacramenta vel beneficia seu dignitates, vel quoscumque actus spirituales, seu officia ecclesiastica conferant, recipiant, exerceant, administrent principaliter pro re aliqua temporali tamquam pro causa motiva primo & principaliter, sed solum sicut pro causa adminiculata & annexa sacramento; attendentes, ut scilicet sit ibi principaliter intentio spiritualis ad Deum non rei temporalis, sit intentio principaliter ad primum ut totum ad solum necessitatis stipendium: aliter non evadunt vitium simoniæ; quod peccatum in ecclesia Dei gravissimum reputatur. In tantum etiam quod recipiens per simoniam, aliquo dato vel promisso, ordines, vel dignitates, vel beneficium cum cura animarum, tunc ab illorum executione suspensus est ipso jure, & etiam deponendus. Committitur & simonia non solum si detur quid spirituale pro pecunia vel re alia temporali, immo etiam si propter preces indignas, vel timorem vel amorem carnalem vel famam popularem: unde versus.

Munus, lingua, timor, caro cum fama popluari,
Impediunt gratis spirituale dari.

Simoniacus tamen ex animi voluntate non præcedente pacto per solam confessionem & pœnitentiam liberatur, nec resignare cogitur, qui taliter acquisivit. Igitur districtissime inhibemus, ut cum dicta sacramenta, vel benedictiones nubentium vel sepulturæ, seu alia sacramentalia fuerint exhibenda, ante ipsorum exhibitionem plenariam, sacerdotes nihil exigant a subjectis, nec propter hæc fidejussores petant, vel juramenta, vel aliam cautionem, sed cum ea gratis exhibuerint, jura parochialia & alia consueta debita licite petant, prout justum fuerit & viderint expedire, ne cadant in hæresim prædictæ simoniacæ pravitatis. Est enim simonia species hæresis, ut dicit canon: cetera peccata respectu simoniæ, quasi pro nihilo reputantur, & cum habente beneficium per simoniam ante resignationem dispensari non potest. Si vero ante exhibitionem sacramentorum vel sacramentalium aliqua gratis exhibita fuerint sacerdotibus, illa recipere non formident.

Item, præcipimus, ut per omnes ecclesias, eucharistia, chrisma, oleum sacrum, & fontes sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne manus temeraria ad alia possit extendi. Si vero is ad quem spectat custodire ea incaute relinquat, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per ejus imperitiam nefandum aliquid inde contigerit, gravius punietur. Præcipientes ut singulis annis in die Jovis cœnæ presbyteri parochiales per se ipsos aut clericos, adultos tamen, chrisma novum, & oleum novum catechumenorum, quod exhibetur pueris baptizandis, & oleum novum infirmorum quod exhibetur infirmis, a nobis vel archipresbyteris nostris suscipiant, sicut est consuetum, & ante effundatur vetus chrisma & oleum infra fontes ecclesiæ baptismales, & ibidem diligenter abluantur ampullæ, vel intra ecclesiam vetus chrisma & oleum concrementur, & cum novo oleo catechumenorum per totum annum inungant pueros baptizandos, & cum novo chrismate baptizatos: & cum novo oleo infirmorum inungant infirmos. Et si forte contigerit quod oleum & chrisma deficiant, statim mittant ad archi-

ANNO CHRISTI 1289.

chipresbyteros pro chrismate & oleo, & si ab eis habere non possunt, vel sine periculo expectare, si aliquid residuum fuerit, admisceant illi residuo chrismatis, & illi residuo olei oleum olivarum non consecratum, & ex eis unctiones faciant supradictas. Et si forte negligentia vel errore loco olei cum chrismate puer inunctus fuerit, vel infirmus, non fiat ulterius inunctio olei, quia cum chrismate jam est facta, cum chrisma ex oleo & balsamo componatur. Quando vero inunctio est facienda cum chrismate, & fit cum oleo per errorem, vel illa quæ est facienda cum oleo infirmorum, fiat cum oleo catechumenorum vel e converso, suppleatur ad hæc chrismatis vel olei inunctio, quæ incaute fuerat prætermissa. Caveant ergo presbyteri a tali errore, alioquin graviter punientur. Et quia non est salus sine baptismo, juxta illud, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto non intrabit in regnum cœlorum*, ideo de baptismo pro modo est videndum.

VI.

De sacramento baptismi.

De baptismo, quia est janua omnium sacramentorum, primo videndum est, scilicet quid est, & a quo fuerit institutum; quis possit baptizare, & quis baptizari; quæ sunt necessaria ad baptismum, quot ejus species quis effectus. Baptismus est regeneratio spiritualis in certis verbis & aquæ ablutione consistens. Institutum fuit a Domino hoc sacramentum, cum Dominus a Johanne fuit baptizatus: præceptum, cum dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*; & cum dixit discipulis suis: *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Baptizare autem potest & debet episcopus, vel sacerdos, vel diaconus, si sacerdos commode haberi non potest, & in necessitate quicumque: Immo etiam tenet hoc sacramentum si conferatur ab excommunicato, hæretico vel pagano in forma ecclesiæ, licet conferri a talibus non debeat. Baptizari autem potest & debet quicumque, etiam si resistat infans non habens discretionem. Habens discretionem vero invitus non cogitur ad baptismum. Tria vero sunt necessaria in baptismo, scilicet intentio baptizantis, vel Ecclesiæ generalis, item elementum, scilicet aqua naturalis, & nullus liquor alius nec saliva, item verba, scilicet quod dicat baptizans baptizando, *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*, spargendo aquam supra caput seu majorem partem corporis ejus. Species baptismi sunt tres, scilicet fluminis, idest aquæ, cum dictis verbis, de qua specie communiter utimur, & flaminis, id est Spiritus-sancti, ut cum quis desiderans baptizari moritur, non habens aliquem qui baptizet eumdem; & sanguinis, ut fuit in Innocentibus, & potest esse in quolibet credente in Christum, & antequam baptizetur moriente pro Christo. Effectus baptismi est remissio omnium peccatorum, & salus æterna.

A Præcipimus itaque ut infans quam cito natus fuerit, si periculum mortis sibi immineat, ita quod presbytero nequeat præsentari, a circumstantibus masculis, si præsentes fuerint, baptizetur in aqua calida vel frigida, non in aliquo alio liquore, & in vase mundo ligneo vel lapideo, vel alio aliquo, vel si vas haberi non possit, fundatur aqua super capite baptizandi, & dicantur dicta verba, quibus debet aliquis baptizari. Si autem masculi præsentes non fuerint, a circumstantibus feminis baptizetur, etiam a patre vel matre, si alii non fuerint, a quibus valeat baptizari, sed quandiu alii fuerint, a patre vel a matre nullatenus baptizetur; & si ex necessitate, a patre proprio vel a matre B infans fuerit baptizatus, matrimonio inter eos in sua firmitate manente, nulla propter hoc injungatur pœnitentia baptizanti, qui ex hoc debet potius commendari. Si vero malitiose pater vel mater baptizaverit, vel in catechismo seu in confirmatione tenuerint infantem proprium vel infantem uxoris suæ ex alio viro procreatum, matrimonio, ut dictum est, in suo robore permanente, ad nos mittatur de tanto excessu a nobis pœnitentiam suscepturus. Si autem casu vel ignorantia id acciderit, non sunt in aliquo puniendi.

Et dicuntur ex malitia vir aut uxor talia facere, quando hæc faciunt, ut alter alterum C *non cognoscat carnaliter: scientes post baptismum cognationem spiritualem esse contractam, sive in confirmatione quæ impedit matrimonium contrahendum & dirimit jam contractum: licet cognatio quæ contrahitur per catechismum impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum: & ideo ex sua malitia non debent habere commodum; sed debent pœnam reportare.*

Item, statutum declaramus, & etiam prohibemus, ne quis de cetero in aulis vel in cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis in quibus sunt fontes specialiter deputati, ubi baptizandi debent deportari & adduci, libere baptizari præsumat, nisi D *sint filii regum vel principum, quibus in his deferre convenit; vel alia evidens necessitas: & si qui contra præsumserint, graviter puniantur.*

Ne propter imperitiam laicorum infans absque forma debita baptizetur, districte præcipimus, ut presbiteri frequenter admoneant & instruant plebem suam, ut cum ex necessitate aliquem baptizari contigerit, hanc formam in contraditione ipsius baptismi cum diligentia studeant observare, scilicet ut infantem ter mergendo in aquam, baptizans dicat sic *Petre*, vel *Martine*: *Ego baptizo te, in nomine Patris & Filii, & Spiritus-sancti amen*. Si tamen una tantum immersio facta E fuerit, erit nihilominus baptizatus. Et licet proprium nomen infanti non fuerit impositum, & patrinum vel matrinam non habuerit, nec dictum fuerit, *Ego*, dum tamen infantem immergendo in aquam a baptizante dictum fuerit, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*, erit infans nihilominus baptizatus. Idem dicimus, scilicet infantem baptizatum esse, si baptizans dixerit: *Baptizo te in nomine Christi*, quod tamen

ANNO CHRISTI 1289.

men non est laicis exprimendum, ne a forma prædicta statuta per ecclesiam recedatur. Si autem tanta copia de aqua haberi non potest, ut infans in ea totaliter mergi non possit, vel forte similiter mergi timeatur, ob fragilitatem pueri, quod ex totali immersione mortem posset incurrere, cum scutella vel cypho, vel alio vase aliqua quantitas aquæ super caput infantis effundatur curialiter a baptizante, & effundendo dicat baptizans: *Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti amen*, & erit infans nihilominus baptizatus. Hæc autem supra dicta, scilicet quod infans a laicis baptizetur, præcipimus in necessitatis articulo observanda, sed necessitate cessante, omnibus laicis baptizandi, et etiam clericis, nisi fuerint in presbyteros canonice ordinati, & catechismum faciendi interdicimus potestatem, sustinentes quod subdiaconus & diaconus prædicta possint facere ubi sacerdos præsens non est, vel ea non potest facere & necessitatis articulus noscitur imminere.

Cum vero secundum formam prædictam in necessitate infans a laico fuerit baptizatus, præcipimus, si supervixerit, ut presbytero quam citius poterit præsentetur, qui inquirat sollicite qualiter fuerit baptizatus. Et si dubitetur an puer sit baptizatus, quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in baptismo prolatis, vel circumstantes discordant, vel forte infans expositus inventus est juxta ecclesiam, vel alibi, nec habetur certitudo, vel aliquod signum utrum sit baptizatus an non: in his casibus faciat sacerdos catechismum, & baptizet ipsum sub his verbis, *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si baptizatus non es, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, amen*. Sed in tali dubio statur testimonio unius, si plures haberi non possunt: Si vero infans a laico baptizatus mortuus fuerit antequam presbytero præsentetur, & presbyteri dubitaverint an fuerit in baptismo debita forma servata, si de hoc certificari non poterit; in tali dubio infans in cimeterio ecclesiæ sepeliri debet. Et idem credimus posse fieri, quando est expositus juxta ecclesiam, vel alibi mortui reperiuntur; nec de baptismo ipsorum potest haberi aliqua certitudo. Si autem in baptismo dum infantes a laico baptizati mortui sunt antequam presbytero præsententur, inventum fuerit formam debitam non fuisse servatam, sed infantem expositum & mortuum inventum constiterit per scripturam, vel alia signa baptizatum, non esse, non debet in cimeterio ecclesiæ sepeliri. Ad hæc si sacerdos invenerit infantem a laicis juxta formam esse baptizatum, ita quod non sit de hoc aliquatenus dubitandum, non rebaptizet eum, nec faciat catechismum, sed inungat eum in pectore, & inter scapulas oleo benedicto sine illa interrogatione *abrenuntias*, & cetera, sed dicendo *Ego te linio*, & cetera. Tutius enim est, licet non sit necessarium, quod fiat prædicta inunctio. In hoc casu tamen inungat eum etiam chrismate sancto in vertice, dicendo orationes quasdam post baptismum, & facienda alia, quæ post baptismum consueverunt fieri, sicut in libris baptismalibus continetur. Si vero infanti pro baptismo ad presbyterum asportato non potest propter mortis periculum secure fieri catechismus, baptizet eum presbyter incontinenti, dimisso catechismo, & inungat eum oleo benedicto & chrismate sacro, & alia faciat quæ fiunt post baptimum, sicut superius continetur. Cum vero puer est sine periculo, capellanus cum solemnitate debita baptizet eumdem, & ante baptismum fiet inunctio cum oleo catechumenorum, & cum chrismate post baptismum.

Prohibemus etiam districte ne in patrinum regularis aliquis admittatur, nec aliquis alius qui in sententia est positus vel ligatus excommunicationis vel interdicti, vel quia non est confirmatus. Tamen si aliquis de prædictis patrinus fuerit, non nocet aliquid baptizato. Præcipientes, ut in catechismo, & baptismo, & confirmatione episcopali, unus tantummodo sit patrinus, hoc est unus in quolibet sacramento, quia ex hoc insurgit spiritualis cognatio, quæ impedit matrimonium contrahendum, & quando pro baptismo vel confirmatione provenit, jam dirimit contractum. Et qui fuit patrinus in baptismo, & confirmatione poterit esse patrinus, & pluries potest quis effici compater alicujus diversos baptizando infantes. Pueri, & muti, & surdi, & ægri, qui per se in baptismo respondere non possunt, per patrinum de fide respondere tenentur. Adulti verò per se debent respondere in baptismo de fide, in quo remissionem recipiunt omnium peccatorum antea commissorum, & sine confessione, dum tamen fideliter convertantur. Patrinus qui confitetur fidem pro puero in baptismo, tenetur ipsum instruere in fide & caritate.

Si propriam capullam propter paupertatem, vel aliam quamcumque causam non habeant, nec valeant habere, baptizandus cum capulla cum qua & alius fuerat baptizatus, quam sacerdos pauperibus gratis exhibeat, baptizetur. Capullæ vero ad humanos usus minime transferantur, sed in usus mundos ecclesiæ deputentur.

Si vero muliere in partu laborante infans extra ventrem matris caput tantum emiserit, & in tanto periculo infans positus commode haberi nequiverit, infundet aliquis vel aliqua de astantibus aquam super caput infantis, dicens. *Creatura Dei, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, amen*. Et erit baptizatus. Si vero non caput, sed aliud membrum emiserit, & super illud membrum aquam effundendo prædicto modo fuerit baptizatus, & postea vivus natus fuerit, non judicamus talem esse baptizatum, sed hoc piæ interpretationi relinquimus Altissimi creatoris. (*a*) Illud servatur in hoc episcopatu ab antiquo. Sed glossa de consecratione dist. iv. in cap. *proprie* super verbo *trium millium* tenet talem esse baptizatum. Præcipimus tamen ad cautelam ut baptizetur, eo modo quo dictum est de illis, de quibus est dubium an fuerint baptizati.) Si vero mortuus natus fuerit, corpus illud extra cimeterium, cum hoc suæ saluti, si vitam habuerit nocere non possit, præcipimus sepeliri. Postremo, quia frequenter contingit mulierem in puerperio decedere, & partus in maternis visceribus adhuc cre-di-

(a) Inclusa parenthesi desiderantur in duobus MSS. sancti Germani, quorum loco hæc habent Quia si pes vel manus solum nascatur, non non potest dici puer natus, sic nec renatus sed hæc duo æquipa antur. Item nullus se ipsum liberare potest, sed nec generare.

ANNO CHRISTI 1289.

ditur esse vivus: ex quo pro certo mulierem in puerperio decedere contigerit, si partum credunt vivere obstetrices, apposito statim id est subito post mortem, baculo in ore mulieris, ut sic infans cito spiramen recipiat, aperiatur mulier mortua per aliquam partem sine mora, ut partus, si vivus fuerit, baptizetur. Et ut quilibet se ad hoc exhibeat promtiorem, quicumque aperiendo taliter mulierem, partum procurabit baptizari, in remissionem sibi proficiat peccatorum. Et hoc per ecclesias annis singulis publicetur; si autem partus cum matre simul mori contigerit, sine apertione mulier in cimeterio ecclesiastico tumuletur.

VII.

De sacramento confirmationis.

Quoniam baptizati Spiritus-sancti robore confirmandi sunt, ne de facili corruant in peccatis, idcirco immediate de sacramento confirmationis videndum est, scilicet quid est confirmatio, a quo debet conferri, & cui, & quæ sunt in eo necessaria, & quis est effectus. Confirmatio est episcopalis in fronte baptizati chrismatio ad robur & Spiritus-sancti agumentum. Et definitur ideo sic, quia est sacramentum pugnantium, & datur ad robur contra diabolum. Debet autem conferri a solis episcopis & superioribus, & non ab inferioribus: quia apostoli quorum sunt etiam successores hoc sacramentum ministrabant. Debet autem conferri hoc sacramentum cuicumque baptizato fideli. Quinque vero sunt necessaria in hoc sacramento, scilicet materia sicut chrisma: forma, scilicet: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, amen;* intentio scilicet conferendi sacramentum; minister, scilicet solus episcopus vel superior: frons signatur confirmandi, ubi est sedes verecundiæ, ad insinuandum; quod dat gratiam, ut sine erubescentia nomen Christi libere protestetur. Effectus confirmationis est, quod eam recipiens fit perfecte Christianus, & in eo Spiritus sanctus augeatur, & robur ei detur contra diabolum & peccata. Et licet omissio talis sacramenti puero morienti non noceat ad salutem, prodest tamen viventibus, quia dat eis robur contra agones & prælia hujus mundi. Nocet etiam parentibus, quia si omittant ex contemtu, graviter peccant, cum sit necessitatis sacramentum.

Præcipimus itaque, ut sacerdotes moneant suos subditos, ut hoc sacramentum recipiant, & tempore receptionis sint jejuni; & si adulti sunt, de suis peccatis contriti & confessi, & quod bandellos mundos & latos & satis longos supra chrismationem in fronte positos tribus diebus deferant propter fidem Trinitatis; quibus elapsis, frons confirmati & bandellus abluantur a sacerdote super fontes ob reverentiam sacramenti. Bandellus vero ad humanos usus nullatenus transferatur; sed comburatur, vel in usus mundos ecclesiæ deputetur. Sacerdotes vero scientes circa se venturum episcopum, forte ad dedicationem ecclesiarum, altariorum, vel cimeteriorum, vel ad visitationem faciendam, moneant suos subditos, ut ad episcopum veniant, confirmationem ab eo recepturi, vel consilium seu pœnitentiam de suis peccatis, de quibus per suum sacerdotem absolutionem habuisse non poterant, suscepturi, & sermonem audituri. In confirmatione autem unus sit tantummodo patrinus, sicut dictum est de baptismo.

VIII.

De sacramento pœnitentiæ.

Sicut humano generi vulnerato ex culpa primi parentis baptismus est medicina, sic post baptismum lapsis pœnitentia reparatio est salutis. De qua videndum est, quid sit, unde dicatur, quæ sunt necesaria in pœnitentia, quis debet confiteri, & cui, qualis debet esse confessio, quæ sunt confitenda; & quis est effectus pœnitentiæ.

Pœnitentia, est secundum Ambrosium, mala præterita plangere & plangenda iterum non committere. Dicitur pœnitentia, quasi pœnam tenens, vel a penitendo, quia requirit quod peccator in se pœniteat ulciscendo quod commisit peccando. Tria vero principaliter debent esse in pœnitentia, cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio; qui sicut triplici modo Deum offendimus, scilicet cogitatione, delectatione, & opere, sic per actus contrarios eum nobis placabilem faciamus, ut cogitationi confessio, delectationi contritio, operi satisfactio opponantur. Confiteri autem debet omnis utriusque sexus ex quo est doli capax, quia nemo sine crimine vivit. Confitendum est autem episcopo, vel proprio sacerdoti parochiali, vel ex causa rationabili de ipsius licentia alteri sacerdoti vel illis qui super hoc ostendent se a sede apostolica potestatem habere; & in necessitate puta mortis articulo cuicumque etiam laico vel mulieri, non tamen hæretico, schismatico, vel pagano seu excommunicato, vel alii in notorio crimine persistenti. Quod tamen dixi de laico vel muliere, intellige quoad fidem sacramenti, non quod vere sic moriens sit a tali, qui claves non habet, absolutus, sed potest post mortem ratione fidei sacramenti, quam habuit, absolvi poterit a proprio sacerdote, quia nullus habet claves, nisi sit sacerdos. Confessio vero debet esse voluntaria, sicut fuit confessio latronis dextri in cruce; amara, juxta illud, *Rugiebam a gemitu cordis mei*; frequens, ut quotiens quis peccaverit totiens confiteatur; integra, ut omnia peccata exprimat, quia Dominus aut totum sanat aut nihil; discreta, ut non dicat se commisisse, quod non commisit, sed causa humilitatis possit dicere in genere se magnum peccatorem: & quod se accuset, & non alios, & quod peritum habeat confessorem de licentia proprii sacerdotis, si ille sufficiens non existat, & quod pura intentione confiteatur, & non ad vanam gloriam, neque in trascursu seu morose, licet festinare debeat ad veniendum, juxta illud; *Ne tardes venire ad Dominum, subito enim veniet ira illius,*

& in

ANNO CHRISTI 1289.

& in tempore vindictæ disperdet te.

Item, statutum, quod quæstores metropolitanorum non possunt subditos suffraganeorum suorum, ut compareant coram dominis metropolitanis vel eorum officialibus convenire: licet eisdem quæstoribus restiterint vel non obediverint in eorum quæstis faciendis, licet possint eos sub benigna eorum receptione vel subventione fabricæ ecclesiæ facienda caritative monere. Item, quod si episcopus alicui concesserit, quod possit sibi eligere confessorem, electus non poterit talem absolvere in casibus retentis per episcopum ipsi sibi, nec potest aliqua consuetudine introduci, ut quis sine superioris licentia eligat sibi confessorem. Item, monendi sunt per locorum ordinarios, & si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compellendi justiciarii & domini temporales, ut damnatis ultimo supplicio, si petant, non denegent, pœnitentiæ sacramentum, sed potius faciant ad eos venire confessorem: nec valent indulgentiæ ab uno vel a pluribus episcopis in dedicationibus ecclesiarum concessæ annum aut nimium excedentes, & in anniversario dedicationis remissio de injunctis pœnitentiis tempus xl. dierum non excedit. Item, quæstores non admittant, sine litteris nostris seu officialis nostri, nec tamen illi admissi permittantur prædicare populo, nec aliqua exponere, nisi solum indulgentias; nec permittantur, licet in eorum antiquis contineatur privilegiis, indulgentias populo proponendo, nec super votis dispensare, nec a perjuriis, homicidiis & peccatis aliis confitentes absolvere, nec male ablata in certa sibi data pecuniæ aliqua quantitate remittere, nec tertiam vel quartam partem de pœnitentiis injunctis, relaxare, nec dicere seu proponere, quod animas tres parentum vel plures amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, valeant, sicut mendaciter asserunt, de purgatorio extrahere & ad paradisi gaudium perducere, nec quod plenariam in remissione peccatorum possunt benefactoribus locorum, quorum sunt quæstores, indulgere, nec non reos absolvere a pœna & a culpa, etiamsi talia & similia faciendi sunt in eorum privilegiis concessa: cum sint quoad præmissa per dominum Clementem papam V. penitus revocata, quia cedebant in utilitatem, contemtum, & damnum ecclesiæ. Statuentes insuper, quod si qui quæstores hujusmodi vel alii inventi fuerint suis abuti privilegiis indecenter, ad nos capti vel officialem nostrum ducantur pro demeritis puniendi. Statuimus etiam quod fratres Prædicatores & Minores per suos superiores electi, & nobis & officiali nostro præsentati, prædicando & exponendo verba Dei & confessionibus audiendis & pœnitentiis injungendis, libere admittantur per priores, rectores, & capellanos & beneficiatos nostræ civitatis & diœcesis quoad præmissa. Declaramus tamen quod per nos seu officialem nostrum, seu alium loco nostri casus speciales per nos nobis ipsis retentos & inferius declarandos, nisi eis data potestas fuerit, absolvendi, confessos ab eisdem non possunt, jure prohibente, aliquatenus absolvere. Declaramus etiam cum forus judicialis & pænitentialis sint diversi, quod per concessionem hujusmodi per nos talibus factam seu aliis rectoribus, ut possint confessos a se in casibus per nos retentis absolvere a sententia excommunicationis ab homine vel a jure suspensionis vel interdicti: si tales ligati sunt, non possunt ab eis absolvi, sed per nos vel officialem nostrum; nec ante debent tales excommunicati ad pœnitentiam recipi, priusquam fuerint absoluti, nisi in periculo mortis fuerint constituti: quia excommunicatus exclusus est à communicatione fidelium & a participatione sacramentorum. Et hoc intelligimus de excommunicatione majori: excommunicationis vero minoris, quæ per participationem cum excommunicato sine monitione nominatim præcedente, contrahitur, quia de illa solus potest absolvere sacerdos. Et quia peccata confiteri debent, videndum est, de peccatis, & primò de mortalibus quæ sunt VII.

X.

De peccatis mortalibus.

Confitenda autem sunt peccata mortalia, quæ sunt septem principalia. Scilicet superbia, accidia, luxuria, ira, gula, invidia, avaritia, & quodlibet istorum habet suos comites. Superbia, quæ desiderat terrenæ injustitiam potestatis, habet comites, scilicet sævitiam, inobedientiam, impatientiam, imprudentiam, sæcularem pompam, inanem gloriam, jactantiam, hypocrisim, & præsumtionem. Accidia verò, quæ est quoddam tædium bonorum, habet comites, scilicet torporem, ignaviam. Luxuria quæ est informitas frangendi vires naturæ, habet hos comites, scilicet ventris ingluviem, vestis mollitiem, soporis resolutionem, coitus delectationem, & generat cæcitatem mentis, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, affectum præsentis sæculi, desperationem futuri. Ira, quæ plerumque innocentes damnat, & cum statim non remittitur, mortale peccatum est. Habet hos comites, audaciam, mutationem faciei, imprudentiam, & injustitiam, & hæc generat lites, contumelias & blasphemias, odium, tumorem mentis, clamorem, & indignationem. Gula, quæ est edacitas ultra condignum naturæ, generat ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem sensuum. Invidia, quæ intus & extra comburit hominem, habet hos comites, dolorem de bono, gaudium de malo alterius. Ex hac oritur odium, susurrium, detractio, afflictio in prosperis proximi, exultatio in adversis. Avaritia, quæ est radix omnium malorum, habet comites, scilicet rapacitatem, tenacitatem, pusillanimitatem, contemtum fidei. Ex hac oritur proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo contra misericordiam, cordis obduratio. Cave tamen ne sis promtus de facili judicare peccatum mortale, nisi per veram scripturam manifestum sit esse mortale: quia forsan aliqui de facili desperarent, sed potes quærenti respondere peccatum est, & fac pœnitentiam. Hoc tamen sit tibi pro regula, quod cum aliquid committitur in contemtum Dei, ut in hæresi; & contemtum Ecclesiæ, ut in re-

bel-

ANNO CHRISTI 1289.

belli & in obstinata inobedientia, vel in detrimentum proximi, ut in rapina seu alias male quæsitis; vel in opprobrium sui, ut in fornicatione, mortale est, & de his, & aliis mortalibus confiteri oportet, si in memoriam habeantur: alias sufficit confessio generalis, nisi reducerentur postea ad memoriam, quia tunc essent specialiter confitenda, quia venialia nisi durent, per orationem Dominicam delentur. Frequenter igitur moneant suos subditos sacerdotes dicta peccata mortalia fugere, & plusquam morte timere. Mors enim solum corpus interimit; dicta verò peccata corpus & animam perire faciunt in infernum; quæ peccata effugiunt, si septem operibus misericordiæ invigilent, ideo de his subjungamus.

XI.

De septem operibus misericordiæ.

Septem opera misericordiæ corporalia & septem spiritualia. Corporalia sunt esurientes pascere, sitientes potare, nudos vestire, hospites suscipere, infirmos visitare, & incarceratos consolari, mortuos sepelire, & hæc opera sunt corporalia.

Spiritualia verò septem opera misericordiæ sunt hæc, consilium dare, errantes corrigere, tribulatos confortare, injuriam dimittere, patienter illata sustinere, pro aliis orare, discordes pacificare. Qui enim opera hæc misericordiæ, quæ dictis septem vitiis principalibus opponuntur, facere neglexerint, dicetur eis secundùm evangelicam veritatem voce terribili: *Ite, maledicti, in ignem æternum. Et ista per hos versus melius memoriæ commendantur.*

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et quia quisque facilius ista complet, si in se septem virtutes principales habet. Ideo videndum est breviter de ipsis.

XII.

De septem virtutibus principalibus.

Sunt enim septem virtutes principales, tres theologicæ, sine quibus non est salus, videlicet fides, spes, caritas. Et quatuor cardinales sive morales, videlicet temperantia, prudentia, justitia, fortitudo. Sunt & septem dona Spiritus-sancti & septem dona baptismi: quæ omnia scire debent sacerdotes. Septem dona Spiritus-sancti sunt spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & timoris. Sicut sunt VII. dona Spiritus-sancti, sic sunt septem dona baptismi secundùm Hugonem. Primum est collatio sacramenti salis, quæ ponitur in ore baptizandi, ut per sal typicum sale sapientiæ cœlestis conditus fœtore careat iniquitatis. Secundum donum est aurium & narium apertio cum sputo, ut per salivam figurativam & sacerdotis tactum sapientia & virtus A *divina salutem ejus virtutis catechumenum operetur, ut aperiantur ei nares ad capiendum odorem notitiæ Dei, & aures ad audiendum mandata Dei, & illi sensus in intimo corde ad respondendum de fide. Tertium est frontis & pectoris crucis signatio, ut ab eo tempore apostata diabolus in vase suo, id est corde humano pristinæ suæ interpretationis cognoscens signaculum, sibi deinceps illud sciat alienum. Quartum est olei sacri permixtio, ut sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur. Ungitur enim illius pectus oleo sanctificato cum invocatione Sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo remaneant, sed in fide Trinitatis mens ejus confortetur. Quintum est ablutio baptismi, in qua descen-* B *dit Spiritus-sanctus invisibiliter; sed primo descendit, cum Christus fuit baptizatus quasi columba, ut increduli per signa vocarentur ad fidem: nobis autem nec per signa; sed per fidem veritas est colligenda. Sextum est in vertice chrismatis unctio a sacerdote facta, ut regni Christi particeps fiat, & a Christo christianus possit vocari. Septimum est confirmatio chrismatis in fronte per episcopum, ut robur obtineant, ut superius clarius dictum est. De venialibus autem peccatis pauca ratione exempli ponamus.*

ANNO CHRISTI 1289.

XIII.

De venialibus peccatis.

Sunt enim secundùm Augustinum venialia; quotiens quis plus comedit, potat, loquitur, tacet quam expedit; quotiens pauperem importune petentem exasperat. Quotiens aliis jejunantibus ultra jejunia constituta quis sanus comedit. Quotiens somno deditus tardius ad ecclesiam surgit. Quotiens excepto prolis desiderio, vel causa reddendi debitum, vel quia continere non potest uxorem cognoverit, quotiens in carcere positos tardius requisierit, infirmos tardius visitaverit, si privatus discordes ad concordiam revocare neglexerit, si plusquam oportet, vel uxo- D rem vel filios, vel servum exasperaverit, si cuiquam adulatus fuerit, si se fabulis ociosis occupaverit; si incaute jocando juraverit, & ex aliqua necessitate implere non potuerit, si cum facilitate, vel temeritate maledixerit. Hæc igitur venialia & consimilia, si in consuetudinem reducantur, vel plurima colligantur, gravia reputantur, & ideo tunc sunt specialiter confitenda. Ante verò consuetudinem vel sine collectione minora venialia dicuntur, & sunt saltem in genere confitenda. Minima verò venialia dicuntur quæcumque cogitationes peccati, quæ non pervenerunt ad consensum. Et hæc duo genera venialium, scilicet minora & mini- E ma, non solum confitendo, immo sine confessione speciali multis modis delentur, scilicet per assumtionem Eucharistiæ, vel per aspersionem aquæ benedictæ, vel per jejunia, vel eleemosynas, vel per orationem dominicam vel devotam pectoris tunsionem, vel per generalem confessionem, vel per benedictionem episcopalem, & per extremam-unctionem. Effectus pœnitentiæ est, ut per ejus medicinam peccatoribus spes vitæ reparetur æternæ.

ANNO CHRISTI 1289.

næ. Item, nota quod episcopi & superiores, & non inferiores generales indulgentias & remissiones, quas quæstores deferre consueverunt, facere possunt, & eorum subditis tantum prosunt, & etiam archiepiscopi per totam suam provinciam habent effectum ut exprimitur in eisdem.

XIV.

Casus episcopales.

Casus vero episcopales in quibus pœnitentes ad episcopum sunt remittendi sunt isti, scilicet omnis peccator publicus & vulgatissimus; cujus peccatum universam urbem, villam vel castrum vel parochiam commoverit. Item, pro hæresi. Item, pro simonia ex pacto commissa, & pro omni excommunicatione majori, & pro interdicto & suspensione, & pro irregularitate, ut ipse episcopus absolvat si potest, vel ad superiorem remittat. De minori excommunicatione enim absolvere potest non solum episcopus, sed etiam sacerdos. Item, mittendi sunt ad episcopum incendiarii. Item, Christum vel sanctos ejus publice & enormiter blasphemantes. Item, pro commutatione voti, & ejus fractione. Item, si episcopus incipit audire confessionem de aliquo peccato, & prædicti casus probantur a jure. Item, & in aliis peccatis quorum absolutionem episcopus de usu suæ diœcesis retinere sibi specialiter consuevit, est ad episcopum missio facienda, ut est in hac diœcesi Ruthenensi de homicidiis. Item, de oppressione infantum ex hoc morientium, de quo frequenter debent sacerdotes monere in suis ecclesiis publice mulieres, ne secum cubent parvulos infantes, quia sæpe dormiendo illos suffocant opprimendo. Item, de sacrilegiis. Item, de falsariis & abusoribus litterarum sedis apostolicæ, vel legatorum ejusdem. Item, de falsariis sigilli vel litterarum episcopi, vel officii sui. Item, de violatoribus ecclesiarum, seu immunitatis & libertatis ecclesiasticæ. Item, de sortilegiis, non tamen levibus, & maxime si cum Eucharistia vel chrismate, vel aliis rebus sacris committantur. Item, de vitio contra naturam enormi. Item, de his qui coeunt cum Judæa, vel Sarracena, vel cum bestiis. Item, de incestu, qui committi dicitur cum consanguinea seu fratris uxore, seu alia affini. Item, de defloratione virginum. Item, de eo qui cognoverit monialem. Item, de perjurio. Item, de clandestine matrimonium contrahentibus. Item, de clericis per saltum promotis. Item, de illis qui faciunt se sine licentia proprii episcopi per alios episcopos ordinari. Item, de illis qui infra ecclesiam luxuriam commiserunt. Item, de muliere quæ de adulterio concepit infantem quem maritus credit esse suum, propter quod heredes legitimi hereditate fraudantur. Item, de muliere, & aliis procurantibus abortivum. Item, de falsis testibus. Item, de illis qui, contractis sponsalibus cum juramento & non dissolutis, contrahunt cum aliis. Item, de excommunicatis & interdictis turbantibus divina officia, qui ad monitionem sacerdotis exire nolunt ecclesiam. Item, de illis qui scienter excommunicatorum corpora in cimeterio sepelire præsumunt. Item, de peccato luxuriæ commisso inter mulierem & confessorem suum, vel proprium sacerdotem, vel compatrem suum. Item, de injicientibus manus suas violenter in parentes. Item, de schismate. Item, de sacerdotibus vel ministris, quorum negligentia ad inhonestum circa sacramenta, & maxime altaris quocumque modo evenerit. Item, restitutio & distributio illicite adquisitorum, non inventis his quorum hæc fuerunt, seu hæredibus eorumdem, est de jure episcopi arbitrio facienda. Hoc tamen restringimus, scilicet si quantitatem quinquaginta solidorum Cathurcensium (vel) Ruthenensium excedant. Aliis concedimus de gratia quod fiat arbitrio sacerdotis. Item, de dubiis quæstionibus, & maxime circa matrimonium & alia sacramenta est episcopus consulendus. Si vero confitentes hæc peccata ad præceptum sacerdotis, ad nos nullatenus venire noluerint, in suis peccatis & duritia remanentes, sacerdos nobis hoc non designata persona significare procuret, ut adhibeamus super hoc remedium salutare.

Item, nota quod septem sunt casus in quibus potest quis confiteri alii sine licentia proprii sacerdotis. Primus est si sit vagabundus. Secundus est, si pro certo sciat vel credat indiscretum proprium sacerdotem. Tertius, quando transtulit domicilium in aliam parochiam, constituens se habitare ibidem. Quartus, cum quis proprium relinquens domicilium, quærit iter faciendo, vel navigando domicilium quo se constituat. Quintus, si in alterius parochia deliquerit. Sextus, ratione studii. Septimus, si immineat mortis articulus, vel justi belli introitus.

Item, nota quatuor esse casus, in quibus peccata semel confessa debemus iterum confiteri. Primus est quando facta confessione proprio sacerdoti imperito, de licentia ejus vadit peccator ad peritum. Debet enim illi perito omnia confiteri. Secundus est, si peccator contemsit satisfacere & pœnitentiam sibi injunctam implere. Tertius est, quando audita confessione attendens sacerdos, quod ipse non potest absolvere; quia est casus episcopalis, vel aliter ad eum non pertinere: debet superiori peccator de omnibus confiteri, nisi superior ipsum remittat super aliis sacerdoti. Quartus est, quando peccator ficte venit ad pœnitentiam vel aliquod peccatum celavit scienter.

Item, nota quod sacerdotes volentes audire confessiones saltem quatuor de necessitate scire tenentur. Primo ut sciat sacerdos ad quæ peccata potestas sua se extendat, quod potest scire maxime per supra dicta & per notitiam casuum episcopalium. Secundo, ut sciat quæ sunt mortalia peccata, & quæ venialia. Tertio, ut sciat quod alia pœnitentia datur pro mortali, alia pro veniali. Quarto, ut sciat formam absolutionis, videlicet ut sciat *Misereatur tui, &c. Et ego auctoritate qua fungor vel mihi concessa absolvo te*, &c.

Præcipimus itaque, quod parochiales presbyteri frequenter moneant plebes suas, quod ju-

juxta statuta concilii generalis *Omnis utriusque sexus fidelis*, clericus vel laicus postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. Nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob causam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa sua confiteri peccata voluerit, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote. Præcipientes districte ne aliquis sacerdos super hoc requisitus præsumat alicui malitiose licentiam hujusmodi denegare. Moneant etiam frequenter presbyteri plebes suas ne moram faciant in peccatis, & ut ad confessionem veniant, quam cito potuerint commisso peccato propter incertitudinem horæ mortis, & quia in ægritudine vix potest aliquis pœnitere de peccatis, sed nec etiam cogitare, quia ut ait Hieronymus cum ægritudine oppressus es, vix potes aliter cogitare quam sentis, & illuc rapitur intentio mentis ubi est vis doloris; & maxime principio quadragesimæ quod ad confessionem veniant, certificantes eos, quod si jejunia & orationes & alia quæcumque bona faciant in mortali peccato, eis non proficient ad salutem. Præcipimus etiam, quod illi qui confessiones audierint, in loco patenti ecclesiæ & non in occulto, & cum stola in collo audiant confitentes. Si qui vero confitentium surdi fuerint, cæci, vel muti; inducat eos presbyter, prout melius poterit, ad contritionem & pœnitentiam, vel nutibus atque signis. Habeat autem sacerdos sollicitudinem diligentem, ne dum audit confessionem, respiciat in facie confitentem, & precipue mulierem, & capucium in capite vestitum teneat, & caput inclinatum; & si peccatum horribile intellexerit, non spuat, non caput vertat vel faciem huc vel illuc, aut signum vel nutum faciat, seu aliquod verbum proferat per quod peccatorem abominet vel peccatum; ne peccator sic rubore confusus peccata reliqua vel similia ei timeat revelare.

Cum vero peccator primo ad sacerdotem venerit, quærat ab eo si non est sibi notus, an sit ejus parochianus, & si dixerit quod non, quærat ab eo utrum venerit de licentia proprii sacerdotis; & si responderit, quod non, dicat ei, frater non debeo te audire, vade ad tuum sacerdotem. Si autem sit parochianus ejus, vel venerit de licentia sui episcopi vel proprii sacerdotis, quærat primum ab ipso utrum aliqua excommunicationis vel interdicti sententia sit ligatus; & si dixerit quod sic, dicat ei, frater, non audiam te, nisi prius fueris absolutus. Et si occulte excommunicatus fuerit, occulte dicat ei, si autem publice, publice dicat ei, & talibus pœnitentiam denegabit; quia nullus excommunicatus, vel interdictus recipi debet ad pœnitentiam, nisi prius faciat se absolvi. Si vero dixerit se non esse excommunicatum vel interdictum, debet eum primo interrogare presbyter utrum sciat *Pater noster* & *Credo in Deum* & *Ave Maria*, & si nesciat, moneat, ut addiscat. Et deinde moneat eum familiariter & benigne, ut omnia peccata sua confiteatur humiliter, nec ob verecundiam celet aliquid vel timorem, quia non est homini loquuturus, sed Deo, cujus personam ipse presbyter repræsentat, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, dicendo sibi, quia ipse sacerdos peccator est, & quod ipse confitens non potest tot & tanta commisisse peccata, quin alii majora & plura commiserint, & quod illi qui bene pœnitent, magis postea diliguntur ab eo & a Deo, sicut patet in beatis Petro & Paulo, & Latrone, & Maria Magdalene, & multis aliis, & tota cœlestis curia gaudet in Pœnitentia peccatoris: quia gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Dicat etiam, Frater, confitere quia homines sumus, & sine peccato in hoc mundo esse non possumus. Ostendendo sibi vilitatem peccati; nam si vere confessus fueris & contritus, & proponis amplius non peccare, Deus sine dubio remittet tibi culpam, & ego auctoritate Dei absolvam te a pœna æterna. Si autem nolueris confiteri in hac vita, confiteberis in alia invitus in conspectu omnium angelorum, & amicorum & inimicorum, & damnaberis in perpetuum in infernum cum diabolis, ubi erit fletus perpetuus & stridor dentium, & pœnæ tam acerbæ & tam crudeles, quod earum immanitas ore non potest exprimi, vel intellectu aliquo comprehendi, & quod perpetuo cruciaberis in his pœnis.

Debet autem confitens se ipsum accusare non alium, nec personam nominatim exprimere, cum qua peccavit; nec sacerdos quærere, nisi peccati circumstantia talis esset, quod aliter non posset confiteri peccatum, ut si cognovit matrem, vel filiam, vel sororem, vel hujusmodi: quia non posset sic aliter liberare se ipsum. Item, non debet confiteri per nuntium, nec per scripturam, sed viva voce, ore proprio & præsentialiter, ut qui per se peccavit per se ipsum confiteatur, & erubescat. Item, non debet confiteri verbo vel nominibus peccatorum seu criminum, seu terminis palliatis; sed quodlibet peccatum suo proprio nomine exprimere, quantumcumque turpe, ut sic tota peccati sanies expellatur. Debet etiam confiteri singula peccata quæ commisit distincte & separatim, non confuse, nec etiam in transcursu.

Quales interrogationes debet sacerdos facere confitentibus.

Audita igitur confessione discretus sacerdos, quia juxta statuta concilii generalis diligenter debet per se ipsum inquirere peccatoris circumstantias & peccati, licet aliqui contrarium dixerint; interroget confitentem, si vult alia peccata exprimere, sollicitando eum, ut cogitet studiose, ne peccatum aliquod omittat, quia si dimidiaret dividendo peccata inter diversos sacerdotes, aut celando, aut omittendo scienter aliquod peccatum mortale, sibi talis pœnitentia vel confessio non proficeret ad salutem. Et si dixerit peccator, se non habere alia confiteri, incipiat interrogare ordinate & discrete confiten-

ANNO CHRISTI 1289.

fitentem, ita tamen quod interrogationibus faciendis ad peccata specialia enormia vel speciales circumstantias non descendat, nisi prout inferius continetur, quia multi forte post tales interrogationes peccarent in his quæ nescirent alias cogitare. Interroget ergo sacerdos generaliter confitentem, si aliquando tentetur ad grave peccatum aliquod faciendum, & aliter tentationi resistat, & sic indirecte forte aperiet peccatum suum, confitens quod celabat. Interroget etiam si exerceat aliquod officium licitum, & si dixerit quod sic, interroget de circumstantiis pertinentibus ad officium illud, & si fuerit religiosus, interroget specialiter de tribus substantialibus regulæ, videlicet an fuerit obediens in omnibus licitis & honestis prælato suo, & an sit proprietarius, & an custodierit castitatem. Item, de simonia, utrum fuerit receptus pecunia mediante, vel consenserit quod aliquis alius reciperetur per simoniam. Item, an servaverit silentium, & alia regularia instituta. Item, & an in capitulo restiterit malitiose, cum erat aliquid ordinandum. Circa clericos sæculares fiat interrogatio an commiserint simoniam pro se ipsis vel pro aliis, seu alii pro ipsis. Item, de mercatura & aliis quæ pertinent ad avaritiam vel cupiditatem. Item, de dilapidatione si habent beneficium ecclesiæ, & utrum de pecunia prætextu ecclesiæ acquisita emerint aliquas possessiones nomine proprio, vel nomine consanguineorum suorum, & utrum bona ecclesiæ expenderint in usus licitos & honestos. Item, an intersit divinis officiis nocturnis pariter & diurnis, præcipue in ecclesia in qua est prælatus. Item, de irregularitate. Item, de ludo alearum, & taxillorum. Item de continentia & gulositate & si detinuerit alienum. Circa barones & milites, & consules, & judices, & bajulos sæculares fiat interrogatio, an fecerint statuta vel præcepta contra libertatem ecclesiæ, & an bene reddiderint justitiam cuilibet conquerenti, & an homines sibi subditos gravaverint in indebitis talliis, collectis, toltis, vel quæstis, seu servitiis. Circa burgenses & mercatores & ministrales interroget sacerdos de rapinis, de usura, de pignoribus in fraudem usurarum factis, de baratis, de falsis venditionibus & mendosis, de injustis ponderibus & mensuris, & mendaciis, de perjurio, & dolo. Circa agricolas vero, interroget de furto & retentione rei alienæ, maxime circa decimas, primitias, tributa, census, quartas, & alia denaria dominorum suorum. Item, de eradicatione terminorum, & de occupatione aliarum terrarum. Item, si dedit damnum alicui. Interroget sacerdos igitur quemlibet confitentem, prout secundum conditionem suæ personæ viderit faciendum: quærens generaliter quæ sunt peccata quæ commisit, & an aliqua de septem principalibus peccatis; & postea secundum quod viderit expedire, descendat ad specialia, dicendo sibi, & quærendo de quolibet dictorum septem peccatorum, de quo secundum statum suæ personæ viderit expedire. Si commiserit tale peccatum, & si dicat quod sic, audiat in quo & qualiter; si dicet quod non, vel non plene exprimat, dicat ei, bene tu forte non novisti quod est illud peccatum, sed eo multi sunt involuti, responde igitur mihi secundum tuam conscientiam super his quæ sequuntur.

De interrogationibus super quodlibet peccatum mortale. De superbia.

Circa superbiam quærat, si fecisti umquam aliquid illicitum, vel dixisti pro laude humana vel honore sæculari habendo; si impugnasti unquam scienter veritatem, si obviasti scienter autoritati majoris tui, si tibi quod erat aliorum ascripsisti, si de scientia, facundia, pulcritudine, cantu, nobilitate, dignitate, vel aliis gratiis quas tibi Deus dedit te jactasti, vel intumuisti. Si alium tamquam viliorem te contempsisti, vel superiori tumide parificasti. Si verba superba & opprobria alicui dixisti; & si per superbiam percussisti. Si tumens in corde contendisti, disputasti, vilipendisti, blasphemasti, si bona naturæ, gratiæ, & fortunæ quæ habes, a te, & non a Deo credidisti, & a Deo non recognovisti; alium & non te judicasti; si laudem, & honorem, & gloriam & judicium quæ solius Dei sunt, usurpasti, & tibi attribuisti.

De invidia

Circa invidiam quæratur, si causa invidiæ de bono alterius doluisti, & de malo lætus fuisti. Si detraxisti alii vel audivisti libenter detractorem. Si causa infamandi dixisti vel audivisti malum de persona vel rebus, vel dictis, vel factis alterius; si tacuisti bona alterius in damnum ipsius, si inter fratres discordiam seminasti, si laudasti umquam hominem, & in fine laudis, per *tamen*, vel per *si*, vel per *sed*, vel per *nisi* alicui umquam detraxisti.

De ira

Circa iram interroget, si dixisti convitia, vel dicenti respondisti quasi te vindicando per iram: si percussisti aliquem, si dixisti contumeliam patri vel matri carnali vel spirituali, si damnificasti aliquem per te vel per alium, accusando ipsum apud dominum, vel impediendo bonum vel honorem suum, vel ponendo ignem, vel taliando arbores, vel res suas furando, vel rapiendo, vel alia per violentiam, & quæ ipse habebat odio occupando. Si rixas movisti, discordias seminasti, lites incitasti, iniquas sententias dedisti, vel injustum consilium, si vulnerasti, si occidisti causa odii, si odisti, si injustum bellum movisti, si fecisti conjurationes, vel alias colligationes, vel alias illicitas pactiones, & sine juramento causa odii, ut posses te vindicare

De accidia.

Circa accidiam sic, scilicet, si fuisti umquam tepidus & remissus ad bene agendum cum posses, si repulisti a te gratiam inspirantem, quod est cum homo cogitat aliquod bonum facere vel dicere, & non acquiescit, si statim primos motus extinguit, quos motus tamen in peccato nutrit ubi essent potius extinguendi: Si dimisisti umquam ire ad ecclesiam vel prædicationem propter pigritiam vel segnitiem, si fuisti nimis deliciosus, vel otiosus, vel confiteri cum posses, distulisti, maxime per annum pœnitentiam tibi injunctam peragere neglexisti, officium ecclesiasticum tibi injunctum diligenter exequi neglexisti, justitiam reddere ex pigritia distulisti, celebrare noluisti, nec confessiones audire propter laborem vitandum, quia potius volebas quiescere, subtraxisti proximo tuo egenti consilium tuum, vel auxilium pro-

ANNO CHRISTI 1289.

propter pigritiam solam, distulisti ex negligentia restituere aliena, incidisti umquam in desperationem, si fuit, umquam tibi propter laborem vitandum tædium vitæ tuæ, fuisti negligens circa obsequium fidele domini tui, a quo pascebaris & induebaris, & alia bona recipiebas, neglexisti servare sacramentum. Distulisti solvere mercenario salarium de quo convenisti, vel aliter considerato labore suo, & servitio remunerare.

De avaritia.

Circa avaritiam quæratur sic: fuisti simoniacus, violentus dominus, judex injustus, incautus consiliarius, cavillosus advocatus, impetrator malignus, scriptor falsarius, fur, latro, perjurus, sacrilegus, lusor, evulsor metarum agrorum, festorum colendorum violator, falsus mercator, hominum quorumlibet, & maxime viduarum, pupillorum, pauperum, & aliarum miserabilium personarum oppressor causa lucri injusti & avari?

De gula.

Circa gulam quæratur sic: fuisti ebrius aliquoties? & tunc videtur veniale: vel pluries, & quasi in consuetudinem deducendo, & tunc est mortale. Comedisti ultra quam debes, etiam usque ad crapulam; fregisti jejunia tibi in pœnitentiam injuncta vel consuetudinaria, seu indicta propter gulositatem? Recepisti non jeunus Eucharistiam, vel confirmationem, vel alia sacramenta Ecclesiæ sanus & fortis nullo periculo imminente? Pavisti te splendide, pauperibus juxta te positis nimis esurientibus, & fame morientibus te sciente, & contemnente vel negligente eis subvenire? Comedisti nimis propere, id est ante horam tertiam omnibus diebus, vel ante nonam in jejuniis, vel antequam audires missam cum posses audire, sed magis volebas satiare ventrem quam mentem, vel antequam appeteres, nec eras infirmus, nec debilis, sed causa gulositatis tantum vel inhonestæ societatis hoc fecisti? Invitasti alios ad æquales potus vel ad bibendum nimis? Parasti species, vel electuaria, non causa medicinæ, sed ut vinum tibi melius saperet, & ad bibendum te fortius incitaret ultra quam naturæ tuæ expediret? Et umquam aliis talia parasti, & eis propinasti, de cibariis idem fecisti, & numquam plura fercula, quam naturæ expediret tibi & aliis propinasti? Numquam in scandalum aliorum contra consuetudinem regionis feria quarta vel sabbato vel aliis diebus carnes palam & publice vel alia cibaria comedisti, & numquam more canino totum comedisti vel bibisti, ut gulæ tuæ satisfaceres non naturæ, & cum sociis non dimisisti, nec aliquid eis dedisti, & numquam more ursino seu leonino nimis avide cibum etiam vilissimum gulæ flamma accensus non dico comedisti, sed devorasti: Numquam divites & non pauperes tecum ad mensam evocasti & ipsos ultra quam natura requireret refecisti? numquid goliardus fuisti?

De luxuria.

Circa luxuriam quæratur sic. Commisisti fornicationem, quod est quando solutus sæcularis cognovit solutam non virginem, nec religiosam? Commisisti stuprum, quod est virginem deflorare? Commisisti adulterium, quod est cognoscere maritatam, vel cognosci ab uxorato? Commisisti incestum, quod est quando cognoscitur consanguinea vel affinis, carnalis vel spiritualis, unde ad filiolas & ad religiosas extenditur? Et an in loco sacro vel non sacro, & an diebus dominicis vel festivis, & an tempore jejuniorum, & utrum unam cognoverit vel plures & quotiens? Item quæratur, peccasti contra naturam, quod est quando aliter cognoscitur mulier quam natura requirat, prout quilibet naturaliter novit & cum ipsa natura exponat? Omnis alius modus quicumque sit ille contra naturam est, quos modos non volo scribere, nec tibi consulo quod reveles. Sed si caute dicas, tu bene scis modum qui naturalis est. Accidit numquam tibi pollutio aliter, vel cognitio mulieris? Si dicat quod non, ne ultra quæras; si dicat quod sic, quæras utrum in vigilando vel dormiendo; si dicat dormiendo, quæras utrum cum muliere vel sine muliere, an cum illa quam concupiverat vel alia, & an nimis in diebus præcedentibus bibisset vel comedisset, & quantum est temporis quod sibi non acciderat: ex his enim præsumitur an sit naturalis, quæ non est timenda, an alia quæ timenda est, scilicet quando provenit ob nimiam crapulam, vel si cogitatio mulieris quæ præcesserat vigilando per consensum in pollutionem incidit dormiendo. Si vero dixerit quod vigilando accidit pollutio, quæras utrum sine muliere. Si dicat quod sic, quæras, quomodo; si dicat quod cum muliere; quæras utrum extra vasa vel intra, & quomodo, & sic caute procedas, ne ipsum aliquatenus de modo instruas, sed ab ore ipsius prius potius extrahas quod commisit. Item quæras sic de locutionibus, nutibus, cogitationibus, & aliis similibus.

De concupiscentia.

Concupivisti umquam mulierem in corde tuo, concupiscentiæ consentiendo, quod mortale est? Incitasti umquam aliquem seu aliquam ad libidinem per te vel per alium, vel per ostentationem tui vel ornamentorum tuorum? Ivisti umquam propter hoc plus quam propter Deum ad ecclesiam, vel sermones, choreas propter hoc duxisti? Risisti umquam vel cantasti, vel nutum fecisti mulieri, vel ipsa tibi cum intentione istius peccati committendi? Incitasti te umquam cum non appeteres ad hoc peccatum comedendo electuaria calida vel aliquo modo ad libidinem exercendam? Dixisti umquam mendacium vel verbum ociosum, vel inisti, vel laborasti, vel aliquid fecisti pro muliere habenda? Repete hic illum §. qui est supra c. tertio. Cave tamen ne sis promptus facile judicare, &c.

Qualiter sacerdos debet injungere pœnitentiam.

Sic igitur omnibus prædictis peccatis & aliis, prout expedire videbitur, cum diligentia inquisitis, & consideratis peccatoris circumstantiis & peccati, intelligat quale debeat peccatori consilium, & cujusmodi remedium adhibere, quærendo ab ipso an proponat amplius non peccare & agere pœnitentiam condignam de commissis. Et si respondeat se abstinere non posse vel nolle, vel quod a quibusdam vult abstinere & in aliquibus remanere, ejus confessionem debet sacerdos nihilominus audire, & ei de peccatis confessis consilium exhibere. Sed antequam ei det consilium exprimat diligenter, quod si totus mundus suus esset, & pauperibus eroga-

ANNO CHRISTI 1289.

garet, & in pane & in aqua remaneret toto tempore vitæ suæ, nihil sibi proficeret ad vitam æternam habendam, quandiu in peccato commisso remanebit, & in voluntate & proposito peccatum iterum committendi. Nec ipse sacerdos eum absolvere poterit de aliquo peccato, nisi de omnibus pœniteret, & haberet propositum iterum non peccandi. Et hoc sæpius ei dicat movendo ipsum dulci, pio ac suavi eloquio, ut de omnibus poeniteat, & abstineat in futurum & exprimendo sibi timorem de die judicii, & pœnas perpetuas, quas in inferno qui veram non egerit pœnitentiam perpetuo sustinebit. Si verò ad veram pœnitentiam & confessionem ipsum nequiverit inducere, debet ei de peccatis confessis in hunc modum consilium B exhibere. Frater, dico tibi & consulo quod jejunes, ores, eleemosynas facias, & alia bona, & dicat etiam ei quod hæc prædicta bona quæ ipsi sibi pro peccatis consulit facienda, non sunt ei fructuosa ad vitam æternam habendam, cum in peccato commisso remaneat, vel voluntate peccandi; ea tamen sibi consulit facienda, ut per ipsa bona quæ faciet, dignetur Dominus cor ejus ad veram pœnitentiam illustrare, & ne diabolus in eo tantam habeat potestatem, quantam haberet, si peccata continuo exerceret. Et facta generali confessione, scilicet *Confiteor Deo*, &c. non absolvat eum a peccatis, sed dicat ei quod recedat, & faciat juxta C consilium sibi datum, & dicat ei quod non recipiat Corpus Christi, quandiu in peccato remanebit & proposito peccatum iterum faciendi. Caveat tamen sacerdos quantum poterit, ne ipsum in desperationem inducat. Si autem de omnibus confitetur, & pœnitet, & habet propositum in posterum abstinendi; consideret sacerdos an tale peccatum inter alia confessus fuerit, propter quod ad episcopum sit mittendus, & si tale sit, ad episcopum ipsum mittat, sin autem imponat sibi pœnitentiam de peccatis confessis, consideratis peccatoris circumstantiis & peccati: Et licet secundum canones pœnitentiales pro quolibet peccato mortali septen- D nis regulariter sit pœnitentia imponenda, & pro quibusdam magnis & gravibus peccatis aliæ pœnitentiæ duræ, prout in canonibus pœnitentialibus specialibus per librum decretorum reperitur: scilicet in XLVI. casibus, quos notat dominus Hostiensis in summa sua in titulo de pœnitentiis.

XV.

Quæ pœnitentia sit pro casibus singulis injungenda.

Quia tamen fragilitas nostri temporis hodie tanti rigoris non patitur manere censu- E ram, sacerdos imponat majorem vel minorem pœnitentiam, prout secundum quantitatem peccati & contritionis, & qualitatem peccatoris saluti ejus viderit expedire. Ut autem sacerdos possit contraria contrariis curare, imponat pœnitentiam ipsi peccatori per contrarium respondentem; ut si peccaverit per superbiam, injungat ei orationem, & suadeat ei humilitatem; si per avaritiam, A injungat ei eleemosynarum largitatem; si per gulositatem vel nimiam comestionem, abstinentiam ciborum; si per luxuriam, injungat ei jejunium & orationem, disciplinas & alias carnis macerationes; accidioso peregrinationem. In omni enim peccato Deum offendimus aut corde, aut ore, aut opere. Imponatur igitur pœnitentia contra peccatum cordis, scilicet jejunium & alia carnis maceratio, contra peccatum oris oratio & alia humiliatio; contra peccatum operis eleemosynarum largitio. Et licet dicta tria in uno peccato aliquando concurrant, tamen semper aliquod istorum est principalius in quolibet peccato, prout confessor diligens perpendere poterit audita confessione cujuslibet peccatoris. Item, sacerdos debet esse sollicitus, ut pœnitenti onus importabile non imponat, licet recipere pœnitens sit paratus; sed sic temperet pœnitentiam, ut a studio non cogantur cessare scholares, a fabrica fabri, ab agro agricola, vel alius artifex ab opere solito licito, & sibi competenti, nec dominus a cura familiæ, ut ei providere non possit, nec cursor a cursu, ut dominum suum sequi non possit. Item, pro peccato occulto sacerdos publicam poenitentiam non injungat. Si tamen talis luxuriosus senex vel dives fuerit, & dicat se jejunare non posse, aggravabit eum sacerdos orationibus & eleemosynis. Si autem peccator fragilitatem corporis alleget, & recuset asperitatem pœnitentiæ, quam sacerdos sibi vult imponere, debet sacerdos primo ipsum inducere ut animum habeat paratum ad omnem satisfactionem, ostendendo sibi magnitudinem peccatorum, quæ sibi confessus est, & quot & quanta bona perdidit propter peccata illa quæ commisit, quæ omnia recuperabit per pœnitentiam, & imponat ei pœnitentiam mitiorem, quam ipse posset portare, ne forte postea peccet deterius ipsam pœnitentiam infringendo.

Imposita vero pœnitentia, & facta generali confessione, scilicet *Confiteor Deo* &c. dicat presbyter sic, *Ego injungo tibi talem pœnitentiam quam dixi tibi pro peccatis quæ confessus es*; & ponens manum super caput ipsius, dicat: *Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, pius, & misericors Dominus, & Ego te absolvo auctoritate Domini nostri* JESU CHRISTI, *& beatorum apostolorum Petri & Pauli, & officii mihi commissi ab his peccatis quæ mihi confessus es, & aliis oblitis*. Item, dicat illi, quod si reduceret aliqua alia peccata ad memoriam quæ non fuerit confessus, rediret ad eum & confiteretur. Circa infirmos non est taliter procedendum, quia eis non debet sacerdos pœnitentiam injungere, sed tamen innotescere sive declarare, dicendo sic cum ejus peccata
„ audierit. Si tu esses sanus, pro tot pecca-
„ tis quæ commisisti & confessus es, deberes
„ tot annis poenitere; sed quia tu es infir-
„ mus, non impono poenitentiam tibi, sed
„ injungo tibi quod si de hac infirmitate te
„ mori contigerit, facias dari tantum pau-
„ peribus, vel piis locis loco prædictæ poe-
„ nitentiæ, vel facias missas celebrari, vel
„ hoc, vel illud fieri. Si tamen convalueris, in-

ANNO CHRISTI 1289.

injungo tibi poenitentiam talem, & his dictis, imponat manum super caput ejus, & absolvat eum a peccatis, sicut supra diximus de sano. Si vero infirmus petiit sacerdotem pro poenitentia recipienda, vel aliqua alia signa poenitentiæ fecit, & interim dum sacerdos veniret obmutuit infirmus, vel factus est amens vel phreneticus, sacerdos veniens sive ad nutum infirmi, sive testimonium eorum qui audierunt ipsum petentem poenitentiam, vel alia signa poenitentiæ facientem, debet ei quæcumque humanitatis & consolationis poterit impendere, absolvendo ipsum de peccatis suis, & reconciliando, orationes dicendo, & crucis osculum, si præsens crux fuerit, sibi dando, & si forte mortuus sit, nihilominus absolvat eundem. Qualiter absolvi debeat infirmus, vel in mortis articulo constitutus, per proprium sacerdotem, vel per alium, si proprius sacerdos haberi non possit, infra in tractatu de sententia excommunicationis continetur in §. deinde videndum est.

Quæ peccata non delentur sine restitutione.

Sane considerandum est diligenter, quod quædam sunt peccata, de quibus nullus vere potest poenitere nisi restituat, vel emendet, si potestatem habeat emendandi, videlicet rapina, furtum, sacrilegium, incendium, usura, & indebita extorsio census. Item, damna data contra justitiam & generaliter cujuslibet alienæ rei scienter indebita detentio, & in his omnibus præcipiendum est poenitenti, quod incontinenti satisfaciat juxta posse, quare juxta verbum Augustini: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Et hæc, si peccata occulta fuerint, occulte fiat restitutio, scilicet per manum sacerdotis, vel alterius religiosæ personæ, suppresso nomine poenitentis. Si autem poenitens non habet rem quam debet restituere, neque mobilia vel immobilia unde possit commode satisfacere, vel licet habeat, non est tamen præsens nec esse potest aliquis cui est restitutio facienda, & appareat vere poenitens, & contritus, & proponat satisfacere cum poterit, ei poenitentia injungatur; & si talis fuerit infirmus, præcipiat suis hæredibus, quod illi satisfaciant pro eodem, si de illa infirmitate contigerit illum mori. Omnibus autem poenitentibus sanis vel infirmis, qui tenentur aliis restitutionem facere seu emendam, est sollicite injungendum, quod non excusantur, nec liberantur ab illo peccato, præcipiendo suis hæredibus, quod restitutionem pro ipsis faciant vel emendam, nisi ipsi principales raptores, usurarii, fures seu alienarum rerum illiciti detentores restitutionem incontinenti faciant, vel emendam, si eam possunt facere, sicut superius continetur. Tenetur enim raptor seu alienæ rei detentor ad restitutionem, tenentur etiam ejus hæredes quantum hæreditas ipsius tota sufficere potest. Tenentur autem omnes illi qui scienter rem raptam vel alienam emerunt cum mala fide, scilicet animo sibi retinendi, & non voluntate nec proposito restituendi eam domino suo, nec taliter ementes possunt recuperare seu petere pretium quod dederunt pro ipsa, nec possunt recuperare, nec retinere expensas, si quas fecerunt, ipsam rem restituendo vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerant emendo. Debet etiam restitui res aliena seu rapta non deteriorata; sed si deteriorata fuerit, vel casu fortuito perierit, vel restitui non potest integre, restituantur tantum quantum valebat cum omni utilitate quam consecuti sunt ex re ipsa, si cum mala fide, ut dictum est, pervenerit ad eosdem; sed facta restitutione in integrum ab uno, ceteri liberantur, quantum ad restitutionem domino faciendam, & nihilominus debent agere poenitentiam, juxta arbitrium sacerdotis, quia rem alienam fraudulenter & invito domino tenuerunt. Facienda est autem restitutio domino vel ejus hæredibus, si potuerint inveniri; sed si diligenter inquisiti & expectati non inveniantur, vel ignorantur, tunc cum licentia, & cum consilio episcopi res illa si excedat valorem L. solidorum Ruthenensium (Caturcensium,) distribuatur in pias causas, & maxime in pauperibus ad salutem animæ illius, cujus fuit. Si vero sit valoris L. solidorum vel minoris, concedimus de gratia quod distributio fiat cum licentia & consilio sacerdotis. Verum si persona scitur, cui est solutio vel restitutio facienda, si tamen in remotis partibus est, nec speratur quod debeat redire, mittatur ei si commode potest fieri & secure, alioquin pro anima ejus cum consilio ecclesiæ pauperibus erogetur, & hoc fiat si res sit modica quæ restitui debet, sed si res magni valoris est, debet mitti in expensis detentoris ad illum absentem cui est restitutio facienda. Qui vero invenit pecuniam vel aliam rem in via vel in loco alio, debet eam reddere illi qui eam perdiderat, si eum poterit invenire; sed si nescitur cujus fuerit, publicetur per sacerdotes in ecclesiis, & in locis in quibus est inventa, & si dominus diu expectatus non venerit, cum consilio ecclesiæ pauperibus pro anima illius cujus fuit erogetur. Si autem aliquis voluntarius & causa cupiditatis aliqua in ludo lucratus fuerit, sibi est in spirituali judicio injungendum, quod ea restituat illi a quo habuerit, nisi per eum ad ludum inductus fuerit, & tunc in pias eleemosynas erogetur.

Caveat autem sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quolibet modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque expressione personæ caute requirat, quoniam juxta statuta concilii generalis, qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum vel dictum præsumserit revelare, non solummodo deponetur, sed etiam in arctum monasterium detrudetur ad perpetuam poenitentiam peragendam. Præcipimus etiam quod nomina illorum qui peccata sua confessi fuerint, scribantur singulis annis a propriis capellanis qui confessiones audierint eorumdem, ut de ipsis possint laudabile testimonium perhibere. Item, præcipimus medicis corporum, ut infirmos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Et si quis medicorum hoc non servaverit, supponatur ecclesiastico interdicto quousque super hoc satisfecerit competenter, sub vinculo anathematis prohibentes ei-

ANNO CHRISTI 1289.

eisdem medicis, ne quis pro corporali salute aliquid infirmo suadeat, quod in periculum animæ convertatur, & quod impediat si hoc sciverit procurari. Concedimus autem ex gratia, ut curati & vicarii parochialium ecclesiarum nostræ dioecesis alios sacerdotes idoneos & peritos ejusdem dioecesis pura & bona intentione sibi possint eligere confessores, prout saluti animarum suarum viderint expedire. Si vero non idoneos & imperitos seu cum intentione corrupta elegerint, absolutionem a talibus nullatenus obtinebunt. Ceterum licet sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum vel alterius poenitentiæ ab ipsis impositæ circa parochianos suos, districte tamen propter justam causam, votorum commutationes per eos fieri prohibemus sine nostra licentia speciali: quia in eis est cum majori providentia procedendum. Districte etiam prohibemus, ne aliquis sacerdos poenitentialis inducat aliquem confitentem ad votum emittendum seu promissionem faciendam de non committendis peccatis, & maxime de illis, qui non possunt de facili evitare, sicut quidam presbyteri faciunt aliquando hoc fieri indiscrete. Nam contra promissionem peccando dupliciter fiunt rei, & culpabiles apud Dominum, & ideo sunt gravius puniendi. Item consulimus & monemus ne missas injungat sacerdos confitentibus in favorem ipsius sacerdotis vel alterius, ut suspicionem cupiditatis fugiat in hac parte: fructum tamen qui ex tali injunctione solet sacerdotibus evenire, consulat pauperibus erogare. Et si missas injunxerit, eas non celebret, nec tricennuale, nec annuale, quod ipsemet injunxerit, recipiat propter periculum simoniæ: Item, omnibus confitentibus qui ætatem octodecim annorum excesserint, vel si minoris sunt ætatis & videatur sacerdotibus quod sint apti ad jejunandum, præcipiant sacerdotes jejunare jejunia ab ecclesia instituta, ut jejunium quadragesimale & quatuor temporum, & alia quæ per Ecclesiam consueverunt indici, nisi de ipsorum sacerdotum consilio ipsos prandere oporteat ex justis causis necessitate urgente.

XVI.

De Sacramento Eucharistiæ, & de celebratione missarum.

Quoniam post receptum poenitentiæ sacramentum infirmis & sanis maxime in festo Paschæ exhiberi consuevit Eucharistiæ sacramentum, de hoc est immediate videndum, videlicet quid est, quis illud instituit, & sub quam formam, & quare sic dicitur. Quæ sunt necessaria in hoc Sacramento, quis debet hoc conficere, & cui debet conferri, & quare fuerit institutum. Hoc sacramentum est ex certis Christi verbis in ejus corpus & sanguinem panis & vini conversio. Ipse autem Christus sub certa forma verborum instituit hoc sacramentum, quando scilicet in die coenæ discipulis præsentibus suis dixit: *Hoc est corpus meum*. Dictis autem verbis his, statim panis quem tenebat in manibus fuit corpus Christi verum, quod eisdem discipulis ad manducandum dedit. Dicitur autem Eucharistia bona gratia, quia in hoc sacramento non solum est augmentum virtutis gratiæ, immo in hoc ille totus sumitur, qui est fons totius gratiæ & origo, ipso tamen integro remanente. Tria vero in hoc sacramento sunt necessaria, scilicet minister ipse sacerdos, & elementum scilicet panis & vini, & verba, scilicet: *Hoc est enim corpus meum*. Potest & debet conficere hoc sacramentum solummodo sacerdos rite & secundum formam & claves Ecclesiæ ordinatus. Debet etiam sacerdos conferre aliis hoc sacramentum, vel in necessitate diaconus. Conferri debet hoc sacramentum baptizatis postquam ad annos discretionis pervenerint vere poenitentibus, & confessis & jejunis, nisi necessitas infirmitatis emergat. Institutum fuit hoc sacramentum a Deo in memoriam divinitatis & humanitatis Christi. Migraturus enim ad invisibilia majestatis æternæ, & celebrante typico pascha in agno cum discipulis suis, memoriale suum dedit eis, scilicet sub specie panis & vini suum corpus & sanguinem eis dando, ut ex hoc memoriam sui in eorum cordibus infigeret, & ecclesia hæc in posterum frequentaret.

Prohibemus itaque sub poena excommunicationis, vel suspensionis, ne quis sacerdos missam cantare præsumat, nisi prius plenè expleverit officium matutinarum, & etiam horam primæ. Nullus clericus altari deserviat dum missa celebratur, nisi cum cappa clausa vel superpellicio sit indutus, nec caput teneat coopertum. Moneat sacerdos populum ne discedant ab ecclesia, nisi missa finita, nisi ex aliqua necessitate urgente. Quia est inconveniens in festo Resurrectionis vel aliis festis præcipuis, missam fortè de Nativitate Domini celebrari, triginta missas peculiares celebrari districtius inhibemus.

Item, presbyteri soli cum filiis suis sine alio clerico propter populi scandalum non audeant celebrare. Cum quinque mappis decentibus & idoneis ad minus cooperiatur altare. Debent habere unum clericum, sacerdotes bonæ vitæ & honestæ, qui sciat legere & cantare, & in confessione respondere, quam facit sacerdos dum intrat ad altare. Quando visitat episcopus per Sacerdotem secreto certificetur, vel quicumque erit prædicaturus ibidem super vitiis quæ frequenter in illa parocchia committuntur, ut contra illa vitia verbo prædicationis celerius occurratur. Extra ecclesiam in privato oratorio vel in domo nullus missam celebret sine nostra licentia speciali, & tunc habeatur lapidea tabula per episcopum consecrata. Nullus sacerdos in altari in quo episcopus missam cantaverit, missam celebret die illa. Hostias de alio quam de mundo & puro grano frumenti fieri prohibemus, & quod sit panis azymus non fermentatus, nec vinum, nisi de uvis, est in hoc Sacramento ponendum. Sacerdos per se paret, vel se vidente faciat parari vinum & aquam in calice, ne per oblivionem horum aliquid omittatur. Missæ de jejuniis in hora nona poterunt celebrari, aliæ verò antea celebrentur. Nullus cum vino multum albo celebret,

ANNO CHRISTI 1289.

bret, si possit in loco sic rubeum inveniri commode, cum magis vinum rubeum quam album sanguini conformetur. Cum legitur Passio Domini, postquam dicta fuerint verba illa *emisit spiritum*, prosternant se clerici & laici, de redemtione nostra Deo gratias exhibentes. Nullus post cibum vel potum sumtum die illa audeat celebrare. Districtè prohibemus ne quis sacerdos verba canonis missæ communiter in missalibus usitata & consueta in diœcesi Caturcensi, Ruthenensi, Tutelensi omittere vel mutare præsumat. Et districtissime præcipimus, quod quilibet sacerdos cum summa diligentia & sollicitudine in nullo errando, nihil omittendo, nihil immutando, nihil reiterando proferat verba illa canonis missæ ab illo loco: *qui pridie quam pateretur* usque ibi, *in mei memoriam facietis*, in quibus verbis consecratio corporis & sanguinis Christi consistit, & eisdem verbis prolatis est ibi inter manus Sacerdotis ipse Dominus noster JESUS CHRISTUS cum angelis suis. Cetera verò verba, quæ præcedunt, & quæ sequuntur, sunt de solemnitate missæ, & non de substantia, & fiat in altum elevatio, ut populus illud adoret. Nec quisquam quantiscumque peccatis irretitus, ex quo confecerit, aliquatenus corpus & sanguinem sumere prætermittat. Licet enim corpus Christi sit totum cum vera anima, & vera divinitate sub specie panis, simili modo est sub specie vini, & tamen unum est Sacramentum ab uno ordinatore, scilicet a Deo ordinatum, & ad unum principalem effectum, scilicet ad salutem animæ & corporis obtinendam; & ideo non licet Sacerdoti Christum sub altera specie sumere altera prætermissa. Sacerdos vero postquam missam incepit non præsumat dimittere imperfectam, nisi repentina infirmitate & intolerabili fuerit occupatus; & tunc si alius sacerdos præsens fuerit, qui non celebraverit, per ipsum inceptum officium compleatur, qui debet officium incipere ubi noscitur alius dimisisse. Si vero nescitur alius ubi dimisit, quia forsitan deficit in secretis, à capite incipiet secretorum. Verùm si secundus sacerdos præsens non fuerit, quacumque hora diei usque ad nonam haberi poterit, quod primus sacerdos dimisit secundum dictam doctrinam adimplere poterit. Si autem secundus sacerdos usque ad nonam haberi non possit, remanebit officium incompletum. Præcipimus etiam quod in calice magis de vino quam de aqua, immo parum de aqua ponatur, ne vini substantia alteretur; & quod sacerdos postquam totum accepit Corpus Christi & Sanguinis sacramentum, duas receptiones faciat juxta consuetudinem ecclesiæ Cathurcensis, Ruthenensis, Tutelensis; videlicet primam de vino puro tantum; secundam de vino & aqua, & cum ista secunda scilicet perfundat digitos super calicem, & postea recipiat, nisi eo die aliam missam debuerit celebrare: quia tunc non debet recipere, nisi tantum dictum sacramentum Corporis & Sanguinis: quod si faceret, celebrationem secundam impediret. Non autem debet sacerdos duas missas una die celebrare, & hoc districtè fieri prohi-

A bemus, nisi in die Natalis Domini, in qua unus tres missas poterit celebrare, primam de nocte, quia repræsentat tempus ante legem quod erat in tenebris. Secundam inter noctem & diem, scilicet in aurora, quia repræsentat tempus sub lege quo incipiebant de Christo scire. Tertiam de die, quia repræsentat hoc tempus, in quo sumus, gratiæ. Et nisi necessitatis articulo imminente, videlicet pro exsequiis, vel pro benedictionè nubentium, vel pro magna superveniente persona, vel alia justa causa, vel de nostra licentia, & non aliter in duabus vel pluribus ecclesiis annexatis, in quibus casibus unus sacerdos duas missas poterit celebrare: ita tamen quod in prima missa nihil sumserit, nisi solum corporis & sanguinis sacramentum. Prohibemus etiam ne missa, nisi cum hostia rotunda & integra & decenti, nec nimis modica, & nisi cum vino puro pariter & aqua, & nisi cum calice aureo, vel argenteo vel stagneo, & nisi cum lumine aliquatenus celebretur: non in panno serico aut tincto, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, quia corpus Dei sepultum fuit in syndone linea atque munda. Si vero sacerdos negligenter obmiserit aquam in calice ponere, ponat quam cito adverterit, si absque scandalo possit. Si vero vinum & aquam obmiserit & ante illa verba: *Hoc est corpus meum* advertat, ponatur ibi statim. C Si vero post dicta verba adverterit, hostia consecrata ponatur seorsum reverenter, & in calice ponatur statim vinum & aqua, & ante calicem hostia nova, & reincipiatur canon missæ, scilicet *Te igitur*, &c. & ambæ hostiæ insimul assumantur. Vestes sacerdotales & mappas altaris munde & pulcre teneant sacerdotes, & si ablutione indiguerint, in eorum hospitiis, non alibi laventur per ipsos, vel eorum clericos, vel per mulieres honestas, sine aliorum pannorum mixtura. Corporalia tamen laventur propriis manibus sacerdotis, & aqua ablutionis projiciatur in piscinam. Item, ampullæ vini & aquæ mundæ teneantur, & D sint dissimiles, ut illa in qua vinum est, & illa in qua aqua de facili cognoscantur. Illud etiam districtissimè prohibemus, ne aliquis in mortali peccato constitutus missam celebret, nisi prius confessus fuerit expresse nominatim de illo peccato, si sacerdotem inveniat cui valeat confiteri. Si verò non possit alium sacerdotem habere cui confiteatur, non celebret, nisi necessitas immineat, quæ sine gravi scandalo nequeat præteriri, ut si dies festus evenerit, & populus jam convenerit ad divina, vel corpus alicujus parochiani sui defuncti præsens sit in ecclesia, vel nubentes ad ecclesiam convenerint pro matrimonio faciendo: propter quod ut E scandalum evitetur, ipsum oporteat celebrare. In istis enim casibus, si veram contritionem habet sacerdos de illo peccato mortali in quo constitutus est, & proponat quam cito poterit confiteri, credimus magistrorum sententiis inhærendo, quod valeat celebrare. Sed si veram contritionem non haberet, nec propositum confitendi, celebrare in his casibus non præsumat, quantumcumque necessitatem vel scandalum videat

deat imminere. Si autem sacerdos postquam missam inceperit, reducit ad memoriam se aliquod commisisse mortale peccatum, de quo non fuerit confessus, & de eo antequam missam inceperit, non recoluerit, nec habeat sacerdotem cui incontinenti valeat confiteri, perficiat ministerium jam inceptum, si tamen contritionem habeat de illo peccato & proponat quam cito poterit confiteri. Si veram contritionem non haberet, nec propositum confitendi, & nondum verba confectionis seu consecrationis expresserit, videlicet *Hoc est enim corpus meum*, dimittat officium inceptum: quia tunc ipsum complere non debet. Si autem post confectionem reducit primò ad memoriam illud mortale peccatum, distinctè compleat illud officium quod incepit, & conteratur & doleat, quod ita tarde pœnitet, & confiteatur quam cito poterit habere copiam sacerdotum.

Insuper prohibemus, ne quis ordinem suum dicat transcurrendo seu alias syncopando, extraneaque varia profanaque colloquia immiscendo, tardè ad chorum veniendo, seu ecclesia ante officium finitum sine causa rationabili exeundo. Et ne quis portet aves, seu portari faciat, secumque teneat canes venaticos; sed coronam, vestes & tonsuram suo statui competentes: & divina celebrent, & ipsis intersint benignè & devotè, & orationibus insistant, choreas in cimiteriis seu ecclesiis fieri non permittant, nec dici cantilenas, nec fieri aliqua inhonesta, nec ludos. Ex his enim multoties violationes eveniunt; variaque delicta committuntur, & divinum turbatur officium, ac divina majestas offenditur, & scandalum generatur.

Injungimus etiam, ut cum variis vestimentis & ceteris ornamentis in ecclesiis decentibus Deo serviatur secundùm loci & redituum convenientiam ecclesiæ talis loci.

Injungimus etiam quod in ecclesiis cathedralibus, regularibus, & ecclesiis collegiatis horæ canonicæ congruis psallantur temporibus. In aliis verò ecclesiis convenienter & debitè horæ canonicæ celebrentur, & divinum celebretur officium nocturnum pariter & diurnum: & hoc præcipimus sub virtute sanctæ obedientiæ, contrarium facientes graviter puniemus.

Declaramus etiam quod clerici tam religiosi quam alii commensales domestici cardinalium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ac quorumcunque pontificum gratiam & communionem sedis apostolicæ habentium se possint ipsis in divinis officiis coaptare, ut illud valeant dicere officium, quod dicti cardinales seu pontifices dicent, nec ad dicendum aliquod aliud teneantur, nisi illud.

Sed quia aliquando contigit pollutio qua quis impeditur à celebratione, ideo de ea videndum est.

De pollutione in somnis.

Si pollutio in somnis ex infirmitate, seu superfluitate naturæ alicui evenerit, non est de necessitate a celebratione missæ abstinendum, quia in hoc casu nullum peccatum est, cum magis pati quam agere videatur, licet laudabile sit & honestum abstinere ob reverentiam sacramenti. Si vero ex crapula vel ex potatione nimia accidit, honestum est, nec tamen necessarium, quod a celebratione missæ abstineat illa die, si ulla fuerit necessitas quare debeat celebrare: quia in tali casu tantum est peccatum veniale, nisi crapula nimia potatione ex prava consuetudine consueverit provenire, & tunc quousque fuerit confessus, tenetur de celebratione missæ abstinere, quia tunc reputatur peccatum mortale. Si autem acciderit ex imaginatione turpi, vel inhonesta, & illicita confabulatione mulierum præcedente, tenetur a celebratione missæ & a sumtione Eucharistiæ abstinere, quousque contritus fuerit & confessus si habere poterit copiam sacerdotis: quia in hoc casu mortale peccatum est. Et licet his duobus casibus, post contritionem & confessionem factam, non tenetur a celebratione missæ abstinere; abstineat illa tamen die, maximè si non fuerit necessitas quare debeat celebrare. Si verò habere non poterit copiam sacerdotis, contritionem tamen habeat & propositum confitendi, celebret si necessitas fuerit, sicut dictum est, & distinctum superius de alio peccato quando necessitas noscitur imminere.

De significatione missæ.

Sciendum est autem quod missa Passionem Domini repræsentat, sacerdos indutus vestimentis sacerdotalibus Christum significat. Vestimenta ejus significant carnem illam sanctissimam, quam pro nobis Deus induit factus homo. Diaconus & subdiaconus significant apostolos & 72. discipulos, quibus fuerat officium prædicationis injunctum. Ceroferarii denotant doctores ecclesiæ, qui suæ sapientiæ radiis tenebras nostræ ignorantiæ illuminare non desinunt. Deferens thuribulum designat illos, qui pro testimonio fidei in odorem suavitatis corda sua Domino obtulerunt. Sacerdos verò ad dexteram altaris primo tendit, quia sicut Salomon ait, qui a dextris sunt novit Dominus, perversa autem non, quia sunt a sinistris. Introitus missæ significat patres veteris testamenti, patriarchas videlicet & prophetas, qui videlicet adventum Christi immensis desideriis peroptantes, hoc per sua suspiria, laudes & precamina ostenderunt. Introitus enim suspiria antiquorum patrum denotat. *Gloria Patri*, &c. laudes innuit, quas in honorem Dei devotissimè promebant. *Kyrie eleison*, &c. precamina notat cum devotione, & intentione cordis ad Deum effusa: *Kyrie eleison* enim græcè pertinens ad divinam Patris essentiam, interpretatur latinè, *Domine miserere*. *Christe eleison* verò græcè pertinens ad humanitatis Christi formam interpretatur latinè *Christe miserere*. *Gloria in excelsis* typum denotat angeli, qui ortum Christi primo pastoribus nuntiavit. Orationes quæ sequuntur denotant, quod sacerdos populum ad orandum invitat, sicut Domino orante in monte gravius oravit, & orandi formam accepit. *Dominus vobiscum* dicitur ad similitudinem Christi, qui post resurrectionem dicebat discipulis suis *pax vobis*. Epistola signat doctrinam 72. discipulorum, quos Dominus ad locum, quo venturus erat dicitur præmisisse. Rursum quod cantatur in gradualibus dicitur graduale, denotat illos qui prædicantibus apostolis corda sua fidei præbuerunt. *Alleluja* vero laudes & gratia-

ANNO CHRISTI 1289.

tiarum actiones sanctorum, quibus Deum laudaverunt. Evangelium verò legitur, quia Christus illud publicè prædicavit, & interpretatur bonus nuntius, qui annuntiat nobis vitam post mortem, requiem post laborem, regnum post servitutem: & legitur a sinistro altaris, quia expulsi prædicatores a Judæa, conversi sunt ad gentes; tunc vero capita denudamus, ut audire verba cælestia cum devotione recolamus, tunc etiam signo crucis nos signamus, ne diabolus superveniens tritico nostræ fidei zizaniam suæ pravitatis immisceat. Erecti autem tunc stamus, ut in iis quæ leguntur fideliter persistamus. Symbolum verò dicitur, ut verbis Evangelii fidem nos habuisse ostendamus. Sacerdos ad populum se convertit, dicens, *Dominus vobiscum. Oremus*, quia monet populum, ut in hac confessione fidei perseveret. Oblationes populi significant quod populus & clerus jugo dominico colla subdere se manifestant. Oblatio sacerdotis est panis & vinum, quæ per Melchisedech sunt oblata: panis significat corpus Domini, cum quo fidelis anima satiatur; vinum sanguinem nostræ redemptionis; aqua sacramentum baptismatis, quia de corpore Christi fluxerunt sanguis & aqua baptismatis. Hostia ponitur ab aliquibus ante calicem, ut Christi stantis ante crucem memoria habeatur; ab aliquibus verò ad dextrum latus, in quo dextrum latus Domini protensum lancea demonstratur. Altare verò signat crucem Domini, calix tumulum in quo sepultus est, patena lapidem quo coopertus fuit, corporale linteum quo involutus fuit. Secretæ orationes significant preces quas Dominus tempore suæ passionis secretè fundebat ad Patrem dicens: *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*. Quibus orationibus finitis, dicit sacerdos, *sursum corda*, pro eo quod Dominus intuens discipulos dormientes excitavit eos dicens, *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Sacerdos etiam virtutes cœlorum commemorat, ut ab eorum laudibus non discrepet laus sacerdotis: dicit enim Beatus Gregorius, quod dum Patri Filius immolatur, cœlum aperitur, cœli veniunt potestates, & cœlestibus ima junguntur. Sacerdos etiam tunc manus elevat de se crucem faciens, ut signum passionis Domini præsentet, & per hoc signum sub duce Moyse populus Israel populum Amalech debellavit. Quando enim Moyses tenebat manus erectas ad Dominum, populus devincebat: quando manus submittebat, populus vincebatur. *Sanctus* ter dicitur, quia Trinitatem denotat personarum; *Dominus sabbaoth*, id est in coelum elatus, essentiæ denotat unitatem. *Te igitur* ideo secrete dicitur cum aliis secretis quæ sequuntur, quia antiquitus cum alta voce legebantur, pastores in campis illa verba retro pecora decantabant. Unde Dominus ex his motus igne misso de coelo, quosdam ex illis interfecit, demostrans ut secrete ulterius legerentur. A *Te igitur*, usque ad *Agnus Dei* quod sacerdos faciat in canone continetur, videlicet primo tres cruces facit, ut a triplici peccato, scilicet cogitationis, loquutionis & operis humanum genus liberetur. Secundo facit quinque cruces in memoriam quinque plagarum Christi. Tertio facit duas ut anima & corpore salvari mereamur. Quarto facit quinque cruces ut quinque sensus corporis a noxiis retrahamus. Quinto facit septem cruces ut septem donis Spiritus-sancti illuminemur. Hostia consecrata in tres partes dividitur. Prima pars quæ infra calicem ponitur, signat illos qui adhuc vivunt in sæculo. Pars quæ in manu retinetur, illos qui sunt in paradiso. Pars verò alia illos qui sunt in purgatorio. *Agnus Dei* ideo ter cantatur, ut triplex gradus ecclesiæ, scilicet prælatorum, continentium, & conjugatorum a Deo consequi misericordiam mereantur. Osculum tunc inter homines datur, ut ostendant se in pace conjunctos, & corpore Christi, per quem pax facta est in coelo & in terra. Communionis cantus fit ideo, quia lætamur ex eo quod Deus vota sacerdotis accepit. Oratio sequitur ad complendum, quia sacerdos orat pro se & pro populo, ut sacrificium quod suscepit ad laudem Dei cedat, & eis proficiat ad salutem. *Ite missa est*, ideo dicitur, quia datur licentia recedendi populo, significans sacrificium pro eis ad Dominum fuisse transmissum. Chorus vero respondet pro populo *Deo gratias*, sicut apostoli post ascensionem Domini adorantes iterum regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Dominum.

Missa igitur celebrata, caveant sacerdotes quatenus hostiam consecratam in ecclesia semper paratam habeant in loco singulari, & clavi firmato honorifice collocatam, & devote ac fideliter conservatam præcipimus renovari in hunc modum, videlicet quod sacerdos duas vel plures, si opus fuerit, consecret hostias, quarum unam recipiat reservatam, & in loco illius quam reservaverat ponat noviter consecratam, & postea recipiat sanguinem, & alias receptiones, sicut mos est in ecclesia Caturcensi *vel* Ruthenensi *vel* Tutelensi. Et quando ab infirmo vere confesso requisitus fuerit, statim eum communicet ne sine communione moriatur. Moneant populum sacerdotes & diligenter inducant, ut cum deferri contigerit corpus Christi ad communicandum infirmos, & cùm elevabitur in ecclesia vel altari, adorando corpus Christi verum, cum manuum & genuum flexione studeant se Creatori suo devotissime inclinare. Eucharistiæ igitur deportatio fiat cum duabus vel pluribus hostiis consecratis, ut unam possint infirmo dare presbyteri, & aliam reportare; & fiat sub honesto habitu, cruce, lumine & squilla præcedentibus, cum decenti custodia, supposito mundo velamine, dicendo septem psalmos poenitentiales cum litaniis, & si iter longum est quindecim psalmos, & ipse sacerdos per se, & nunquam per alium ferat & referat caute & manifeste, & ante pectus ob Dei reverentiam & honorem, ut ex hoc apud homines fides & devotio augeatur. Prohibentes districte, ne aliquis qui non sit presbyter, Eucharistiam communicantibus præbeat. Diaconus autem poterit hoc facere necessitate urgente. Sacerdos igitur

tur cauſa communionis cum corpore Chriſti veniens ad infirmum, ejus confeſſionem audiat, prout continetur ſupra in titulo proximo in §. *circa infirmos*. Igitur ipſo de omnibus ſuis peccatis abſoluto, & ei Chriſti corpore præſentato, & articulis fidei ab ipſo ibidem recognitis, & cruce reverenter adorata, devote recipiat corpus Chriſti, & ſi in ore infirmi aliquid de corpore Chriſti remanſerit, vel inde exierit quod ab eo recipi non poſſit habens aliquam panis formam, ab ipſo ſacerdote convenienter debet ſumi, vel comminutum in calice cum modico vini dari alicui bonam conſcientiam habenti. Si vero infirmus adeo debilis fuerit, quod ſub magna forma corpus non poſſit recipere, forma minima detur ei in calice & cum modico vino inſtilletur in ore infirmi, quia in qualibet particula totum eſt corpus Chriſti.

Volumus & mandamus ut quilibet fidelis poſtquam confeſſus fuerit, ad minus in Paſcha reverenter ſuſcipiat ſingulis annis Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprii conſilio ſacerdotis ex aliqua cauſa rationabili duxerit abſtinendum. Alioquin vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens careat eccleſiaſtica ſepultura. Et eſſet honeſtum ac pium communionem recipi in feſtis Nativitatis Domini & Pentecoſtes a quocumque fideli, & ad hoc populus inducatur. Præcipientes, ut ſacerdotes vinum purum habeant paratum in eccleſia, quod ſtatim, non cum calice ſacerdotis, ſed cum calice ad hoc ſpecialiter deputato tribuant populo poſtquam receperint corpus Chriſti. Prohibentes communicantibus, ne a præſentia ipſorum ſacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluerint ora ſua. Item præcipimus, quod dum capellanus hoſtias renovat conſecratas, ſi aliquæ remanent populo communicato, illas recipiat jejuno ſtomacho, vel in miſſa recepto corpore & ſanguine Chriſti ante omnem perfuſionem. Parvuli autem qui tantæ ſunt innocentiæ, quod peccato mortali non fuerint pergravati, & talis diſcretionis & compoſitionis fuerint, quod cum aliqua reverentia & timore ſint ſacramentum ſuſcepturi, ſecure miniſtretur eiſdem aliqua confeſſione præhabita, ut modum confitendi & communicandi aſſumant. In ſacramentis enim, & maximè in iſto, ubi caligat oculus rationis, inſtruendi ſunt homines & mulieres, non ſolùm per verba, immò & per actus exteriores, ad devotionem & fidem. Aliis vero parvulis nullatenus concedatur. Sed in mortis articulo vel alio vinum cum aqua in calice porrigatur eiſdem, non quod hoc ſit ſacramentum, ſed propter fidem & aſſuetudinem ſacramenti. Sacerdotes autem curam animarum habentes ante communionem parochianos ſuos moneant publicè in eccleſia, ne aliquis in mortali peccato conſtitutus occulte ſeu manifeſte præſumat recipere corpus Chriſti, & ſi videant vel ſciant aliquem in mortali peccato conſtitutum paratum communicare, trahant ipſum ad partem, & eum ſecrete moneant, ne communicet ullo modo, niſi prius de peccato illo vere confeſſus fuerit & contritus, dicentes ſibi quod ſi taliter communicaret, in damnationem ſuæ animæ redundaret. Et ſi monitus noluerit abſtinere, non debét ei publice communio denegari. Si autem a ſolo ſacerdote nemine alio præſente ab eo communio peteretur, non eſt audiendus, ſed potius repellendus. Verùm ſi peccatum fuerit notorium, & non eſt de ipſo vere confeſſus, ante ſatisfactionem condignam debet ſibi publice communio denegari, & hoc idem in oſculo crucis dicimus, & volumus obſervari. Tamen in die Veneris ſancta ab omnibus generaliter adoretur. Caveant autem ſacerdotes, ne aliquid de ſanguine Chriſti extra calicem cadat; quod ſi per negligentiam ipſorum acciderit & in tabula, terra, vel lapide ſtillaverit, lingatur, ſi fieri poteſt, per preſbyterum, & nihilominus radatur, & quod raſum fuerit comburatur, & cinis infra altare, ſi fieri poteſt, vel juxta altare in ſacrario abſcondatur, & quadraginta diebus ille cui acciderit poeniteat. Si vero ſuper altare ſtillaverit ſanguis, & tangat tantummodo pannum altaris quod non tranſeat ad alium, ſorbeat ſacerdos ſtillam incontinenti, ſi fieri poteſt, & tribus diebus poeniteat. Et ſi ſtilla uſque ad ſecundum pannum pervenerit, poeniteat quatuor diebus; & ſi uſque ad tertium pannum pervenerit, poeniteat undecim diebus; & ſi uſque ad quartum pervenerit, poeniteat viginti diebus, & linteamina quæ tetigerit ſtilla ſanguinis, tribus vicibus in tribus aquis miniſter vel diaconus abluat, calice ſuppoſito, & aqua ablutionis juxta altare recondatur. Muſcam vel araneam, vel aliud turpe cadens in ſanguine, non tenetur ſorbere ſacerdos, licet ponatur in patena, vel alio calice, & ibi tribus aquis lavetur, & poſtea illa ſpecies comburatur, & aqua ablutionis ac cinis ſimiliter recondatur. Si quis per ebrietatem, vel nimiam comeſtionem Euchariſtiam evomuerit, ſi laicus eſt, quadraginta diebus poeniteat, ſi clerici vel religioſi, diaconi vel presbyteri, ſeptuaginta diebus poeniteant, & ſi pro infirmitatis cauſa evomuerint, VII. diebus poeniteant. Qui vero chriſma vel Euchariſtiam incaute reliquerit, id eſt in loco clavibus non firmato, nec fideliter cuſtodito, tribus menſibus debet ab officio ſuſpendi, & ſi per ejus incuriam ſeu negligentiam mus vel animal aliud illud comederit, ultra prædictos tres menſes, poeniteat quadraginta diebus. Si vero aliqua enormia ſeu nefaria fieri inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni. Ubicumque autem dicitur quadraginta diebus, vel triginta diebus ſeu pluribus, ſeu paucioribus poeniteat, ſic debet intelligi, ut per omnes dies ſcilicet aliquam poenitentiam agat ſecundum arbitrium imponentis: ſi vero hoſtia fuerit inventa ſub palla altaris, & dubitetur utrum fuerit conſecrata, dicimus quod ſacerdos in fine miſſæ poſt receptionem ſanguinis, poteſt eam recipere, & idem dicimus de aliqua parte hoſtiæ, ſi ita inventa fuerit in altari, & dubitetur utrum fuerit conſecrata. Et omnino caveant ſacerdotes miſſam celebrare volentes, ne panis ſeu vinum ſint in altari præter illa quæ tunc fue-

ANNO CHRISTI 1289.

fuerint consecranda. Post celebrationem missarum sacerdotes visitent infirmos, & postea legant, scribant, vel doceant. An autem celebrare quotidie vel aliquando ex reverentia abstinere, sit melius sacerdoti, hoc relinquitur suæ intentioni, ut id faciat in quo magis credit placere Deo, sicut dicitur de Zachæo & Centurione, quorum unus placuit sacrificando, alius abstinendo: Ex negligentia autem non est aliquatenus abstinendum.

XVII.

De sacramento extremæ-unctionis.

Quoniam infirmis recepta poenitentia & Eucharistia exhiberi consuevit sacramentum unctionis extremæ, quod sacramentum debet esse egredientium. De hoc restat immediate videndum, scilicet quid est, & quis confert illud, & cui confertur, & qua forma & quæ sunt in eo necessaria, & quis ejus effectus. Est autem sacramentum extremæ-unctionis sacri olei materialis in corpus infirmorum delibutio. Et debet ac potest conferri a presbytero & non ab inferiori. Confertur infirmis quibuscumque baptizatis poenitentibus & confessis, & quibuscumque fidelibus, ex quo aliquam discretionem habuerint, & quotiescumque infirmitas supervenit, debebit & poterit iterari. Et si habens discretionem ex contemtu vel negligentia obmittat recipere, periculosum & damnabile reputatur eidem. Formam hujus sacramenti non ponimus, quia perfecte in ordinario continetur. Quinque vero sunt necessaria in hoc sacramento, scilicet minister, id est, sacerdos; materia, id est, sacrum oleum quod dicitur infirmorum; intentio, scilicet conferendi; verba, scilicet quæ in ordinario continentur, & membra, scilicet suscipientis. Effectus hujus sacramenti est venialium peccatorum remissio, & infirmitatis alleviatio, si divina sapientia id utile infirmo novit expedire. Debent in collatione hujus sacramenti plures esse sacerdotes, si potest commode fieri; & non debet unus inungere, & alius orationem infundere, ne fiat divisio sacramenti, licet uno inungente & orante, alii postea statim orent, vel uno inungente & orante possunt quilibet inungere & orare. Sacerdos etiam solus cum clerico suo hoc sacramentum poterit conferre, si non possunt sacerdotes alii adhiberi. Si vero infirmus qui percipit hoc sacramentum amiserit notitiam vel loquelam, nihilominus dum tamen vitam habeat concedatur eidem. Præcipimus itaque ut doceant populum sacerdotes, ut omnes, maxime postquam ad annos discretionis pervenerint, poenitentes & confessi & recepta poenitentia, & eucharistia, vel etiam ex quo aliquam discretionem habere inceperint, puta post quatuor vel quinque annos, & totiens quociens infirmitas supervenerit, hoc sacramentum recipiant unctionis extremæ, quia ut dicit Jacobus apostolus per hoc venialia dimittuntur, & mentibus infirmorum alacritas infunditur, ut sic ad æterna gaudia citius eleventur. Item præcipimus, ut

A sacerdotes oleum sacrum infirmorum honeste deferant, & cum magna reverentia hoc impleant sacramentum.

XVIII.

De sacramento ordinum.

Dictum est supra de quinque sacramentis necessariis, sequitur videre de reliquis duobus voluntariis, scilicet ordine & matrimonio, & dicuntur voluntaria, quia sine ipsis est salus. Unde dicendum est, quid est ordo, & quot sunt ordines, & quo tempore conferendi, & a quo, & cui, & qualiter. Ordo est sacramentum ecclesiæ (a)

B ab apostolis introductum, cujus caracter per manus impositionem prælati secundum formam Ecclesiæ factam cooperante Spiritu-sancto imprimitur in ordinato, ut in certis officiis ecclesiasticis valeat ministrare. Ordines vero dominicales sunt septem gradus ecclesiastici ad modum septiformis gratiæ Spiritus-sancti, scilicet ostiarii, lectores, exorcistæ, acolyti, subdiaconi, diaconi, presbyteri: quorum quatuor primi minores ordines, reliqui vero tres majores, & sacri ordines appellantur. Qui siquidem septem ordines vel gradus a prima tonsura clericali recipiunt fundamentum. Prima enim tonsura, quæ aliter dicitur psalmista-

C tus non est ordo proprie, sed graduum seu ordinum fundamentum. Quæ tonsura etiam sola a prælato concessa secundum formam Ecclesiæ facit vere clericum privilegiis clericalibus insignitum, quæ dicitur ampla decenter atque rotunda, qua summus prælatus Dei Filius JESUS-CHRISTUS in signum victoriæ usus fuit, dum pro redemtione nostra corona spinea se coronari permisit. Primus igitur ordo est post tonsuram ostiarii ex eo sic dicti, quia præest ostiis templi; quod officium Dominus in sua persona suscepit, quando cum flagello vendentes & ementes de templo ejecit, & cum dixit: *Ego sum ostium in regno Patris mei*. Secundus gra-

D dus est sive ordo lectoris, dictus a legendo, debet enim lectiones & prophetias populo legere. Hoc officium Christus complevit, cum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, distincte ad intelligendum legit. Tertius gradus est sive ordo exorcistæ, qui ita Græce dictus, Latine dicitur adjurans, vel increpans; debet autem inter alia exorcismos memoriter retinere, & immundos spiritus increpare, hoc officio Dominus usus fuit cum demoniacos multos sanavit. Quartus gradus est acolyti, qui ita Græce dictus, Latine ceroferarius appellatur: debet enim inter alia cereos portare quando legitur evangelium vel sacrificia offeruntur.

E Quod officium Dominus in se habere testatur cum dicit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Quintus gradus est subdiaconi, ideo sic dictus, quia subjacet præceptis & officiis diaconorum. Debet etiam inter alia calicem & patenam ad altare Christi deferre, & diaconibus tradere, & ministrare, urceolum aquæ & manutergium tenere episcopo & presbyteris. Et hoc officio usus est Dominus quando mittens

(a) Hæc verba *ab apostolis introductum* in solo Ruthenensi codice repeiriuntur; in duobus aliis codicibus non comparent.

ANNO CHRISTI 1289.

tens aquam in pelvim linteo ſe præcinxit, & pedes diſcipulorum lavit & terſit. Sextus gradus eſt diaconi ſeu levitæ, quod nomen accepit in veteri teſtamento, quia de tribu Levi ad divinum cultum ordinabantur. Et diacones Græce, Latine miniſtri dicuntur. Debent enim inter alia ſacerdotibus in ſacramentis miniſtrare, ſcilicet in chriſmate, patena et calice oblationes inferre, et diſponere in altari, componere menſam Domini, crucem Domini ferre, evangelium legere. Hoc officio uſus Chriſtus eſt, quando poſt coenam ſacramentum ſui corporis diſcipulis diſpenſavit. Septimus gradus eſt presbyteri, qui ita Grece dictus, Latine ſenior interpretatur, non propter ætatem, ſed propter maturitatem, qui aliter ſacerdos appellatur, id eſt ſacra dans; debet enim inter alia ſacramentum corporis et ſanguinis Domini in altari conficere, orationes dicere, et dona Dei benedicere. Hoc officio uſus eſt Chriſtus, quando ſe ipſum idem ſacerdos et hoſtia in ara crucis obtulit, et quando poſt coenam panem et vinum in corpus ſuum et ſanguinem tranſmutavit. Quidam autem dicunt, quod novem ſunt ordines in hac eccleſia militante, ſicut ſunt novem ordines angelorum in eccleſia triumphante, ut prima tonſura ſive pſalmiſtatus, ſit primus ordo, ordo vero epiſcopalis ultimus, quo officio ſpecialiter uſus fuit Chriſtus, quando diſcipulos congregatos benedixit, et videntibus illis in coelum eſt elevatus.

Sciendum eſt autem, quod ſuperpellicium ſeu camiſia; quam primo ſacerdos induit, ſignificat bonam fidem quam primo habere debemus, cum radix ſit omnium virtutum. Amictum quo caput ſacerdotis velatur humilitatem ſignificat, cum qua omnem ſtatum noſtrum velare debemus. Alba virginitatem ſignificat, quia ſicut fugit albedo nigredinem, ūnitas diviſiones, ſic virginitas corruptionem. Zona vero caſtitatem ſignificat: nam lumbos ubi ſedet luxuria deprimit & reſtringit. Manipulus qui in manu ſiniſtra defertur, iſtam vitam ſignificat, ut ab hac vita, ad vitam aſpiremus æternam. Stola quæ longa eſt uſque ad pedes legem Dei ſignificat, ut in longum vitæ noſtræ in lege Dei vivere debeamus. Infula ſeu caſula quæ alias veſtes cooperit caritatem ſignificat, quæ virtutes continet in ſe omnes. Iſti vero ordines dicuntur ſacri, quia res ſacra, id eſt gratia per eos confertur. Superiora vero officia, ſcilicet (*b*) epiſcoporum, archiepiſcoporum, metropolitarum, primatuum, patriarcharum & papæ, & inferiora, ſcilicet archidiaconorum, archipresbyterorum, abbatum, decanorum, præpoſitorum & aliorum non ſunt proprie ordines, ſed ordinum officia & dignitates.

(*a*) In uno codice deſideratur *epiſcoporum*.

De temporibus ordinandorum.

Ordines prædicti, ſcilicet tres majores conferri non poſſunt, niſi in ſabbatis quatuor temporum & ſabbato ante Dominicam de Paſſione, & ſabbato in veſperis Paſchæ. Minores vero ordines in dictis temporibus conferuntur, & etiam diebus dominicis, & aliis præcipuis feſtis poteſt epiſcopus unum aut duos, vel plures ad minores ordines promovere, dum tamen ordinationem generalem facere non videatur. Conferuntur autem dicti ordines ſolum ab epiſcopis & ſuperioribus ab eccleſia non præciſis, licet abbas ſi eſt presbyter poſſit monacho ſuo primam tonſuram clericalem & lectoratum conferre. Conferri autem debent dicti ordines homini litterato, non criminoſo, monogamo, ſobrio, prudenti, ornato, hoſpitali, caſto, non percuſſori, non litigioſo, non cupido, non neophyto, bene diſpoſito, non excommunicato, non interdicto, vel ſuſpenſo, non in peccato notorio exiſtenti mortali, non irregulari, non illegitime nato, & aliter ad celebrandum bene apto. Conferendi ſunt vero dicti ordines examinatione præcedenti. Item, gradatim non per ſaltum; item, palam non furtive, item cum deliberatione, ſervatis ſcilicet interſticiis temporum ſupra dictis. Item, opportune, non importune, quamvis enim quatuor minores ordines inimul poſſent recipi, non tamen ſacri ordines, nec etiam unus minorum & unus ſacrorum infimul ſunt recipiendi, ſed unus ſacer ordo tantummodo una die uni debet perſonæ conferri. Sed nec prima tonſura ſimul cum minoribus ordinibus ſecundum quorumdam opinionem una debent die conferri. Præcipimus itaque, ut nulli clerici noſtræ diœceſis accedant ad alios epiſcopos ſine noſtra licentia pro ordinibus obtinendis, ſed ad nos veniant temporibus conſuetis: præcaventes quod cum recipient ordines, de omnibus peccatis ſuis vere pœnitentes ſint & confeſſi, nec aliqua ſententia majoris excommunicationis vel interdicti vel ſuſpenſionis ab officio ſint ligati; alioquin irregularitatem incurrerent, quam incurrunt etiam omnes clerici majori excommunicatione ſeu interdicto vel ab officii ſuſpenſione ligati, qui durante ſententia ſcienter ingerunt ſe divinis, & in ſuo ordine officiant ſicut prius, de qua irregularitate cum eis non niſi per ſummum pontificem poterit diſpenſari. Et ideo quilibet clerici debent diligentiſſime præcavere, ne irregularitatis laqueo ſe involvant, cum eis diſpenſatio multum damnoſa, ſumptuoſa, & laborioſa exiſtat. Nullus clericus ſine titulo, ex quo poſſit, quamdiu vixerit, ſine clerici opprobrio, commode ſuſtentari, veniat ad nos pro ordinibus obtinendis.

Clericus habens beneficium cum cura animarum, ſi non attigerit viginti quinque annos, vel ſi infra annum ſe non fecerit in presbyterum promoveri, beneficio privatus eſt ipſo jure; & ſi perſonaliter ibi non reſideat, privabitur illo, monitione trina præmiſſa, niſi cauſa rationabili ſecum ad tempus ſuper reſidentia duxerimus diſpenſandum.

Prohibemus ne ſacerdotes hujus diœceſis ad alias diœceſes ſine noſtris literis ſuæ promotionis ſe transferre præſumant, nec ſacerdotes aliarum diœceſum incogniti ſine litteris ſui epiſcopi ad celebrationem miſſarum populo in hac diœceſi admittantur, niſi forte ſecrete ex devotione voluerint celebrare.

Prohibemus etiam ne aliquis noſtræ diœceſis ad epiſcopos Italicos accedat ordinandus ſine noſtris litteris ſpecialibus, vel ſummi pontificis, continentibus, quare nos nolumus vel non poſſumus eos ordinare: alioquin tales ſuſpenſi eſſent ipſo jure, & ſine ſpe diſpenſationis eſſent etiam a ſede apoſtolica concedenda, cum nos

ANNO CHRISTI 1289.

nos super hoc non possumus dispensare.

Nulli etiam alterius diœcesis ad nos veniant ordinandi sine litteris veris sui episcopi; alioquin excommunicationis sententias proferimus in eosdem, cum ex hoc si per nos ordinarentur, posset nobis & ipsis periculum imminere.

Religiosi vero in non exemtis prioratibus deputati & eorum socii in nostra diœcesi constituti, possunt a nobis licite ordinari, licet non sint de nostra diœcesi oriundi.

Nulli etiam nobis infantem præsentent clericandum, seu illiteratum, nisi statim religionem intret, nec etiam conjugatum clericandum, nec conjugatus se præsentet, nisi vellet religionem intrare, vel ad sacros ordines promoveri de voluntate uxoris & a nobis habita licentia & obtenta, alioquin sententiam excommunicationis incurrat ipso facto.

Declaramus etiam quod in XVIII. anno potest quis, nisi sit aliud canonicum quod obsistat, ad subdiaconatus: & in XX. ad diaconatus, & in XXV. ad presbyteratus ordines promoveri.

XVIII.

De sacramento matrimonii.

Licet matrimonium magnum sit in ecclesia sacramentum, & prius quam alia sacramenta a Deo fuerit in paradiso institutum: quia non tamen per hoc sacramentum confertur gratia, sed per alia sacramenta, & quia in ecclesia Dei primum locum obtinent virgines, scilicet continentes, ultimum conjugati: ideo ultimo est de hoc sacramento videndum. Et primo de quibusdam præambulis, ad matrimonium, scilicet de sponsalibus, scilicet quæ sunt, & unde dicuntur, & quibus modis, & in qua ætate contrahuntur & qualiter dissolvuntur, & quis est effectus eorum. Sponsalia sunt matrimonii inter virum & mulierem promissio. Dicuntur a spondendo, id est promittendo. Contrahuntur autem quinque modis, scilicet simplici sponsione, ut cum dicit vir mulieri: Accipiam te in uxorem; & mulier viro: Accipiam te in maritum. Item, fidei datione. Item, juramenti interpositione. Item, datis arrhis sponsalitiis. Item, anuli subarratione. Contrahuntur vero sponsalia in septennio completo, & a septennio supra. Dissolvuntur autem sponsalia communi dissensu, auctoritate tamen ecclesiæ. Item, propter affinitatem supervenientem. Item, propter infirmitatem corporalem, vel spiritualem supervenientem: corporalem, ut si nasum amiserit, vel lepræ deformitas, quæ personam reddat inhabilem, superveniat; vel spiritualem, ut si prius est fornicata, vel facta hæretica, vel alias infidelis. Item, propter fugam sponsi vel sponsæ se ad aliam provinciam transferentis. Item, propter majus vinculum superveniens, ut si alter contraxerit cum alio per verba de præsenti. Item, si dicatur esse per famam inter sponsos canonicum impedimentum. Item si alter ad religionem transivit. Item, si contrahentes sponsalia ante pubertatem quæ est quatuordecim annorum in masculo, duodecim in muliere veniens ad pubertatem contradicit. Effectus sponsaliciorum est, ut ea contrahens, matrimonium contrahere & perficere per censuram ecclesiæ compellatur. Ex sponsalibus autem oritur quædam abstinentia, quæ vocatur publicæ honestatis justitia, quæ procedit ex constitutione ecclesiæ propter vim matrimonii contrahendi, quæ ex sponsalibus speratur perfici, quæ impedit matrimonium contrahendum & dirimit jam contractum, ut puta si aliquis contrahat matrimonium cum aliqua de cognatione illius usque ad quartum gradum quam olim habuit in sponsam, & e converso, quod matrimonium non valet de jure. Sequitur videre de matrimonio, scilicet quid sit, & unde dicatur; ubi & a quo fuerit institutum, quis possit contrahere, qualiter contrahatur, & quare, quis ejus effectus, & qualiter dissolvatur, seu quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt jam contractum. Matrimonium est conjunctio maris & feminæ individuam vitæ consuetudinem retinens, divini & humani juris communicatio.

Quid sit matrimonium.

Dicitur autem matrimonium matris munium, id est officium. Et denominatur magis a matre quam a patre, quia in principaliori bono matrimonii, scilicet in prole, magis laborat quam pater: nam proles ante partum est matri onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa. Eadem ratione substantia viri & mulieris vocatur patrimonium, quia pater magis laborat in acquirendo quam mater. Fuit institutum matrimonium in paradiso a Deo & ante peccatum per illa verba Adæ ore prophetico, dicentis, *hoc nunc os ex ossibus meis & caro ex carne mea, & propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Potest autem contrahere matrimonium quæcumque persona apta ad consentiendum & coeundum. Contrahitur autem matrimonium consensu & verbis, ut si dicant contrahentes: *accipio te in meum, accipio te in meam*, vel *concedo tibi corpus meum in maritum*, & *ego concedo tibi corpus meum in uxorem:* vel proferant æquipollentia consensum exprimentia de præsenti. Mutus qui verba proferre non potest, consensum exprimere poterit per indicia vel per signa, & tale matrimonium dicitur esse verum. Præsumtum vero vocatur quando cognoscit quis carnaliter sponsam, cum qua sponsalia fecerat de futuro. Causæ vero matrimonii sunt quæ principales, scilicet susceptio sobolis, & vitatio fornicationis; effectus matrimonii est, quia filii inde nati, sunt legitimi & naturales, & in potestate patris constituti, & in solidum patri & matri ab intestato succedunt. Item, & ex quo tenuit matrimonium, quod tamen fuit per carnis copulam consummatum, usque ad mortem nullo tempore dissolvetur, nisi solummodo quoad thori separationem, si alter conjugum fornicetur. Etiamsi aliter fiat hæreticus, cæcus, surdus, mutus, vel furiosus, vel aliud quantumcumque horrendum incurrat. Item quod post carnis copulam vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; & e converso: unde alter non potest invito altero vitam mutare, nec religionem intrare, & debet alter alteri debitum reddere etiam invi-

vitus. Impediunt autem matrimonium contrahendum, & dirimunt jam contractum ea quæ in his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Sensus & affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.

Error, scilicet personæ, ut si contrahendo cum Guillelma credens contrahere cum Paula, unde nullum est matrimonium. Conditio, ut si contrahat cum serva credens contrahere cum libera. Votum si post votum solemne contrahat. Cognatio quæ triplex est, scilicet carnalis, ut consanguinitas usque ad quartum gradum, spiritualis ut compaternitas, legalis ut adoptio. Crimen, ut quando vivente uxore cognovit aliam, & ei fidem dedit quod uxore mortua contrahet cum illa. Item, si vivente uxore cum alia de facto contraxit, & eam cognovit. Item, si machinatus sum in morte uxoris, & cum alia contrahere promitto quam cognovi vivente uxore. Cultus disparitas, ut si Christianus contrahat cum Judæa, vel Sarracena. Vis, ut si contraho cum aliqua propter vim vel metum qui possit cadere in constantem virum. Ordo, ut si existens in sacris ordinibus contraham matrimonium. Ligamen, ut si ego ligatus, si habeo uxorem contraham cum alia ipsa vivente. Honestas, id est publicæ honestatis justitia, ut si contraho cum aliqua consanguinea usque ad quartum gradum alicujus quæ fuit sponsa mea. Sensus, ut si carens sensu, ut furiosus contrahat. Et affinis, non enim possum contrahere cum aliqua de consanguinitate meæ uxoris quondam usque ad quartum gradum, quia omnes illæ sunt mihi affines. Si forte coire nequibis, ut in frigidis & maleficiatis, qui contrahere non possunt. Per hæc enim impedimenta, matrimonia contrahi impediuntur, & contracta separantur. Et non de cognatione carnali, quæ est consanguinitas, ut dixi, quod si consanguineus est in quarto gradu, & consanguinea in quinto, possunt copulari & debet computari gradus a stipite, & a patre duorum fratrum vel sororum a quibus descenderunt illi qui debent copulari. Stipes autem non facit gradum secundum canones, seu fratres vel sorores, & sunt in primo gradu, filii fratrum in secundo, filii filiorum fratrum in tertio, & illorum filii in quarto. Quando vero vir non est in quarto vel infra ex una linea computando a stipite, & mulier in quinto vel supra ex alia linea quantum remotior, ut mulier quæ ut in quinto, quantum distat a stipite, tantum distat hæc mulier a dicto viro, & a quolibet de linea illius viri, & ideo poterunt copulari. De cognatione spirituali dico quod triplex est, scilicet compaternitas in femina, quæ attenditur inter spiritualem patrem vel matrem pueri baptizati & carnalem. Unde si contraho cum matre carnali pueri quem baptizavi, vel in baptismo tenui, non valet. Item est paternitas in masculo, seu commaternitas in femina, quæ attenditur in eum qui baptizat vel tenet in baptismo, & eum qui baptizatur, & inter tales similiter non tenet in matrimonium. Item est spiritualis fraternitas quæ attenditur inter filium meum spiritualem, quem baptizavi vel in baptismo tenui, & filiam meam carnalem, & inter quos similiter non potest esse matrimonium. Et quod dixi quod per baptismum contrahitur cognatio spiritualis, idem intelligas de confirmatione. De cognatione legali, dico quod impedit & dirimit matrimonium, ut si ego adopto aliquam in filiam meam, numquam possum contrahere cum ea, vel eam habere etiam soluta adoptione, nec etiam filius meus naturalis durante adoptione. Item, inter uxorem adoptantis & filium adoptatum est affinitas legalis, quæ impedit & dirimit matrimonium, etiam adoptione soluta. Item, nota quod si uxor tua postquam fuerit a te carnaliter cognita suscepit infantem alterius mulieris in baptismo vel in confirmatione, illa cujus infans erit, efficiet tibi commater per factum uxoris tuæ, & ideo mortua uxore tua non poteris illam ducere in uxorem, & e converso eamdem commaternitatem uxori acquiri intelligitur per maritum. Si vero dictam susceptionem fecit uxor tua, antequam eam cognosceres, mortua uxore tua poteris illam in uxorem ducere. Si autem filium uxoris tuæ quem ab alio generavit antequam eam duceres, & esses effectus una caro cum ea, aliqua mulier in baptismo vel confirmatione tenuerit, illa mulier est commater uxoris tuæ, & non tua, unde mortua uxore tua talem commatrem ejus habere poteris in uxorem. Idem est, si filius ab aliquo suscipiatur quem genuisti de aliqua muliere, & sic in tribus casibus proximis aliquis duas commatres unam post aliam, habere poterit in uxores, & aliqua duos compatres unum post alium habere poterit in maritos.

Præcipimus, itaque ad hoc ut dicta impedimenta & alia pericula circa matrimonia sciantur & cognoscantur, & cognita evitentur, ut matrimonia cum honore & reverentia in concessis gradibus non cum risu seu jocose, nec de nocte seu clandestine, sed publice in facie ecclesiæ celebrentur. Districte præcipientes ut ante per tres dies dominicos vel festivos vel alios, quibus præsens erit populus, vel major pars ejus, banna publice ut moris est per sacerdotes in ecclesiis proponantur, quod inter illos tales est matrimonium contrahendum, ut infra dictos dies juxta statuta concilii generalis qui voluerint, & valuerint, legitimum impedimentum opponant, & ipsi presbyteri nihilominus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura super impedimento contra matrimonium contrahendum, interdicatur expresse contrahi per sacerdotes, donec quod fieri debeat manifestis nobis vel officiali nostro constiterit documentis. Sane parochialis vel sacerdos, qui clandestina matrimonia inhibere contemserit, aut quilibet regularis qui eis præsumserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius etiam si culpæ qualitas postulaverit puniendus. Sed

De matrimonio clandestino.

& il-

ANNO CHRISTI 1289.

ANNO CHRISTI 1289.

& illis qui taliter copulari præſumſerint condigna pœnitentia injungatur. Sunt etiam matrimonia clandeſtina contrahentes bannis, ſcilicet, ut dictum eſt, non præmiſſis, & omnes qui talibus matrimoniis intereſſe præſumſerint auctoritate provincialis concilii & noſtrorum prædeceſſorum, ac noſtra ex ſtatutis hujus eccleſiæ ſynodalibus ipſo facto excommunicationis ſententia innodati.

Prohibeant etiam ſubditis ſuis presbyteris, ne ſponſalia inter ſe contrahant interpoſito maxime juramento vel fide, & niſi in loco honeſto, & coram ſuo ſacerdote, & præſentibus aliquibus perſonis fide dignis. Diſtricte igitur juxta ſtatuta provincialis concilii inhibemus, ne infra ætatem legitimam quæ eſt quatuordecim annorum in maſculo, duodecim in muliere matrimonia contrahantur, & ne aliquis talibus matrimoniis intereſſe præſumat; alioquin tam contrahentes quam qui intererunt noſtro, ſeu officialis arbitrio punientur. Capellani vero parochiales, quam cito ſciverint extra forum pœnitentiale in ſuis parochiis matrimonia illicite eſſe contracta, juxta ſtatuta ejuſdem concilii nobis vel officiali noſtro intimare procurent; alioquin noſtro ſeu officialis noſtri arbitrio graviter punientur: ſi verò in foro pœnitentiali ambo conjuges confitentur impedimenta quæ ſciunt pro certo eſſe inter eos, & erant antequam contraherent, ut quia alter eorum ante habebat conjugem, vel ante erant affines, vel conſanguinei, vel ante votum religionis, vel aliud ſolemne votum emiſerant; tunc impoſita eis pœnitentia ſalutari, præcipiat eis capellanus, ne ulterius carnaliter miſceantur, & eos inducat, ut nobis vel officiali noſtro ea denuntient, ut decernatur in foro judiciali tale matrimonium non tenere. Si verò alter tantum conjugum tale impedimentum eſſe pro certo inter eos confiteatur, in pœnitentia injungendum eſt illi in foro illo, ne debitum carnale ab altero exigat, nec exactus exſolvat, etiam ſi propter hoc ipſum excommunicari contingat, & tunc capellanus mittat illum ad excommunicatorem ſuum, qui in hoc foro pœnitentiæ debet ipſum abſolvere. Er tam ipſe quam capellanus non debent vitare ulterius in occulto judicio animarum, ex quo occulte eſt abſolutus, ſed publice vitabitur, & denuntiabitur quouſque abſolutionem publicam mereatur. Sed ſi pro certo non ſciat hoc impedimentum, ſed credit hoc probabiliter & diſcrete, debitum non exiget, ſed & exactus cum cordis contritione exſolvet. Si vero leviter & temerarie, conſcientia depoſita, debitum exigere & ſolvere poterit de conſilio ſacerdotis. Si autem affinitas poſt matrimonium ſupervenerit, ut quia alter conjugum durante matrimonio cognovit conſanguineam alterius conjugis, injungendum eſt ei in foro pœnitentiæ, & a conjuge & ab illa conſanguinea in carnali copula perpetuo abſtinere; etiam ſi ab alio conjuge exigatur, prout in caſu proximo fuit dictum, licet in judicio eccleſiæ contentioſo præciperetur eidem, quod non exigeret, licet cum cordis contritione exſolveret jam exactus. Tale verò matrimonium per carnis copulam conſummatum, quamdiu ambo conjuges vixerint, non ſolvetur, niſi quoad carnis copulam, ut eſt dictum. Forus autem pœnitentialis & non judicialis ad capellanos, uterque vero ad nos vel officiali noſtro dignoſcitur pertinere. Inhibemus itaque & præcipimus quod mota quæſtione ſuper matrimonio vel ſponſalibus non celebretur matrimonium, donec coram nobis vel officiali noſtro illa quæſtio fuerit terminata. Diſtricte etiam inhibemus, ne aliqui qui ſponſalia contraxerint, præſumant cum aliis contrahere ſecunda ſponſalia ſeu matrimonium, niſi prius a vinculo priorum ſponſaliorum coram nobis vel officiali noſtro ſe ad invicem duxerint abſolvendos. Et qui contra fecerit, talia ſecunda ſponſalia ſeu matrimonium non denuntientur in eccleſia, nec taliter nubentibus detur benedictio nuptialis, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia ſpeciali. Nolumus enim quod talis malitia remaneat impunita. Si autem ſponſalia contrahentes coram nobis vel officiali noſtro ad invicem ſe abſolverint, eccleſia in patientia ſuſtinebit.

Inhibemus quoque ne aliqua mulier abſente viro ſuo, ſeu vir abſente uxore ſua, quantocumque annorum numero abſentia duraverit, præſumant contrahere aliud matrimonium, donec conſtet ei quod conjux ejus deceſſerit ab hac vita: & ſi contrahere voluerit, ſacerdos ejus hoc fieri non permittat, & ſi contra fecerit, ad nos vel officialem noſtrum mittatur, ut faciat ſuper hoc quod juſtitia ſuadebit.

Prohibemus autem ne aliquis ſacerdos ignotas perſonas de remotis partibus venientes matrimonialiter copulare præſumat, ſive ambo ignoti fuerint vel alter illorum, nec hujus matrimonium denuntietur in eccleſia faciendum, niſi de noſtra vel officialis noſtri licentia ſpeciali. Si vero perſonæ contrahentium matrimonia clandeſtina in nocte fecerunt, & ea voluerunt in facie eccleſiæ publicari, recipienda ſunt ab eccleſia & approbanda tamquam a principio in conſpectu eccleſiæ contracta, abſolutione prius obtenta de excommunicatione, quam propter hoc incurrerunt; ita quod bannis præmiſſis, ut moris eſt, confiteantur coram ſacerdote publice & aliis perſonis pluribus ſe matrimonium contraxiſſe, vel de novo in eccleſia matrimonium contrahant de præſenti, eiſque detur ſi poſtulaverint benedictio nuptialis, niſi conſanguinitas vel aliud iterum impedimentum obſtat.

Item, prohibemus ne aliquis parochialis ſacerdos recipiat ad matrimonium contrahendum parochianum, vel parochianam alterius ignorante proprio ſacerdote. Si verò ſponſus & ſponſa de diverſis parochiis fuerint, & banna præmiſſa fuerint, matrimonium poterunt contrahere, & benedictionem nuptialem recipere in quacumque eccleſia voluerint, proviſo quod certas litteras vel nuntios ſuorum presbyterorum habeant et oſtendant continentes, quod in eccleſiis quarum ſunt parochiani denuntiatum fuit illud matrimonium contrahendum, & quod ipſi presbyteri nullum ſciunt vel audiunt impedimentum conſiſtere inter eos. Et fient litteræ ſuper hoc iſto modo.

Di-

ANNO CHRISTI 1289.

Discreto viro capellano talis ecclesiæ capellanus talis salutem in Domino. Noveritis nos in nostra ecclesia banna pubblicè, ut moris est, emisisse, quod inter talem parochianam nostram & talem hominem est matrimonium contrahendum, in quo nullus apparuit contradictor, & nos ipsum ad hoc aptam credimus, prout humana fragilitas nostra novit. Datum tali loco, tali die.

Si vero apparuerit contradictor, non procedat ad matrimonium capellanus, sed citet contradicentem ad instantiam ejus cui contradicitur ad diem competentem coram officiali, cui scribes hoc modo.

Viro venerabili & discreto domino officiali Cadurcensi, vel Tutelensi, vel Ruthenensi capellanus de tali loco salutem, & reverentiam cum honore: noverit vestra discretio, quod cum in ecclesia mea publice banna emitterem, ut est moris, quod inter talem hominem & talem mulierem erat matrimonium contrahendum, talis se opposuit, dicens hoc fieri non debere propter talem causam, quare citavit peremtorie dictum contradicentem ad instantiam prædicti, cui contradixit ut tali die Cadurco, vel Ruthenis, vel Tutelæ compareat coram vobis, prosecuturus cum prædicto cui contradixit canonicè dictam causam. Datum tali loco, die, & anno.

Si vero sit fama vel dicatur a fide dignis, quod justum impedimentum est inter eos, non tunc procedat ad matrimonium capellanus, sed citet eos peremtorie, ut die competenti coram officiali Cardurcensi vel Ruthenensi, vel Tutelensi compareant, super dicto impedimento justitiam suscepturi. Licet autem parochianus alicujus ecclesiæ exuatur a jure parochiali primæ ecclesiæ per translationem domicilii in parochiam alienam, nihilominus tamen fiat denuntiatio matrimonii contrahendi in illa ecclesia, in cujus ecclesia volentes contrahere longam fecerint moram, & etiam in illa in quam suum transtulerint domicilium, et morantur, maxime si de novo in parochiam alienam se transtulerint.

Quia sæpe contingit quod propter aliqua impedimenta, sponsus et sponsa volentes matrimonium contrahere, post celebrationem missæ ad ecclesiam veniunt, et licet missam non audierint die illa, benedictionem nuptialem postulant sibi dari, benedictio nihilominus datur eis. Honestum tamen est, quod, si potest commode fieri, missam prius audiant, et in fine missæ benedictionem recipiant nuptialem, postquam sacerdos susceperit Christi corpus & sanguinem velut in missalibus continetur.

Districte etiam prohibemus, quod si semel vir, vel uxor fuerint benedicti, & illo matrimonio dissoluto alter illorum conjugum secundum matrimonium contrahat cum persona alia benedicta, vel etiam non benedicta, nullatenus benedicantur taliter contrahentes, quia caro semel benedicta trahit ad se non benedictam, cum post carnalem conjunctionem effecti fuerint una caro; et sic benedictionis communicabunt actionem, ut sic benedictioni nuptiali quæ sacramentalis est, nulla injuria per iterationem fieri videatur. Sacerdos vero qui contrarium fecerit, ab officio, beneficioque suspensus de jure ad sedem apostolicam est mittendus. Sunt autem quædam tempora in quibus solemnitates fieri non debent matrimoniorum et nuptiarum, nec dari benedictio nuptialis, videlicet ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, & a septuagesima usque ad octavam Paschæ completas, et a tribus diebus ante Ascensionem Domini usque ad Dominicam primam post Pentecosten, sed in ipsa Dominica post Pentecosten, & deinceps usque ad adventum Domini possunt matrimoniorum et nuptiarum solemnia celebrari.

INCIPIT SECUNDA PARS.

De vita & honestate clericorum.

UT Clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste studeant vivere clerici universi, præsertim in sacris ordinibus constituti. Isti enim necessario castitatem servare tenentur, quam tacite voverunt Domino sacrum ordinem assumendo. Clerici quoque qui stipendiis ecclesiasticis sustentantur, et qui non habent beneficium ecclesiæ, sunt tamen in sacris ordinibus constituti, debent quotidie dicere per septem horas, divinum officium nocturnum, pariter & diurnum, pro ut dicitur communiter in ecclesia Caturcensi, vel Ruthenensi vel Tutelensi, et in breviariis continetur, scilicet matutinum, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas & completorium, nisi infirmitatis necessitas excusaret, & non cum syncopa, sed distincte, & cum intentione sollicita & devota, laudes istis temporibus Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referendo, & si per competentes horas dictæ non fuerint, tamen postea persolvantur. Item in ecclesiis sunt dicendæ, si commode fieri potest, alias ubi fieri poterit commode & honeste: officium Beatæ Mariæ vero nullus dicat induendo vel calciando, sed alias debite & devote. Sacerdotes moneant clericos suæ parochiæ in minoribus ordinibus constitutos, ut singulis diebus saltem Beatæ MARIÆ Virginis horas dicant & commemorationem aliquam pro defunctis. A crapula & ebrietate maxime in anniversariis & aliis conviviis & a commessationibus superfluis, & confabulationibus illicitis omnes clerici abstineant, & vinum sibi temperent & se vino, ac tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec istis ludis intersint, nec ad luctas laicorum accedant, mimis & joculatoribus non intendant. Coronam & tonsuram sine comis & * sine pileo defferant congruentem, nec officia seu commercia sæcularia exerceant, & maxime inhonesta; sed officia ecclesiastica & alia bona studia exerceant diligenter. Pannis rubeis aut viridibus & manicis consutitiis, aut sotularibus rostratis, seu cordelatis non utantur, & clausa deferant desuper indumenta, nec frenis, sellis, pectoralibus, & calcaribus deauratis utantur. Balistas & arcus, lanceas, falsones, cotalarios seu alia ar-

* al. fine pilo.

ANNO CHRISTI 1289.

arma non deferant, nisi forte ex causa rationabili probabilis timoris vel guerræ, & venationibus non intendant.

Inhibemus districte ne clerici feminas teneant de quibus suspicio incontinentiæ possit esse; sed nec rectores ecclesiarum juvenes matres, sorores, amitas, consanguineas secum in domibus ecclesiarum tenere præsumant, sed alibi, si pauperes fuerint, eis, si voluerint, necessaria subministrent. Quicumque autem clericorum manifeste secum tenuerit concubinam, ipso facto se noverit excommunicationis sententia innodatum, & juxta statutum provincialis concilii, si habet beneficium privetur eodem, nisi ex causa probabili secum duxerimus dispensandum. Item, clericus beneficiatus, qui per annum in excommunicatione perstiterit, & in petenda absolutione negligens fuerit, per eadem statuta suo beneficio est privandus, nisi diœcesanus secum duxerit dispensandum. Filios quoque illegitimos presbyterorum, clericorum, beneficiatorum nutriri in eorum domibus juxta statuta ejusdem provincialis concilii prohibemus.

Sub pœna excommunicationis prohibemus districte; ne aliquis clericus truncationem membrorum faciat, aut judicet faciendam, dictando sententiam sanguinis, vel proferendo vel scribendo; alioquin irregularitatem incurret, nec in loco ubi talia exercentur dum fiunt interesse præsumat. Nullus quoque clericus in sacro ordine constitutus aliquam chirurgiæ artem exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducat, nec tabellionatus fungantur officio in curia sæculari. Nulli clerici beneficiati ac in sacro ordine constituti procurationes seu baylivias villarum, seu castrorum, aut judicaturas sæcularium personarum recipere aut tenere præsumat, aut procuratores existere quorumlibet laicorum, aut tutores, seu curatores, seu advocati in curia sæculari, nisi pro se ipsis & ecclesiis suis, & personis miserabilibus, vel consanguineis suis, & universis religiosis & sacerdotibus: præcipientes, ut clerici & præcipue sacerdotes mercata seu nundinas non frequentent sine rationabili causa & probabili, & tunc incedant in decenti habitu & honesto. Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit, in ipsa personaliter residendo, sicut jura præcipiunt & requirunt, nisi cum eis ex causa rationabili ad tempus duxerimus dispensandum, & tunc nobis præsentent vicarios, quos non admittemus, nisi præmissa examinatione, ipsos invenerimus vitæ laudabilis & conversationis honestæ, & qui sciant construere ac competenter legere & cantare.

Hospitalitatem quoque in ecclesiis teneant secundum quod facultates eorum poterunt commode sustinere, præcipue circa Fratres Minores & Prædicatores, cum causa prædicationis vel alia qualibet ad eas ipsos contigerit declinare. Eos enim districte præcipimus ab omnibus presbyteris & rectoribus ecclesiarum nostræ diœcesis caritative recipi ac benigne.

Districte præcipimus, ut clerici conjugati, A qui tamen non sint bigami, volentes gaudere privilegio clericali, tonsuram & coronam portent, militaria officia non exerceant, neque portent vestes virides, rubeas seu virgatas.

Districte etiam præcipimus ut clerici conjugati, qui cum non sint bigami; volentes gaudere privilegio, clericali tonsuram & vestes deferant clericales: & tunc duo privilegia sibi retinent, quia puniri non possunt pro criminibus pecunialiter nec corporaliter per judicem sæcularem: & si quis manus suas in eos temere violentas injecerit, erit excommunicatus: alias vero nullum retinent privilegium clericale.

Præcipimus etiam, quod universi & singuli B *rectores & capellani nostræ civitatis & diœcesis palam & publica auctoritate nostra moneant per tres dies dominicos, dum missarum solemnia celebrant, populo audiente, & nominatim clericos conjugatos, quos scient personaliter & publice officia carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officia exercere, ut infra duos menses ab hujusmodi officiorum exercitio desistant omnino, ut illud in propria persona non exerceant, nec postea exercendo reassumant, alias conjugati se noverint privilegio clericali privatos, etiamsi tonsuram & vestes deferant clericales: non conjugati vero in personam suam privilegium retinent clericale, non in rebus, si tamen non ince-* C *dant omnino ut laici: si verò omnino ut laici incedant, & dicta officia seu unum ex ipsis post dictam monitionem exercuerint, privilegio omnino clericali etiam personaliter sunt privati.*

Item præcipimus, quod clerici non sint joculatores, goliardi, seu bufones, declarantes, quod si per annum illam artem diffamatoriam exercuerint, omni privilegio ecclesiastico sunt nudati, & etiam temporaliter graviori si moniti non destiterint. Declaramus etiam quod si clericus variegata vel partita veste utatur, nisi in causa necessitatis, ut si haberet transire per aliquem locum periculosum, ubi mutaret vestes, si beneficiatus sit, acceptione D *fructuum beneficii est ipso facto per septem menses suspensus, & per alios septem menses eo ipso reddatur inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Si vero non fuerit beneficiatus, sed sit infra sacros ordines constitutus circa sacerdotium, idem etiam est de clericis alias vestem talem similem & tonsuram deferentibus publice clericalem. Clerici vero curam habentes animarum, dignitatem seu personatum & ceteri in sacerdotio constituti & etiam religiosi, si vestes hujusmodi sæculares præter necessitatem detulerint, infulam seu pileum publice de die in capite, beneficiati a perceptione fructuum beneficiorum suorum per annum sunt suspensi.*

E *Omnibus etiam prohibemus, ne epitogium, tabardum, seu mantam foliatam usque ad oram curtam sic deferant, quod vestis inferior notabiliter videatur: quia vestis talis militis sæcularis est potius quam ecclesiastici seu cælestis, & in clero elationem denotat inhonestam.*

Prohibemus etiam, ut clerici præsertim beneficiati caligis cathenatis rubeis seu viridibus publice utantur.

Sta-

Statuimus etiam, quod filii presbyterorum ullo modo propter scandalum populi in ecclesiis seu caminatis patrum suorum mittantur, nec nutriti sine aliis clericis officient in divinis.

De statu monachorum & eorum vestibus, licet ad nos non tangat eorum correctio; intendimus abbates & ipsos & eorum superiores, ut sic decenter se habeant in omnibus, ne nos oporteat manus nostras ob eorum culpam seu negligentiam super eos extendere correctionis juxta decretalem domini Clementis positam extra de statu monachorum & ceterorum religiosorum, quæ incipit, ne in agro dominico, *& alia jura antiqua, & quod de ipsis dicimus, idem de aliis religiosis nobis subjectis profitemur.*

Prohibemus etiam ne clerici dono vel pretio a laicis sibi faciant actiones ut adversarios vexent in foro ecclesiastico papali seu nostro jura seu consuetudinem approbatam & ea intentione, ut vexati laboribus & expensis cum eis componant, & se injuste redimant, statuentes ut tales & similes graviter puniantur, quia non decet clericos molestare.

Quidam clerici dono vel pretio a laicis sibi cedi faciunt, actiones, ut adversarios ad ecclesiasticum forum trahant, & eos quo usque cum eis composuerint fatigant laboribus & expensis, quod omnino fieri prohibemus.

Quilibet parochialis sacerdos parochianos suos filiali affectione diligat, nec damno aliquo illos afficiat, sed ipsos dirigat verbis, factis, pariter & exemplis, & se eis exhibeat patientem, humilem, & benignum, ut per ipsius sacerdotis vitam laudabilem, & humilitatis exemplum eos invitet ad devotionem divini officii & peccatorum suorum confessionem eidem sacerdoti libentius & securius faciendam.

Cum ex officii nostri debito teneamur excessus corrigere subditorum, ne sanguis ipsorum, id est anima de manibus nostris requiratur, & sæpe eveniat quod clerici atrocia perpetrantes, propter nostrorum absentiam ministrorum, effugiunt & evadunt, & sic crimina remanent impunita: sub pœna excommunicationis districte præcipimus, ut si quis clericus homicidium, sacrilegium, incendium, vel furtum, vel aliud delictum quod captionem requirat in nostra dioecesi commiserit, vel aliquem atrociter, nisi defendendo se vulneraverit, capiatur per archidiaconum, vel archipresbyterum, vel si aliquis istorum præsens non fuerit per priorem, seu rectorem, seu capellanum illius ecclesiæ, in cujus parochia dicta commissa fuerint, & captus apud Ruthenam vel ad nostra castra proxima ad expensas nostras per clericos adducant, adhibito ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari, ut clerici ab illicitis arceantur, & laicorum scandalum ex impunitate clericorum delinquentium perveniens evitetur.

Statuimus a clericis delinquentibus tales pœnas seu multas per nostros curiales exigi, & levari in piàs causas & licitas nostro vel officialis nostri arbitrio expendendas, pro bannis scilicet fructuum subtractorum, & pro eundo de nocte sine lumine post tubæ sonitum vel campanæ, & pro cruentationibus & ictibus violentis quales in hujusmodi casibus consuetis & exigi & levari sæculares dominos in dioecesi Caturcensi vel Ruthenensi, vel Tutelensi, seu alios de quibus nobis vel officiali nostro videbitur faciendum & nihilominus damna passis satisfactionem facere teneantur.

Sacerdotes parochiales bono zelo, & non ex odio de clericis suæ parochiæ vitio incontinentiæ seu aliis gravioribus criminibus manifeste diffamatis nos vel officialem nostrum secreto certificare procurent, ut erga correctionem illorum celeriter occurramus, & hoc in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus & mandamus.

Illi autem clerici, qui dimittunt tonsuram & habitum clericalem, ex iniquitate & malitia contra Deum & justitiam & honestatem cleri, armis acceptis, inverecundæ crudelitati & enormitati scelerum se immiscent, & ibi deprehenduntur, etiam nulla monitione præmissa quousque se corrigant.

Item, clerici qui ex levitate, vel lascivia, vel negligentia, tonsura dimissa & habitu clericali, arma deferunt, vel sæcularibus negotiationibus prohibitis se immiscent, & tertio moniti desistere nolunt quousque se corrigant. Item, si in goliardia, vel histrionatu per annum fuerint vel breviori tempore, & ter moniti non desistunt. Item, bigami a foro ecclesiastico omni clericali privilegio sunt exclusi. Clerici qui etiam non dimisso habitu clericali ut laici mercaturas & negotiationes clericis prohibitas exercent, privilegium de non præstandis talliis, muneribus laicalibus, post trinam monitionem amittunt.

Districte prohibemus, ne aliquis rectoriam seu vicariam alicujus ecclesiæ hujus dioecesis præsumat ab aliquo, nisi prius præsentatus fuerit nobis, & a nobis curam recipiat animarum; nec alioquin curam seu vicariam curæ animarum audeat suscipere, vel dimittere nostra licentia non obtenta. Nec aliquis recipiat duas curas, nisi essent in ecclesiis annexatis. Nullus clericus juramentum seu promissionem aliquam faciat patronis ecclesiarum antequam præsentetur propter periculum simoniæ.

XX.

De veneratione ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum alienatione.

Quia quidam clerici ecclesias sic exponunt suppellectilibus & aysinis propriis & etiam alienis, ut potius domus laicæ quam Dei basilicæ videantur; idcirco firmiter prohibemus, ne hujusmodi suppellectilia & aysinæ in ecclesiis admittantur, nisi propter guerram aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen quod, necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Ligna seu lapides ecclesiarum in aliis usibus non ponantur, nisi in ædificatione & reparatione alterius ecclesiæ, vel hospitalis, seu in claustra dormitorii, vel in claustra cimeterii, seu alio honesto ædificio ad opus clericorum ecclesiis servientium deputato. In lai-

ANNO CHRISTI 1289.

laicorum autem ædificiis seu usibus non ponatur, & idem observetur, de vestimentis, cortinis, & aliis ornamentis ecclesiasticis: præcipientes ut ecclesiæ, vasa ministerii altaris, corporalia, pallæ & vestimenta ministrorum munda ac nitida observentur: Ad corporale autem lavandum proprium habeatur vas in quo nihil aliud fiat, & lavetur per sacerdotem vel diaconum tantum, & aqua ablutionis infra ecclesiam ubi conculcari non possit abscondatur.

Vestimenta & ornamenta ministrorum ecclesiarum, cruces & calices benedici & consecrari debent per episcopum antequam divino officio deputentur, nec post benedictionem debent a laicis contrectari.

Corporale, pallæ altaris, & vestimenta ecclesiæ ministrorum, si fuerint vetustate consumta, & in aliis usibus ecclesiasticis non fuerint apta comburantur, & cineres eorum infra ecclesiam recondantur, ubi nullus transitus fiat, ne introeuntium pedibus conculcentur.

Inhibemus ne laici infra ecclesiam vel extra ad processionem, vel ad aliud divinum officium utantur vestimentis benedictis, nec laici qui nesciunt cantare vel legere infra cancellos in choro cum clericis stent vel sedeant, dum divina officia celebrantur, ubi sine impedimento clericorum non possunt laici commorari, nec aliqua monialis seu aliqua femina sæcularis præsumat presbytero dum celebrat ministrare, vel juxta altare aut infra cancellos sedere dum divina officia celebrantur.

Prohibemus ne antiquæ reliquiæ amodo extra capsas nullatenus ostendantur, nec exponantur venales, inventasque de novo publice nemo venerari præsumat, nisi prius auctoritate summi pontificis fuerint approbatæ.

Item, prohibemus ne in ecclesia consecrata sanguinis violenti aut humani seminis effusione polluta, priusquam per episcopum reconciliata fuerit, divina officia celebrentur. Si vero in ecclesia non consecrata hoc fieri contigerit, aqua per presbyterum exorcisata primo aspergatur, antequam in ea divina officia celebrentur, & quam cito commode fieri poterit consecretur. Si autem in cimeterio hoc fieri contigerit ante reconciliationem per episcopum factam, non sepeliantur in eo corpora defunctorum.

Districte etiam inhibemus, ut nullus præsumat edificare ecclesias, capellas vel oratoria, hospitalia, vel alia loca religiosa in diœcesi Caturcensi vel Ruthenensi, vel Tutelensi, seu altaria erigere sine nostra licentia speciali.

Præcipientes, ut in qualibet ecclesia parochiali nostræ diœcesis calix cum patena argenteus, si commode fieri poterit, habeatur.

Item, prohibemus ne judices seculares, & baylivi officiales, seu nuntii sæculares, in ecclesiis vel cimiteriis causas, contentiones & lites seu placita audiant laicorum, quia processus causarum in eis habitus ipso jure non tenet.

Non permittant aliquatenus sacerdotes in ecclesiis vel cimiteriis choreas fieri, nec dici cantilenas prophanas, & sæculares, nec edicta, vel * incanta ibidem induci per laicos sive banna.

Item, præcipimus quod nullus laicorum seu officialium curiæ sæcularis, seu quicumque alius hominem seu mulierem seu bona eorum de ecclesia, cimeterio, hospitali, vel domo religiosa extrahat violenter, sed quod a rectoribus & clericis ecclesiarum defendantur, & alimenta si indigent eis caritative præstent, nec ab aliquo extrahantur sine nostra licentia speciali, nisi publicus latro vel nocturnus depopulator agrorum, seu qui homicidium, vel mutilationes membrorum in dictis locis committere non verentur. Qui nisi ad dicta loca ad quæ fugiunt crederent se deffendi, nullatenus ipsa maleficia in dictis locis fuerint commissuri. Extrahentes enim violenter, seu injuriis afficientes illos qui ad ecclesias confugerunt, ex statutis Domini Simonis quondam legati in regno Franciæ excommunicati sunt ipso facto, & feuda ac beneficia quæ ab illis ecclesiis obtinent, protinus ipsis ecclesiis committuntur, & eorum filii ad beneficia ecclesiastica obtinenda, eo ipso, redduntur inhabiles & indigni, & nos tales statuimus excommunicationis vinculo ipso facto innodatos.

Item, in ecclesiis parochialibus, in quibus habitant monachi, populus per monachum non regatur.

Item, prohibemus ne ecclesiis novi census imponantur, vel veteres augeantur, nec partem redituum ecclesiarum, seu ipsas ecclesias præsumant de novo religiosi suis usibus applicare, nec portionem debitam & antiquam rectorum seu capellanorum diminuant. Non enim ad præsentationem religiosorum ad curam alicujus ecclesiæ aliquos admittemus, nisi tantum eis assignaverint de proventibus illius ecclesiæ, quod inde possint jura episcopalia solvere, & hospitalitatem tenere, & congruam sustentationem habere.

Item, districte prohibemus bona immobilia, & libros, & ornamenta ecclesiarum vendi, obligari, seu alias alienari, sine nostra licentia speciali, nec etiam sine nostra licentia alicui titulum seu stipendium in ecclesiis per aliquem assignari.

Prohibemus etiam ne prior seu rector alicujus ecclesiæ per se vel per alium emat de pecunia de bonis ecclesiæ acquisita possessiones seu reditus suo nomine seu etiam alieno, sed tantummodo nomine ipsius ecclesiæ, & ad opus ejusdem: qui enim contra fecerit, de jure tamquam sacrilegus punietur, & pœnam amissionis sui beneficii poterit merito formidare.

Item, præcipimus quod si domini sæculares petant talliam vel subsidium a rectoribus ecclesiarum, nihil eis conferre præsumant, nisi nos ex causa rationabili duxerimus concedendum, ne latenter in eis aliqua servitus inducatur.

Insuper prohibemus ne priores, rectores, & alii ecclesiarum prælati, vel eorum bona immobilia de novo submittant laicis, seu recognoscant se tenere ab eis; quod si secus egerint, & recognitio nulla erit, & ipsi recognoscentes ab officio & beneficio triennio

* al. inquanta.

ANNO CHRISTI 1289.

nio a canone noverint se suspensos. Laici vero si ad hoc ipsos compulerint, nisi legitime moniti destiterint, & quod factum revocaverint, eo ipso a canone excommunicationem incurrunt. Statuimus etiam ut de his quæ tenent clerici & laici sub dominio & jurisdictione ecclesiarum, rectores & prælati ipsarum faciant fieri recognitiones & publica instrumenta, ut sic in futurum indemnitatibus consulatur. Item, cum in officiis caritatis, illis primo loco simus obnoxii, a quibus recognoscimus beneficia recepisse, districte præcipimus, ut priores & rectores ecclesiarum nostræ diœcesis in ædificiis & reparationibus ipsarum & domorum earumdem, & in libris & ornamentis & aliis divino cultui necessariis, juxta facultates ipsarum, studeant cum opus fuerit taliter se habere, quod eorum exemplo ad hoc ceteri invitentur, cum ad hoc etiam cogi possint & debeant secundum canonicas sanctiones.

Prohibemus quod nullus ad cujus officium pertinet visitare, nisi unam procurationem una die recipiat, sive unum locum visitaverit, sive plura. Et si quilibet locorum visitatori per se sufficiat ad dictam procurationem solvendam cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis pro diebus pro quibus eis spiritualia subministrat.

Item, declaramus quoslibet dominos sæculares, bajulos, nuncios, arrenduatores, & similes levantes pedagia seu quidagia a clericis seu personis ecclesiasticis de rebus eorum propriis, quas pro suis beneficiis, non causa mercimonii seu lucri deferunt, seu deferri faciunt, esse excommunicatos, si sint personæ singulares, si collegium seu universitas, si municipium, esse interdicta: a qua sententia excommunicationis absolvi non debent, nec interdictum relaxari, donec exacta plenarie restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.

Præcipimus etiam universis & singulis rectoribus & capellanis & eorum vicariis curam animarum habentibus, ut singulis diebus dominicis & festivis cum missarum solemnia celebrantur, populo indicant declarationes memoratas, & nobis insinuent contrarium facientes, & eis insinuent, quod si nobis seu officiali nostro de prædictis constiterit, dictas sententias contra eos publicabimus & faciemus publicari, & executioni mandari, cum ad hoc teneamur.

Præcipimus etiam annis singulis festivitates sanctorum doctorum Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronimi sub officio duplici per civitatem & diœcesim Caturcensem solemniter celebrari. Item, præsipimus, ut annis singulis festum sanctum & magnificum corporis & sanguinis Jesu quinta feria post octavam Pentecostes, per universas & singulas ecclesias nostræ diœcesis & civitatis solemniter celebretur & colatur ab omnibus, sicut dies Nativitatis Domini coli consuevit & celebrari: ut si quis per totum annum in ejus celebratione propter occupationem rei sæcularis seu aliis ex culpa seu negligentia seu humana fragilitate omissum fuerit, tunc devotissime suppleatur, sicut in festo omnium sanctorum fieri consuevit: declarantes quod singulis verè pœnitentibus & confessis qui matutinali officio dicti festi in ecclesia in qua dictum festum celebrabitur interfuerint, centum dies, & qui in missa centum dies, & qui in primis vesperis & secundis centum dies. Qui vero in prima, tertia, sexta, & nona & completorio dicti festi, pro qualibet dictarum horarum quadraginta dies. Qui vero per singulas horas dierum singulorum octavarum dicti festi & missis interfuerint, pro qualibet ipsarum horarum & missæ, centum de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli auctoritate, de injunctis sibi pœnitentiis per summum pontificem relaxantur.

Abusum detestabilem horrendæ devotionis illorum qui cruces B. Mariæ virginis aliorumque sanctorum imagines, seu statuas irreverenti ausu tractantes, equis cum cessent a divinis in aliqua ecclesia; vel cum est intemperies aeris vel tempestatis vel fulgura cadunt, in terra protrahunt in burticis & spinis quæ supponunt, verberant, dilaniant, percutiunt & submergunt penitus reprobantes, præmissa fieri, & aliquid tale simile perpetuo prohibemus: & qui contrarium fecerint, ultrix procedet nostra seu officialis nostri dura sententia, quæ delinquentes sic graviter puniet, quod alios a simili præsumtione compellet. Nunc multis aliis omissis propter eorum prolixitatem & brevitatem quam requirit iste liber, ad ultimas voluntates decedentium veniamus, ut per eorum theoricam scientiam qualiter prælati & rectores & aliæ personæ ecclesiasticæ se habere debeant in executione earumdem, & ideo post de testamentis videndum est.

XXI.

De testamentis.

Quoniam secundum canones & leges etiam sæculares defensio testamentorum ad episcopos noscitur pertinere; idcirco districte præcipimus, quod rectores, & sacerdotes parochiales ecclesiarum suos parochianos, non solum in generali, sed etiam in speciali, nomine suo & illorum quorum interest, moneant & inducant, quod testamenta & ultimas voluntates defunctorum & maxime in relictis ad pias causas, prout ad eos pertinet, compleant & observent, de quibus relictis ad pias causas & aliis quæ spectant ad emendas & restitutiones defuncti copiam fieri sibi petant. De dicta verò monitione facta in speciali, & de petitione dictæ copiæ præcipimus fieri publicum instrumentum, & si forte ipsos super præmissis negligentes vel rebelles invenirunt, nobis intimare procurent, ut ad hoc ipsos per censuram ecclesiæ, prout justum fuerit, compellamus, pœnam etiam subituri, prout jura suadent amissionis emolumenti. Quod ex illis testamentis fuerant habituri, si infra annum a tempore dictæ admonitionis computandum contenta in illis testamentis neglexerint adimplere.

Sacerdotibus parochialibus præcipimus, ut parochianos suos moneant & inducant, quod in confectione suorum testamentorum præsentiam ipsorum sacerdotum advocent & requirant, ut per ipsos inducantur ad emendas & re-

ANNO CHRISTI 1289.

& restitutiones, & ad legandum ad pias causas, & ad alia prout eorum saluti viderint expedire. Nam secundum canonicas sanctiones quæ in testamentis coram presbytero parochiali & duobus vel tribus testibus pro salute relinquuntur, obtinere debent perpetuò firmitatem. De bonis clericorum decedentium dicimus sic debere servari, quod clericus sæcularis beneficiatus, vel non beneficiatus de bonis mobilibus quæ ad ipsum pervenerint ex successione parentum vel propinquorum vel aliorum, vel ex artificio, seu doctrina, vel officio advocationis vel practicæ fizicalis, vel donatione, vel legato, vel aliunde, nisi tamen intuitu ecclesiæ suæ testari poterit, & in morte ac in vita disponere sicut laicus pro suo libito voluntatis. Si vero decessit intestatus, dicta bona devolvantur ad descendentes, si habet; deinde ad ascendentes, deinde ad collaterales; postea ad uxorem, si habet; istis deficientibus succedet ei ecclesiæ fiscus, & sicut sibi propinquus, quia ipsum Domino sociavit. Et tunc ordinabit de illis bonis episcopus, prout suo bono arbitrio faciendum. Bona autem clericorum intuitu suæ ecclesiæ acquisita, si sunt immobilia, ad ecclesiam devolventur, nec de his in morte, vel in vita aliquid disponere poterit, vel testari. De bonis vero mobilibus clericorum intuitu ecclesiæ adquisitis, licet de jure in alios pro arbitrio morientis transferri non possint; consuetudinis tamen est approbatæ a jure, ut pauperibus & locis religiosis & his qui clerico beneficiato viventi servierant, sive sint consanguinei, sive sint alii, aliqua juxta servitii meritum ipse clericus conferat & assignet, vel per successorem suum conferri præcipiat, prout moderate duxerit statuendum; quod moderamen cum non sit definitum a jure, arbitrio episcopi dicimus relinquendum. *Consuetudine talium beneficiatorum in nostra diœcesi decedentium, quorum bona ad nos pertinent in omnibus integra remanente: quæ consuetudo non est reprobata a jure, sed potius approbata.*

Ceterum religiosus executor testamenti deputari non potest, cum velle nec nolle habeat, nisi petita super hoc licentia suo superiori & obtenta. Et si plures fuerint executores deputati, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, vel exequi nolente, vel alias nequeunte, poterunt ceteri si sunt duo, vel unus per se voluntatem defuncti exequi, ne voluntas defuncti nimis detrahi, vel annullari contingat, nisi aliter testator duxerit ordinandum, & tales etiam suis ordinariis tenentur de administratis debitam reddere rationem, ipsique ordinarii ab eisdem absque fraude seu negligentia de susceptæ executionis officio teneantur exigere rationem, & illos quos circa aliquid deliquisse repererint, in eorum exemplum pœna debita, quocumque non obstante privilegio.

XXII.

De sepulturis.

Quisque sepeliendus est in cimeterio ecclesiæ in quo audit divina & recipit ecclesiastica sacramenta, nisi discrete, & cum sana intentione elegerit sepeliri in loco magis religioso, vel in sepulcro parentum suorum, vel in ecclesia cathedrali; in quibus tribus casibus canonica portio erit parochiali ecclesiæ restituenda, & si ei non restituatur, corpus & ea quæ obvenerint ejus intuitu a loco ubi sepultum fuit recuperare debebit. Portio vero prædicta secundum consuetudinem universarum ecclesiarum aliquando est media, aliquando est tertia, aliquando quarta. Licet quarta deberi dicimus ubi de consuetudine non apparet. Nec est dicta portio deducenda de relectis per defunctum illi ecclesiæ in qua sepeliri elegit pro fabrica, pro luminaribus, pro ornamentis, seu pro aliis ad perpetuum cultum derelictis, seu pro anniversario seu novenario in illa ecclesia faciendo, nec de equis, & armis, & aliis relictis in subsidium Terræ sanctæ, nec de relictis intuitu personarum, de quibus dicta portio non deducitur, si absque fraude parochialis ecclesiæ, id est proprio motu, & propria devotione defuncti sine instigatione alterius relinquantur. De omnibus vero aliis quæ intuitu defuncti obveniunt, ecclesiæ in qua sepeliri elegit, parochiali ecclesiæ canonica portio est reddenda. Sed ex constitutione novissima domini Benedicti papæ XI. Prædicatores & Minores reddunt medietatem solum eorum quæ super defunctorum corpus deferuntur. Nullus tamen religiosus vel clericus sæcularis pactum faciat cum aliquo in sanitate constituto, nec aliqua infirmitate constitutum blanditiis, munusculis, sive donis vel deceptionibus inducant, ut in suo cimeterio eligat sepulturam; quod si fecerit, pactum non teneatur, nec electio sepulturæ, quin immo & corpus, & quidquid occasione sepulturæ ipsius perceptum fuerit totaliter parochiali ecclesiæ restituatur infra decem dies: alioquin ex tunc ecclesia & cimeteria, ubi facta erit sepultura, eo ipso maneant interdicta, quousque dicta restitutio fuerit plene facta. Si vero aliquis in sanitate, vel in infirmitate, de qua non moritur intrat religionem se & sua reddendo, non debet parochialis ecclesia de bonis illis habere canonicam portionem. Si autem in infirmitate de qua moritur religionem intrat, de bonis sibi oblatis parochialis ecclesia, de qua sumtus est, debet habere canonicam portionem. Idem, etiam dicendum est, si infirmus in una parochia non animo mutandi domicilium facit se mutari in infirmitate in aliam parochiam, & ibi moritur, non electa sepultura, in illa ægritudine, & sepelitur ibidem, sua prima ecclesia parochialis, si nolit corpus recuperare, debet habere canonicam portionem. Si quis vero assumatur in confratriam alicujus loci religiosi bonis suis retentis nec oblatis, ubicumque sepeliatur parochialis ecclesia debet habere canonicam portionem. Ne autem lites ex litibus oriantur, sciendum est quod si parochianus alicujus ecclesiæ transfert domicilium suum in aliam parochiam, & ibi moriatur, statim parochianus fit illius ecclesiæ ad quam transfert domicilium, & illi ecclesiæ subjectus erit quo ad jus parochiale, videlicet in divinis officiis audiendis, oblationibus, pœni-

nitentiis recipiendis, ibidem ſepulturis, mortuariis & recipiendis eccleſiaſticis ſacramentis, & in his omnibus ſubtrahitur incontinenti & exuitur per tranſlationem domicilii a jure illius eccleſiæ parochialis in qua ante domicilium tranſlatum morabatur. Peregrinus vero vel viator de remotis partibus veniens, ubicumque deceſſerit, niſi alibi ſepulturam elegerit, ibi poteſt legitime ſepeliri. Si vero parochianus alicujus eccleſiæ ſive in ſanitate, ſive in infirmitate ad aliam vicinam parochiam iverit ſive tranſierit, non animo domicilium immutandi, & ibi aliqua cauſa ſine electione ſepulturæ moritur, ad ſuam parochialem eccleſiam deportetur, vel ſepeliatur in illa parochia, in qua eſt mortuus, ſi parentes ejus vel conſanguinei & ſua parochialis hæc duxerit concedenda. Sed illa eccleſia in cujus parochia mortuus fuerit non poteſt petere canonicam portionem ab eccleſia parochiali illius defuncti de illis quæ occaſione ſepulturæ vel legati pervenerunt ad eamdem. Mulier autem conſtante matrimonio, & etiam mortuo viro ſuo, eligere poteſt ſibi ſicut vir ſepulturam. Si vero ſine electione deceſſerit ſepulturæ, in cimeterio eccleſiæ parochialis ſepeliatur. Pater autem filio impuberi cujus voluntas diſcerni non poteſt, poterit eligere ſepulturam; ſi vero non elegerit, ſepelietur impubes in cimeterio eccleſiæ parochialis, vel in ſepulcro parentum; ſupple ſi conſuetudo terræ id habeat, ut habetur *de ſepulturis* in cap. *licet* lib. 8. Hoc tamen non poteſt ubi conſuetudo non habetur, ut in eodem cap. Item nota quod non debet aliquis alium obligare, voto, juramento, fide, promiſſione, inductione, ut apud eccleſiam inducentis eligat ſepulturam, vel electam non immutet; quod ſi ſecus fiat, nulla eſt electio, & ulterius alicubi alienam eligere non valebit. Inducentes quia ſi illum electum ſepelierit corpus, & ea quæ ſibi ob hoc obvenerunt infra decem dies reſtituent; alioquin & cimeterium & eccleſia ubi eſt ſepultura, tamdiu ſtabit interdicta quouſque reſtitutio facta erit.

Sunt autem quidam quibus debet denegari eccleſiaſtica ſepultura, ſcilicet Judæis, hæreticis, Sarracenis, excommunicatis majori excommunicatione & minori, & interdictis, & illis qui in torneamentis moriuntur, & illis qui ſe interfecerunt, & uſurariis, & concubinariis, & prædonibus manifeſtis, & omnibus quos manifeſtum eſſe conſtiterit in peccato deceſſiſſe mortali. Hæc autem intelligenda ſunt & ſervanda, niſi in morte apparuerint ſigna pœnitentiæ manifeſta, videlicet quod petierit presbyterum, vel pœnitentiam, vel alia ſigna pœnitentiæ dum jam amiſerit loquelam: & ſi talis habens talia ſigna erat excommunicatus, vel interdictus, & præventus morte non potuerit abſolutionem habere, poteſt & debet ab illa ſententia poſt mortem abſolvi, ab illo tamen prælato vel judice, per quem dum viveret fuerat abſolvendus. Tamen ante abſolutionem non debet in cimeterio ſepeliri, ſed juxta cimeterium poni poterit ſub terra, vel in aliquo ligneo monumento, & poſtmodum cum debebit abſolvi, debet

A exhumari & abſolvi, & in cimeterio ſepeliri. Et ad probanda ſigna pœnitentiæ ſufficiet unus teſtis, ſi plures nequeant inveniri. Illi vero qui mortui reperiuntur, quos non conſtat in peccato deceſſiſſe mortali, nec conſtat etiam ſigna pœnitentiæ habuiſſe, tradendi ſunt eccleſiaſticæ ſepulturæ, quia non eſt veriſimile quod fuerint ſuæ ſalutis immemores, & quibus communicabamus vivis, communicare debemus & mortuis. Si vero corpus alicujus excommunicati in cimeterio aliquo caſu contigerit ſepeliri, cum de hoc plene conſtiterit, ſtatim extumulentur oſſa excommunicati, ſi diſcerni poterunt ab oſſibus fidelium, & quouſque cimeterium reconciliatum fuerit aſperſione aquæ per epiſcopum ſolemniter benedictæ, B non ſepeliantur in eo corpora defunctorum, & ideo multum ſibi caveant ſacerdotes, ne corpora excommunicatorum in cimiteriis ſepelire præſumant.

Prohibemus quoque diſtricte laicos intra eccleſiam ſepeliri ſine noſtra licentia ſpeciali. Sciendum eſt etiam, quod uſurarii manifeſti non ſunt admittendi ad eccleſiaſticam ſepulturam, nec ad confeſſionem, nec poſſunt facere teſtamentum, nec eorum oblationes ſunt admittendæ, niſi prius ſatisfecerint de uſuris illis quibus tenentur, vel eis idonee de hoc caverint pro ſuarum viribus facultatum, vel eis quibus tenentur abſentibus loci ordinario, vel rectori parochialis eccle- C ſiæ per interim. Qui autem tales uſurarios ad eccleſiaſticam ſepulturam admiſerit, vel oblationes ab eis acceperit, quouſque ad arbitrium epiſcopi illas reſtituerit, maneat jure hoc ſtatuente ab officii ſui executione ſuſpenſus.

Item, præcipimus quod quilibet ſacerdos veſtes ſacerdotales habeat cum quibus ſepeliatur. Nolumus enim quod veſtimenta quæ ſunt eccleſiæ propter hoc devaſtentur.

Item, corpora ſuſpenſorum ſeu alia pœna capitali damnatorum, ſi in morte pœnitentes confeſſi fuerint, & dominus temporalis qui eos damnavit permiſerit, deferri poterunt ad eccleſiam, & miſſæ pro eis celebra- D ri & oblationes offerri & tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ.

XXIII.

De decimis & primitiis.

Cum Dominus expreſſe dari præcipiat decimas & primitias, atque ſolvi, & nolentes ſolvere ſint excommunicationis vinculo innodati; diſtricte præcipimus, ut decimæ, & primitiæ ſolvantur integraliter parochialibus eccleſiis, in quarum parochiis prædia ex quibus fructus proveniunt fuerint conſtituta, & debent ſolvi ſtatim cum fructus per- E cipiunt, & antequam inde ſegregentur cenſus vel tributa ſeu taſquæ, id eſt quintam vel quartam, ſi tamen primo facta fuerit talis ſeparatio, ſicut agricola tenetur decimare & primiciare quod ſibi remanet, ita dominus quod de acervo non decimato accepit. Si vero qui decimam tenetur ſolvere, vendat acervum bladi non decimatum, vel aliam rem non decimatam, de qua decima debet dari, poteſt etiam eccleſia deci-

mam

mam petere a venditore, si voluerit, vel etiam ab emtore, quia res transit cum onere suo ad quemlibet possessorem. Decimæ tamen agnorum, vel hædorum, caseorum, lanæ, porcellorum, & pullorum, non melior, nec deterior, sed mediocris ecclesiis quibus consuetum est fideliter persolvantur. Primitias autem illi ecclesiæ dari præcipimus de proventibus seu fructibus prædiorum, cui ratione eorumdem prædiorum decimæ persolvantur. Nomine autem primitiarum, seu pro primitiis, ad minus sexagesima pars de blado & vino ecclesiis debet solvi, non tamen prohibemus quando priores, vel rectores quarumdam ecclesiarum nostræ dioecesis observent, si voluerint, consuetudines ecclesiarum suarum, quæ consueverunt habere a parochianis suis certam quantitatem bladi pro primitiis annuatim. Sciendum est quod decimæ, primitiæ, oblationes, mortuaria, jus sepeliendi, & jus ut parochiani in ecclesia parochiali, justo impedimento cessante, diebus dominicis & festivis conveniant ad divina & jus ministrandi eis sacramenta, & sacramentalia, & curam habere animarum ipsorum pro quibus tenentur orare sacerdotes, & in die judicii domino reddere rationem, & alia jura parochialia ad rectorem seu sacerdotem parochialem de jure communi pertinere noscuntur, nisi privilegio, consuetudine, præscriptione seu jure alio speciali contrarium inducatur. Oblationes autem in tribus casibus a parochiano etiam invito exigi possunt. Primo cum aliquid donatur vel legatur ut ecclesiæ offeratur. Secundo, quando sacerdos parochialis non habet unde vivat. Tertio, cum de laudabili consuetudine ecclesiarum est aliquid necessario offerendum, maxime in præcipuis festis, scilicet, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis S. Johannis-Baptistæ, Assumtionis Beatæ Mariæ, Omnium sanctorum, cujusque sancti patroni cujusque parochialis ecclesiæ, & Dedicationis ejusdem. In quibusdam tamen ecclesiis non contentur esse præcipua omnia ista festa. Aliæ vero oblationes sunt voluntariæ; a certis tamen personis ante reconciliationem recipiendæ non sunt, scilicet ab eo qui est notorie in odio, raptore, obstinato, inobediente, item ab usurario manifesto, item a publice excommunicato, item a publica meretrice, item ab eo & sua familia qui fugientem ad ecclesiam ab ea violenter extrahit, item a sacrilego qui invasit ecclesiam & deprædavit, item ab hæretico hæresisve fautore.

Sub poena excommunicationis prohibemus ne priores, seu rectores ecclesiarum Caturcensis, *vel* Ruthenensis, *vel* Tutelensis dioecesis, sive sint regulares, sive sæculares, occasione decimarum vel primitiarum inter se cum clericis, nec etiam cum laicis occasione qualibet prælientur, nec clericus aliquis a possessione percipiendi decimas, seu primitias, vel alios quoslibet fructus possessorem, seu possidentem præsumat auctoritate propria spoliare. Si quis autem contra præsentem prohibitionem possessionem alterius in hoc casu invadere præsumserit, fructus quos per invasionem seu molestiam abstulerit ipso facto amittat, & restituat spoliato, in expensis, quas specialiter ob hoc fecisse constiterit, condemnandus; etiam si jus proprietatis percipiendi hujusmodi decimas, vel primitias, vel alios reditus temporales noscitur ad spoliatores, vel ad suam ecclesiam aut hæreditatem propriam pertinere, gravius etiam si culpæ qualitas postulaverit puniendus. Non enim justum est neque bonum, quod aliquis jus in causa propria sibi dicat; sed si contra aliquem prior seu rector alicujus ecclesiæ pro decimis vel primitiis habuerit quæstionem, coram nobis vel officiali nostro seu aliis personis ecclesiasticis communiter ab utraque parte electis secundum jus amicabiliter suam justitiam prosequatur. Generaliter prohibentes, ne super decimis & primitiis, vel aliis juribus spiritualibus clerici in laicos compromittant, quamvis in ipsos laicos de rebus temporalibus ad ecclesias pertinentibus valeat compromitti.

Ad hæc quia frequenter occurrit, quod inter aliquos religiosos, vel clericos sæculares nostræ dioecesis quæstio ventilatur super decimis vel primitiis, vel aliis juribus spiritualibus seu super ecclesiastica prælatura, vel prioratu, vel alio ecclesiastico beneficio, seu possessione ipsorum, seu inter nos & aliquem prælatum, priorem, rectorem seu capellanum; quia forte ad privationem suæ dignitatis, vel beneficii ex nostro officio vel alias intendimus ex justis & sufficientibus causis, is qui movet, vel is qui patitur quæstionem, bannum, titulum seu manum, seu aliud obstaculum sæcularis curiæ & dominii in eo & super eo de quo est quæstio facit & procurat apponi, ut propter potentiam dominii & curiæ sæcularis non possumus commode in præmissis censuram ecclesiæ, vel jurisdictionem ecclesiasticam libere exercere; & is qui præmissa procurat possit facilius res vel jura de quibus est quæstio obtinere vel etiam retinere; proinde duximus statuendum quod quicumque religiosus, vel sæcularis clericus prædicto modo in rebus sive juribus ecclesiasticis spiritualibus apponi fecerit seu procuraverit bannum, titulum seu manum seu aliud obstaculum dominii, seu curiæ sæcularis, nostra vel officialis nostri licentia non obtenta, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, & si forte is qui bannum, titulum, sive manum vel aliud obstaculum apposuit, canonice monitus infra mentem illud non revocaverit, vel ea occasione accepta non restituerit, eadem excommunicationis sententia sit ligatus. Districte etiam prohibemus ne aliqui clerici bladum, ortalegia vel quælibet alia decimare præsumant, nisi præsentibus & super hoc vocatis dominis rerum illarum, de quibus decima debet dari, nisi super hoc domini requisiti malitiose ad decimandum venire noluerint, nec decimas solvere ut tenentur.

Prohibemus etiam, ne aliquis religiosus in suis sermonibus aliquid dicat vel proponat, propter quod a solutione decimarum seu aliorum jurium ecclesiasticorum aliquis retardetur, seu aliis annuatur: qui vero quoad abstractionem solutionis decimarum contrarium fecerit, noverit se a canone eo ipso sententia excommunicationis innodatum. Et quia nisi fiat

fiat quod bonum est, a malo abstinere non sufficit, religiosis injungimus & a jure injunctum esse declaramus super obtestatione divini judicii & interminatione maledictionis aeternae, ut in prima dominica, quarta, & ultima quadragesimae & in festis Ascensionis dominicae, Pentecosten, Nativitatis B. Johannis-Baptistae, Assumtionis & Nativitatis B. Mariae matris Dei, & in suis sermonibus audientes expresse studeant informare, si ab ecclesiarum rectoribus vel vicariis aut eorum loca tenentibus fuerint requisiti, ne cum his quorum confessiones audient, conscientiam facere quod dictas decimas solvere non omittant. Quod si facere neglexerint scienter, statuimus ut per eorum superiores graviter arguantur, eorum superioribus injungentes, ut super hoc talia statuta faciant contra eos puniendos, ut poena eorum cedat eis in exemplum. Qui vero scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis hujusmodi decimis, ab officio praedicationis tamdiu maneant ipso jure suspensi & maneant a canone, donec confitentibus si domi commode facultatem habuerint, conscientiam fecerint de solvendis decimis antedictis: exinde excommunicationis sententiam ipso facto incursuri, si praedicare praesumserint, praedicta negligentia, ut praemittitur, non purgata. Hoc tamen non extenditur ad religiosos monasteriorum vel ecclesiarum decimas percipientium, sed ad alios decimas non percipientes, nullis super hoc privilegiis valituris.

Inhibemus etiam ne aliqui religiosi decimas novalium seu aliorum locorum ad eos legitime non spectantes sibi ullomodo approprient, seu usurpare praesumant exquisitis fraudibus sive illecebris seu coloribus; sed eas dictis ecclesiis libere solvere permittant, & aliquem non prohibeant quod non solvat, nec non & de animalibus famulantium suorum & aliorum sua animalia gregibus suis immiscentium & de animalibus quae in fraude ecclesiarum ab aliquibus emunt, & emta venditoribus tradunt vel aliis ab ipsis tenenda, & de terris quas tradunt, aliis excolendas. Quod si fecerint, & in unum mensem postquam fuerint requisiti pro illis quorum interest non destiterint: aut si de his quae ipsi usurpare contra promissa vel retinere praesumserint; & infra duos menses emendam non fecerint competentem, sint & tamdiu maneant ab officiis, administrationibus & beneficiis suspensi, donec destiterint & satisfecerint: & si administrationem vel beneficia non habeant, eo casu quo alii supradicti suspensionis sustinerent, isti sententiam excommunicationis incurrant, ante satisfactionem condignam, nullatenus absolvendi, nullis privilegiis eos juvantibus. Praemissa tamen intelligi volumus ad donatos seu oblatos religiosorum, qui eis contulerunt se & sua.

Declaramus etiam, quod decima levari debet secundum taxationem decimae antiquitus consuetam & ad monetam currentem in partibus illis: & non debent per collectores, levatores, seu exactores ipsius decimae ecclesiarum calices, libros & alia ornamenta divinis officiis deputata ex causa pignoris vel distractionis capi seu recipi.

Item, prohibemus ne aliqui religiosi a laicis A *decimas sine consensu dioecesanorum recipiant, nec alii clerici, nec alii laici cum jura hoc manifeste prohibeant, nisi ex causa justa & rationabili, cum talis receptio in periculum animarum recipientium vergat notorie & damnum & praejudicium ecclesiarum parochialium: statuentes quod rectores ecclesiarum seu eorum vicarii publice, semel secundo, tertio, diebus dominicis astante plebe in suis ecclesiis moneant & probibeant, ne aliquis talia de cetero attentare praesumant. Et si post monitionem contra fecerint, tam tradentes quam recipientes excommunicationi subjaceant, ipso facto: quam excommunicationem publice praecipimus in ecclesiis parochialibus nunciari, &* B *nomina excommunicatorum nobis vel officiali nostro in scriptis dari, ut contra eos dictae sententiae aggraventur, cum haec, diu est, probabiliter statuerit dominus Simon legatus in regno Franciae in concilio generali Bituricensi.*

XXIV.

De sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti.

Cum excommunicatio medicinalis sit ab initio, non mortalis; disciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat, sed ex hoc ad correctionem deveniat, prout debet, alioquin mors con-
C sequatur: caute provideant sacerdotes, ut non solum excommunicationis sententiam diligenter observent & faciant observari, sed & parochianos suos excommunicatos saepe moneant, & inducant ut hac medicina humiliter & devote correcti absolutionis beneficium obtinere procurent, ne per privationem sacramentorum & orationum a communione fidelium, a quibus exclusi sunt, animarum suarum salvatio devietur. Ut autem periculis, quae circa excommunicationum sententias occurrunt quotidie, obvietur, & sacerdotes super his ignorantiam non praetendant, sciendum quod duae sunt species excommunicationis. Una species exommuni-
D cationis est quae vocatur major, excommunicatio alia quae vocatur minor exommunicatio. Major vero excommunicatio aliquando infligitur ab homine, seu judice, aliquando a jure seu canone, ut inferius apparebit. Infligitur autem major excommunicatio ab homine, id est judice, cum episcopus vel officialis vel alius habens super hoc potestatem subditum suum excommunicat, cum dicit: *Illum excommunicamus*, vel *Te excommunico*. Jure vero vel canone infligitur excommunicatio, cum jus scriptum papae, vel constitutio legati, vel concilium provinciale archiepiscopi, vel synodus episcopalis aliquid statuit vel prohibet, & in trangressores ex-
E communicationis sententiam profert; & qui tali excommunicatione majore ligatus est, sive lata ab homine, vel a jure, non debet ea durante recipere aliquod sacramentum, nec intrare ecclesiam, nec debet aliquis communicare cum eo in oratione, nec in sermone, nec in cibo, nec in potu, nec in consilio, nec in osculo, nec in salutatione, nec alia communione, nisi loquendo sibi de salute animae suae, vel ipsum inducendo ad bonum,

num, nec potest accipere dignitatem seu aliquod beneficium eccl. nec potest etiam esse judex, nec procurator, nec testis, nec advocatus, nec adversarii sui tenentur sibi in judicio respondere: tenetur tamen ipse, si est in sacris vel beneficiatus, dicere horas canonicas. Item contrahitur major excommunicatio cum aliquis cum excommunicato majori excommunicatione pro crimine participat cum eodem in crimine præstando sibi in eodem crimine, vel dando sibi consilium vel juvamen.

Major autem excommunicatio aliquando dicitur anathema, id est solemnis excommunicatio, ut cum propter magnitudinem & immanitatem criminis, vel personarum vel propter magnam inobedientiam episcopus & non inferior indutus pontificalibus, adstantibus sibi duodecim sacerdotibus candelas in manibus tenentibus aliquem publice excommunicat: qua excommunicatione prolata, debent candelæ in teram proiici & pedibus conculcari.

Quicumque igitur excommunicatus fuerit ab homine, id est a judice majori excommunicatione, ab eodem & non ab alio absolvi debebit. Excommunicatus vero majori excommunicatione a jure, quod est in casibus pluribus infra proxime contentis, per episcopum diœcesanum absolvi poterit, nisi superior qui illud jus condidit absolutionem sibi specialiter reservaverit, sicut in dictis casibus statim videbitur. Excommunicatus autem a quocumque, sive a jure, sive a judice in mortis periculo constitutus a quocumque absolvi poterit simplici sacerdote.

Minor vero excommunicatio a jure contrahitur, ut cum aliquis cum excommunicato majori excommunicatione participat scienter, loquendo, comedendo, bibendo, salutando, secum orando, contrahendo, vel aliter communicando cum ipso, nisi ipsum inducendo ad bonum, & nisi in casibus infra contentis in §. *Quod etiam*. Et qui talem excommunicationem contrahit, graviter peccat, & antequam confiteatur de hoc non debet recipere Eucharistiam, vel alia sacramenta. Si autem presbyter minori excommunicatione ratione participationis cum excommunicato ligatus celebret, vel confert ecclesiastica sacramenta, non propter hoc irregularis existit, & quicumque tali excommunicatione ligatus a suo absolvi poterit sacerdote. Nec excommunicationem contrahit qui cum excommunicato minori excommunicatione participat, quia excommunicatio in personam tertiam non transit. De excommunicatione majori lata a judice constat per litteras ipsius judicis. De illa vero majori excommunicatione quæ fertur a jure hic notitiam tibi trado ponendo casus in quibus quis ipso facto excommunicatur a jure.

XXV.

Casus in quibus quis excommunicatur ipso facto a jure.

Videlicet cum quis incidit in hæresim, vel scienter defendit sive receptat hæreticos. Item, si quis Romanam ecclesiam dicit non esse caput, & ei ut capiti obedire recusat. A Item cum quis manus suas injicit vel violentas vel temerarias in clericum vel religiosum, vel conversum, nisi in casibus infra scriptis, & absolutio soli papæ hic reservatur, nisi in casibus infra contentis. Item, cum quis non deffendit clericum a violenta manuum injectione dum poterat eum deffendere prætextu suæ potestatis vel officii. Item, cum quis clericum invitum retinet ponendo ei forte custodes, vel eum infra carcerem, vel domum includendo. Item, potestates, consules, & rectores civitatum & aliorum locorum, qui ecclesias & viros ecclesiasticos angariis, talliis, seu collectis, & aliis exactionibus prohibitis aggravare nituntur, & moniti nolunt desistere, & successo- B res prædictorum, nisi infra mensem excessum prædecessorum suorum purgaverint, dicta monitione jure novo remota, & nihilominus clerici talia promittentes vel solventes. Item deposita apud ædes sacras ecclesias impedientes excommunicati sunt ipso facto, & universitates de hoc culpabiles interdictæ, a quibus solus papa absolvet. Item, illi qui faciunt statuta vel consuetudines contra ecclesiæ libertatem, & qui ea scribunt, & qui secundum ea præsumserint judicare, & qui ea fecerint observari, & nisi ea de libris suis infra duos menses post hujus publicationem sententiæ fecerint aboleri. Et etiam consules & rectores & consiliarii locorum ubi C talia statuta edita fuerint excommunicati sunt ipso facto. Item, incendiarii et fractores ecclesiarum ipso facto sunt excommunicati. Incendiarii vero aliarum rerum sunt excommunicandi, & ex quo erunt excommunicati, & per ecclesiam publicati, sive isti sive incendiarii ad papam sunt pro absolutione mittendi. Item, cum quis a paucioribus quam a duabus partibus cardinalium in papam electus pro papa se gerit, & humiliter noluerit abstinere, excommunicatus est ipso facto. Item, cum quis per se vel per alium falsat litteras domini papæ cum fautoribus & defensoribus suis, erit absolvendus a papa, & is qui scienter utitur litteris aposto- D licis etiam ab alio falsatis. Item, qui deferunt arma, ferrum, ligna, galeas, naves Sarracenis, vel regimen navium suarum exercent, vel aliud subsidium eis impendunt, in dispendium Terræ-sanctæ vel christianorum. Item, religiosi leges vel physicam audientes. Item, archidiac. decani, plebani, præpositi, cantores & alii clerici personatus habentes, nec non presbyteri leges vel physicam audientes, nisi infra duorum mensium spatium ab hujusmodi studio duxerint desistendum. Item, cum quis excommunicato propter crimen participat ei in crimine illo, & tunc participans ab excommunicatore absolvi debebit. Item, assissinii, & qui per eos faciunt E interficere aliquem, vel mandant, quamvis mors non sequatur, & defensores & receptatores ipsorum. Item, qui sponte et scienter participant in divinis officiis cum excommunicato a papa, est excommunicatus sicut ipse, & a papa tantummodo absolvetur: nec tamen esset excommunicatus ipso facto, si participaret in hoc casu cum excommunicato a jure condito per papam. Item, qui christianos existentes in navigio pro mercatura, vel

ANNO CHRISTI 1289.

vel aliis honestis causis capere aut rebus suis spoliare, aut naufragium passos damnare præsumunt, et moniti non satisfaciunt. Item, illi qui statuunt vel exigunt nova pedagia. Item, illi qui immittuntur ordinationibus, vel alienationibus a schismaticis factis. Iste casus cavetur in Extravaganti Innocentii quæ incipit: *Gravis*. Item, religiosi non deferentes habitum extra monasterium suum, qualem essent infra monasterium gestaturi, vel accedentes ad studium sine licentia prælati, et cum consilio conventus et doctorum talium. Item, qui per vim vel violentiam vel metus compellit judicem ecclesiasticum ut absolvat vel revocet sententiam excommunicationis, interdicti, vel suspensionis, excommunicatus est ipso facto, et etiam ipsa absolutio vel revocatio nulla est ipso jure. Item, laici qui compellunt clericos quod ab eis de novo recognoscant res ecclesiasticas se tenere, & qui olim compulerunt ad talem recognitionem faciendam, nisi moniti revocaverint; & qui occasione talium recognitionum aliquid de bonis usurpaverint, nisi moniti restituerint. Item, qui dant licentiam damnificandi in personis vel rebus judicis ecclesiastici, pro eo quod tulit in aliquos sententiam excommunicationis, interdicti, vel suspensionis, seu damnificandi eos qui tales observant sententias, nisi dictam licentiam re integra revocaverint, vel si occasione dictæ licentiæ bona capta fuerint & infra octo dies minime restituta, & qui dicta utuntur licentia excommunicati sunt ipso facto; & si in illa sententia per duos menses permanserint, ex tunc ab alio absolvi non poterunt quam a papa. Item, prælati, collegia, & clerici qui usurarios publicos non oriundos de terris suis domos conducere, vel habitare permittunt, & infra tres menses, de terris suis non expellunt, vel si eis domos locant, vel alio titulo concedunt ad fœnus exercendum, si sunt episcopi vel superiores sententiam suspensionis, si vero sunt collegia sententiam interdicti ipso facto incurrunt: quam si per mensem sustinuerint, terra ipsorum ipso facto erit nihilominus interdicta. Item, persona singularis ipso facto excommunicata est & universitas interdicta, quæ concedit reprensalias sive marchas, id est pignorantias fieri contra personas ecclesiasticas, vel bona ipsarum, nisi concessionem hujusmodi revocaverint infra mensem. Item, qui novam religionem invenerit, & religiosi quorum religio per dominum Gregorium decimum fuerit augeri prohibita in concilio Lugdunensi, si de novo domum adquirerent vel fratres reciperent, vel domos antiquas alienarent, excommunicati sunt ipso facto. Item qui regaliam seu guardiam in ecclesiis & monasteriis vacantibus de novo habere conantes, bona eorum usurpant, & qui hoc procurant excommunicati sunt ipso facto. Item ille qui gravat eos ad quos spectat electio, quia ad ejus voluntatem aliquem non elegerunt. Item, in casu qui est infra in §. *qui litigantes*. Item, judex ex fraude accedens personaliter ad mulierem pro testimonio recipiendo ab ea. Item domini temporales interdicentes subditis suis, ne cum clericis con-

A trahant vel alias participent. Item, qui tradunt hæreticos vel fautores eorum ecclesiasticæ sepulturæ. Item, si domini temporales, si requisiti ab inquisitoribus hæresis non parent eis in negotio Inquisitionis, vel si de hoc crimine cognoscunt, vel captos pro hæresi liberant, vel aliter impediunt negotium inquisitionis. In omnibus enim prædictis casibus major excommunicatio infligitur ipso facto a jure per summos pontifices constituto.

Per constitutiones etiam domini Symonis quondam legati in regno Franciæ excommunicati sunt ipso facto omnes impedientes per seditiosam conspirationem, vel conventionem quominus libere ecclesiis vacantibus B electio fiat, & laici sunt & eorum familia est nihilominus interdicta, quarum sententiarum absolutio sedi apostolicæ reservatur. Item, judex qui auctoritate legati citat sub illa forma quos lator præsentium nominabit vel consimili, vel proferendo testimonio ubi causæ status productionem testium non requirit, excommunicatus est ipso facto. Item, judex datus a legato qui exigit pecuniam, vel aliam rem, vel oblatam recipit, etiam ex post facto pro absolutione habenda a sententia excommunicationis, interdicti vel suspensionis, & taliter excommunicatus ab alio absolvi non poterit quam a legato. Item, habentes jurisdictionem solummodo tempo- C ralem, qui coram se personas ecclesiasticas, allegato fori privilegio, super actionibus mere personalibus litigare compellunt. Item, consules vel judices sæculares, qui testamenta vel ultimas voluntates factas rite juxta canonicas sanctiones pro eo reprobant vel impugnant, quia in earum confectione præsentes non fuerint, si moniti infra octo dies ab hoc impedimento non duxerint desistendum. Item, illi qui a personis clericorum vel pro rebus eorum quas non ratione mercimonii per terram vel aquam defferri faciunt, pedagium exigunt, etiam si quoad laicos pedagium sit antiquum, nisi moniti duxerint desistendum. Item, qui con- D tra ecclesiæ libertatem vel contra ecclesiæ consuetudines antiquas & approbatas, rationabiles & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones, præcepta scienter fecerint, vel procuraverint, vel servaverint, vel servantibus opem dederint, nisi moniti per locorum diœcesanos ea revocaverint infra mensem. Item, in illo casu qui est supra in titulo de veneratione ecclesiarum §. III. Item præcipimus, quod nullus laicorum, &c. Item, qui litigantes seu litigare volentes in foro ecclesiæ super causis mere ecclesiasticis, vel quæ ad forum ecclesiæ pertinent, de antiqua & approbata consuetudine, & hactenus pacifice observa- E ta, ad desistendum compellunt per ipsorum, vel propinquorum suorum, vel rerum suarum captionem, vel modis aliis quibuscumque. Item, qui executores ecclesiasticorum judicum, vel alios eorum, litteras vel acta judiciaria deferentes hac occasione, verberare, capere, retinere, occultare, incarcerare, mutilare, interficere, cartas, vel acta illis auferre, cancellare vel quoquomodo destruere, vel ablata celare, aut hoc procura-

ANNO CHRISTI 1289.

ANNO CHRISTI 1289.

rare, aut his consilium vel opem præbere præsumserit, excommunicatus est ipso facto.

Per constitutiones quoque provincialis concilii Bituricensis excommunicati sunt ipso facto omnes clandestine matrimonium contrahentes & cooperatores, & scienter præsentes. Item abusores litterarum apostolicarum in casibus qui sequuntur, videlicet, quicumque obtentas sub nomine suo litteras aliis ejusdem nominis tradunt, qui quos volunt fatigant indebite per easdem, & qui eas tali modo recipiunt, & qui faciunt ad judicium evocari eos contra quos non habent aliquid quæstionis, & qui ipsas litteras trahunt ad futuras controversias, quæ non erant tempore impetrationis exortæ. Et qui aliquando super uno negotio, vel malitiose super pluribus personalibus actionibus, quæ sub uno judice possent tractari commodius per varias litteras coram diversis trahunt judicibus; & reus si re conveniat actorem in diversis locis, vel coram alio judice & qui citari procurat suum adversarium ad villam quæ habet commune vocabulum cum pluribus ejusdem provinciæ villis, nec determinatur certo modo illa villa in citatione, omnes isti excommunicati sunt ipso facto. Item qui procedit ut judex datus a sede apostolica, vel legato, & non est in dignitate vel in cathedrali, vel alia collegiata & honorabili ecclesia constitutus, vel procedit alibi quam in loco non insigni, ubi non potest haberi commode juris copia peritorum, & pars etiam quæ hoc abutitur secundum statuta antiqua ejusdem concilii, excommunicati sunt ipso facto. Item qui defunctum olim excommunicatum ab ordinario, ejus licentia non obtenta, tradit ecclesiasticæ sepulturæ, qui dicebatur esse absolutus in mortis articulo ab aliquo sacerdote, nec de hoc constabat sufficienter, & cooperatores hujus facti, & qui opem, consilium vel concessum dederunt, & qui expensas ministrarunt, & qui scienter huic funeri præsentes fuerunt, excommunicati sunt ipso facto. Item, illi qui usurarios publicos in suis cimeteriis scienter sepelire præsumserint. Item, religiosi & clerici, & laici, qui sine consensu diœcesanorum decimas in præjudicium parochialium ecclesiarum recipiunt a laicis, vel subtrahunt eis, excommunicati sunt ipso facto. Dum tamen ante in dictis ecclesiis diebus dominicis, astante plebe, semel, secundo & tertio publice monitio & prohibitio facta fuerit, quod talia non attentent, nec ex aliqua justa causa & rationabili super hoc se deffendere possint, quorum nomina post publicationem dictæ sententiæ tradenda erunt diœcesano, ut ulterius procedat contra eos ut fuerit rationis. Item, ecclesiæ Bituricensis suffraganei, & eorum officiales, & alii inferiores judices, qui appellationibus non defferunt quibus est defferendum, aut propter hoc parti bona fide appellanti, aut advocatis suis molesti existunt scienter & malitiose, per mensem ab ingressu ecclesiæ sunt suspensi; advocati autem qui scienter & malitiose, aut ex favore illicito contra hoc se substraxerunt, excommunicati sunt ipso facto. Item, officiales & alii judices ecclesiæ Bituricensis impedientes per malitiam & scienter jurisdictionem suffraganeorum, aliorum ecclesiasticorum judicium subjectorum ejusdem ecclesiæ per mensem ab ingressu ecclesiæ sunt suspensi; advocati autem qui malitiose contra hoc fieri procurant, excommunicationis sententia sunt innodati.

ANNO CHRISTI 1289.

Per synodales quoque constitutiones hujus ecclesiæ Ruthenensis excommunicati sunt ipso facto, & sic esse statuimus & ordinamus, publici concubinarii, publici usurarii, publici latrones & aggressores itinerum, invasores ecclesiarum, & aliorum sacrorum locorum, homicidæ, divinatores, & sortilegi diffamati. Item, detinentes publice decimas, sine licentia ecclesiæ & injuste. Item, qui bannis non præmissis matrimonia clandestina contrahunt, & qui eis scienter intersunt. Item, qui diversa matrimonia scienter contrahunt altero durante. Item, qui contra interdictum ecclesiæ nuptias scienter contrahunt vetitas vel incestas. Item, curam animarum habentes notarii publici officium sine nostra licentia exercentes. Item, qui debitorum creditorum suorum scienter retinent instrumenta, vel notas sumtas non faciunt cancellari, super his requisiti, postquam de debitis vel creditis eis fuerit satisfactum. Item, qui sine auctoritate legitima vel licentia nostra conferunt ecclesiastica sacramenta in diœcesi Ruthenensi præter baptisma parvulorum, & in casu necessitatis Eucharistiam & pœnitentias morientium, vel nisi ad breve tempus de licentia rectoris seu vicarii parochialis ecclesiæ. Item, lata est excommunicationis sententia ipso facto in illo casu qui est supra in tit. de decimis §. III. *ad hoc quoniam frequenter occurritis*.

In omnibus igitur prædictis casibus, in quibus excommunicatio ipso facto a jure irrogatur, episcopus absolvere poterit, nisi in illis casibus, de quibus expresse dictum est, quod domino papæ vel legato absolutio reservatur.

XXVI.

Percutiens clericum in his casibus non incurrit excommunicationem.

Quod autem dictum est quod percutiens religiosum vel conversum, ipso facto excommunicationem incurrit, fallit scilicet quod non incurrit excommunicationem, videlicet in clerico apostata comam nutriente, quia a percussore clericus ignoratur. Item in clerico militaria arma gerente, & tertio monitus per diœcesanum noluit se corrigere. Item, si nec in modo tonsuræ, nec in vestium forma, nec in qualitate negotiorum de clerico quidcumque ostendit, & etiam monitus per diœcesanum se non corrigit. Item, secundum quorumdam opinionem in clerico exercente negotia sæcularia, & etiam ter monitus per diœcesanum se non corrigit. Item, in clericis publice ducentibus uxores, ut fraudent suos dominos sæculares juribus suis, nec habent spem redeundi ad clericatum, nec episcopus tales sub foro retinuit, nec beneficium eis saltem dispensative concessit. Item, in illo qui habitu

ANNO CHRISTI 1289.

bitu clericali dimisso tyrannidi & crudelitati se immiscet, vel seditionem vel guerram movet, vel publice atrociter delinquit. Item, in illo qui contra prohibitionem diœcesis publice factam recipit administrationem sæcularium personarum, si talis propter fraudulentam rationem capiatur. Item, in illis qui non ex odio, nec invidia, nec ex indignatione, sed jocosa levitate se percutiunt; in magistro moderate percutiente causa correctionis vel disciplinæ. Item, in illo qui temperate se deffendit. Item, in illo qui invenit clericum cum uxore, sorore, vel filia propria turpiter agentem. Item, in illo qui hoc facit de mandato prælati proprii: quamvis enim clericus non debeat verberari, etiam causa correctionis per laicum, quando clericus ad hoc potest commode haberi: alioquin præceptor, & verberator in excommunicationem incidunt; tamen de mandato prælatorum capi possunt, & ad judicium trahi etiam violenter, dum tamen non amplius capientium violentia se extendat, quam exigat rebellio clericorum. Item, in presbytero vel alio ad quem pertinet ejicere de ecclesia clericum turbantem divinum officium. Item, in eo qui ratione officii quod obtinet in ecclesia clericum percutit. Item, in seniore ecclesiæ, qui causa devotionis hoc facit. Item, in prælato leniter corrigente. Item, in domino famulum corrigente. Item, in propinquo vel parente hoc idem faciente. Item, in clerico deposito & tradito curiæ sæculari. Item, in illo qui transit ad actum prorsus contrarium, puta militiam, dimissa tonsura. Item, in bigamo, vel eo qui contraxit cum vidua, vel corrupta, vel habuit & cognovit duas uxores.

Illud etiam, quod dictum est quod percutiens clericum est a papa solummodo absolvendus, fallit, quia ab episcopo poterit absolvi, si habet in itinere sedis apostolicæ inimicos capitales, vel alias justas causas, vel excusationes quare ire non potest. Item est idem in ostiario magnatis, qui prætextu officii clericum, non tamen graviter, læsit. Item, in officiali qui arcendo turbam non ex proposito clericum percussit. Item, in mulieribus, item in senibus, & valetudinariis. Item, in destitutis membris suis: ita quod ire non possit. Item, in infirmo quando non est spes de convalescentia. Item, in paupere qui non habet de quo vadat, nisi quæreret ostiatim quod non consuevit. Item in religiosis, & communiter viventibus. Item, in his qui non sunt sui juris, ut filii familias, vel servi, & pater, vel dominus grave damnum pateretur, si illi ad papam accederent, sed debet eis in recompensationem laboris alia satisfactio injungi. Item, in monialibus. Item, in hospitalariis sancti Johannis Jerosolymitani. Item, in his qui levem & modicam non enormem clericis injuriam irrogarunt; quæ autem sit levis arbitrio episcopi jus relinquit. Item, in eo qui est in mortis articulo constitutus, qui absolvi potest a quolibet sacerdote: cui injungendum est, si fuerit gravis injectio, quod si evadat, vadat ad papam mandatum suum super hoc recepturus.

Quod etiam supradictum est, quod qui cum excommunicato majori excommunicatione participat, non tamen in crimine, pro quo fuerat excommunicatus, nec etiam in dictis quando erat excommunicatus per litteras papæ, sed alias cum eo, in verbo, cibo, potu, vel aliter participat, minorem excommunicationem incurrit. Fallit in quibusdam personis, quæ possunt licite participare cum eo; ut uxores cum maritis excommunicatis, in quorum potestate consistunt. Item, servi & ancillæ, ut Sarraceni olim nunc baptizati cum suis dominis excommunicatis. Item, servientes, ut puta pastores, pedissecæ, & alii mercenarii cum suis dominis excommunicatis antequam incipiant morari cum eis: finito vero termino servitii vel conductionis debent ab eis recedere, aliter minorem excommunicationem incurrunt. Item nepotes & consanguinei, nutrices, & similes, qui si a dominis excommunicatis recederent, non haberent unde viverent. Item, qui participat ignoranter cum excommunicato. Item, peregrini, & viatores possunt emere sua necessaria ab excommunicatis dum transeunt per terram ipsorum. Item, licite potest dari excommunicato eleemosyna, ne fame pereat, & peti ab eo debitum, & in judicio convenire, & sibi prædicari, & loqui cum eo de salute animæ suæ, licet alia verba incidenter interponantur aliquando, ut quis magis proficiat apud ipsum. Et licet in prædictis casibus non teneatur quis præcise vitare excommunicatum, tamen in quantum bono modo fieri poterit, est vitandus.

Item, quod dictum est, quod in dictis casibus vitare non teneor exommunicatum verum est, nisi mihi specialiter ejus communio fuerit interdicta: quod ex causa fieri posset, si in fame pereunte. Veruntamen si filii mei, vel servi, vel alii mihi subjecti ratione paternæ potestatis, vel dominicæ, vel ratione officii sunt excommunicati, debeo vitare ipsos; aliter minorem excommunicationem incurro, & hoc est ideo, ut eorum absolutionem citius ego procurem. Uxorem etiam excommunicatam vitare debeo, nisi forte quoad carnis debitum. Item, mercenarium excommunicatum vitare debeo, si absque magno incommodo hoc facere possum, alias non tenebor.

Sciendum est quoque, quod sententia excommunicationis & sententia interdicti & suspensionis censura ecclesiastica appellatur. Omnibus autem rectoribus & sacerdotibus parochialibus, & eorum vicariis districtissime prohibemus, ne in aliquem excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententiam proferre præsumant sine nostra vel officialis nostri vel superiorum nostrorum licentia speciali. Et si forte nos, vel officialis noster, vel alius superior eis specialiter duxerimus vel duxerit committendum, quod per censuram ecclesiæ compellant aliquos ad aliquid faciendum; caveant diligenter quod ex causa rationabili, & trina monitione præmissa, vel una perentoria pro omnibus, illam sententiam, sive generaliter, sive specialiter proferatur, in scriptis proferant, & in illo scripto causam, quare illam proferunt expresse conscribant, & eam scriptam in manibus teneant, & eam legant, & transcriptum il-

lius

ANNO CHRISTI 1289.

lius scripturas tradant illi contra quem lata est sententia infra mensem ex quo fuerint requisiti. Et si aliter ferant dictam sententiam, ab ingressu ecclesiæ, & divinis officiis suspensi sunt ipso jure: & ille contra quem lata est ad interesse tenetur, & si dicta suspensione durante se divinis officiis iniecerint, sicut prius irregulares existent, nec cum eis, nisi per sedem apostolicam poterit dispensari.

Sententia vero formari poterit in hunc modum: Cum ego P. rector seu capellanus „ talis ecclesiæ auctoritate commissionis mihi „ factæ per talem, canonice monuerim talem „ militem, ut de talibus decimis satisface- „ ret tali ecclesiæ, & non curavit obedi- „ re, ideo propter ejus contumaciam in his „ scriptis subpono ipsum ecclesiastico inter- „ dicto, & si per octo dies interdictum su- „ stinuerit, ipsum ex nunc, ut ex tunc in „ his scriptis excommunico. Si vero senten- „ tia sit in genere ferenda, dicatur sic. Cum „ P. rector, vel capellanus talis ecclesiæ „ canonice monuerim in tali ecclesia omnes „ generaliter, ut quicumque fecerit tale „ furtum, vel ignem apposuerit, satisface- „ ret infra mensem, vel talem diem jam „ elapsum, & nullus satisfecerit, ideo illum „ qui prædicta fecit, subpono ecclesiastico in- „ terdicto; & si per octo dies interdictum su- „ stinuerit, ex nunc, ut ex tunc illum ex- „ communico. Ad hæc si excommunicatus publice majori excommunicatione interest cum divinum officium celebratur, publice moneatur, quod exeat: et si exire noluerit, dimittatur officium, nisi sacerdos canonem inceperit: quia tunc perficere debet officium jam inceptum. Sed omnes alii qui tunc in ecclesia fuerint, debent exire de ecclesia præter ipsum presbyterum celebrantem, & unum vel duos clericos qui pro serviendo eidem presbytero possunt & debent in ecclesia remanere. Completo autem canone & sumtis corpore & sanguine JESU CHRISTI, præsente excommunicato, non est in missa amplius procedendum; sed si ecclesia jurisdictionem in loco habeat temporalem, potest ipsum expellere violenter: si vero non habet jurisdictionem, & excommunicatus noluerit exire de ecclesia, potest ecclesia requirere dominum temporalem quod ipsum expellat. Et hæc servanda sunt in illo qui nominatim & publice est excommunicatus. Verum si occultum est illum esse excommunicatum majori excommunicatione qui intrat ecclesiam, & est ibi aliquis qui secrete sciat eum esse excommunicatum, monendus est ab eo secreto ut exeat de ecclesia; & si monitus exire noluerit, exeat caute de ecclesia ille qui scit secrete eum esse excommunicatum: ita quod alii qui excommunicatum ignorant, non possint hoc cognoscere: quia cum occulte sciat eum excommunicatum, in occulto vitandus est ab eo, ut saltem verecundiæ rubore confusus, pro latente excessu satisfacere compellatur: sed publice seu manifeste talis excommunicatus vitari non debet, ne propter hoc ipsius peccatum & excommunicatio aliis reveletur. Eodem modo si sacerdos sciat aliquem esse excommunicatum majori excommunicatione, A non debet eum vitare publice seu manifeste in ecclesia vel extra, (nisi possit per testes vel alio modo legitime hoc probare; tunc enim potest & debet eum vitare publice,) videlicet quia ipse solus vidit, vel cum uno teste tantum, sed ipse in secreto sibi dicere debet, & monere eum secrete: ita quod a nemine cognoscatur, sicut supra proximo est expressum. Item, si dicatur alicui sacerdoti in ecclesia vel extra, quod aliquis parochianus suus sit excommunicatus, quia percussit clericum, vel alia causa, & plures asserunt; non tamen sacerdos debet eum tamquam excommunicatum vitare in ecclesia vel extra, nisi coram eo, & coram testibus hoc confessus fuerit, vel nisi publica fama B fuerit, ipsum esse excommunicatum, vel nisi ipse sacerdos hoc viderit & probare possit, vel nisi alius judex ecclesiasticus sibi mandaverit, quod eum tamquam excommunicatum faciat evitari: quamvis enim aliqui vellent coram sacerdote probare talem esse excommunicatum, non debet sacerdos auctoritate sua testes super hoc recipere, cum super hoc non habeat potestatem.

Sane quia aliquando excommunicatur aliquis a diversis judicibus jurisdictionem in eum habentibus, & pro causis diversis, si ab uno de illis judicibus fuerit absolutus, adhuc tamen tamquam excommunicatus vitandus est, quousque ab omnibus judicibus fuerit C absolutus. Si autem ab uno judice tantum pro causis diversis fuerit excommunicatus, & ille judex absolvat eum una causa tantummodo in absolutione expressa, adhuc remanet excommunicatus, & vitari debet quousque de omnibus causis pro quibus excommunicatus fuerit satisfaciat, & faciat pro omnibus se absolvi. Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos sive a nobis, sive ab aliis quibuscumque judicibus fuerint excommunicati, vel nominatim interdicti per totam nostram dioecesim ab omnibus regularibus & sæcularibus exemtis & non exemtis districte præcipimus evitari in divinis officiis & ecclesiasticis sacramentis, quia nulli D possunt apostolicis privilegiis se tueri, quominus excommunicatos & nominatim interdictos teneantur & debeant in divinis officiis evitare; immo etiam per constitutionem domini Legati qui contra faciunt quantumcumque sint exemti, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdictum, quousque pro latoribus sententiarum de contemtu, & aliis quorum interest de suo interesse satisfecerint competenter. Quod si Templarii, vel Hospitalarii, vel alii regulares quicumque etiam exemti excommunicatos vel nominatim interdictos recipere præsumserint ad divina, vel ad ecclesiasticam sepulturam, aut celebrare in ecclesia interdicta, ultra dictam E poenam ecclesiæ, in quibus præsumserint, subjiciantur interdicto, salvis privilegiis Hospitalariorum, quibus a sede apostolica est indultum, ut semel in anno ad ecclesiastica officia admittantur, in ecclesia interdicta; ita tamen quod tunc non sepeliantur ibi corpora defunctorum.

Deinde videndum est qualiter & a quibus infirmi excommunicati & interdicti in mortis sint articulo absolvendi. Et quidem si infir-

firmus, vel aliquis alius in mortis articulo constitutus excommunicatus, vel interdictus fuerat occulte vel manifeste propter violentam manuum injectionem in clericos factam, vel propter violationem ecclesiarum, incendium, furtum, contumaciam, vel propter aliam quamlibet causam sive excommunicatus vel interdictus a papa, archiepiscopo, judice delegato, sive aliquo alio, vel a jure, absolvat eum sacerdos, sive sit parochianus ejus, sive non, vel etiam quilibet, si sacerdos haberi non potest, servando diligenter absolutionis formam, quæ inferius in sequenti §. continetur; non quod secundum opinionem quorumdam absolvi possit ab alio quam sacerdote, sed propter fidem quam habuerit, absolvetur post mortem a proprio sacerdote. Si tamen propter violentiam ecclesiarum, incendium, furtum, rapinam, decimas, primitias, legata, debita, tallias, vel propter damna aliqua contra justitiam illata, infirmus in mortis articulo constitutus sit excommunicatus occulte, vel interdictus, & occulte sibi petat a sacerdote absolutionem & poenitentiam exhiberi; præcipiat ei sacerdos occulte antequam absolvat eum, quod si habet illam rem quæ debet restitui, illam incontinenti restituat, vel ejus pretium, si res illa haberi non potest. Et restituatur per ipsum sacerdotem subpresso nomine poenitentis. Et si in toto non potest satisfacere, satisfaciat juxta posse, & præcipiat suis heredibus, quod si de illa infirmitate contigerit ipsum mori, ad cognitionem sacerdotis satisfaciant pro eodem. Et recepto juramento ab ipso infirmo interdicto vel excommunicato quod stabit mandatis ecclesiæ, absolvat eum occulte sacerdos dicendo psalmum *Miserere mei*, vel *Deus misereatur nostri*, &c. *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Salvum fac*. ℣. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & famulum tuum quem delictorum & excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat per Christum Dominum nostrum. Amen*. Et postea dicat: *Auctoritate Domini qua fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & specialiter a sententia excommunicationis, qua ligatus eras pro tali facto, & præcipio tibi quod de cetero talia vel consimilia non committas*. Et sub eadem forma absolvatur sanus interdictus vel excommunicatus, quando erit absolvendus. Si autem propter gravem infirmitatem mortis periculum excommunicato immineat, & occasione restitutionis faciendæ non potest differri absolutio sine magno periculo, si excommunicatus restituendi habeat voluntatem, recipiat statim sacerdos ab ipso excommunicato juramentum de stando mandatis ecclesiæ, & absolvat eum occulte sibi præcipiendo sub poena præstiti juramenti, quod quam cito commode poterit satisfaciat juxta posse, & quod præcipiat suis heredibus, quod satisfaciant pro eodem. Si vero talis infirmus occulte interdictus vel excommunicatus tam pauper sit, quod non habeat unde in toto vel in parte satisfacere possit, recepto ab ipso juramento occulte de stando mandatis ecclesiæ, injungat ei sacerdos quod si convaluerit, & contingat ad fortunam pinguiorem venire, satisfaciat juxta posse & absolvat eum juxta formam prædictam. Verumtamen si manifestum fuerit aliquem infirmum excommunicatum esse vel interdictum propter rapinam, decimas, primitias, debita; vel aliqua alia causa, ad quorum restitutionem vel emendam tenetur, præcipiendum est ei manifeste, quod restitutionem, vel solutionem incontinenti faciat juxta posse, & si non potest incontinenti satisfacere, quia forte non habet rem quæ debet restitui, nec ejus pretium, vel non est præsens ille cui solutio vel restitutio facienda, recipiat sacerdos firmam securitatem ab ipso infirmo per fidejussores, seu pignora, quod ipse vel heredes sui restitutionem vel emendam faciant juxta posse, & facta securitate, recipiat nihilominus sacramentum sacerdos publice ab ipso interdicto vel excommunicato, quod stabit mandatis ecclesiæ vel judicis, si propter hoc a judice erat excommunicatus, & absolvat eum juxta formam prædictam. Si autem infirmus talis manifeste excommunicatus aut interdictus tam pauper sit, quod nec restitutionem in toto vel in parte possit facere, nec securitatem dare, recepto juramento ab ipso de stando mandatis ecclesiæ vel judicis, si propter hoc a judice excommunicatus erat, injungat ei in virtute præstiti juramenti, quod si convaluerit compareat quam commode poterit coram illo judice, facturus quod jure fuerit faciendum. Si vero propter verberationem clerici vel alicujus religiosæ personæ infirmus excommunicatus sit, recipiet sacerdos simpliciter juramentum ab eo quod stabit mandatis ecclesiæ, & absolvet eum præcipiendo sibi quod si convaluerit, accedet personaliter ad dominum papam, vel ejus legatum, mandatum ipsius humiliter recepturus. Si tamen talis excommunicatus senex sit vel femina, vel unum tantum pedem habens, aut puer infra quatuordecim annos constitutus, prædicto juramento ab ipsis recepto, & absolutione præstita, præcipiendum est eis, quod si convaluerint, ad suum episcopum accedant mandatum ejus humiliter recepturi. Ne vero ipsum infirmum licet absolutum mori contingat nulla præstita satisfactione clerico injuriam passo, & ab eodem clerico venia non petita, præcipiat sacerdos eidem quod ab ipso clerico, si præsens est, vel haberi commode potest, petat veniam de injuria quam sibi fecit, & alia omnia damna, si qua propter hoc passus est, ei restituat; vel si non potest incontinenti, de expensis & damnis datis satisfacere, si haberi non potest clericus injuriam passus, præcipiat infirmus suis heredibus, quod ipsum satisfaciant pro eodem. Si autem excommunicati in infirmitate vera constituti vel aliter canonice impediti, juxta formas prædictas fuerint absoluti, recuperata sanitate, ut quam cito poterint excommunicatori se præsentent, ipsis pro absolutione certus terminus præfigatur, infra quem coram excommunicatore se præsentent satisfacturi de iis pro quibus fuerant excommunicati, & si infra illum terminum denuntiatum per capellanum non satisfecerint, per excommuni-

Anno Christi 1289.

nicatorem de novo in priftinam fententiam fine monitione alia reducantur. Si vero fuerit fimulata infirmitas, & de hoc conftat, denuntiandus eft juxta ftatuta antiqua excommunicatus ut prius, quia abfolutio nulla fuit. Verum licet aliquis excommunicatus fanus vel infirmus de ftando mandatis ecclefiæ vel judicis præftiterit juramentum vel aliam cautionem, vel etiam adverfario fuo fatisfecerit, de eo pro quo erat excommunicatus, non tamen eft communicandum eidem quoufque fuerit abfolutus. Monitus etiam nominatim, & excommunicatus pro participatione, abfolutione indiget, licet principalis fuerit abfolutus. Aliquando autem excommunicatus abfolutione non indiget, quia eft fententia nulla, nec in aliquo obfervanda, ut fi lata fit a non fuo judice. Item, fi feratur ab excommunicato. Item, fi ab intrufo. Item, fi ab eo qui eft in jurisdictione fufpenfus. Item, fi feratur poft legitimam appellationem. Item, fi contineat in fe intolerabilem errorem, ut fi dicatur, excommunico te, nifi feceris tale peccatum. Item, fi judex delegatus excommunicet pro alia caufa quam pro ea quæ eft fibi commiffa, vel contra intentionem delegantis. Item fi a prælato qui violaverat interdictum a fuo judice in fe latum. In his cafibus excommunicatio nulla eft, & ideo non fervanda, nec ligat.

XXVII.

De fententia interdicti & fufpenfionis.

De fententia quoque interdicti & fufpenfionis aliqua funt notanda. Et eft fciendum quod interdictum eft nomen juris, & nomen generale, quia interdicitur non folum laicus, fed & clericus, & non folum perfonæ, ut dictum eft, fed etiam res inanimata, ut ecclefia, parochia, villa, caftrum, locus, univerfitas, collegia. Sed clericus proprie dicitur fufpendi, ut cum fufpenditur ab officio, vel beneficio, vel utroque. Laicus enim non poteft fufpendi proprie, cum non habeat officium vel beneficium quod poffit effe in fufpenfo, & idem vides de re inanimata. Sciendum eft etiam quod interdictum five fufpenfio aliquando fertur ab homine, ficut videtur quotidie de judicibus, qui ferunt fententias interdicti, vel fufpenfionis; aliquando a jure propter trangreffionem juris, vel delictum, ut in illo qui contra confcientiam & juftitiam judicat per gratiam vel per fortes, qui per annum a fuo officio eft a jure fufpenfus. Item, qui fine fcriptis & caufa ibi non expreffa excommunicat, vel interdicit, vel fufpendit, per menfem ab ingreffu ecclefiæ, & ab officio eft fufpenfus. Item qui fine monitione excommunicat per menfem ab ingreffu ecclefiæ eft fufpenfus. Item, qui benedicit contrahentes fecundum matrimonium, fi ambo vel alter eorum alias fuerant benedicti, ab officio & beneficio eft fufpenfus. Item, recipientes oblationes ab ufurario publico, quoufque illas reftituerint, ad arbitrium epifcopi ab officio eft fufpenfus. Item, recipiens ufurarium publicum ad fepulturam. Item,

A epifcopus confirmatus differens petere confecrationem ultra fex menfes. Item, violans interdictum, feu fcienter ingerens fe divinis in loco interdicto. Item, epifcopus permittens habitare in terra fua ufurarios publicos aliunde oriundos ad fœnus exercendum, vel eis domum locans, vel alio titulo concedens, fufpenfus eft. Collegium vero vel univerfitas interdicta, ut fi per menfem hoc fuftinuerit, ipforum terra erit interdicta quamdiu morabuntur ibidem. Item, epifcopus eft fufpenfus per annum a collatione ordinum, qui fcienter affectata ignorantia vel alio figmento quæfito ordinat clericum alienum fine licentia fui epifcopi. Item, fufpenfus is in cujus ordinationem aliquid

B neceffarium omiffum, quoufque fuppleatur omiffum, vel fi per faltum quis promoveatur, fed epifcopus in hoc poterit difpenfare, nifi miniftraverit in ordine fic fufcepto, quia tunc folus papa. Item, dans pecuniam vel aliam rem pro fuo ingreffu religionis fufpenfus eft, ne ad ordines facros afcendat. Item, epifcopus relaxans pœnitentiam contra incendiarios conftitutam in decreto 23. q. ult. c. *peffimam* fufpenfus eft ab officio epifcopali per annum. Item, fufpenfus eft uxorem fuam cognofcens adulteram. Item, omnis interdictus, vel excommunicatus majori excommunicatione five fit epifcopus, vel alius quicumque. Item, ordinans, &

C ordinatus ad facros ordines extra tempora conftituta. Item fufpenfus ab officio & beneficio qui gravat, vel obligat ecclefiam fuam pro debitis alienis. Item, in cafu qui eft fupra cap. 3. §. *per conftitutiones etiam domini Simonis*. Item, in cafu qui eft fupra cap. 3. §. *excommunicationis quoque*. Item, homicida fufpenfus eft, & irregularis, nifi ad corporis fui deffenfionem inevitabiliter interficiat. Item, fcienter conferens, vel recipiens per fimoniam aliquo dato vel promiffo, vel dignitatem, vel beneficium, eft fufpenfus. Item, dimittens fine neceffitate miffam incompletam fufpenfus a communione corporis & fanguinis Domini. Item, qui-

D cumque celebrans non fumit totiens corpus & fanguinem Domini, fufpenfus eft per annum a communione altaris. Item, epifcopus qui ordinat clericum invitum, fufpenfus eft per annum a communione altaris. Item, qui duos ordines, vel fubdiaconatum cum minoribus ordinibus recepit una die, miniftrare non debet in fufceptis, nec accedere ad majores, fed cum eo forte poterit epifcopus difpenfare, nifi effet promotus poft fententiam excommunicationis latam ab ordinatore, ne quis furtive ad ordines afcenderet, quia tunc folus papa. Item, fufpenfus clericus citramontanus ab epifcopo Italico ordinatus fine litteris papæ vel epif-

E copi fui, & in hoc folus papa difpenfat. Item, confervator etiamfi fit epifcopus ad alia quam notoria fcienter fuam extendens poteftatem, per annum ab officio eft fufpenfus, & pars quæ hoc procurat excommunicata. Item, qui fponte de tenendo fchifmate juramentum fecerunt. Item, dictans vel exercens fententiam fanguinis, vel in hoc auctoritatem vel confilium præftans, fufpenfus eft & irregularis fine fpe difpenfationis. Item,

Anno Christi 1289.

Item, prælatus seu rector recognoscens se bona immobilia ecclesiastica tenere a quocumque domino temporali, & ea sibi submittens suspensus est ab officio & administratione triennio, & clerici qui hoc scientes non denuntiant superiori, triennio ab officiis quæ ab illa ecclesia obtinent sunt suspensi. Item, episcopi sunt suspensi ab ingressu ecclesiæ, nisi infra mensem restituant duplum ejus quod receperunt etiam a volente ultra expensas moderatas nomine procurationis ab ecclesiis, quas visitant; vel si in propria persona quas visitationis officium non impendunt: inferiores vero episcopis ab officio & beneficio sunt suspensi, quousque sit redditum eis duplum. Item, universitas quæ concedit, vel extendit reprehensalias seu marchas contra personas ecclesiasticas vel bona ipsorum, nisi hoc revocaverint infra mensem, ipso jure est interdicta. Item, episcopus qui infanti non intranti religionem, vel ei qui est alterius diœcesis, sine licentia sui episcopi, vel conjugato, qui religionem vel sacrum ordinem non assumit clericalem confert tonsuram, per annum suspensus est a collatione tonsuræ. Item, quibuscumque, id est exceptis celebrantibus in locis interdictis ab homine, vel a jure, nisi quando a jure conceditur, vel publice excommunicatos, vel interdictos recipientibus ad divina, est ingressus ecclesiæ interdictus, donec de hoc satisfecerint ad ejus arbitrium cujus sententiam contemserunt. Item, junge hunc casum qui est supra de sepulturis in §. *nullus tamen*. Item, si is cui est ecclesiæ interdictus ingressus, ingerat se in ea divinis, irregularitatem incurrit. Item, in aliquibus aliis casibus in dispersis suspensio infligitur ipso jure. Item, nota quod suspensus ab officio per judicem, quia forte secus si a jure, per consequens durante suspensione a beneficio est suspensus, sed non e converso. Unde suspensus a beneficio si ingerat se divinis, non propter hoc irregularitatem incurrit. Item, nota quod episcopi nullam sententiam interdicti vel suspensionis ipso jure incurrunt, nisi de episcopis caveatur ibidem, sed caveant quod in pluribus juribus de episcopis cavetur expresse. Item, titulus ita prolixe tractatur illa præcipue ratione, ut sciant promoti ab irregularitatum laqueis præcavere, quibus involverentur si excommunicati interdicti vel suspensi scienter ingererent se divinis, nec potest cum eis citra sedem apostolicam dispensari. Aliquando fertur suspensio a Deo, ut in quolibet mortaliter peccante, qui quoad se ratione peccati mortalis a Deo principaliter licet jure cooperante suspensus est a divinis. Notandum est quoque, quod sententia interdicti vel suspensionis ferenda est in scriptis, & ex causa rationabili, & trina monitione præmissa, vel una pro omnibus peremtoria, sicut de excommunicationis sententia superius dictum est in §. *sciendum est quoque quod sententia excommunicationis*. Illud quoque notandum est, quod interdicti non debent se divinis ingerere, nec recipere, nec ministrare ecclesiastica sacramenta, nec intrare ecclesiam; tamen qui cum talibus participant, nullam excommunicationem incurrunt, quia interdicti a communicatione fidelium minime sunt exclusi, sed solummodo divinorum. Si quis autem clericus sciens se excommunicatum majori excommunicatione, sive sit lata a judice, vel a jure, ingerendo se divinis, puta presbyter celebrando missam, vel legendo epistolam subdiaconus, vel evangelium diaconus, vel sacramenta ecclesiæ ministrando, vel aliter officiando in iis quæ spiritualiter sunt annexa, sicut ante excommunicationem faciebat, vel alius ordinibus in minoribus constitutus, puta acolythus portat cereos, vel alia faciat, vel dicit quæ non consueverint fieri, vel dici in illa ecclesia, nisi per acolythos, vel aliquis recipit sacros ordines excommunicatus, irregularis efficitur, nec potest cum eo, nisi per sedem apostolicam dispensari. Illud enim dicendum est similiter de interdicto, vel ab officio seu divinis suspenso, sive sit interdictus vel suspensus a judice, vel propter juris transgressionem, vel delictum a jure; & idem similiter de illo qui non est alias interdictus vel suspensus, sed prædictis modis officiat in ecclesia interdicta. Dubitans etiam probabiliter de sua excommunicatione, maxime quando conscius est de culpa sua propter quam juste poterit excommunicari, nescius tamen exponit se discrimini & celebrat excommunicatus, vel habens ignorantiam crassam & supinam, ut quia citatus peremtorie non ivit, nec misit, & sic excommunicatus celebrat, licet nihilominus de excommunicatione sciat, irregularis existit, secus si hoc faciat ignoranter. Poena vero hujusmodi irregularium est quod deponuntur, & suis beneficiis spoliantur, nisi cum eis per sedem apostolicam fuerit dispensatum. Suspensus autem a Deo propter peccatum mortale non efficitur irregularis officiando, vel ingerendo se divinis, licet aliter graviter peccat; nec etiam est irregularis licet graviter peccet qui officiat, vel celebrat in ecclesia sanguinis vel seminis effusione violata, quia non est proprie interdicta, sed quousque reconciliata fuerit, organa sunt suspensa; nec qui sepelit in cimeterio, ubi excommunicatorum corpora sunt sepulta, vel aliter violato, cum hoc cautum non reperiatur in jure, et non sunt irregularitatum laquei ampliandi. Subdiaconus etiam seu diaconus vel presbyter excommunicatus vel interdictus officians in ecclesia in his quæ non sunt suo certo ordini specialiter deputata, licet graviter peccet, non tamen irregularis existet, puta parando, non dico benedicendo vinum, vel aquam, vel lumen in altari dum celebrat ibidem vel legendo lectiones, responsoria cantando, vel epistolam legendo sine apparatu in ecclesia in qua cum solemnitate per subdiaconum legi epistola consuevit, vel baptizando sicut laicus, vel benedicendo, vel versum vel *alleluia* cantando, vel psalmos legendo, vel consimilia exercendo, vel si acolythus seu qui est in sacris legat vel cantet ea quæ indistincte etiam per simplicem clericum legi ibidem consuetum est vel cantari. Alii autem clerici in simplici tonsura constituti, interdicti, vel excommunicati, ministrando in suo officio, an efficiantur irregulares, doctores juris super hoc diversa contra opinantur,

ANNO CHRISTI 1289.

tur. Rursus etiam notandum est, quod si civitas, villa, castrum, parochia vel cives civitatis, vel universitas villæ, vel collegium, vel locus sint interdicti, non solum clerici illius loci prohibentur ibi celebrare & officiare, & alta voce & submissa, vel etiam januis clausis & apertis, sed etiam alienigenæ, nisi essent privilegiati. Clerici tamen illius loci, si causam non præstiterint interdicto, officiare poterunt in aliis locis etiam non interdictis, sed laici ibidem vel in aliis locis etiam non interdictis censentur esse interdicti. Si autem sit ecclesia interdicta, clerici illius ecclesiæ, si causam non præstiterint interdicto, poterunt licite in aliis locis non interdictis officiare & audire divina, sed laici illius ecclesiæ quæ est interdicta ob culpam universitatis, vel domini illius loci, nec ibi nec alibi debebunt ad divina admitti. Sed si sit interdicta ob culpam clericorum illius ecclesiæ, vel ex sanguinis effusione, vel aliter violata, poterunt tunc laici illius ecclesiæ in alio loco non interdicto recipi ad divina. Volumus tamen & concedimus, ut laicorum scandalum evitetur, ut cum aliqua ecclesia nostræ dioecesis ob culpam contumaciæ prioris, vel rectoris, seu capellani illius ecclesiæ fuerit a nobis vel officiali nostro subposita interdicto, conferantur nihilominus ibidem omnibus parochianis ejusdem ecclesiæ ecclesiastica sacramenta, præter missas & alias horas canonicas, quas prohibemus in ipsa quamdiu interdicta fuerit celebrari: & si aliquem parochianorum mori contigerit, sine campanarum pulsatione, & cessantibus aliis signis & solemnitatibus quæ fiunt intra ecclesiam in exequiis mortuorum, simpliciter mittatur in ecclesia, & postmodum in cimeterio tumuletur. Cum autem generale interdictum profertur, videlicet in regnum, provinciam, civitatem, villam castrum vel parochiam, omnibus parochianis negentur omnia sacramenta & sacramentalia, sed ab hac generalitate excipit jus sacramenta quædam, quæ non obstante tali interdicto possunt conferri, scilicet baptisma parvulorum & sacramenta Eucharistiæ, & poenitentiæ morientium, & confirmatio episcopalis, & prædicatio verbi Dei. Permissum est etiam tempore talis interdicti ecclesiarum ministris non pulsatis campanis voce submissa, januis clausis, & interdictis exclusis divina officia ut prius dicere, & missas celebrare, & etiam sanis qui causam non præbuerunt interdicto exhibere poenitentiæ sacramentum. In festivitatibus etiam Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumtionis Beatæ Mariæ campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis exclusis, sed interdictis admissis. Sic tamen quod hi quorum culpa prolatum est interdictum, se altari nullatenus appropinquent. Clerici vero decedentes, qui interdictum hujusmodi servaverint, in cimeterio ecclesiæ sine campanarum pulsatione cessantibus solemnitatibus tempore talis interdicti cum silentio tumulentur. Si Fratres Hospitales S. Johannis Jerosolymitani, & alii quidam religiosi, quibus hoc a sede apostolica est indultum, missi fuerint ad fraternitatis collectas recipiendas, & in quemcumque locum interdictum advenerint, in eorum jocundo adventu semel in anno aperiatur una tantum ecclesia illius loci & juxta statuta generalis concilii ibidem excommunicatis exclusis divina officia celebrentur.

XXVIII.

De executionibus mandatorum.

Statuimus ut prælati, priores, rectores, sacerdotes parochiales ecclesiarum, & eorum loca tenentes, mandata nostra & officialis nostri & superioris diligenter, celeriter reverenter & humiliter & integre sine juris præjudicio, exequantur. Statuimus etiam quod sacerdotes parochiales, & eorum loca tenentes habeant rotulos, quilibet suum, in quo scribant omnia nomina excommunicatorum suæ parochiæ, & quorum auctoritate, & ad quorum instantiam sunt excommunicati, & tempus receptionis litteræ excommunicationis, vel interdicti; & eos excommunicatos diebus dominicis in ecclesiis suis publice denuntiare procurent, inhibendo parochianis suis, ne cum eis participent: alioquin noverint, quod contra eos durius procedetur, cum hoc idem in provinciali concilio sit statutum: & cum fuerint absoluti, de illis rotulis abradantur. In principio autem dicti rotuli ponatur, & omnibus diebus dominicis per capellanos in ecclesiis publicetur hoc quod sequitur. "Denuntiamus excommunicatos hæreticos, & fautores eorum. Item, concubinarios, usurarios manifestos. Item, detinentes decimas sine licentia ecclesiæ & injuste. Item, retinentes & capientes clericos domini episcopi Caturcensis, *vel* Ruthenensis *vel* Tutelensis vel sui officialis, licentia non obtenta. Item, laicos, compellentes coram se litigare clericos fori sui privilegium allegantes. Item, illos qui ex officio sæcularis judiciariæ potestatis, impediunt litigare volentes in curia Caturcensi *vel* Ruthenensi *vel* Tutelensi in præjudicium ecclesiæ Caturcensis, *vel* Ruthenensis, *vel* Tutelensis. Deinde denuntientur excommunicati omnes in rotulo expressati.

Districte præcipimus, quod in qualibet parochiali ecclesia sit sigillum proprium ecclesiæ cum tali subscriptione; *sigillum capellani talis ecclesiæ*, & nihil ponatur in subscriptione, nec nomen etiam capellani, & per appensionem talis sigilli de mandati executione constabit. Sacerdotes parochiales & eorum vicarii pro sigillandis litteris contra suos parochianos, seu contra ecclesiarum priores, rectores, vicarios convicinos a nobis vel officialis nostri curia emanandis, nihil exigant, sive levent, nisi forte nuncius deferens litteras sex paria litterarum vel epistolarum ad sigillandum uni capellano deferat una die, & tunc satisfaciat ei pro ceræ valore, vel nisi parochianus alterius ecclesiæ citari, vel moneri, vel aliter contra eum fieri mandaretur, quia tunc satisfaciendum erit capellano in expensis, quas faciet pro mandato hujusmodi exequendo. Si per litteram nostram vel officialis nostri, seu alterius judicis a nobis dandi capellano alicui mandari

dari contingat quod parochianum alterius ecclesiæ & non suæ citet vel moneat, non teneantur exequi quod mandatur, nisi in littera contineatur illa clausula, *si nobis est subditus vel propinquus*, vel alia certa clausula exprimens quod mandatum exequi teneatur. In tantum quidam rectores ecclesiarum & capellani, & eorum vicarii formidolosi exiftunt & timidi, quod quascumque sub nomine superiorum suorum litteras, licet notorie falsas, vel nullas, seu evidenter suspectas, statim cum requiruntur, sigillant, & mandata in eis contenta protinus exequuntur, timentes quod si ita non facerent, per illos quorum sunt litteræ vexarentur, quod sub poena excommunicationis & suspensionis districte fieri prohibemus; [B] præcipientes quod tales litteras aliquatenus non sigillent eis, & mandata ibi contenta minime exequantur, sed super his se habeant, prout infra proxime continetur. Non enim propter timorem vel metum est a justitia deviandum, nec obediendum superiori, quando contra jus scriptum quicquam præcipit vel evidenter injustum, licet mandatum injustum quod non non est evidenter iniquum, merus executor qualis est capellanus, cui tale mandatum dirigitur, exequi nihilominus teneatur. Obediendum est enim superioribus humiliter & devote, cum obedientia melior quam victima censeatur. Et ut clarius hoc intelligant simplices capellani, aliqua exempla super [C] his hic duximus inserenda. Non enim debent exequi mandata auctoritate sedis apostolicæ, si falsa bulla, falsis litteris sit appensa. Item, filum de vera bulla sit exactum ex toto & per aliud filum immissum falsis litteris eisdem dicta bulla inferatur. Item, si filum ab ea parte in qua carta plicatur incisum, cum vera bulla falsis litteris immittatur sub eadem plicatura cum filo simili canapis restauratum. Item, si a parte superiore bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum junctura reducitur infra plumbum. Item, si habeat rasuram in loco suspecto, puta in nominibus citandorum, vel judicis, vel in data, vel ubi est jus quæstionis. [D] Item, cum scriptura litterarum quibus fuerat apposita vera bulla cum aqua vel vino universaliter abolita, seu deleta eadem carta de novo describitur. Item, cum cartæ totaliter abolitæ, cui apposita fuerat vera bulla, alia subtilissima carta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutinio counitur. Item, si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, alicubi magis depressa. Item, in adjunctione filorum, in motione bullæ, vel obtusione, & aliis modis poterit falsitas deprehendi. Item, præsumuntur esse falsæ litteræ apostolicæ, si falsam latinitatem contineant. Item, dicuntur falsæ, si papa vocet filium episcopum vel superiorem aliquem: [E] hos enim vocat fratres. Item, si vocat fratres regem, vel principem vel quoscumque alios clericos, vel laicos: hos enim omnes & consimiles debet vocare filios. Item, si uni personæ scribit in plurali, non enim dicit uni personæ quantumcumque sit episcopus, vel rex, vel alius: *Mandamus vobis*, sed *mandamus tibi*. Per tales enim litteras, si falsitas sit evidens & manifesta, capellanus

[A] non debet aliquatenus exequi quod mandatur, & præsentator talium litterarum etiam falsarum litterarum nostrarum, vel officialis nostri, vel aliorum judicum retinendus est & ad nos mittendus, adhibito ad hoc si opus fuerit brachio sæculari. Si vero litteræ apostolicæ prædictis modis vel aliis non sint falsæ, sed aliter evidenter sunt nullæ, vel evidenter suspectæ, vel evidenter abusive per eas procedatur, ut si notorium sit & evidens quod ille qui se dicit judicem delegatum a sede apostolica, vel legato non est in dignitate, vel personatu, vel in ecclesia cathedrali institutus, vel quod locus ad quem sit citatio est vilis, nec ibi potest haberi commode juris copia peritorum, vel quod est extra civitatem vel dioecesim, cum ex eadem civitate vel diœcesi sunt actor & reus, & non est causa episcopi, vel universitatis; vel cum actor & reus sunt civitatis & diœcesis diversarum distat a fine ultra unam dietam, seu est infra civitatem vel diœcesim ejusdem actoris, vel quod per illam clausulam super terris debitis, possessionibus, & aliis rebus citat aliquis super dictis, vel injuriis, vel usuris, vel aliis gravioribus causis, & hoc apparet per litteram citationis & tamen in littera apostolica de his monitio non habetur, & littera apostolica non exprimit quod de assensu partium fuerit impetrata, nec dicitur ibi *non obstante jure super hoc edito*; vel si littera citationis sit sub illa forma *quos lator præsentium nominabit*, & nominentur aliqui in authentico non expressi, vel sub illa forma, scilicet pro testimonio in causa aliqua perhibendo, cujus causæ status productionem testium non requirit, vel etiam notorium est illum papam, qui causam commisit decessisse eo tempore quo littera citatoria præsentatur, nec tamen apparet tempore illius papæ illos citatos fuisse, qui nunc citari petuntur; vel etiam appareat evidenter quod litteræ vel processus sint abusivi, per illos modos qui continentur supra in tit. de sententia excommunicationis in cap. *Per constitutiones quoque provinciales concilii*, vel aliter sint litteræ evidenter de abusu suspectæ. In istis casibus & similibus, notoriis tamen & evidentibus capellani nobis vel officiali nostro inconsultis, tales litteras citationis, vel alias aliquatenus non sigillent, nec mandata in eis contenta exequantur, sed offerant præsentatoribus talium litterarum sigillare, & humiliter obedire, si nos vel officialis noster hoc eis duxerimus consulendum; & ipsi præsentatores si noluerint, nos vel officialem nostrum super his certificare procurent, & nihilominus capellani statim appellent, & provocent ad sedem apostolicam, vel ad illum ad quem de jure est appellandum coram notario, si commode potest haberi, alioquin coram bonis personis pro eo, quia merito suspicantur, quia judex datus in illis litteris præsumet procedere contra eos, & est malitiis hominum obviandum & respublica defendenda. Et fiet appellatio in hunc modum.

ANNO CHRISTI 1289.

APPELLATIO.

„ Ego P. capellanus talis ecclesiæ sentiens „ & suspicans me gravari per talem qui se „ dicit judicem, datum a domino papa Gre- „ gorio X. (a) pro eo, quia mihi præcepit „ evidenter injuste, quod ego talem citarem „ auctoritate sua ad talem locum, & noto- „ rium sit & evidens, quod sua jurisdictio „ expiravit per mortem dicti domini papæ: „ cum non constet quod eo vivente dictus „ judex uti ceperit sua jurisdictione, *vel pro-* „ *pter aliquam aliam causam de prædictis*, „ ideo a dicto judice ad sedem apostolicam, „ *vel* ad illum ad quem de jure est appel- „ landum in scriptis provoco & appello, & „ & peto apostolos mihi dari, & hoc facio „ coram notario & personis infra scriptis, „ quia dicti judicis copiam commode habere „ non possem.

(a) Cod. S. Germani ad usum ecclesiar. Cadurcensis & Tutelensis scripti legunt *Johanne* XVII. habita ratione temporis quo scripti sunt.

Si autem judex datus in litteris evidenter suspectis, nullis, vel abusivis citari mandaverit prætextu inobedientiæ capellanum illum, qui eas dicta occasione, ut dictum est, noluit sigillare, sacerdos cui hoc mandatum dirigetur, appellet ut de alio dictum fuit, ac etiam nobis, vel officiali nostro inconsultis mandata hujusmodi nullatenus exequatur, & si contrarium fecerit per annum suo beneficio, non tamen ab officio, auctoritate nostra & præsentis synodi suspensus sit ipso facto, & de cujus anni fructibus nihil sibi relinquentes disponemus, prout nobis videbitur disponendum. Si vero is cui mandatum hoc dirigetur, non obstante prohibitione, hujusmodi mandatum illud compleat, vel forte aliquis capellanus alterius diœcesis hoc faciat, & ideo per illum judicem de facto distringatur per censuram ecclesiæ, dictus capellanus qui dictas litteras abusivas, seu nullas noluit sigillare defendat se viriliter idem capellanus cum nostro consilio & auxilio, & illum judicem adeat, & per viam juris super his procedat cum consilio sapientium, & appellationem sibi intimet & apostolos requirat. Nos enim de expensis cum quibus ducatur istud negotium pro communi utilitate omnium ordinamus, quod omnes rectores illius archipresbyteratus, seu majores, vel meliores ex illis in dictis expensis contribuant, prout nos vel officialis noster duxerimus ordinandum. Cui officiali præcipimus, & de ipso & ejus successoribus ordinamus, quod super præmissis invigilent & intendant, & requisiti satisfieri faciant de dictis expensis, aliter litem suam facient, & de proprio suo illas restituere sint astricti.

Si autem contigerit quod auctoritate nostra vel officialis nostri, vel alterius judicis mandatum aliquod puta de citando, vel excommunicando aliquem capellanus fuerit exequutus, & postmodum auctoritate alterius judicis sibi contrarium demandetur, si secundum mandatum ipso jure nullum vel falsum appareat evidenter, statim illud respuat & repellat; si vero dubium sit an sit exequendum, vel non; nos super hoc vel officialem nostrum consulat, quid ei super hoc sit agendum, antequam ad exequendum secundum mandatum procedat.

Nullus auctoritate propria absque nostro vel officialis nostris seu superiorum nostrorum mandato aliquem citari præsumat, nisi contradicentes matrimoniis contrahendis, quos & illos quibus contradicerent citet peremptorie capellanus parochialis, ut coram officiali nostro Caturcensi *vel* Ruthenensi *vel* Tutelensi compareant certa die competenti super causa contradictionis debite processuri: qua citatione capellanus per suas litteras officiali certificare procuret. Sententias excommunicationis a nobis seu officiali nostro prolatas non ante vires dicimus & statuimus obtinere, quam litteræ super hoc concedendæ cum sigillo nostro, vel curiæ officialis nostri fuerint sigillatæ, nisi forte essent de illis sententiis quæ in vim statuti in synodis generaliter proferuntur. Sententias vero interdicti a nobis vel officiali nostro prolatas & litteras monitorias pro re judicata excommunicationem continentes, & etiam litteras absolutionem in quibus ita dicitur: *Mandamus vobis, quatenus talem absolvatis*: non enim de illis loquimur in quibus dicitur, *Remittimus absolutum*, licet prædictæ litteræ interdictorum & monitionum fuerint sigillo nostro, vel curiæ officialis nostri sigillatæ, habere statuimus & volumus nullum robur, nisi infra quindecim dies computandos a tempore datæ litterarum illarum capellanis quibus dirigentur fuerint præsentatæ.

Præcipimus omnibus sacerdotibus parochialibus & eorum vicariis, quod litteras citatorias & monitorias a nobis vel officiali nostro emanandas non sigillent, quousque habuerint translata hujusmodi litterarum, & quod ea sigillo suo sigillata tradant illis, qui citabuntur, scilicet unicuique citato suum translatum, nisi forte plures essent rei in eadem domo insimul commorantes, qui pro uno facto seu negotio citarentur, quia tunc unum translatum sufficiet omnibus illis: translata vero litterarum domini papæ, & aliorum judicum, videlicet authentici, sub legationis, monitionis, citationis ex integro retineant capellani, & ea tradant, ut dictum est, illis qui citabuntur sigillo suo sigillata.

Quidam sacerdotum ita rudes & ignari existunt, quod cum mandatur eisdem quod aliquem absolvant ab excommunicationis sententia, vel interdicti, credunt quod sit statim, obtenta talis absolutionis littera, absolutus; & ipse excommunicatus aliquando existimat, illud idem: quod tamen verum non esse nullus sanæ mentis ignorat. Unde præcipimus eisdem sacerdotibus, quod cum eis mandabitur, quod aliquem absolvant, eo prius reconciliato extra ecclesiam, ante fores illum absolvant secundum formam traditam supra in tit. de sententia excommunicationis in §. *Et recepto juramento*, quæ solemnitas non est servanda, nec absolutio impendenda, cum aliquis excommunicatus, vel interdictus capellano remittitur absolutus, sed statim debebit nuntiari publice absolutus.

Districte præcipimus, ut rectores & capellani seu vicarii in ecclesiis residentes, dum ipsos ex aliqua justa causa & necessaria abesse contigerit, tales capellanos in loco sui di-

Anno Christi 1289.

dimittant, qui sciant & possint & velint mandata nostra vel officialis nostri, ac superiorum exequi reverenter: alioquin tam ipsos, quam illos locum tenentes graviter puniemus.

Debent parochiales sacerdotes advertere diligenter, ut cum mandatur eisdem ut aliquem ad faciendum aliquid moneant, vel canonice moneant, quod semel, secundo & tertio monitionem illam faciant: ita quod inter unam monitionem & aliam sit dierum aliquod intervallum, vel saltem unam peremtorie pro tribus monitionem faciant, dicendo: *ego moneo vos peremtorie, ut infra terminum in litteris monitionis comprehensum contenta in illis litteris compleatis*, vel si in illis litteris non est terminus appositus, nec continetur ibi, visis litteris, tunc sacerdos apponet terminum rationabilem juxta negotii qualitatem.

XXIX.

De notitia lunæ & bissexti & festorum & jejuniorum.

De cursu cicli lunæ sciendum est, quod ciclus lunæ currit per numerum inclusive, ab primo usque ad decimum nonum, & currit annuatim per totum annum per aliquem numerum de dictis XIX. sicut potes videre in calendario, in illo numero qui est ante litteram alphabeti, & quando cursus est completus per totum annum supra dictum de XIX. ad principium est, scilicet ad primum iterum redeundum: & ideo dicitur ciclus, id est circulus, quia ad modum circuli redit ad se ipsum. Igitur, si vis scire in quo numero de dictis XIX. currit annuatim ciclus lunæ, sume annos Incarnationis Domini, & adde illis plus unum annum, & computando divide omnes annos istos per XIX. si ultima computatio remanet in XIX. ciclus lunæ curret illo anno in numero; si vero remanet minori, curret in consimili numero ciclus lunæ illo an. sciendum quod anni Domini M. CC. XCII. sunt divisi per XIX. & ideo sufficit illos annos qui solum supersunt plus uno addito dividere ut prædixi: ita etiam quod in festo Circumcisionis Domini ubi mutatur numerus lunaris, incipias quoad hoc computare numerum annorum Domini, qui erit in festo Annuntiationis proximæ tunc sequenti. Et quando scies per quem numerum currit ciclus lunæ, respice de illo numero quam litteram alphabeti habet coram se in calendario, & illa erit prima luna, in sequenti die erit secunda luna, in tertio tertia luna, & & sic de aliis quousque ad lunationem aliam mensis alterius sit deventum. Et nota quod numerus lunaris, & littera dominicalis mutatur annuatim in festo Circumcisionis: anni vero Incarnationis Domini mutantur in terra ista in festo Annuntiationis Beatæ Mariæ, & in quibusdam regionibus in festo Nativitatis Domini. In anno tamen bissextili, non obstante mutatione litteræ dominicalis facta in festo Circumcisionis, mutatur iterum ipsa littera dominicalis in festo beati Matthiæ, quia in illo festo quando est bissextus, duo dies in una littera includuntur. Nota etiam

A quod mutatio numeri lunaris fit subsequendo, ut si hoc anno currit ciclus lunæ per numerum primum, anno sequenti curret per numerum secundum: mutatio verò litteræ dominicalis fit retrocedendo, ut si hoc anno currit dominica per B. anno sequenti currit per A. & non per C. & sic de aliis.

XXX.

De notitia adventus.

Notitiam adventus Domini sic habebis, respice festum beati Andreæ, & incipiet adventus Domini in proxima dominica illi festo, sive illa dominica præcedat festum, sive sequatur.
B Si vero dictum festum sit in dominica, in eadem dominica celebratur adventus. De notitia septuagesimæ, & Paschæ sic tenebis, quod ubicumque inveneris lunam decimam post medium mensis Jan. in dominica proxima septuagesima celebratur, & si inveniatur luna decima in dominica, tunc sequenti dominica septuagesima erit, & tunc *alleluja*, & *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelsis*, & matrimonia cessant; in dominica vero quæ post septuagesimam per novem septimanas sequitur erit Pascha. In dominica autem quæ per septem septimanas tantum post festum Paschæ sequitur, Pentecostes colitur. Dies Jovis vero Ascensionis Domini in septimana
C sexta post festum Paschæ celebratur. De bissexto sic tenebis, quod est de quatuor in quatuor annis; nam cum dies naturalis constet ex viginti quatuor horis, & annus constet trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis: istæ sex horæ per quatuor annos collectæ faciunt unam diem, quæ dies collocatur in unoquoque quarto anno, & annus ille vocatur bissextilis, & dicitur bissextus, eo quod illa die sic collocata, bis sedet & collocatur & computatur in sexto calendas Martii, scilicet in festo beati Matthiæ apostoli. Illa enim dies, & sequens dies censetur esse solum unius diei, & sub una littera alphabeti in calendario includuntur,
D scilicet sub illa littera, qua signatur dictum festum, & utroque die pronuntiatur Sexto calendas Martii. Luna tamen in cursu suo procedit, & in prima die illarum dierum fit jejunium, in ultima vero die festum apostoli celebratur. Igitur si vis scire quando est annus bissextilis, sume annos Domini, & computando divide omnes per quatuor, & si ultima computatio sit de primo, sumus in illo anno post annum bissextilem, si de secundo sumus in secundo, si de tertio sumus in tertio; si autem nisi remanet, sed est ultima computatio de quatuor, tunc sumus in anno bissextili, & incipit in festo Circumcisionis, quia tunc incipit annus, licet subsequenter cadat bissextus in festo beati Mat-
E thiæ, & anni Domini in festo Annuntiationis.

XXXI.

Festa colenda & jejunia.

Festa vero colenda & jejunia observanda debent sacerdotes diebus dominicis in missa pu-

ANNO CHRISTI 1289.

publice nuntiare, festa vero sunt hæc. Dies Natalis Domini, S. Stephani, S. Johannis Evangelistæ, Innocentum, S. Silvestri, Circumcisio Domini, Epiphaniæ, S. Vincentii, Conversio sancti Pauli, Cathedra sancti Petri, festa omnium apostolorum, & omnium evangelistarum. Quatuor festa beatæ Mariæ, scilicet Purificatio, Annuntiatio, Assumtio, Nativitas. Dies Jovis cœnæ Domini, dies Veneris sanctæ Passionis Domini, festum Paschæ cum duobus diebus sequentibus, festum Inventionis sanctæ Crucis, festum sancti Johannis ante portam Latinam, festum Ascensionis Domini, festum Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, festum de Corpore Christi, sanctorum Cilici, & Julitæ, Nativitas sancti Johannis-Baptistæ, sancti Martialis, sanctæ Mariæ Magdalenæ, vincula sancti Petri, Transfiguratio Domini, sancti Laurentii, Decollatio sancti Johannis-Baptistæ, Exaltatio sanctæ Crucis, Dedicatio sancti Michaelis. (Sanctæ Fidis, Omnium sanctorum, sancti Amantii, sancti Dalmatii & S. Martini, Conceptio Beatæ Mariæ.) dedicatio cujuslibet ecclesiæ parochialis, festum cujuslibet sancti & sanctæ patroni, seu patronæ cujusque parochialis ecclesiæ in parochia illa dicta festa colenda absque mercatis, & alio servili opere cum devotione & reverentia præcipimus observari, in aliis vero festis nullus sacerdos a dictis operibus præcipiat abstinere, nisi prout est consuetum. Festa communia animarum defunctorum generaliter celebrantur in crastinum Omnium sanctorum, & in crastinum beati Hilarii, & in quibusdam etiam locis de consuetudine speciali in crastinum octavarum Paschæ & Pentecostes, & si in his sit festum duplex, transfertur ad diem sequentem commemoratio deffunctorum, & celebrantur hæc festa deffunctorum usque post missas, nec propter officium deffunctorum debet omitti dictis diebus officium regulare.

Inclusa parenthesi peculiaria sunt eccl. Ruthenen. nec reperiuntur in MSS. S. Germani.

Jejunia observanda sunt hæc, scilicet tempore quadragesimali, & jejunia quatuor temporum, & vigilia Natalis Domini, Assumtionis Beatæ Mariæ, & omnium apostolorum exceptis vigilia sancti Johannis evangelistæ ob reverentiam octavarum Nativitatis Domini, & apostolorum Philippi & Jacobi, ob reverentiam solemnitatis Paschalis, & sancti Barnabæ, qui non est de numero duodecim apostolorum, & in vigilia Ascensionis Domini & Pentecostes, & sancti Johannis-Baptistæ, & sancti Laurentii, & Omnium sanctorum, quæ jejunia ab omnibus, qui erunt ætatis sufficientis ad jejunandum, præcipimus observari, nisi forte ex causa debilitatis, infirmitatis, peregrinationis, & alterius laboris necessarii, de consilio tamen sacerdotum suorum prandere oporteat necessitate urgente. Honestum esset & pium, ut clerici in sacris ordinibus constituti, & maxime sacerdotes in diebus adventus Domini, & in diebus lunæ & Martis ante cineres, & in diebus lunæ, & Martis ante Ascensionem Domini jejunarent. Jejunia quatuor temporum quater observantur in anno, scilicet in die Mercurii post festum beatæ Luciæ cum diebus Veneris & sabbati sequentibus. Item, die Mercurii post Pentecosten cum diebus Veneris & Sabbati sequentibus. Item, die Mercurii post cineres cum diebus Veneris & Sabbati sequentibus. Item, die Mercurii post festum Exaltationis sanctæ Crucis cum duobus diebus Veneris & Sabbati sequentibus, unde versus:

Dat crux, Lucia, cineres, carismata dia.
Ut sit in angaria quarta sequens feria.

Diebus etiam Lunæ & Martis & Mercurii ante festum Ascensionis Domini est generaliter ab usu carnium abstinendum.

Iste liber fuit compositus & publicatus tempore domini Nicolai Papæ quarti & domini Simonis Archiepiscopi Bituricensis in ecclesia Ruthenensi in synodo generali, ciclo lunæ currente xvii. & littera dominicali B. & primo anno post annum bissextilem & anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono ex præcepto & auctoritate Reverendi in Christo patris domini Raymundi de Calomonte divina providentia episcopi Ruthenensis, quem librum una cum contentis & continendis in titulo sequenti cum consensu capellani sui servari firmiter & perpetuo statuit & præcepit in his tantum quæ rationi sunt consona sive juri.

AD SALZBURGENSE CONCILIUM

Anno 1291. habitum

A D D I T I O.

An. 1291. „ Concilii hujus præter acta quædam a „ Binio vulgata nihil supereſt aliud, „ quamquam ſcimus, patres literas quaſdam „ ad pontificem dediſſe, ſuadentes, ut Hoſ- „ pitalarii, Templarii & Theutonici equites „ ſimul in unum coetum jungerentur. Has „ literas nemo hucuſque vulgavit. Sed & „ præter illas non diu ante hos annos alias „ produxit ex MSS. codice P. Pezius in Cod. „ Diplomat. part. 2. pag. 164. quas vetuſti „ Codicis inſcriptio eidem huic concilio vin- „ dicat. Has ergo hic damus.

SALZBURGENSIS CONCILII RESCRIPTUM

Ad Apoſtolicam ſedem de calamitatibus Chriſtianorum, capta a barbaris civitate Acconenſi in Palæſtina.

LEctæ luctu plenæ veſtræ ſanctitatis litteræ vulnus fecerunt in vulnere, & nova percuſſio plagam veterem recentavit. Ex eo enim jampridem confoſſum fuit & ſaucium cor eorum, qui vivunt in Chriſti corpore, ejuſque ſpiritu vegetantur, quod locus ille, in quo ſteterunt pedes ejus, perfidorum pedibus conculcatur, quod terra nativitate Chriſti florida, converſatione candida, paſſione roſea contaminatur ab hoſtibus Crucifixi, & ſic iterum Jeſus ad illudendum & conſpuendum traditus eſt gentibus, dum illi, recrucifigentes ſibi denuo Filium Dei, & habentes oſtentui ſacramenta ſua blaſphemant, & ſacra nequiter execrantur. Certe quondam terra repromiſſionis, quæ lac & mel patribus emanavit, nobis fel amaritudinis lato latice non deſinit propinare, dum Chriſtus a propria ſede repellitur, dum chriſtiana fides, quantum in eis eſt, extinguitur, dumque noſtræ redemptionis inſignia velut quælibet abjecta materia pro nihilo reputatur, illudque Dominicum ſepulchrum jacet prorſus inglorium, quod Deus per os prophetæ fore prædixerat glorioſum.

Deducant igitur oculi noſtri lachrymas per diem & noctem, & non taceant, quoniam contritione maxima contrita eſt virgo filia populi mei plaga peſſima vehementer. Verum mare noſtræ amaritudinis nec in hoc terminum ſuum conſtituit, ſed extendit in latius fluctus diluvii exundantis. Nam civitas Acconenſis, in qua multitudo religioſorum collecta, patriam ſignis noſtræ redemptionis inſignem velut de proximo aſpiciens, & ſalutans vicino ejus recreabantur odore; quæque fuit nihilominas urbs fortitudinis iis qui prælia Domini exercebant, conſolationem ſpei adhuc non modicam miniſtrabat deſolatis ſolatio terræ ſanctæ; expectantibus fidelibus cum deſiderio & ardore, ſi quando favente Deo facto generali paſſagio chriſtiana militia in ea ſe colligens, & ex ea greſſibus proceſſivis ſucceſſive progrediens terram deſiderabilem recuperare cum gloria mereretur. Sed heu! corona ſpei noſtræ corruit, dolor creſcit, cauſa gemitus geminatur, capta ab hoſtibus & everſa civitate prædicta, quemadmodum ſcripta veſtra lamentabiliter expreſſerunt, ſicque arca Dei per diluvium quodammodo ſuffocata, columbina fidelium ſimplicitas non invenit ubi pes ejus in illo maris littore commode requieſcat.

Nunc igitur tanto devotius ad divinum recurramus auxilium, quanto videmus evidentius omni nos rei ac ſpei humanæ commodo deſtitutos, levantes manus ad cœlum, cum Moyſe Jeſum dormientem cum apoſtolis ſuſcitemus, illos nihilominus qui acceperunt gladii poteſtatem, prædicationibus inducentes, ut cum fortiſſimis Machabæis pro paternis legibus animas exponere non formident. Quia in hoc conflictu amabili, nec victor nec victus mercede fruſtrabitur. Nam etſi vincens eſt ex triumpho felicior, victus tamen velocius pervenit & citius ad coronam.

STRIGONIENSIS SYNODUS PROVINCIALIS

Habita ſub Andrea III. Hungariæ rege, & Lodomerio archiepiſcopo Strigonienſi, die VI. Maji, anno MCCXCII. Ex MS.

An. 1292. Ex Peterffy Conc. Hung. t. I. pag. 127. „ DOnaverat S. Ladislaus & Geiza II. „ rex eccleſiæ caſtri Budenſis ſales „ quoſdam & nauli partem in portu Peſtienſi exigi ſolitos. Emarcuit, ut aſſolet fer- „ vor in tributariis. Hinc diſſidia, quæ ad „ concilium delata fuiſſe ex documento ſe- „ quenti diſcimus.

Lodomerius miſeratione divina archiepiſcopus Strigonienſis eccleſiæ, nec non eadem diſpenſatione divina Andreas Agrienſis, Andreas Jaurienſis, Ladislaus Vacienſis, Andreas Veſprimienſis eccleſiarum epiſcopi, totumque capitulum ejuſdem Strigonienſis eccleſiæ, ac univerſitas prælatorum Strigonienſis provinciæ, in provinciali concilio conſidentes, univerſis, quibus oſtendentur præſentes, ſalutem in Domino ſempiternam.

Novit univerſitas veſtra in noſtro provinciali concilio, circa octavas S. Georgii pridie nonas Maji celebrato, oblatam in ſcriptis proteſtationem hujuſmodi & perlectam.

Ego magiſter Poſonienſis, canonicus eccleſiæ Budenſis, Sanctæ Strigonienſi eccleſiæ me-

metropolitanæ jure immediatæ subjectæ, ex mandato magistri M. præpositi, & totius capituli ejusdem Budensis ecclesiæ, coram venerabili patre, beatissimo domino Lodomerio, divina providente clementia, Strigoniensis ecclesiæ archiepiscopo, & venerabilibus PP. coepiscopis & suffraganeis nostris, nec non coram venerabili capitulo Strigoniensi, & universis præpositis, & abbatibus, ac prælatis in hoc sancto provinciali concilio congregatis protestando propono, & proponendo protestor: quod rector, consules, & jurati ac universitas civium de castro Budensi, eandem Budensem ecclesiam & canonicos in eadem divinis obsequiis jugiter famulantes, gravibus damnis, & injuriis incessanter afficiunt, ac pressuris, horis omnibus & temporibus, quibus ei data fuerit occasio vel opportunitas temporalis. Minutatim enim omne jus Budensis ecclesiæ intervertere & auferre conantur, quasi pro eis scriptum sit: frustatim lupus comedit agnum. Quamquam enim ordine judiciario cum regia majestate tributum salium in portu est, ad ipsam pertinens ecclesiam, quod suarum tempore nundinarum circa festum Nativitatis B. Mariæ Virginis, per potentiam eorundem civium de festo consueverant impedire, relaxarunt, vigore justitiæ compellente, adjecta pœna 200. marcarum, si contra venerint in futurum; nihilominus tamen ipso tempore nundinarum, eidem Budensi ecclesiæ ita se irreverentes exhibent, & molestos, ut officiales, & tributarios ipsius ecclesiæ inibi destinatos, frequenter in aquam dejiciant Danubii, & aliis corporalibus afficiant injuriis, verbis turpibus insultando, de quibus per eosdem cives, nulla penitus justitia exhibetur, conquerentibus.

Insuper cum in navalibus ascendendo, & descendendo tributum eidem Budensi ecclesiæ debeatur juxta privilegium B. Ladislai, & gloriosissimi regis Geyzæ, ipsi tamen cives, & jurati, castri prædicti, de rebus mercimonialibus navigio descendentibus, tributum exigere potentialiter non permittunt, de novo a perceptione tributi navium descendentium inhumaniter a possessione percipiendi pacifica, contra tenorem privilegii, ipsam Budensem ecclesiam prohibendo. Loca etiam piscationum ejusdem Budensis ecclesiæ, quæ Tonya vulgariter nuncupatur, ausu sacrilego, a multis temporibus contra protestantes, & inhibitores multiplices, potentialiter occupant, molendina constituentes in ipsis locis piscationum pro suæ libitu voluntatis; cum tamen in privilegiis regis sit expressum, ut a portu Megyer, usque ad magnam insulam regis, absque voluntate præpositi vel capituli ejusdem, nullus ibi piscari præsumat, & si quis inposterum regiæ dispositioni contraire voluerit, anathematis feriatur exterminio, regis & regni totius reus existat. Et licet alii de sub pede castri ejusdem, ab aquis calidis, & super, de suis molendinis annuatim solitum censum solvant; de universitate tamen molendinorum sub ipso castro Budensi præfati cives, vel illi, ad quos ipsa pertinent molendina, penitus nihil solvunt. Sicque possessionem ecclesiæ Budensis usurpativam per potentiam, & violentiam intervertunt, in suarum periculum animarum, & ejusdem ecclesiæ grave præjudicium, & jacturam. Et quoniam secundum canonicam veritatem, pro semel relictum ecclesiis seu collatum, quidquid sit illud sanctum, sociorum erit Domini, & ad jus pertinet sacerdotum, ac usurpationis contumelia, pœna sit sacrilegii coercenda; dignetur sanctum nostrum concilium rectorem, juratos, ac universitatem castri præfati, paternalibus monitis salubriter exhortari, ut suo jure contenti, patrimonium non diripiant Crucifixi, permittendo memoratam Budensem ecclesiam in sua privilegiata justitia, pacis amplitudine gratulari, ne ecclesiastico ministerio, culpa sacrilegii, quod non potest ulterius conjicientibus præteriri, faciant se indignos.

Nos igitur deliberatione provida recensentes, dictam petitionem, & protestationem, juris veritate subnixam, in præmissis omnibus & singulis, præmissorum ad ipsum rectorem, juratos, & universitatem civium præfatorum paternæ exhortationis literas duximus declarandas. In cujus rei memoriam præsentes concessimus literas nostris sigillis authenticis communitas. Datum Strigonii in Concilio provinciali, Anno Domini MCCXCII. pridie nonas Maji.

GENUENSE CONCILIUM

A Jacobo de Varagine archiepiscopo

Anno 1292. *habitum*.

1292. *Concilii hujus sui meminit Jacobus de Varagine in Chron. Januensi Rer. Italicarum to. IX. pag.* 53. *his verbis*.

In ecclesia S. Laurentii provinciale concilium celebravit, ubi interfuerunt episcopus Albiganensis, episcopus Brumacensis, episcopus Naulensis, episcopus Maranensis, & episcopus Abiensis. Episcopus Bobiensis se excusavit infirmitate, & senectute gravatus; suum tamen procuratorem, & syndicum destinavit. Episcopus vero Daciensis tunc vacabat. Interfuerunt vero abbates mitrati quamplures, scilicet abbas S. Syri, abbas S. Stephani, abbas S. Fructuosi, abbas de Tyro. Abbas vero de Borsono, & abbas de Insula Gallinaria se excusaverunt infirmitate, & senectute gravati, suos tamen procuratores, & syndicos destinarunt. Interfuerunt etiam præpositi, & archipresbyteri, præsules, & cæteri ministri in multitudine copiosa. In ipso autem concilio fuerunt multa utilia statuta, & multæ constitutiones editæ, quæ usque hodie observantur. Cæterum quia inter aliquos dubitatio vi-

videbatur oriri, an corpus S. Syri esset in archa marmorea, quæ subtus altare S. Laurentii est collocata, voluimus super hoc inquirere veritatem. Quocirca concilio præsente, & præsentibus potestate, & capitaneo, abbate populi, & multis aliis nobilibus civitatis Januæ, archam illam fecimus aperiri, ubi invenimus archam ligneam inclusam, & diligenter firmatam, quam aperientes ibi invenimus laminam plumbeam, & tabulam marmoream, & cedulam in pixide quadam repositam, & utrobique erat literis exaratum, quod in illa capsa ossa S. Syri erant reposita. Nos etiam illam capsam super altare S. Laurentii deduci fecimus, & ibi nostris manibus inquirentes omnia ossa invenimus quæ ad compositionem humani corporis requiruntur.

TERRACONENSE CONCILIUM

Anno 1292. habitum.

I.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 289. (a) Alibi dicitur hoc concilium an. 1292. celebratum, quo revera idus martii incidunt in sabbatum.

ANno Domini MCCXC. primo (a) die sabbati quæ fuit idus Martii, nos Rodericus permissione divina sanctæ Terraconensis ecclesiæ archiepiscopus in civitate Terraconensi personaliter constituti, de mandato speciali litteris nobis facto, & auctoritate sanctissimi patris & domini, meritisque beati, domini Nicolai divina providentia sanctæ Romanæ ecclesiæ summi pontificis, assistentibus nobis venerabilibus fratribus R. Vicensi, P. Urgellensi, A. Dertusensi, fratre Berengario Barchinonensi, V. Cæsaraugustano, fratre Ademaderio Oscensi, Geraldo Ilerdensi, absentibus Michaele Pampilonensi, Almoravio Calagurritano & Calciatensi, P. Tirasonensi, R. Valentino, Bn. Gerundensi, se per procuratores & litteratorie excusantibus, nec non nobili ac religioso viro fratre Berengario de Cardona, domorum militiæ Templi in partibus Aragoniæ & Cataloniæ magistro, & procuratore magistri S. Johannis Jerosolymitani, procuratoribus capitulorum ecclesiarum cathedralium ac collegiatarum, monasteriorum, aliorumque prælatorum Terraconensis provinciæ præsentialiter constitutis; præsentibus etiam discretis & religiosis viris abbatibus, præpositis, prioribus, archidiaconis & decanis, nec non & pluribus aliis ecclesiarum prælatis præfatæ provinciæ, tam exemtis quam non exemtis, ad hoc specialiter evocatis, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, apud civitatem & ecclesiam Terraconensem sponsam nostram, cui licet immeriti divina clementia pastoralis officii debito præsidemus, sanctum provinciale concilium celebrantes, præfato sacro concilio approbante, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, laudamus, concedimus, approbamus, & irrefragabiliter per omnia confirmamus constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem & defensionem ecclesiarum, clericorum & religiosarum personarum, monasteriorum, hominum, rerum, ac bonorum omnium prædictorum.

II.

De vita & honestate clericorum.

Quoniam pium esse dinoscitur & consentaneum rationi, ut clerici qui in sortem Domini eliguntur, decentius & honestius inter alios in habitu & in aliis agendis suis se debeant gerere & habere, qui per vitæ munditiam & conversationem laudabilem, formam & exemplum in moribus & vita ceteris dare debent, qualiter in domo Domini alios oporteat conversari; sacro approbante concilio, statuimus, ac districte præcipiendo mandamus universis & singulis clericis, præsertim sacerdotibus, & prælatis beneficiariis, atque in sacris ordinibus constitutis, ut honesta deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, coronam & tonsuram habeant congruentem. Si quis vero comam nutritam, sive barbam, sive tonsuram non deferat congruentes, & infra duos menses a tempore publicationis constitutionis istius, se non emendaverit in hac parte, ingressum ecclesiæ auctoritate præsentis constitutionis sibi noverit interdictum. Sane quia, ut in nonnullis ejus provinciæ cathedralibus ecclesiis ac collegiatis usus inordinatus permisit hactenus, ne dicamus abusus, canonici & ministri unius diei servitio deputati, unum intrant, quorum ad unum & idem officium faciendum, adeo tamen ab unitate habitus discrepantes, quia non repræsentant hujusmodi debitam unitatem, propter quod non absque rubore ab illo patrefamilias, cui serviunt, audire forsan poterunt: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Ideo nos cupientes universos prædictos & singulos ad uniformitatem debitam coaptare, quod vere in ecclesia Dei unum ovile apparere valeat & etiam unus pastor: præsertim cum hujusmodi dumtaxat conformitatis habitus divitibus nequeat esse onerosus, nec suo modo pauperibus nimium sumtuosus, sacri approbatione concilii statuimus, ut archiepiscopus, episcopi, canonici regulares, sæculares cathedralis ecclesiæ seu collegiatæ intra ecclesiam suam vel extra ad divina officia cappas non deferant nisi nigras, sericis dumtaxat exceptis, quæ ratione solemnitatis vel officii juxta consuetudinem cujuslibet ecclesiæ certis temporibus deferuntur. Qui vero contrafacere præsumserit, tandiu ab ingressu ecclesiæ noverit se suspensum, donec præsens statutum effectu duxerit observandum.

III.

ANNO CHRISTI 1292.

III.

Contra diffidantes clericos.

Exigit perverſorum audacia, ut non ſolum ſimus delictorum prohibitione contenti, ſeu pœnam etiam delinquentibus imponamus. Sacri igitur approbatione concilii adjicientes præſentis ſtatuti ſuffragio conſtitutionibus olim editis per prædeceſſores noſtros contra illos qui clericos diffidarent, ſtatuimus, ut clericus aut religioſus, cujuſcumque dignitatis, ordinis, conditionis, ſeu ſtatus exiſtens, diffidaverit, acunydaverit ſeu acunydari fecerit vel procuraverit B prælatum, clericum, aut beneficiatum, vel in ſacris ordinibus conſtitutum, aut aliam perſonam religioſam, ſeu canonicum eccleſiæ cathedralis Terraconenſis provinciæ temeritate propria, quæ lege damnatur, grave damnum intulerit vel inferri procuraverit, niſi diffidamenta fecerit revocari, & damna exinde illata non curaverit emendare, infra menſem a tempore diffidationis vel damni alias dati, quem ſibi monitione canonica duximus aſſignandum; quia juxta quantitatem & qualitatem culpæ debet eſſe quantitas & qualitas pœnæ, ut fructus condignos faciant pœnitentiæ; ſiquidem prælatum ſuum diffidaverit, vel diffidari procuraverit, vel grave damnum dederit, aut dari C procuraverit, ab officio & beneficiis omnibus per triennium completum ſit eo ipſo ſuſpenſus, ac nihilominus, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrat. Si vero alium quam prælatum diffidaverit, vel diffidari procuraverit, ſimiliter ſit ſuſpenſus & excommunicatus, & deinde perpetuo ſuſpenſus & excommunicatus remaneat, donec diffidamenta revocari, aut damna illata fecerit emendari. Si vero interea ſic ſuſpenſus aut excommunicatus perceptioni ſuorum beneficiorum ſe ingeſſerit per ſe vel per alium, quocumque colore quæſito, aut divinis officiis ſe immiſcuerit, ſit inhabilis ad alia beneficia obtinenda, nec ſuper hoc D per alium quam per Romanum pontificem cum alio valeat diſpenſari, nec ſuper aliquem poſſint hujuſmodi ſententiæ revocari, donec diffidamenta revocaverit & revocari fecerit, & de damnis illatis & injuriis ſatisfecerit cum effectu: aliter autem facta abſolutio vel relaxatio nullius penitus ſit momenti. Medietas autem fructuum beneficiorum talium ſuſpenſorum & excommunicatorum, durante contumacia & rebellione ipſorum, ordinariis applicetur; alia vero medietas in terræ ſanctæ ſubſidium per eoſdem ordinarios convertatur. Si vero is qui præfatos exceſſus commiſerit, vel aliqua præmiſſorum, non ſit beneficiatus, ipſo facto E ſententiæ excommunicationis ſubjaceat, donec de prædictis commiſſis ſatisfecerit, ut de aliis eſt jam dictum. Aliter autem ſibi impenſa abſolutio ſit irrita ipſo jure, ac nihilominus abſolutione obtenta, tanto tempore ſit inhabilis ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum, quanto in excommunicatione perduraverit animo indurato, nec ſuper hoc per alium quam per Romanum pontificem A cum eodem valeat diſpenſari.

IV.

De perjuris.

Item, quamvis pia ſit conſideratione ſtatutum, quod non merentur eccleſias regere, qui ſunt perjurii crimine irretiti, nec vivere de patrimonio crucifixi, quem ſic irreverenter & enormiter contemſerunt. Attendentes quod nonnulli antiqui hoſtis invidia procurante, in contumeliam Redemtoris & non modicum animarum ſuarum diſpendium, temere violant per eos præſtita juramenta, nos huic morbo damnabili & peſtifero, quantum poſſumus, competentibus remediis obviare volentes, hac edictali conſtitutione ſancimus, ut ſi quis clericus famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris juramenti religionem ſpernit, nulla cogente neceſſitate, ſed libero arbitrio & voluntate contra jus jurandum a ſe præſtitum, putaverit eſſe veniendum, & de hoc coram ſuo judice ſit confeſſus, vel legitima probatione convictus, vel alias de præmiſſis conſtiterit evidenter, pœnam xx. morabotinorum, ipſo facto, ſe noverit incurriſſe, ejus ordinario abſque remiſſione aliqua confiſcandam. Dignum eſt enim, ut quos Dei timor a malo non revocat, temporalis ſaltem coherceat ſeveritas diſciplinæ. Quod ſi ſolvendo non fuerit, ſicut alii reatus taliter caſtigetur, quod pœna ipſorum ceteris auferatur audacia talia præſumendi, ſalvis tamen omnibus aliis pœnis canonicis contra tales editis, quibus per conſtitutionem præſentem non intendimus in aliquo derogari.

V.

Contra excommunicatos abſolutionem non petentes.

Item cum medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum is in quem lata fuerit, non contemnat, hoc conſultiſſimo ſtatuimus edicto, quod ſi clericus in quocumque ordine conſtitutus, canonice fuerit excommunicationis ſententia innodatus, & publice nunciatus, & negligens in abſolutione petenda, per ſex menſes continue in excommunicatione ipſa contumaciter ex certa ſcientia perſtiterit, quia nihil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemtus contumacibus nunciatus non obeſſet: ſi beneficium eccleſiaſticum habuerit, pœnam xx. morabotinorum incurrat. Quod ſi beneficiatus non fuerit, ideo propriæ ſalutis oblitus, per annum continuum in prædicta excommunicationis ſententia perduraverit, pharaonico animo damnabiliter obſtinatus; quia creſcente contumacia, creſcere debet & pœna, ſtatuimus ut lx. aureos ſuo ordinario applicandos ſolvere teneatur. Si vero ultra annum in excommunicatione perſtiterit, tamdiu ab officio & omnibus beneficiis quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus, donec ſe abſolvi fecerit: & poſtea nihilominus tanto tempore, quanto poſt annum, ut præmittitur, in excommunicatio-

tione permanserit. Nec per ordinarium aliter possit absolvi, nec pœna prædicta remitti, aliter autem absolutio ei impensa & remissio facta nullius penitus sit momenti.

VI.

Contra illos qui ministrant sacramenta ecclesiæ alieno parochiano.

Item cum ecclesiastica sacramenta sint ministranda per proprium sacerdotem; juxta canonica instituta, sacri approbatione concilii duximus providendum, quod nullus clericus præsumat quodcumque sacramentum alteri parochiano aliquatenus ministrare, absque licentia proprii rectoris vel diœcesani, seu officialis ejusdem. Qui vero contrarium temeritate propria, quæ lege damnatur præsumserit attentare, pœnam xx. morabotinorum diœcesano vel ordinario, cui subesse dinoscitur, solvere compellatur. Volumus tamen, quod sacramentum baptismi & pœnitentiæ tempore necessitatis cogentis extremæ possit conferri & dispensari a quolibet sacerdote, memorata pœna in aliquo non obstante.

VII.

Contra Toletanum archiepiscopum.

Item, sacro approbante concilio statuimus, quod si Toletanus archiepiscopus, vel quicumque alius archiepiscopus, per Terraconensem provinciam transitum faciens crucem ante se portare fecerit, vel palleo usus fuerit, vel indulgentias dederit in nostra provincia, quæ, sicut dicitur, fuerunt per aliquos temere attentata; si diœcesanus in cujus diœcesi committuntur, non se opposuerit, & hoc non inhibuerit, quantum poterit, bono modo; sit ab ingressu ecclesiæ suspensus; & si aliquis litteris indulgentiæ aliquorum archiepiscoporum in nostra provincia usus fuerit, tamquam falsarius puniatur.

VIII.

De hæreticis.

Nonnulli a via veritatis aversi, euntes per devium falsitatis, linguas suas laxare ad talia non verentur, ut dicere audeant, quod non sit resurrectio mortuorum, nec vita alia sit futura; quod quidem est hæresis pessima, immo plurium hæresum fundamentum, statuimus itaque sancientes, quod qui talia dixerit ex proposito, capiatur, & si perstiterit in eisdem, tamquam hæreticus condemnetur. Quod si jocose dixerit, vel quacumque animi levitate, nihilominus secundum qualitatem culpæ & personæ conditionem, pœnis legitimis puniatur per inquisitores hæreticorum a sede apostolica deputatos. Omnes insuper fidei catholicæ detractores pœnam subeant, quam merentur, ut sciant loqui de fide catholica cum reverentia & timore. Volumus etiam & mandamus quod dilecti fratres Prædicatores, inquisitores hæreticorum a sede apostolica deputati, qui

A laborant ad extirpandam hæreticam pravitatem, a rectoribus ecclesiarum, vel eorum vicariis benigne recipiantur, & in tam necessario & coram Deo accepto fidei negotio juventur efficaciter per eosdem.

IX.

Contra falsos apostolos.

Cum quidam qui se dicunt apostolos, & religiosos se effingunt, sint suis exigentibus meritis per sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodati, & postmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa
B fidem, volumus & ordinamus, ut ubicumque inventi fuerint, capiantur, & de tota provincia expellantur.

X.

De immunitate ecclesiarum.

Quorumdam oculos sic excœcat ambitio, ut temporalibus commodis inhærentes, plus temporali majestati, quam æternæ placere studentes, libertates, & emunitatem ecclesiasticam, quam Christiani tenentur defendere, lædere ac minuere moliuntur, inflammando principes & potestates sæculares &
C universitates locorum, sive rectores eorum, eisque impendendo consilium & patrocinium, necnon ecclesiarum, a quibus beneficia recipiunt, exhibendo & tradendo instrumenta & alia documenta contra ipsas personas ecclesiasticas, ipsorum homines & bona & privilegia & etiam libertates. Et idcirco cupientes, ut ecclesiæ in plenitudine juris sui & libertatis integritate lætentur, ac detestabilis malignorum audacia, insolentium nefaria temeritas propulsetur, sacri approbatione concilii statuimus, quod quicumque prælati ecclesiastici, vel personæ religiosæ, vel sæculares quorumcumque ordinum, conditionis seu statuum existant, palam vel oc-
D culte principem, vel sæculares potestates, vel universitates locorum, aut rectores eorum inflammaverint, vel eis consilium vel patrocinium scienter dederint, vel ecclesiarum, in quibus beneficia obtinent, absque licentia sui prælati & capituli vel conventus exhibuerint, vel tradiderint instrumenta vel alia documenta contra ipsas ecclesias, monasteria vel loca religiosa, aut jura, vel bona, vel privilegia immunitates earum vel libertatem, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto; & nihilominus beneficiis quæ habuerint in ecclesiis vel locis, quæ sic scienter & fraudulenter læserint, perpetuo sint privati. Et ut prædictorum malitiis
E obvietur, & ecclesiæ debitis servitiis non fraudentur, ac vagandi & dissolutionis materia subtrahatur, statuimus ne aliqua prædictarum ecclesiasticarum personarum, quæ in sacris ordinibus sit vel fuerit constituta, vel beneficium ecclesiasticum obtinens, vel religiosa, præsumat sequi continue vel quasi continue aliquam curiam sæcularem, sicut quæ sit de familia sua, nisi prælati, seu conventus, vel majoris partis ejusdem licentia

prius

ANNO CHRISTI 1292.

prius habita & obtenta. Si quis vero horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Episcopos vero propter prærogativam pontificalis officii ligari nolumus hac sententia superioris ultimo lata. Sed nihilominus a nobis archiepiscopo vel successoribus nostris super his petere licentiam teneantur.

XI.

(Contra indebitas pastiones & procurationes.)

In nonnullis Terraconensis provinciæ diœcesibus & ecclesiis, sic avida golositas quorumdam laicorum animas excœcavit, quod certis anni temporibus parochiani dictarum ecclesiarum abbatibus, vicariis seu rectoribus earumdem, certa prandia, bevragia, comestiones, pastus, potationes seu abadagia exigere quasi ex debito non formidant, & ipsos rectores, vicarios, seu abbates ad ea ipsis juxta abusum hujusmodi exhibenda per subtractionem & retentionem decimarum & aliorum jurium ecclesiasticorum inverecunde compellere non verentur. Aliqui ex laicis supradictis una die cujuslibet septimanæ quasi ex debito volunt comedere cum rectore, vicario, seu abbate, & ultra comestionem habere & exigere aliquam pecuniam ab eisdem: ita per totum anni circulum continue facientes, quousque omnes parochiani cum eis comederint, & certum quid habuerint ab eisdem, postque inchoant, & repetunt illud idem. Suntque alii laici ex prædictis, qui solemnibus diebus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, immediate post communionem, & receptionem Corporis Jesu Christi, quod cum humilitate & devotione recipere tenentur, & aliquibus anni temporibus, quasi ex debito exigunt improbe ab ecclesiis, abbatibus, vicariis, seu rectoribus unum certum ex abusu hujusmodi, vel etiam juxta votum, adeo quod interdum decem vel quindecim onera in potationibus expenduntur: propter quæ ingurgitationes, ebrietates & comessationes indebitæ committuntur, & multoties mortes & vulnera sunt hactenus subsecuta. Quamplurimi insuper ex laicis antedictis tempore quo decimarum ac primitiarum granaria dividuntur, non permittunt per illos ad quos dictæ decimæ & primitiæ bladi pertinent, portari libere dictum bladum suis propriis animalibus vel etiam alienis, ut pro apportaturis præfati in duplo bladi, vel in triplo quam alii portarent, necessario eis detur. Nonnulli etiam qui juxta locorum consuetudinem ad horrea ecclesiarum bladum decimarum & primitiarum deferunt, per multas vices multosque dies excogitata malitia deferunt minutatim, quas portare poterant una die, ut singulis diebus & vicibus reficiantur ab ipsis ecclesiis & ipsarum rectoribus, ac cibentur, nostra constitutione, quæ hoc prohibet, non obstante. Alii vero laici cum subsidio ex certis causis portionariis, vicariis, seu clericis ipsorum laicorum consanguineis, affinibus, seu amicis per locorum ordinarios, nuncios seu legatos sedis apostolicæ imponuntur, vel cum ipsis portionariis, vicariis, seu clericis beneficiatis in ecclesiis prælibatis per ipsos rectores, seu abbates, vel eorum loca gerentes, ex eo quod servitium non faciunt ut teneantur, vel alia causa justa, licita & honesta interdum ad tempus suorum beneficiorum fructus forsan subtrahuntur ad inquisitionem, suasionem, nuntiationem hujusmodi clericorum ecclesiæ retinent sibi decimas & alia jura ecclesiastica, & dant portionariis seu clericis memoratis, propter quod negligentia dictorum portionariorum, clericorum & aliorum circa divinum officium remanet impunita, & de alieno solvunt, quod de suo proprio solvere tenebantur, & dictis laicis nihilominus participes sunt in furto: allegantes omnes prædicti & singuli ad excusandas excusationes in peccatis, quod consuetudines observant atque usus. Nos igitur volentes ex debito nostri officii ecclesiarum indemnitatibus providere, ac maliciis, usurpationibus, & morbis hujusmodi obviare, sacro approbante concilio, prædictas consuetudines atque usus, corruptelas & abusus penitus reputantes, ac etiam judicantes, prædicta omnia & singula deinceps omnino fieri prohibemus, cum non sit dubium ea esse contra bonos mores & canonicas sanctiones, & in gravamen jurium ecclesiarum & ecclesiasticæ libertatis. Et nihilominus, quia parum proficit jura condere, nisi pœna transgressoribus imponatur, in omnes & singulos laicos qui prædicta prandia, comestiones seu pastus, potationes seu bevragia & alia prædicta, seu aliqua de eisdem exegerint cum effectu, & qui occasionibus memoratis, de eorumdem primitiis, decimis, vel aliis juribus ecclesiasticis aliquid sibi scienter retinuerint, vel per alios procuraverint, seu mandaverint, ac concesserint retineri, excommunicationis sententiam promulgamus. In locis vero, in quibus universitates in his culpabiles steterint, cessetur penitus a divinis, sub pœna excommunicationis: abbatibus, rectoribus, vicariis & aliis personis interdicentes & prohibentes expresse, quod dictis laicis, vel eorum aliqui comestiones & pastus, potationes & bevragia, vel aliquid aliud ex causis vel occasionibus supradictis non dent, nec dari faciant vel permittant, si aliquas pœnas canonicas voluerint evitare.

XII.

Quod in cessationibus a divinis servetur constitutio Alma mater.

Item, cum in quibusdam constitutionibus sacrorum conciliorum Terraconensium sit cautum, quod in certis casibus debeat cessari penitus a divinis, sacri approbatione concilii declaramus, prædictam cessationem debere fieri prout tempore generalis interdicti per constitutionem sanctissimi patris domini Bonifacii papæ VIII. quæ incipit: *Alma mater*, & per alias constitutiones statutum est.

XIII.

Anno Christi 1292. 1293.

XIII.

(De testamentorum executione.)

Periculosæ negligentiæ perversæque heredum malitiæ defunctorum, & eorumdem ultimarum voluntatum executorum occurrere cupientes, ut piæ defunctorum voluntates effectum debitum sortirentur; Nos Rodericus divina miseratione sanctæ Terraconensis ecclesiæ archiepiscopus, sacro approbante concilio, statuimus, ut tam nos & successores nostri, quam venerabiles fratres nostri episcopi provinciæ Terraconensis, & horum successores visitationis officium exercentes, & alias quandocumque nobis vel eis videbitur expedire, possimus maxime super executionibus testamentorum, & potissime circa relicta ad pias causas inquirere, & procedere ex mero & puro officio, absque libelli oblatione & litis contestatione, & absque strepitu & figura judicii simpliciter & de plano, ipsaque negotia veritate cognita decidentes, voluntates ultimas defunctorum executioni debitæ demandare, cum nihil tantum hominibus debeatur, quam ut extremæ voluntatis liber sit stilus, ut liberum, quod postea non redit, arbitrium.

XIV.

(De usuris & restitutionibus.)

Eademque possit forma servari super usura & restitutionibus faciendis. Et cum hæc fuissent jam a jure prævisa, volumus quod præsens statutum non tantum ad futura negotia, sed ad præterita & adhuc pendentia amplietur.

SPALATINUM CONCILIUM

Pro disciplina ecclesiastica in ordinandis clericis statuenda

Anno 1292. habitum.

An. 1292. An. 1293.

„ CONcilii hujus acta perierunt quidem; „ sed rerum in eo definitarum summa „ resultat ex veteri monumento quod ex Lu„ cii historia Traguriensi erutum est, simul„ que nos docet alteram synodum, anno se„ quenti 1293. ibidem habitam.

Joannes divina miseratione totius Dalmatiæ, Chroatiæ Sclavoniæque Primas, Ven. Fratre D. N. per eamdem episcopo Scardon. sal. in Domino. Testante sacro concilio anno præterito in Spaleto celebrato, ordinasse, ac firmiter præcepisse recolimus, quod nullus suffraganeorum nostrorum in præjudicium alterius clericos alterius diœcesis ad sacros ordines promovere, aut alia ecclesiastica & episcopalia sacramenta ministrare præsumat, sub pœna D. lib. sed suæ diecesis finibus sit contentus. Quod præceptum, & tam salubre statutum Ven. F. M. G.* D. G. F. episcopus in festo B. Dompnii præsentibus nostris suffraganeis & universo clero vos infregisse graviter nobis est conquestus, dicens, vos Sibinicenses clericos ad sacros ordines promovisse, ac eis chrisma contulisse, nec non baptisma parvulorum, ac alia sacramenta ecclesiastica, & episcopalia celebrasse in sui præjudicium & gravamen. Cum dicti clerici Sibenicen: & totum Sibenicum subjecti sint de jure episcopo, & episcopatui Tr. excusantes vos omnia spradicta nostro mandato & auctoritate fecisse. Hanc totam suam querimoniam nobis impingendo, & contra nos convertendo plurimum nobis, quin potius supra modum debitum extitit infestus, & molestus, tamquam graviter sauciatus, & afflictus. Et si bene recolitis cum nuper in societate Pauli Bani ad nos accessistis super eodem facto non solum a Tr. sed etiam a Spalat. gravissimas lamentationes, & terribiles conquestiones in præsentia D. potestatis Spal. & omnium nob. Spalat. non absque magno nostri cordis dolore, & multi certaminis agone opprobria etiam contra nos rigida, & dura, aspera & molesta appelacione audivimus. Super quibus omnibus graviter afflicti & perturbati ad instantiam, & preces multas omnium suffraganeorum nostrorum, qui præsentes in festo S. Dompnii extiterunt, taliter vestræ fraternitati scribimus, & per hoc præsens scriptum nostrum firmiter, & districte præcipimus, & præcipiendo mandamus, quatenus in antea, sicut gratiam B. Dompnii, & nostram caram habeatis, & si dicti concilii pœnam vultis effugere, supradicta nullatenus attemptetis, & in prædictis nullatenus excedatis, alioquin indignationem B. Dompnii, & nostram, ac supradicti concilii pœnam si contrafeceritis proculdubio incurretis.

* Gregor. Tragu. iensis. episcop.

Data Spaleti in Palatio Archiepiscopali die Martis 12. Madii infra octavas B. Dompnii Ind. sexta, ideft 1293.

COELESTINUS PAPA V.

Sedit anno 1294. eodemque desiit.

BONIFACIUS VIII.

Sedit ab anno 1294. usque ad 1303.

SALZBURGENSE CONCILIUM

Contra Usurpatorem episcopatuum Tridentini & Brixinensis

Anno 1294. *habitum.*

HAnsizius Germ. Sac. to. I. pag. 435. pauca hæc verba ex chronographo Melicensi de concilio isto transcribit. *Anno MCCXCIV. Concilium Salzburgæ habetur; ibique dux Karinthiæ Mainhardus cum omnibus fautoribus suis, auctoritate apostolica, excommunicatur pro detentione quorumdam episcopatuum, videlicet Tridentini & Brixensis.* Nec plura Hansizius de concilio; qui tamen monet ducem contumacem sequenti anno resipuisse.

SYNODUS STRIGONIENSIS

Habita sub Andrea III. Hungariæ rege & Lodomerio archiepiscopo

Anno 1294.

Affert Peterffy Con. Hung. t. I. p. 131. (a Fragm. panis corvi Protho Eremitici an. 1663. edit. p. 89. (b annus notatur in margine libri (c) Vespriemiensis (d) Nempe 1294.

ANnales Eremitarum S. Pauli, tertiæ sub Lodomerio celebratæ synodi memoriam in hæc verba refricuerunt. (*a*) *Postulans vero sui officii robur*, Stephanus nempe, jam tertium in sacri ordinis provincialem anno 1290. electus (*b*) *a diœcesano, juxta supra citatum præscriptum Pauli episcopi*, (*c*) *commissarii apostolici de præsentatione, & confirmatione, recens electi provincialis, accessit ad Lodomerium archiepiscopum Strigoniensem, tanquam ejus diœcesis inquilinus, a quo benigne acceptus, & authoritatem in fratres, & animum ad res ordinis augendas, ab eodem retulit. Anno deinde ab electione sua quarto*, (*d*) *in concilio provinciali, per eundem D. archiepiscopum, cum universo clero Strigonii celebrato, etiam P. Stephanus adfuit: ubi præter alia in favorem suæ religionis, decreta impetravit, ut monasterium S. Ladislai Kekes, a se jam in officio ædificatum, gauderet suis immunitatibus, & libertatibus, & præcisa omni intermedia vel vicaria jurisdictione, soli Metropolitano Strigoniensi subesset.*

Indiculus quidam MS. Musæi nostri, caussam sacri comitii paucis absolvit: *Anno* 1294. *Lantones Strigonienses ob enormes contumaces excessus, Lodomeriut cum episcopis communione fidelium anathemate excludit.* Ferociebant horum exemplo cives ipsi, tractis in societatem facinoris plurium ecclesiarum subditis. Incendium portendebant commune flammæ exitiales per urbes, & oppida a cervicoso hominum genere dilatæ. Pax & observantia erga Antistites in syn cne quam procurari potuit. Ad regem confugit Lodamerius. Reis dies dicta; excussa intanientis utique populi querela: Andreæ R. demum sententia dissentioni, egregio diplomate in favorem Lodomerii, regina matre potissimum collaborante, edito, historiæ deinceps etiam servituro, consultum. *Affertur hic ab authore Andreæ regis diploma, quod cum hist. huic non serviat in præsens omittitur.*

CON-

ANNO CHRISTI 1294. 1297.

CONSTITUTIO GILBERTI EPISCOPI CICESTRENSIS

ANNO CHRISTI 1294. 1297.

Quæ desideratur in MS. Henr. Spel. & in edit. Veneta Labb. ex VVilkins

Anno 1294.

An. 1294. Ex MS. Cod. Noye an. 1292.

NE subjectorum vicariorum, seu sacerdotum parochialium simplicitate vel conniventia, quæ hactenus alicubi in nostra diœcesi fieri reperimus, trunci concavi de cætero in ecclesiis parochialibus, vel capellis erigantur, per quod subtrahatur a divina reverentia sive cultu devotio popularis; dum ex vero vel ficto parochianorum odio eisdem truncis malitiose vel damnabiliter imponunt, quod Deo ministrantibus in altari devote consueverit offerri; hac sacra synodali constitutione sancimus, ne qui parochiani, rectores, vel vicarii, vel sacerdos parochialis ecclesiæ curam gerens, truncos hujusmodi, vel aliud pecuniæ receptaculum cum clausura sine nostra vel officialis nostri licentia erigant, aut consilium præstent erigentibus, aut juvamen; sed erectos removeant ab ecclesiis, in quibus fuerint, intra octo dies a tempore notificationis, vel publicationis præsentis edicti, Quod si ex contemptu, negligentia, seu quavis arte vel malitia factum non fuerit, vel omissum, ex eo tempore ipsam ecclesiam, in qua truncus hujusmodi fuerit, vel quid aliud, ut diximus, loco ejus sub interdicto manere volumus, quousque funditus evellatur & amoveatur ab ea.

AD LONDINENSE CONCILIUM

Anno 1297. *habitum*

ADNOTATIO CRITICA ET ADDITIO.

„ LOndinense concilium anni 1297. ad „ diem XXVI. Martii indictum Labbeus „ quidem recte commemorat ex Westmona- „ steriensi; non recte tamen unicum tan- „ tummodo concilium Londinense anni ejus- „ dem 1297. recenset. Duas enim cleri An- „ glicani convocationes uno eodemque illo „ in anno distinguendas esse plura docent. „ Ac primo literæ ipsæ Roberti Cantuarien- „ sis archiepiscopi duplicem coadunationem „ agnoscunt, alteram die festa S. Hilarii an- „ ni 1296. stilo veteri; novo autem 1297. ha- „ bitam; alteram vero, quam *ultimam* vo- „ cant post festum Nativitatis S. Joannis Ba- „ ptistæ *apud novum templum Londoni*. Insu- „ per secundæ hujus synodi ipsæ supersunt „ convocationis literæ ad Patres missæ, quas „ cum actis reliquis ad concilium hoc po- „ stremum pertinentibus ex WilKins huc „ transfero.

Archiepiscopi Cantuar. citatio episcoporum & cleri ad convocationem apud Novum Templum London. Ex reg. Winchelsey fol. 218. b.

Affert Wilkins t. II. pag. 226.

RObertus, permissione divina, &c. venerabili fratri domino Richardo, Dei gratia London. episcopo, salutem, &c. Articulus arduus, videlicet de magnis chartis libertatum & forestæ salubriter innovandis, & de juribus ac libertatibus ecclesiæ Anglicanæ, quæ hactenus deciderunt, & adhuc continue decidunt in abusum, recuperandis a principe, de quibus ecclesiæ atque clero magna pervenerint utilitas & tranquillitas personarum; necnon transitu & abcessu, magnam celeritatem & consilium grande desiderant; ex quorum etiam dilatione horrenda timetur communitatis ac regni turbatio, nos, & quosdam nostros coepiscopos, cum quibus inde tractavimus, & quorum consilio quoad id solidamur, excitant & violenter impellunt, ut provinciæ nostræ Cantuar. episcopos atque clerum ex hiis causis protinus convocemus; quocirca fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenus sine mora præfatos episcopos, & totum clerum per locorum diœcesanos faciatis in diœc. singulis peremptorie convocando citari; &c. ut compareant apud Novum Templum London. die sancti Laurentii martyris, una cum diebus sequentibus usque ad finalem expeditionem tractatus hujusmodi continuandis ac etiam prorogandis; quem terminum sic ex causis prænotatis arctamus, vobiscum, & cum cæteris sic vocatis, de præmissis prudenter & efficaciter tractaturi, suumque ad ea, quæ sanius providebuntur ibidem pro seipsis & aliis, quorum nomine sic mittentur, plenum & sufficientem adhibituri consensum, & unanimiter provisuri, quo ordine atque modo, quibusque locis & tempore, nec non & per quas personas sic provisa fuerint exequenda. Vos etiam præmunimus, & cæteros sic citandos præmuniri mandamus, quod absentes in citatione prædicta, nisi evidens & inevitabile impedimentum per probationes certas superesse docuerint, tanquam inobedientes & offensores notorios, graviter puniemus. Vos etiam ad hoc idem citamus, vestrosque subditos citari præcipimus, in forma superius annotata; rogetis insuper, & per nostros coepiscopos in suis diœc. vice nostra, rogari mandetis religiosos exemptos, vestræ &, suarum diœcesium, ut dictis diebus & loco compareant, tractaturi & facturi, ut supra, quod fuerit opportunum, &c. Valete semper in Christo. Dat. apud

ANNO CHRISTI 1297. apud Waleworth juxta London. 17. calend. Augusti, anno Dom. &c. ANNO CHRISTI 1297.

Responsio prælatorum & cleri Cantuar. provinciæ facta regi pro renovatione chartar. libertat. & forestæ; quod, inconsulto papa, nihil de bonis eccles. sibi poterunt conferre. Ibid. fol. 220. b.

Ibid. IL vous membre, sire, coment monstre e offert fuist nadgueres al erceveskes e partie des eveskes dunke presens, cest assavoir de Loundres, Norwys, Nicole, & Baade, par vous, ke le clerge vous feist un regard pour les chartres de communes & de la foreste, renoueler, e de adresser lestat de seinte eglise, a cel heure vis fuist al erceveskes, e as autres eveskes avantdit, ke ceo serreit bien a fere, mes il ne poerent rien granter sans les autres prelats e la clergie, donnt le erceveske fist un assemble des prelats, e du clerge ore a jour seint Lorens a Noveu Temple de Loundres, e unt cestes choses debatu communement par tous les degres du clerge, e chescun degre bailla al erceveske, en presence des eveskes, soun respouns en escrit; donnt tut lur avisement en les avauntdites choses est ke il ne purreient rien graunter des biens de seinte eglise, pour les chartres renoueler sauns conge le pape, par mons des resouns des autres adrescevieus del estat de seinte eglise, fuist avis memes cea autres tous tous, mont poy exceptes; mes il espeyrent ke par bones resonnes, ke serreyent monstrez a la pape legerement, averunt le conge; & prient, si vous plest, pour commun prou, & pees de seinte eglise, & de tut le reaume, voillet soeffrier ke il puissent hastivement enveer par commun counseil de vous, e de lour, ou tut par eus, pour les choses avauntdites.

Litera archiepiscopi & episcoporum, &c. ad comitem marescallum, & barones, de colloquio habendo. Ex reg. Winchelsey fol. 219. b.

Ibid. p. 227. ROBERTUS &c. totius Angliæ primas, D. Dunelmen. O. Lincoln. R. London. W. Elien. R. Norwicen. & W. Bathon. & Wellen. episcopi, ac W. Dublinen. electus, dilectis filiis, virisque nobilibus & discretis domino comiti marescallo, ac vestræ providæ comitivæ baronibus, salutem, gratiam, & benedictionem. Habito nuper inter cætera cum domino rege de vobis & contingentibus statum vestrum affectuoso tractatu, placuit domino regi, quod de habendo vobiscum colloquio, de quo tetigimus, quod inde nobis videretur expediens, faceremus. Zelum igitur & visceralem affectum ad vos & statum vestrum, totiusque regni, & incolarum ejusdem, ac ecclesiæ Anglicanæ, ad quorum profectum, ut credimus, laboratis securitatem & pacem, ac commodum & honorem habentes, & præcipue ut, exclusis periculis, quæ ex vestra discordia contingerent, singula inter dominum regem & vos, ad bonam & efficacem concordiam, dante altissimo, cujus ad id speramus præsidium, pro nostris viribus deducamus; concordi consideratione consulimus & rogamus, quatenus modis omnibus sine mora apud Waltham, seu Berkyng. aut Stratford. seu alium locum juxta London. quem reputatis idoneum, redeuntes, nobis diem & locum, quibus ad vos possimus accedere, & vobiscum super hiis cum effectu tractare, per latorem præsentium intimetis. Valete semper in gaudio & honore. Et nos dictus archiepiscopus ad prædictorum episcoporum & electi rogatum sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum apud Westmon. 14. calend. Augusti, anno Dom. MCCXCVII.

Eisdem, de mutuo colloquio habendo. Ibid.

Ibid. ROBERTUS, permissione divina, &c. R. London. O. Lincoln. R. Norwicen. W. Elien. W. Bathon. & Wellen. J. Landaven. episcopi, & W. Dublinen. electus, dilectis filiis, ac viris nobilibus & discretis dominis R. marescallo, H. Hereforden. comitibus ac baronibus de vestra nobili comitiva, salutem, &c. Intimato domino regi hac die Lunæ per nos vestro responso literatorie destinato, satis eum judicio nostro placabilem vidimus & benignum, & in fine consentientem, ut ita vobiscum de negotio inchoato tractemus, quod idem negotium citra instantem diem dominicum, vel ipso die dominico decidatur; ultra quem diem, nisi negotium ipsum finem tunc habeat, quilibet faciat suum melius, & suo judicio relinquatur. Dominus vero rex, coram nobis omnibus veraciter & constanter, ut nobis videbatur, promiserat, quod nihil mali aut periculi interim vobis aut vestris, de quocunque facto a die, quo vobis prius scripsimus usque modo, vel inposterum usque dictum diem dominicum, auctoritate regia, quocunque modo proviso, seu etiam providendo eveniet, etiamsi vos ipsi in ejusdem regis præsentia insteretis. Et quia dominus rex hac die Mercurii se removere proponit, ad negotium taliter expediendum tempus ultra dictum diem dominicum non habemus; multum expedit, ut vos de præmissis, & quid de eis intenditis facere, tanquam viri providi & discreti, cum omni celeritate tractantes, nobis tam cito vestrum intimetis propositum, ut infra terminum prænotatum id possimus domino regi referre, & de his expeditionem idoneam procurare. In vestro quoque tractatu prudenter advertite, quanta pericula ex præsenti discordia, si duraret, toti regno a suis ministris circumdato, vobisque & vestris per consequens evenirent. Nos quoque archiepiscopus antedictus ad dictorum episcoporum & electi rogatum, absente Dunelm. episcopo, qui prius vobis no-

nobiscum scripserat, sigillum nostrum privatum præsentibus duximus apponendum. Valete semper in Christo cum gaudio & honore. Datum apud Westmon. xi. calend. Augusti, anno, &c.

Archiepiscopi Cantuar. literæ denunciationis fratribus prædicatoribus & aliis missæ, super compescendis confratribus a quibusdam excessibus.
Ex reg. Winchelsey fol. 221. b.

Ib. p. 228.

ROBERTUS, permissione divina, &c. probatissimæ religionis viro, priori provinciali fratrum prædicatorum in Anglia, seu ejus locum tenenti, salutem, benedictionem, & gratiam salvatoris. Sicut stella de sui natura præclarior per suppositam sibi nebulam sæpius obfuscatur, sic & forma nobilior ex modico passa praviori frequentius B subjacet læsioni; & ratione consimili vestræ religionis famam celebrem & præclaram sæpius maculari continget, nisi præsidentis industria nocivis actibus in eadem cautius studeat obviare. In congregatione siquidem coepiscoporum & prælatorum, totiusque cleri nostræ Cantuar. provinciæ, nuper celebrata London. inter graves & arduos de statu ecclesiæ Anglicanæ tractatus, a multis extitit graviter conquerendo monstratum, quod fratres vestri ordinis, ac etiam similium ordinum, quibus de hoc similiter scribimus, & communi condicto statuta papalia, quorum in dubiis non ad alium quam ad statuentem interpretatio pertinet, in ambiguis inter- C pretari præsumunt, & tam a summo pontifice ex suorum statutorum effectu majori excommunicatione ligatos, quorum sibiipsi duntaxat absolutionem reservat, quam etiam episcoporum ac cæterorum prælatorum sententiis jure ordinario involutos, a quibus nonnisi per prælatos eosdem, vel superiores eorum ordinariam jurisdictionem, aut principaliter vel accessorie super hoc delegatam habentes, possunt de permissione juris absolvi; necnon sententia simili pro offensa sæpius manifesta ligatos, de offensis eisdem, ut convenit, minime satisfacto, frequenter a sententiis ipsis contra juris permissionem absolvunt, & in delictis majori- D bus quorum ad majores prælatos dispensatio ac relaxatio reservatur, a jure de facto dispensantes, absolvunt illicite taliter delinquentes; necnon ad alia præjudicativa prælatis quoad regimen animarum, quod eis a jure committitur, suisque periculosa subjectis, in foro pœnitentiali, ultra quam decet, licet, aut expedit, dicti fratres suam dicuntur extendere potestatem; per quod & prælati vultus suorum pecorum ab eis per devium & contemptum aversos agnoscere nequeunt; ipsorumque prælatorum subditi tam periculose vagantes, quoad congruam disciplinam ecclesiæ remanent incorrecti: unde quantum exinde papalis auctoritas contra obedientiæ debitum, & episcoporum, ac cæterorum prælatorum jus ordinarium eis ab ecclesiæ constitutione quæsitum, quantumque jus ecclesiæ quoad offensas, ut convenit, non correctas contra disciplinam ecclesiasticam offenduntur, quantum etiam animarum periculum & scandalum in clero & populo imminet, & oriri poterit de præmissis, prudenter advertite; & servatis vestræ potentiæ finibus, ne fratres vestri similia in futurum committant, vigilanti studio præcavete; scientes quod qui terminos suos frequenter excesserint, a non suis terminis sæpius excidentur. Finali quoque consideratione pensate, quod vestræ religionis, fratrumque vestrorum quieta tranquillitas, aut, quod Deus avertat, totaliter inquieta tempestas causari poterit ex charitativa concordia, vel, quod absit, adversa discordia cum prælatis. Hæc vobis ac cæteris fratribus, de consimilibus ordinibus, scribimus, tam a nostris coepiscopis, quam etiam a communitate prælatorum & cleri specialiter super hoc requisiti. Quid autem super hiis consilio deliberato feceritis, nobis ad nostram & dictorum prælatorum ac cleri, vestrumque solatium & quietem, quam citius opportune poteritis, plenius intimetis. Valete semper in Christo ad suæ ecclesiæ commodum & honorem. Dat. apud Mortelake undecimo calend. Septembris, anno Domini, &c. consecrationis nostræ tertio.

CON-

CONSTANTINOPOLITANUM CONCILIUM

In cauſa anathematiſmorum quos Athanaſius patriarcha dignitate ceſſurus commiſſos forulo cuidam abdiderat.

Anno 1297. *habitum.*

An. 1297. GRegorio Cyprio Conſtantinopolitano patriarchatu ſecedere juſſo, Athanaſius monachus e monte Gana ſuffectus eſt, qui epiſcopatum more tyrannico adminiſtrans brevi ſe omnibus exoſum reddidit. Quare concitatis in ſe odiis cleri prius, dein epiſcoporum in eas anguſtias redactum ſe vidit, quibus prementibus cogeretur dignitatem obtentam reſignare manibus Imperatoris, & priſtinam cellam repetere. Dum vero ejus coactionis tædio, mœrore, & indignatione animum haberet perturbatum, exacerbatumque, diras imprecationes & anathematiſmos in imperatorem geminis chartis mandavit, eaſdemque ita demum ſcriptas totidem teſtaceis vaſis commiſſas in foramine quodam parietum magni templi occuluit. Res, mortales omnes fugit quadriennio; ſed tandem caſu a puero repertis vaſis ac recluſis occulta folia patuerunt. Mox ad patriarcham Coſmam delata, & ab eo cum imperatore communicata occaſionem ſynodi indicendæ præbuit, cum anxius imperator rationem quæreret, qua ſe ab ea religione expediret. Hæc Pachymerus lib. 3. cap. XXIV.

Non una fuit in re propoſita patrum ſententia; alii deliri ſenis cenſuras flocci haberi, quin & in jus vocari authorem audaciæ tantæ pœnas laturum conſulebant. Malebant alii conveniri Athanaſium, ut qui tulerat cenſuras ipſe tolleret. Repugnabant poſtremis hiſce quidam, rati hac cenſurarum ablatione a privato facta, non remitti data a patriarcha anathemata. In hoc ſententiarum diſſidio imperator conveniendum Athanaſium cenſuit, ut quæ fuerit viro mens ab ipſo proderetur. Itum eſt ergo ad Athanaſium, qui a ſe latas cenſuras illas ultro agnovit, deinſcripto exhibitoque libello faſſus eſt illa ſe dira in tumultu concitatæ mentis pronunciaſſe; dein vero ſedatis tumultuantis animi paſſionibus, cum voces ſuadentis rationis auſcultare potuiſſet, retractaſſe ſe ex animo pacato quæ imprudens dictaverat. Non niſi vero ex oblivione accidiſſe, ut quæ olim furore inſaniens in occulto forulo abdiderat; ibi relinqueretur. Hæc ſenis confeſſio agitatam religione imperatoris mentem ſedavit; atque ita e concilio anno 1297. coacto diſceſſum eſt.

CONSTANTINOPOLITANUM CONCILIUM

In quo actum de jure nuptiarum, quas pupillus invito tutore eodemque imperatore conciliavit,

Anno 1299. *habitum.*

An. 1299. „ ANdronicus ſenior Græc. imp. promereri ſibi optans Chumnum præfectum Caniclei, filiam ejus ducendam propoſuit Alexio Lazorum principi ſororis ſuæ filio, quem pater moriens imperatoris (utpote avunculi) tutelæ commendaverat. Omnium voluntates erant in id fœdus paratiſſimæ, imperatoris, matris atque imprimis matris utriuſque ſponſi; unus obſiſtebat juvenis princeps, qui ne cogeretur ingratas ſibi nuptias celebrare, clam ad ſe ducendam curavit unius e primoribus Iberorum filiam, quam feſtinato conjugem ſibi adjunxit. Offenſus ea de re imperator, nullum non movit lapidem ut nuptias illas diſſociaret, prætendens, quod invito tutore, eodemque imperatore initum erat, conjugium tanquam non recte factum diſſolvi oportere. Res ad conſultationem patriarchæ & ſynodi ex epiſcopis lateri patriarchæ adſiſtentibus compoſitæ deducta eſt, de qua ſynodo hæc narrat Pachymerus lib. IV. cap. VIII.

Miſſis ad patriarcham & quæ circum ipſum erat ſynodum certis hominibus, qui exponerent quantum ſibi juris daret in eum juvenem, primum imperatoria dignitas, deinde conſanguinitas intima, & quædam auctoritas paterna, qualem tutori leges in pupillum tribuunt, ut iis, prout par erat, conſideratis ſtatuerent caſſum, & invalidum id matrimonium eſſe, quippe temere attentatum ab homine non ſuæ ad hoc poteſtatis, citra ſuum aſſenſum, a quo penderet. Hiſce ultro citroque ventilatis, & negotio ſynodice tractato, quidam epiſcoporum hærentes, ut putabant, veræ legum ſententiæ, poſtulatis imperatoris uti æquis annuendum cenſebant. At patriarcha & plures cum ipſo in contrarium obfirmati ſtabant, eo maxime moti, quod jam iſta ex Iberis puella uterum ex Alexio ferre dicebatur.

Spe igitur inde omni dejectus imperator, cum nec eccleſiæ conſilium expediret declarandi matrimonium hoc irritum, certantibus de validitate ejus ſententiis patrum, & rem in ambiguo relinquentibus; ſpem dedit puellæ his nuptiis fraudatæ, ſe illam connubio juncturum filio proprio Joanni Deſpotæ &c.

SY-

ANNO CHRISTI 1300. 1302.

SYNODUS PROVINCIALIS CANTUARIENSIS

Pro admissione Fratrum Minorum & Prædicatorum ad confessiones audiendas,

Anno 1300. habita.

Extat ap. Wilk. Conc. Brit. t. II. p. 257. ex lib. memoran. Jo: Dalberby episc. Lincoln. fol. 9.

IDibus junii anno Dom. MCCC. in capitulo ecclesiæ Christi Cantuar. præsentibus dominis, Roberto, Dei gratia, Cantuar. archiepiscopo, totius Angliæ primate, ac dominis Sarum, & Roffen. & Lincoln. (qui die præcedente in dicta ecclesia fuerat consecratus) episcopis & procuratoribus aliorum episcoporum provinciæ Cantuar. qui pro consecratione hujusmodi illuc venerant, consensum extitit concorditer inter eos; quod statutum de novo editum super admissione Fratrum Prædicatorum, Minorum ad prædicationes faciendas, & confessiones audiendas, quod in Quadragesima proxima præterita, fuerat publicatum, prout magister Reginaldus de Sancto Albano, tunc præsens, qui hujusmodi publicationi interfuerat, sicut dixit, testimonium perhibebat, & alias acceptum fuerat a particularibus, qui de Romana curia venerant, in omnibus suis articulis servaretur, & præcipue quod Fratres non admitterentur per prælatos ad confessiones audiendas, nisi personaliter venientes ad eos, & in eorum dioecesi commorantes; & quod examinatio eorum, an essent idonei, ad prælatos pertineret. Consensum etiam extitit similiter, quod ad clausuram monialium procederetur, prout dictus dominus archiepiscopus asseruit se fecisse; præcipue quia dictum fuit, quod quidam erant in veniendo de curia Romana ad explorandum, qualiter statutum de clausura prædicta, & alia per papam modernum edita, fuerint observata.

Mandatum archiepiscopi Cantuar. de admissione Fratrum Minorum ad audiendas confessiones.

Ex reg. VVincchelsey. fol. 278. C.

Robertus, &c. magistro Martino, commissario Cantuar. salutem. Quia fratribus Minoribus inferius nominatis, & vobis, post licentiam & gratiam nostram a provinciali ministro ipsius ordinis ad subscripta petitam & obtentam, juxta constitutionem novellam domini papæ, ad id specialiter præsentatis, vid. fratribus Radulpho de Wodeheye Johanni, de Kenelden, Johanni de Bedewynde, Willelmo de Dele, Rogero Malemeyns, & Tomæ de Malmesbur, licentiam in forma constitutionis ejusdem nuper dedimus specialem, ut confessiones quorumcumque utriusque sexus nostræ Cantuar. dioec. eisdem Fratribus, vel eorum alicui sua peccata confiteri volentium, audiant, & eis imponant poenitentias salutares, ac beneficium absolutionis impendant, donec aliud super hoc duxerimus ordinare; tibi comittimus & mandamus, quatenus in dicta forma publicas, seu publicari facias locis & temporibus opportunis, & nos inde certifices, cum super hoc fueris legitime requisitus. Dat. apud Charth. 9. Cal. julii, anno dom. MCCC. consecat. nostræ VI.

CONCILIUM REMENSE

Anno 1302. celebratum.

Epistola ad Bonifacium papam VIII. adversus Capitula Ecclesiarum Cathedralium.

Affert Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 298.
(a) Robertus
(b) Guido
(c) Simon

SAnctissimo patri, & Domino suo ac refugio singulari Domino B. divina providentia sacrosanctæ Romanæ, ac universalis ecclesiæ summo Pontifici sui humiles, & devoti, Dei, & sui gratia, R. (*a*) Remensis Archiepiscopus G. (*b*) Suessionensis, S. (*c*) Belvacensis &c. Episcopi, se & Ecclesias suas ad devotissima pedum obscula beatorum, & Petri naviculam feliciter gubernare.

Speculator, qui adstat desuper, cuncta per mundum prospiciens, & disponens, idemque pastor piissimus; qui ad oves, quæ perierant, se missum profitetur, ipsis sua divina potentia de luporum infernalium faucibus vi ereptis; ceteris insuper, quæ percusso pastore eodem dispersæ erant, sua simul humana prudentia recollectis, ac in unius adductis ovilis Dominici unitatem, cum, unde descenderat, vellet ascendere, gregem suum pro cujus vita mortem subierat, absque custodia deserere noluit; sed eidem loco sui speculatorem; & pastorem constituit, non delegatum, sed verum vicarium generalem, cui licet homini, suam eamdem, quam habebat, contulit potestatem. Verum quia in hoc humani different oculi a Divinis, quod illis sunt omnia velut præsentia, notoria, & aperta: istis vero possunt faciliter, maxime de his, quæ in remotis mundi partibus aguntur, quotidie plurima occultari. Ea propter divina ipsa sapientia, non sine mysterio, ordinavit hujusmodi vicarii sui spiritum in plurium coadjutorum spiritus propagari, quatenus singuli, in ea, in qua positi sunt, sollicitudinis specula, speculatoris & pastoris officium exercentes sub eodem ad ipsius exonerationem quod per se possunt peragant, & viriliter exequantur; cetera referant ad ipsum, penes quem potestatis esse noscitur plenitudo, ut eidem in terris cunctipotens, quæ

ANNO CHRISTI 1303.

quæ non poterunt ipsa lima suæ correctionis emendet, & si forte ex vera eorum relatione perspexerit in ovili Dominico effracturam seu foramen, illud sera suæ justitiæ resarciat & reformet; quod in propagatione spiritus Mosaici propensius edocetur. Hinc est, pater sanctissime, quem Deus ipse vicarium suum in terris; & tamquam oculatissimum in sanctæ matris ecclesiæ specula speculatorem constituit & pastorem, nec hoc immerito, quo siquidem judicio omnium non poterat alius oculatior inveniri. Nos qui sumus vestri devoti servuli contagiosum morbum, qui apud nos in ovili vestro quotidie invalescit, cui per nos non possumus obviare, beatitudini vestræ, ex qua medelam firmiter speramus, tenore præsentium indicamus. Capitula namque ecclesiarum cathedralium, etsi quasi per totum regnum, potissime tamen in ea in qua sumus vestra Remensi provincia, suis juribus non contentis, sed aliena usurpare multipliciter satagentes, privilegiis Romanorum pontificum temere abutentes, concessas sibi contra malefactores suos, ad debitores indistincte, & quandoque ad proprii personam, de quibus nulla fit in eis mentio, injuriose extendendo, multa enormia sæpissime committentes correctione digna, in vesanam Luciferi quodammodo superbiam se extollunt, & se pares in hoc opinantur Altissimo, qui prius quam ascenderet ad patrem noluit se a peccatrice tangi, quod & ipsi propter peccata sua se a quoquam, nedum in se, sed nec in suis familiaribus clericis seu cappellanis tangi minime patiuntur; sed se gerunt omnino pro exemtis ab omni humana potestate, humana dicimus, ut vestram, quæ immediate a Deo est, & quam saltem effugere per Dei gratiam non poterunt, excludamus. Sed, & ecce, pater sanctissime, quomodo tanta eorum arrogantia, non solum in nostram, quin etiam in Dei, gloriosæ Virginis, & sanctorum injuriam & præjudicium, sed & in populorum scandalum convertatur; statim cum nostrum aliquis contra quemquam ex eis propter suos defectus aut excessus manifestos ad finem correctionis paternæ, intendit procedere vel attentare, ipsi ad articulos prosiliunt, quos vere libellos famosos possumus nominare, in quibus vitam & famam prælati proprii lacerant dentibus venenosis, omnino falsa & incogitata enormia contra eum convenientes; & nisi satisfaciat eis ad votum, comminantur cessationem a divinis, & deinde ad ejus criminationem facillime inclinantur. Sic eorum remanent scelera impunita, sic datur occasio delinquendi, nedum ipsis, sed ceteris exemplum sumentibus ab eisdem; sic nascuntur rancores & odia, detractiones pullulant, sic deturpatur & vilipenditur status ecclesiasticæ dignitatis, & breviter, sicut melius nobis scitis, pater sanctissime, præmissa sunt ad omnia malorum & scandalorum genera porta patens. Throno igitur vestræ piissimæ sanctitatis supplicamus unanimiter & devote, ad pedes vestros beatos flexis genibus humiliter provoluti, quatenus in præmissis de opportuno dignemini paterno remedio providere: ita quod vobis cedat ad gloriam, ac universali ecclesiæ sponsæ vestræ pacem perpetuam & saluberrimum incrementum. Valeat & vigeat in Domino Jesu Christo vestræ sanctitatis paternitas, quam conservet suæ sanctæ ecclesiæ ad diuturna. Datum anno MCCCII. die Dominica post festum B. Michaelis archangeli.

CONCILII REMENSIS PROVINCIÆ

Anno Domini MCCCIII.

Sancta die Veneris ante Circumcisionem, Statutum.

Extat ap. Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 1324.

In primis igitur statuimus & decrevimus auctoritate concilii ne quævis sæculares & religiosæ, exemtæ & non exemtæ personæ excommunicatos & interdictos nominatim publice ad divina, neve corpora defunctorum talium ad ecclesiasticam sepulturam admittant; alioquin talibus ab ipsis canonibus est ingressus ecclesiæ interdictus. Ut tam salubria statuta publicentur frequenter adjicientes, auctoritate præsentis concilii, quod omnes & singuli cujuscumque status dignitatis, professionis aut conditionis existant, qui talibus divinis celebrandis, & sepulturis faciendis interesse præsumserint, vel qui opem in his auxiliumve præstiterint & favorem, post mensem a tempore publicationis præsentis in singulis dioecesibus Remensis provinciæ faciendæ, exommunicationi subjaceant ipso facto: simili sententia percellentes omnes & singulos, qui matrimonia clandestina fecerint, seu contraxerint, aut procuraverint fieri, seu ipsi præsumserint interesse.

Quia nonnulli servientes temporalium dominorum & justitiæ laicalis, asserentes pro suo libito, clericos tam non uxoratos quam uxoratos, qui tamen cum unica & virgine contraxerint, esse publicos mercatores, tallias & collectas imponunt eisdem, & extorquent ab invitis, quamquam clericaliter vivant, nullis se mercimoniis implicantes, ac moniti auctoritate ordinariorum locorum ut desistant, recusant parere, quamquam offeratur eisdem, ut facta fide coram ipsis ordinariis, quod dicti clerici non sint tales manifesti mercatores, tallias & collectas hujusmodi permittant levare, ipsi tamen judicis & partis officio fungentes cognitionem super hoc sibi vindicant & assumunt. Et quia de his, ut asserunt, sibi constat, bona dictorum clericorum mobilia capiunt, vendunt, & detrahunt in magnum præjudicium & gravamen ipsorum. Pro modo etiam omnium facultatum ipsorum clericorum, licet in minimo solum eos asserant mercatores, tallias & collectas imponunt & extorquent ab eis: Nos vero attendentes præmissa fieri contra libertates & consuetudines ecclesiasticas novas, notorias & antiquas, talia amodo fieri

ANNO CHRISTI 1301.

ri prohibemus; alioquin post mensem a tempore publicationis prædictæ omnes illos & singulos qui talia amodo fieri procurant, mandare, aut facta suo nomine rata habere, auxilium, consilium, opem vel favorem clam, vel palam præstare præsumserint, auctoritate prædicti concilii, monitione tamen competenti præmissa, excommunicamus in his scriptis.

Item, quia non caret nota hæreticæ pravitatis in contemtum potestatis & clavium sanctæ matris ecclesiæ, excommunicationis sententiam quamvis catholicam in se sustinere, præsertim per annum & amplius: volens cancro huic vulneroso, ne sui contagione corrumpat alios, & pernicioso seducat exemplo, ignitum quod superest iniicere ferrum; statuimus auctoritate præsentis concilii, ut tales qui taliter excommunicationem in se latam sustinuerint, careant ecclesiastica sepultura, nisi saltem in extremis se pœnituerit, & ad condignam satisfactionem venerint & emendam.

Item, cum excommunicati per biennium & amplius ad præsens concilium sint vocati, peremptorie & personaliter responsuri, super tanto excessu, qui notam seu speciem hæresis non evadit; qui non venerint, nec apparuerint per idoneos responsales, ipsos omnes, & singulos reputamus contumaces, purgationem eis omnibus & singulis, quos sic suspectos habemus de hæresi, indicentes canonicam; ad quam præstandam, secundum juris formam, ipsos & singulos eorum suis singulis diœcesanis termino super hoc competenti præfigendo eisdem ab ordinariis supradictis, decernimus teneri.

Diligenti deliberatione habita, honestate considerata, & ut superfluitatibus abstineatur, statuimus ut omnes & singulæ personæ ecclesiasticæ Remensis provinciæ in singulis conviviis sint contentæ potagio & duobus ferculis sine fraude, nisi magnitudo personarum supervenientium aliud requirat; & tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo; ita quod si in conviviis hujusmodi, reges, duces, comites, barones & alios excellentes contigerit interesse præsenti statuto, minime sint astricti. Si quis vero contra præmissa vel aliquod præmissorum attentaverit vel attentare præsumserit, pœna puniatur condigna. Quæ omnia redigi fecimus in scripturis, & in ipso concilio solemniter promulgari præcipientes districtius & mandantes auctoritate dicti concilii universis & singulis personis provinciæ Remensis, quatenus quæ taliter pro defensione libertatis ecclesiasticæ, & ipsarum ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, prout superius continentur, servent, & teneant illibata.

Annectuntur his apud Martene constitutiones aliæ, quæ cum titulo sua careant, eidem prorsus concilio tribuendæ viderentur, cui & superiores huc usque recitatæ. Si quis tamen eas legerit attente, agnoscet profecto fragmentum esse constitutionum in synodo quadam Cameracensi conditarum. Quare omittendas illas censeo, eo plane consilio, quo & reliquas diœcesanas synodos post sæculum XIII. celebratas, ab hac collectione mea ablegavi.

ADMONITIO COLLECTORIS

In Synodum sequentem.

NEscio quo casu acciderit, ut dum in oculos meos incurrit Remense concilium anni 1303, fugerit aliud anni 1301. apud unum eundemque scriptorem sub uno eodemque conspectu exhibitum. Accidisse tamen constat. Ne vero lectoribus id fraudi sit: ommissum hic damus paulo extra suum locum.

REMENSE CONCILIUM PROVINCIALE

Anno 1301.

Secundo die Mercurii ante Clementem habitum.

An. 1301. Affert Mart. Vet. Mon. t. VII. pag. 1324.

IN primis igitur statuimus & decernimus auctoritate concilii, quod si in aliqua civitate vel in aliquo loco nostræ Remensis provinciæ contingat, quemquam clericum detineri per laicalem justitiam, per quam dictus clericus fuerit ab episcopo loci illius, vel officiali, vel decano rurali, seu ex parte alicujus eorum legitime requisitus, cessetur a divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

Item, si clericus per justitiam laicalem capiatur in aliqua diœcesi, & extrahatur ab ea, & ad aliam ducatur; cessetur similiter a divinis, & in loco ubi fuerat captus, & in loco ipsius capientis, per quem fuit deductus, quousque ad dictam diœcesim fuerit reductus & sufficienter restitutus.

Item, cum per justitiam laicalem non debeant puniri excessus clericorum, nec ab ea levari emenda de eisdem, cum hæc ad solos judices ecclesiasticos, non sæculares, pertinere noscantur; monemus auctoritate prædicta omnes & singulos nostræ provinciæ, ne pro dictis, seu occasione eorumdem levent aliquid, vel recipiant, vel exigant quoquo modo: alioquin contrafacientes excommunicationis sententia auctoritate prædicta innodamus.

Item, cum nonnulli scabini, rectores, gubernatores, judicatores communitatum, locorum, seu territoriorum nostræ Remensis provinciæ, prout intelleximus, conspirationem aut conjurationem facere nitantur, quod si aliquis de sua communitate, vel de suis subditis, seu de suo territorio, conveniatur in foro ecclesiastico, aut contra eum procedatur in casu, in quo potest de jure seu

ANNO CHRISTI 1303.

seu de consuetudine ibidem conveniri, quod cum ad sumtus communes defendant, propter quod jurisdictionem ecclesiasticam non est dubium impediri; monemus omnes & singulos jam dictæ provinciæ, quod si talia fecerint, revocent ea infra mensem, & quod de cetero a talibus abstineant, nec talia committant, & talibus non utantur, alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

Item, cum nonnulli temporales domini suis inhibeant subditis, ne quis eorum alium trahat in foro ecclesiastico, in casu a jure seu consuetudine permisso, quin immo contra sic facientem & contrahentem procedunt frequenter ad captionem personæ trahentis & bonorum ejusdem amicorum trahentis, ac bonorum ipsorum; nos ne talia faciant prohibentes, contra facientes excommunicationis vinculo innodamus, & denunciamus a canone excommunicatos.

Item, cum nonnulli abbates hujusmodi provinciæ inter se ordinaverint, & conspirationem fecerint, quod si contingat aliquem episcopum contra abbatem aliquem velle procedere sibi subditum, vel alias puniendum, quod ad defensionem ejusdem contribuent, & ad sumtus communes omnium defendentur, quod non est dubium fore in præjudicium jurisdictionis sui episcopi, & contra juramentum suæ professionis, per quam suo episcopo est astrictus, & contra ecclesiasticam libertatem; monemus tales, quod hæc revocent infra mensem, & a talibus se abstineant; alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

Item, quod si excommunicati publica sententia excommunicationis, per biennium & amplius animo sustinuerint indurato, vocentur ad proximum concilium tamquam suspecti de hæresi, & in eodem concilio contra tales, ut justum fuerit, procedatur; quæ omnia redigi fecimus in scriptis, & in ipso concilio solemniter promulgari. Præcipientes districtius & mandantes auctoritate prædicti concilii, universis & singulis provinciæ Remensis, quatenus quæ taliter pro defensione libertatis ecclesiasticæ & ipsarum ecclesiarum statu pacifico duximus ordinanda, prout superius continetur, servent & teneant illibata.

AD CONVENTUM PARISIENSEM

Pro dissidiis inter Philippum Pulchrum Galliarum regem & Bonifacium papam VIII.

Celebratum anno 1303.

ADDITIO.

An. 1303. P*Ræter causam dissidiorum inter regem & pontificem magna animorum contentione in conventu isto agitatam, de qua Labbeus, addita sunt pariter a Philippo rege statuta plura in commodum ecclesiæ, quæ ex regesto Cameræ computorum suis tamen verbis descripsit P. de Bois in histor. posthuma Eccl. Paris. tom. II. pag. 529. Ex quo hic dantur.*

Primum statuit, ut libertates & immunitates ecclesiarum, monasteriorum, & personarum ecclesiasticarum serventur, & custodiantur, sicut temporibus beati Ludovici; prohibetque eas a quoquam lædi, aut violari, aut quidquam de jurisdictione earum, quam de jure aut approbata consuetudine obtinent, detrahi. II. Item vetat; ne quis nomine regis manus iniiciat in bona alicujus prælati, aut ecclesiasticæ personæ, nisi juxta emendam, pro qua jussum fuerit ea retineri. III. Item vult, ut clerici divinis officiis & precationibus vacent, eorum causas & negotia in regia curia celeriter & sine mora pertractari, prout tamen negotiorum momenta exigent; quorum si haud ita prompta discussio sit, jubet eis dies certos assignari, ut causæ, quam citius poterit, finiantur. IV. Item feoda eorum & retrofeoda rex pollicetur haud se in posterum requisiturum, nisi eorum consensu, aut ad ejus regnum pertineant; neque recepturum se novas advocationes vassallorum vel hominum ecclesiarum; immo eas rescissas esse, quæ in loci consuetudine præscriptione temporum non acquisitæ fuerint. V. Item quo ad regalias, quas prædecessores reges in ecclesiis aliquibus regni possidebant, quoties ecclesiam vacare pontifice contigisset, quoniam complures querebantur multa tempore custodiæ perperam fieri, amputari silvas, & piscationes stagnorum & vivariorum ante tempus fieri, & multa alia perpetrari in detrimentum ecclesiarum; rex inhibet, ne in posterum, dum redditus ecclesiarum ratione vacationis in custodia regia sunt, ante debitum sectionis tempus amputentur nemora, neque excidantur arbores, quæ ad decorem & amoenitatem ædium rusticanarum consitæ sunt, neque vivaria aut stagna exhauriantur piscibus, nisi forte legitimum piscationis tempus advenerit. Quæ omnia ex æquo rex servari præcipit; daturumque operam pollicetur, ut in posterum fidi probatique rei ecclesiasticæ dispensatores adhibeantur. Addit insuper a se decerni, ut custodes regaliarum, qui damnum rei ecclesiasticæ per speciem custodiæ intulerint, ad restituenda damna cogantur, & in eos ex jure animadvertatur. Hæc aliaque ad civilem administrationem rex Philippus præcipiebat in basilica beatæ Mariæ ex consilio episcoporum, procerum, & aliorum, ex quibus maxime publica regni comitia constabant. *Actum Parisiis die luna post mediam quadragesimam, anno millesimo trecentesimo secundo;* stilo nostro 1303.

BE-

ANNO CHRISTI 1303. 3105.

ANNO CHRISTI 1303. 1305.

BENEDICTUS PAPA XI.

Sedit ab anno 1303. usque ad 1304.

CLEMENS PAPA V.

Sedit ab anno 1305. usque ad 1314.

AD MERTONENSE IN ANGLIA CONCILIUM

In quo constitutiones provinciales D. Roberti de VVichelsey Cantuariensis archiepiscopi editæ sunt,

Anno 1305. habitum

ADDITAMENTA.

An. 1305. " SPelmannus & ex illo Labbeus concilium hoc in Mertonensi prioratu comitatus Surriæ habitum ad annum 1300. produxit. Integrius est apud Wilkins ad annum 1305. quo reipsa synodus convenit; ex eo additiones hic ex me, ut haberent, eruditi expectabant."

Habeant igitur § *in primis &c.* ad illa verba *sive in magnis sive in parvis* additur *sive in chiminis* (alias in communibus viis) *exigantur, & prout decet & expedit ecclesiæ persolvant.* §. *Statuimus quod decimæ &c,* post illa verba *loci persolverit*, additur. De ista C materia tangitur. *Extra de officio ord. c. cum ab ecclesiarum;* & quod hic dicitur, dicit canon. XVII. q. VII. *Omnes*. Et hoc verum est, quod prælati inferiores auctoritate propria possunt excommunicare, nisi consuetudo sit in contrarium, vel nisi inhibeatur per superiorem, & hoc manifeste, ut c. XVI. q. VIII. *Omnes*. Hoc melius notatur per Jo. II. q. I. *Nemo episcopus*. Et *Extra. de celebratione missarum*. c. I. vers. *exercere pertineat &c.* per W. in Clement. Et quia tangitur supra de decimis personalibus dic secundum Host. quod decimæ personales non debent integre solvi. Hoc tenet Host. *de transact.* c. *Statuimus vero ecclesiasticum de decimis:* c. *in aliquibus* per eumdem XVI. q. VII. c. *Item quicunque*; vers. *pridie per archidiaconum*, ibi & dicas, aliis omissis. Contrarium tenet Innoc. de parochiis c. I. in fine, *Vel erit* super rubrica *de decimis*. Dicit tamen Jo. Inno. de reg. jur. c. *qui prior*, in quarta parte quæstionis vers. *Innocent.* quod ratio Innocent. est media. D

In §. *Quoniam &c.* post illud *casei & lactis*; additum est: *si vero post totum illud tempus cubant in una parochia & pascuntur in alia, continue inter ecclesias decima dividatur.*

De vaccis & capris decima proveniens, ubi cubant & pascuntur, ibidem solvatur; E alioquin, si cubant in una parochia, & pascuntur in alia, decima inter rectores dividatur omnino. Et habita ratione ad domestica nutrimenta, duximus statuendum, ut agni, vituli, & alii foetus decimales, ubi edunt & nutriuntur, decimentur. Agni vero, vituli, & pulli equini, & alii foetus decimales, habita ratione ad diversa, ubi edunt & nutriuntur, & ad moram, quam traxerint in eisdem, particulariter decimentur.

Item præcipimus, quod si post festum S. Martini oves occiderint, vel si oves quovis casu fortuito moriantur, decimam inde legitimam parochiali ecclesiæ solvere non postponant. Quod si oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur, decima lanæ ibidem tradetur rectori ecclesiæ, pro se fideliter conservanda, nisi sufficienter docere possit pro decima facta alibi solutionem ibidem faciendam, modo legitimo valeat impedire. Quid vero pro decima dari debeat, ubi lac propter parvitatem vaccarum vel ovium ad caseum faciendum non sufficit, & pro agnis & pullis equinis, velleribus, aucis, aut aliis hujusmodi, de quibus propter modicitatem eorum decima certa dari non potest, consuetudini locorum duximus relinquendum.

Ad hoc, quia audivimus, quod quidam justitiæ contemptores decimas vicariorum suorum, quidam in proprias, in quorum possessione hactenus non fuerunt, manu laicali & armata invadere non formidant; nos, ut periculis prædictis obviemus futuris temporibus, auctoritate Dei Patris omnipotentis, & approbatione synodi sacrosanctæ excommunicamus omnes illos, qui de cætero talia perpetrare præsumpserint, ac eorum fautores.

Statuimus etiam, quod prædiales decimæ ibi solvantur, ubi sunt; personales vero, ubi sacramenta recipientur; decimæ pecudum solvantur, ubi pascuntur & aluntur: ad lites & contentiones inter rectores ecclesiarum quietandas firmiter statuendo præcipimus, quod, quando oves diversis temporibus anni in diversis locis demorantur, ut est de ovibus, quæ post festum S. Michaelis, & ante festum S. Martini ab una parochia ad aliam transmittuntur, & in quinden. vel mens. post pascha revertuntur, decima agnorum dividatur inter ecclesias parochiales, etiam lana pro rata temporis utrique ecclesiæ persolvatur. Si vero post festum S. Martini trasmittantur, & in prædicto tempore viz. quindena, vel mense post pascha revertantur, medietas decimæ agnorum cum tota decima lanæ, ad ecclesiam, de cujus parochia existunt oves, revertatur: quam constitutionem sub pœna excommunicationis in nostra provincia præcipimus observari.

Alia

ANNO CHRISTI 1305.

Alia constitutio domini Roberti de VVinchelsey, Cantuariensis archiepiscopi, de juramento & obedientia sacerdotum, rectoribus & vicariis, in eorum ecclesiis celebrantium, faciendis; facta & edita in eodem concilio Mertonensi, Anno Domini MCCCV.

Item statuimus & ordinamus quod presbyteri stipendiarii, necnon & alii sacerdotes, propriis sumptibus, vel per amicos (a) sustentati, divina celebrantes in archiepiscopatu nostro Cantuariensi non recipiant oblationes, portiones, obventiones, denarios pro requisitis, tricennalia, vel aliquam certam quotam (b) oblationum pro corporibus mortuorum præsentibus, vel alias, sine licentia a rectoribus, vel vicariis ecclesiarum, in quibus celebraverint, petita & obtenta ullo modo; nec sic recepta asportent in præjudicium rectorum, vel vicariorum prædictorum, vel eorum vices gerentium, ne majoris excommunicationis sententiam, in hac parte latam, & (c) irregularitatem incurrant, miscendo se, ut prius, in divinis.

(a) Cod. al. *alios*.

(b) *partem*

(c) Deest *irregularitatem* in uno cod.

Item statuimus & volumus, quod prædicti presbyteri die dominica, vel festivali post admissionem suam, ad celebrandum in aliqua ecclesia, vel cappella coram rectoribus, vel vicariis, seu eorum vices gerentibus; alioquin coram ipsis rectoribus, vel eorum capellanis parochialibus intra missarum solennia jurent, factis & apertis coram ipsis sacrosanctis evangeliis; quod ecclesiis parochialibus, vel eorum capellis, in quibus divina celebrant, eorumque rectoribus, seu vicariis, vel ipsorum loca tenentibus, nullum omnino inferent præjudicium circa oblationes, portiones, obventiones, denarios, pro requisitis tricennalia, vel alia jura, quocunque nomine censeantur: immo, quatenus in eis est, eosdem observabunt indemnes in præmissis, & singulis præmissorum.

Jurabunt etiam specialiter dicti sacerdotes, quod odia, scandala, rixas, aut contentiones inter rectores & vicarios aut eorum parochiales presbyteros & parochianos nullo modo suscitabunt, neque sustineant, aut aliquo modo foveant; sed, quatenus in eis est, concordiam nutriant, & servent inter eosdem. Et quod in dicto archiepiscopatu nostro non celebrent divina; sed eis hoc expresse interdicatur, donec præmissa præstiterint juramenta; (d) & si celebrent sic in loco interdicto, irregularitatem incurrant, præter alias pœnas, quas canones inducunt contrarium facientibus; & si fuerint convicti coram archidiacono loci, vel officiali suo, se infirmasse prædictum juramentum; vel si fuerint super hoc defamati, & se purgare nequeant, amoveantur omnino, & tanquam perjuris interdicatur eis divina celebratio in dicto archidiaconatu, (e) donec fuerit super hoc cum eis canonice dispensatum.

(d) Cod. al. *vel saltem non stet per ipsos quominus præstent.*

(e) Cod. al. *archiepisc. nostro.*

Item, quod non audiant confessiones parochianorum ecclesiarum, vel capellarum, in quibus divina celebraverint, nisi in casu a jure permisso, nec oblationes hujusmodi ecclesiæ sibi appropriabunt; quod si contrarium fecerint, crimen sacrilegii incurrant, nisi de licentia rectoris, seu vicarii, aut aliorum præsidentium, petita primitus & obtenta.

Item jurent prædicti presbyteri, quod debeant interesse cancello matutinis, vesperis, & aliis divinis officiis, horis debitis, induti superpelliciis, de quibus propriis expensis sibi providebunt; non enim stabunt aut sedebunt in navi ecclesiæ, vel in cœmeterio, nec in campis erunt, (f) præsertim horis prædictis. Et licet fuerint super his per rectores, vicarios, aut alios præsidentes commoniti, non reddant se elatos, nec ob hoc erigant cervices contra præsidentes prædictos; nec propterea excitabunt aliquos, qui foveant vel protegant eosdem.

(f) Cod. al. ad. *sive privatis capellis.*

Item ad interessendum prædictis horis & magnis missis, debet eis injungi in virtute obedientiæ, & sub debito juramenti præstiti (g) canentes, legentes, & psalmodizantes, prout eis Deus scientiam dederit. Dicti vero presbyteri diebus dominicis & festivis; vel si corpus alicujus defuncti affuerit, suas missas post offertorium (h) majoris missæ dictum seu decantatum, incipiant & compleant & non prius, nisi de licentia rectoris vel vicarii petita specialiter & obtenta.

(g) Cod. al. ad. *quod sine præsentes.*

(h) Cod. al. *lectum evangel.*

Item, si oporteat tres vel duas missas die aliquo in ecclesia parochiali celebrari; unam viz. de die, aliam de Trinitate pro benedictione nubentium, & tertiam pro defunctis; volumus & statuimus, quod presbyteri ibidem celebrantes, juxta assignationem rectoris seu vicarii, aut eorum parochialis presbyteri, unam vel duas ex missis eisdem celebrent die illa, sine contradictione quacunque.

Item presbyteri non detrahant rectoribus, vel vicariis ecclesiarum, vel capellarum, ubi celebraverint; sed humiliter se habeant erga eosdem, & faciant eis debitam reverentiam.

Item non exercebunt tabernas, nec spectacula, nec cellas meretricum, nec ludos noxios, vel prohibitos.

Item volumus & statuimus, quod rectores vel vicarii, seu eorum loca tenentes, a presbyteris prædictis hujusmodi recipiant juramentum; & quod habeant copiam in suis ecclesiis parochialibus de præmissis.

FORMA JURAMENTI EXTRACTA E PRÆMISSIS.

Tu jurabis, quod tu eris obediens nobis, & nostro locum tenenti, seu deputato in ecclesia nostra parochiali, in licitis & canonicis mandatis, sicut te Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia; viz quandiu in ipsa ecclesia nostra celebraveris. Respondeat *Ero*.

Item, quod ecclesiæ nostræ prædictæ, seu nobis, aut nostro ibidem locum tenenti, nullum omnino inferes præjudicium, vel gravamen circa portiones, oblationes, obventiones, denarios perquisitos, tricennalia, vel alia jura ecclesiastica, quocunque nomine censeantur; immo, quatenus necesse est, nos, & locum tenentem nostrum ibidem, serva-

ANNO CHRISTI 1307.

vatis indemnes in præmissis, & singulis præmissorum.

Jurabis etiam specialiter, quod odia, scandala, rixas, & contentiones inter nos, aut locum tenentem nostrum hujusmodi, & parochianos nostros nullo modo suscitabis, nec sustinebis, aut aliquo modo fovebis; sed, quatenus in te est, concordiam inter nos & parochianos nostros nutries & servabis.

Item jurabis, quod non audies confessiones parochianorum nostrorum, nisi in casu a jure permisso, nec oblationes dictæ ecclesiæ nostræ tibi appropriabis sine licentia nostra, vel præsidentis nostri ibidem petita primitus & obtenta.

Item jurabis, quod cancello matutinis, vesperis, & aliis divinis officiis horis debitis B præsens eris, indutus superpellicio, de quo tibi expensis propriis providebis. Non enim stabis vel sedebis in navi ecclesiæ, vel coemeterio; nec eris in campis præsertim horis prædictis. Et licet fueris super his per nos vel præsidentem nostrum commonitus, non reddes te elatum, nec ob hoc eriges cervicem contra nos, vel præsidentem nostrum quemcunque; nec propter ea excitabis aliquos, qui te foveant, vel contra nos protegant in præmissis.

Item quod non detrahes nobis, neque, nostro præsidenti cuicunque; sed erga nos, & præsidentem nostrum quemcunque; ibidem, quamdiu in ipsa ecclesia celebraveris, tam in dictis, quam in factis A humiliter te habebis, & reverentiam debitam adhibebis.

Respondeat: *Admitto, juro, & promitto me omnia & singula præmissa observaturum & impleturum; sicut me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia infrascripta.*

Quibus peractis, dicatur sacerdoti: in virtute obedientiæ nobis factæ, & sub debito juramenti per te præstiti, tibi injungimus, teque monemus, quatenus inrersis horis prædictis, & magnis missis, canens, legens, & psalmonizans, prout scientiam dederit tibi Deus, nisi infirmitatis, vel alia causa legitima id impediat implendum. Etiam tibi, sicut supra, injungimus, quod diebus dominicis, vel festivis aut si corpus alicujus defuncti affuerit, post offertorium, & preces majoris missæ dictas vel decantatas, missam tuam incipias & compleas, & non prius, nisi de licentia nostra, vel nostri ibidem præsidentis, petita specialiter & obtenta.

Item, quod si oporteat duas vel tres missas die aliquo in dicta nostra ecclesia celebrari; unam, viz. de die, aliam de Trinitate pro benedictione nubentium, & tertiam pro defunctis; tu; juxta assignationem nostram, aut nostri præsidentis ibidem, unam vel duas ex eisdem missis celebres illo die sine contradictione quacunque: & hoc tibi injungimus, sicut prius, ac etiam sub poena canonum & constitutionis in hac parte latarum, promulgatarum, & debite publicatarum. C

AD SISENSE ARMENORUM CONCILIUM

Pro utriusque ecclesiæ Armenæ ac Romanæ conjunctione

Anno 1307. *habitum*

ADDITIO.

An. 1307. EX *actis concilii Sisensis quæ Venetus Labbei editor a Galano accepit, discimus regis jussu lectam fuisse pro Concilio, & patrum discussioni propositam* epistolam patriarchalem. *Quæ hæc fuerit patriarchalis epistola, nec acta prodant, nec Venetus ille editor annuntiat. Ab eodem Galano tamen repetere illam pronum erat, ex quo, ne diu ultra desideretur, accipe.*

EPISTOLA GREGORII SISENSIS, ARMENIOR.

Patriarchæ ad Haytonem patrem Leonis regis Armeniæ cœnobitam.

Gregorius, servus Jesu Christi Domini nostri, & gratia Dei omnium Armeniorum patriarcha, piissimo, ac principali nostro, & sanctæ hujus ecclesiæ filio spirituali, maximo totius Armeniæ Domino, nostrique Regis patri Haytoni, quem Deus semper salvum, imperturbatum, & incolumem servet, salutem & benedictionem.

NOtum tibi sit, religiosissime princeps, ad nos jam venerabiles literas tuas, a Stephano reverendissimo tuo capellano delatas, pervenisse: in quibus ea nobis memoras, quæ circa præterito anno, in hac Sisensi civitate, quo veniens nos dignatus eras adire, te fuimus alloquuti; nostra scilicet permagni quidem interesse, ut, donec inter vivos adhuc superstites sumus, ab excommunicationibus liberemur, atque in sanctam Dei ecclesiam admittamur. Est enim in hac ecclesia penes nos, qui in aliis quoque Orientis ecclesiis, & monasteriis nostris reperitur, Athanasii liber, in Armenum idioma translatus; ubi agens de Missæ sacrificio ille ait, quod Christus calicem vini mistum accepit. Extantque, quas præsens tibi defert literarum fasciculus, Alexandri, & Julii (*a*) Romanorum Pontificum literæ; in quibus Missæ sacrificium sine aqua conficientes anathematizantur: & hoc ipsum referunt etiam Ambrosius (*b*) & Cyprianus (*c*)

Est insuper apud nos, qui prius erat nostri Avunculi, radix fidei, liber Irenei apostolorum successoris, ubi (*d*) aquæ vino miscendæ fit mentio: in cujus margine, propria Avunculi nostri manu annotatum legitur. *Vide, quod etiam aqua in Missa requiritur*. Extabat præterea quidam canon, a nobis nuper transcriptus, in quo Cypriani, & Carthaginensis (*e*) concilii eadem de aquæ necessitudine verba legebantur: illudque concilium non novum, sed vetus est, & prope Nicænum. Nec non in sexto Concilio (*f*) idem reperitur canon, excommunicatio, & anathematismus: adducuntque illud Salomonis (*g*) *miscuit in cratera vinum suum*; & Joannis Evangelistæ (*h*), *tres sunt qui testimonium dant in Cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt; & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, sanguis, hi tres unum sunt*. Tum Chrysostomus (*i*) super illud Matthæi, *non bibam de hoc genimine vitis* &c. inquit, hoc dictum esse, *ut perniciosissima aliquorum aliorum hæresis, qui aqua in mysteriis utuntur; radicitus evellatur*: nota quod non dixit, *qui in mysteriis aquam vino miscent*, unde colligitur, neque esse in illis adhibendum solum vinum: licet vinum, & panis materia sint hujus sacramenti, quod Christi incarnationem, & mortem designat. Adverte, inquam, non dixisse Chrysostomum, *qui miscent*; hoc enim si dixisset, nostrum utrique palam probaret: sed ait, *qui aqua utuntur*; ii autem utuntur aqua, qui mysterium mortis Christi sola aqua conficiunt absque vino.

(a) Alex. 1. ep. 1. & Jul. I. de apud Grat. de consec. dist. 2.
(b) de Sac. lib. 4 & lib. 5. c. 1.
(c) Cypr. l. 2. ep. 3. Vet. edit.
(d) lib. 4. c. 57 & l 5. cap. 1.
(e) III. Chartag. can. 24.
(f) Trull. can. 32.
(g) Prov. IX.
(h) Jo. V.
(i) In cap. 26. Matt. cujus verba Armeni ad suum probandum subvertunt, ut constat ex Trull can. 32. Gelan.

Item Gregorius Nyssenus super cantica canticorum, *Pande*, inquit, *os, & bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginem aperuit*. Cujus tandem rei testes habemus non modo omnium Christianorum ecclesias; verum ipsos etiam Armenos libros; nostros insuper laudabiles Assyros, quorum nullus sine aqua sacrificium peragit; & nostrorum coenobiorum monachos, qui hostias aqua semper intingunt, ac deinde vino calicis immergunt; unde nunquam vinum remanet sine aqua. Mitto quod scribit idem Nyssenus, vinum scilicet aliud non esse, nisi aquam, qualitatibus quibusdam affectam, quæ colorem a planta desumpsit. Nostri præterea sacrificii oblatio, quid aliud est, nisi Christi Corpus, & sanguis: in Corpore autem illo nonne erat aqua cum sanguine ut habetur in evangelio, (*k*) *& continuo exivit sanguis & aqua?*

(k) Jo. XIX.

Testis est Deus, quod præfatos canones, sanctorumque testimonia, quæ in hac conscripsimus epistola, nos ipsi præteritis annis propriis perlegimus oculis. Vos quoque testes estis, quod, cum Latini a nobis hoc antea requirebant, nos in opposito nihil fore detrimenti, pro certo existimantes, illis semper adversati fuimus: nec sciebamus, rem tantam fuisse a conciliis, summisque pontificibus, sub gravissimis excommunicationum poenis definitam, atque præceptam: neque innumeris, magnisque sanctorum testimoniis, quæ in Armenis etiam voluminibus leguntur, confirmatam, immo & traditam, ut postea reperi, ab ipsomet episcopo nostro Niersese Lampronensi, ab ipso quoque Ghelaiensi patriarcha. Quapropter ex præterito jam anno deliberavimus, numquam deinceps nos sacrum facturos, quin in calicem aquam infunderemus, saltem occulte, quousque id foret apud nostros, peculiari concilio stabilitum.

Porro autem, cum huc advenisset capellanus tuus, nos ex Armenis codicibus, testimonia tibi scribenda colligere coepimus, quæ id confirmarent, quibusque parati essemus; ne, convenientibus propter hoc viris ebriosis, tuoque justo judicio a nobis omnino absente, ulla fortasse oriretur altercatio. Et quidem cum quibusdam nostris probatæ conscientiæ sociis præstolamur; donec simul cum omnibus aliis in unum locum congregati, quod fas est, librorum examinatione decernamus: jamque in præsentia rem significamus omnibus ecclesiasticis nostris, nec non & vestris; ne penitus ultro in excommunicationibus persistamus, sed quamprimum in missæ sacrificio aqua vino semper miscenda determinetur, eaque multo paucior vino, frigida, non calida, & una solummodo vice infundenda.

Te igitur, piissime princeps, quam studiose possumus, per Deum ipsum rogamus, ut & tu quoque ad rem hanc decernendam, diligentiam curamque adhibeas, conciliumque plenum indicas; utque hujusmodi opere, ac labore a conciliorum excommunicationibus

ANNO CHRISTI 1307.

bus liberemur, atque in sanctam Dei ecclesiam admittamur: quod profecto tunc perficientur omnino, cum septem generalia concilia susceperimus, & duas in Christo naturas, voluntates, & operationes, cum praestitus fuerit assensus subscriptioni patriarchae Armeniorum, & patriarchae Albanensium, omniumque Orientalium, & Occidentalium, uti nos in futura synodo declarabimus; cum festivitatem Nativitatis Dominicae suo celebraverimus tempore; cum vigiliam paschatis observaverimus, & singulis quibusque sextis feriis, quae inter pascha, & ascensionem incidunt, ab esu carnium abstinuerimus; cum sicut illi, ita & nos jejunaverimus, festosque dies egerimus; cum Trisagium, vel sine additione illa, *qui crucifixus es pro nobis*, in sanctam direxerimus Trinitatem; vel, si cum illa adjectione, in Christum secundum humanitatem. Cum denique fuerimus illis conformes in vestibus sacris, in orationibus, in ordinum collatione, in sacrarum imaginum veneratione, in usu aquae praedictae: fac igitur, per Deum quaesumus, ut cum illis omnino concordes efficiamur. Curasti jam pridem, ut benediceretur civitas Aghtamarensis; cur non similiter, ut, & nos omnes benedicamur, curae tibi erit? jam nos usque adeo donec numerosius cogatur concilium, cum aliquibus nostris episcopis utcumque providentes, nostro mandato irritam declaramus excommunicationem, qua contra librorum divinorum, ecclesiaeque catholicae doctrinam, per inscitiam, & iniquitatem erroneis canonibus pronunciaverit conciliabulum illud iniquum, adversus eos, qui in missae sacrificio aquam vino miscerent: (*a*) ac insuper cum benedictione mandamus, tam tuis, quam regis filiis tuis, tuorumque fratrum, ac procerum sacerdotibus, ut juxta ecclesiae Romanae consuetudinem, aquam dictam vino in missa permisceant; atque id, quoadusque generale congregetur concilium, quando liberius quidem poterit exerceri, nimis caute fieri jubeas; omnes prius instruendo, nostraeque hujus epistolae testificationes illis ostendendo, ne scandalizentur.

(a) Conciliabulum Monaschirtense an. 586. habitum.

Tu jam antea divina adjutus gratia, magnam illam concordiam, & amorem conciliasti: quod si hanc aliam perficere valueris, qua nos benedici, & cum sancta Dei ecclesia uniri facias; existimare certe poteris, quod fere alter Christus tuo nos sanguine ab inferis iterum erueris; tibique tot, anima & corpore servos, intercessores, ac laudatores perpetuos redemeris: esses etenim nobis Apostolus, & illuminator; beataque plane foret tota progenies tua; immo & poenitentia tuis peccatis confessis debita, a nobis supra nosmetipsos esset libenter accepta, quantum denique super hujuscemodi negocium poteris laborare, tantundem Dei ecclesiae laborabis: & haec non alterius, sed propriae nostrae manus scriptura est.

Interea, noli, amabo te, nos criminari, si tibi fandi prolixitate fastidium afferemus, dedecet enim, immo crimen esset, ac stultitia, rem tanti ponderis, paucis, veluti parvam, pertransire; non secus, ac virum longum, breve dedecet vestimentum. Et quidem res, de qua nunc agitur, magna ad-

A modum est, fidei nostrae opus, & res publica, quae pervenire debet ad quemlibet, sive virum, sive mulierem: & omnes perturbare potest, iisque scandalum parere, qui, an vera, an falsa sit, nesciunt. Quamobrem antequam concilium celebremus, inque omnium mentibus firmam hujusce rei veritatem universali examine, & testimoniis tam hominum, quam divinarum scripturarum novi, & veteris testamenti constabiliamus; lubet in praesentia, quoniam aquae miscendae jam onus injunximus, res omnes memorabiles, quae istius fidem adstruant, tanquam veritatis pignora hic praemittere.

Exordium autem sumimus ex iis, quae aliquibus etiam primariis nostris Armenis in-
B dicavimus: & primum Orbele, archiepiscopo siuniensi, quippe qui tam spiritualis, quam corporalis est princeps; atque illius quoque sociis, quibus hoc anno rem demonstravimus, ac persuasimus: & anno praeterito Domno Joanni, sanctorum Apostolorum episcopo; tum alio praecedenti anno idem ostendimus episcopo Peccenensi, nec non & Varachenibus: propterea quod, ut modo recte recolimus, tertius jam recurrit annus, ex quo res ista certa fuit apud nos, & indubitata; tametsi jam antea illam etiam audivissemus ex antiquis, ac sanctis nostris patribus ex Domino Jacobo, & Davide magistro, ex domno Niersese, ex quatuor Patri-
C archalibus cathedris, ac demum ex papa, aliisque omnibus Christianis: jamdudum enim apud nostros ea tradita reperitur.

Praeterea Domnus Nierses (*b*) in quacunque pervia sibi ecclesia, sive Latina, sive Graeca, sive Syriaca, aut conficiebat sacrum aut sumebat communionem: num existimari poterit, in ejusmodi ecclesiis peractum fuisse sacrificium sine aqua? Tum quando magnus princeps Sgeman, & Hayton, majores tui, Antiochenum patriarcham, qui Latinus erat, in Sisensem duxerunt civitatem; tunc iste, & Domnus Constantinus, patriarcha noster, in ecclesia sanctae Sophiae Missam celebrarunt; videtur ne tibi, quod si Antio-
D chiae patriarcha sine aqua id praestitisset, non abjecisset illum juxta canonum decreta sanctus papa? Immo nec ille solus, sed & noster etiam Domnus Constantinus vino aqua diluto palam una cum ipso concelebravit, & communionem ab eo sumpsit: idque in libro nostri Avunculi, qui apud Stephanum diaconum reperitur, per temetipsum videre poteris.

(b) Ghelajensis Arm. patriarcha.

Denique; interroga coenobitas istos, quidnam referant libri; quos & ipsi in futuro concilio ostendemus: aut quid narret Albanensis historicus: id plane, quod universo notum est Orienti; decem; decem nimirum episcopos in Tevinensi (*c*) conciliabulo per-
E mutasse totam pene legem, quae a divo usque Gregorio in nobis inviolata perstiterat: unam quippe naturam in Christo constituerunt; & Trisagium illud, *sanctus Deus*, &c. quod sacrum concilium erga sanctissimam Trinitatem decantandum decreverat, superaddentes, *qui crucifixus es pro nobis*, erga Filium direxerunt. Postea vero Heraclius Imperator, cum ob sanctam Crucem profectus esset in Orientem, omnes Armenos pa-

(c) Tevinens. conc. an. 536.

ANNO CHRISTI 1307.

tres convocavit; qui post menstruum examen, concordiam, & unionem denuo componentes, susceperunt usum aquæ in sacrificio, celebrationem dominicæ Nativitatis die 25. Decembris, aliaque omnia: atque post Domnum Jeserem, tunc temporis patriarcham, quinque alii patriarchæ successores in eadem permanserunt fide; ex quibus unus fuit sanctus Isaac: ille, qui, dum Mahometem, pro Armenis adiret, diem suum obivit in Mesopotamia, descenditque super eum lux de cælo; in ejus morte multa miracula perpetrata sunt. Quare superveniens Mahometes, epistolamque increpatoriam, ab eo sibi relictam, legens, aperuit illius sepulchrum; repertoque cadavere incorrupto, dexteram illius osculatus est, dicens, *quicquid mihi jussisti, exequar*: moxque inde discedens Armenos monachos e captivitate liberavit; eamque dexteram nos ipsi in Ghelaiensi vidimus civitate adhuc incorruptam, quæ deinde argento exornata fuit.

Hæc quidem omnia consideranda sunt: nec non ea, quæ in aliis etiam nostris epistolis memorabimus; tum de Damasceni verbis (*a*) circa duas Christi naturas; tum de conciliorum canonibus, qui aquam vino miscendam injungunt, & Armenis nominatim præcipiunt, ne sine aqua dicta sacrificent; quod innuit etiam Chrysostomus, (*b*) damnando eos, qui sola aqua utuntur: quibus adhuc concordant, quæ scripsit papa, inquiens, quod cum de latere Christi egressa sint sanguis & aqua, non decet, aqua sola aut solo vino lacrum conficere: (*c*) & idem Chrysostomus in sua liturgia, *Unus militum*, ait, *lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis; hæc dicens, infundat vinum; & fundens: & aqua; infundat aquam*. Tum quæ narrat Damascenus de Trisagio; & quæ domnus Nierses, & domnus Gregorius, de duabus indivisis, & inconfusis, in una Christi persona unitis, naturis, voluntatibus, & operationibus; tum quæ Chrysostomus de festo Nativitatis Domini, sicut ipse nosti; & quæ noster Abraham de festo Annunciationis, suo tempore celebrando; tum denique, quæ refert Albanensis Historicus, (*d*) fuisse, nimirum in Tevinensi conciliabulo, jussu regis Persarum coacto, constitutiones nostri sancti patris Gregorii a decem episcopis immutatas; & unam naturam in Christo, & additionem, *qui crucifixus es*, in Trisagio, noviter definitas. Id quod advertit etiam Isaias, totius Orientis Doctor, ac magister, qui duobus Orientis locis Albanensis historici volumen, & intra illud nostra supra relata verba invenit, (nam res de Nativitate, & aqua expressius in ipsorummet (*e*) codicibus memoratur) quibus jam aliarum nostrarum epistolarum rationes, & canones; qui in eorum non reperiebantur libris, transcribens apponit; nobisque hoc anno rescripsit, dicens: noli quæso me incusare, si rem dilationibus prorogo; noncum enim expleta est. Hæc igitur omnia idcirco referuntur, ut notum fiat, nihil nos falsi, aut occulti fuisse loquutos; sed illud sane, quod omnibus Armenis manifestum est; aliorum etiam testimoniis patefacimus sapientibus tantum viris, absiscientibus autem occultamus, quousque concilium celebrandum sit. Quin hoc item anno in expositoribus Divi Marci complura de aquæ mistione verba deprehendimus, videlicet in sancto (*f*) Hieronymo, & Beda (*g*) presbytero, atque in aliis etiam Latinis sanctis patribus, quos in futuram synodum afferemus.

Te autem enixe obsecramus, ne nos, tuimet causa, hunc protendere sermonem, existimes; sed propter cæteros juniores, & imbecilles. Enimvero, ut inquit Paulus, debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere. Sine, obloquantur nonnulli, quod Christiani omnes, aut sancti, aut etiam evangelium ipsum, usum vini puri commendent, & aquæ mistionem prohibeant. Haud enim debemus nos hujuscemodi nugis aurem præbere. Si namque dixisset evangelium; accepto guttulo, aut oenophoro, aut utre; vel accepto vino ex cupa aut e cella vinaria, aut ex alio vase, in quo merum servari solet; vel si dixisset: periit, & accepit vas vinarium, & similia; pro ipsis forte res esset. Porro cum dicat, quod recumbentibus illis in mensa, *accepit Jesus calicem*; profecto perspicuum est, quod de mensa, in qua erat juxta consuetudinem appositus, ipsum calicem sumpsit. Præterea si mos illius fuisset regionis, quemadmodum nos in oriente solemus, vinum in mensa purum apponere; & dictum esset; accepta phiala, aut alio vinario vase; utique merum intelligeretur; & similiter etiam, si aperte dixisset, illud fuisse vinum purum.

Deinde, neque potionem illam fuisse puram aquam, ostendit, ut inquiunt sancti, sicut id, quod de latere fluxit, non fuit aqua sola; ait enim, (*h*) *non bibam de hoc genimine vitis*: Unde constat vinum intus fuisse: sed non purum ut inquit Salomon, *miscuit in cratera vinum suum*; & divus Athanasius *accepit calicem vini mistum*: & S. Basilius, (*i*) *similiter & calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, dedit*, &c. & S. Gregorius (*k*) *bibe aquam, quæ de latere petræ scaturivit*: & ipse Dominus, (*l*) *hic est Calix, novum testamentum*. Calix autem vini poculum significat, aut scyphum, aut cyathum; quem etiam David pro poculo vinario usurpat; licet, quando purum vinum indicare vult, manifesto id explicet, dicens: (*m*) *Calix in manu Domini vini meri*. Calix itaque, quomodocunque in scripturis nominatur, non pro ipso vino, sed semper pro poculo sumitur, sic etiam in Hieremia, (*n*) *Calix aureus Babylon in manu Domini*: vide, quod jam non vinum, sed poculum designat: quomodo namque posset vinum, aureum appellari! sic & vasa Templi, in quibus immolatorum sanguis recipiebatur, *aurei calices* vocabantur: in eodem similiter sensu ait David (*o*) *Calicis salutarem accipiam*, hoc est, poculum salutis. Et Dominus item (*p*) *transeat a me Calix iste*; transeat nimirum istud poculum. Manifestum est igitur, quod Christus non aliud, nisi poculum e mensa desumpsit, in quo vinum erat aqua dilutum: maxime cum addiderit, (*q*) *hoc facite in meam commemorationem*. Sed in quarumnam rerum tuarum me-

(a) Damasc. de nat. composs. contra Aceph. & l. de div. Incarnat.
(b) In Mat. 26.
(c) Alex. & Jul. ap. Grat. ubi supr.
(d) celebris Arm. historic.
(e) Hoc est Arm. & Alban.
(f) In Marc. 14.
(g) Bed. il[illegible]
(h) Matt. 26.
(i) in sua liturg.
(k) Niss. in Cant. hom. 12.
(l) Luc. 22
(m) Ps. 74
(n) Hier. 51.
(o) Ps. 115
(p) Mat. 26.
(q) Luc. 22

ANNO CHRISTI 1307.

memoriam faciendum est? num resurrectionis Lazari, aliorumve, quæ operatus fuisti, miraculorum? verum ipsemet cum antea sui sanguinis mentionem fecerit, signa responsionis insinuavit; quam discipulus ejus Paulus optime sciens, nobis exposuit dicens (*a*) *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat*: Itaque sacrificium peragere, est dominicæ mortis commemorationem facere: in morte vero ejus nonne sanguis & aqua de latere profluxerunt? plane ad innuendum, quod aqua exiit tanquam ex mortuo: quatenus enim homo erat, mortuus est: sanguis autem tanquam ex vivente, quia quatenus erat verus Deus, vivus permansit adhuc post mortem corporis.

(a) 1. Cor. 2.

At recole, quæso, illam magistri Minasi sententiam, qui dicere sæpe solebat; *culpa foret in Oriente, si in hac minori Armenia homo, in mensa recumbens, poculum vini puri suo etiam inimico non propinaret*: verum, cum sacrum esse mero conficiendum, traditum nobis non sit a Divo Gregorio, (*b*) ecce liber ipsius, neque a sancto Isaac, (*c*) ecce illius canones: unde igitur nobis hoc unquam defluere potuit? nisi, ut verum fatear, ex eo quia, cum orientales innata quadam consuetudine vinum non bibant, nisi purum, vel sacrum ipsum in mero perficere maluerunt; tum quoque, ut a Græcis, in quorum pravitate offenderant, discreparent. Quod si purum requireretur vinum in missa, eo quod sic, ut quidam ex nostris loquuntur, incorruptibile fit, ecce jam Domnus Nierses, (*d*) qui docet, incorporea solum esse incorruptibilia; materialia vero incorruptibilia omnia. Tam itaque vinum aqua dilutum, quam purum, corruptioni quidem obnoxium est. Et sane Græci; licet nobis, & antequam nos, sapientiores, quia tamen non vinum firmum, sed loram bibere solent; lora quoque in altari utuntur; quamobrem cœperunt a nobis in sacramentis differre. Quid ergo mirandum, si nos orientales, qui merum bibimus, in mero quoque sacrificemus? quando nulla alia Christianorum natio reperitur, quæ vinum dilutum potans, sacra in mero faciat.

(b) Illuminatore primo Arm. patriarcha
(c) Arm. decimo patriarch.
(d) Gelajens. Arm. Patriarch.

Denique ne nobis culpam ascribas, carissime princeps, quod tibi rem equidem magnam committimus: quanquam etenim in hac nostra provincia una cum Deo domineris; dum tamen mundi gloriam aspernatus, religiosus evadere maluisti, proculdubio partem sortitus es nostram. At vero quodnam facinus aggrediaris oportet præclarius eo, in quo Dei Filius te constituit regionis, & ecclesiæ nostræ conciliatorem? tum pacificatorem existere, quid aliud, nisi Dei Filio æquiparari est, ac beatum vocari! Quapropter precibus tecum agimus, quam possumus, diligentissimis; ut, si tua quoque hoc feret voluntas, justumque arbitratus fueris, nonnullos antea convoces episcopos, cœnobiorumque sapientiores patres ac magistros; quibus hanc nostram jubeat epistolam perpendere; atque aliis suorum monasteriorum probatis, & ingenio perspicacibus viris ostendere. Si quidem, qui illam approbent, fuerint; suscipiant: reprobantes vero ad futurum accedant concilium; in quo gratius nobis erit, & perjucundius, si quicquid in contrarium sciant, nobiscum conferant, quam quod ab aliis postea certiores facti, in nos obtrectationibus invehantur; perinde ac si nos mendaces fuerimus, aut ex industria rem aliquam sophistica opinione confictam, vel dolo e sacris Scripturis abstractam, in medium protulerimus. Congruens autem omnino erit, ut res omni prius modestia tractari incipiat, antequam in concilio reciproca omnium ratiocinatione, & communi consensu ad exitum jure, & canonice perducatur.

Cæterum præ aliis diligentius expendas velim id, quod dicit scriptura (*e*) *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*: & iterum, (*f*) *qui dissipat sepem hæreditatis paternæ, mordebit eum Coluber*. Si res igitur ita se habet: sanctorumne culpa fuit, quod septem idololatriæ suorum patrum a principio dextruxerunt? minime quidem gentium: haud enim patres idololatræ, eorum veri patres censendi sunt: quoniam illorum filii, qui corpus erant Adam, veterem hominem in baptismo mortuum exuerunt, & Christum induti sunt; quibus postea dictum est, (*g*) *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim pater vester, qui in Cœlis est*. Nostri itaque patres, non alii certo, nisi sancti, Dei simulacra, & sepes, ac termini eorum lex & canones sunt. Quare quisquis epistolæ hujus documenta servat, pacemque conciliat, non dissipat ecclesiam, nec perturbationibus, aut excommunicationibus implicat; neque nos, hæc scribendo, paternam sepem demolimur; sed potius divinorum librorum traditiones, sanctorumque patrum statuta perficimus, & confirmamus. Quapropter quicquid apud nos antiquum, & a principio traditum, conservare accurate debemus; ne quando rei nostræ contingat id, quod sæpenumero vineæ evenire solet, in qua aditus antea angustus, ex incuria tamen omissus, paulatim deinde a transeuntibus aperitur, ac undique dilatatur. Propterea nos excommunicationem, quæ in miscentes aquam lata inique fuerat, penitus abrogamus, abolemusque ne forte quispiam e populo nostro Armeno, qui suum azymum inveterata consuetudine servat, incidat ultro in fermentatum, aut etiam in loram (*h*) quamvis, & si fermentatum non sit a canonibus stabilitum, eo tamen utentes improbandi non sint, juxta præceptum Domini Niersis; dum etiam Apostoli illo interdum usi sunt.

(e) Prov. 22.
(f) Eccl. cap. 10.
(g) Matt. 23.
(h) hic Græcos carpit.

Quocirca nos a sancta Romana ecclesia aquæ comixtionem modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azymum, mitram episcopalem, & modum signandi crucem; (*i*) tametsi non item pisces, & oleum in Quadragesima concedimus excepto Annunciationis festo; neque sacerdos in ecclesia nostra, sicut in illa cælibem agit vitam, neque, si in errorem gravem incidat, ad sacrum denuo faciendum admittitur; sed remanet irregularis, sicut apud illam irregularis remanet homicida. Veruntamen omnes ejusdem Romanæ ecclesiæ christianos recipimus, & approbamus; sunt namque, sicut & primæ sedi, ita & Deo propinqui, a quo

(i) Arm. se cruce signant a læva ad dexteram ad exemplum Latinor. non a dextera ad lævam, ut reliqui Oriental. *Galan.*

a quo immediate, non secus ac nostri sancti patres, cunctam hauriunt sapientiam, & patrocinium. Quatuor etiam patriarchas veneramur, cæterosque fideles, qui sacro Christi nomine insigniti, nuncupantur Catholici. Verum, heu, heu! nequaquam obtrectationibus inficere volumus, sed neque laudamus eos, qui Jacobitæ nominantur, uno digito sese cruce signant, & vespere sextæ feriæ carnem comedunt. Necnon reiicimus illos, qui circunciduntur, incestum per illicitam conjugii copulam admittunt, diaconosque matrimonio jugant. Cibos autem immundos, (*a*) præcipue qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi jubemus; quos & orationibus benedici, docet Domnus Niersès. Anathematizamus denique Nestorianos, qui benedictissimam Virginem Mariam Dei genitricem non appellant; unaque cum illis omnes detestamur hæreticos, quos catholica, & apostolica anathematizat ecclesia: ac populum nostrum, ut ab istis omnibus, & ab hæresi se caute custodiat, præmonemus in Christo Jesu Domino nostro; qui cum Patre, & Spiritu sancto est benedictus in secula, tecumque sit semper. Amen.

(a) Arm. in cibis immundis judaizant. *Galan.*

„ Hactenus ad Haytonem regem epistola „ Gregorii Patriarchæ: quo quidem Gregorio haud multo post vita functo, idem „ rex Hayton ejusque filius Leo, demortui „ patriarchæ literis hisce vehementer permoti, ut concordia Armeniorum cum catholica Romana ecclesia, universali Armenorum patrum consensu, decerneretur, „ concilium in Armenia generale indixerunt.

AQUILEJENSE CONCILIUM

In quo de primatu sessionis episcopo Patavino permittendo post patriarcham,

Anno 1307. *habitum.*

CONcilium hoc, *cujus acta perierunt, ita describitur a viro doctissimo, mihique in primis amico, P. De Rubeis in Monum. Eccl. Aquilej. pag.* 82.

„ Synodum provincialem, eodem (Ottobono patriarcha) præsidente, Aquilejæ „ anno 1307. ineunte, celebratam, colligimus ex sequentibus tabulis, quæ ad litem „ attinent ab antistite Patavino motam, primum sibi in Synodo locum post sedem „ patriarchæ vendicante.

Milles., trecentesimoseptimo, indictione quinta, die lunæ penultimo Januarii, in majori ecclesia Aquilegensi; præsentibus discretis viris dominis, Rizardo de capite vacæ canonico Paduano, Salione de Buzacherinis priore sancti Spiritus de Padua, Joanne de Bigoncia judice, & fratre, Johanne de Osenago monacho monasterii sancti Dionysii Mediolanensis testibus &c. Dum in dicta Ecclesia venerabilis in Christo Parer D. Ottobonus, Aquilegensis sedis patriarcha, cum suffraganeis suis provinciale concilium celebraret; venerabilis in Christo Pater Paganus, Dei, & Apostolica gratia Episcopus Paduanus sedebat a dextris, primum obtinendo locum Domini Patriarchæ prædicti......

„ Synodi acta, in eaque constitutiones „ editæ perierunt, aut latent in forulis.

„ Prima sede, quam inter cæteros „ concilii Patres occupaverat, Antistes „ Patavinus, censuit ipsum deturbari „ oportere Ottobonus. Cum juri suo suæque Ecclesiæ detractum crederet, ille, „ Romanum provocavit Pontificem, sedisque Apostolicæ legatum. Quæ hocce in „ negotio fuerunt acta, Melioranicæ Notarii regestum posteritati servavit.

MCCCVII. indictione quinta, die martis ultimo Januarii, in capitulo majoris Ecclesiæ Aquilegensis; præsentibus providis & discretis viris dominis, Rizardo de Capite vaccæ, Johannino de .... canonicis Paduatis, Salione de Buzacherinis priore Sancti Spiritus de Padua, Alberto de Hanselminis Archidiacono de Pedemonte, Federico de capite listæ præposito ecclesiæ S. Matthiæ de Avancio Paduanæ diœcesis, Lombardino de la Turre Aquilegensi canonico, fratre Johanne de Osenago Monacho Monasterii S. Dionysii Mediolanensis, & multis aliis. Venerabilis in Christo Pater D. Paganus, Dei gratia Episcopus Paduanus, coram religioso viro D. fratre Alberto Abbate Somachensi, venerabilis in Christo Patris D. Ottoboni Aquilegensis sedis Patriarchæ (*Vicario*,) eidem D. Episcopo asserente, & ex parte dicti domini Patriarchæ præcipiente; quatenus ad concilium in Ecclesia congregatum, ubi erant alii Episcopi simul cum ipso Domino Patriarcha, venire deberet, & dicto concilio usque ad finem interesse: alioquin poenas a canonibus promulgatas contra inobedientes, & ad Synodum seu concilium patriarchale requisitos venire contemnentes, ex parte dicti domini patriarchæ, & ex speciali commissione sibi facta in hac parte, ipsum dominum episcopum admonebat & denunciabat, incurrere debere ipso facto. Qui dominus episcopus, jure suo & Ecclesiæ suæ quo ad primam sedem obtinendam in Concilio generali præsenti a dextris ipsius domini patriarchæ, sicut alii Prædecessores sui fecerunt, protestatus fuit, & dixit, ut supra in alia quadam protestatione, quod paratus esset venire, & concilio interesse, dum tamen sedes jam dicta prima, sibi debita & Ecclesiæ suæ, daretur seu assignaretur. Et quia hoc non fiebat, ne aliquid fieret in præjudicium dicti sui juris, & ipsius ecclesiæ, in præsentia dicti domini abbatis, & ab ipso domino abbate sic præcipiente, & mandante, ut supra, infrascriptam appellationem interposuit.

In nomine Domini Amen. Coram vobis D. fratre Alberto Abbate Somachensi, Vicario Re-

ANNO CHRISTI 1308.

Reverendissimi Patris Domini O. Sacrosanctæ Sedis Aquilegensis patriarchæ, & speciali nuncio in hac parte, ego Paganus Dei gratia Episcopus Paduanus, nomine meo, & Ecclesiæ Paduanæ, capituli, & totius cleri Paduani, sentiens me, capitulum, & clerum antedictum gravari, & gravatos esse in prædicto Concilio a Domino Patriarcha prædicto; pro eo quod juris ordine non servato, jure meo, & Ecclesiæ meæ non discusso, nec examinato, & sine causæ cognitione, sedem primam seu locum a Dextris ipsius Domini Patriarchæ sedendi, mihi & Ecclesiæ meæ debitum, subtrahere & auferre; & me, & Ecclesiam meam prædictam possessione vel quasi juris sedendi a dextris ipsius in primo loco .... & alteri dare intendit; & etiam dedit & assignavit, alium loco mei in ipso loco mihi debito ponendo, in magnum mei præjudicium, Capituli, & Cleri antedicti: ab hujusmodi gravamine mibi & Ecclesiæ meæ illato, & quibuscumque aliis gravaminibus factis, vel de cætero faciendis per ipsum Patriarcham, reverendum patrem D. Neapoleonem S. Hadriani Diaconum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & summum Pontificem in his scriptis appello; reservata mibi electione, coram altero eorum, coram quo maluero, & duxero eligendum, procedendi: & me, & jura Ecclesiæ meæ protectioni & defensioni prædictorum, Domini Legati, & Summi Pontificis, suppono; & Apostolos peto, & iterum cum instantia peto, &c.

„ Non pauca id genus Acta in hocce litigio conscripta citatum complectitur Meliorancia regestum. Quod sequitur, in lucem profero.

Die XIX. Febr. (*eodem Anno MCCCVII.*) super Castro Utini in superiori Sala; præsentibus Discretis Viris, Ambrosino de Vico mercato Aquilegensi Mansionario, Neri Viola de Florentia, qui nunc moratur Utini, & Gerarducio de comitatu Pisarum, & multis aliis: Comparuit discretus Vir Presbyter Symeoni, & Apostolos a prædicto Patriarcha super dicta appellatione per prædictum Presbyterum Julianum interposita, (*tum Julianum, tum Simeonem ad rem suam procurandum substituerat Episcopus Patavinus,*) nominibus antedictis petiit, & cum instantia postulavit, Qui Dominus Patriarcha respondit, quod nolebat ei dare Apostolos, nesciens quos Apostolos ei dare posset; cum dicta causa non foret ventilata coram eo; & quod placebat ei, quod jus prosequeretur in curia Domini Legati, ubi inveniret respondentem nomine suo in prædictis. *Litigii finem, exitumque ignoramus.*

CONSTITUTIONES

Pro ecclesia, & Regno Hungariæ F. Gentilis titulo S. Martini in Montibus Præsb. Card. & Apostolicæ Sedis per Hungariam, eique annexas Provincias Legati; Sub Carolo Primo, Rege, & Thoma Archiepiscopo Strigoniensi; editæ ab anno MCCCVIII. usque ad annum MCCCXI. ex MS.

NARRATIO PRÆVIA.

I.

Ex Peterffy Conc. Hung. t. I. p. 144.

AD rationem instituti nostri non faciet, commemorare, quam divisi in eligendo Hungariæ Rege, a morte Andreæ III. fuerint Hungarorum animi, quasve in Regno conversiones Wenceslai Bohemi, & Othonis Bavari pro corona pugnantium factio excitarit. Adsunt fontes uberrimi, quorum subsidio, ætatis illius infelicis caliginem quisquis velit, otio suo, evolvet. Pauca, ut via ad thesaurum planissima accidat, non injucundum fuerit delibare. Civili isthoc in turbine Benedictus PP. XI. per F. Nicolaum Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, S. A. Legatum, devincta prius Dalmatia, Hungariam quoque in partes Caroli Roberti abituram non diffidebat. Opera interim sua Nicolaus excidit: alienas enim Procerum voluntates, mulctatis interdicto Ecclesiastico Budæ civibus, in se, cæterosque Caroli fautores, subjecto velut igne, ad vindictam in Episcoporum usque cædem prolapsam, armavit. Populus posthabitis omnibus consiliis, legati severitate commotus, in vim apertam prosiliit; cui componendæ imparem se videns Nicolaus, constitutiones nihil profuturas edidit, & ad sua, bona pace, reversus est.

II.

Feliciore eventu F. Gentilis Cardinalis Ord. Min. a Papa Clemente V. missus, turbas composuit. Antequam Hungariæ limites ingrederetur, apud S. Augustinum Episcopum Zagrabiensem diversatus, res Caroli nutantes, tuto, & celeriter promovendi vias omnes addicit, iterque suum Pesthum acceleravit. Ladislao Vayvoda Transylvaniæ, ob detentam coronam Regiam, sacro anathemate percusso, duos fere annos ardente tota Regione bello intestino, sarciendæ paci impendit. Quum vero fessos domestico damno, & propensos ad quietem Hungaros cerneret, ultimis omnino viribus electionem Caroli impellere conatus est: indicit prope Pesthum comitia, faciles se invitanti, quod mireris, Hungari inter se adhuc divisi, præbuerunt. Hic, dum, plura pro Carolo incautus molitur, prope erat, ut fructum, læto se flore porrigentem, excuteret. Proceres siquidem, jus constituendi Regis, Sedi Apostolicæ attribui & ex voluntate summi Pontificis Principem Hungariæ imponi (istud oratione sua ad confertam multitudinem dicta, Gentilis Legatus innuebat) atque adeo liberam electionem præpediri audientes, concordi voce exclamant: Nullum se in Throno passurum alium, quam cui

Anno Christi 1308.

cui ipſi, relicta, ſecundum leges patrias, ſuffragiorum libertate, imperium deferrent. Quæſituros unum aliquem e ſanguine Divorum Regum: coronaret, ungeretque Papa, quem votis omnium Regem jubebunt; illud Eccleſiæ ritus, iſtud optimatum voluntates attinere. Vim, aut fulmina caveret; reſtare hodiendum veſtigia, qua nuper Nicolaus Nuntius, inter diras populi, re infecta, dimiſſus eſt.

III.

Gentilis ad mitiora perſuaſos, amico primum alloquio in diverſa ruentes delinit, natales Caroli Roberti, jus ſanguinis, patriæ afflictæ interitum, aliaque argumenta pro concione exaggerat. Nihil ſe ex poteſtate, aut imperio; ſed precibus, conſilio, hortatione acturum omnia, recipit: qua etiam comitate ingenia fregit, effecitque, ut ab iis, quorum vota aliena erant a Carolo, feſtiva voce in Regem expeteretur. Ita demum Hungari ad concordiam ſe redegere. Literæ, conſenſu Legati, & Procerum, in vicem publici teſtimonii confectæ, totius electionis, & rerum geſtarum ſeriem continent. Factæ conſtitutiones aliæ pro *Rege, Clero, ac ſeculari Ordine* per Gentilem Legatum in publicum ſparſæ ſunt, quarum adminiculo turbatum hucuſque Regnum, & Eccleſiam meliorem in ordinem compoſuit. Abiit earum uſus cum tempore. Lector tanto avidius ſingula percurrat, quanto minus ab Hiſtoricis noſtris recenſita, & ni fallor, hodiendum apud nos documenta iſthæc viſa ſunt. (*a*). Reliqua in Concilio Poſonienſi.

(a) Accepimus ex MS. Vatic.

In Nomine Domini Amen.

Anno ejuſdem 1308. indictione ſexta, menſis Novembris die 27. Pontificatus Domini Clementis Papæ V. Anno IV.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Dominus Gentilis DEI gratia tituli S. Martini, in Montibus Presbyter, Cardinalis, in Regno Hungariæ, ac partibus illi conterminis Apoſtolicæ Sedis Legatus. Ex quo cum ipſius Legationis partes acceſſit, quod fama prænoverat, ex rei evidentia, & facti experimento præcipiens, tempeſtatis videlicet fremitum, qua Regnum ipſum multæ fertilitatis olim, ut aſſeritur, jucunditate refertum, multaque ſolitum devotione clareſcere, hoſtis antiquus pacis æmulus, ac zizaniæ ſeminator, generali turbine conquaſſarat; particularibus quoque diſſidiis, fere in ſingulis ejuſdem Regni partibus ſuſcitans, ex quibus adeo invaluerat commotionis horror in illo, & locum ſibi diſſenſio, quæ detrimenta ſolet vaſtitatis inducere, vindicarat.

Quod ex Cœleſti Principe Domino Carolo Hungariæ Rege Illuſtri, ac nonnullis Baronibus, & Nobilibus Regni dicti ad invicem diſſidentibus, & inter eos, odii, ac rancoris igne accenſo, detrahebatur ſubditorum averſione Regalis munificentiæ culmini, ab eis ipſius Regis avertebatur affectus, ac mutuis hinc inde incommodis deperibat; cæpit circa ipſius Regni tenenda ſcandala indeſinenter ſolerti ſtudio vigilare, ac fervore officioſi exuberare favoris inſtantius, pro ipſius Domini Regis, quem infra clauſtra pectoris in ſingularitate dilectionis habet, ut filium, ac incolarum Regni ejuſdem ſtatu proſpero, & tranquillo, cogitationes pacis aſſiduæ meditando.

Poſt adventum igitur ejuſdem Domini Legati Budam, per nuntios ipſius, & literis pro ejuſdem Regni negotiis, ſuæ commiſſis legationis officio, promovendis feliciter, generali Prælatorum, ac Baronum, & Nobilium, aliarumque notabilium perſonarum tam Eccleſiaſticarum, quam ſecularium concilio, ad octavam Feſti B. Martini Confeſſoris tunc inſtantis, ſolemniter convocato, circa ipſam octavam ad idem concilium eorundem Prælatorum, ac Baronum plurimi, ac multitudo Nobilium, & perſonarum ipſarum copioſa perſonaliter, aliqui vero eorundem Baronum, quorum perſonalem adventum ad idem concilium longa diſtantia præpediit, per procuratores idoneos convenerunt.

Sane Henrico Magiſtro, & Bano Sclavoniæ, ac nonnullis Baronibus aliis, & Comitibus, Nobilibus, quibus ad ſuperius Caſtrum Budæ, ubi tunc Legatus ipſe cum ſua curia morabatur, propter armatorum multitudinem, quam ſecum habebat, nequaquam patebat aditus ultra Danubii flumen, ex ipſius Caſtri oppoſito conſtitutis, ipſe Dominus Legatus inſiſtens cæptis alacriter, ſuique ſtatus præeminentiam, & dignitatem officii, non attendens; quin imo, ſe ipſum humilians, una cum præfato Rege, aliiſque Prælatis, & Baronibus citra flumen ipſum cum eo manentibus, ſpecioſam fluminis ejuſdem planitiem, piſcatoris more, aquarum intrepidi, cymba tranſiit, ac in loco Fratrum prædicatorum, juxta flumen ipſum ſito, cum ipſo Domino Legato, Prælatorum, Baronum, & Nobilium, & dictarum perſonarum multitudo, cives etiam, & advenæ copioſi, quos eximii ſpectaculi rumor, ac vulgata conventionis dicti concilii celebritas concitarat, inſperatæ pacis admiratione ſtupidi, & tot diſcordium animorum unitatis increduli, paciſque avidi, convenerunt. Quibus in ejuſdem Domini Legati, ac mei, aliorumque notariorum, ac teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentiam conſtitutis, dictoque Domino Rege, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus Dominis DEI Gratia Thoma Strigonienſis, ac Vincentio Colocenſis Archi-Epiſcopi. Et H. (*b*) Vacenſis, Martino Agrienſis, & Auguſtino Zagrabienſis Epiſcopis, & Nicolao poſtulato Jaurinenſis ad dexteram, & magnificis Dominis viris Henrico Prælato Magiſtro, & Bano Sclavoniæ, Magiſtro Nicolao, filio Gregorii: nepote ejus Homodeo Palatino, & de genere Haba, Magiſtro Dominico, Magiſtro Kokos, & Ladiſlao Bano de Ratold-Kapos præ ſe, (*c*) ac Beka Magiſtro Tavernicorum Reginæ Dominæ, fratre ſuo, filiis Thomæ de genere Borſoe, ac Petro filio Campoldi de genere Aba, ad ſiniſtram

(b) Haymone.

(c) Apud Raynald. habetur: Ladislao Bano de Katold, Copos Palat.

ANNO CHRISTI 1308.

ſtram ipſius domini legati ſedentibus, & nuntiis, ſeu ambaſciadoribus, & procuratoribus magnificorum virorum Ugrini Magiſtri Tavernicorum regis, ac Ladiſlai Vayvodæ Tranſylvani, & Comitis de Zonik, ac Matthæi Trinche Palatini ibidem præſentibus, ac preſſa nobilium aliorum, & vulgi ſtante ibidem corona, idem Dominus Legatus propoſuit verbum DEI, aſſumpto illo Evangelico themate: Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? serioſe retexens agri ſemina, id eſt Regni Hungariæ, quæ in illo Dominus ſeminarat; ex quibus Reges Catholici, tantæ ſanctitatis, & vitæ claritate conſpicui prodierunt, quod ſacrorum adſcribi Catalogo meruere, quodve coronam Regni primus Rex Regni Hungariæ, Sanctus Stephanus, a Romano Pontifice conſecratam acceperit, prout Hungarorum hiſtoriæ, quas Legatus ipſe prænominatus aſſeruerat præſtari, alias etiam, thema ipſum ad ſuæ intentionis propoſitum ſuper ſtatu ejuſdem Regni mirabiliter reducendo.

Poſt quæ, ſub ſpecie tuendæ libertatis ejuſdem Regni, inter ipſos Barones, & Nobiles murmur, quod ipſius Domini Legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productam, exoritur, videlicet: quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod Eccleſia Romana, vel ipſe Dominus Legatus, ejus nomine, ſæpe dicto Regno, de Rege nullatenus provideret; ſed placebat eis, quod illum, quem ipſi ex antiquo, & approbato ejuſdem Regni more vocaverant, & in Regem aſſumpſerant, præfatus Dominus Legatus ejuſdem Eccleſiæ Romanæ nomine, in Regem verum Hungariæ confirmaret, & quod etiam perpetuis futuris temporibus, veri ſummi Pontifices, & ipſa Romana Eccleſia haberent jus confirmandi, & coronandi Reges Hungariæ, de vera Regali progenie propagatos, quos ipſi unanimiter, & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos. Ipſe vero D. L. ad conſummationem cœptorum, per eum feliciter, & ferventer anhelans, ad eorundem Prælatorum, Baronum, & Nobilium ſupplicationem, petitionem, & expreſſum conſenſum, Dominum præfatum Carolum, de prædictorum Regum Hungariæ, ex Domina Sereniſſima, Domina Maria Siciliæ, & Hungariæ Domina Regina Illuſtri, nata, claræ memoriæ Stephani Regis Hungariæ, vera progenie propagatum, (a) cujuſque in eodem Regno ſucceſſio legitima per eandem Eccleſiam exſtitit declarata, ſibique de jure deberi Regnum hujuſmodi definitum, in ejuſdem Regni verum Regem, ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine, cum ſolemnitate debita confirmavit, & prædicta ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine acceptavit, & ſubſequenter omnes unanimiter, & concorditer poſt confirmationem hujuſmodi, tam adhærentes, quam adverſantes hactenus eidem Domino Carolo, receperunt, & cognoverunt, ſingulariter, & diverſim ipſum Dominum Carolum verum Regem, ac Regni Hungariæ ſucceſſorem, ſibique ſervire, ac obedire teneri; tanquam Vaſalli legitimi, & fideles Domino Naturali, de quibus per eoſdem firmiter adimplendis, & inviolabiliter obſervandis junctas manus, prout ſolet a profitentibus regulas fieri, infra ſæpe dicti Domini Legati mittentes manus, juramentum, & fidem ſuper veræ Crucis ſignum, ipſique, ac dicto Domino Regi ſingulariter pacis oſculum præſtiterunt; ſtatimque ipſum Dominum Carolum Regem, catervatim elevatum ſuſtollentes manibus, plauſibus, ac vocibus extulerunt Regium lætis ad ſidera nomen, ſubſequenter, Te DEUM laudamus ſolemniter decantando. Actum ut prædicitur in dicto loco Prædicatorum prope civitatem Peſtenſem, ultra ipſum Danubium ex oppoſito dicti Caſtri, præſentibus, Reverendo in Chriſto Patre, Domino Thoma Epiſcopo Veglienſi, ac Venerabilibus, & Religioſis viris fratribus Paulo, Priore Prædicatorum, & Haymone Miniſtro Minoris Fratrum, Ordinum Provincialibus, & Salomone Vicario Prioris Provincialis Fratrum Eremitarum in Provincia Hungariæ; cum eorundem Ordinum Fratrum multitudine, ac Venerabilibus, & diſcretis Viris, Magiſtris Philippo de Sardinia Arborenſis, & Joanne de Aretio Auxiamanenſis Eccleſiarum Canonicis auditoribus; nec non Magiſtris Guitto de Sanguinetto, Joanne Anglico, & Alberto de Parma, Capellanis Domini præfati Legati, & Notariis publicis, ac inferius ſubſcriptis, ad hoc ſpecialiter vocatis, & rogatis, & alia diverſarum copioſa multitudine nationum.

Et ego Joannes de Pontecurvo Apoſtolica, & imperiali authoritate, Notarius, prædictis omnibus interfui, ipſaque mandato, & authoritate præfati Domini Legati, nec non a prædictis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus, una cum præfatis Notariis rogatus, ſcripſi, & publicavi, meoque ſigno conſueto, & ad majorem prædictorum roboris firmitatem, ac memoriam futurorum, ſupra dicti Domini Legatus, Rex, Prælati, & Barones fecerunt præſens inſtrumentum publicum prædictorum Notariorum ſubſcriptionibus communitum, ſigillis etiam propriis roborari.

Et ego Guittus de Sanginetto, publicus Apoſtolica, & imperiali authoritate prædictus Notarius omnibus, una cum prædictis teſtibus, & Notariis præſens interfui, ac de mandato præfati Domini Legati, nec non a prædictis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus rogatus, huic inſtrumento publico me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum.

Sigilla nulla erant, ſed in quadam parva ſchedula de pargamena, aſſuta hæc ſcripta erant: *Et ego Joannes Anglicus Notarius quondam Henrici, publicus Apoſtolica authoritate Notarius &c.* In tergo autem inſtrumenti, in loco ſigillorum ita erat ſcriptum: *Prælatorum Archi-Epiſcoporum, Legati, Regis, Baronum Sigilla.* Hucuſque verba Notarii. (b).

(a) Maria filia Stephani V. H. R. & Eliſabeth. Nupta Carolo II. Claudo Siciliæ R. ex quo ſuſcepit Martellum, Patrem Caroli I. Hung. R. de quo nobis ſermo.

(b) Poſſemus plura addere teſtimonia ex MS. noſtris, quo Hungari Carolo fidem ſuam addixiſſe, & imper. acceptaſſe palam profeſſi ſunt, ſi argumenti ratio non prohiberet.

CON-

CONSTITUTIONES

Pro rege Hungariæ, F. Gentilis S. R. E. cardinalis & A. S. L.

De Statu Regis.

SUbſiſtentiam multorum, et regimen, ſingulis Regnis, & Mundi Provinciis ſingula regnantium ſolia præeſſe oportuit, & ſingulis Principatuum poteſtates: quia dum Reges populis imperant, & populi Regibus reverenter intendunt, dum hi humiliter ſubſunt, & illi benigne præſunt, dum congruis illi præeunt juſſibus, & devotis iſti animis B ſubſequuntur; viget, & hoc in eiſdem populis concordium animorum unitas, miſericordia, & veritas ſibi obviant, ac juſtitia, & pax ſe invicem complectuntur. Ideo namque a ſummo illo cœleſti Rege, per quem ſinguli Reges regnant, & Principes principantur, temporalis gladii, ad malorum vindictam, terrenis eſt Regibus attributa poteſtas, ut ipſi aſſumpto dominandi officio, judicent æquitate populos, & dirigant in terris ſubjectas ſibi nationes gentium, quatenus ſit voluntas eorum in executione juſtitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis, & obſervantia ſanctæ pacis. Sane per Divinam providentiam Regno Hungariæ Reges C Catholici præfuerunt; quorum primus S. Stephanus Rex, & alii nonnulli, Sanctorum Catalogo meruerunt adſcribi: relinquentes ex ſe legitimos ſucceſſores, ſub quorum regimine Regnum ipſum fertilitate floruit, obtinuit pacis dulcedinem, & inter ipſius incolas viguit unitas animorum. Ex quo nunc Regnum ipſum Reges exteri uſurpabunt, fertilitati ſterilitas, pacis dulcedini tempeſtatis fremitus, & concordibus animis diſſenſio deteſtanda ſucceſſit. Nos itaque ad ejuſdem Regni ſtatus reformationem, per Sedem Apoſtolicam deſtinati, cupientes ſuper his omnibus ſalutare remedium adhibere, Prælatorum, Baronum, &c. Nobilium con- D vocavimus generale Concilium, in quo Prælati, & Barones iidem communiter magnificum Principem, Dominum Carolum, ex primorum Sanctorum Regum vera progenie propagatum, recognoverant verum, & legitimum Regem Hungariæ, ac eorum Dominum naturalem. Igitur cum non liceat a capite membra diſcedere, ſacro præſenti approbante Concilio, irrefragabili conſtitutione ſancimus, quod ipſi eidem Domino Carolo Illuſtri Regi Hungariæ, quem, ut prædicitur, omnes Barones communiter, & Prælati dicti Regni, juxta ipſius Regni antiquam conſuetudinem, receperunt, & ut verum Regem, & legitimum recognoverunt, E ut evidenter appareret per publica documenta: Et nos etiam vice, & Romanæ Eccleſiæ, petentibus approbavimus, & eorum receptionem, & recognitionem confirmavimus, ipſumque Regem Hungariæ naturalem & legitimum promulgamus; cui tanquam vero, naturali, ac legitimo Hungariæ Regi omnes obediant; diſtrictius inhibentes, quod nullus dictum Dominum Carolum verum & legitimum Regem Hungariæ, pro Rege Hungariæ habere recuſet, aut aliam perſonam pro Rege Hungariæ advocet, vel deliberate nominet; qui vero ſuæ famæ prodigus, & proprii perſecutor honoris; dictum Dominum Carolum pro Rege Hungariæ recuſaverit, aut aliam perſonam pro Rege Hungariæ advocaverit, vel deliberate nominaverit, per ſe, vel per alium, publice, vel occulte tam recuſans, advocans, vel deliberate nominans, quam advocatus hujusmodi, eo ipſo, quod advocationi conſenſerit, cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis extiterit, excommunicationis, ſi fuerit ſingularis perſona; ſi univerſitas, interdicti, & nihilominus principales perſonæ ipſius univerſitatis excommunicationis ſententia, & in morte Eccleſiaſtica ſepultura privati, præſentis ſint conſtitutionis authoritate ligati, & a gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac totius Chriſtianitatis conſortio ſeparati. Faventes etiam recuſanti, deliberate nominanti, vel advocanti, aut, ut prædicitur, advocato hujuſmodi, aut dantes conſilium, auxilium, vel favorem, publice, vel occulte, cujuſcunque dignitatis exſtiterint, etiamſi Epiſcopali, Archi-Epiſcopali, vel Regali fulgeant dignitate, niſi infra ſex dies a notitia conſtitutionis hujuſmodi computandos, ab hujuſmodi propoſito ex toto deſtiterint, eo ipſo excommunicat. prædictæ ſententia involvantur. Si vero ab hujuſmodi non recedentes propoſito, ſententiam prædictam incurrerint, & eam poſtmodum per menſem animo ſuſtinuerint contumaci, omnes eorum Vaſalli, caſtellani, Comites, Jobbagiones, & officiales alii, quocunque nomine cenſeantur, a fidelitate, homagio, & alia qualibet præſtatione, qua eis tenebantur, adſtricti juramento, aut alia qualibet firmitate vallata, ſint abſoluti, & liberi præſentis authoritate decreti. Et nihilominus, ſi eis extra fidelitatem manentibus quoquo modo adhæſerint, cum per hoc eos in ſua malitia videantur confovere, excommunicationis vinculo innodati: terra etiam, quæ eis medio tempore obediens fuit, ſit Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto; quod interdictum omnes Eccleſiaſtici, Clerici, & Prælati, exempti, & non exempti in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrant contrarium facientes, ſervare inviolabiliter teneantur. Et ſi absque digna, ac debita ſatisfactione dicto Domino Carolo Regi Hungariæ, prout convenit impendenda, deliberate nominantes, advocantes, & advocati, qui, ut prædicitur, advocationi prædictæ conſenſerint, vel facientes hujuſmodi, deceſſerint, eorum corpora perpetuo Eccleſiaſtica ſepultura privamus; diſtrictius inhibentes Venerabilibus in Chriſto Patribus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, eorumque vices gerentibus, ac Eccleſiaſticis, perſonis ſecularibus, & Religioſis, nec non Ec-

ANNO CHRISTI 1308.

Eccleſiarum Capitulis, & Conventibus exemptis, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Benedicti, Minorum, Prædicatorum, S. Auguſtini, & aliorum Ordinum, nec non Magiſtris Præceptoribus, & Fratribus militiæ templi, Hoſpitalis, S. Joannis Hieroſolymitani, & beatæ Mariæ Teutonicorum, non obſtantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis, & literis eis, vel eorum aliquibus, aut ipſorum ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſis: ne advocantium, nominantium, faventium, aut advocatorum, ut præmittitur, decedentium corpora tumulare, aut eorum tumulationi, quoquo modo intereſſe præſumant.

Si quis autem prædictorum contra præmiſſa venire tentaverit, ſi Clericus fuerit ſecularis, circa Epiſcopalem ordinem conſtitutus, omnibus beneficiis Eccleſiaſticis cum nota infamiæ, præſentis conſtitutionis authoritate, privatus; ſi regularis pro tanta inobedientia carcerali cuſtodiæ condemnatus excommunicationis vinculo ſe noverit innodatum. Et nihilominus loca, in quibus talium corpora ſepulta fuerint, ſint Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto. Cupientes denique non ſolum Regno Hungariæ honorem, & ſtatum debitum obtinere, ſed & quemlibet alium noſtræ legationi commiſſum, ſic in ſua juſtitia conſervari, ut jus alterius non uſurpet; edicto perpetuo prohibemus, ut nullus Epiſcoporum, aut Archi-Epiſcoporum, aut quivis alius, cujuſcunque conditionis, & ſtatus exiſtat, præter Strigonienſem, ad quem de antiqua, & approbata conſuetudine pertinere dignoſcimus, aliquem, ſed nec ipſe, nec verum, & legitimum præſumat de cætero in Regem Hungariæ coronare. (a) Qui vero prohibitionis noſtræ temerator, tranſgreſſor exſtiterit, a temporalium adminiſtratione ſuſpenſus, excommunicationis vinculo ſit ligatus, a qua excepto mortis articulo, & tunc etiam, debita niſi ſatisfactione præmiſſa, abſolvi nequeat, abſque Sedis Apoſtolicæ, vel ipſius Legati de latere, licentia ſpeciali. Volumus etiam, propter contemptum conſtitutionis hujuſmodi, quod quamdiu in dicta excommunicatione perſtiterit, omnes ſui Clerici ſint ab ejus obedientiæ debito abſoluti, & in nullo ſibi pareant, vel intendant, & in morte nihilominus careat Eccleſiaſtica ſepultura. Publicata Budæ, octavo Idus Maii.

(a) Jus co- onandi Legatus bi reti- uit, ad- itentibus consen- ientibus ngariæ rælatis, um tuta quieta erent mnia.

De immunitate Regis.

Quamvis leges ſeculi per ora Principum divinitus promulgatæ, læſæ Majeſtatis reos, capitalis damnatione ſententiæ juſte damnent: fuerunt tamen nonnulli de Regno Hungariæ, qui debitæ fidelitatis, & ſuæ damnationis immemores, prædictis legibus, damnata præſumptione calcatis, celſitudinem Regiam, cui fidelitatem debitam ſervari convenerant, læſiſſe corporaliter referuntur. Ne igitur infidelitatis hujuſmodi crimen in Regno præfato ſubrepat, & in exemplum ab impiis, futuris temporibus aſſumatur, per prædictas leges jam proviſis remediis, alia quæ ipſarum rerum experientia indicavit utilia, ſubjungentes, præſenti decreto de conſenſu præſentis concilii duximus ſtatuendum: ut, ſi quis in hoc flagitii genus irrepſerit, quod in Dominum Carolum Illuſtrem Regem Hungariæ manus violentas injecerit, aut aliquod nocumentum in perſonam ipſius procuraverit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel conſilium dederit, aut favorem, ſeu receptaverit ſcienter eundem, præter pœnas, quas dictæ leges reis hujuſmodi criminis ingerunt, & infligunt, omnibus feudis, gratiis, privilegiis, indulgentiis, & beneficiis ſpiritualibus, & temporalibus, ei, ab Eccleſia quacunque conceſſis, ſit privatus, & perpetuo ſpoliatus. Et nihilominus Vaſalli, Comites, Caſtellani, Jobbagiones, & alii Officiales ipſius, a fidelitate, homagio, obedientia, & alia qualibet præſtatione, qua ei tenebantur, adſtricti juramento, vel quacunque alia firmitate vallata, eo ipſo ſint abſoluti, & liberi præſentis authoritate decreti. Et ut tanti criminis ultio feratur non ſolum in authores ſcelerum, ſed in progeniem damnatorum, cum dignum ſit ut nefandi ratione flagitii ultionis ſeveritas amplius extendatur, & propter enormitatem delicti pœnarum modus exuberet, præſenti adjicimus ſanctioni; quod nulli talium filiorum, aperiatur janua dignitatis Eccleſiaſticæ, vel honoris, imo perpetuo ad quodlibet miniſterium Eccleſiaſticum præſentis conſtitutionis authoritate reddatur inhabilis, nec ad aliquod Eccleſiaſticum Beneficium, niſi per diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ, vel Legati de latere, poſſit quomodolibet reaſſumi. Inſuper, quia prædictum Dominum Carolum Illuſtrem Hungariæ clariſſimum Regem, Romanæ Eccleſiæ filium, interna charitate complectimur, privilegium canonis ab Innocentio II. editi, in favorem totius ordinis Clericalis, quo cavetur, quod injiciens manus violentas in clericum, excommunicationis ſententia ſit ligatus, ad dictum Dominum Carolum Regem, ex cauſis, quæ juſte noſtrum animum movent, de ſpeciali gratia duximus extendendum; irrefragabiliter ſtatuentes, ut quicunque in dictum Regem Carolum manus violentas injecerit, aut aliquod perſonale nocumentum ei procuraverit, præter pœnas alias ſuperius impreſſas, excommunicationis pœnam contrahat ipſo facto, & cum Juda proditore, ipſe proditor, ſuſcipiat portionem.

De Corona Regis.

Antiquorum habet relatio, declarata quoque hiſtoria inclyti Confeſſoris Beati Stephani Regis Hungariæ, qui in ipſo felici primordio, quos Dominus noſter JESUS Chriſtus per miniſterium per præfati Regis Regnum ipſum, ad fidem Chriſtianitatis adduxit, ipſius in terris Vicarius Romanus Pontifex, Regi præfato, ſuiſque in perſonam ejuſdem Catholicis ſucceſſoribus univerſis, ſacram deſtinavit coronam, ut dicti Regis, & Regni eo evidentius appareret & nobilitas, creſceretque devotio, quo ipſius caput nobilior, atque devotione decoraret ornatus. Quia vero Coronam eandem, ut de

ANNO CHRISTI 1308.

aliis mobilibus sæpe contingit, possibile est effractione, ignis consumptione, ac innumerabilibus quasi casibus inopinatis deficere, vel confundi, nonnunquam vero abscondi ad tempus, vel occupatum per violentiam detineri, ut pluries retro actis evenisse temporibus, & ad præsens facti evidentia manifestat, (*a*) officio nostro congruere arbitramur, ut circa coronæ præfatæ, violentiam, occupationem, quæ in præsentiarum imminent, & quæ possent multipliciter imminere, salubre deinceps apponentes remedium, magnifici principis domini Caroli inclyti regis Hungariæ, suorumque successorum, & regni prædicti præsentibus, & futuris incommodis occurramus. Si enim præsenti ejusdem corona, vel futura durante, regnum ipsum debita informatione curreret, illud sequetur absurdum, quod ea irrecuperabiliter occupata, seu cujuscunque casus eventu deperdita, vel consumpta, irrecuperabiliter confunderetur, & regnum, cui etiam consequens esset, quod non solum potentes, & nobiles, verum inferiores quilibet, eidem regi, & regno frequenter illudere possent, ac eorum tota potestas, ex illorum videretur dependere arbitrio, sicque domino prævaleret, et furis melior foret, quam Regis conditio, violenti. De consilio igitur, et assensu venerabilium in Christo Patrum, et dominorum archi-episcoporum, episcoporum, et baronum regni prædicti præsentium, duximus statuendum; quod corona præfata, quæ per nobilem virum Ladislaum Vayvodam detinetur ad præsens; nisi usque ad proximum futurum concilium in præsenti Concilio ordinatum; nobis libera, et expedita restituta fuerit, ex nunc præsentis constitutionis vigore sit penitus interdicta, et pro interdicta, profana, et reprobata tam diu ab omnibus habeatur, quamdiu per ipsum (*b*) L. vel per quemcumque alium sic detenta fuerit quousque ad manus nostras seu legitimi regis, vel Albensis ecclesiæ, ad quam spectare dignoscitur, libere fuerit restituta; et quod alia fabricetur, quæ per nos nomine Romanæ ecclesiæ eidem regi, & regno donetur, & per nos seu authoritate nostra benedicatur solemniter; qua in locum succedente prioris, dictus rex successoresque sui coronentur, eamque authoritate nostra, ut prædicitur, benedictum, rex, & successores prædicti, quam barones, & nobiles, ac universus populus pro vera, & legitima corona perpetuo recipere debeant & habere. Juris enim declarati existit, quod in locum alterius eadem authoritate subrogata res quælibet, jure, quo illa, censeatur eodem, illiusque generaliter sortiatur naturam, in cujus locum substituitur, & honorem.

Quod si contra præfata rehabita, seu alia fabricata, & authoritate nostra benedicta, de novo occupari, abscindi, deperdi, vel sic deficere, quod ad usum debitum non possit haberi, quoquo modo contingat: volumus, quod per Venerabiles in Christo Patres Dominos Strigoniensem, & Colocensem archi-episcopos, de consilio, & de consensu omnium, vel majoris partis suffraganeorum suorum interdicatur, sic occupata, vel perdita; quousque occupatione cessante, prædicta corona eadem in Albensi ecclesia reposita fuerit, seu regi legitimo liberaliter restituta, & alia similiter nomine romanæ ecclesiæ frabricetur, & benedicatur, quæ taliter benedicta, pro vera, ac legitima habeatur ab omnibus, ut de benedicenda, authoritate nostra superius est statutum. Si autem præfati Episcopi inter se concordare, vel consensum majoris partis suffraganeorum suorum habere nequiverint, super eo, quod fieri debeat, Sedes Apostolica consulatur, totiesque prædicta juxta modum superius declaratum fieri possint, & debeant, quoties eventus necessitatis suaserit sic agendum. Cupientes insuper, ut quos reverentia DEI, amorque virtutis a malo non revocat, formidine saltem perterriti pœnæ, assuescant odisse peccatum, statuimus, ut si quis deinceps in temeritatem proruperit, quod præfatam sacram coronam, seu eam, vel eas, quas illius loco subrogari contigerit, per se, vel per alium, publice, vel occulte, furtive subripiat, vel per violentiam occupet, seu in læsionem, & damnum legitimi regis; qui pro tempore fuerit, atque regni ejusdem quoquo modo detineat, vel usurpet, seu subripienti, occupanti, detinenti, vel usurpanti, prædictis, sub quovis colore quæsito auxilium, consilium dederit, vel favorem, cujuscunque præeminentiæ, status, & conditionis existat, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat.

Et siquidem prædicta, vel eorum aliquid publice fecerit, seu fautor fuerit facientis, omnibus feudis, concessionibus, privilegiis, vel quibusvis gratiis, quæ a Romana vel quacunque alia Ecclesia obtineat, sine spe restitutionis, præsentis constitutionis vigore, perpetuo sit privatus. Si vero Clericus fuerit, dignitatibus ecclesiasticis, beneficiis omnibus, quæ obtinet, se privatum, & ad obtinendum inhabilem, & nihilominus excommunicationis sententiam, etiamsi Episcopali, & superiori dignitate præfulgeat, incurrisse noverit se ipso facto. Si autem universitas fuerit, interdicto, & nihilominus universitatis ejusdem principales authores excommunicationi subjaceant; & demum, nisi sic offendentes resipuerint, cum Dathan, & Abiron; quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem. Nullus insuper, præterquam in mortis articulo, & satisfactione præmissa, a dicta sententia excommunicationis absolvi, nec ipsum interdictum relaxari valeat, sine Apostolicæ Sedis, vel nostra sententia speciali. Publicata ut supra (*c*).

De bonis Regalibus, & Reginalibus non occupandis, & occupatis restituendis.

Canonica constitutione cavetur, quod temporalis, & spiritualis gladius debent sibi suffragari invicem, & alter in juvamen alterius, cum expedit, exerceri. Considerantes itaque dominum Carolum illustrem regem Hungariæ, suo temporali gladio in suis occupatis, & detentis regalibus, ad præsens efficaciter non juvari propter quod ipsius regis magnificentia diminuta, dictum regnum inclytum intestino bello multipliciter

(a) Consule Petrum de Revva centuria IV. pag. 70.

(b) Ladislaum Vayvodam, qui S. Coronam Othoni Bavaro ereptam, & in Transylvaniam a se delatam Hungaris demum 1310. restituit.

(c) Budæ Octavo Id. Maii.

ANNO CHRISTI 1308.

ter conquassatum, nequit dicti Regis felici regimine gubernari. Nos, qui totis desideriis anhelamus, tam Regis quam Regni prædictorum statui viriliter providere, dicti Regis temporalem gladium, exigente necessitate, nostro spirituali juvando, sacri approbatione concilii duximus inhibendum, ut nullus regalia, vel reginalia dicti regis, de cætero occupare, aut usurpare, vel occupata illicite detinere præsumat. Irrefragabiliter statuentes, quod omnes, & singuli; qui dicta regalia, vel reginalia occupaverunt, in præterito, vel occupata tenent in præsenti, dicto Regi restituant, infra trium mensium spatium, si non requirantur; infra decem vero dies, postquam super hoc a dicto supra rege, vel ex parte ipsius fuerint requisiti: & eum permittant, quiete ac libere, pacifice possidere, si notam infidelitatis, & pœnam voluerint evitare. Qui vero prædicta regalia, vel reginalia de cætero occupaverit, vel usurpaverit, seu occupata, vel usurpata, ut præmittitur, non restituerit, nisi de voluntate Regis ejusdem, & nostra, quamdiu fungemur legationis officio; alioquin ipsius regis consiliariorum, vel majori partis ipsorum, ipsa, vel ipsorum aliquod retinuerit, vel inter ipsum regem, & hujusmodi detentorem, aliter secundum morem Regni fuerit ordinatum, clericus, vel laicus, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut status, Religionis exstiterit, etiamsi archi-episcopali præemineat dignitate, vel episcopali, non obstantibus quibuslibet privilegiis, & indulgentiis eis, vel ipsorum ordinibus ab Apostolica sede concessi, vel qui, ne prædicta regalia, vel reginalia occupata restituantur dicto regi, infra terminum ante dictum, dederit consilium, auxilium, vel favorem, publice, vel occulte, si fuerit singularis persona, excommunicationis, si universitas, vel collegium, interdicti sententias ipso facto incurrat. Si vero per mensem, dictam sententiam, a lapsu prætaxati termini numerandum, animo sustinuerint contumaci, omnes vasalli sui, comites, castellani, judices, jobbagiones, & quivis alii a fidelitate, homagio, & qualibet alia præstatione, qua ei tenebantur, adstricti juramento, aut alia firmitate vallata, sint absoluti, & liberi præsentis authoritate decreti: & si eis in tanta obstinatione manentibus; post lapsum prædicti mensis, quoquo modo adhæserint, quia favere eis in prædicta obstinatione videntur, excommunicationis vinculo sint innodati. Et nihilominus eorum, & dictorum detentorum morientium corpora, qui sine debita satisfactione decesserint, Christiana sepultura privamus; districte præcipientes omnibus clericis, & prælatis exemptis, & non exemptis, etiamsi de prædicatorum, minorum, & eremitarum S. Augustini ordinibus fuerint, cujuscunque dignitatis, aut conditionis exstiterint, quod talium morientium corpora nullus audeat tumulare, aut tumulationi eorum modo quolibet interesse. Si quis autem contravenire tentaverit, si clericus fuerit secularis, omnibus sit Ecclesiasticis beneficiis cum nota infamiæ, præsentis constitutionis authoritate, privatus; si autem regularis, pro tanta inobedientia carcerali custodiæ condemnatus, excommunicationis vinculo se noverit innodatum, & loca nihilominus, in quibus talium corpora sepulta fuerint, sint Ecclesiastico supposita interdicto. Quicunque vero laicorum eidem regi ad recuperanda prædicta bona requisitus ab eo, fideliter assistere, ac ipsum juvare recusaverit, juxta fidelitatis obsequium; eisdem pœnis, & sententiis se noverit subjacere. Publicata tertio Idus Julii.

De ordinatione vacantis Ecclesiæ per provisionem, electionem, aut postulationem facienda. (*a*).

Sciendum est volentibus Ecclesias vacantes ordinare, quod altero de tribus modis ipsis vacantibus providetur: aut enim ordinatur, vacans Ecclesia *per provisionem*, aut *electionem*, aut *per postulationem solemnem*. Provisio pertinet ad superiorem, in qua non est necessaria forma Concilii; electio autem, & postulatio ad inferiores, in quibus forma Concilii generalis necessario est servanda. Forma autem ipsius Concilii triplex est: scilicet forma scrutinii, compromissi, & inspirationis, vel quasi; secundum alteram istarum, quicunque vult eligere, vel solemniter postulare in Ecclesiis Cathedralibus, regularibus, & collegiatis, debet de necessitate procedere.

Per formam autem scrutinii, proceditur modo subscripto. Ecclesia enim pastoris regimine destituta, capitulum, sive canonici præsentes, statuent terminum ad electionem celebrandam, de quo fiet publicum instrumentum, in quo narrabitur, quo, die cedente, vel translato, vel defuncto tali Prælato talis ecclesiæ, ejusque corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ, capitulum, sive canonici, qui tunc præsentes erant, convenientes in unum, talem terminum, cum continuatione sequentium dierum ad electionem unanimiter statuerunt; qui terminus erit competens, quod infra illum absentes, qui vocandi sunt, citati commode venire possint, consideratis locorum distantiis, & personarum qualitate, & temporis, non tamen nimis longum, quia in electione mora est periculosa. Et si vocandus scitur ubi, personaliter est vocandus; si vero nesciatur, vocetur in loco, ubi morari consuevit, per edictum publicum. Vocatio autem fiet sub hac forma. B. Præpositus, & capitulum Strigoniensis ecclesiæ, canonico Strigoniensi, Coloscæ moranti salutem in Domino. Discretioni vestræ significamus, quod bonæ memoriæ R. quodam archi-episcopus noster, die .. fuit viam universæ carnis ingressus, & corpus ejus cum debita reverentia Ecclesiasticæ traditum sepulturæ. Ne igitur Ecclesia nostra propter diutinam vacationem, gravem patiatur in spiritualibus, & temporalibus læsionem, diem.. cum continuatione dierum sequentium, ad tractandum de electione futuri Pontificis, & ad electionem celebrandam duximus statuendum. Quo circa vos requirimus, & peremptorie citamus; quatenus die ipsa nobiscum convenire curetis, alioquin nos ex tunc, ad eam proce-

(a) Resumat Lector ea, quæ p. 64. & seq. præoccupavimus.

ANNO CHRISTI 1308.

dere curabimus vestri absentia non obstante. Quod si vero justo impedimento detenti venire nequiveritis, & velitis alicui de canonicis committere vices vestras, ad nos vestrum specialem nuntium, & idoneum transmittatis, qui juxta statutum Concilii generalis, de ipso impedimento faciat plenam fidem. Datum &c. Hæ autem literæ erunt apertæ, & de præsentatione ipsarum fiet publicum instrumentum, ne possit malitiose negari citatio, prout aliqui jam fecerunt. Debent autem convenire in ecclesia, vel in capitulo, si possunt, vel in alio loco idoneo, si ibi convenire non possunt. Sed ex causa, solitus locus mutatur, & locus, & causa in citatione inferatur. Omnibus autem in loco statuto convenientibus, diligenter deliberent, an per viam scrutinii, an per viam compromissi, procedere velint. Si ergo etiam eligant de electione hujusmodi, fiat publicum instrumentum, in quo contineatur, qualiter diligenti deliberatione adhibita, placuit omnibus, & singulis, & concorditer omnes consenserunt, per viam scrutinii procedere.

Quo facto sic procedant: eligantur enim ex ipso collegio, & non aliunde, tres fide digni, vel plures, vel pauciores, licet sit melius, quam tres tantum juxta Concilium Generale, de qua etiam electione fiat publicum instrumentum, quibus detur potestas, per idem publicum instrumentum, vel per scripturam alias authenticam, examinandi vota sua, & aliorum nullo omisso secreto, & singillatim, & in scriptis ea redigendi, & redacta mox in communi publicandi, ut sciantur, qui in quem consenserunt, & meriti ad meritum, & zeli ad zelum, & numeri ad numerum collationem faciendi, & collatione per eos diligenti habita, electionem faciendi, & eum eligendi, in quem omnes invenerint & majorem & saniorem partem capituli consensisse; ita quod unus ipsorum scrutatorum de consensu, & voluntate aliorum duorum, vice sua, & collegarum, & aliorum omnium, qui in eis consenserint, electionem pronuntiet, in scriptis & solemniter celebret, & alia faciat, prout compromittentibus placuerit. Huic autem instrumento super potestate tradita confecto omnes subscribent sic: ego talis.. prædictis interfui, & consensi, & prædictam potestatem eis contuli: & postea sigilla omnium, & etiam capituli apponantur. Hoc facto isti tres trahant se ad partem, & primo scrutentur voces eorum, ita quod duo scrutentur tertium. Post hoc seriatim, & singulariter vocabunt quemlibet de capitulo solum, per se, & primo illum, qui habet in electione primam vocem de consuetudine, et dicent ei secrete exemplo Danielis: frater in electione præsenti habens DEUM præ oculis, cujus nunc causa tractatur, non te decipiat odium, amor, vel favor; non pecunia, quæ humanos pervertere solet sensus, non lucro tuo prospicias, sed utilitati communi: ideo adjuramus te per DEUM vivum, et in virtute Spiritus Sancti, et sub periculo animæ tuæ, quod consentias in eum, et eum nomines, quem ex voto credis utiliorem, et meliorem ecclesiæ, et per quem

A jura ecclesiæ possunt melius defensari, et tunc ille dicat: et ego credo P. meliorem, et utiliorem, et in eum consentio, et eum nomino eligendum in episcopum, & pastorem, & tam interrogatio, & adjunctio, & responsio redigantur in scriptis. Et hoc per Tabellionem Clericum, vel si non possit haberi tabellio, duo ex eis hæc scribant. Completo scrutinio, ipsi scrutatores, mox in illo actu, contrario intermedio redibunt ad capitulum, & ipsi, vel unus eorum, aliorum mandato, vota singulorum in communi publicabunt, & præsente Capitulo dicent: Nos examinavimus vota vestra, & singulorum, secreto, & singillatim; placet vobis, quod explicemus? & illi dicent, placet; & publicabunt sic, id est: publice legent, ut, quod secrete actum est, ab omnibus sciatur. Publicatione facta, collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum fiet per ipsos scrutatores sic: si vota canonicorum diversa fuerint, id est plures, surgent in medio capituli, & publicatis votis incipient a capite, & legent sic: A. B. C. consenserunt in P. item ex altera parte legent, D. E. F. consenserunt in M. & sic computabunt dicentes: Nos invenimus majorem numerum consensisse in P. Nam cum in universo XL. sint canonici, XXV. consenserunt in ipsum P. & XV. in M. Item invenimus: quod tot personæ personatus, seu dignitates habentes, consenserunt in P. & plures quam in M. Item invenimus meliorem zelum ex parte eligentium P. quam ex parte eligentium M. Nam illi elegerunt bonum, et utilem virum, istis autem caro et sanguis revelavit suum consanguineum eligendo; Item invenimus P. majoris esse meriti, quia literatior, prudentior, honestior, sanctior, et melior, ac potentior ad jura ecclesiæ conservanda, quam M. Ubi autem unus solus est in scrutinio nominatus, non habet locum collatio, numeri ad numerum, vel meriti ad meritum, vel zeli ad zelum; fiet tamen tunc collatio talis per eum, qui major est, vel per scrutatores. Si vir S. nominatus, sit de legitimo matrimonio natus, competentis scientiæ, sufficientis ætatis, et in sacris ordinibus constitutus, et si ista concurrant, procedatur ad electionem, et duo ex scrutatoribus, quibus data a capitulo potestas eligendi, tribuant potestatem, tertio electionem pronuntiandi, et publicandi nomine suo, et omnium consentientium; qui unus debet eligere, et in continenti electio, et pronuntiatio fiet in capitulo primo, in hac forma: In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Anno, mense, et die, ego unus ex scrutatoribus a nostro capitulo nominatus, et electus ad faciendum scrutinium, et electionem futuri Pontificis, secundum formam superius prætaxatam, ipsa servata in omnibus, de voluntate, consensu, et mandato collegarum meorum, et ex potestate mihi tradita, invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem DEI et gloriosæ Matris ejus, et S. nostri Patroni, et omnium sanctorum. P. in quem collatio est facta, reperimus omnes, vel majorem et saniorem partem Capituli nostri in scrutinio consensisse, in nostrum, et ecclesiæ nostræ epi-

ANNO CHRISTI 1308.

episcopum, eligo, et in pastorem, eandemque electionem in his scriptis pronuntio. Post hoc pulsentur, campanæ, ut populus congregetur et populo congregato, per alteram ex electoribus ad hoc, per capitulum deputatum, publicetur electio in communi, id est coram clero, et populo, et cantetur: Te DEUM laudamus solemniter, et electus, si præsens est, deportetur ante altare, intronizetur. Forma autem publica nominis hujus, erit talis: recitetur totus processus, sicut jam in forma pronuntiationis dictum est, et ultimo sic adjiciet: quam electionem vobis denuntio, et in præsentia omnium dico solemniter publicandam. Igitur celebrata, et publicata electione, decretum electionis fiet sic: sanctissimo ac beatissimo patri, et Domino suo Domino, Divina Providentia sacro-sanctæ romanæ, ac universalis ecclesiæ summo pontifici P. præpositus, et capitulum Strigoniensis ecclesiæ ejus humiles, fideles, ac devoti filii, pedum oscula beatorum. Sacris Canonibus novimus esse cautum, quod ultra tres menses vacare non debeant ecclesiæ cathedrales, ne propter defectum pastoris, Dominicum gregem lupus rapax invadat, et viduata ecclesia in suis facultatibus grave dispendium patiatur. Eapropter bonæ memoriæ R. archi-episcopo nostro, anno, mense, et die, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, ipsius corpore, ut moris est, cum reverentia, ecclesiasticæ tradito sepulturæ; Nos, qui tunc præsentes eramus, convenientes in unum, ad electionem futuri nostri pontificis canonice celebrandam, terminum cum continuatione sequentium dierum duximus statuendum; citatis igitur interim, et tunc præsentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, in Ecclesia nos convenimus de electione futuri pontificis tractaturi. Sane post diversos tractatus inter nos habitos, et nominationes diversarum personarum simplices, ac discussiones, ac inquisitiones multiplices, tandem placuit nobis, universis, et singulis per viam scrutinii nostræ ecclesiæ providere, & eligentes tres S. A. B. & C. de nostro collegio fide dignos, dedimus eis plenariam potestatem, ut secreto & singillatim vota cunctorum primo intra sua, & postea nostra diligenter inquirerent, & ea scriptis redigerent, & in scriptis redacta, mox in communi publicarent, & tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum, per eos habita collatione diligenti, illum eligerent, in quem invenirent omnes, vel majorem, & saniorem partem nostri collegii concessisse; ita quod unus ipsorum de voluntate, & consensu aliorum duorum servatorum vice sua, et collegarum, et aliarum omnium electionum, eandem pronuntiaret, in scriptis, & solemniter celebraret. Qui secedentes in partem, primo vota sua, ita quod duo scrutabantur tertium, secundo, tres simul vota omnium aliorum, sicut nobis postea retulerunt, secreto, & singillatim diligenter inquisiverunt, et in scriptis redacta, mox in communi publicarent, et in nostra præsentia, per eosdem, secundum formam eis datam, tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum collatione habita diligenti, unus de scrutatoribus ante dictis, de voluntate, consensu, et mandato aliorum, in quem repertum fuit, omnes vel majorem partem, et saniorem nostri collegii, seu capituli in scrutinio consensisse vice sua, et collegarum, et omnium aliorum, in his consentientium invocata Spiritus Sancti gratia, in nostrum, et ecclesiæ nostræ elegit episcopum, et pastorem; virum utique plenæ, et maturæ ætatis, utique, qui trigesimum annum ætatis suæ exegit, de legitimo matrimonio procreatum, et in sacris ordinibus constitutum, vita, et moribus, ac literarum scientia commendatum, in spiritualibus, et temporalibus circumspectum, et electionem pronuntiavit in scriptis, et eam publicavit hoc modo: In hoc mense, et die. Ego unus de scrutatoribus a dicto nostro capitulo nominatis, et electis ad faciendum scrutinium, et electionem futuri pontificis secundum formam superius prætaxatam, ipse servata in omnibus, de voluntate, consensu & mandato, collegarum meorum, & omnium in his consistentium, & ex potestate mihi, & ipsis invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem DEI, & Gloriosissimæ Virginis matris ejus, & sancti, in cujus honorem ecclesia nostra est constructa, Dominum P. in quem, collatione facta, reperimus omnes, vel maiorem partem, & saniorem nostri capituli, seu collegii, quorum scriptiones inferius continentur, in scrutinio concessisse, in nostrum, & ecclesiæ nostræ episcopum eligo, & pastorem, eandemque electionem in scriptis pronuntio. Dictam vero electionem sic canonice, & solemniter celebratam, & publicatam in communi omnes recepimus, & approbavimus, Te DEUM laudamus more solito, cum cordis jubilo decantando: idem vero electus sibi &c. de electione hujus præsentata licet, & hujusmodi humilitate se insufficientem, & indignum asserens, se multipliciter excusaret, nobis tamen vehementer instantibus, timens divinis dispositionibus contraire, invocato divinæ pietatis auxilio, die dicta, electioni consensit, non tam timide, quam devote electionem ipsam, officium, onusque impositum, ut prodesse valeat, suscipiens, & acceptans. Vestræ igitur beatitudini duximus unanimiter supplicandum, ut electionem sic prædictam canonice, sic solemniter celebratam dignemini confirmare, ut electo ipsi consecrationis munus favorabiliter impertiri possit, quatenus nobis velut pastor idoneus, & toti provinciæ præesse utiliter valeat, & prodesse. Nosque, & alii sibi commissi, sub ejus sacro regimine possimus coram DEO salubriter militare. Ad hujus autem confirmationem, nomine nostro a vestra sanctitate petendam, & nostros canonicos & co-electores, Inscrutatores, & procuratores ordinavimus, & constituimus, & propter hoc eos ad vestræ sanctitatis pedes duximus destinandos; dantes ei plenam, & liberam potestatem petendi confirmationem, &, si necesse fuerit, provisionem, & jurandi in animas nostras, si visum fuerit expedire, promittentes

ANNO CHRISTI 1308.

tes nos votum, & gratum, & firmum perpetuo habituros, quidquid per eos in prædictis, vel aliquo præmissorum extiterit procuratum: ut autem omnium nostrorum vota, & prædictis omnibus, & singulis in hac electione, & petitione concordasse noscatis, Sanctitati vestræ hoc canonicum decretum mittimus roboratum propriis manibus, & subscriptum. Ego præpositus Strigoniensis ecclesiæ, supradictis omnibus, & singulis consensi, & consentio, manu propria signo, & subscribo. Ego vice scribere nescientis, de mandato subscribo. Notarius autem in fine dicet: acta sunt hæc, anno, mense, die, & loco.

Per viam compromissi procedatur, modo subscripto: canonici vacantis Ecclesiæ, statuant terminum ad electionem celebrandam. Interim vocatis omnibus absentibus, & in termino convenientibus, qui possunt, debent, ac volunt commode interesse, major de capitulo, vel alius, cui capitulum committit, quærat a singulis, si placet eis per viam procedere compromissi. Singulorum autem consensu requisito, et habito, tractetur de persona, cui committant; deinde singulis super requisitis, et in unam personam, cui committatur, convenientibus, unus de mandato capituli dicet. Ego vice capituli committo, seu do A. si est unus, vel A. B. et C. si in plures compromittant, potestatem providendi ecclesiæ nostræ de pastore. Illi autem, in quos compromittitur, si plures sint, quia possunt esse duo, tres, quinque et septem, trahent se ad partem, et simul deliberent potestate recepta, et conferant de persona eligenda, et si concordaverint, redeant ad capitulum, et forma eis a capitulo tradita in omnibus observata, unus eorum electionem pronuntiet, et publicet sub hac forma. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Anno N. mense N. et die N. ego de voluntate, et consensu collegarum meorum, in quo unanimiter compromissum fuit a capitulo, in quos potestatem providendi ecclesiæ transtulerunt, vice mea, et ipsorum, et omnium aliorum in electione jus habentium, et hic præsentium, ex potestate, authoritate supradicta mihi, et aliis meis collegis concessa, invocata Spiritus Sancti gratia, P. in quem nos A. B. et C. compromissarii supradicti simul convenimus, in nostrum et ecclesiæ nostræ episcopum eligo, et pastorem, et de ipso provideo dictæ Ecclesiæ in pastorem, et ipsam electionem, et provisionem in his scriptis pronuntio, et solemniter publico in communi.

Hæc forma servanda est, quando compromissarii sunt de collegio, prout dicit Concilium. Si vero essent extra collegium, tunc sufficit dicere: Ego unus de compromissariis supradictis; de voluntate, et consensu ipsorum, vice totius capituli, P. in quem omnes convenimus, eligo, seu provideo in ecclesiæ episcopum, et pastorem, et in hoc quasi totum capitulum concordat, nam uno contradicente non potest per viam compromissi procedere. Postmodum vero coram clero, et populo publicent electionem, sive provisionem, et postea fiat decretum

A ipsius electionis, sive provisionis hoc modo: Almo et beatissimo patri, et Domino, Divina providentia sacrosanctæ Romanæ, ac universalis ecclesiæ summo Pontifici P. præpositus, et capitulum ecclesiæ Strigoniensis, ejus humiles filii et devoti pedum oscula beatorum. Cum propter vacationem diutinam, ecclesiæ pastorali solatio destitutæ, in spiritualibus, et temporalibus, dispendia patiantur, conditores canonum deliberatione provida censuerant, ut ultra tres menses vacare non debeant ecclesiæ cathedrales. Defuncto igitur bonæ memoriæ R. archi-episcopo nostro, Anno, mense, et die, sicut Domino placuit, ipsiusque corpore cum reverentia tradito B Ecclesiasticæ sepulturæ; nos canonici Strigoniensis ecclesiæ, qui tunc præsentes eramus, convenientes in unum, ad electionem futuri pontificis celebrandam, terminum cum continuatione dierum sequentium duximus statuendum, citatis interim, et tunc præsentibus omnibus, qui electioni celebrandæ, debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse in capitulo.

Nos recepimus de electione futuri pontificis tractaturi, et post diversos tractatus inter nos habitos, placuit tandem omnibus, et singulis, per viam compromissi, nostræ viduatæ Ecclesiæ providere, considerantes in unam difficulter multitudinem conveni-C re, et sæpe in paucos spiritum sanioris consilii residere, dedimus plenam, et liberam omnes, et singuli unanimiter potestatem A. B. et C. ut iidem vel major pars ipsorum vice sua, et nostra per electionem canonicam, vel postulationem concordem, ecclesiæ nostræ supradictæ vacanti, DEUM, ac bonum statum ipsius ecclesiæ habentes præ oculis, de persona idonea providerent, omnem potestatem, et vicem nostram, super hoc eis committentes; ita, quod unus ipsorum de consensu aliorum compromissariorum, vel majoris partis ipsorum convenirent, eligerent, et electionem in præsentia nostra solemniter publicarent, qui secedentes D in partem, et Spiritus Sancti gratiam invocantes, devote post tractatus diversos, et varios de diversis personis inter se habito, ut nobis postmodum retulerunt, tandem in magistrum P. præpositum Strigoniensem in Sacerdotali ordine constitutum, iidem unanimiter convenerunt, virum utique plenæ, et maturæ ætatis, utpote qui 30. annos ætatis suæ exegit, de legitimo matrimonio procreatum, vita, et moribus, et literarum merito scientia commendandum, in spiritualibus, et temporalibus plurimum circumspectum: quem secundum formam in compromissa appositam, in hunc modum elegit: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus E Sancti. Amen, anno, mense, et die. Ego N. unus de compromissariis supradictis de voluntate, et consensu collegarum meorum, juxta formam compromissi mihi, et eis traditam, vice mea, et prædictorum collegarum meorum, ac omnium de capitulo, et potestate mihi, et prædictis meis collegis ab universis, et singulis de ipso capitulo tradita, invocata Spiritus Sancti gratia ad honorem DEI, et Gloriosæ Matris ejus, et san-

ANNO CHRISTI 1308.

ſancti noſtri patroni, et omnium Sanctorum, magiſtrum P. præpoſitum Strigonienſem, in quem nos compromiſſarii ſupradicti unanimiter convenimus, in noſtrum, et eccleſiæ noſtræ eligo in epiſcopum, et paſtorem, et de ipſo provideo dictæ eccleſiæ in paſtorem, eandemque electionem ſeu proviſionem in his ſcriptis pronuntio, et publico, in communi publicatam omnibus unanimiter recepimus, et approbavimus more ſolito pulſatis campanis cum cordis jubilo, Te DEUM laudamus ſolemniter decantando; conſequenter autem conveniente populo ad pulſationem campanarum, R. de mandato noſtro dictam electionem ipſi populo publicavit. Idem vero electus ſibi die.. electione hujuſmodi præſentata, licet ſe multipliciter excuſaret, tandem nobis vehementer inſtantibus, invocato Divinæ pietatis auxilio, die.. dictæ electioni conſenſit. Sanctitati igitur veſtræ duximus unanimiter ſupplicandum, ut electionem ſupradictam ſic canonice celebratam, dignemini confirmare, et electo noſtro prædicto, munus conſecrationis miſericorditer imperriri, quatenus authore DEO, nobis, et toti provinciæ, velut paſtor idoneus, præeſſe valeat, utiliter et prodeſſe, noſque, et alii ſibi commiſſi ſub ejus ſacro regimine, poſſimus coram DEO ſalubriter militare. Ad hujus autem confirmationem, et conſecrationem nomine noſtro a veſtra ſanctitate petendam A. et B. de noſtro capitulo noſtros procuratores, et etiam inſtructores ordinavimus, et conſtituimus, et propter eos ad veſtræ ſanctitatis pedes duximus deſtinandos; dantes eis plenam, et liberam poteſtatem petendi confirmationem, et conſecrationem, ac ſi neceſſe fuerit, diſpenſationem, et proviſionem, et jurandi in animas noſtras, ſi viſum fuerit, expedire. Promittentes nos ratum, gratum, ac firmum habituros, quidquid per eos in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum fuerit procuratum. Ut autem omnium noſtrorum vota in prædictis omnibus, et ſingulis concordaſſe noveritis, et in hanc electionem, et petitionem venire, hoc canonicum decretum ſanctitati veſtræ mittimus roboratum propriis manibus, et ſubſcriptum, et ad majorem cautelam ſigillo noſtri capituli, et etiam propriis ſigillatum. Ego archi-diaconus Strigonienſis ſupradictis omnibus, et ſingulis conſenſi, et conſentio, et propria manu ſcribo.

Per inſpirationem fit electio, ſi dum canonici primo intrant capitulum pro electione celebranda, nullo ſpecialiter tractatu præcedente, quaſi Divina revelatione, et inſpiratione omnes, nullo contradicente, conſenſerint in aliquem repente, et ſimul eum eligant, et nominent dicentes una voce: eligo P. eligo P. et talis electio dicitur facta per inſpirationem; et ex quo canonici omnes uno ore, et uno ſpiritu eligunt, non eſt vis, ſi dicant eligo, ſive eligimus. Quia una eſt cenſenda electio propter unanimes voluntates: et conformabitur ſic decretum.

Sanctiſſimo Patri, et Domino ſuo Domino C. Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, P. præpoſitus, et capitulum Strigonienſis ejus eccleſiæ humiles filii, et devoti, pedum oſcula beatorum. Ne pro defectu Paſtoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in ſpiritualibus, et temporalibus eccleſia viduata grave diſpendium patiatur, conditores canonum deliberatione provida ſtatuerunt, ut ultra tres menſes vacare non debeant eccleſiæ cathedrales. Eapropter bonæ memoriæ R. archi-epiſcopo noſtro, anno, menſe, et die, ſicut domino placuit, viam univerſæ carnis ingreſſo, ipſiuſque corpore, ut eſt moris, cum reverentia eccleſiaſticæ tradito ſepulturæ: Nos canonici Strigonienſes, qui tunc præſentes eramus, convenientes in unum ad electionem futuri noſtri Pontificis canonice celebrandam, terminum cum continuatione dierum ſequentium duximus ſtatuendum: citatis igitur interim, et tunc præſentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode intereſſe, in eccleſia nos recepimus de electione futuri Pontificis tractaturi; nobis in unum locum, & propoſitum congregatis, unuſquisque divina inſpiratione repente, nulla nominatione, nulloque tractatu alio præcedente in P. virum utique plenæ, & perfectæ ætatis, utpote, qui 30. annos ætatis ſuæ exegit, legitimo matrimonio natum, vita, et moribus, et literarum ſcientia commendandum conſenſit, & una voce ſimul, ac unanimiter omnes, & ſinguli in epiſcopum elegerunt, et pulſatis campanis, Te DEUM laudamus ſolemniter decantarunt, conſequenter autem conveniente populo: etiam & ut ſupra in forma proxima. Publicata II. Idus Julii. Datum Budæ Anno domini milleſimo, tercenteſimo, octavo, indictione ſeptima III. non. decembris. Pontificatus domini Clementis papæ V. Anno quarto.

PISTORIENSE CONCILIUM DIOECESANUM

Anno 1308. celebratum.

COLLECTORIS MONITUM.

An. 1308. *Quanquam a Diœcesanis synodis post annum 1300. celebratis abstinendum statui, ne operis hujus moles nimium cresceret, nec ab ea lege recederem quam Labbeus constituerat; ex me tamen impetrare non potui quominus, aliis omissis, duo tamen diœcesana concilia darem, Pistoriense scilicet istud, & Lucense aliud suo mox loco referendum. Ac de Lucensi quidem, amori in patriam meam id facile indulgentiæ dabunt lectores æqui, ut quandoquidem tantum laboris, omnia undequaque dispersa concilia colligendo, in eorum gratiam suscepi; civibus interdum meis peculiarius, cum tantillo eorum incommodo, servirem. Quin nec grave illis accidet, si hic habeant Concilium, quamvis diœcesanum, quod nullibi habere possunt excusum. Pistoriense vero ut darem coegit humanitas Illustrissimi & Rev. Domini Friderici Alamanni Pistoriensis episcopi, qui ejus apographum mihi benigne largitus est, hic primo vulgandum.*

CONSTITUTIONES SYNODI DIOECESANÆ PISTORIENSIS

Sub Episcopo Ermanno editæ.

Anno MCCCVIII.

Exemplar extractum ex antiquo autographo existen. in Archivio Sapientiæ Civit. Pist. in Pluteo X.

In Dei nomine. Amen. Infrascriptæ sunt Constitutiones factæ, & editæ per Ven. Patrem D. Ermannum Dei gratia Pistoriensem episcopum, & lectæ, & publicatæ in Synodo Cleri civitatis, & diœcesis Pistoriensis celebrata in Ecclesia majori civitatis Pistorii sub anno Dominicæ Nativitatis MCCCVIII. indictione VII. die VIII. Decembris, & postea confirmatæ per Venerabilem in Xpo PatremDominum Barontum Dei grtia episcopum Pistoriensem successorem dicti Ven. Patris D. Ermanni.

Rubrica.

Quod Clerici, & Conversi portent habitum, & tonsuram.

Licet clericos, religiosos, & conversos congruis attollere favoribus, & eorum immunitates, jura, & privilegia illibata conservare pro viribus intendamus; tamen ipsos suis juribus, & honoribus ita volumus esse contentos, quod immunitatum, & jurium suorum limites observantes, jura non impediant, vel occupent aliorum. Et qui eorum verbis, & exemplis laicos debent ad viam vitæ & rectitudinis revocare, ipsos in mortis devia non impellant, & ne ex ipsis fomites eorum erroris, & discordiarum materiam dicantur laici invenire. Sane sicut nos tam facti experientia, quam frequens clamor instruxit; quidam clerici, religiosi, ac ecclesiarum, & venerabilium locorum civitatis, & diœcesis Pistorien. conversi, nec in vestimentorum forma, nec in modo tonsuræ, nec in qualitate negotiorum, de ecclesiæ religione, seu conversione ostendunt, ad poenæ subterfugium se pro clericis, religiosis, seu conversis solummodo exhibentes; & cum super excessibus, quos sæculari lapsu committunt, & negotiationibus sæcularibus, quas exercent, ad publica judicia protrahuntur, circumcisis crinibus, & habitu clericali, seu religioso assumpto, ut possint circumvenire vindictam, se pro religiosis, vel conversis, seu clericis repræsentant, fori privilegium labiis allegantes, quod factis negaverant paulo ante. Verum quia privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, & frustra legis invocat auxilium, qui contravenit in legem; nos volentes tam prædictorum animarum periculis, quam scandalis, & malis exemplis quæ exinde occurrunt, & possint occurrere, auxiliante domino, præcavere, omnes clericos, & religiosos, & conversos ecclesiarum sæcularium, vel venerabilium, seu religiosorum locorum Pistorien. civitatis, & diœcesis semel secundo, & peremptorie monemus, ut se ipsos debeant emendare, & sæcularibus negotiationibus, & officiis dimissis, omnino vestem, & tonsuram portare debeant congruentes; ita quod in modo tonsuræ, & vestimentorum qualitate eorum religioni conveniant, & a laicis discernantur.

Rubrica

De electione Et quod non recipiantur in canonicos, vel conversos sine licentia episcopi.

Cum propter indiscretam electionem, & receptionem canonicorum, clericorum, & conversorum, quæ passim, & indistincte consueverunt fieri per prælatos, & rectores ecclesiarum, Monasteriorum, & hospitalium civitatis, & dioecesis Pistoriensis scandala non modica, & damna gravia provenerint hactenus, & proveniant ecclesiis, monasteriis, & hospitalibus civitatis, & dioecesis nostræ, pro eo, quod multotiens indigni, & pravæ vitæ homines, & qui, non ut serviant Deo, sed ut evitent sæcularia onera, & impune

per-

ANNO CHRISTI 1308.

perpetrent maleficia, se procurant recipi in monasteriorum, ecclesiarum, & hospitalium canonicos, clericos, & conversos; statuimus, ut nullus prælatus, vel rector ecclesiarum, seu hospitalium civitatis, & diœcesis Pistoriensis deinceps ultra numerum statutum, seu consuetum tum in ecclesia, cui præest, si ecclesia est, quæ numerum habeat canonicorum, seu clericorum; & in ecclesiis, in quibus non est numerus, & in hospitalibus aliquem eligant, vel recipiant in canonicum, clericum, vel conversum, sine nostra licentia speciali. Quod si secus per aliquem fuerit attemptatum, electio, & receptio hujusmodi nullæ sint ipso jure, & prælatus, vel rector, qui sic electos, vel receptos habuerit pro canonicis, clericis, vel conversis, ipso jure sententiam excommunicationis incurrat; & nihilominus taliter electi, vel recepti, si se gesserint pro canonicis, clericis, vel conversis ecclesiarum, vel hospitalium, in quibus sic electi, vel recepti fuerint, ipso jure excommunicati existant.

Nos Frater Andreas Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Pistoriensis universis, & singulis præsentes literas inspecturis pateat manifeste, ne redarguti a juris errore cum tacita veritate, vel negligentia compescamur juribus, oneribus irretiti juxta illud: *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur*; & negligere, cum possit perturbare, perversos, nihil aliud est, quam fovere, & necessitate nobis imposita, & cura nostri officii dictante cogimur diesque, noctesque insomnes ducere, ut accuratius gregis nobis subjecti vita, & moribus mentis maturitatem ostendant, & ne devii sint a lege; at potius se sciant legibus mancipatos, & ne ipsas leges, quibus hactenus sedulo usi sunt, & continuo coutuntur paulatim, atque incuria obsolere contingat, quarum notitia quotidiana necessaria videatur, & extat. Ideo inter leges, & constitutiones nostras, & dicti nostri episcopatus has præsertim duximus præsentialiter recensendas, videlicet constitutionem positam sub Rubrica: Quod Clerici, & conversi portent habitum, & tonsuram; quæ sic incipit. *Licet clericos, religiosos, & conversos &c. Repetitur eadem constitutio quæ supra.* Item constitutionem positam sub rubrica: *Quod non recipiantur in canonicos, vel conversos sine licentia episcopi*: Quæ sic incipit. *Cum propter indiscretam electionem &c.*

Prædictas Constitutiones autem, ut superius de verbo ad verbum exaratas mandavimus foribus majoris ecclesiæ nostræ Pistoriensis affigi, & apponi, ut nullus deinceps ignorantiam prætendere valeat in prædictis, sed contraveniens sentiat in legibus disciplinam. Idcirco omnes, & singulos, tam clericos conversos, quam rectores ecclesiarum, & monasteriorum juxta tenorem dictarum suprascriptarum constitutionum nostræ Civitatis, & Diœcesis Pistoriensis citamus, requirimus, & monemus, eisque sub pœna excommunicationis, & pœna in dictis constitutionibus contenta præcipiendo mandamus, quatenus supradictas constitutiones, unamquamque per se, & integraliter de verbo ad verbum inviolabiliter observare debeant, assignando eisdem terminum unius mensis a die affixionis prædictarum, infra quem comparere studeant quicumque contradicere voluerint oppositurī, & contradicturi, quare prædicta fieri non debeant de jure, & secundum formam Synodalium constitutionum civitatis, & diœcesis Pistoriensis. Quem terminum pro primo, & secundo, & tertio, & peremptorio hac præsenti canonica monitione assignamus ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc; ipso termino elapso in contrafacientes prædictam excommunicationis pœnam, & sententias in dictis constitutionibus contentas volumus incurrere ipso facto. Prædicta vero in majoris roboris firmitatem fecimus in præsentia & de præsentia, & consensu, & voluntate infrascriptorum canonicorum nostræ majoris ecclesiæ Pistoriensis, videlicet domini Joannis Simonis de Cancelleriis, domini Pauli Cepti, domini Justi Philippi Gaii, domini Stancolli de Tavianis, absentibus domino Corrado Ser Francisci, tamen legitime citato, & aliis, qui absunt, & aberant extra Pistoriensem diœcesim. Mandantes ad cautelam majorem, prædicta in volumine nostrarum constitutionum authentice registrari, & nostri pontificalis sigilli impressione muniri. Datum Pistorii in nostro episcopali palatio, præsentibus venerabili Viro domino Bartholomæo Abbate Monasterii S. Mariæ de Buggiano Lucanæ Diœcesis, & Fratre Vincentio Francisci de Senis de Ordine Fratrum Prædicatorum testibus ad prædicta vocatis, habitis, & rogatis sub anno Dominicæ Nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indictione nona, die tertiodecimo mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri domini Urbani miseratione divina Sacrosanctæ Romanæ, ac universalis ecclesiæ Papæ Sexti anno octavo.

Et postea etiam per Venerabilem Patrem dominum Andream de Ciantoris eadem gratia episcopum Pistoriensem successorem domini Baronti episcopi. Et postea etiam per Ven. patrem dominum Fratrem Remigium eadem gratia episcopum Pistoriensem successorem dicti domini Andreæ episcopi prædicti. Et postea etiam confirmatur per Ven. Patrem D. Joannem eadem gratia episcopum Pistoriensem, & successorem dicti domini Fratris Remigii; & postea etiam confirmatur per Ven. patrem D. Fratrem Andream episcopum Pistoriensem successorem dicti D. Johannis episcopi prædicti; & postea etiam per Rev. patrem dominum Matthæum episcopum Pistoriensem successorem dicti domini Andreæ avunculi sui.

De publicatione harum Constitutionum.

Lectæ, & publicatæ fuerunt dictæ constitutiones per me Berlingherium Arrighetti Notarium infrascriptum, & scribam publicum curiæ episcopalis Pist. dicti D. episcopi de mandato dicti domini episcopi; & conditæ, factæ, & promulgatæ per dictum Ven. patrem dominum episcopum suprascri-

 ptum

ANNO CHRISTI 1308.

ptum in dicta Synodo celebrata in dicta majori ecclesia Pistorien. de voluntate, & consensu dicti sui Capituli, & coram D. Ranuccio de Perusio Vicario, Ser Gentile de Camerata cappellano ipsius domini episcopi, Ser Vanne Buonvassalli, & multis aliis testibus vocatis, & rogatis sub anno, indictione, & die suprascriptis.

Publicatio supradictarum Constitutionum.

Publicatæ, & pronuntiatæ fuerunt constitutiones prædictæ per supradictum Rev. patrem, & dominum D. Johannem miseratione divina S. Theodori Diaconem Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & lectæ per Bindum de Mugello Cappellanum dicti domini legati de mandato, & auctoritate ipsius domini legati, ipso præsente, & mandante &c. præsente etiam clero civitatis, & dioecesis Florentinæ, ac religiosorum multitudine copiosa Florentiæ apud locum Fratrum Minorum in aula dicti domini Anno 1327. legati, die Dominico VIII. Kal. Martii Pontificatus SS. in Christo Patris, & domini D. Johannis Papæ XXII. anno &c. indictione decima, præsentibus etiam Venerabilibus patribus dominis Petro Anagnino, Alamanno Amilien. Ugolino civitatis Castelli, Tedicio Fæsulano episcopis, Boso A- A retino electo, & dominis Conte, & Arrigo Vicariis episcopi Florentini. Qui dominus legatus statim præcepit, dictas Constitutiones omnes, & singulas per singula capitula observari.

Et ego Andreas Nardi de Fulgines publicus, & apostolica, & imperiali auctoritate Notarius, & nunc notarius, & Scriba dicti domini legati, & suæ Curiæ supradictæ publicationi, affirmationi, & acceptationi interfui, & de mandato, & auctoritate dicti domini legati scripsi, & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

Ego Michael olim Ser Thomasii de Putomossis civis Pistorien. publicus imperiali auctoritate Judex Ordinarius, & Notarius pu- B blicus Florentinus, & Pistorien. supradicta omnia, & singula inveni, vidi, & legi in volumine constitutionum civitatis, & dioecesis Pistoriensis, existente in archivio, & cancellaria episcopali Pistoriensis, & prout ibidem inveni, vidi, & legi, ita hinc inde transcripsi, & publicavi, nil addens, vel minuens, quod sensum mutet, vel variet intellectum, sub anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, indictione octava, die vigesima quarta mensis Decembris. Et ad fidem omnium præmissorum me subscripsi, signumque meum apposui consuetum.

LUCANA SYNODUS

Sub Henrico Lucensi episcopo.

Circa annum 1308. habita.

RUBRICÆ CONSTITUTIONUM D. EPISCOPI.

II.

De divinis officiis celebrandis.
...De uno scholare tenendo, qui cantare sciat.
De ornamentis ecclesiasticis servandis.
De Corpore Domini nostri Jesu Christi in cassa tenendo.
De faciendo incensum in celebratione missarum videlicet ad Hostiam, & Calicem.
De non celebrando ultra unam missam in aliqua die.
De non dando comestionem aliquibus personis extra consuetudinem.
De vestibus prælatorum qualiter portare debeant.
..... ecclesiasticis per violentiam sumendis.
..... ecclesiasticum beneficium se faciat ad presbyteratus ordinem promoveri.

XVI.

De examinatione clericorum promovendorum ad sacros ordines.

XVII.

De eo, qui fuit ex fornicatione natus, & sacros ordines clanculo surripuit.

XVIII.

De eo, qui missus dicitur civitatis, vel diœcesis Lucanæ, ne se ab alio episcopo faciat ordinari. D

XIX.

De eo quod nullo deinceps de alieno episcopatu natus ad regimen alicujus ecclesiæ civitatis, vel diœcesis assumatur.

XX.

De pactionibus non faciendis pro ecclesiasticis beneficiis obtinendis.

XXI.

E *De conjurationibus vel juramentis non faciendis....*

XXII.

De electionibus ad vacan.........

XXIII.

De conversis non recipiendis per aliquem rectorem.

XXIV.

XXIV.

De concubinis non tenendis.

XXV.

De possessionibus ecclesiarum non alienandis.

XXVI.

De debito non contrahendo nomine ecclesiæ.

XXVII.

De non locando aliquam ecclesiam.

XXVIII.

De usuris non faciendis.

XXIX.

De bestiis non dandis ad collariam.

XXX.

De odiosis conjurationibus non faciendis.

XXXI.

De sepulturis non eligendis.

XXXII.

De prima missa cantanda.

XXXIII.

De constitutione non facienda pro augendo præbendam.

XXXIV.

De eo quod nullus imperitus, qui nesciat grammaticam ad dignitatem eligatur.

XXXV.

De aliqua accomandisia pecuniæ non recipiendo ab aliquo officiali Lucensis communis.

XXXVI.

De non recipiendo officium procuratoris, vel Syndici contra Lucensem communem.

XXXVII.

De non faciendo Lucense commune aliquod instrumentum.

XXXVIII.

De non ludendo ad ludum taxillorum.

XXXIX.

De non blasphemando Dominum, vel Sanctos.

XL.

De armis non portandis offendibilibus.

A XLI.

De insultibus non faciendis contra ecclesiasticam personam.

XLII.

De juramentis non faciendis, & de matrimoniis dissolvendis.

XLIII.

De incantationibus non faciendis.

XLIV.

De petentibus debitum jam solutum.

B XLV.

De Ecclesiastica libertate observanda.

XLVI.

De non faciendo, vel scribendo aliquod instrumentum contra ecclesiasticam libertatem.

XLVII.

De non imponendo aliquam impostam Lucano Clero.

XLVIII.

C *De non faciendo aliquam injuriam Lucano episcopatui, vel suo Clero.*

XLIX.

De iis, qui fecerint contra ecclesiasticam libertatem, non recipiantur ad aliquod officium ecclesiæ alicujus.

L.

De alienatoribus feudorum ecclesiasticorum.

LI.

D *De mandando executioni pias causas defunctorum, & voluntates eorum.*

LII.

De eo quod notarii teneantur denunciare ultimas voluntates defunctorum.

LIII.

De testibus, qui falsam reddiderint attestationem.

LIV.

De petentibus debitum jam solutum.

E LV.

De fractoribus ecclesiarum.

LVI.

De muniantibus ad usuram.

Anno Christi 1308.

LVII.

De Pœnitentia sumenda.

LVIII.

De eo quod medici tenentur consulere infirmis ad pœnitentiam sumendam.

LIX.

De non veniendo contra nostras constitutiones.

LX.

De armis non portandis.

LXI.

De audiendis aliquibus causis.

LXII.

De non promovendo, vel confirmando aliquem, ad aliquod beneficium; nisi habuerit XXV. annos.

LXIII.

De clericis non ordinandis.

LXIV.

De iis, qui assumpserunt ordinem sacerdotalem, quomodo tenentur missam cantare.

LXV.

De continua residentia facienda.

LXVI.

De conversis ecclesiarum dandis in scripto domino episcopo.

LXVII.

De habendo numero Canonicorum in ecclesiis.

A

LXVIII.

De non eundo pesando panem, vel vendi faciendo vinum ad minutum.

LXIX.

De non portando arma prohibita.

LXX.

De non absolvendo aliquem usurarium.

LXXI.

B *De non eundo ad moniales.*

LXXII.

De non convocando clericos vel coadunando.

LXXIII.

De non ingrediendo claustra monialium.

LXXIV.

De dando in scriptis D. episcopo omnia beneficia clericorum.

C

LXXV.

De revocatione dispensationum.

LXXVI.

De literis non auferendis de manibus sui nuncii.

LXXVII.

De licentia data per D. episcopum sacerdotibus pro absolutione peccatoribus ab ipso D. episcopo revocata.

D

INCIPIUNT CONSTITUTIONES

D. Lucani episcopi.

Licet sacri Canones a sanctis dudum editi Patribus de divino cultu, vita, honestate, ac moribus universos Christicolas instruunt salubriter, & informent; quia tamen ...... qualitatem, pro temporum varietate, locorum conditionibus, ac cætera intendunt....... & opportuna de novo remedia cogitanda magistra rerum...... deo nos Fr. Henricus miseratione divina Lucanus episcopus &c.

Cætera desunt usque ad Canonem IV.

De Corpore D. N. J. C. in capsa tenendo.

Corpus autem D. N. J. C. in cassa, vel pixide.......... altari appensa, & in sacrario ne ab indiscretis vel bestiis tangi possit cum multa reverentia teneatur. Chrisma etiam sub firma custodia taliter conservetur ne ab aliquo tractari possit sine licentia prælati vel honesta parte, quæ fuerit ad ipsius chrismatis custodiam deputata; & de quo chrismate nisi pro baptismate vel unctione sacra nulli pars detur. In celebratione missarum & maxime publicarum saltem dum secreta dicitur, candela cerea semper ardeat in altari.

E

De faciendo incensum in celebratione Missarum videlicet ad hostiam & calicem.

In plebibus autem, & aliis collegiatis ecclesiis in missis, & diebus celebrandis solemnibus super hostiam, & calicem semper fiat incensum, cum id tam parvo possit fieri

ri dispendio, quod paupertatis prætextu se aliquis valeat excusare.

De non celebrando ultra unam Missam in aliqua die.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus presbyter in aliqua die ultra unam missam, nisi causa necessitatis, & tunc non ultra duas missas, excepta die festa Nativitatis Domini ulterius celebrare præsumat.

De non dando comestionem aliquibus personis ex consuetudine.

Item statuimus, quod nullus prælatus, sive rector alicujus ecclesiæ, vel hospitalis parochianis suis, nullus monachus, vel clericus secularis, aut monacha suis fratribus, vel sororibus comestionem, seu aliquid loco comestionis pro suo ingressu prætextu cujuscumque consuetudinis, vel exceptionis exhibere præsumat, & qui reciperit ex nunc, prout ex tunc ipsos excommunicationis sententia innodamus.

De Vestibus prælatorum qualiter portare debeant.

Item statuimus quod nullus sacerdos, seu clericus in sacris ordinibus constitutus habens ecclesiasticum beneficium per civitatem, aut vicum sive plateas incedat quin exteriorem vestem clausam habeat, nec mantellis utatur, aut cappis de nimio coloris fulgore, aut splendore notandis vel bottonis in manicis, vel ad pectus. Cendadis autem rubeis, glaucis viridibus, vel sanguineis non utatur discoopertis, nec caputum aut infulam in ecclesia aut per civitatem eundo inhoneste, vel superbe more deferat laicorum. Cappas manicatas, aut guascappas ad divinum officium inter ecclesiam non gerat, si voluerit effugere ultiones; bottones non de panno, & guascappas in villis & terris diœcesis Lucanæ, & extra terram eundo, equitando, & redeundo & caputeum & infulam in ecclesia de nocte eundo extra civitatem, & redeundo habere unicuique clerico liceat ferre.

. . . . Ecclesiasticis per violentiam sumendis

. . . .
. . . .
. . . .

XV.

. . . . Ecclesiasticum beneficium se faciat ad presbyteratus ordinem promovere.

Item statuimus, quod quilibet clericus, qui nunc habet, vel in antea habuerit prælaturam, vel rectoriam alicujus civitatis ecclesiæ, vel diœcesis nostræ curam animarum habentem, sive, . . . statutis . . . temporibus se faciat ad presbyteratus ordinem promoveri, vel ad ordinem, quem ipsius beneficii cura requirit, secundum quod de juris communis terminis vel constitutionem editam in Concilio Lugdunensi de clericis promovendis sub pœna in canone constituta.

XVI.

De examinatione clericorum promovendorum ad sacros ordines.

Item statuimus, quod clerici, qui sunt ad sacros ordines promovendi, diligenter examinentur per eos, qui ad hoc fuerint deputati, & ad quos pertinet: quod ut rite fieri possit, quartam, quintam, & sextam feriam, sabbatum quatuor temporum præcedentibus a plebanis suis præsentialiter præsentetur, ut de ipsorum vita, scientia, & conditione, nativitate valeat constare eorumdem testimonio plebanorum; qui si forte aliqui ipsorum plebanorum nequiverint canonica præpeditione detenti, clericos suos, quos ordinari volunt cum literis suis de ipsorum vita, scientia, conditione, & nativitate testimonium perhibentibus ad nos mittat, cum aliquo de capellanis suis bonæ famæ & conversationis honestæ, qui etiam nobis, seu examinatoribus, ad quos pertinet, ipsius plebani vice, seu nomine, repræsentent.

XVII.

De eo qui fuerit ex fornicatione natus, & sacros ordines clanculo surripuerit.

Item si quis sacerdotis filius, aut alius ex fornicatione natus, dispensatione non obtenta, sacrum ordinem clanculo surripuerit; hoc ipso sit excommunicationis vinculo innodatus, & etiam post absolutionem obtentam maneat tandiu ab ordinis sic surrepti executione suspensus, donec dispensationis gratiam potuerit obtinere. Quod & de his, qui sine certo titulo se clanculo fecerint ad sacros ordines promoveri decernimus observandum. Illos vero, quos scienter ad ordines jam susceptos. .. vel per falsum promoveri se fecerint, aut per simoniacam pravitatem a nobis, vel ab alio se procuraverint ordinari, excommunicationis sententia innodamus. Si qui vero scienter ad sacros ordines præsentaverint filios sacerdotum, tacito quod sint tales, ipsos ex nunc excommunicationis sententia innodamus.

XVIII.

De eo qui missus clericus civitatis vel diœcesis Lucanæ se ab alio episcopo faciat ordinari.

Item statuimus, quod si quis clericus sæcularis, vel religiosus ecclesiasticum habens beneficium in civitate, vel diœcesi nostra se ab alio episcopo, vel archiepiscopo fecerit ordinari, ab executione ordinis sic suscepti ipsum duximus suspendendum, donec, dispensationis gratiam valebit obtinere.

XIX.

De eo quod nullus clericus de alieno epiſcopatu natus ad regimen alicuius eccleſiæ civitatis vel diœceſis aſſumatur.

Item ſtatuimus ut nullus de alieno epiſcopatu oriundus ad regimen, vel in clericum alicujus eccleſiæ noſtri epiſcopatus eligatur, ſeu admittatur absque noſtra licentia ſpeciali; & ſi contra factum fuerit, illud decernimus non tenere, & nihilo minus eligentes, ſeu etiam admittentes excommunicationis vinculo. . . . . . .

XX.

De pactionibus non faciendis pro eccleſiaſticis beneficiis obtinendis.

Item cupientes ut beneficia eccleſiaſtica in civitate, & diœceſi noſtra . . . .
. . . .
. . . .

XXI.

De conjurationibus non faciendis pro clericis civilibus vel nobilibus ad eccleſiaſticum beneficium non eligendis.

Item ſtatuimus, & omnibus capitulis . .
. . . .
. . . .
. . . .

XXII.

De electionibus ad vacantes eccleſias in civitate, vel diœceſi alterius non faciendis.

Item ſtatuimus ut ſervetur electio . . . . & quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica ulterius faciendis . . . . per laicos, ad quos ſpectat, vel ſpectaverit Deo duce & . . . . . . canonica facta ſine injuria adminiſtret in pace, & . . . . . . quam perſonas eccleſiaſticas in præſenti decreto peremptorie commonemus ut . . . . . . alicui clerico, vel perſonæ eccleſiaſticæ vel laico, eligendi, poſtulandi, vel præſentandi, aut conferendi, vel reformandi jus, vel poteſtatem habenti in aliqua eccleſia vel loco vene . . . . . civitatis, vel diœceſis prædictæ, vel ejus conſanguineo, vel laico ante reformationem vel poſt, aliquam violentiam, vel metum, vel comminationem, vel injuriam, vel offenſam, dicto, vel facto, aut literis; vel ſignis inferat de cætero, vel procuret inferri in omnes, & ſingulos, qui in prædictis officiis & aliis; vel beneficiis, vel eorum occaſione aliquo modo contrafecerint excommunicationis ſententiam proferentes, ac etiam decernentes omnes hujusmodi electiones, poſtulationes, & collationes de quibuſcumque beneficiis vel metu aut comminatione alicujus, vel aliquorum laicorum ſi quæ fierent, nullas, & non tenere de jure easdem pronunciamus irritas, & inanes: A & hæc conſtitutio in eccleſiis coram populo quater in anno ſolemniter recitetur.

XXIII.

De converſis non recipiendis per aliquem rectorem.

Item tam facti experientia, quam frequens clamor inſtruxit, quod quidam Lucanæ civitatis & diœceſis eccleſiæ prælati, ac venerabilium, religioſorumque locorum rectores in animarum ipſorum periculum & Lucani communis fraudem aliquos, ſeu aliquas in converſos, & converſas recipiunt, qui ſi- B cut prius in eorum domibus remanentes ſæcularibus negotiationibus, & officiis intendentes licet labiis Deo & eorum eccleſiis offerunt ſe, & ſua; hoc tamen ſolum peragunt ut . . . . . poſſint circumvenire vindicta & onera Lucani communis tam realia, quam perſonalia evitare. Nos Fr. Henricus Dei gratia Lucanus epiſcopus volentes, prout poſſumus, animarum ipſorum periculo, & indemnitati eccleſiarum a ſcandalo, quod intervenire poſſet inter clericos, & laicos evenire auxiliante domino præcavere; ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus rector alicujus eccleſiæ Lucanæ civitatis, vel diœceſis ſæcularis, vel regularis aliquem virum, C vel mulierem ulterius in converſum ſeu converſam ſuarum eccleſiarum, ac venerabilium religioſorumque locorum oneroſos, vel inutiles, vel qui non ſint bonæ famæ, ſeu in fraudem Lucani communis, vel alicujus univerſitatis Lucani diſtrictus, cui ſic recipiendi eſſent ad aliqua ratiocinia obligati recipere debeant; & ſi contra factum fuerit, illud decernimus non tenere, & in nullo ipſis ſic receptis eorum eccleſiis obligari: nihilominus in omnes & ſingulos homines, qui contra fecerint, ſeu fieri conſenſerint excommunicationis ſententiam promulgantes, & illi, & illæ intelligantur oneroſi ſeu inutiles, & in fraudem recepti, qui ſi- D cut prius in eorum domibus remanentes habitum converſalem condecenter non deferunt, vel ſe immiſcuerint ſæcularibus negociationibus & officiis ſicut prius.

XXIV.

De concubinis non tenendis.

Item ſtatuimus quod nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, aut aliud obtinens beneficium eccleſiaſticum concubinam nec aliquam fœminam in domo, vel extra domum, de qua ſit, vel fuerit infamatus, aut ſi . . . . ſuſpicio rationabilis, vel ve- E riſimilis haberi poſſit, habeat mulierem, nec admittat eam ad aliquod ſervicium in canonica eccleſiæ, niſi matrem, vel amitam ejus . . . . . . filios ſuos. Et qui contra fecerit ab officio, & beneficio duximus ſuſpendendos . . . . &c.

ANNO CHRISTI 1308.

XXV.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

XXVI.

De debito non contrahendo nomine ecclesiæ.

Item ſtatuimus ne rector alicujus eccleſiæ vel loci religioſi civitatis, vel diœceſis Lucanæ debitum contrahat nomine eccleſiæ ſuæ vel ultra ſummam ſibi conceſſam, vel concedendam a nobis; & ſi contraxerit pronunciamus contractum ipſum penitus non valere, & ex tali contractu in nullo ſuam eccleſiam obligari. Verum plebani & procuratores uſum in ſumma X. librarum: Alii vero eccleſiæ rectores uſum in ſumma LX. ſolidorum denariorum Lucanorum parvorum quilibet rector poſſit, & liceat ei debitum contrahere pro eccleſia, non obſtante conſtitutione præſenti.

XXVII.

De non locando aliquam eccleſiam.

Item ſtatuimus quod nullus prælatus, vel rector alicujus eccleſiæ de civitate, vel diœceſi Lucana eccleſiam ſuam ulterius locet, vel concedat ad firmam, niſi in caſibus a jure conceſſis; & ſi quis contrafecerit, ipſum excommunicationis vinculo innodamus.

XXVIII.

De uſuris non faciendis.

Item ſtatuimus, & ordinamus omnes, & ſingulos clericos, & perſonas eccleſiaſticas civitatis, & diœceſis Lucanæ, ut nullus ipſorum uſuras exercere præſumat; in omnes & ſingulos, qui contrafecerint aliquo modo excommunicationis ſententiam proferentes.

XXIX.

De beſtiis non dandis ad collariam.

Item ſtatuimus quod nulla perſona eccleſiaſtica vel per ſe, vel per alium locet aliquem bovem, vel aliam beſtiam ad collariam, vel concedat in fraudem uſurarum, vel contra canonica ſtatuta; & ſi quis contra fecerit, pœna canonica puniatur.

XXX.

De odioſis, vel indebitis conjurationibus non faciendis.

Item ſtatuimus, & monemus omnes clericos civitatis & diœceſis Lucanæ cujuſcumque dignitatis vel ordinis exiſtant, ut nullus odioſas vel indebitas conjurationes, vel colligationes & conſpirationes de cætero faciat. In omnes & ſingulos, qui contrafecerint excommunicationis ſententiam promulgantes.

XXXI.

De ſepulturis non eligendis.

Item ſtatuimus, ſub excommunicationis poena diſtricte præcipimus; ut cum aliquis alibi, quam in ſua eccleſia elegerit ſepulturam, ille apud cujus eccleſiam ſepultus fuerit de omnibus ex funere provenientibus ſecundum loci conſuetudinem dare priori teneatur.

XXXII.

De prima miſſa cantanda.

Item ſtatuimus quod quilibet clericus eccleſiaſticum obtinens beneficium in civitate, vel dioeceſi Lucana poſtquam fuerit in presbyterum ordinatus infra tres menſes proximos a die presbyteratus prædicti ſuſcepti computandos miſſam cantet; & tam promoti hactenus, quam promovendi cantare miſſam intra dictum terminum teneantur, niſi poſt ordinationem ſuam ad ſacerdotium canonica fuerint præpeditione detenti, & quicumque prædictum (intra) terminum non cantaverint, eundem excommunicamus . . . . iis ſcriptis niſi de noſtra licentia ſteterit ſpeciali.

XXXIII.

De conſtitutione non facienda pro augendo prœbendam.

Item ſtatuimus, & hoc noſtro edicto prohibemus, ut nullum capitulum, vel canonici alicujus eccleſiæ civitatis, vel dioeceſis Lucanæ, eccleſia vacante conſtitutionem vel ordinationem, ſive ordinamentum ulterius faciant vel comparant de augenda ſibi præbenda, vel victu, & ſi contra factum fuerit totum ſit irritum, & inane & contra facientes excommunicamus in iis ſcriptis.

XXXIV.

De eo quod nullus, qui grammaticam neſciat ad dignitatem eligatur.

Item cum valde periculoſum exiſtat animarum curas clericis . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

XXXV.

De aliqua accomandiſia pecuniæ non recipiendo ab aliquo officiali Lucenſis communi.

Item ſtatuimus ut omnes, & ſingulos . . .
. . . .
. . . .

XXXVI.

XXXVI.

De non recipiendo officium procurationis contra Lucanum commune.

Item ſtatuimus quod nullus clericus contra Lucanum commune officium procuratoris, vel ſindicatus alicujus communitatis vel perſonæ laicæ ulterius gerat in curia ſæculari niſi pro eccleſia ſive populo, vel pro miſerabilibus perſonis, vel aliis ſuis conjunctis; & ſi quis contrafecerit poenam X. librarum denariorum Lucenſium, & majori, juxta negotii qualitatem noſtro arbitrio punietur.

XXXVII.

De non faciendo contra Lucenſe commune aliquod inſtrumentum.

Item ſtatuimus quod nullus clericus, qui ſit noſtrates, contra Lucanum commune faciat ulterius aliquod inſtrumentum publicum niſi pro Lucano clero vel pro eccleſiis, vel venerabilibus locis, ſeu perſonis eccleſiaſticis, vel pro eorum ſubditis, & familiaribus, vel fidelibus, vel pauperibus vel perſonis convictis, vel contra aliquam aliam perſonam eccleſiaſticam, vel ſæcularem civitatis, vel dioeceſis Lucanæ; & qui contrafecerit noſtro arbitrio puniatur.

XXXVIII.

De non ludendo ad ludum taxillorum.

Item ſtatuimus ut univerſos & ſingulos clericos & perſonas eccleſiaſticas civitatis, & dioeceſis Lucanæ ſemel, ſecundo, & tertio, peremptorie commonemus ut nullus ipſorum ulterius ludat pro ſe, vel per aliquam aliam perſonam ludere faciat ad ludum aliquem taxillorum. In omnes & ſingulos, qui contra fecerint excommunicationis ſententiam proferentes. Præſens autem conſtitutio (ultra) Lucanum epiſcopatum minime extendenda.

XXXIX.

De non blaſphemando Deum, vel ſanctos.

Item ſtatuimus & diſtricte præcipimus ut nullus clericus Lucanæ civitatis vel dioeceſis, cujuſcumque dignitatis, vel ordinis, vel conditionis exiſtat, Deum, vel B. Virginem Mariam, vel aliquem ſanctum, vel ſanctos blaſphemare præſumat, vel contra crucem, vel imaginem Dei vel B. Mariæ Virginis vel alicujus ſancti aliquod inhoneſtum, vel vituperabile ſignum facere audeat; illum qui contra fecerit ſolidos 100. denariorum Lucanorum ſolvendorum pro ſubſidio terræ ſanctæ prompte quilibet puniendo.

XL.

De armis offendilibus non portandis.

A Item, ut clericorum compeſcatur audacia ſtatuimus, quod nullus clericus civitatis, vel dioeceſis Lucanæ in locis, ubi habitat, offendibilia ferrea ulterius arma portet abſque noſtra licentia ſpeciali, niſi eundo, & redeundo extra conſuetos habitationis confines. In omnes, & ſingulos, qui contrafecerint excommunicationis ſententiam proferentes.

XLI.

De inſultibus non faciendis.

Item volentes clericorum tam religioſorum quam regularium & converſorum, prout
B poſſumus cohibere audaciam, ut quos Dei timor a malo non retrahit . . . . . coerceat a peccato & ne laici conquerantur, & ſcandalizentur . . . . quod ipſi clerici cum deliquerint puniantur, ſtatuimus, & ordinamus. . . . .

XLII.

De juramentis non faciendis, & de matrimoniis diſſolvendis.

. . . .
. . . .
. . . .
C . . . . . . peccata hoc ipſo ſint excommunicationis vinculo innodati, illique nullatenus ligati vel adſtricti hujuſmodi juramento, vel peccato agant poenitentiam de perjuro ſeſe repetant juramento, vel peccato hujusmodi, quod nullum decernimus non obſtante; cum juramentum, & pactum non debeat eſſe iniquitatis vinculum, ſed adminiculum veritatis. Ne autem per ignorantiam ſe valeant aliqui excuſare præcipimus hoc noſtrum decretum per omnes prælatos & rectores eccleſiarum coram populo quater in anno ſolemniter publicetur.

XLIII.

D *De maleficiis, vel incantationibus non faciendis.*

*Item ſtatuimus, & prohibemus quod nulla malefica, nulla incantatrix, & nulla divinatrix perſona maleficium aliquod per quod alicujus mulieris prægnantis abortus procuretur, partus vel concipiendi auferatur, vel impediatur facultas, vel per quod inter virum & uxorem intervenire nequeat copula conjugalis, vel aliquod impedimentum ſequatur; vel incantationem, vel in divinationem exerceat in civitate, vel dioeceſi Lucana, nullaque alia perſona ad tales pro
E prædictis recurrat, niſi incantatio fieret verbis divinis, vel medicinalibus pro liberandis infirmis. In omnes & ſingulos hujuſmodi maleficas, & incantatrices, & divinatrices perſonas recurrentes ad eas, niſi in prædictis caſibus, ſcilicet pro infirmorum delatione, excommunicationis ſententiam proferentes.

*Cave credas permitti hic ad curandos infirmos incantationes, ſed permittuntur invocationes quædam Sanctorum vel Dei ſolemnibus quibusdam præcationum formulis, quas epiſc. iſte tolerabat, ut forte breviculum S. Antonii ad febrim fugandam. Ita etiam in verbis medicinalem quandam virtutem agnoſcit: quod licet modo vix a ſuperſtitione immune pudicaretur; olim tamen non deerant viri docti qui crederent ineſſe verbis quibusdam medicam virtutem.

XLIV.

ANNO CHRISTI 1308.

XLIV.

De ecclesiastica libertate servanda.

Item cum ex injuncto nobis pastorali officio libertatem ecclesiasticam defendere teneamur, statuimus, & tam potestatem capitaneum, Antianum majorem Syndicum civitatis Lucanæ ac judices & assessores, & cancellarios eorum, et consules et notarios, judices curiarum civitatis ejusdem quam vicarios vicariarum, et judices, et notarios, et nuntios omnium prædictorum, et potestates, consules et omnes consiliarios generales, et speciales et cujuscumque consilii civitatis, et cujuslibet communis, et terræ dioecesis Lucanæ, et alios officiales universorum prædictorum locorum quocumque nomine censeantur deputatos, et deputandos præsenti decreto commonemus, ut omnes et quilibet eorum ratione officii sui, vel personæ observent ecclesiasticam libertatem, et contrafacere, vel venire, opere vel consilio consensu directe, vel indirecte, tacite, vel expresse per se, vel per alios ulterius non præsumant. In omnes & singulos supradictos, qui scienter, & malitiose contrafecerint vel iverint, excommunicationis sententiam præferentes.

XLV.

De non faciendo, vel scribendo aliquod instrumentum capitulum contra ecclesiasticam libertatem.

Item pro libertatis ecclesiasticæ defendendo privilegio statuimus & monemus, & universis, & singulis statutariis & scriptoribus, & officialibus, & hominibus singularibus ad statuta communis, vel populi vel civitatis, vel officiorum civitatis Lucanæ condenda & scribenda electis, & eligendis præcipimus, edicimus ut nullum statutum vel ordinamentum, vel . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

XLVI.

De non imponendo aliquam impostam Lucano clero.

Item pro pace, & quiete inter clerum, & populum . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
per alios ulterius imponant, vel recolligant vel imponenda consulant vel *arengent* * in publico vel occulto contra ecclesiasticam libertatem, nullamque ipsi clero, vel rectoribus aut ecclesiis, vel venerabilibus locis prædictis violentiam vel injuriam, vel impedimentum aliquod facto imperent vel præstent per se, vel per alios inferri procurent quominus ipse clerus, prælati, rectores ecclesiæ et loca ut bona eorum in eorum semper et ecclesiasticæ libertatis tranquillitate persistant. Nos enim omnes et singulos officiales prædictos et homines singulares et eorum fautores, qui contrafecerint excommunicationis vinculo innodamus.

* perorent

XLVII.

De non faciendo injuriam aliquam Lucano episcopatui vel clero super aliquam jurisdictionem eorum.

Item cum honores, et jurisdictiones, & jura episcopatus et B. Martini Lucani, et aliarum ecclesiarum et venerabilium locorum civitatis; et dioecesis Lucensis defensare teneamur, ubique statuimus, ut omnes et singulos præsides, rectores, & officiales, & universos nostros subditos civitatis, & Dioecesis Lucanæ præsentes & futuros, cujuscumque honoris ac status conditionis existant, peremptorie commonemus, eis, et cuique ipsorum præcipientes districte ut ipsi episcopatui vel aliis ecclesiis vel venerabilibus locis civitatis, & dioecesis in suis possessionibus, honoribus, et juribus ipsarum ecclesiarum super castris terris villis et hominibus de Moriano, de Sexto, de Aquilea, de Decimo, de Sala Garfagnanæ, de Staffole, S. Maria in monte Tepori, de Sorbano, pro parte episcopatum Lucanum contingente in ipsa villa Sorbani, vel aliis castris, et terris ad Lucanum episcopatum, ex imperialibus privilegiis spectantibus et capitulo S. Martini super castris, terris, et villis et hominibus de Fibbialla, de Massagrosa, de Riscento ad Guaido, & juribus capituli ejusdem in Bozzano, Quiesa, et Milliano ad ipsum capitulum pertinentibus, vel super jurisdictione vel honore; vel proprietate, vel possessione eorumdem nullam molestiam, vel violentiam aut injuriam per se, vel per alios inferant vel procurent afferri vel ipsis communitatibus, & hominibus prædictorum locorum aliquod impedimentum præstent, quominus episcopatus, vel capitulum prædictum, et aliæ ecclesiæ, et loca venerabilia in.... civitatis, et dioecesis in suis juribus, terris, et possessionibus, et aliis ad ipsos spectantibus omni jurisdictione, honore, et usu ipsorum in dictis terris, et locis et hominibus uti possint et libere exercere; vel aliud in prædictis locis, vel hominibus, vel contra homines dictorum locorum faciant, quod in ipsius episcopatus, vel capituli, vel aliarum ecclesiarum, seu locorum venerabilium sit vel possit præjudicium redundare; et si qui contra fecerint vel venerint vel opere, vel opera aut consilium, vel favorem ad prædicta facienda præstiterint, ipsos excommunicationis vinculo innodamus.

XLVIII.

De iis, qui fecerint contra ecclesiasticam libertatem, quod non recipiantur ad aliquod officium alicujus Ecclesiæ.

Item etiam poenam persecutorum libertatis ecclesiasticæ statuimus, et prohibemus districte, ut nullus officialium, vel aliorum ho-

hominum cujuscumque dignitatis vel artis, vel conditionis existant, qui contra ecclesiasticam libertatem, vel contra præmissas nostras constitutiones de libertate ecclesiæ, de juribus episcopatus, ecclesiarum, et locorum venerabilium civitatis, et dioecesis Lucanæ loquentes. . . . . consensu, vel favore pro judice vel advocato, vel indice &c. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

XLIX.

. . , ...
. . . .
. . . .
. . . , ut inra duos menses proximos post hujusmodi constitutionis publicationem ipsum feudum seu præstationes annuas vel redditus annuales, quos occultaverunt, vel subtraxerunt in fraudem prælatis, et rectoribus ipsarum ecclesiarum, manifestare procurent, ac eisdem occultatis in alium proximum sequentem mensem debitam satisfactionem impendant, vel super ipsis componant amicabiliter cum eisdem; quodque nullus ipsorum parochianorum occultet aliquid ulterius de prædictis. In omnes et singulos tales occultatores, et parochianos, qui prædicta observare contempserint, excommunicationis sententiam proferentes; et hanc excommunicationem præcipimus quater in anno publice recitari.

L.

De alienationibus feudorum ecclesiarum.

Item, cum quidam iniquitatis filii instrumenta publica libellationis, et perpetuos redditus, et possessiones et terras ecclesiarum, et venerabilium locorum civitatis, et dioecesis Lucanæ in ipsorum animarum periculum et ecclesiarum præjudicium in fraudem occultare non formident; statuimus, ut universos, et singulos tales occultatores, et occultos alienatores prædictorum generaliter, et publice commonemus, ut intra duos menses proximos post hujusmodi constitutionis publicationem, ea, quæ de prædictis occultaverunt fraudulenter, et detinent occultata, ipsis prælatis, et rectoribus earumdem studeant revelare, et de ipsis occultatis eisdem pro eorum ecclesiis intra proximum alium mensem sequentem satisfaciant ut .... super iis concordent amicabiliter cum eisdem; quodque nulla ulterius persona sic celet in fraudem, et malitiam vendat, vel alienet aliquid de prædictis. In omnes, et singulos homines, et personas, quæ prædicta observare contempserint, excommunicationis sententiam proferentes. Hanc nostram constitutionem quater in anno quolibet publicando.

LI.

De mandando exequtioni pias causas defunctorum & voluntates eorum.

Item cupientes ut piæ defunctorum voluntates exequtioni mandentur debite, statuimus, quod omnes fideicommissarii hactenus deputati usque ad unum mensem proximum vel ulterius deputandi in annum proximum post defunctorum obitum eorumdem defunctorum voluntates & judicia, ad quæ constituti sunt, vel fuerunt, exequi fideliter juxta posse teneantur: alioquin ipsos fideicommissarios omnes, qui hanc constitutionem contempserint, vel distulerint per malitiam observare, excommunicationis vinculo innodamus.

LII.

De eo quod notarii tenentur denunciare ultimas voluntates defunctorum.

Ad hæc etiam statuimus quod omnes notarii, qui ultimis decedentium voluntatibus interfuerint, et de ipsorum testamentis, & judiciis publica fecerunt documenta, judicia ipsa, quia nobis vel prælato, sive fideicommissario, vel personis ad quos ipsorum prosequtio pertinet intra mensem proximum post obitum testatoris revelent, et fideliter manifestent, & contenti salario ex ipsis copiam exhibeant publicam, ut ipsi fideicommissarii, vel ad quos pertinet prædictas copias, voluntates præsertim super infrascriptis restitutionibus faciendis, ut interest, salubriter exequantur; & qui hanc constitutionem non observaverint..... excommunicamus.

LIII.

De testibus, qui falsam reddiderint testationem.

Item cum per falsa interdum testimonia veritas..... reus absolvatur, & innocens condemnetur . . . .
. . . .
. . . .

LIV.

De petentibus debitum jam solutum.

Item omnes homines & personas quod alio
. . . .
. . . .

LV.

De fractoribus ecclesiarum.

Item omnes ecclesiarum fractores, & omnes rerum, & bonorum ecclesiarum raptores, & omnes sacrorum sepulchrorum violatores, & omnes qui alicui mulieri religiosæ violentiam intulerunt impetu voluntatis, & omnes incendiarios, et omnes deturbatores stratarum, & omnes fures nocturnos, & omnes agrorum & vinearum depopulatores occultos, & omnes qui terrarum terminos in fraudem destruxerunt, vel mutaverunt divisivos, & omnes qui ad domum alterius vel in aliqua parte in præjudicium, vel injuriam vel dedecus alicujus personæ lapides de nocte latenter projecerint,

ANNO CHRISTI 1308.

rint, vel proiici fecerint in civitate, vel dioeceſi Lucana excommunicationis vinculo innodamus, quam excommunicationem quater in anno decernimus ſolemniter publicandam.

LVI.

De muniantibus ad uſuram.

Item cum ſecundum ſacræ ſcripturæ doctrinam nullus foenerator in templo dominico requieſcit, ſtatuimus ac prohibemus hoc noſtro generali decreto, præcipimus, ac monemus, ut nulla ulterius perſona in civitate, vel dioeceſi Lucana alienigena, vel terrigena uſuras exercere præſumat, nullusque manifeſtis uſurariis domum aliquam de cætero locet, vel concedat; ſed locatam revocet unuſquiſque, & locationem uſque ad menſem poſt hujuſmodi publicationem conſtitutionis reſcindat. In omnes, et ſingulos uſurarios manifeſtos, & locatores hujuſmodi, qui hanc conſtitutionem contempſerint obſervare, excommunicationis ſententiam proferentes; præcipientes ut hæc conſtitutio quater in anno ſolemniter publicetur.

LVII.

De pœnitentia ſumenda.

Item cum omnes chriſtiani utriuſque ſexus annos diſcretionis habentes omnia ſua confiteri peccata annis ſingulis teneantur, ſtatuimus, et univerſos noſtros ſubditos commonemus, ut quilibet homo utriuſque ſexus major XIV. annorum, ſaltem ſemel in anno, omnia ſua ſolus peccata confiteatur ſuo proprio ſacerdoti, vel alteri presbytero de ſuperioris, vel noſtra, vel proprii ſacerdotis quæſita, & obtenta licentia ſpeciali; & quod de confeſſione facta & poenitentia ſic accepta ab alio ſacerdote unuſquiſque ſuo prælato vel presbytero proprio faciat fidem relatione, vel nuntio fide digno, vel literis confeſſoris, alioquin ab eccleſiæ repellatur ingreſſu vivens, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Ad hoc univerſis eccleſiarum prælatis & rectoribus curam animarum habentibus diſtricte præcepimus, ut hanc noſtram conſtitutionem primo die lunæ quadrageſimæ, die paſchatis reſurrectionis Dominicæ, die ſabbati omnium Sanctorum, & die feſti nativitatis Chriſti coram populo in eccleſiis ſingulis annis diligenter ſtudeant publicare.

LVIII.

De eo quod Medici tenentur conſulere infirmis ad pœnitentiam ſumendam.

Item conſiderantes etiam quod anima nobilior eſt corpore, et quod acutorum morborum indicia ſunt incerta, et aliquos interdum mori contingit repente, et quomodocumque animæ medicina . . . . ad ſalutem; ſtatuimus ut cum fuerint ad infirmorum viſitationem eisdem infirmis. . . . . eosdem doceant et inducant, ut medicos ſalubres animarum. . . . . procedant ad impendendum corpori medicamentum . . . .

LIX.

De non veniendo contra noſtras conſtitutiones.

Item. . . . . ſtatuentes, univerſos tam clericos et perſonas. . . . . . nobis ſubditos hanc generali conſtitutione ſemel. . . . . . et ei, et cuique ipſorum diſtricte præcipimus, ut domini habentes prædictas conſtitutiones, et quæ in eis continentur obſervanda obſervent, agenda peragant, publicanda publicent, recitanda recitent, et contra prohibita non excedant, ſi ſalutem, honeſtatem, et quietem ſuam diligunt, et poenam imponendam pertimeſcunt; et ut nulli per ignorantiam ſe valeant excuſari, eas generali noſtro ſynodo ad hoc convocato mandamus publice recitari, præcipiendo inſuper univerſalis eccleſiarum prælatis, civitatis, et dioeceſis Lucanæ ſub excommunicationis poena diſtricte, ut unuſquiſque pro ſe, et ſuo capitulo, et capellanis plebatum easdem conſtitutiones intra tres menses proximos poſt publicationes earum de manu Betti notarii recipiant publicatas, et ter in anno coram ſuo capitulo et capellanis eas omnes, et illas publicandas, quæ de laicis loquuntur quater in anno, ut continetur in eis, publice legere, et vulgariter exponere non omittant.

LX.

De armis non portandis.

Licet clericos religioſos et converſos congruis attollere favoribus, et eorum immunitates, jura, et privilegia illibata conſervare pro viribus intendamus, tamen ipſos ſuis juribus, et honoribus ita volumus eſſe contentos, quod immunitatum, et jurium ſuorum limites obſervantes jura non impediant, vel occupent aliorum, et qui eorum verbis, et exemplis laicos debent ad viam vitæ et rectitudinis revocare, ipſos in mortis devia non impellant, et ex ipſis fomites eorum erroris, et diſcordiarum materiam dicantur laici invenire: ſane ſicut nos tam facti experientia, quam frequens clamor inſtruxerit, quidam clerici religioſi, ac eccleſiarum, venerabilium locorum Lucanæ civitatis, et dioeceſis converſi nec in veſtimentorum forma, nec in modo tonſuræ, nec in qualitate negotiorum de clerico religioſo, ſeu converſo quicquam oſtendunt; ad poenæ ſubterfugium ſe pro clericis religioſis ſeu converſis ſolummodo exhibentes, et cum ſuper exceſſibus, quos ſæculari luxu committunt, et negotiationibus ſæcularibus, quas exercent, ad publica judicia pertrahuntur, et circumciſis crinibus, et habitu clericali, ſeu religioſo aſſumpto, ut poſſint circumvenire vindictam, ſe pro religioſis, vel converſis, ſeu clericis repræſentant, fori privilegium labiis allegantes, et factis negaverant paulo ante. Verum quia privilegium meretur amit-

mittere qui permissa sibi abutitur potestate; et frustra legis invocat auxilium, qui committit in legem; nos volentes tam prædictarum animarum periculis, quam scandalis, et malis exemplis quæ ..... occurrunt, et possunt occurrere, auxiliante Domino, præcavere, omnes clericos religiosos, conversos sæcularium ecclesiarum, vel venerabilium, seu religiosorum locorum Lucanæ civitatis, et dioecesis semel, secundo, et tertio peremptorie commonemus, ut seipsos debeant emendare, et sæcularibus negociationibus, et officiis dimissis, omnino vestes, et tonsuram portare debeant congruentes; ita quod in modo tonsuræ et vestimentorum eorum religioni conveniant, et a laicis discernantur. Ita quod per civitatem Lucanam, seu burgos, vel castra, vel vicos, ubi habitant, nulla arma portare debeant absque nostra licentia speciali; nisi quando illi de civitate irent extra civitatem, vel burgos, vel subburgos sine nostra licentia......

....

....

LXI.

De non audiendis aliquibus causis.

...... Suscepti regiminis nos cura sollicitat, ut........................

....

....

quod causæ matrimoniales non sint tractandæ per quoslibet ..... judices, qui potestatem habeant judicandi, et statuta canonum non ignorent; et alibi in jure causæ perhibeantur committi, nisi nisi in civitatibus vel locis magnis, seu insignibus, ubi haberi valeat juris copia peritorum; tamen ad audientiam nostram plurium fide dignorum relatione pervenit, quod nonnulli plebani, priores, et eorum vicarii Lucanæ civitatis, et dioecesis causas vertentes inter personas suarum plebatuum matrimoniales, et in quibus tamen periculum vertitur, indifferenter audiant, et eas decidere non formident; unde interdum evenit, quod matrimonia contracta legitime dissolvuntur, et alia mala, et animarum pericula multoties interveniunt, quæ ad præsens causa brevitatis omittimus, quæ longum esset per singula enarrare; nec non litigantes propter peritorum distantiam, & maxime jure canonico, multiplicibus expensis & laboribus aggravantur. Quare volentes in prædictis, ut dictum est, animarum pericula, & subditorum nostrorum parcere laboribus & expensis, semel, secundo, & tertio peremptorie Lucanæ civitatis & dioecesis plebanos, priores, & eorum vicarios commonemus, ut de causis aliquibus audiendis (abstineant) nisi privilegio Apost. sedis vel ex commissione ipsius vel ejus legati; seu legitima sint præscriptione muniti, quam præscriptionem intra tres menses nobis, vel personæ ad hoc a nobis deputatæ ostendere teneatur; alioquin in omnes, & singulos monitoris nostræ hujusmodi constitutionis contemptores excommunica-

A tionis sententiam promulgantes.

LXII.

De non promovendo, vel confirmando aliquem ad aliquod beneficium, nisi habuerit XXV. annum.

Licet in canone a fel. recor. D. Gregorio Papa X. edito in Concilio Lugdunensi in can. *de elect.* inter cætera contineatur expresse, quod nullus ad regimen parochialis ecclesiæ suscipiatur, nisi XXV. annum ætatis attigerit; ac scientia, & moribus commendandus existat; decernendo de parrochialibus ecclesiis iis, qui non attigerint
B XXV. annum, juribus omnino carere; quia tamen in observatione canonis memorati nonnulli clerici, & laici Lucanæ civitatis & dioecesis se, ut percepimus, exhibent negligentes, & etiam contra ipsum canonem scienter, & malitiose delinqunt, pœna canonis prædicti etiam in cunctis, & aliorum canonum pœna impensa, nos Fr. Henricus, Dei gratia, Lucanus episcopus, tam periculosæ illorum negligentiæ & malitiæ obviare volentes, ac cupientes canones prædictos in civitate, & dioecesi prædictis metu poenæ & conditionis per nos additæ arctioribus ab omnibus inviolabiliter observari, præsenti nostro decreto statuimus & ordinamus de fr.
C nostrorum consensu, quod nullus de cætero clericus, vel laicus, cujuscumque religionis, vel ordinis, aut dignitatis, vel conditionis existat, civitatis, vel dioecesis memoratæ ad regimen parochialis ecclesiæ vel ad prælaturam nostri episcopatus eligere, seu præsentare audeat aliquem, qui non attigerit XXV. annum, & in sacris non fuerit ordinibus constitutus, nullusque prælatus, vel rector, aut vicarius alicujus.........

....

....

....

a publicatione præsenti, ac diebus solemnibus resurrectionis Dominicæ, SS. Petri &
D Pauli, Omnium Sanctorum, & festi Natalis Domini diligenter coram populo exponere & publicare procurent.

LXIII.

De clericis ordinandis.

In Dei nomine Amen. Nos Henricus, Dei gratia, Lucanus episcopus, volentes quod ecclesiæ civitatis et dioecesis Lucanæ a prælatis, rectoribus, & canonicis earum in debitis ordinationibus serviantur decenter, universos, & singulos prælatos, rectores & canonicos ecclesiarum civitatis, & dioecesis
E prædictæ nobis subditos ordinandos, semel, secundo, tertio peremptorie ac publice commonemus, eisdem, & cuilibet eorum sub excommunicationis poena districte præcipientes, ut in proximum venturum quatuor jejuniis coram nostra præsentia se præsentent, suscepturi ordines secundum quod ipsorum beneficiorum cura requirit. Alioquin in omnes, & singulos prælatos, rectores & canonicos, & quemlibet eorum nostræ monitionis, ac man-

ANNO CHRISTI 1308.

mandatorum hujusmodi contemptores ex nunc prout ex tunc in iis fcriptis excomm. fententiam promulgamus; contra eos alias nihilominus proceffuri prout de jure videbimus procedendum.

A

LXIV.

De iis, qui assumpti fuerint in ordinem sacerdotalem, quod tenentur missam cantare.

Item nolentes quod illi prælati, rectores, & canonici ecclefiarum civitatis, & dioecefis Lucanæ, qui jam funt presbyteri ordinati, & nondum miffam cantaverunt, ad ferviendum Deo, & ecclefiis fuis fint ulterius negligentes, ne amplius videantur in vanum facerdotii ordinem fufcepiffe, eosdem presbyteros omnes, & quemlibet eorum nobis fubditos, femel, fecundo, & tertio peremptorie ac publice commonemus, ut ipfi, & quilibet eorum hinc ad mediam quadragefimam præfentem miffam cantare procurent; alioquin in omnes, & fingulos tales presbyteros beneficiatos, qui noftris monitionibus contempferint obedire, ex nunc prout ex tunc in his fcriptis excommunicationis fententiam promulgamus.

B

LXV.

De continua residentia facienda.

C

Item nolentes quod ecclefiæ noftræ debitis obfequiis defraudentur, univerfos & fingulos earum ecclefiarum prælatos, & rectores civitatis, & dioecefis Lucanæ ecclefiafticum obtinentes beneficium curam animarum habens, five..... femel, fecundo, & tertio peremptorie monemus, ut ipfi, ac quilibet eorum continuam refidentiam faciant in eisdem, eis ferviant, ut tenentur, & ab ipfis ecclefiis ultra unum menfem ulterius non abfentent fe in fraudem, vagando abfque noftra licentia fpeciali; & illos, qui contrafecerint, feu monitionibus noftris hujusmodi contempferint obedire, ex nunc, prout ex tunc, in his fcriptis excommunicationis vinculo innodamus. Alias contra eos, prout videbimus expedire, proceffuri.

D

LXVI.

De conversis ecclesiarum dando in scriptis D. Episcopo.

Item cum bonus paftor videns fæpe oves fuas ....
....
....
....
.... E
....
intra eumdem terminum perfonaliter compareant coram nobis; alioquin tam in prælatos & rectores, quam in converfos ipfos omnes, & quemlibet eorum, qui noftris monitionibus hujusmodi obedire contempferint, ex nunc, prout ex tunc, excommunicatione ferimus in his fcriptis.

LXVII.

De numero canonicorum habendo in ecclesiis.

ANNO CHRISTI 1308.

Item cupientes quod tam prioralibus, quam baptifmalibus ecclefiis civitatis, & dioecefis Lucanæ in debito, & confueto canonicorum numero ferviatur decenter, univerfos, & fingulos priores & plebanos civitatis, & dioecefis prædictæ, femel, fecundo, et tertio peremptorie, ac publice præfenti fcriptura monemus, ut unufquifque prior, & plebanus ftatutum, feu confuetum canonicorum numerum ecclefiæ, ac plebis fuæ hinc ad unum menfem proximum futurum eligere, feu habere procurent, qui continuam in ipfa refidentiam facientes, eidem in ordinibus, fecundum quod ipfius beneficii cura requirit, de cætero ferviant diligenter, ficut canonici tales tenentur fervire de jure; alioquin in omnes, & fingulos priores, & plebanos, qui noftris monitionibus obedire contempserint, ex nunc, prout ex tunc, excommunicationis fententia ferimus in his fcriptis, & contra eos alias nihilominus proceffuri, ecclefias, & plebes ipfas de canonicis idoneis officio noftro curabimus ordinare, prout videbimus expedire.

LXVIII.

De non eundo pesando panem.

Cum fæcularia officia, & negociationes fint clericis penitus interdicta, nos Fr. Henricus, Dei gratia, Lucanus epifcopus, omnes & fingulos clericos civitatis & dioecefis Lucanæ cujufcumque ftatus & conditionis exiftant, femel, fecundo, & tertio peremptorie commonemus, et eis, & cuilibet eorum fub excommunicationis poena diftricte præcipientes, ut nullus eorum pefandi officium venaliter vel aliquid aliud in fraudem a laicis quibufcumque commiffum in civitate, vel dioecefi prædictis ulterius exerceat, nullufque tabernam vini, feu vinum teneat ad vendendum, vel vendi faciat in fuarum ecclefiarum domibus, vel alienis abfque noftra in utroque cafu fpeciali licentia; in omnes & fingulos qui fecerint ex nunc, prout ex tunc, in his fcriptis excommunicationis fententiam promulgantes.

LXIX.

De non portando arma prohibita.

Item, facris conftitutionibus noftris de armis prohibitis non portandis loquentibus, omnes & fingulos clericos civitatis, vel dioecefis Lucanæ, femel, fecundo, & tertio peremptorie, ac publice commonemus eis, & cuilibet eorum fub excommunicationis poena præcipientes diftricte, ut nullus eorum contra formam conftitutionum earum arma prohibita ulterius ...... portet abfque noftra licentia fpeciali. In omnes & fingulos clericos cujusvis conditionis exiftant, qui contra fecerint, ex nunc, prout ex tunc, excommunicationis fententiam ferentes in his fcriptis.

LXX.

LXX.

De non absolvendo aliquid usurarium.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Nos vero volentes excogitare hujusmodi malitiæ ..... divinæ providentiæ, quo melius possumus, obviare de consensu nostri capituli & vocata innumera multitudine clericorum in nostro synodo duximus statuendum, quod nullus clericorum nostrorum sine nostra, vel nostri vicarii licentia speciali audeat absolvere aliquem usurarium manifestum. In cujus absolutione formam hujusmodi volumus observari, ut liber in quo usuræ continentur extortæ in manibus illius, cui confitetur, ipse usurarius teneatur liberaliter consignare, receptus nomine nostro, et illorum, quibus est restitutio facienda, ab ipso usurario pignoratitia vel idonea cautione, quod si eum contigerit ab ægritudine liberari in trium mensium spatium, postquam sanitati fuerit restitutus, nobis, vel alteri personæ, cui restitutionis officium vel exequtiones hujusmodi duximus committendas, illam pecuniæ quantitatem personis, a quibus extorsit illicite, restituendum, quam in ipsius usurarii, quatenus non invenietur, habita, & extorta. Quo usurario moriente fidejussores ipsius usurarii ad restitutionem faciendam specialiter oblegati, in ejusdem temporis spatium prædicta licite, & integre facere teneantur, recepto ab eis fidejussoribus, si hæredes fuerint ipsius usurarii, de prædictis totaliter observandis corporaliter juramento. Si vero usurarius librum aliquem non fecerit de usuris pecuniarum dicti usurarii, & ipsam quantitatem sic extortam, in publico instrumento faciat confiteri nomine illorum, a quibus habuit, et extorsit, & summam quantitatis extortæ a quolibet, si recordari poterit, fideliter exprimi faciendo; quam cautionem spe coecitatis & præteritæ conditione rebellionis, ut præmittitur, pertinaciter recusaverit, eidem usurario peccatorum suorum absolutio, & alia sacramenta ecclesiastica denegentur, & in fine careat ecclesiastica sepultura; & quia parum podesset constitutionem facere, nisi ab illis, a quibus statuitur, observetur, monemus omnes prælatos, & religiosos rectores civitatis, & dioecesis Lucanæ, primo, secundo, & tertio peremptorie districte eis sub excommunicationis poena præcipientes, ut præsentem nostram constitutionem factam pro salute animarum nostrarum observent; et si contrarium fecerint, ipsos excommunicationis sententia innodamus.

locus mendosus.

LXXI.

De non eundo ad moniales.

Item cupientes dissolutos, & infamiæ nota notandos accessus quorumdam hominum & personarum in posterum faciendos ad loca & monasteria monialium civitatis, & A dioecesis Lucanæ via, qua convenit, coercere, & illorum maliciis obviare, statuimus & universos, et singulos, tam clericos, & religiosos, quam laicos utriusque sexus civitatis, & dioecesis Lucanæ semel, secundo, & tertio peremptorie commonemus, ut nullus ipsorum audeat, vel præsumat ad dicta loca, et monasteria accedere sine manifesta, necessaria, honesta et rationabili causa absque nostra licentia speciali; in omnes, et singulos, qui contra fecerint, excommunicationis sententiam proferentes. Præsens autem constitutio ad patrem, vel..... amicum fratrem vel sororem monialium prædictarum nullatenus...

B

LXX.

De non vocando clericos vel coadunando.

Cum universales clericorum conversationes per.......... merito sint suspectæ, monemus singulas personas Lucanæ civitatis, vel dioecesis semel secundo, et tertio.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
prælati, quam prætextu prælationis eorum sua capitula, vel conventus pro...... negociis vocent suos subditos, et hos faciant C conveniri, vel procuratores aliquorum conventuum, quibus liceat, temporibus consuetis, vocare illos, qui tamen fuerint de congregationibus, et conventibus eorumdem aut vicarius episcopi generalis. In convocantes, et convenientes, et omnes et singulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc, in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

LXXIII.

De non ingrediendo claustrum monialium.

Ut utilitati monialium salubriter consula-D tur, et omnis periculi materia evitetur, monemus semel, secundo, et tertio peremptorie omnes, et singulos tam clericos, quam laicos, ac omnes et singulas abbatissas, priorissas, et moniales, ut nulli clerico, vel laico pateat aditus ad easdem. Nec ingrediantur clausuram eisdem monialibus specialiter deputatam; nec ipsæ moniales aliquam personam recipiant in ambitu clausuræ sine nostra, vel nostri vicarii licentia speciali, nisi fuerit medicus, qui intraverit pro infirmis, aut magistri lapidum vel lignaminum pro reparandis domibus, vel ædificiis faciendis, aut laborantes, vel aliæ personæ pro introducendis rebus necessariis, sine quibus non E possent ipsæ moniales seu dominæ commode sustentare, aut sacerdos pro audiendis eorum confessionibus, et impendendis ecclesiasticis sacramentis laborantibus in extremis, vel alia gravi infirmitate, et sepeliendis corporibus defunctarum. In omnes et singulos, et singulas contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc, excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis. Item quod nullus sacerdos audiat confessiones earum, vel

vel eas absolvere possit sine licentia nostra speciali, nisi ille, quem ad hoc duximus deputandum.

LXXIV.

De dando in scriptis omnia beneficia domino episcopo per clericos obtenta.

Cum pluralitatem beneficiorum tam generale concilium, quam nostra episcopalis constitutio interdicat, et multi sint clerici, et prælati in civitate, et dioecesi Lucana plura cum cura, et sine cura beneficia obtinentes; omnes et singulos clericos, et prælatos civitatis et dioecesis Lucanæ monemus, ut civitate intra unum mensem, dioecesani vero intra duorum mensium spatio a die monitionis hujusmodi beneficia cum cura, vel quibus cura non attineat animarum, quæ in civitate, vel dioecesi obtinent, nobis cum ipsorum beneficiorum titulis seu nominibus in scriptis debeant intimare, cum dispensationibus, quas habere se asserunt de eisdem; quem terminum eis pro primo, secundo, et tertio peremptorio termino assignamus. Alioquin contra tales plurima hujusmodi beneficia obtinentes, et contra monitionem nostram hujusmodi temere venientes elapso dicto termino ad privationem suorum beneficiorum procedemus, quantum instantia suadebit sibi et collatione .... beneficii, vel ejus qui sibi de jure debebit reservata.

LXXV.

De revocatione dispensationum super absentia ab ecclesiis.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

A . . . .

LXXVII.

De literis non auferendis de manibus sui nuncii.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

per se vel per alium, seu alios literas nostras cujuscumque tenoris existant, audeant tollere, vel rapere de manibus nostrorum nunciorum, aut eas quomodolibet lacerare, B et pedibus conculcare; sed ipsas literas reverenter recipiant quando eis per aliquem nunciorum nostrorum fuerint præsentatæ; qui in fraudem faciant earumdem, ex nunc ex ipso facto omnes, et singulos contrarium facientes excommunicationis sententiæ volumus subjacere.

LXXVII.

De licentia data per D. episcopum sacerdotibus pro absolvendo peccatores ab ipso D. episcopo revocata.

Quia multi nostris gratiis abutuntur, et C prædecessorum nostrorum literis, absolvendo peccatores de gravioribus culpis, quæ tamen dioecesano Episcopo reservantur, et excommunicatos excommunicatione majori imprudenter ab excommunicationum sententiis absolvendo, volentes animarum saluti, prout ex nostro tenemur officio, providere, ne recipiantur (f. perdantur) animæ confitentium, sacerdotibus prædictis, quibus gratiæ hujusmodi concessæ sunt per nos, vel prædecessores nostros, seu officiales nostros tam religiosis quam aliis quibuscumque concessas præsentialiter revocamus, et eis et cuique eorum interdicimus supradicta.

EXPLICIUNT CONSTITUTIONES D. HENRICI LUCANI EPISCOPI.

De dando in scriptis D. episcopo omnes conversos.

Cum bonus pastor sæpe videre habeat oves suas, ut quas pascere, quas tueri, quas indefensas a suo grege expellere teneatur cognoscat, universos et singulos ecclesiarum, et venerabilium locorum prælatos, et rectores, religiosos et sæculares civitatis, et dioecesis Lucanæ semel, secundo, et tertio peremptorie commonemus, ut intra duos menses proxime venturos quilibet eorum omnes conversos ecclesiæ, et loci sui nobis dare per scripturam procurent, et illis cum instrumentis conversariæ ipsorum principaliter coram nostra præsentia repræsentent, et nihilominus conversos omnes cujusvis ecclesiæ, ac loci prædictæ civitatis, et dioecesis, et illos et conversos aliarum ecclesiarum cujusvis alterius dioecesis, et qui ratione domicilii sint vel fuerint ante conversariam cives vel ...... Luc. et quilibet eorum semel, bis, ac ter, ac publice peremptorie commonemus, ut unusquisque ipsorum cum chartis suæ conversariæ.......
. . . .
. . . .

ANNO CHRISTI 1309. 1310.

UDVARDENSE CONCILIUM PROVINCIALE

Habitum sub Carolo I. Rege Hungariæ, & Thoma archiepiscopo Strigoniensi, in Udvard (a)

Anno 1309. *Ex MS.*

(a) Udvar. locus est hodie non tanti nominis, ad Vivarinum, archiep. Strig. obnoxius.

NARRATIO.

An. 1309. Ex Peterffy Conc. Hungar. t. I. p. 161.

POstquam lites omnes in regno exoleverant, Thomas archiepiscopus soluta Budensi atque Posoniensi Synodo, provincialem in Udvard cum episcopis suis egit. Capita statutorum, quæ nondum interciderunt, hæc fere sunt.

I.

Ut sub meridiem, aut moriente die, ad salutandam Matrem Virginem ære campano populus excitetur. *Mos iste invalescente hæresi per Hungariam sublatus; sed a Patribus S. J. indulgente Nicolao Olaho archiepiscopo Strigoniensi restitutus est primum Tynaviæ, ad alia dein loca promotus.*

II.

Repetitum in cives Budenses fulmen, vectigalia portuum Danubii Præposito negantes; compellente tamen Carolo Rege dederunt DEO, quæ DEI sunt.

III.

Serpebant adhuc in Budensi populo electionem Caroli regis fraude extortam queritante, occultæ simultates, quas suffraganeis Episcopis, jacto in reos anathemate, feliciter Thomas repressit.

IV.

Decretum, et constitutiones F. Gentilis cardinalis legati apostolici, patribus perlectæ sunt, et ut ad pastores animarum, quisque in dioecesi sua, eas proferret, constitutum. Hæc nos velut tabulam e naufragio.

Cætera in sacro comitio gesta, pulveres et blattæ corrodunt: didici ex amicis, imo hisce egomet vidi, in tabulario, neglectu lacrymis digno, ea consumi. *Hæc omnia Peterffy.*

UTINENSE CONCILIUM

Ab Ottobono Aquilejensi patriarcha

Anno 1310. *celebratum.*

An. 1310.

COncilium istud primo quidem in diem octavam Epiphaniæ indixerat patriarcha; dein vero ad diem Dominicam post festum Purificationis B. M. V. prorogavit. Utrasque literas quibus invitantur episcopi, tum quibus ad diem octavam Epiphaniæ; tum alteras ad diem Dominicam post festum Purificationis hic exhibeo ex Cl. P. de Rubeis Monum. Eccl. Aquilej. cap. LXXXIII. ex quo dein subdam rerum quarumdam in ea Synodo statutarum documenta pauca quæ supersunt.

Ottobonus Dei gratia sanctæ sedis Aquilegensis patriarcha universis et singulis abbatibus, præpositis, decanis, plebanis, & aliis ecclesiarum rectoribus per Aquilegensem civitatem & dioecesim constitutis salutem & benedictionem in Domino. Licet vobis tam propter guerrarum discrimina, quam alia supervenientia de variis causis gravamina, multa passis incommoda paterno compatiamur affectu; & libenter vitemus fatigare vos laboribus, vel expensis: quia tamen quædam nobis ad præsens incumbunt, super quibus nos decet et expedit, vestro & aliorum subditorum nostrorum uti consilio, generalem synodum in die octabæ epiphaniæ Domini proximæ Utini ante tertiam decrevimus celebrare. Quare vos, & vestrum singulos requirimus, & primo, secundo, et tertio peremptorie commonemus; vobis nihilominus sub excommunicationis poena præcipiendo mandantes, quatenus omnes et singuli præsentialiter, aut si qui forent legitimo impedimento detenti, per procuratores idoneos eidem synodo, præfata die, hora, & loco, interesse curetis: ut una nobiscum quæ ad honorem Dei, & pacificum & salubrem statum vestrum, & aliorum subditorum nostrorum pertinent, ordinemus.

LITERÆ PROROGATIONIS CONCILII

Ad diem Dominicam post festum Purificationis B. M. V.

Commissæ nobis solicitudinis debito exigente, tam in exequendis apostolicæ sedis mandatis, quam ecclesiæ nostræ, imo omnium subiectarum nobis quovis jure ecclesiarum, eorumque rectorum, utilitatum promotionem, & indemnitatum provisionem vigilantiori cura intendere, solertiorique studio, ne vel saltem de inobedientiæ aut negligentiæ culpari vitio vel notari possimus, compellimur laborare. Ea propter cum, sicut per alias nostras litteras vobis notificasse recolimus, (*Priores indicantur ad synodum convocatoriæ epistolæ, quarum exemplum supra dedimus,*) per dominum nostrum

sum-

ANNO CHRISTI 1310.

summum Pontificem litteratorie simus in proximis calendis Octubris ad concilium generale vocati; in arripiendo itinere - - - multiplicibus evidentis utilitatis, et urgentis necessitatis causis suadentibus, tempus, impedimento cessante - - - - anticipare decrevimus: prius tamen juxta apostolicarum litterarum tenorem provinciali nostro concilio convocato, quod etiam aliæ multæ justæ causæ non solum utiles, verumetiam rationabiles fieri persuadent. Intendentes igitur, proxima die dominica post instans Purificationis sanctæ Mariæ festum in terra nostra Utini nostræ dioecesis hujusmodi nostrum concilium divina favente gratia celebrare; fraternitatem vestram attente requirimus, & hortamur in Domino; vobis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districte mandantes, quatenus eidem nostro concilio, prius tamen per vos veræ civitatis & dioecesis cleri exempti & non exempti, ad providendum non solum super articulis in præfatis litteris apostolicæ sedis contentis, verumetiam super omnibus quæ tam in ipso nostro quam in prædicto domini papæ conciliis tractari debentur, ipsi clero utilia seu etiam necessaria, communiter & divisim convocata synodo, personaliter interesse curetis. Vobiscum omnia beneficia in vestra civitate & dioecesi per procuratores reverendi patris domini Petri de Columna sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis acceptata, & eorum taxationem secundum decimæ papalis solutionem ferre nullatenus omittatis. Cæterum cum pro eo quod præsenti anno per Romanæ ecclesiæ inimicos, & nostros tam redditibus, quam aliis bonis nostris mobilibus universis potentialiter fuerimus spoliati; ad tam gravia inevitabilium expensarum, nobis occasione hujusmodi itineris incumbentium, onera nostræ nequaquam sufficiant facultates; vestra & aliorum Aquilegensis civitatis, dioecesis, & provinciae clericorum subsidia, licet vestras & eorum ecclesias pluribus affici gravaminibus agnoscamus, cogimur implorare. Quare fraternitatem vestram requirimus propense, & rogamus; quatenus cum clero in dicto nostro concilio, vel saltem usque ad festum proximum Resurrectionis Dominicæ, circa cujus octavas annuente altissimo disposuimus hujusmodi nostrum iter arripere, nobis in tanto, ne incerta petitio dilationis præstet materiam, studeatis subvenire, quantum pro procuratione legati Apostolicæ sedis præstatis. In quo revera non potestis, nec debetis vos reputare gravatos; considerato, quod in octo annorum spatio, quo Aquilegensi sedi præsedimus; nec in nostro ad præfatam nostram adventu ecclesiam, quam debitis ultra viginti millia marcharum obligatam reperimus; nec in processu temporis, in quo propter multas & varias persecutiones tyrannicas pro defensione terrarum, bonorum, & jurium ejusdem ecclesiæ, ac tuitione ecclesiasticæ libertatis inæstimabiles expensas nos oportuit necessario facere; nullum subsidium ab aliquo suffraganeorum nostrorum habuimus; quandoquidem tam aliæ Ecclesiæ Italiæ, quam ultramontanæ multo majora, quam nostra gravamina sustinent, plures decimas uno anno plerumque solvendo. Sane hoc unum vos nolumus ignorare, quod si hujusmodi nostram petitionem subsidii tam justam, tamque rationabilem, et ex causa tam evidenti necessaria procedentem, contumaciter abnuendo excluseritis; contra vos, quantum de jure ...... Si vero illam reverenti animo, postulatum præstando subsidium, duxeritis admittendam: nostræ propitiationis favorem in vestris beneplacitis non absque divinæ pariter, & humanæ laudis titulo copiosius sentietis.

Concilii acta perierunt; quod superest monumentum hoc geminum dat idem P. de Rubeis ex regesto Meliorantiæ Utini.

Die lunæ nono intrante februario in castro Utini super patriarchali palatio; dominus in Christo pater, & D. D. Ottobonus, Dei gratia sanctæ sedis Aquilegensis patriarcha, de consensu, consilio, & voluntate infrascriptorum prælatorum, ad provinciale concilium vocatorum, & ipsi cum eo, approbaverunt, ratificaverunt, & confirmarunt constitutiones Provinciales, quæ in alio præterito Concilio provinciali (*quod Aquilejæ anno 1307. habitum est*) lectæ approbatæ, & confirmatæ fuerunt; nihil addentes, vel diminuentes eisdem. Nomina vero prælatorum, qui ibidem fuerunt, sunt ista: D. Rodulphus episcopus Tergestinus, D. frater Odoricus episcopus Petenensis... D. F. Johannes Rosacensis, D. F. Hermannus Sextensis, D. F. Albertus Sumaquensis Monasteriorum Abbates, D. F. Johannes Præpositus...., D. Philippus præpositus S. Stephani de Aquilegia, D. Volricus Archidiaconus Karinthiæ, ac D. Odoricus de Glemona, D. Guido de Villalta, & Magister Walterius, canonici Aquilegenses; D. Guecemanus plebanus Bujæ, & plures alii.

Item in eodem instanti consultum, & ordinatum fuit per omnes prædictos: quod interdictum, factum contra D. Gilonem, qui se gerebat pro Archidiacono Aquilegensi; ac dominos, Warnerum de Cucanea & Ulvinum de Pramperch de eorum beneficiis, in statu remaneat usque ad generale concilium domini Papæ: & quod interim de eorum redditibus ecclesiasticis non respondeatur eisdem.

ANNO CHRISTI 1310.

CONCILIA IN GALLIA PLURA

In causa Templariorum

Anno 1310. *celebrata.*

An. 1310. TEmplariorum, quæ per hos annos maxime fervebat, causa, Gallicanos præsules ut sæpe in concilia convenirent adegit. Horum conciliorum unius tantummodo Labbeus meminit; sed potuit & alia connumerasse quæ illi sufficiebat vetustus author chronici Rotomagensis a se in Bibliotheca manuscriptor. t. I. pag. 1307. vulgatus, qui hæc habet ad annum 1310. *Hoc anno factis processibus per archiepiscopum Senonensem cum suffraganeis suis in provinciali concilio* (Parisiensi, de quo pariter & Labbeus) *ob hoc de mandato apostolico concurrente contra Templarios fuerunt publice condemnati Parisios quinquaginta quatuor ex eis, fueruntque relicti curiæ sæculari & combusti; & paulo post in concilio provinciali apud Albanectum Remensis archiepiscopus, & apud Pontisaram Rotomagensis archiepiscopus in concilio Templarios condemnaverunt.*

EBORACENSE CONCILIUM

In causa Templariorum a VVillelmo Eboracensi archiepiscopo

Anno 1310. *habitum.*

An. 1310. Affert Wilkins Conc. Brit. t. II. pag. 393. ex Regest.

MEmorandum, quod nos Willielmus, permissione divina Ebor. archiepiscopus, Angliæ primas, propter diversa & ardua negotia, statum & reformationem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum nostræ Ebor. dioeceseos & provinciæ contingentia; ac quædam alia, quæ nobis a sede apostolica demandata fuerant, & quæ magnam deliberationem, consilium, & tractatum requirebant; videlicet inquisitiones faciendas tam contra singulares personas Templariorum, quam ordinem earundem, super certis articulis in literis apostolicis nobis, & suffraganeis nostris, ac aliis certis collegis nobis adjunctis, per prædictam sedem destinatis; quæ quidem litteræ apostolicæ, & earum executiones in registro de intrisecis cameræ nostræ, annis pontificatus nostri quarto & quinto registrantur; nostrum concilium provinciale in ecclesia nostra Ebor. vicesimo die mensis Maii, anno Domini MCCCX. & pontificatus nostri quinto, habita super hiis deliberatione non modica, jure ordinario duximus celebrandum. Ad quod venerabiles fratres nostros A. Dunelm. J. Carliolen. & Tho. Candidæ Casæ episcopos, nostræ Ebor. ecclesiæ suffraganeos, decanum & capitulum ecclesiæ nostræ Ebor. ac cæteros decanos, archidiaconos, præpositos, archipresbyteros, & capitula cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, abbates, priores exemptos, & non exemptos ejusdem nostræ dioeceseos & provinciæ, sub formis & tenoribus infrascriptis fecimus evocari.

Willielmus, providentia divina Ebor. archiepiscopus, Angliæ primas, venerabili fratri nostro domino A. Dei gratia Dunelm. episcopo, salutem, & fraternæ charitatis in domino continuum incrementum. Ut omnis status ecclesiasticus, & sacræ regulæ diligenter valeant custodiri, statutum existit, ut provincialia concilia convocentur, in quibus emergentia negotia discutiantur, & debite corrigantur; quæ etsi secundum jura fieri debeant omni anno, tunc tamen est præcipue circa ea diligentiori studio laborandum, cum emerserint negotia graviora; præsertim talia, ex quibus in Christi populo C enorme scandalum generatur. Sane quantus clamor ascenderit his diebus contra ordinem militiæ Templi, ipsiusque ordinis singulares personas super hæresi, idololatria, perfidia, & aliis enormitatibus, jam satis est per mundi climata divulgatum. Pater siquidem sanctissimus dominus Clemens, divina providentia, papa quintus, hujus clamore sæpius excitatus, a nonnullis fratribus ipsius ordinis, coram se ad judicium evocatis, super præmissis diligentius inquisivit; quorum multi coram eodem domino papa, patribusque reverendis dominis cardinalibus, prædicta flagitiosa crimina sponte judicialiter sunt confessi. Idem quoque dominus papa super præmissis intendens ulterius procedere, juxta D canonicas sanctiones, cum commode nequeat a singulis ordinis supradicti personis inquirere per seipsum, onera sua partiri volens cum aliis prælatis inferioribus, qui in parte solicitudinis sunt vocati, nobis per apostolica scripta mandavit, ut sub certa forma contra supradictum ordinem, & ipsius singulares personas judicialiter procedamus. Ut igitur tam prædicta, quam alia, quæ nostro incumbunt officio, cum consilio saniori plenius exequi valeamus, disposuimus, Deo duce, vicesimo die mensis maii in ecclesia nostra Ebor. provinciale concilium celebrare. Quocirca fraternitati vestræ injungimus & mandamus, quatenus tam in ecclesia ve- E stra, quam in aliis collegiatis ecclesiis, necnon monasteriis conventualibus per totam vestram dioecesim constitutis, hæc faciatis solenniter publicari. Citamus etiam vos peremptorie, & per vos, universos abbates, prioresque abbates proprios non habentes, ac tam ecclesiæ vestræ, quam aliarum collegiatarum vestræ dioec. decanos, archidiaconos, & præpositos, necnon capitula, quod tam vos, quam prædicti abbates, priores, decani, archidiaconi, & præpositi personaliter, capitula vero per procuratores sufficienter instructos, dictis die & loco, cum die-

ANNO CHRISTI 1310.

diebus continuandis & prorogandis, coram nobis compareatis, & compareant, super proponendis in concilio tractaturi, salubre consilium impensuri, necnon ea, quæ statuta, ordinata, & facta fuerint, humiliter admissuri; ac etiam efficaciter impleturi, facturi, & recepturi, quod consonum fuerit canonicis institutis. Vos etiam præmunimus, & cæteros per vos citandos præmuniri mandamus, quod absentes in termino dicto, nisi propter evidentes causas & rationabiles, de quibus fidem faciant, licite fuerint impediti, tanquam inobedientes & contumaces, juxta juris exigentiam puniemus. Qualiter autem hoc nostrum mandatum fueritis executi, nos dictis die & loco distincte & aperte certificare curetis per literas vestras patentes, harum seriem continentes. Dat. London. II. die Martii, anno gratiæ MCCCIX.

ACTA.

Quo die 20. mensis maii, missa de sancto spiritu solenniter celebrata, postmodumque nobis archiepiscopo Ebor. una cum venerabilibus fratribus nostris Carliolen- & Candidæ Casæ episcopis, nobiscum pontificalibus indutis; archidiaconus Nottingham. & Clyvelan. personaliter; archidiacono vero Ebor. per magistrum Radulphum de Conyngsburgh; archidiacono Eastryding. per Gulielmum Arnald de Monte Sicco, procurat. substitut. Bertrandi de Rupe, procurator. principal. domini Bertrandi de Fargis, archidiaconi Eastryding. prædicti; & archidiacono Richmond. per magistrum Johannem de Skyrne, substitutum magistri Celestini de Verona, procurator. domini archidiaconi Richmond. ipsis archidiaconis in partibus transmarinis existentibus; ac priore Dunelm. per fratres Reginaldum de Barneby, & Johannem Luterel., dictæ domus Dunelm. confratres & commonachos, procuratores suos legitime constitutos; comparentibus & abbatibus, prioribus, archipresbyteris, necnon procuratoribus cathedralium & collegiatarum ecclesiarum nostrarum, & aliis viris ecclesiasticis, cum multitudine copiosa in ecclesia nostra Eborac. confidentibus, venerabilem fratrem nostrum dominum Dunelm. episcopum non comparentem, propter reverentiam patriarchalis dignitatis, quam obtinet, ac etiam propter notoriam invaletudinem corporalem ad præsens habuimus excusatum. Proposito itaque

A verbo Dei, articulos in ipso concilio nostro tractandos & expediendos præfato clero nostro exposuimus viva voce. Lectis etiam postmodum quibusdam literis apostolicis super inquisitionibus contra singulares personas Templariorum, & ipsorum ordinem faciendis, ac etiam literis citatoriis & certificatoriis, tam Carliolen. & Candidæ Casæ episcoporum suffraganeorum nostrorum prædictorum, quam capituli ecclesiæ nostræ Ebor. & officialis nostri Ebor. cui eandem citationem in dioecesi nostra prædicta commisimus faciendam; ipsisque sic citatis & de mandato nostro præconizatis, & pro majori parte personaliter, & sufficienter comparentibus; quibusdam vero ex

B eis diversas excusationes & impedimenta per procuratores speciales proponentibus, illis, in quantum legitima erant, admissis, super processu contra non comparentes faciendo usque in crastinum duximus deliberandum; præfigentes eidem clero nostro eundem diem crastinum, coram nobis in capitulo nostro Ebor. ad proponendum, dandum, & exhibendum in scriptis articulos & capitula, contingentia statum & correctionem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, & alia, quæ in hoc concilio nostro debebunt, & poterunt reformari.

Quo die crastino in capitulo ecclesiæ nostræ Ebor. præfato clero coram nobis com-

C parente, propositis etiam & expositis eidem clero quibusdam articulis, statum singularem personarum, & ordinem Templariorum, ac statum nostræ dioeceseos & provinciæ tangentibus, quos propter arduitatem eorum absque majori deliberatione ad plenum non potuimus ad præsens, ut toti videbatur concilio, expedire; non comparentibus, juxta citationem factam, contumacibus reputatis, poenaque eis infligenda nobis specialiter reservata, aliud provinciale concilium tempore, quod competens nobis videbitur, celebrandum, de consensu & voluntate præsentis concilii decrevimus convocandum. Postmodum vero, habita deli-

D beratione cum concilio nostro pleniori, aliud concilium provinciale in ecclesia nostra beati Petri Ebor. ad tractandum, ordinandum, & faciendum ulterius in negotio supradicto, & aliis statum & reformationem ecclesiæ nostræ Ebor. prædictæ contingentibus 9. Cal. Junii, cum continuatione & prorogatione dierum subsequentium duximus convocandum.

CANTUARIENSIS PROVINCIÆ

Concilium pro ecclesiarum juribus servandis intactis

Anno 1310. *habitum.*

1310. ffert lkins c. t. II. 401. eg. ft. tuar.

„ CONCILII hujus acta quidem supersunt „ nulla; loco vero actorum damus se„ quentem excommunicationis sententiam „ quam solemni & publico ritu tulit Ro„ bertus Cantuariensis archiepiscopus ex sen„ tentia concilii provincialis nuper cele„ brati.

Anathematizatio facta in ecclesia Christi Cantuar. per dominum Robertum archiepiscopum pontificalibus indutum, die dominica infra octabas nat. B. Mariæ, A. D. MCCCX. præsentibus domino Aniano Bangor. episcopo pontificalibus induto; ac etiam... priore & conventu ecclesiæ Cant. sacris vestibus in-

ANNO CHRISTI 1310.

dutis, & omnibus rectoribus, vicariis, & presbyteris paroch. civitatis Cant. superpelliciis indutis, prælatis cereos, & aliis candelas accensas in manibus suis tenentibus.

In Dei nomine, Amen. Nos Robertus, permissione divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, ad perpetuam rei memoriam. Cura solicitudinis pastoralis propensius nos admonet, continua instantia, & curiosa solicitudine attente ac specialiter vigilare, ut status ecclesiasticus hujus nostræ sanctæ Cant. ecclesiæ, ad divini nominis laudem, per nostræ operationis ministerium salubriter in Domino dirigatur. Sane ad incolarum omnium hujus regni & aliorum notitiam credimus pervenisse, quod sancta Cant. ecclesia, ad cujus regimen Dei miseratione sumus, licet insufficientibus meritis, evocati, adversa sæpius pertulerit & perferat, quod diris oppressionibus repetitis malleis, crebrisque concussionibus subjacuerit & subjaceat in præsenti, adeo ut procellis intumescentibus, ipsa Christi Dei ecclesia, quam non tantum ipse Deus & sancti patres, sed etiam principes sæculares multis privilegiis muniverunt, deterioris conditionis videtur existere, quam sub Pharaone sacerdotium fuerat, qui divinæ legis notitiam non habebat; cum ille, omnibus aliis personis servitutibus subactis, sacerdotes & possessores eorum dimiserit in pristina libertate; ideoque ultra omnes occidentales ecclesias cum Jeremia poterit lamentari: *Facta est quasi vidua domina gentium:* & quod subjungitur: *Sacerdotes ejus gementes, & ipsa oppressa amaritudine.* Eapropter in nostro provinciali concilio, quod nuper celebravimus, fuerat inter alia concorditer ordinatum, quod statuta & ordinationes ven. memoriæ Ottonis & Ottoboni, in Anglia apostolicæ legationis fungentium officio, nec non & bonæ memoriæ Stephani, olim hujus ecclesiæ Cantuar. archiepiscopi, nostri prædecessoris, quæ & quas pro reformatione status ecclesiastici contra ecclesiasticam libertatem, gravibus oppressi oneribus & inimicis, * ac intolerabilibus afflicti injuriis, deliberatione provida, salubri & perutili duxerant providenda; & insuper casus, quibus majoris excommunicationis sententia per sacros canones infligitur, ipso facto per nos, & suffraganeos nostros, seu nostros, & ipsorum commissarios in nostris ecclesiis cathedralibus, in quatuor anni festis principalibus, & nihilominus in synodis & congregationibus cleri & populi universis, astante fidelium multitudine, publice divulgentur; quodque per.... decanos, archipresbyteros, præpositos, archidiaconos & ipsorum officiales, vel commissarios in suis quatuor capitulis principalibus, ecclesiisque sibi subjectis, per rectores & vicarios eorundem in eisdem festis principalibus, dum missarum solemnia celebrantur, deinceps annis singulis publicentur, ne prætextu ignorantiæ statutorum, vel excommunicationum hujusmodi, quisquam se valeat excusare; & quod locorum ordinarii eadem faciant per censuras ecclesiasticas firmiter observari. Cum igitur gloriosus martyr beatus Thomas, hujus sanctæ ecclesiæ Cant. archiepiscopus, qui pro jure hujus sanctæ ecclesiæ specialiter in hac sancta ecclesia martyrium sustinuit gloriosum, modicum antequam pateretur, ecclesiam hanc sanctam, cum omnibus suis juribus & libertatibus sub Dei & ipsius protectione subjecerit, & sub perpetuo anathemate prohibuerit, ne quis jura sua aliquo integumento, vel causa alienare præsumeret; raptoresque & alienatores possessionum, dignitatum, rerum detentores, consentaneos, & participes usque ad condignam satisfactionem anathemate perpetuo duxerit condemnandos; ulterius adiiciens, ut si quis hanc eandem sanctam ecclesiam in aliquo vexare, vel ipsius libertates diminuere præsumeret, æternam Dei & ipsius martyris maledictionem haberet, nisi ante mortem condignam ecclesiæ satisfactionem faceret, cum restitutione debita ablatorum: sanctique patres tam in concilio Oxon. quam olim in regia aula apud Westm. adinvicem congregati, regio accedente consensu, omnes illos, qui ecclesias malitiose suo jure privare præsumunt, aut per malitiam libertates earum infringere, vel perturbare contendunt, excommunicationis vinculo duxerint innodandos; ac in quondam domini Ottoboni, apostolicæ sedis legati in Anglia, constitutionibus sit statutum, quod si in domibus, maneriis, grangiis, vel aliis hujusmodi locis ad personas ecclesiasticas, vel ipsas ecclesias pertinentibus, accedens quisquam præter permissionem aut voluntatem duorum, vel eorum, qui sunt hujusmodi rerum custodiis deputati, consumere, vel auferre, aut contrectare præsumpserit, ipso facto sit excommunicatione ligatus. Porro, ut prædictæ sententiæ, quæ modicum a quampluribus formidantur, sed potius contemnuntur, eo amplius transgressores & sacrilegos a suis maleficiis faciant resilire, quo solemnius fuerint publicatæ; omnes & singulos, cujuscunque conditionis fuerint, aut status ecclesiastici vel mundani, qui prohibitionem, anathematizationem, æternam maledictionem Dei, & ipsius martyris gloriosi, prædictas excommunicationum sententias multiplices non verentes, jura hujus sanctæ ecclesiæ rapuerunt vel invaserunt, rapiunt vel invadunt, res ipsius detinuerunt invite vel detinent, hanc ecclesiam vexaverunt aut vexant, libertates ipsius diminuerunt vel diminuunt, ipsam suo jure privaverunt vel privant, ejus libertates infringere vel perturbare per malitiam contenderunt seu contendunt, seu ad domos, maneria, vel grangias, aut alia loca hujusmodi ad hanc sanctam ecclesiam pertinentia, temere, sacrilege accedentes, blada decimarum vel fructuum ecclesiasticorum in eisdem domibus, maneriis, granciis, seu aliis hujusmodi locis recondita consumpserunt vel consumunt, abstulerunt vel auferunt, contrectaverunt vel contrectant contra eorum voluntatem, qui dictarum decimarum, & fructuum ecclesiasticorum deputantur custodiis, declaramus, pronunciamus & publicamus æternam maledictionem Dei, & beati Thomæ martyris, necnon & excommunicationum prædictas sententias damnabiliter incurrisse, quemadmodum, ut præmittitur, in suis casibus

* f. inimicitiis.

ANNO CHRISTI 1311.

fibus ſunt prolatæ. Et omnia præmiſſa nihilominus innovantes, eosdem, ac omnes alios, domini regis & reginæ perſonis, & eorum liberis duntaxat exceptis, qui præmiſſa vel præmiſſorum aliquid in futurum præſumpſerint attemptare, cum ſuis fautoribus & adjutoribus, niſi infra quindecim dierum ſpatium Domino & eccleſiæ pro commiſſis debite ſatisfecerint, perpetuo anathemati ipſo facto decernimus & ſtatuimus ſubjacere. Quisquis igitur jura hujus ſanctæ eccleſiæ rapuerit vel invaſerit; res ipſius diminuerit, vel injuſte detinuerit; ipſam eccleſiam vexaverit; vel ejus libertates diminuerit; ſuo jure privaverit; ipſius libertates infregerit, vel perturbare contenderit, blada decimarum vel fructuum eccleſiaſticorum aliorum in domibus, maneriis, granciis, vel aliis locis hujusmodi ad hanc ſanctam eccleſiam ſpectantibus, recondita, conſumpſerit, abſtulerit, vel contrectaverit contra voluntatem eorum, qui dictarum decimarum & fructuum eccleſiaſticorum cuſtodiis deputantur, perpetuo anathemate atque excommunicatione, ut prædicitur, damnatus, cum impiis, qui non reſurgunt in A extremo judicio reputetur: omnipotentis Chriſti Dei, contra cujus nequiter attemptat eccleſiam, contra ſe ſentiat iram, & furorem apoſtolorum beatorum Petri & Pauli, & ſanctorum omnium, quorum corpora in hac ſancta eccleſia conquieſcunt; fiat hæreditatio ejus deſerta, & in tabernaculis ejus non ſit, qui inhabitet; filii ejus fiant orphani, & uxor ejus vidua; commotus amoveatur ipſe, atque filii ejus, & mendicent, ac ejiciantur de hæreditationibus ſuis; diripiant alieni labores ejus, orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria; omnium ſanctorum merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Fiat, Fiat, B amen. Obſervatores autem jurium & libertatum hujus ſanctæ eccleſiæ Chriſti Dei, cujus eſt hæc ſancta eccleſia, gratia protegat & defendat, & auctoritas apoſtolorum dictorum Petri & Pauli, ac merita glorioſi martyris Thomæ, & omnium ſanctorum, quorum corpora in hac eccleſia, & locis aliis conquieſcunt, abſolvant ab omnibus vinculis peccatorum, & ad vitam æternam faciant feliciter pervenire. Amen.

LONDINENSE CONCILIUM

In quo Templarii quidam judicialiter audiuntur

Anno 1311. *habitum.*

Affert Wilk. Conc. Brit. t. II. pag. 388. ex actis contra Templa. in MSS. Cod Tho. Bodl. Ox. fol. 5. 2.

AD laudem & gloriam nominis altiſſimi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad confuſionem hæreticorum, corroborationem fidelium chriſtianorum, incipit inſtrumentum publicum ſuper reconciliatione hæreticorum pœnitentium, & ad fidem orthodoxam revertentium, edita in concilio London. celebrato anno Dom. MCCCXI.

In Dei nomine, Amen. Incarnationis Dominicæ anno MCCCXI. indictione nona, menſis Junii die 27 conſtitutus perſonaliter in aula hoſpitii domini epiſcopi London. juxta S. P. L. coram venerabilibus patribus D domino Roberto, Dei gratia Cantuar. archiepiſcopo, totius Angliæ primate, & ſuffraganeis ſuis in concilio provinciali ibidem congregatis, frater Stephanus de Stapelbrugge, de ordine militiæ Templi, expoſitis de verbo ad verbum in lingua per eum intellecta, ſicut aſſeruit, in lingua videlicet Gallicana, abnegatione Chriſti & beatæ Mariæ virginis, matris ipſius, ſpuitione ſuper crucem; & hæreſibus, et erroribus, per ipſum coram reverendis patribus London. loci dioceſano, & Ciceſtren. ſibi adjuncto epiſcopis, & coeteris epiſcopis provinciæ Cantuar. in inquiſitione contra ſingulares perſonas ordinis militiæ Templi antedictæ, E in eadem provincia Cantuar. degentibus faciend. prout in ipſius Stephani depoſitione plenius continetur, per ipſum confeſſis, aſſeruit idem Stephanus, in pleno concilio, & coram populo civitatis, hac ex cauſa introducto, omnia per ipſum, ut præmittitur, depoſita fuiſſe et eſſe vera, & quod in illa confeſſione perſeveraret omnino, & adhuc perſeverat in præſenti, confitens humiliter errorem ſuum flexis genibus, comploſis manibus, cum ejulatu, & multis lachrymis, repetitis vicibus, petiit ſe ad miſericordiam ſanctæ matris eccleſiæ recipi, & abſolvi, offerens ſe paratum hæreſes hujuſmodi per ipſum confeſſas, & omnes alias, necnon & omnes errores a fide catholica deviantes abjurare, & injungendam ſibi pœnitentiam pro commiſſis fideliter adimplere. Et tradito ſibi libro evangeliorum in manibus, dictas hæreſes abjuravit ſub hac forma.

Ego frater Stephanus de Stapelbrugge, de ordine militiæ Templi, perſonaliter conſtitutus coram venerabilibus patribus domino Roberto, Dei gratia Cantuar. archiepiſcopo, totius Angliæ primate, & ſuis ſuffraganeis, in præſenti concilio provinciali London. congregatis, fateor omnia & ſingula, quæ alias coram dominis London. & Ciceſtren. epiſcopis juratus & examinatus depoſui, & confeſſus fui, & quæ de verbo ad verbum in lingua mihi intelligibili coram me recitatæ ſunt, vera fuiſſe & eſſe, & quod in ea confeſſione veritatis perſevero; in quibus confeſſis confiteor me erraſſe, & ſuper his corde contrito & humiliato abſolutionem & poenitentiam requiro; & prædictas hæreſes, & omnes alias, quocunque nomine cenſeantur, abjuro, & promitto, quod de cætero ſervabo illibate fidem, quam Romana tenet et prædicat eccleſia; & quod hæreticos, et rudentes eorum toto poſſe meo perſequar, & tam eos, quam eorum fautores, & receptores, et benefactores, temerarios, bona fide, & ſine omni fraude, & mora, manifeſtabo eccleſiæ et prælato; et poenitentiam, quæ mihi

ANNO CHRISTI 1311.

hi propter dictam culpam meam injungetur, integre servabo, et perfecte, quatenus humana fragilitas permiserit, eam complebo. Et volo atque concedo, quod si ab hac hora in antea contigerit me relabi in eundem errorem, vel alium cujuscunque hæresis quocunque nomine censeatur, errando forte in aliquo articulo seu capitulo fidei, vel sacramentorum, seu credendo vel fidem adhibendo hæreticis, vel errantibus a fide, abinde ipso facto excommunicatus habear et perjurus et hæreticus manifestus, et talem me ego judico, ita quod sine ampliori cognitione et sententia imponatur mihi poena, perjuris, et relapsis, et manifestis hæreticis infligenda. Subsequenter prædictus frater Stephanus juravit ad sancta Dei evangelia, manu sua corporaliter tacta, stare mandatis ecclesiæ, et concilii supradicti.

Adducto etiam ibidem Thoma de Thoroldeby, dicto Tocci, de quo prædictus Stephanus in sua confessione deposuerat, quod ipse Thomas cum quodam alio, extractis gladiis, eidem Stephano fecerunt compulsionem ad committendos errores superius confessos, prout in ejus Stephani depositione plenius continetur; et multipliciter monitus et exhortatus, ut errores confiteretur, de quibus non posset se defendere vel purgare. Demum dictus Thomas saniori spiritu ductus, veniam ab archiepiscopo postulavit; et concilio memorato confitens abnegationem Christi, non corde, sed ore tantum, ut dixit, per ipsum in sua receptione factam, prout in examinatione ejusdem coram London. et Cicestren. sibi adjuncto episcopis per ipsum facta plenius continetur; cum lachrymis et ejulatu ordinationi ecclesiæ se submittens, misericordiam petiit, ad quam per dictum dominum archiepiscopum et prælatos in forma ecclesiæ receptus, eosdem errores, et omnes alios, ibidem præsente concilio, et plebe totius civitatis, in forma præscripta abjuravit; excepto quod iste abjuravit ea, quæ fuit de se confessus solo modo, et postea in genere omnes alios errores et hæreses, quocunque nomine censerentur, librum evangeliorum, ut frater Stephanus prædictus in manibus suis tenens, et quilibet ipsorum duorum post abjurationem de calamo in schedula abjurationis, loco subscriptionis, signum fecit de consilio prælatorum. Demum dominus archiepiscopus Cantuar. ad absolvendum et reconciliandum unitati ecclesiæ Stephanum et Thomam prædictos, auctoritatem suam, et totius concilii domino London. me notario præsente, et ad hoc specialiter vocato, concessit in hæc verba.

„ Auctoritatem Dei, beatæ Mariæ, beati Thomæ martyris, patroni nostri, et omnium sanctorum atque sanctarum Dei nobis concessam, necnon auctoritatem præsentis concilii in nos translatam hac vice tibi concedimus, ut istos ab ecclesia per fidei abnegationem separatos, et jam ad fidem conversos, unitati ecclesiæ reconcilies, poenitentiam eis pro commissis injungendam, nobis et concilio reservantes.

Et quia duo erant pœnitentes, Cicestren. episcopum sibi adjunxit ad absolvendum eosdem. Qui quidam episcopi episcopalibus induti 12. presbyteris in sacerdotalibus eis assistentibus, in porta occidentali ecclesiæ cathedralis sedes sibi collocarunt et poenitentibus extra dictæ ecclesiæ portam super gradus, flexis genibus, in oratione humiliter provolutis, populo civitatis et concilii circumstante, et dicto psalmo *Miserere mei Deus &c.* a principio usque ad finem, et precibus et oratione subscriptis, in continenti subsecutis dictos poenitentes absolverunt, et unitati ecclesiæ reconciliarunt sub hac forma.

„ In Dei nomine, Amen. Quia te fratrem Stephanum de Stapelbrugge invenimus per tuam confessionem Jesum Christum, et beatam Mariam virginem abnegasse, & juxta crucem spuisse; & quia nunc saniori usus consilio vis ad unitatem sanctæ matris ecclesiæ, prout asseris, de corde bono & fide non ficta redire; ideo abjurata a te primitus præmissa, & omni hæretica pravitate secundum formam ecclesiæ, ab excommunicationis vinculis, quibus tenebaris astrictus, auctoritate concilii te absolvimus, & reconciliamus ecclesiæ unitati, siquidem ad eam corde redieris, & injuncta tibi mandata servaveris.

„ Forma vero absolutionis Thomæ hæc fuit.

„ Et nos de consilio & assensu totius concilii, & adjunctorum præsentium te fratrem Thomam Tocci absolvimus a sententia excommunicationis, quam incurristi pro erroribus seu hæresibus in tua confessione per te denudatis; & te reconciliamus ecclesiasticæ unitati. Post psalmum, *Gloria patri &c. Sicut erat &c. Kyrie eleyson* 3. *Christe eleyson.* 3. *Kirie eleyson* 3. *Pater noster. & ne Nos; salvum fac, Domine, servum tuum; Deus meus, sperantem in te; Dominus vobiscum; & cum Spiritu tuo; Oremus; Deus cui proprium est miserere semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum T. quem excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat.* Item alia oratio, *Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum veniam consequatur per Dominum nostrum; &c.* Deinde sedens in cathedra eum absolvebat, sic dicens: *In Dei nomine amen,* Quia te fratrem, N. ut superius continetur in absolutione Johannis de Stoke.

Post hæc, die sabbati 5. non. Julii, in aula, qua prius, constitutus, in præsentia domini archiepiscopi Cantuar. et totius concilii, frater Johannes de Stoke, capellanus de ordine Templi, & lecta sibi confessione sua per ipsum in ecclesia S. Martini de Vinetria die Jovis, cal. Julii, ultimo coram London. & Cicestren. episcopis sponte facta, ac etiam in lingua intelligibili exposita, dictam confessionem approbavit, & in ea perseverans, flexis genibus humiliter, junctis manibus, veniam postulavit; & admissus per concilium, errores per ipsum confessos abjuravit, & omnes alios, quocunque no-

ANNO CHRISTI 1321.

nomine censerentur, sub hac forma:

„ Ego frater Johannes de Stoke, capellanus de ordine militiæ Templi, personaliter constitutus coram vobis venerabilibus patribus domino Roberto, Dei gratia Cantuar. archiepiscopo, totius Angliæ primate, & suffraganeis vestris in hoc provinciali concilio apud London. congregatis, fateor me abnegasse Jesum Christum in receptione mea, ore tantum, sed non corde; alia omnia & singula, quæ alias coram dominis London. & Cicestren. episcopis juratus, & examinatus deposui, & confessus fui, & quæ de verbo ad verbum in lingua mihi intelligibili coram me recitata sunt, vera fuisse & esse; & quod in ea confessione veritatis persevero, in quibus confessis fateor me errasse, & super his corde contrito & humiliato absolutionem, & pœnitentiam requiro, et prædictas hæreses, & omnes alias quocunque nomine censeantur, &c.

Quibus abjuratis, ut superius, signum fecit cum penna, & manu sua scripsit idem frater Johannes, præmissis manu propria subscribo. Commissa iterum, ut prius, episcopo London. auctoritate dictum fratrem Johannem absolvendi, eundem ordinem tenuerunt ipse London. Cicestren. episcopi, quem hactenus tenuerant in reconciliatione Stephani & Thomæ superius nominatorum.

Subsequenter eo quod dictum extitit communiter in concilio, quod magnus magister Angliæ, videlicet Willielmus de la More, petierat personaliter, & oretenus loqui cum domino archiepiscopo Cantuar. sperabatur a multis, quod vellet, sicuti isti tres fratres superius reconciliati, aliqua confiteri; ordinatum extitit in concilio, & consensum, quod Cicestren. episcopus ad ipsum magistrum accederet, & ipsum plenius audiret, eo quod ipse solus datus erat contra ordinem. Dicto vero episcopo ad ecclesiam Omnium Sanctorum accedente, adjunctis sibi offic. London. duobus jurisperitis, & uno theologo, & duobus tabellionibus, die lunæ 3. non. Julii, & comparente ibidem dicto fratre W. magno magistro coram eis, & nihil penitus per ipsum plenius interrogatum confesso, exhortatoque eo, & multipliciter inducto, ut hæresim, de qua fuerat diffamatus, & per propriam suam & fratrum ejusdem ordinis confessionem convictus, videlicet de absolutione per ipsum in capitulo facta, & omnes alias, de quibus non posset se purgare, abjuraret, & ordinationi ecclesiæ se submitteret; respondit, quod ipse nunquam commisit hujusmodi hæreses, nec volebat abjurare crimina, quæ ipse nunquam commisit, & sic fuit remissus ad custodiam, ex qua fuit ibi adductus. Post hæc, die Martis in crastino 2. non. Julii, apud Southwerk juxta London. in dioec. Winton. in præsentia venerabilium patrum dominorum, Dei gratia London. Winton. & Cicestren. episcoporum, constituti fratres Philippus de Mewes, miles, Thomas de Staundon, Hen. Paul, Rog. de Dalton, & Tho. de Ludham, & exposito eis, quod ipsi, & cæteri fratres de dicto ordine erant vehementer diffamati, & suspecti de hæresi, sicut patet per bullam domini papæ, & articulos sub bulla missos; & insuper quod graviter erraverant circa sacramentum pœnitentiæ, credentes quod frater laicus & maxime post celebratum capitulum suum posset alios fratres absolvere a peccatis, dicendo: *Peccata, quæ omisisti confiteri propter erubescentiam carnis, vel timorem justitiæ ordinis, ex potestate nobis concessa a Deo, & domino papa, nos remittimus vobis, quantum possumus.* Notificato insuper eisdem, quod si vellent dictum errorem pertinaciter defendere, hæretici reputarentur, & de juris necessitate, ex quo super his se purgare non possent, oporteat ipsos hæreses, de quibus diffamati erant, ac etiam errorem prædictum, & omnes hæreses abjurare; responderunt, quod parati erant abjurare hujusmodi hæreses, & omnes alias coram domino archiepiscopo, & prælatis concilii, nunc & alias, quandocunque fuerint super hoc requisiti; & flexis genibus petierunt veniam, & ordinationi ecclesiæ se submiserunt ad quam fuerunt recepti.

Et subsequenter die Veneris 7. id. Julii, in aula hospitii decani S. P. L. venerabilibus patribus dominis, Dei gratia London. & Cicestren. episcopis personaliter constitutis, comparuerunt coram eis ibidem fratres infrascripti; videlicet, Michael de Baskevile, Ric. de Colyngham, W. de Herefod, Walt. de Rokele, Pet. de Oteryngham, W. de Cawecombe, Joh. Coffyn., Will. de Chalesey, Rob. de Sautre, Alan. de Neweson, W. de Pokelington, Rob. de Sprouton, & Joh. de Belesale. Et exposito eis, quod ipsi, & cæteri fratres dicti ordinis, &c. sicut 5. fratribus, Philippo videlicet de Mewes, & aliis, per eosdem ordinis dicti fratres, quilibet pro seipso loquens, responderunt, quod noviter erant in ordinem recepti, & quod nunquam fuerunt in capitulis celebratis generaliter per magistrum, nec in secretis tractatibus majorum ordinis, parati tamen hujusmodi hæreses, & omnes alias abjurare: & flexis genibus misericordiam sanctæ ecclesiæ petierunt, & fuerunt ibidem admissi. Et postmodum eodem die coram domino archiepiscopo Cantuar. & cæteris episcopis, procurator. religiosis, & clero ac populo civitatis London. in aula episcopali in pleno concilio constitutis, 13. fratres prædicti, & 5. fratres apud Southwerk recepti, ad abjurandum hujusmodi hæreses paratos sponte se obtulerunt; & exposita eis forma, sub qua abjurare deberent, expositis etiam periculis, quæ possent eis evenire, si de cætero contingeret eos dictum ordinem, vel personas ipsius consilio defendere vel fovere, vel quod boni fuerunt aliis prædicare, tradito libro evangeliorum cuilibet in manibus, unus post alium; & sic omnes sub eadem forma, qua supra, jurarunt.

Commissa demum auctoritate dominis London. & Cicestren. episcopis ad absolvendum, vice concilii, pœnitentes, eodem ipsos ordine, quo prius, per omnia servato, absolverunt, verbis tamen in confessione confitentium errores superius recitatis in absolu-

lutione istorum suppressis, & juxta istorum confessiones in absolutione expressis.

Isto eodem die protestabatur dominus London. quod functus fuerat officio suo, & quod deinceps non intromitteret se de negotio vel facto Templariorum, nisi quatenus tenebatur hoc facere ut ordinarius, cum ipsi recesserint, quibus ipse fuerat per papam adjunctus: & fuerunt quinque primi sub his verbis absoluti.

,, In Dei nomine, Amen. Quia tu confessus es judicialiter coram provinciali te ,, graviter errasse circa sacramentum pœnitentiæ, credendo absolutionem factam in ,, capitulo a magistro laico talem habere ,, efficaciam, qualem verba per ipsum magistrum prolata sonabant (sic videlicet B ,, dicentem: Peccata, quæ omisisti confiteri ,, propter erubescentiam carnis, vel timorem justitiæ ordinis ex potestate nobis a ,, Deo concessa, & domino papa, nos remittimus vobis, quantum possumus), confessus es etiam te adeo esse diffamatum super articulis hæreticæ pravitatis sub apostolica bulla missis, quod te super his purgare non potes; ideo sano utens consilio, ,, de corde bono, & fide non ficta, te misericordiæ et judicio ecclesiæ submisisti, ,, abjuratis a te primitus erroribus, et hæresibus prædictis, et aliis omnibus, quibuscunque nominibus censeantur, te secundum formam ecclesiæ ab excommuni- C cationis vinculis, si aliquibus propterea tenebaris astrictus, auctoritate dicti concilii ad cautelam absolvimus, et reconciliamus ecclesiasticæ unitati; siquidem ex corde processerit submissio, supratacta, et injuncta tibi mandata servaveris, ut teneris; potestate injungendi tibi ,, propterea pœnitentiam salutarem dicto ,, concilio, aut alii, seu aliis, ad quem vel ,, ad quos de jure spectaverit, specialiter ,, reservata.

Cæteri 13. fratres in hospitio decani recepti, qui nihil confitebantur nisi vehementem famam, et impossibilitatem purgationis, fuerunt absoluti sub hac forma per Ci- D cestren. et Exon. episc. In Dei nomine, Amen. Quia tu confessus es judicialiter coram toto concilio provinciali, te esse adeo diffamatum super articulis hæreticæ pravitatis sub apostolica bulla missis, etc. *totum, ut in absolutione præcedenti, ordine priori circa preces & orationes per omnia per episcopos & ministros observato.*

Post hæc, die sabbati 6. id. Julii comparuerunt similiter coram concilio quidam fratres magnæ aliquando auctoritatis in dicto ordine, et senes fratres; videlicet Simon de Streche miles, Joh. de Moun, Joh. de Conyngeston, Rad. de Barton, Capellanus, Will. de Sautre, Ran. de Ovesham, cappellanus, E Rad. le Carpenter de Madone, et Rog. le Norreis et publice confitentes se adeo esse diffamatos super articulis abnegationis Christi, & spuitionis super crucem, & cæteris sub bulla apostolica missis, quod se ab eis purgare non possent; & flexis genibus petierunt cum multis lachrymis, quod liceat dictos errores, & omnes alios ibidem in forma canonica abjurare, offerentes se paratos A stare ordinationi ecclesiæ; et ecclesia recepit eos. Et continuo abjurarunt omnem hæreticam pravitatem sub hac forma, exposita tamen eis in lingua intelligibili forma eadem:

,, Ego frater N. de ordine militiæ Templi, personaliter constitutus coram vobis ,, vener. patribus dominis Roberto, Dei ,, gratia, Cantuar. archiepiscopo totius Angliæ primate, & suffraganeis vestris in ,, hoc provinciali concilio London. congregatis, fateor me esse adeo diffamatum super articulis hæreticæ pravitatis, & aliorum errorum, videlicet abnegationis Christi, & spuitionis super crucem, & aliorum contentorum in rescripto apostolico, ,, quod me super his purgare non possum; ,, & propter hoc corde contrito & humiliato subiicio me misericordiæ, & auctotari ecclesiæ, offerens me paratum abjurare dictas hæreses ac errores, & omnes alios, quocunque nomine censeantur, ,, & quod injungendam mihi pœnitentiam ,, humiliter adimplebo. Unde dictas hæreses, & omnes alias, quocunque nomine ,, censeantur, &c. *ut in abjuratione primo facta.*

Istam formam abjurationis tenuerunt omnes Templarii, qui hæreses abjurarunt, & in processu subsequenti sacerdotes, & literati in Latina; laici vero in lingua Gallicana. Quilibet tum istorum post abjurationem factam signum fecit cum penna in schedula abjurationis.

Subsequente die lunæ, 4. id. Julii, comparuerunt coram dominis archiepiscopo, & et episcopis, et toto concilio, et magno populo civitatis, comitibus etiam Lejcestr. Herefoid. Pembroch. Warwyk, præsentibus: fratres Will. de Winton capellanus, Joh. de Walden, Will. de la Forde, Rob. Scot. Tho. de Walkington, Will. Raven, Will. de Scotho, Hug. de Tadecastre, Hen. de Wickala, Tho. de Wothrope, Will. de Thorpe, Will. de Brougnton, Tho. de Burton, Joh. de Sutton, Ric. Butelesnam, Joh. de Grafton, Hen. de Halton. Will. de Warewyk, Joh. de Werkeleye; et ibidem confitebantur se adeo diffamatos esse super abnegatione Christi, et spuitione super crucem, & aliis hæresibus, et erroribus diversis, quod se super his purgare non possent; et quod parati erant hujusmodi hæreses, et omnes alias ex tunc abjurare, et ad hoc petierunt se admitti flendo, et veniam petendo, ordinationi et misericordiæ ecclesiæ se submittentes. Et ad hoc recepti abjurarunt quidam in Gallica, et quidam in Anglica lingua hujusmodi hæreses, & omnes alios errores in forma proxime in Latino præscripta; et in signum abjurationis quilibet ipsorum accepto calamo cum atramento schedulam consignavit.

Eodem die committit dominus archiepiscopus Cantuar. auctoritatem suam, vice totius concilii, reverendis patribus dominis London. Winton. et Cicestren. episcopis ad absolvendum, et recipiendum in crastinum quosdam. Templarios senes et valetudinarios in Turri London. tunc existentes, et præ nimia debilitate in concilio comparere nequeuntes; dum tamen signa contritionis in eis

eis apparerent, et hæreſes ac errores, ſuper quibus diffamati erant, ad abjurandum paratos ſponte ſe offerent, & ad abſolvendum eos et reconciliandum eccleſiaſticæ unitati, poteſtate tamen poenitentiam ipſis injungendi arbitrio concilii reſervata. Et, ſi ipſi fratres non poſſent ſe propter aliquas occultas vel manifeſtas infirmitates præſentiæ dictorum fratrum commode et honeſte præſentare, poſſet quilibet frater, qui talem pateretur impotentiam, unum procuratorem conſtituere, et ipſe procurator dicti fratris nomine illud quod ad ipſum fratrem pertineret, facere, dicti domini epiſcopi procuratorem ad omnia, ut ipſum fratrem, ſuſcipere, et in perſona procuratoris per omnia commiſſionem circa receptionem hujus fratris eis per concilium factam exercere.

Die vero craſtino adveniente, dicti reverendi patres London. Ciceſtren. et Winton, epiſcopi cito poſt ortum ſolis ad capellam beatæ Mariæ de Berkyngecherche, juxta Turrim London. accedentes cum tribus notariis publicis, et utriusque juris pluribus peritis, et populi civitatis multitudine copioſa, deductis coram eiſdem ibidem per miniſtros conſtabular. caſtri ſive Turris London. quibuſdam fratribus militiæ Templi ſenibus et decrepitis, et ſtare præ ſenio nequeuntibus; videlicet Richardo de Peitevyn, Henrico de la Vvole, Vvillielmo de Vvelles, Roberto de la Vvolde, et Vvillielmo de Ceſterton; et expoſito eis, ſicuti et cæteris, ſtatu in quo erant alias in concilio recepti, reſponderunt ſe ſemper fuiſſe paratos ad abjurandum iſtas, et omnes alias hæreſes a tempore, quo primo pervenit infamia ad notitiam eorum, et ad hoc ſe admitti per eccleſiam cum multis lachrymis petierunt. Et continuo admiſſi hæreſes hujuſmodi coram populo, ordine alias in concilio hic obtento, abjurarunt quidam in lingua Gallicana, et quidam in Anglicana, cum non habuiſſent uſum alium loquendi, dicta forma eis prius plene in lingua intelligibili expoſita; videlicet forma, quæ in concilio quoad perſonas conſimilis conditionis fuit obſervata; abjurataque hæreſi per eoſdem tradiderunt dictis fratribus duobus magiſtros in theologia, ad audiendum in ſecretis confeſſiones eorum. Confeſſionibus eorum auditis, et ipſis extra portam occidentalem dictæ capellæ collocatis, reverendus pater dominus epiſcopus Ciceſtren. ſolus cum miniſtris officium, quod circa abſolutionem, et reconciliationem ipſorum requirebatur, pontificalibus indutus ſolenniter exercuit, et eos in hæc verba poſt preces abſolvit: "In Dei nomine, Amen. Quia vos fratres Richardum Peitevyn, Hen. de la Vvolle, Vvill. de Vvelles, Robertum, de la Vvolde, et Vvill. de Ceſterton, invenimus erraſſe in ſacramento poenitentiæ, et adeo diffamatos fuiſſe et eſſe de variis hæreſibus, videlicet de abnegatione Chriſti, et aliis articulis ſub bulla papali contentis, quod vos inde purgare non poteſtis, ut aſſeritis, et nunc ſaniori uſi conſilio, vultis ad unitatem ſanctæ matris eccleſiæ, prout aſſeritis, de corde bono et fide non ficta redire; ideo abjurata a vobis primitus omni hæretica pravitate ſecundum formam eccleſiæ ab excommunicationis vinculis, quibus tenebamini aſtricti, auctoritate Dei, apoſtolorum Petri et Pauli, necnon auctoritate præſentis concilii vos abſolvimus, et reconciliamus eccleſiaſticæ unitati; ſiquidem ad eam ex corde redieritis, et juncta vobis mandata ſervaveritis; poteſtatem injungendi vobis pœnitentiam ſalutarem dicto concilio, vel aliis, ad quos de jure dignoſcitur pertinere, ſpecialiter reſervantes." Et introducti in cappellam per manus, et coram altari collocati, et ibidem orantes, altare oſculati ſunt cum lachrymis et devote.

Poſt hæc eodem die dictis patribus una cum domino archiepiſcopo, et cæteris coepiſcopis ſuffraganeis in aula, qua prius, in pleno concilio congregatis, comparuerunt ibidem coram eis fratres de ordine Templi; videlicet Radulphus Tanet, Vvill. de Egendon, Ric. de Newent, Tho. de Camera, Rob. de Hamilton, Johannes de Vveregrave, et Johannes de Eulye, qui confitentes ſe ſe adeo eſſe ſuper abnegatione Chriſti, et ſpuitione ſuper crucem, et cæteris erroribus alias in concilio diffamatos quod ſe non poſſent ſuper hiis purgare, et petierunt ſe admitti ab eccleſia ad abjurandum hæreſes prædictas, & omnes alias; & ad ſtandum ordinationi eccleſiæ, & pœnitentiæ eis per eccleſiam injungendæ totaliter ſe ſubmiſerunt, & recepti hæreſes ſub forma, quæ ſequitur, abjurarunt, dicta forma prius in lingua intelligibili expoſita eiſdem &c. Jeo frere N. de lordre de la chivalerie du Temple, &c. ut Latine ſupra habetur in abjuratione Stephani de Stapelbrugge.

Sub iſta forma abjurarunt omnes fratres Templi, exceptis tribus primis confitentibus errores, & quinque receptis apud Southwerk, qui tenuerunt aliam formam ſuperius ſuis in locis traditam. Forma hodie apud capellam de Berkyngecherche ſervata fuit iſta eadem, hoc mutato, quod fratres abjurantes dicebant, ſe conſtitutos coram reverendis patribus London. Ciceſtren. & Vvinton. epiſcopis, domino archiepiſcopo, & toto concilio poteſtatem ad hoc faciendam ſpecialem habentibus, in capella beatæ Mariæ de Berkyngecherche, &c. totum, ut in abjuratione præcedenti, in Gallico & in Anglico ibi & hic facta, & ſubſequenter jurarunt omnes ſtare mandatis eccleſiæ.

Porro, quia aliquibus de concilio videbatur inconveniens dicere in forma abſolutionis, *Ab excommunicationis vinculis, quibus propterea tenebaris aſtrictus, te abſolvimus*; cum nondum conſtiterit de ſententia contra eos vel in eos lata, ſed ſolummodo in fautores & in aliquos fugitivos; ordinatum extitit, quod apponerent ibidem in forma *Ab excommunicationis vinculis*, " *Si aliquibus propterea tenebaris aſtrictus*, " *auctoritate dicti concilii ad cautelam abſolvimus*.

Demum dominus archiepiſcopus, ut alias, tunc commiſit auctoritatem dictos fratres, & omnes alios fratres nondum abſolutos dominis London. Ciceſtren. & Oxon. epiſcop. ſub dicta forma abſolvendi; domino London. ſub proteſtatione alias per ipſum facta eam

Anno Christi 1311.

eam pro seipso suscipiente, exposito dictis A fratribus ibidem, numero quinquaginta, præsentibus verbo Dei per Sarum episcopum, reducentem ad memoriam coram concilio, qualiter se hactenus gesserant, & qualiter modo se gerunt, & qualiter oportet ut amodo se gerant; aperiens eis misericordiam sanctæ matris ecclesiæ, quæ non claudit gremium revertenti; flectentibus iterum genibus, & veniam petentibus fratribus prædictis & præcepto prælatorum super gradus occidentalis portæ ecclesiæ cathedralis se statuerunt. Episcopi vero Cicestren. & Exon. cum ministris pontificalibus induti ad dictam portam ecclesiæ venientes, fratribus super gradus, discoopertis capitibus, prostratis, B beneficium absolutionis modo superius ordinato impendentes, hanc absolvendo fratres prædictos formam in verbis tenuerunt: In Dei nomine, Amen. Quia tu (quilibet frater tunc se nominabat,) confessus es judicialiter, ut supra. Et introductis per manus dictis fratribus, & ad gradus altaris constitutis, flexis genibus, post orationem factam ibidem altare devote osculati sunt. Eodem die extitit in concilio ordinatum, quod nominarentur de diversis dioecesibus diversa monasteria & loca religiosa de provincia Cantuar. & quod de registro Cantuar. per loci dioecesanos episcopos, tunc in concilio præsentes nomina extraherentur, C & ad singula loca nominata singuli fratres Templi ad poenitentiam eis pro commissis injungendam, prout in paucioribus & majoribus deliquerunt, sub certa forma peragenda mitterentur, plenius adhuc, quam alias, super modo conversationis, & qualiter de cætero se debeant gerere, per episcopum Sarum informati, ut per conversantes cum eisdem in locis prædictis facilius appareret in futurum, utrum in tenebris ambulent vel in luce. Et sic, favente Deo, secundum quod ipsius facti qualitas permisit, in dicto negotio est processum. Forma literarum, per quas ad diversa monasteria fuerunt admissi, & pœnitentia in eis contenta, post D hæc sequitur.

„ Diligentiam prælatorum, ordinationes
„ diversas, & cautelas, continuationesque
„ negotii, quod longum est narrare, si quis
„ voluerit intueri arctationesque & separa-
„ tiones personarum, custodum visitatores,
„ & amotiones ipsorum & domuum pro fi-
„ deli separatione de eis facienda, & ho-
„ spitiorum diversorum locationes exhorta-
„ tionesque, & comminationes factas secu-
„ laribus ministris a majori, & vicecomiti-
„ bus civitat. London. ordinationem de le-
„ vanda pecunia pro expensis, viasque ad
„ procurandum dictos fratres ad detegen-
„ dum veritatem inventas & excogitatas,
„ modo per episcopos personaliter, modo
„ per clericos ipsorum, & etiam severas &
„ crudeles personas laicas, judicium sangui-
„ nis quandoque exercentes, ex certa scien-
„ tia eis ad terrorem missas, modo per con-
„ stantem accusationem trium confitentium
„ de dicto ordine, aliquando contra unum,
„ aliquando contra duos de negantibus; &
„ errorem diffitentibus mente desideravit
„ avida perscrutari; hæc in schedulis, &
„ adjunctis scriptis, penes nos remanenti-
„ bus, subscripta reperiri poterunt plenius.
„ De magno magistro propter reservationem,
„ per dominum papam factam, nihil est or-
„ dinatum. De Himberto Blanke pluries
„ coram concilio adducto, & super hæreti-
„ cali receptione aliorum in processu Cla-
„ remonten inventa, et per ipsum facta, ac
„ etiam super statu suo & totius ordinis e-
„ xaminato, reperto, & accusato, & dili-
„ genter interrogato, eo quod offic. Cla-
„ remonten. certificat, & non plene, quia
„ nec tanquam ordinarius, nec tanquam de-
„ legatus, nec alias, prout stat in processu
„ episcopali, sed per viam extra de proces-
„ su. Et quia quoad processum, & quoad
„ ordinem, & quoad seipsum semper in ne-
„ gatis persistit, diffitendo errores, dicens
„ se nolle errores, quos ipse nunquam com-
„ misit, abjurare; concilium nondum ordi-
„ navit executionem de corpore ipsius fa-
„ ciendam, sed in vilissimo carcere ferro
„ duplici constrictus jussus est recludi, & ibi-
„ dem, donec aliud ordinatum extiterit, re-
„ servari, & interim visitari, ad videndum,
„ si vellet ulterius aliqua confiteri.

CANTUARIENSE CONCILIUM

In causa Templariorum

Anno 1311. habitum.

Extat ap. Wilkins Conc. Brit. t. II. p. 388. ex Actis cont. Templar. in MS. cod. Tho. Bodl. Ox. fo. 5. 2.

DEcimo quarto cal. maji aliud concilium provinciale contra Templarios celebrabatur; ad quod per mandatum archiepiscopi Cantuar. episcopi, decani, abbates priores, &c. summonebantur.

Robertus, &c. dilecto filio venerabilis fratris nostri domini R. Dei gratia London. episcopi agentis in remotis in spiritualibus vicario generali, salutem, gratiam & benedictionem. Cum circa quasdam singulares personas ordinis militiæ Templi in nostra provincia degentes, post ultimum nostrum provinciale concilium, emerserunt aliqua, quæ juxta apostolici mandati exigentiam, non possint nisi in consimili celebrando concilio expediri; urgeatque necessitas boni publici hujus regni, tranquillitatisque, & quietis accommodæ in ecclesia Anglicana exposcat utilitas, prælatos & clerum nostræ provinciæ ad invicem convenire; de consilio venerabilium fratrum nostrorum, qui nuper ad admonitionem nostram London. suam præsentiam exhibebant, & nonnullorum procuratorum absentium fratrum nostrorum decrevimus provinciale concilium in proximo, dante domino celebrare: Quocirca vobis committimus & mandamus, quatenus venerabiles fratres nostros suffraganeos præsentes in regno, ac absentium fratrum in spiritualibus & temporalibus vicarios generales, seu alios

Anno Christi 1311.

alios, quos ad hoc duxerint dimittendos, decanos & capitula cathedralium ecclesiarum, archidiaconos universos, abbates & —— ut compareant coram nobis 14. cal. maii in ecclesia sancti Pauli London. nobiscum super præmissis & aliis, prout expediens visum fuerit, efficaciter tractaturi, consensumque his, quæ dante Deo, ordinabuntur & providebuntur, ibidem præbituri, ulteriusque facturi cum continuatione dierum sequentium usque ad finem ejusdem concilii, quod justitia suadebit, &c. Dat. apud Tenham 16. cal. aprilis, anno Dom. MCCCXI. consecrationis nostræ decimo octavo.

MANDATUM ARCHIEPISCOPI CANTUAR.

Priori & capitulo Cantuar. directum.

Ex reg. Henr. prioris Cantuar. fol. 117.

ROBERTUS, &c. dilectis filiis, & venerabilibus viris dominis, priori, & capitulo nostræ Cantuar. &c. exposcit mandatum apostolicum nobis & suffraganeis nostris directum, ut super crimine hæreticæ pravitatis singularibus personis ordinis militiæ Templi imposito, pro vel contra ipsas singulares personas in nostra provincia constitutas, in nostro provinciali concilio sententiæ absolutoriæ vel condemnatoriæ, prout A justum fuerit, proferantur. Et licet propter hoc, & quædam alia, nuper concilia provincialia celebraverimus, & in ipso cum venerabilibus fratribus nostris suffraganeis super ista materia varios & diligentes tractatus habentes, fuissemus multipliciter occupati; dictæ tamen sententiæ non fuerant, sicut, nec poterant, promulgatæ. Quocirca vos tenore præsentium peremptorie citamus, quod vos, domine prior, personaliter, & vos, capitulum, per procuratorem vestrum, si volueritis, alioquin per alium, seu alios idoneos procuratorem seu procuratores compareatis coram nobis sexta feria post octab. Pasch. in ecclesia S. Pauli London. cum venerabilibus fratribus nostris prædictis ac B clero totius nostræ provinciæ, ad dictum terminum convocatos, continuaturi tractatus prædictos, vestrumque ad ea, quæ contra ipsos ac constituenda ad generale concilium, inspirante Domino, ordinabuntur & providebuntur ibidem, nec non & alia in eodem tractanda adhibituri consensum, ulteriusque facturi & recepturi, cum continuatione & prorogatione dierum, quod fuerit faciendum. Et quid in præmissis duxeritis faciendum, nos dictis die & loco certificari curetis per vestras literas patentes, harum seriem continentes. Dat. 3. non. apr. an. MCCCXI. consecrat. nostræ XVIII.

EBORACENSE CONCILIUM II.

In causa Templariorum

Anno 1311. habitum.

An. 1311. Ex Wilk. t. II. pag. 394. ex regest. par. 2. fol. 180.

MEmorandum quod venerabilis pater dominus Vvillielm. Dei gratia Ebor. archiepiscopus, Angliæ primas, habito tractatu & deliberatione cum concilio suo pleniori, propter diversa & ardua negotia, statum & reformationem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum Ebor. dioec. & provinciæ tangentia, ac propter quædam alia, quæ eiD dem venerabili fratri, & quibusdam aliis collegis suis, super negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis contra ordinem militiæ Templi, & singulares personas ejusdem ordinis, a sede apostolica demandata fuerant, & quæ magnam deliberationem, consilium, & tractatum requirebant, suum concilium provinciale in ecclesia beati Petri Ebor. 9. cal. Junii anno gratiæ MCCCXI. & pontificatus sui sexto, jure ordinario celebravit. Ad quod venerabiles patres domini Joannis Cariolensis & Thomas Candidæ Casæ episcopi, prædicti domini archiepiscopi suffraganei, magister Will. de Pykering. decanus ecclesiæ Ebor. ac cæteri decani, archidiaconi, præpositi, archipresbyteri, et capitula cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, abbates, priores, exempti et non exempti, necnon sacræ theologiæ doctores, & juris canonici & civilis professores dictæ dioec. & provinciæ Ebor. sub formis & tenoribus infrascriptis erant evocati, prout per certificatoria apparebat, quorum tenores tales erant: Venerabili in Christo patri ac domino suo reverendo, domino Willelmo, Dei gratia Ebor. archiepiscopo, Angliæ primati, suus humilis & devotus officialis Ebor. obedientiam, reverentiam, & honorem. Mandatum vestrum recepimus, tenorem continens infrascriptum: Vvillelmus, permissione divina archiepiscopus Ebor. Angliæ primas, dilecto filio officiali nostro Ebor. salutem, gratiam, & benedictionem. Cum sacrorum canonum salubriter ac provide perhibeant instituta, ut per metropolitanos singulos in suis provinciis, pro discutiendis cum debita maturitate arduis emergentibus negotiis, omni anno provincialia concilia celebrentur; eo tamen præcipue tempore vigilantiori studio convenit hujusmodi concilia convocari, cum emerserint gravia & insolita negotia, quæ absque plurium peritorum consilio facile nequeunt expediri. Sane dudum ex præmissis causis ad certum diem in nostra Ebor. ecclesia nostrum provinciale concilium fecimus convocari; præsertim E pro hiis, quæ circa singulares Templariorum personas, in nostra provincia constitutas, nobis a sede apostolica commissa fuerant exequenda, hæreticam sapientibus pravitatem; quæ cum in nostro provinciali concilio fuerint executioni debitæ demandata, juxta ejusdem mandati apostolici continentiam et tenorem, per nos debent ad generale concilium introduci. Verum, quum ante diem prædicti nostri concilii convocati, cer-

certos rumores accepimus de prorogatione generalis concilii usque ad calen. Octobris prox. jam futur. de consilio & assensu religiosi & discreti viri domini, dom. abbatis de Latigniaco, & magistri Sicardi de Vauro, specialium nunciorum sedis apostolicæ in Anglia super negotio Templarios contingente nobiscum tunc præsentium, necnon de communi consensu omnium, qui dicto nostro concilio interfuerant, duximus ordinandum, ut ex præmissis causis aliis revoluto anno faceremus iterato nostrum provinciale concilium convocari. Quocirca vobis firmiter injungimus & mandamus, quatenus per totam nostram dioec. hæc faciatis absque moræ dispendio solenniter publicari; citantes nihilominus peremptorie universos abbates, & priores, abbates proprios non habentes, exemptos & non exemptos, decanos archidiaconos, præpositos; sacræ theologiæ doctores, ac juris canonici professores, necnon singula capitula collegiatarum ecclesiarum nostræ diœcesis, quod prædicti abbates, priores, decani, archidiaconi, præpositi, doctores, ac professores personaliter, capitula autem per procuratores sufficienter instructos, in ecclesia nostra Ebor. 9. cal. Junii, quem diem ad celebrandum ibidem concilium nostrum provinciale duximus assignandum, cum continuatione & propagatione dierum subsequentium, coram nobis compareant, super proponendis in concilio tractaturi, salubre consilium impensuri, necnon ea, quæ statuta, ordinata, et facta fuerint, humiliter admissuri; ac etiam efficaciter impleturi, facturi, & recepturi, quod consonum fuerit canonicis institutis. Vos etiam præmunimus, et cæteros per vos citandos præmuniri mandamus, quod absentes in termino supradicto, nisi propter evidentes causas & rationabiles, de quibus fidem faciant, legitime fuerint impediti, tanquam inobedientes & contumaces, juxta juris exigentiam puniemus. Qualiter autem hoc nostrum mandatum fueritis executi, nos dictis die & loco, distincte & aperte certificare curetis per literas vestras patentes harum seriem continentes. Valete. Dat. apud Wylton. 9. cal. Martii, anno gratiæ MCCCX. & pontificatus nostri sexto. Cujus auctoritate mandati vestri illud fecimus post receptionem ejusdem, sine moræ dispendio per totam vestram dioec. solenniter publicari; citantes, & citari facientes nihilominus peremptorie in forma nobis super hoc demandata, universos abbates, & priores, abbates proprios non habentes, exemptos & non exemptos, decanos, archidiaconos, sacræque theologiæ doctores, ac juris canonici professores, necnon singula capitula collegiatarum ecclesiarum vestræ dioec. quorum omnia nomina infra seriatim conscribuntur, quod compareant coram vobis ad diem & locum in dicto mandato vestro contentos, cum continuatione & prorogatione dierum subsequentium, facturi & recepturi; quod dicti mandati vestri natura in omni sui parte exigit & requirit. Ipsos igitur omnes & singulos fecimus præmuniri, quod absentes in termino supradicto, nisi propter evidentes causas & rationabiles, de quibus fidem faciant, legitime fuerint impediti, tanquam inobedientes & contumaces, juxta juris exigentiam, puniveritis. Et sic mandatum vestrum sumus reverenter, ut decuit, in omnibus executi. Conservet vos ecclesiæ, & populo suo Deus per tempora longiora. Dat. Ebor. 11. cal. Junii, anno gratiæ MCCCXI. Nomina citatorum archidiaconatus Eboracensis dominus archidiaconus Eboracen. beatæ Mariæ Ebor. de Seleby, de Kikstall, de Sally, de Rupe, abbates; ac sanctæ Trinitatis Ebor. sancti Andreæ, sancti Oswaldi, Pontefracti, de Drax, & de Brecton. priores; necnon magister Thomas de Clyffoid, doctor. in theologia. Item archidiaconatus Eastriding, viz. magister Bertrandus de Fargis, archidiaconus Eastriding; Abbmarlie, de Thornton, de Melsa, abbates: de Bridlington, de Vvatton, de Vvartre, Kirkham; de Ellerton, priores; necnon magistri Philippus de Beverlaco, rector ecclesiæ de Kayngham & et Vvillielmus de Okham, rector ecclesiæ de Langleton, in theologia doctores. Item in archidiaconatu Nottingham, dominus archidiaconus Nottingham; de Rufford, de Vvelbecke, abbates; de Vvirktop, de Thurgarton, de Shelford, de Lenton, de Novo Loco, de Fellve, de Matherseye, & de Blida; priores; necnon magister Henricus de Maunsfielde, rector ecclesiæ de Flintham, doctor in theologia. Archidiaconatus Richmundiæ, videlicet, dominus archidiaconus Richmundiæ; de Tourneis, de Caldra, ve Cokersand, de Jorevallis, de Coverham, sancti Martini juxta Richmund, de sancta Agatha, de Egleston, abbates; de Bega, de Conniggeshened, de Karmeol, de Lanc de Cokerham, sancti Martini juxta Richmund, de Allerton, priores. Prior seu custos dominus de Ormesby, & minister sancti Roberti de Knaresburgh; necnon abbas de Fontibus. Archidiaconatus Clyvelandiæ, dominus archidiaconus Clyvelandiæ, de Vvhiteby, de Ryevall, de Bella Landa, abbates; de Gysbourun, de Novo Burgo, de Maltoun, de Morton, de Gruning. priores ac magister Johannes Sarve, sacræ theologiæ doctor, & magister Robertus de Sancthorp; rector ecclesiæ de Apleton, juris canonici professor: item magister Nicolaus de Vvelles, & Nicolaus de Oxonia, juris canonici professores item dominus præpositus præpositura Beverlac. Item capitula, videlicet Suthvvel, B. Johannis Beverl. Ripon. & Hovveden.

Certificatorium capituli Ebor.

Item venerabili in Christo patri ac domino reverendo, domino Vvilielmo, Dei gratia Ebor. archiepiscopo, Angliæ primati, devoti filii, decanus & capitulum ecclesiæ vestræ Ebor. salutem, reverentiam, cum honore in singulis debitam tanto patri. Mandatum vestrum per vos nobis directum, reverenter recepimus sub forma continentiæ infrascriptæ: Vvillielmus, providentia divina Ebor. archiepiscopus, Angliæ primas, dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ nostræ Ebor. salutem, gratiam, & benedictionem.

ANNO CHRISTI 1311.

nem. Cum sacrorum canonum, &c. Hujus igitur auctoritate mandati, tam in ecclesia vestra Ebor. quam in aliis locis nostræ jurisdictionis, omnia præmissa, quæ publicari mandastis, solenniter publicavimus, ac magistros Petrum, de Rofs. Robertum de Ryplingham, & dominum Vvalterum de Bedevvinde, vestræ ecclesiæ Ebor. præcentorem, cancellarium, & thesaurarium, de Nottingham & Clyveland, in ecclesia vestra prædicta archidiaconos, ac etiam magistros Robertum de Ryplingham, & Petrum de insula, ecclesiæ vestræ Ebor. canonicos, sacræ theologiæ doctores, & juris canonici professores, peremptorie citavimus, quod personaliter compareant coram vobis, die, loco, & tenore in mandato vestro contentis, super proponendis in dicto concilio tractaturi salubre consilium impensuri, necnon ea, quæ statuta, & ordinata, fuerint, humiliter admissuri; ac etiam efficaciter impleturi, facturi, & recepturi, quod consonum fuerit canonicis institutis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum ad citationes tantum præsenti certificatorio est appensum. Dat. in capitulo nostro Ebor. 10. cal. Junii, anno gratiæ MCCCXI.

Certificatorium Vvill. prioris Dunelmensis.

Venerabili in Christo patri domino Vvillielmo, Dei gratia, &c. devotus suus, VV. prior ecclesiæ Dunelm. salutem &c. Literas vestræ paternitatis devote recepimus, tenorem qui sequitur continentes: Vvillielmus permissione divina Ebor. archiepiscopus, &c. Cum sacrorum canonum &c. Quarum quidem auctoritate literarum fratrem Godfridum de Haxeby, conmonachum nostrum, sacræ theologiæ doctorem, citavimus in forma nobis superius demandata. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Valete. Dat. Dunelm. festo Ascensionis dominicæ, anno Domini MCCCXI.

Certificatorium Vvillelmi de Okham.

Reverendo in Christo patri, &c. Vvillielmus de Okam rector ecclesiæ de Langeton, vestræ dioec. subjectionem & obedientiam, cum omnimodis reverentia & honore debitis tanto patri. Literas vestras cal. Martii ultimo præteritis recepi, formam, quæ sequitur, continentes: Vvillielmus, permissione divina, &c. Vestris igitur voluntati & beneplacito volens humiliter parere, prout tenor, in ecclesia vestra Ebor. non cal. Junii supradictis, quem diem ad celebrandum ibidem vestrum concilium provinciale, cum continuatione & prorogatione dierum subsequentum nuper assignastis, personaliter coram vobis, quanquam onera quamplurima mihi ratione residentiæ meæ in ecclesia Lincoln. diversimode incumbentia, a dicta ecclesia commode absque gravi dispendio me non sinunt abesse, vita & sanitate comitibus, Domino concedente, intendo comparere; facturus in dicto concilio, impleturusque, prout mihi possibile erit

A in omnibus, juxta mandati vestri exigentiam & tenorem, & recepturus, quod consonum fuerit canonicis institutis; quod vestræ paternitati reverendæ, quam ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ per tempora successiva conservet altissimus, insinuo per præsentes. Dat. Lincoln. 14. cal. Maii, anno Domini MCCCXI.

Memorandum, quod consimiles literæ directæ fuerunt magistris Henrico de Maunsfield, rectori ecclesiæ de Flintham, ac cancellario Oxon. Philippo de Beverl. rectori ecclesiæ de Kayngham; item Thomæ de Clyfford, sacræ theologiæ doctoribus.

Item consimiles literæ directæ fuerunt magistris Thomæ de Midelton, de ordine prædicatorum Ebor. item fratri Adæ de Lincoln. de ordine minorum Ebor. item fratri Richardi Vvevvang. de ordine sancti Augustini de Ebor. qui omnes comparuerunt personaliter in dicto concilio, secundum formam citationum eis factarum.

Acta primi diei.

Quo die videlicet nono die Junii prædicto, domino archiepiscopo Ebor. una cum dictis suffraganeis suis, pontificalibus induto, & in dicta Ebor. ecclesia in sede archiepiscopali, sedenti, necnon abbatibus beatæ Mariæ Ebor. & de Seleby, cum mitris in capite, ac aliis prioribus, archipresbyteris, C exemptis & non exemptis, ad idem concilium evocatis, vestibus sacerdotalibus similiter indutis; domino Richardo de Kellavve, electo ecclesiæ Dunelm. confirmato per fratrem Galfridum de Haxeby, monachum mon. Dunelm. sacræ theologiæ doctorem, procuratorem suum, decano ecclesiæ Ebor. & archidiacono Clyveland. personaliter; archidiacono Ebor, per dominum Vvillielmum de Cusannoe, procuratorem suum, archidiacono Nottinghamiæ, per magistrum Richardum de Exum, procuratorem suum; archidiacono Eastriding. per Vvillielmum Arnald de Monte Sicco, substitutum Bertrandi de Rupe, procurat. principal. dicti archidiaconi; D archidiacono Richmund. per magistrum Franciscum de Luco, vicarium generalem ejusdem archidiaconi, thesaurario ecclesiæ Ebor. per Johannem de Braibes, procuratorem suum; præposito Beverlac. per magistrum Radulphum de Anlagby, procuratorem suum; archidiacono Northumbriæ personaliter; archidiacono Dunelm. per magistrum Thomam de Hoo, procuratorem suum specialiter constitutum; magistro Thoma de Clyfford, sacræ theologiæ doctore; decano de Aukland, magistro Vvillielmo de Marclan. juris canonici professore; decano Cestr. ac decano Lancestr. Dunelm. dioecesos, et archidiacono Carliolen. personaliter; E necnon procuratoribus cathedralium & collegiatarum ecclesiarum Ebor. dioec. & provinciæ; & aliis variis ecclesiasticis in multitudine copiosa in ecclesia Ebor prædicta, juxta formam vocationis comparentibus. Inprimis, missam de Sancto Spiritu solenniter audierunt; qua finita, idem dominus archiepiscopus statim pontificalibus, ut prius, indutus, accessit ad majus altare, & facto silentio, proposuit verbum Dei, & post-

ANNO CHRISTI 1311.

postmodum articulos in ipso concilio tractandos et expediendos, prædicto clero viva voce exposuit. Lectis postea certificatoriis super vocatione prædicta; primo videlicet official. Ebor. cui eandem citationem in Ebor. dioecesi commisit faciendam; & officialis Dunelm. sede Dunelm. vacante; & domini Carliolen. episcopi, & capituli ecclesiæ Ebor. ipsisque citatis, ac de mandato dicti patris præconizatis, ac pro majori parte personaliter ei sufficienter comparentibus; quibusdam vero ex eis diversas excusationes & impedimenta per procuratores speciales proponentibus, & illis, in quantum legitima erant, admissis. Lecta etiam quadam bulla sanctissimi in Christo patris, ac domini nostri, domini Clementis, divina providentia papæ quinti, super concilio generali primo eidem domino archiepiscopo missa; & alia bulla super prorogatione ejusdem concilii usque ad certum terminum in eadem diffinitum. Et bulla apostolica super inquisitionibus factis contra singulares personas Templariorum publice lecta. Expositis etiam quibusdam rationibus & motivis, negotium dictorum Templariorum tangentibus, in concilio memorato. Proposita insuper per eundem patrem toti clero, tunc ibidem præsenti, petitione domini regis Angliæ illustris super quodam subsidio, sibi pro guerra sua in Scotia concedendo; super quo idem clerus totius Ebor. dioecesis. & provinciæ ad diem hujus concilii ea occasione extitit convocatus, prout per certa certificatoria plenius apparebat, & in dicto concilio coram ipsis extitit recitatum; idem pater injunxit publice et expresse prædicto clero, quod procuratores idoneos ad præfatum generale concilium mitterent, juxta formam & bullæ prælibatæ. Quibus sic peractis, præfatus venerabilis pater præfixit eidem clero, & omnibus ad dictum concilium vocatis, diem crastinum coram eodem in capitulo ecclesiæ Ebor. ad proponendum, dandum, et exhibendum in scriptis articulos, & capitula, contingentia statum & correctionem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum dictæ provinciæ; necnon deliberationem suam, voluntatem, & responsionem super dicto subsidio per prædictum dominum regem petito; & ad alia pertractanda, quæ in eodem concilio, tam circa negotium Templariorum, quam cætera communem utilitatem tangentia fuerint deducenda.

Acta secunda diei.

Quo die crastino, in capitulo ecclesiæ prædictæ, coram dicto venerabili patre, domino Vvillielmo, archiepiscopo supradicto, pro tribunali sedente; & præfatis Carliolen. & Candidæ Casæ episcopis, ac abbatibus, prioribus, & cæteris prælatis, ut supra, eidem assidentibus; lectoque certificatorio decani christianitatis Ebor. super citatione facta omnibus Templariis in civitate & dioec. Ebor. ubilibet existentibus, quod eodem die compareant personaliter coram eodem patre in capitulo memorato, ad videndum & audiendum publicationem attestationum in negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis contra eosdem factæ, per eundem patrem, & cæteros collegas suos habitarum; ulteriusque faciendum & recipiendum, cum continuatione & prorogatione dierum subsequentium, quod ipsius negotii qualitas exigit & natura. Ipsisque Templariis ibidem vocatis nominatim, & juxta formam vocationis hujus personaliter comparentibus, dictas attestationes tam contra singulares personas Templariorum prædictorum, quam ordinem eorundem factas solenniter publicari fecit; & articulos super quibus dictæ singulares personæ examinatæ fuerant, in bulla apostolica contentos, fecit legi, & toti populo in lingua materna exponi; ac attestationes septem personarum eorundem Templariorum primo examinatarum, in lingua materna publice exponi fecit, cleri & populi multitudine assistente; reliquas autem attestationes & depositiones pro lectis & publicatis habuit de communi consilio totius provincialis concilii. Traditaque ipsis Templariis copia vera earundem attestationum omnium & singularum tam contra singulares personas, quam contra ordinem habitarum; præfixit idem pater eisdem Templariis diem Jovis prox. sequent. pro termino præciso & peremptorio, ad proponendum & ostendendum, quicquid habuerint pro se in eodem negotio proponend. citra dictum diem Jovis, & eodem die Jovis plenarie continuato. Assignando insuper eisdem Templariis diem Veneris prox. sequent. in capitulo supradicto ad audiendam sententiam diffinitivam, seu pronunciationem, si liqueat, in negotio antedicto, eundem diem Jovis toti concilio judicialiter assignando. Propositis incontinenti coram eodem patre una schedula in Gallico concepta ex parte ipsorum Templariorum, necnon quadam bulla papali, ordinem & observantias ipsorum tangente; & ipsis schedula & bulla perlectis, iidem Templarii, & cæteri laici & clerici, ad concilium non vocati, continuo recesserunt. Postmodum vero, habita deliberatione & tractatu cum prædictis episcopis, & aliis prælatis et clericis, tunc ibidem existentibus, super negotio memorato; idem pater de communi consilio omnium deputavit certas personas, sacræ theologiæ doctores, ac juris canonici professores, ad deliberandum super quibusdam dubiis, quæ in præfato inquisitionis negotio resultabant & dicto die Jovis eidem patri suam deliberationem plenius referend. ut ulterius fieri possit in eadem, quod toti concilio videbitur consultius faciendum.

Acta tertii diei.

« Quo die Jovis » in capitulo prædicto, dicto domino archiepiscopo, & episcopis, abbatibus, prioribus, doctoribus, & professoribus prædictis, et toto clero ejusdem dioec. & provinciæ, clericis et laicis in multitudine copiosa, ac Templariis ipsis existentibus, recitatis actis ultimi diei, petitoque publice ab eisdem Templariis, an aliqua haberent proponenda, ostendenda, seu exhibenda pro seipsis in negotio memorato; & propositis incontinenti per ipsos Templarios qua-

ANNO CHRISTI 1311.

quadam petitione in Gallico, & duabus bullis; una Innocentii quarti, & alia Anastasii tertii; quibus publice lectis, eosdem Templarios fecit idem venerabilis pater interrogari singulatim, an omnes sibi tunc præsentes habuerint firma et rata, quæ in dicta schedula continebantur; qui expresse dixerunt, quod sic. Tandem idem pater de communi consensu dicti concilii ipsos Templarios, et omnes alios clericos et laicos, qui ad illud concilium vocati non fuerunt, e dicto capitulo exire fecit, ut de ipsorum Templariorum negotio plenius tractaretur; habitoque communi tractatu super eodem, videbatur eidem patri, et toti concilio, quod ipsi Templarii essent iterum interrogandi super quibusdam responsionibus suis prius factis, tam in examinatione contra singulares personas, quam contra ordinem Templariorum prædictorum sigillatim, utrumne primis suis responsionibus stare vellent, necne? Tunc ipsos singillatim coram ipso, et dicto concilio fecit adduci, et suas responsiones eisdem, et cuilibet eorum, prout scripta erant, in lingua materna exponi; et dicta eorundem, justificationes, et intelligentias per notarios publicos redigi in scripturam. Et his factis, præfixit eisdem Templariis diem crastinum, videlicet diem Veneris prox. ante festum Pentecostes, coram ipso, et toto suo concilio provinciali in dicto capitulo ad audiendum pronunciationem finalem, si liqueat, in negotio memorato.

Acta quarti diei.

« Quo die Veneris « in præfato capitulo, dicto domino archiepiscopo, et episcopis prædictis, ac abbatibus, prioribus, doctoribus, et professoribus, et aliis in multitudine copiosa existentibus, quia super dicto negotio Templariorum ad plenum non deliberasset, videbatur eidem patri; et toti concilio suo expediens, dictam pronunciationem usque in aliud tempus magis diffusum prorogare. Unde idem dominus archiepiscopus, ex communi consensu omnium in dicto concilio existentium, præsentibus Templariis supradictis dictum diem Veneris, et ipsum provinciale concilium prorogavit usque in primum diem mensis Julii in ecclesia conventuali de Blida; et eundem diem eisdem Templariis coram eodem patre, loco prædicto, assignavit, ad audiendum pronunciationem, sicut prius in negotio antedicto. Præfigentes prædicto clero ejusdem concilii tunc præsenti, quod omnes episcopi, decani, archidiaconi, præpositi, archipresbyteri, abbates, et priores, qui poterunt, omni frivola excusatione amota, personaliter, capitula vero per procuratores idoneos, et ad hoc sufficientem potestatem habentes, compareant coram eodem patre in ecclesia conventuali de Blida supradicta, ad tractandum et faciendum tam super dicto negotio Templariorum, quam super aliis prius propositis; et nominatim in eodem concilio proponendum, quod communi deliberatione concilii juxta juris exigentiam videbitur faciendum. Postmodum autem certis, et legitimis de causis idem venerabilis frater prorogationem ejusdem concilii, quoad assignationem dicti loci de Blida, mutavit, et suum concilium fecit, ut prius, ad prædictum primum diem mensis Julii in ecclesia sua beati Petri Ebor. per suas literas citatorias convocari.

Acta quinti diei.

Quo die primo mensis Julii, « anno et indictione prædictis in præsentia nostrorum notariorum prædictorum, ac testium subscriptorum, et aliorum in multitudine copiosa in capitulo B. P. Ebor. venerabilis pater, dominus archiepiscopus supradictus, ad præfatum provinciale concilium, ut prædicitur, prorogatum ibidem celebrandum, sedens pro tribunali, prædictam loci assignationem in ecclesia conventuali de Blida certis, et legitimis de causis, ut ibidem dominus archiepiscopus expresse asseruit, tantummodo immutata, venerabilibus patribus, dominis Richardo Dunelm. Tho. Candidæ Casæ, episcopis, ipsius domini archiepiscopi, et ecclesiæ Ebor. suffraganeis, decanis ipsius ecclesiæ Ebor. et ecclesiarum præbendalium de Aukland. de Lanceltr. archidiacono Clyveland. cancellar. ecclesiæ Ebor. S. T. doctore; abbatibus beatæ Mariæ Ebor. de Kirkstable, de Rupe, de Rievall, de Roughford, de Melsa, de Fontibus, de Turneys, de Calder,, de Cokersand, de Jorevall, de Coverham, de sancta Agatha, de Eglesion, et de Novo monasterio; prioribus insuper sanctæ Trinitatis Ebor. sancti Andreae Ebor. sancti Osvvaldi de Pontefract. de Drax, de Breston, de Gysbourn, de Novo Burgo, de Malten, de Morton, de Gronmis, de Thurgarton, de Felseye, de Mathersaye, de Blida, de Bridlington, de Kirkholm, de Vvartre, et de Ellerton; doctoribus etiam in theologia magistris Thoma de Clyfford, Johanne Gorvver, Philippo de Beverlaco, fratribus Galfrido de Haxeby, monacho ecclesiæ Dunelm. abbate de Ryevall, Adam de Lincoln. de ordine minorum, Thoma de Pontefract. ejusdem ordinis, Richardo de Vvarevvang. de ordine sancti Augustini, et Tho. de Middleton, de ordine prædicatorum; et juris canonici professoribus, magistris Nicolao de Oxon. Richardo de Cestria, et Roberto de Santhorp, ac aliis jurispertis; et multitudine ibidem personaliter existentibus abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, custodibus, ministris, capitulis ecclesiarum tam cathedralium, quam collegiatarum, et spiritualitatibus prædictæ Ebor. dioec. per procuratores legitime constitutos, præsentibus, publice proposuit verbum Dei; cujus thema fuit: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. « Quo sermone finito, lecta fuerunt quædam certificatoria, unum scilicet primo officialis curiæ Eboracensis, aliud domini Dunelm. episcopi, tertium Cariolensis episcopi et quartum capituli Eboracen. ecclesiæ, sigillis pendentibus signata, super vocationibus cleri ad dictum provinciale concilium de mandato dicti domini archiepiscopi facta; vocatisque postmodum prælatis et cæteris ecclesiarum personis in dictis certificatoriis contentis, et eis, ut præmittitur,

ANNO CHRISTI 1311.

mittitur, comparentibus; lecto insuper quodam certificatorio, sigillo christianitatis Ebor. A pendente signato, super quadam citatione facta fratribus ordinis militiæ Templi, 24. numero in castro Eborum existentibus, tenoris infrascripti venerabili, etc " Prout in processu notato. " Quibus fratribus præconizatis & ipsis omnibus personaliter comparentibus, amoti fuerunt ipsi Templarii, et cæteri et laici, ad dictum concilium non vocati, a loco dicti capituli; habitaque postea disputatione, et altercatione continua inter præfatos doctores, professores, et alios prælatos supradictos, super rationibus et motivis negotium dictorum Templariorum, et ipsos Templarios tangentibus; ipsisque postmodum Templariis vocatis, et comparenti- B bus, præfixit idem dominus archiepiscopus, cum consensu dicti sui concilii, eisdem Templariis diem crastinum ad idem quod prius, et loco prædicto.

Acta sexti diei.

„ Quo die crastino, " scilicet 2. die mensis Julii prædicti, coram dicto domino archiepiscopo ecclesiæ Ebor. pro tribunali sedente, præfatis dominis Dunelm. Candidæ Casæ, episcopis, ac aliis prælatis & clericis supradictis sibi assidentibus, præfati Templarii, ut supra, comparuerunt. Quibus Templariis, ut cæteris clericis & laicis, ad C dictum concilium non vocatis, a loco dicti capituli amotis, ut de negotio dictorum Templariorum plenius tractaretur; habitoque tractatu per ipsum concilium super negotio memorato, de communi consensu omnium ibidem præsentium, deputavit idem archiepiscopus certas personas S. T. doctores, & juris canonici professores, ac alias discretas ac literatas personas ad tractandum, & plenius deliberandum super præfato inquisitionis negotio; et eidem domino archiepiscopo die Lunæ prox. sequent. in eodem capitulo referendum; & ad ulterius faciendum in dicto negotio, quod toti concilio videretur consultius faciendum. Præ- D dictis Templariis iterato vocatis, & comparentibus, præfatus dominus archiepiscopus assignavit eisdem diem & locum ad sententiam diffinitivam seu pronunciationem audiendum in negotio antedicto; & toti clero, ibidem existenti, eundem diem & locum ad interessendum judicialiter assignando.

Acta septimi diei.

" Quo die Lunæ, " scilicet quinto die mensis Julii, anno supradicto, coram præfato domino archiepiscopo in capitulo ecclesiæ Ebor. prædicto pro tribunali sedente, præfatis dominis Dunelm. & Candidæ E Casæ episcopis, ac aliis prælatis, & S. T. doctoribus, & juris canonici professoribus, & aliis clericis, & procuratoribus supradictis sibi assidentibus, propositis & exhibitis in scriptis per quasdam certas personas, superius deputatas, quibusdam rationibus & motivis, & eis auditis & intellectis, habitaque disputatione, & discussione super eisdem; propter variationes rationum, & dubitationes per supradictas personas, ut prædictum, deputatas in dicto concilio, in propositis & exhibitis factas, idem dominus archiepiscopus, de communi consensu omnium in dicto concilio existentium, deputavit certas personas, sacræ theologiæ doctores, juris canonici professores, & alias discretas personas, ad relationem summo pontifici faciendam, & ordinandam in negotio antedicto, & ipsam die Sabbati prox. sequent. in capitulo Ebor. prædicto supplicandum. Ad quam relationem audiendam, idem venerabilis pater prædictis Templariis, tunc personaliter ibidem constitutis, dictum diem & locum præfixit; & ad dicendum, quantum juris ratio permitteret, contra eandem, si voluerint, & viderint expedire; eundem insuper diem & locum toti clero, ad dictum provinciale concilium vocato, & ibidem existenti, ad interessendum per se, vel per procuratores idoneos, judicialiter assignando.

Acta octavi diei.

" Quo die Sabbati, " scilicet decimo die mensis Julii prædicti, adveniente coram discreto viro magistro Roberto de Pickering, canonico ecclesiæ beati Petri Ebor. præfati domini Ebor. archiepiscopi ad infrascripta commissario speciali, prout per inspectionem commissionis suæ, tunc ibidem publice lectæ, apparuit; domino decano ecclesiæ Ebor. abbatibus, prioribus, sacræque theologiæ doctoribus, & aliis discretis, et exemptis personis dioec. & provinciæ Ebor. personaliter, procuratoribus etiam dominorum Dunelm. & Carliolen. & Candidæ Casæ, episcoporum, ac quorundam aliorum prælatorum, tunc absentium, ibidem existentibus in capitulo ecclesiæ Ebor. prædicto, prædicti Templarii personaliter comparuerunt. Tenor vero commissionis, de qua superius fit mentio, talis est: Vvill. &c. Qua commissione publice perlecta, præfati Templarii, &c. laici & clerici, ad dictum concilium non vocati, a loco dicti capituli fuerunt amoti, ut de ipsorum Templariorum negotio plenius tractaretur. Habitoque tractatu per ipsum concilium super negotio memorato, magister Robertus de Pickering, commissarius supradictus, de communi expresso consensu omnium & singulorum tunc in dicto concilio existentium, idem concilium prorogavit, & continuavit usque in diem Mercurii prox. post festum beati Jacobi apostoli prox. futuri; toto clero tunc ibidem existenti, ac etiam absentibus, in personas procuratorum suorum ibidem præsentium, eundem diem Mercurii ad interessendum personaliter in eodem capitulo, ad tractandum, deliberandum, & faciendum in dicto inquisitionis negotio, quod toti concilio videbitur consultius faciendum, præfigendo; præfatisque Templariis eumdem diem & locum ad audiendum, recipiendum, & faciendum quod natura ipsius negotii exigit & requirit, judicialiter assignando.

Acta noni diei.

„ Quo die Mercurii, " scilicet 28. die mensis

ANNO CHRISTI 1311.

mensis Julii prædicti adveniente coram magistro Roberto de Pickering, commissario, ut præmittitur, supradicto, venerabili patre domino Thoma, Candidæ Casæ episcopo, dominis decano ecclesiæ Ebor. arch. Clyveland, cancell. eccl. Ebor. abbatibus insuper sanctæ Mariæ. Ebor. de Seleby, de Kirkestall, de Rupe, de Melsa, de Jorevall, de Coverham, de Eglesion, de Ryevall, de Bellalanda, necnon priores sanctæ Trinitatis Ebor. sancti Andreæ Ebor. sancti Osvvaldi de Pontefract. de Drax, & plurimorum aliorum per procuratores literatorie constitutos, præsentibus, ac aliis assistentibus in multitudine copiosa; lectum fuit quoddam certificatorium, sigillo commissarii generalis domini officialis curiæ Ebor. prædictæ signatum, super vocatione cleri ad dictum provinciale concilium prorogatum facta, tenorem continens infrascriptum: Viro venerabili, &c. Quo certificatorio publice perlecto, præfatisque Templariis ibidem personaliter constitutis, prædictis episcopis, & aliis prælatis, & personis ecclesiasticis, ac capitulis vocatis nominatim, & ut supra, comparentibus, idem Robertus, commissarius supradictus, dictum provinciale concilium usque in diem crastinum ad interessendum in eodem capitulo, ac faciendum idem, quod prius, judicialiter assignando; absentes usque in diem crastinum expectando.

Acta decimi diei.

"Quo die crastino, " scilicet 29. die mensis Julii prædicti, coram præfato magistro Roberto commissario, & domino episcopo Candidæ Casæ, ac prælatis, & personis ecclesiasticis in dicto ecclesiæ Ebor. capitulo pro tribunali sedentibus, aliisque, tam clericis, quam laicis in multitudine existentibus, præfati Templarii 24. numero; videlicet frater Vvillelmus de Grafton, &c. personaliter comparuerunt; & fatebantur & D expresse recognoverunt omnes & singuli in judicio, & quilibet eorum pro se sponte & expresse fatebatur & recognovit, se super articulis in bulla papali contentis vehementer esse diffamatos, & de eisdem articulis non posse se purgare; petieruntque, & quilibet eorum pro se humiliter petiit, genibus flexis, statum ecclesiæ sibi concedi; asserentes, se paratos esse ordinationi ecclesiæ in omnibus stare super præmissis. Juravit postmodum quilibet dictorum Templariorum per se nominatim et expresse de mandato ecclesiæ, tactis sacrosanctis evangeliis, in lingua materna, sub hac forma: Ego A. B. detestor & abjuro ad hæc quatuor sancta E evangelia omnes hæreses, & præcipue illas in bulla papali contentas, de quibus diffamatus sum; & promitto de cætero observare fidem catholicam, & orthodoxam, quam tenet, docet, & prædicat sancta Romana ecclesia. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Qui Templarii sic jurati, ut præmittitur, statim ad ostium australe dictæ Ebor. ecclesiæ accesserunt, ju-

A ramento præstito ab eisdem omnibus & singulis de parendo mandatis ecclesiæ; atque ipsos omnes & singulos, flexis genibus, beneficium absolutionis humiliter petentes, venerabilis pater dominus Thomas, de Candida Casa episcopus, pontificalibus indutus, dominis decano & cancellario ecclesiæ Ebor. ac archidiacono Clyveland, & abbate sanctæ Mariæ Ebor. vestibus sacerdotalibus pariter indutis, secum astantibus, ab omnibus hæresibus in bulla papali, contentis, & omnibus aliis absolvit, ipsosque Templarios ad statum ecclesiæ, & ad sacramenta ecclesiastica restituit. Demum ipsis Templariis iterato dictum capitulum ingredientibus, & in dicto provinciali concilio personaliter existentibus, B magister Robertus de Pickering, commissarius prædictus, unanimi consensu omnium in ipso concilio existentium, ipsos Templarios a carcerali custodia regia liberavit, & ipsos custodiæ ecclesiasticæ admisit & mancipavit; ipsumque provinciale concilium usque in crastinum continuando, eundem diem crastinum toti clero, ibidem existenti, ad interessendum in dicto capitulo, judicialiter assignando, ad tractandum, & ulterius faciendum in dicto negotio, quod de jure esset faciendum.

Acta undecimi diei.

C "Quo die crastino, " videlicet 30. die mensis Julii præfatis commissario, & clero in dicto capitulo, ut supra, considentibus; habitoque tractatu diuturno inter eosdem super ordinatione status dictorum Templariorum, idem magister Robertus, commissarius, de communi consensu & assensu omnium tunc in dicto concilio existentium, decrevit, ordinavit, & sententialiter pronunciavit; dictos Templarios singulos ad singula diversa monasteria prædictæ Ebor. dioeceseos fore mittendos, ad agendam poenitentiam præmissis, super ordinatione vero & injunctione pœnitentiæ præfatis Templariis imponendæ, voluit idem commissarius, ut asseruit, venerabilem patrem dominum Vvillelmum, Dei gratia Ebor. archiepiscopum, Angliæ primatem, in ipso negotio, una cum certis collegis suis, inquisitorem specialiter deputatum, consulere; toto dicto concilio provinciali ad hoc consensum, & assensum exhibente. Quibus sic factis, idem concilium, quod tunc, dimisit sine die.

Publicatio cessationis ordinis Templariorum.

Willielmus, &c. dilecto filio officiali nostro Ebor. salutem, gratiam, & benedictionem. Nuper in concilio generali, cui interfuimus, vir sanctissimus pater dominus, dominus Clemens, divina providentia papa quintus, per viam provisionis, seu ordinationis ordinem militiæ Templi, ipsiusque ordinis statum, habitum, atque nomen irrefragabili et perpetuo valitura sustulit sanctione, ipsum ordinem perpetuæ prohibitioni supponens; districtius inhibendo, ne quis dictum ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere, vel portare, aut pro

ANNO CHRISTI 1311.

Templario se gerere quovismodo præsumeret; quod si quis contra faceret, majoris excommunicationis sententiam incurreret ipso facto. Nolentes itaque quod fratres quondam dicti ordinis, aut quivis alii in nostra dioecesi constituti prætendere valeant ignorantiam præmissorum, vobis firmiter injungendo mandamus, quatenus tam in ecclesia nostra cathedrali Ebor. quam in singulis ecclesiis collegiatis, necnon monasteriis exemptis & non exemptis, ac etiam in parochialibus ecclesiis nostræ dioec. faciatis præmissa distincte, aperte, et solemniter publicari. Et quid feceritis in hac parte, nobis constare faciatis citra festum beati Matthæi apostoli per vestras literas, quæ harum seriem repræsentent. Valete. Datum apud Cawode 18 cal. Septembri, anno gratiæ MCCCXII. et pontificatus nostri septimo.

AQUILEJENSE CONCILIUM

Pro sufficiendis sumptibus iis qui ad Viennense concilium ituri erant,

Anno 1311. *habitum.*

An. 1311. *Causam habendi concilii & ejus nudam mentionem suggerit, quam hic exhibeo, charta accepta ex P. de Rubeis Monum. Eccl. Aquilejensis cap. LXXXIII. pag.* 828.

In Nomine Domini Amen. Aquilegia XCVIII. Floren. & M. Padua LIV. Floren. Vicentia XXVIII. Floren. & dimid. Tervisium XXIV. Floren. Feltrum XIII. Floren. & Dimid. Cumanus XXV. Floren. & dimid. Cenetensis IX. Floren. Concordia XII. Floren. & dimid. Tridentum XXI. Floren. Mantua XVIII. Floren. Verona XXXII. Floren. & dimid. Tergestum V. Floren. & dimid. Justinopolis III. Floren. Pola III. Floren. & dimid. Parentium VII. Floren. Petenensis I. Floren. & dimidium. Emona II. Floren.... Qui (*Floreni*) divisi fuerunt inter episcopos prædictos per Venerabilem Virum Fratrem Johannem Vicarium & Procuratorem Paduani, & magistrum Patrem Tridentini episcoporum, ad hujusmodi divisionem faciendam electos Deputatos in Concilio Generali anno Domini MCCCXI. Indictione IX. Aquilegiæ celebrato.

AD CONCILIUM GENERALE VIENNENSE

Anno 1311. *habitum*

ADDITIO.

An. 1311. *Quandoquidem concilii hujus acta perierunt, vel ita in Clementinis dispersa sunt, ut seorsum nulla prodierint, juvat hic loco actorum ea dare, quæ in adnotationibus meis ad Raynaldum olim animadverti.*

Indictum ante quadriennium generale concilium a Clemente hoc anno celebrari cœptum fuit. De tempore apud omnes convenit. Causæ ejus cogendi tres assignantur, Templariorum judicium institutum, terræ sanctæ expeditio, ac denique ecclesiæ reformatio. Natalis Alexander in historia ecclesiastica sæculo XIV. quartam adiicit causam hæresum nempe præsertim Beguardorum & Beguinarum condemnationem. Quanquam vero non nego in hos hæreticos conciliari sententia animadversum fuisse; nemo tamen veterum inter causas, quibus concilium indictum fuit, hanc pariter recensendam censuit; ideo forte quod seductores isti hæreses sustinerent jam damnatas, & dogmata adeo perspicue absurda, ut nulla conciliari discussione ad eorum falsitatem eruendam opus esset. Alii vero inter causas habendi concilii referunt de Bonifacio VIII. controversiam. Pagius in Breviario pluribus evincere nititur, causam illam Bonifacii ante concilium vel absolutam fuisse, vel potius totam ad se revocasse Clementem, ut nihil de illa in concilio tractatum fuerit. Nostram in hac re sententiam in Nota ad sequentem annum 1312. dabimus. Antequam Patres coirent, vel potius in literis encyclicis, quibus Patres accivit, Clemens hortatus fuit, ut quidquid reformatione dignum in ecclesia offendissent, illud scriptis redigerent, scriptumque ad concilium referrent. Notat id Guillelmus Durandus Guillelmi speculatoris dicti ex fratre nepos, & in episcopatu Mimatensi successor in præfatione operis, quod ea occasione & argumento composuit, inscripsitque, *Tractatus de modo generalis concilii habendi*, quod splendidis Parisiensibus typis primo editum a Philippo Probo Biturico, & Patribus ad concilium Tridentinum vocatis oblatum anno 1545. dein iterum minori forma prodiit Venetiis anno MDLXI. In eo vero Durandus singula, quæ reformatione indigere arbitrabatur, expendit, simulque ex jure canonico, quo apprime callebat, apta singulis remedia profert. Multa in eo singularia & nova proponit, quæ scire Lectoribus eruditis utile erit & volupe. In titulo XXXIII. partis secundæ discutiendum proponit, num præstaret clericos minores beneficiatos, cum annos pubertatis attigerint cogere, ut alterutrum eligant, sive castitatem perpetuam, sive conjugium. Laicis ter in anno Eucharistiæ perceptionem injungi, prout a conciliis quibusdam sancitum est, opportunum judicat tit. XLVIII. partis secundæ. Monachos episcopis subjici pro veteri more sublato exemptionum privilegio mandat; serio Patrum examini committit tit. XLVI. partis secundæ, num expediret in occidentali ecclesia servari orientalis ecclesiæ disciplinam, *quæ castitatem in altaris ministris non suscipit; ut ecclesiastico sta-*

ANNO CHRISTI 1311.

statui, ait, *provideatur*. In tit. XXXVIII. 2. par. seponi suadet decimam *omnium beneficiorum ecclesiasticorum secularium & regularium assignandam pauperibus scholaribus studentibus in studio generali; ut tandem de eruditis & nutritis ordinari possent qui in civitatibus, & diœcesibus & monasteriis domino famularentur*. En prima rudimenta illius operis, quod postea Concilium Tridentinum magno ecclesiæ commodo perfecit, institutis ad formandos juniores pauperesque clericos collegiis, quæ seminaria vocamus. Hæc & alia multa Durandus Viennensibus patribus discutienda proposuit, qui nec silet abusus correctione dignos. Hi sane abusus cum ab iis non differant, quos Anonymus ille antistes apud Raynaldum hic pro concione Patribus Viennensibus exponit, apud quem pariter eadem Patrum loca quæ apud Durandum occurrunt; hinc non inani conjectura suspicor anonymum hunc Præsulem Gallum ipsum fuisse Durandum, qui ea quæ latius in suo libro exposuerat, eadem viva voce brevi complexu perstrinxerit & inculcarit.

Patrum collectorum numerus incertus; quamvis enim Joannes Villani, ejusque perpetuus exscriptor S Antoninus ultra tercentos episcopos adfuisse tradunt; continuator tamen Nangii multo arctius hunc Patrum numerum contrahit; nam interfuisse ait *centum quatuordecim prælatos cum mitris*. Apertum hoc Authoris coævi testimonium nulla circumventione elidi posse censeo; ideoque vix dubito plures adfuisse. Cum tamen ex universi Christiani orbis partibus Præsules convenerint: *ex Hispania enim Teutonia, Dacia*, (Dania nempe) *Anglia, Scotia, Hibernia, Italia* præsules Ptolomæus Lucensis commemorat; hinc generale totius orbis concilium merito agnoscitur. Eo vero accurrit & B. Raymundus Lullus eremiticæ vitæ professor insignis, cujus famam ab impacta superstitionum magicarum nota Bollandistæ ad diem XXX. Junii egregie vindicant. In ea quam de viro sancto & Martyre descripsit vita Bovillius apud eosdem Bollandistas ibidem cap. IV. legimus illum audita Concilii Viennensis fama, eo se contulisse, ac tria Patribus proposuisse. *Primum, ut per mundum varia juberentur extrui monasteria, in quibus viri sancti ac devoti varios sermones docerentur; ut in omnem terram exiret sonus eorum. Secundo, ut de cunctis Religiosis militibus fieret unus ordo, qui trans mare assiduis bellis Saracenos lacesseret. Tertio, ut auctoritate sanctissimi patris Romani pontificis, cunctorumque cardinalium, inhiberentur legi scripta Averrois in scholis Christianorum, eo quod in pluribus fidelium mentes a sinceritate & veritate fidei nutare cogunt, & ad impietatem perducunt*. Nihil tamen vir sanctus impetravit.

Ex iisdem Adnotationibus ad Raynald. Adnot. ad An. 1312. P. Franciscus Pagius in Breviario gestorum Pontificum Romanorum res a Clemente V. gestas describens multis adductis argumentis probare nititur causam Bonifacii ante concilium tractatam & absolutam fuisse, omni ejus cognitione sibi a Clemente reservata. Nec sane negari potest inter causas coacti concilii hoc de Bonifacio judicium nequaquam referri ab anonymo illo episcopo, qui de singulis tribus causis, quæ discutiendæ in concilio fuerant verba coram Patribus fecit. Vide Annalistam ad An. 1311. num. 54. sed vix credo omissam fuisse a pontifice rem tantam, quam tanto animi nisu urgebat Philippus Rex & Columnenses; quæque ad publicam ecclesiæ causam ex obliquo referebatur; cum non defuerint inter catholicos, qui censuerint, Bonifacium legitimum pontificatum haud quaquam gessisse, cum illud jure abdicare a se Cœlestinus non potuerit: ex quo illud consequebatur, omnia ejus acta rescindi ac pro infectis haberi oportere. His ergo stantibus, vix credo detrahi fidem posse Joanni Villani, qui causam Bonifacii cognitam a concilio affirmat, cui cohæret Anonymus Vaticanus, cujus fragmentum legas apud Annalistam An. 1311. num. 54. Consonat & P. Franciscus Pipinus horum temporum scriptor in Chronico, qui lib. IV. cap. XLIX. scribit: *Fuit præterea in eodem concilio ex parte regis Franciæ Philippi hujus nominis V. per ipsius solemnes nuntios requisitum, ut ossa quondam Bonifacii papæ exhumarentur, & etiam cremarentur tanquam hæretici. Non tamen requisitio fuit admissa &c.* Hæc Pippinus, qui cum anno 1314. Chronicon suum absolvit, quemque ex præfatione Muratorii ad hoc opus Rer. Italic. to. IX. discimus anno 1320. aut citius libris scribendis operam in Italia forte, nam Bononiam habuit patriam, dedisse. Eadem memoriæ mandantur a Continuatore Martini Poloni ex editione Eccardi. Vix credo tam multos & coævos authores in re hac errare potuisse. Horum vero testimonium multo validius existimandum est, quam sit silentium actorum omnium publicorum, quorum nullum de hac causa in concilio editum superest. Hoc silentium urget Pagius, sed cum vetera hujus concilii acta nulla suppetant, nullum ex eo silentio validum argumentum deduci potest.

Author Chronici Mersemburgici, qui opus illud ad annum usque 1722. perduxit, vulgatumque legitur apud Ludewig. Reliquiar. to. IV. tradit Burghardum Mersemburgensem Archiepiscopum concilio huic interfuisse, & a Clemente V. impetrasse, ut vicarium sibi episcopum in pontificalibus exercendis eligeret, & ab eo Joannem quendam ordinis eremitarum S. Augustini in episcopum Soronacensem & vicarium suum electum & consecratum fuisse.

Cum vero Bonifacii causa, ut ex adductis testibus demonstravi, in concilio hoc Viennensi discussa fuerit; non abs re fore censui, si hic ederem apologiam quandam pro orthodoxia Bonifacii, quam occasione hujus causæ in concilio tractandæ scriptam arbitror. Unde illam acceperim, & quo authore prodierit, dicam in præfatione, lucubrationi illi a me præfixa.

ANNO CHRISTI 1311.

PRO ORTHODOXIA BONIFACII VIII. APOLOGIA

Concilii forte Viennensis occasione adornata.

EDITORIS PRÆFATIO.

GUidonis de Baisio seu Abaisii Regiensis, qui ex gesto in Bononiensi ecclesia munere archidiaconus vulgo nuncupatur, celebre nomen est inter juris canonici consultissimos. Doctrinæ suæ merito archidiaconatus stolam cum infulis Ariminensibus commutavit anno 1332. si fides Ughellio in Ariminensibus; tenuitque ad annum usque 1349. quo e vita decessit. Opera edidit plura, quibus scientiam canonum illustravit; ex his pleraque nota sunt eruditis: quam vero hic profero lucubrationem, novam occursuram viris doctis confido; utpote quam e MS. cod. in Bibliotheca canonicorum majoris ecclesiæ Lucensis repertam, nullibi locorum alias offendere potui. Argumentum versat bipartitum; prior enim scripti pars Templariorum causam respicit, quomodo in illos judicium instituendum, quomodo de hæresi inquirendum, apud quem causa eorum tractanda in secularine vel ecclesiastico judicio; utrum secularis princeps pro suo jure, sive potius ex commissa sibi ab ecclesia auctoritate cognoscere de Templariorum crimine illo valeat, diligenter discutiens. Tum in altera operis parte Bonifacium VIII. defendendum aggreditur; omnem ab eo hæreseos suspicionem amoliens. Ea quæ Templariorum occasione disputat author, cum generalia sint in omni de hæresi judicio servanda, nihilque peculiare tangant, omittenda hic censui. Quæ vero pro Bonifacio multo ad rem propiora sunt, ea occasione ut arbitror digesta, quo celebri illi judicio ad concilii cognitionem reservato servirent. Sunt equidem qui Bonifacii causam in concilio discussam negent; quos tamen in meis ad Raynaldum adnotationibus refutatos mihi ipse blandior. Id vero tum ex adductis ibi a me coævis testimoniis evincitur; cum & ex hac ipsa apologia argui utcumque posset: concilium enim judicem Bonifacii constitutum designant illa verba, *ostendam ergo quamvis probatione non egeat, de quo dumtaxat crimine possit apostolicus a concilio judicari*. Sunt hæc, quantum arbitror, ad intentum evincendum perspicua, indicantque apologiam istam paratam esse ab Archidiacono, ut causam Bonifacii a concilio discutiendam juvaret; quæ cum ita sint, veniam me imperaturum spero, si e pluteis privatæ Bibliothecæ in lucem publicam lucubrationem hanc ad illustrandas res concilii Viennensis proferam.

INCIPIT TRACTATUS SUPER HÆRESI ET ALIIS

Criminibus in causa Templariorum & domini Bonifacii divina providentia papæ VIII. compositus per famosissimum & excellentissimum decretorum doctorem dominum Guidonem de Baisio, Amen.

REcolendæ memoriæ D. Bonifacio papæ VIII. a quibusdam suis æmulis obiicitur sceleratum vitium hæreticæ pravitatis, asserentibus ipsum decessisse in ipsius labe, & hæreseos crimen eidem volebant opponere, & probare; & hæc apparent in citatorio seu commonitorio super hoc pii patris domini Clementis papæ V. A suis defensoribus allegatur & dicitur, quod extremam diem vitæ suæ finivit in confessione veræ fidei catholicæ veritatis, quod sufficit. Posito falsissimum esse quod aliquando fuisset infectus vitio supradicto, quæritur an hoc probare sufficiat, ut contra eum sive ejus nomen & famam omnia cessare debeant, sive per modum accusationis, sive denunciationis, sive inquisitionis procedatur. Et licet clarum sit secundum canonicas sanctiones & sanctorum patrum auctoritatem, ut planum & clare apparebit, tamen sicut Innocentius scribit ad episcopos per Macedoniam constitutos: *veritas sæpius exagitata, magis explendescit in luce, & fructus dominicus est justitiam recenseri*, ut hæc habentur XXXV. q. 9. cap. VII. ponam, ut prædixi, auctoritates hanc veritatem declarantes, & etiam confirmantes; & primo id quod scribit Gelasius universis episcopis per macedoniam constitutis; inquit enim sic: *de eo qui in divino judicio est constitutus, nobis non est aliud fas discernere, præter id in quo dies supremus invenit*, ut habetur XXIV. q. 2. *nec quibusdam*; ad hoc concordat ille doctor Sanctus, qui inter cætera dixit: *qualis hinc*, idest de hac vita, *quisque egreditur, talis in judicio crucifixi præsentatur*; hæc habentur XXV. dist: *qualis*.

Quæ auctoritas hoc vult dicere, quod si quis malus recedit, malus in judicio erit; si bonus, in judicio erit bonus, ut XIII. q. 2. *tempus*. Concordat Augustinus in libro de civitate Dei dicens: *qui hinc justus decedit, permanet justus*; sicut ponitur XXV. q. 5. *nec mirum* juxta medium *primum quidem &c.* Idem etiam attestatur Cyprianus martyr, ait enim: *qualem te invenerit Dominus cum vocat*, scilicet de hac vita, *talem pariter judicat*, de poenitentia dist. 1. *numquid Cain*. Qualiter autem de hac vita decesserit, ipse voce propria fuit professus, tamquam plenam ætatem habens, secundum dictum beati Augustini, dicentis: *pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non idem valet*, idest non valet tantum quantum si ipse voce propria profiteatur expresse. Ex qua regula etiam illud Evangelii dictum est quod universis alloquitur naturaliter *ætatem habet, ipse pro se loquatur*. Hæc habentur de consecratione dist. IV. *cum pro parvulis*. Item dixerunt qualitatem nostri patris papæ san-

ANNO CHRISTI 1311.

sanctiones, in quibus limpidissime claret, quoniam in vita sua fuit tale vicium detestatus, & maxime juxta finem sui exitus de hac vita. Quis enim nisi spiritu nequitiæ inflammatus astruere poterit, quod professio tanti patris fuit hæretica vel perversa. Neminem nomino; sed unusquisque conveniat suam conscientiam, ut alias dicit beatus Ambrosius in increpatione ad populum, & habetur XIII. q. 1. *quod autem*. Hæc etiam veritas clare patet ex alia sua constitutione quæ incipit: *nuper ad audientiam nostram &c.* ubi inter cætera dixit: *ubi auditum a sæculo est quod fuerimus hæretica labe respersi?* quasi plane dicat; hoc vitium detestamur omnino. Et quod tale vitium fuerit persecutus, patet ex iis quæ in sua compilatione posuit, ubi erat tutum, inseruit de ipsa hæretica pravitate; quamvis multa inserta ibi fuerunt aliena, illa potuit inserere tamquam sua, ut ait sanctus Beda 37. dist. *turbat*. Patet etiam quod Christum ejusque sanctos fuerit veneratus; ex eo quod in ipsa sua compilatione posuit de reliquiis & veneratione sanctorum rubricam specialem. Fecit etiam in ecclesia principis apostolorum de urbe, in qua propriam legit sepulturam, capellam in honorem sancti Bonifacii martyris, expensis propriis fabricavit, & in ea fuit sepultus; quod fieri potuit XIII. dist. II. *nullos* de consecratione dist. I. *causam* in fine; per quod constat quod tempore suæ mortis habebatur tamquam fidelis & legitimus Christi cultor a collegio dominorum cardinalium, qui adfuerunt suæ morti. Ubi etiam a sæculo est auditum quod is qui labe hæretica est infectus mandaverit talia venerari, vel etiam in ecclesia propria eligeret sepulturam? Ex quibus clare, constat, quod eum propria loquela manifestum fecit, secundum evangelicam veritatem, & suam intentionem ac sui cordis arcana propalavit; nam secundum Augustinum in Enchiridio *propterea verba sunt instituta, ut eis quisque in alterius notitia cogitationes suas proferat* 22. q. 2. *his autem*, ad idem q. 5. *aliqui* in fine; cum alias neque propositum mentemque videre aut cognoscere quis potest, ut dicit Augustinus, & habetur XXXIV. q. 3. *Deus*. Potuit ergo asserere & recognoscere id quod fuit professus Sixtus papa, suus prædecessor, qui inter cætera se explicavit sic inquiens, *Memor sum me sub illius nomine possidere ecclesiam, cujus confessio e domino Jesu Christo glorificata est, & cujus fides nullam hæresim umquam fovet; sed omnes hæreses destruit:* hæc recognitio habetur XXIII. q. 1. *memor sum*. Quibus sileant mordaces & impii detractores ad memoriam reducentes verbum Prophetæ dicentis; *detrahentem proximo suo hunc persequebar* XXIV. q. 1. *nimirum*, & eadem quæstione *peccat* in principio; ad hoc VI. q. 1. *ex merito*, & beatus Anacletus dixit: *unde detractores & morum corruptores nostrorum, sive qui adversus nos armantur, proprie nos ipsos decipiunt, in decipiendo & mentiendo nos lædunt quantum in eis est; & ideo juste infames sunt*, ut eadem quæstione 9. *deteriores*; & de ipsis detractoribus dicit Hieronymus *lingua detractorum bestiis ferocitate, volucribus veloci-*

A *tate, serpentibus virulentia præcellit*; & Augustinus: *ante te iniquitas, ante te æquitas unam linguam homines, quo vis eam vertis. Cur vertis eam ad inquisitionem & non ad æquitatem? ventri tuo das cibum amaritudinis, linguæ tuæ das cibos iniquitatis; sicut eligis quod vescaris, sic elige quod loquaris*. Patet igitur ex confessionibus supradictis ac per eum actitatis, quod ipse dictis sui antecessoris beati Leonis papæ integre satisfecit; ut ipse enim in suo libello ad universam ecclesiam destinando catholicum se fuisse monstrarit, ut 1. q. 7. *maximam*, in fine; et cap. *quoties cordis oculus*; et canon *quasi voluerint*, et canon *saluberrimi*;
B et canon *si quis episcopus*, et q. 3. *convenientibus* juxta principium. Item Basilius etiam plenissime confessus est catholicam veritatem, ut ad: q. *donant*; scripsit enim idem in constitutionibus prælibatis, quod petiit Gilbertus dux a Pelag o papa, qui inter cætera respondit ita dicens: *nos* scilicet Pelagius papa, *in omnibus præsulis* scilicet beati Leonis papæ, *tomum & chartam involutam pro catholicæ fidei assertione conscriptam Deo propitio custodire manus nostræ ad vos pro confessione & subscriptione significamus* XXV: q. 1. *Satagendum*; et de illo tomo beati Leonis habetur XV. dist. *S. Romana*; et illa fuit epist. quam B. Leo scripsit ad Flavianum episc. Constantinop. de quo dicit Gelasius
C in dicto canone. *S. Rom. Cujus epistolæ textum si quis ad unum iota dispunxerit, & non eum in omnibus venerabiliter receperit anath. sit*. Hic igitur a Spiritu sancto (edoctus est,) ut tomum, sive epistolam suæ fidei ad universam ecclesiam destinaret, per quam destruerentur detrahentium falsitates, atque ora talium clauderentur, de quibus in sanctis libris: *detrahentem proximo suo secrete & occulte, hunc persequebatur*, ut supra dictum est. Quid plura? nonne clangit nos tonitru agni? Illi qui quærunt tanta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi; & hæc habentur XXIV. q. 3. *dixit apostolus* in fine; ad ead. q. *qui in ecclesia*, & not. 21. dist. *nunc autem* in glossa; *sed adest*, juxta finem; ubi scripsit Hugo quod illi qui erant in consilio nec potuerunt nec debuerunt deponere Marcellinum episcopum urbis Romæ, quia thura obtulit super prunas in templo paganorum; & fuit ratio quia sponte & humiliter confessus fuit errorem suum; & de hoc debuit dici beatus; nam ut dicit Ambrosius in apologia David: *beatus est qui se potuit temperare post lapsum*, de pœnitentia dist. 3. *Ille rex*, juxta medium; ad idem quod legitur et notatur XXIV. q. 1. *Romana est fides* in principio & cap. *qui dignior* in glossa ultima, & 14. dist. *nec licuit* in glossa *eo*. & hoc etiam plane notat ipse Hugo 40. dist. *Si papa*; ubi dicit quod tunc papa potest condemnari de hæresi cum contumaciter & pertinaciter resistit, & errorem suum defendere & approbare conatur, argumento XXIV. q. 3. *dixit*; & caput *qui in ecclesia si nunc promissa obtinent in eo qui erat vere hæreticus, cum in fide peccaret, quanto fortius in eo qui sanctam ecclesiam profiteri dignoscitur*, *veri-*

locus mendosus

ANNO CHRISTI 1311.

veritatem fulcire? de hoc certe nullus dubitat niſi illi qui ſunt magiſtri errorum, eo quod non fuerunt diſcipuli veritatis, de quibus loquitur Leo papa XXIV. q. 3. *quod autem* in fine. Conſtat igitur quod contra tantum patrem, qui fuit compilatione totaliter perſequutus hæreticos, non debet de tam deteſtabili vitio procedi aliquo modo ſuperius enarrato; imo debet & plane communicari ſicut tempore vitæ ſuæ ab eccleſia ſancta Dei, ut habetur XXIV. q. 2. *ſane quod nam*; ex iis quæ in ſpeciali rubrica continentur. Veriſſime poteſt dici de eo quod ſcribit Nicolaus papa Michaeli imperatori; dixit enim *nominat facundiſſimus noſter papa Gelaſius hæreticorum expugnator fortiſſimus*, ut ibidem patet; & de eo etiam dici poteſt quod ſcriptum de ſancto Agapito papa inveneris: Dicit enim ſacra ſcriptura *vas catholicum, evangelii tuba*, de conſecratione diſt. 1. *Agapitus*. Quis enim ſummorum pontificum fuit iis melius dotatus tribus quam ipſe; certe nullus, ut clare manifeſtant ſua ſcripta. Quis enim ſanctum dubitet quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ a loci deceſſore præſtantur, ut inquit Symmachus papa 40. diſt. *Non nos*, ut ibi notatur verus canon, inter quos vera litera ſonat quod ſemper præſumitur eſſe ſanctus in omnibus factis ſuis. Dicant igitur iſti inquiſitores veritatis verbum beati Hieronymi dicentis: *non afferamus ſtateras doloſas, non appendamus quod volumus pro arbitrio noſtro, dicentes: hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus ſtateram de ſcripturis ſanctis tamquam theſaurum dominicum, & in illa quid ſit gravius appendamus*, XXIV. q. 1. *non afferamus*; & ſanctum Domini, piſcatoriſque ſucceſſorem dimittant quieſcere, & non turbent ad memoriam reducentes quod ſcribit pater Auguſtinus in epiſtola ad clerum & univerſalem plebem Hipponenſem, & habetur 11. q. 1. *nomen*. Præmiſſis veritate fulcitis plane conſtat, quod ipſi oppoſitores tamquam calumniatores manifeſte contra talem & tantam veritatem audiri non debent; & maxime per illum qui debet eſſe protector veritatis, & qui ſe imponere debet pro ipſius cautione, & aliis tamquam acies præbere ducatum, ut accidat quod dicit beatus Nicolaus papa V. q. 1. *ſciſcitare*. Quis enim obumbrare valet quin tales objectiones fiant contra ipſum patrem, eo quod voluit tempore vitæ ſuæ defendere eccleſiaſticam libertatem, ad inſtar beati Leonis papæ dicentis: *nos enim qui numquam ab aliquibus noſtros homines ſinimus opprimi; ſed ſi neceſſitas incurreret illa præſentialiter judicare, quia noſtri gregis multores in omnibus eſſe debemus & præcipue advocatores*; & hæc habentur XXIII. q. 8. *Scire nos*; & in hac voluntate fidei catholicæ permanſit uſque ad extremum vitæ ſuæ; & ſic pro catholico fidei continue eſt habitus ab eccleſia ſancta Dei, ut publice teſtatur edictum ſanctiſſimi patris noſtri domini Clementis papæ V. uſque ad exitum ſui ſtatus; & ex hoc debuit multipliciter commendari, dicente domino; *qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*, Matthæi XXIV. VII. q. 1. *ſuggeſtum*. Unde namque dicta eſt perſeverantia, niſi virtute patiente? quoniam ſecundum apoſtolicam prædicationem omnes qui volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patientur; & hoc habetur in præallato capite VII. q. 1. *ſuggeſtum*, ad idem XXIII. q. 4. *ſi eccleſia verba*. Deinde *quid enim*, ſecundum beatum Gregorium, *detrahentes aliud faciunt niſi pulverem inſufflant in oculos ſuos, terram exſiccant, & unde plus detractionis perflant; inde nihil magis veritatis videant*, ut XI. q. 3. *inter verba*. Impugnant enim ipſi patri in malum, quod ſui canones non probant; dicunt enim quod imagines fieri faciebat, beatus Gregorius & ſeptima ſynodus & papa Adrianus non improbarunt, imo hoc eſſe bene factum demonſtrarunt, ut patet ex eorum canonibus, qui habentur de conſecratione diſt. 3. per Lateranenſem, & cap. *venerabiles* & c.6. Inſurgit igitur quod ſcribitur I. Regum cap. IX. *pedes ſanctorum ſuorum ſervabit, & impii in tenebris conticeſcent*, XXXXIX. diſt. *huic*. & ſic ſecundum hoc, eſt talibus perpetuum ſilentium ponendum ſuper tali vociferatione, quam faciunt, quamvis eam faciunt ſub velamine veritatis. Quis enim celare potuit quod voce publica deferente talium dominus principalis faciat malum ſacrilegium in chriſtum Domini; & ſic vitium ſacrilegii ſine plica noſcitur incurriſſe, ut vult lex ſancta per hos principes divinitus promulgata, ut ſcribit beatus Joannes papa XV. q. 3. *nemo*; quæ lex proponitur VI. q. 1. *ſi quis cum militibus*; Certe mortalium nullus: & ſic per conſequens omnes tali D. adhærentes vel ſubjecti intelliguntur eſſe inimici, & ſic minime admittendi, ut III. q. 5. cap. III. nam ſecundum Anacletum papam: *inoffenſus accuſator & teſtium affectus quærendus eſt, non ſuſpectus*, eadem quæſtione cap. II. in fine & cap. *ſuſpectos* & cap. *accuſatores* II. in fine, & cap. *conſtituimus*, & communis equidem & plane dicunt canoniſtæ Decex: *de accuſat. repellen.* etiam cap. *cum oporteat*, v. *planum*: quod non ſolum inimici, ſed etiam cohabitantes repelluntur, ad idem IV. q. 3. *teſtes quos*, ex quæſtione IV. cap. ultimo c. *de his qui ad eccleſiam confugiunt*. Et quantum habuit intellectum, & fidei puritatem, patuit ex acto ſive libro damnato, quem comburi fecit publice & damnavit; quod non feciſſet, ſi fuiſſet infectus labe hæreticæ pravitatis; imo illam hæreſim foviſſet ad inſtar Anaſtaſii papæ, de quo legitur XIX. diſt: *Anaſtaſius*; qui Anaſtaſius ideo fuit damnatus, quia publice voluit defendere hæreticos, ut ex hiſtoria ſatis patet, ex ſcriptis magiſtrorum. Et puto, quia ipſe pater Bonifacius apud ſe retinuit librum illum, ut ex dictis ibidem videtur, ſi qua eſſent bona non ut damnata retineret, unde bene colligitur XXVII. diſt. *cum ergo*. *V. quidam vero*: & probat ſanctum concilium Carthaginenſe XXXVII. diſt. cap. 1. & Beda eadem diſtinctione *turbat*, & Ambroſius eadem diſtinctione *legimus*, & Auguſtinus eadem diſtinctione, *Si quid veri*; & Hyeronimus eadem diſtinctione *qui de menſa*. Et licet in favorem fidei multa hominum genera ipſe pater conceſſerit admittendos, quæ aliter

ter totaliter repelluntur, ut patet in sua constitutione quæ incipit; *In fidei favorem*; non tamen inimici capitales admittuntur ad hoc IV. q. 3. *testium fides*, & lege *si quis testibus* juxta principium extrav: de simonia, *licet Eli*, juxta finem, & capite *per tuos*; & est ratio quia tales non zelo justitiæ vel fidei videntur procedere, ut ibi, sed potius. ex odii fomite & vindictæ rancore; & ex vigore istorum jurium scripsit dominus Ostiensis, quod inimicus capitalis numquam admittitur etiam in exceptis criminibus de quibus est hæresis; & hoc plane ipse notat in sua summa de *accusa: par. quis possit accusare*, sub iis admittuntur omnes dicti in principio & no. per. ber. extrav. de accu. Nam si quis bene advertat oculo veritatis, talis probatio quæ fit per inimicum non est rationabilis; & sic per consequens minime admittenda, ut patet ex dicto Symmachi LXXIX. dist. *si quis* in fine; nisi eccl sia rationabili probatione convinceretur, quasi diceret, sumpto articulo a contrario; si non est rationalis non dicitur probatio, sicut dicitur in consuet. extrav. de consuet. cap. finali; *etsi non valet*, unde dicit Aug. in præallato capite *si quis*: *si non potest probare, debet tacere & non manifest*. II. q. 1. *si peccaverit*, & q. 7. *plerumque* & VII. q. *si statum*, nisi forte dicat tali personæ secretæ, quæ posset prodesse secreto & non obesse XXII. q. V. *hoc videtur*; & est hoc observandum in quolibet crimine non notorio, sive sit crimen læsæ majestatis, sive simoniæ vel aliud, argumento præallata cap. *si quis papa*. Reprobatur ergo ex hoc illa opinio pessima, quod in crimine simoniæ & læsæ majestatis vel hujusmodi sit speciale, ut credatur sine probatione rationali, & quod crimen sibi notum debeat publicari, quod non est verum secundum Ostiensem. Quis enim nisi hebes intellectus asserere poterit, quod per probationes non legitimas debeat aliquis condemnari, & maxime de tam pestilenti vitio & damnato? Certe nullus; quoniam non sufficiens probatio & non legitima æquipollent, ut extrav. de translat. episcop. *Inter corporalia* §. *sed neque* LV. *dist. ff. quod cujusque univ.* no. l. 1. §. penultimo, extrav. de procura. cap. 1. & de consangui. & affin. *quia circa*, ad idem optime lib. 6. de offic. ordinariorum cap. *ordinarii* §. *cæterum*, *ibi sufficiens &c.* Ista etiam probantur ex eo, quod legitur & notatur extrav. de præsumpt. *literas*, & in constitutione ipsius patris lib. 6. *filii vel hæredes*, juxta finem, ubi dicitur: *aut legitime constiterit*, cum suis concordantiis. Et quia impii detractores conantur caninis dentibus tantum patrem lacerare, multa, imo quasi infinita dicentes fore hæretica & perversa, quæ licet alias sunt de genere malorum; non tamen sicut dato, quod absit, illa continuisse veritatem, contra apostolicum admittenda in foro ecclesiæ militantis. Ostendam ergo, quamvis probatione non egeat, de quo dumtaxat crimine apostolicus possit a concilio judicari, & maxime simpliciter, quando in illo crimine esset protervus, contumax & rebellis; & hoc faciam exemplo patris Augustini, qui probat, quamvis hoc clarum sit; quod ecclesia catholica non potest esse nulla ut 24. q. 1. *pudenda*, & quod sit id crimen, satis constat ex iis quæ dicta sunt supra, & habetur 40. dist. *si papa*. Istis veridicis sic narratis, advertat discretio visa pii patris, quam prave quam perverse Judas, qui Christum tradidit sive prodidit, & is qui proditionaliter cepit vel capi fecit vicarium Jesu Christi crucifixi de tanto crimine publice glorietur ad suam malitiam sive iniquitatem velandam, allegans quod suus prædecessor scilicet Coelestinus non potuit renunciare papatui, & sic ipse pater Bonifacius in ejus locum non potuit successisse; quod dicere asserendo quam sit vesanum & contineat hæreticam pravitatem, nullus sanæ mentis ignorat: nam secundum hoc jam constaret universalem ecclesiam jam oberrasse, quæ eum in actibus legitimis, & in canonizatione sancti regis Lodovici, & in creandis dominis cardinalibus, episcopis & aliis prælatis infinitis habuit pro legitimo pastore & prælato; & hoc asserere non caret labe hæreticæ pravitatis, cum impossibile sit quod oberret ecclesia generalis. Et quod vesanius est sive sacrilegium crimen, sanctificare conatur, qui eum cœpit seu procuravit accensus zelo fidei orthodoxæ. Tamen de simili impostura rex Theodoricus Deo inspirante respondit ad se propter reverentiam de ecclesiasticis negotiis non pertinere, ut habetur 19. dist. §. *hinc ecclesia*. Ex quo facinore constat eum qui talia procuravit crimen (infamiæ) incurrisse; nam ut canonum tradit auctoritas, omnes infames sunt qui in patres spirituales armantur, scilicet verberando vel calumniose accusando vel diffamando 3. q. 4. *clerici*, & q. 5. *omnis* 6. q. 1. *sacerdotes*, & cap. *infames*. Reducat igitur ad memoriam justus judex quod beatus Anastasius papa Spiritu Sancto inspirante scripsisse noscitur: *ita dicimus qui corporis tractatores a vilibus & reprobis personis diffamare noluit nec calumniari, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes de templo ejecit*; unde liquet quod summi sacerdotes vel episcopi a Deo judicandi non ab humanis aut pravitate hominibus lacerandi, ut hæc probantur, q. 7. *accusator*. Ex hoc apparet, quod talis spiritum Dei non habuit in se ipso, ut ex ejus fructibus colligitur evidenter; cum opera quæ facit, testimonium perhibeant veritati; nam non solum pœnitentiam augere negligit de commisso sæpe; semper mala malis accumulare conatur, sicut verissime scriptum est per prophetam: *superbia eorum qui te oderunt ascendunt semper*. Descendat igitur fulgur de cœlo consumens impios detractores, sicut Dathan & Abiron & alios suos complices divinitus percussit; pœnam pro illatis conatibus pendant, ut num. cap. 15. & habetur V. q. 1. *denique* v. *quod vero*. Accedat etiam contra eos, quod alibi scriptum est: *indignatus*, inquit, *Dominus cum semine Israel & demolivit eos in diruptionem, donec abjecit eos a facie sua*, ut in præallato capite *non solum denique* in principio. Reminiscantur insuper Christum persequentes, quoniam ipse bonus pater tempore sui minoris status existens diaconus cardinalis mo-

do

do proprio voluit crescere ad ordinem sacerdotii, ut sic posset Altissimo in illo ordine ministrare, ut esset de illorum numero, cui competit tractare Christum Deum in altari; per quod constat, quod fuit vere accensus zelo fidei christianæ. Obstruentur ergo talium oculi, ne videant, & tu Christe in dorsum eorum . . . & alibi dicitur per psalmistam & habetur 37. dist. §. *tu itaque Domine qui dixisti mihi: & ego retribuam; redde retributionem*. qui nisi ut ad aliud non conantur, ideo ad magna justitia judicarum pertinent; ut numquam careant supplicio, numquam voluere peccato carere, ut dicit beatus Gregorius in dialog. lib. 4. & habetur de pœnitentia dist. 1. *voluissent*. Recordare, verbum quod per os tui psalmistæ probare voluisti, in quo sic dixisti *memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi*, scilicet in quo injuste pati, *spem dedisti*; ut sic in sermonibus fidelis inveniaris, & vincas cum vincaris. Talium autem superborum numerus, qui non resurgent ut in judicio repræsentetur, omnipotentis contra se iram sentiat, & SS. apost. Petri & Pauli, quorum præsumunt ecclesiam confundere, in hac vita & in futuro furorem sentient; fiet habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet; fiant filii eorum orphani, & uxor eorum vidua; commotus convincatur ipse, & filii ejus mendicent & reiiciantur de domibus suis; scrutetur fœnerator omnem substantiam suam, & diripiant alieni labores ejus, orbis terræ pugnet contra eum, & omnia elementa sint sibi contraria, & omnium sanctorum merita quiescentiam illius confundant, & in hac vita super eum apparatam vindictam ostendant, ut dictum fuit de Juda proditore, & scribitur 23. dist. cap. 1. in fine. Reducantur rursus ad corda sua, quoniam ipse bonus pater, more Christi ad crucis signum & auxilium se reduxit idem in manibus tractando propriis, ac dicendo, quod pro ipsius Christi fide mori anhelabat, & numquam mortem timebat pro defensione ecclesiæ Christi Dei. Potest igitur ipse sanctus pater dicere quod cantat sancta mater ecclesia ita dicens: *confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego; paveant illi, & non paveam ego; induc super illos diem afflictionis & duplici contritione contere eos, Domine Deus noster*. Nam quantum in eis est, quærunt animam meam mortificare & damnare, ad finem 26. quæst. 6. unde recte per prophetam dicitur: *mortificabunt animas quæ non moriuntur*, Exechiel: 14. quem exponens Gregorius in homilia 26. dicit. *non morientem quippe mortificat qui justum damnat* 11. q. 3. *plerique*. Quis igitur nequitiæ spiritu plenus dicere poterit afferendo quod tale vitium fuit hæreticæ pravitatis? certe nemo. Nam si . . . in talibus . . . . adventantur illius signa quæ manibus propriis detinebat & auxilium invocabat miraculose egit contra illam; nam more Christi vinculati, capite consputi, derisi, occisi, tertia die virtute propria resurrexit; sic ipse bonus pater a suis proditoribus captus, derisus, & fame afflictus, tertia die evasit manus impiorum, quod ex divino amore processisse nemini fidelium potest in dubium A venire. Insuper quia delatores patri prædicto obiiciunt crimen pestiferum simoniæ, quod dicunt continere hæreticam pravitatem, dicentes etiam quod ipse asserebat quod papa non poterat committere simoniam; ad hoc dicendum quod sicut intelligunt ita & loquuntur, ut alias dicit Augustinus in expositione psalmi 4. & habetur de consec. dist. 2. *prima quidem* v. *sed quoniam*. Quoad declarationem hujus articuli videlicet an simonia sit hæresis, negari non potest quin simonia hæretica a sanctis patribus nominetur, ut 1. q. 1. *benedictio*, & cap. *quisquis* & cap. *eos*, & cap. *fertur* extravag. de simonia, quoties cum multis concordant; sed B hoc debet sane intelligi, nam sunt impreciabilia de jure & de facto fides, spes, & charitas & cæteræ virtutes & spiritus Sanctus & dona ejus, scilicet donum prophetiæ, & potestas faciendi miracula; talia credere posse vendi bene continet hæreticam pravitatem, & ista fuit perversa voluntas & intentio Simonis magi, ut hoc patet 1. q. 1. *Petrus*. De tali prava intentione & vitio simoniæ debet intelligi dictum Paschalis quod habetur 1. q. ultima cap. fin. ubi dicitur, quod omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur, extravag. de simon. *perpetuas* §. *cæteras*; & dictum Lucii papæ extravag. C eodem titulo cap. *quoniam simoniaca*, ubi dicit quod talis pestis sua magnitudine alios morbos vincit, ut 1. q. 1. cap. *cito turpem*, ubi de hoc Ambrosius intendit probare pejus esse crimen simoniæ quam idololatriæ ut eadem quæstione; nam intelligendus est non de qualibet simonia, sed quando est perfecta imitatio Simonis, quæ fuit cum infidelitate & malitia, ut patet per verba Petri dicentis Act. 8. *non est tibi pars, neque sors in sermone isto*, ut 1. q. 1. *eos*; & ea quæ Petrus ovibus suis exponit in libro de poenitentia. Vides quod hunc condemnavit eo magis quo puram conscientiam non habebat; sicut etiam patet in præallegato capite *Petrus*, in D fine. Patet ergo de infidelitate; de malitia autem dicit: *in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse*; in felle designatur maxima malitia, & tale vitium eum qui sedet in loco Petri non est dubium posse committere, cum etiam valeat incurrere crimen infidelitatis manifestæ, ut 40. dist. *si papa*, juxta finem. Si autem sine errore aliquis committat simoniam ex cupiditate honoris sive divitiarum & non ex malitia, tunc non est maximum malum, licet peccatum sit; imo infidelitas & peccatum in Spiritum Sanctum 25. dist. *qualis*, & de poenitentia dist. 1. *potest*, & §. *denique*; & in aliquo casu sacrilego majora sunt crimina & culpa E discordiæ ead. dist. *neque ad Caini*. Quædam autem sunt impreciabilia de jure, sed non de facto, ut sacramenta ecclesiæ quæ revera de jure vendi non possunt, licet de facto venduntur quandoque, & in talibus prohibitis quia simoniaca, eo quod in veteri novoque testamento erant simoniaca, studiosa voluntas simoniam inducit, & sic loquuntur jura hoc caventia. Quantum vero ad istos simoniacos talia vendi posse de jure

ANNO CHRISTI 1312. re absque peccato pertinaciter asserentes, aut virtutes aut Spiritum Sanctum aut prædicta dona ejusdem de jure vel de facto credunt vendi posse, dicuntur simoniaci & hæretici ad minus large, & simonia dicitur hæresis, sicut hæreticus large diceretur qui crederet vel pertinaciter assereret fornica- A tionem vel adulterium non esse peccatum Deo gratias. ANNO CHRISTI 1312.

Finitur Tractatus super hæresim & aliis criminibus in causa Templariorum & D. Bonifacii D. P. papæ VIII. compositum per famosissimum & excellentissimum decretorum doctorem dominum Guidonem de Boysio alias archidiaconum Bononiensem. Amen.

LONDINENSE CONCILIUM

A Roberto Cantuariensi Archiepiscopo

Anno 1312. *habitum.*

DE *Concilio hoc monumenta si quæ supersunt damus ex VVilkins Conc. Brit. II. pag.* 419.

Apud Wilkins II. p. 95. ex Reg. Winchelsey in an. 1312. *Monitio contra impedientes concilium.* In Dei Nomine, Amen. Cum nos Robertus & pro executione mandati apostolici, ac bono publico hujus regni & status ecclesiastici sub certa forma in nostris convocatoriis literis contenta, præsens concilium mandaverimus convocari; quidamque, quorum nomina totaliter ignoramus, sua præsumptione damnabili nisi fuerint, & adhuc nitantur, sicut ex assertione quorundam fi- C dei dignorum fideliter didicimus, suis fallaciis & versutiis, quominus procedat idem concilium, aut personæ ecclesiasticæ nostræ provinciæ, quas ad idem concilium decrevimus evocandas, ad idem accedant concilium, impedire; nolentes, sicuti nec valentes tantam præsumptionis audaciam sub dissimulatione absque nostri ministerii vituperio præterire, monemus uno pro omnibus edicto peremptorie, propter celeriorem & efficaciorem expeditionem agendorum omnes & singulos, cujuscunque conditionis aut status existant, etiamsi pontificali pæfulgeant dignitate, domini regis & reginæ personis duntaxat exceptis, qui talia perpetrare aut D procurare præsumpserint, seu perpetrantibus aut procurantibus, opem, consilium, vel auxilium præstiterint, seu perpetrantium aut procurantium nomina scientes, ea nobis revelent infra triduum. Et ne quivis prædictorum, quominus idem nostrum concilium procedat, prout ipsum decrevimus evocandum, aut in eodem compareant personæ ecclesiasticæ supradictæ impediat, quoad se vel alios, quovismodo; et præterea quod ad præsens concilium evocati, aut pro seipsis venientes, seu pro aliis destinati, qui suam præsentiam, aut si traditam potestatem minime exhibeant nostro conspectui, absque omni mora continuo se præsentent; E exhibentes nobis fideliter commissam sibi ab aliis potestatem, ita quod cum eis in hoc concilio possimus procedere, prout expediens videbitur faciend. sub pœna excommunicationis majoris, quam in omnes & singulos supradictos, qui monitionibus nostris non paruerint, proferimus in hiis scriptis; ipsius absolutionem nobis, seu illi, quem ad hoc duxerimus deputandum, præterquam in mortis articulo, specialiter reservando.

Lecta per Magistrum Walterum Herny, archidiaconum Sarum, in cujus ore dominus posuit verba sua, ipsum constituens organum vocis suæ, 17. Calend. Maii anno Dom. MCCCXII. consecrationis domini decimo octavo, in aula episcopi London. apud sanctum Paulum.

Mandatum archiepiscopi Cantuar. ad citandum absentes a concilio provinciali.

Ex Reg. Raynald. Wigorn. fol. 47. ROBERTUS, & Waltero, episcopo Wigorn. salutem. Licet vos ac cæteros venerabiles fratres nostros suffraganeos præsentes in regno, ac absentium fratrum in spiritualibus & temporalibus vicarios generales, seu alios, quos ad hoc duxerant dimittendos, decanos & capitula cath. eccles. archidiaconos, universos abbates, priores supra se abbates in nostra provincia non habentes, tam exemptos, quam non exemptos, eorumque conventus, clerumque cujuslibet civitatis & diœcesis nostræ provinciæ citari mandaverimus per dilectum filium vicarium venerabilis fratris nostri R. Dei gratia London. episcopi in remotis agentis; in spiritualibus generalem; quod vos, & venerabiles fratres nostri prædicti vicarii, decani, archidiaconi, abbates, priores personaliter; capitula autem & conventus per duos decanos, abbates, & priores, si voluerint, alioquin per alium seu alios idoneos; clerus autem per unum vel duos procuratores consimiles communiter destinandos ad comparendum in concilio nostro 14. Cal. Maii proximo præterit. in ecclesia S. Pauli London. nobiscum super quibusdam negotiis singulares personas ordinis militiæ Templi in nostra provincia degentes, quæ post ultimum nostrum provinciale concilium emerserunt, necnon super bono publico, hujus regni tranquillitate, & quiete accommoda ecclesiæ Anglicanæ, & aliis, prout visum fuerit expediens, efficaciter tractaturi, consensusque hiis, quæ, dante Deo, ordinarentur, & providerentur, ibidem præbituri, ulteriusque facturi cum continuatione dierum sequentium usque ad finem ejusdem concilii, quod justitia suaderet; denunciando, quod nullius, quem necessitas inevitabilis non excusaret, haberemus absentiam excusatam; & vobis, ac episcopis suffraganeis nostris, ac vicariis districtius injungendo, quod nos de ipsorum vicariorum, decanorum, archidiaconorum, abbatum, & prio-

ANNO CHRISTI 1312.

priorum nominibus propriis, quique abbates & priores exempti, plebes, ecclesias, seu capellas habeant non exemptas, de eisdem omnibus reddidissetis, & reddidissent in dicto termino certiores per suas patentes literas, hujus & ipsius vicarii London. mandati seriem continentes; prout in aliis nostris patentibus literis dicto vicario London. directis, plenius continetur: idemque vicarius London. nos certificaverit per suas patentes literas, quod prædictum nostrum mandatum fuerat executus, quod citationes, denunciationes, injunctiones, & omnia supradicta; vos tamen, & quidam alii suffraganei nostri in dicto termino non comparuistis, nec nos certificastis juxta mandati exigentiam antedicti, quamvis nonnulli alii nostri suffraganei debite comparuissent, & nos certificaverunt, ut decebat. Verum, quia per quosdam vicarios, & aliorum fratrum nostrorum absentium clericos & amicos fuerat allegatum, quod dicti vicarii London. citatio, & mandatum seu executio ad vestram & ipsorum absentium suffraganeorum meorum notitiam non pervenerint, & volentes propterea super hoc scire plenius veritatem, nihilominus vobiscum, & personis supradictis de clero vestro, & aliis absentibus a concilio, ac præsentibus in concilio simul conferre, tractare, ac ordinare & agere super præmissis, prout videbitur expedire; vos & cæteros absentes a concilio, usque ad diem lunæ proximum post festum Ascensionis Domini de consilio fratrum nostrorum, & aliorum præsentium in concilio præsenti, ipsum concilium non dissolventes, sed continuantes decrevimus expectandos, præsentibus in eodem concilio eundem terminum præfigendo. Quocirca citationem, mandatum, executionem vicarii London. nec non & continuationem, expectationem, & præfixionem prædict. ad vestram, tenore præsentium, notitiam deducentes, vos ex abundanti peremptorie citamus, & per vos præmissas personas ac clerum vestræ civitatis dioec. peremptorie citari mandamus, quod compareatis & comipareant coram nobis in concilio nostro provinciali ad terminum supradictum; & dies sequentes usque ad finem ejusdem concilii, per omnia juxta formam prioris nostri mandati vicario London. directi, tractaturi, & consensus efficaciter præbituri, facturi, & recepturi, quod justitia suadebit, ut superius est expressum. Porro, si abbates & priores vestræ civitatis & dioec. velint per se, & sui conventus per se, vel conjunctim, procuratores idoneos ad dictum concilium destinare, quibus ad tractandum super præmissis, & consentiendum iis, quæ ordinabimus, dante Domino, & provideoimus de vestro & venerabili fratrum nostrorum concilio, plenariam potestatem ipsos a personali comparitione, sicut & religiosos alios nostræ provinciæ, cathedralium ecclesiarum prioribus duntaxat exceptis, habebimus excusatos. Quid autem in præmissis duxeritis faciendum, & in præteritis feceritis, nos certificetis districte & aperte in dicto termino per vestras patentes literas, harum seriem continentes. Dat. London. in concilio supradicto 12. cal. maii, anno Dom. MCCCXII. consecrationis nostræ decimo octavo.

Inhibitio domini regis, ne fiat collecta in concilio, ipso inconsulto.

Ex reg. magno Wigorn. fol. 53.

Edwardus, &c. dilectis sibi in Christo abbatibus & prioribus, & cæteris viris domorum religiosarum Cantuariensis provinciæ de patronatu nostro existentibus, & eorum procuratoribus apud Londinum in proximo conventuris, salutem. Intelleximus a nonnullis, quod venerabilis pater Rector Cantuar. Archiepiscopus, vos sicut cæteros de clero provinciæ suæ prædictæ ad consentiendum cuidam auxilio seu collectæ super vos, & ipsum clerum, auctoritate sua assidendum pro viribus inducere nititur & intendit. Cum igitur hujus auxilii & collectæ assensio seu concessio fit super bonis domorum vestrarum, quæ de eleemosynis progenitorum quondam regum Angliæ fundatæ existunt, fierent nostro assensu minime requisito, in diminutionem ecclesiarum prædictarum, & coronæ nostræ præjudicium cederent manifeste; vobis mandamus in fide, qua nobis tenemini, districte inhibentes, ne ad aliquod auxilium seu collectam super vos aut cæteros de clero prædicto, ut præmittitur, assidendum, seu ad contributionem aliquam collectæ hujus cum cæteris de clero, si quam super ipsis assideri contigerit faciendam, nobis inconsultis, consensum vestrum vel assensum aliqualem præbeatis. Teste meipso apud Novum Castrum super Tinam primo die Maji.

Protestatio & appellatio abbatis & Conventus de sancto Edmundo, ad papam contra gravamina religiosorum.

Ex regist. sacristiæ abbatiæ S. Edmundi penes epi. More, Norvvic. fol. 87.

In Dei nomine, Amen. Ego frater Willielmus de Herlaw, commonachus & procurator religiosorum virorum domini Thomæ, Dei gratia abbatis de sancto Edmundo, ad sedem apostolicam nullo medio spectant. & ejusdem loci conventus ordinis sancti Benedicti, Norwic. dioec. audito a nonnullis, & verisimiliter intellecto, quod venerabilis pater dominus Robertus, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, dictos religiosos dominos meos, sicut cæteros exemptos, & alios de clero suæ Cantuar. provinciæ ad concilium suum 14. calend. Maji in ecclesia sancti Pauli London. cum continuatione & prorogatione dierum usque ad finalem expeditionem ejusdem per literas suas auctoritate apostolica, ut prima facie videbatur, in eisdem sic vocatos per quosdam actus juxta articulos in eodem concilio dictis exemptis, & aliis per se & suos expositos, & traditos, ac contributiones seu collectas indebitas ab eisdem religiosis quodam quæsito colore exigend. ipsum tamen mandatum apostolicum minime contingentes publice gravare nititur ac comminatur. Unde ego fr. Willielmus, procurator antedictus, metuens dictis religiosis dominis meis, & mihi eorum nomi-

Anno Christi 1312.

mine, ex hujusmodi factis comminationibus, & verisimilibus conjecturis præjudicium posse generari in futurum. Et, ne idem pater, seu quivis alius, vel alii suo nomine auctoritate vel mandato aliquid contra dictos religiosos dominos meos, vel me eorum nomine, seu nobis in hac parte adhærentes, attempet, vel attemptare faciat, vel faciant quovis modo attemptare, vocando, monendo, interdicendo, suspendendo, excommunicando, denunciando, interloquendo, pronunciando, definiendo, amovendo, spoliando, sequestrando, sequestrare vel spoliare mandando, seu quovis alio modo gravando in futurum, sacrosanctam sedem apostolicam A in his scriptis provoco seu appello, & apostolos, quatenus in hoc casu de jure peti debent, peto, & protestor me dictam provocationem seu appellationem præfato patri, seu aliis, quorum interest, sub dicta forma vel competentiore pro loco & tempore opportunis notificare velle, in eventu futuri gravaminis appellare, & apostolos petere cum effectu, supponens adhæc dictos religiosos dominos meos, me, & eorum nomine, & omnes, & singulos in hac parte nobis adhærentes, ecclesias, res & possessiones nostras tuitioni, defensioni, & protectioni sedis supradictæ.

LONDINENSE CONCILIUM

Aliud a duobus Arnaldis altero S. R. E. cardinali, altero Pictavensi episcopo A. S. L.

Anno 1312.

„ Londinensis hujus concilii unicæ super„ sunt literæ, quibus episcopus Herefor„ diensis absentiam suam excusat. Dantur „ illæ ex regest. Swinfield fol. 80. a Wilkins „ Conc. Britan. to. II. pag. 421.

EXCUSATIO ET PROCURATORIUM EPISC. Hereford. pro concilio legatino London.

Ex reg. Swinfiel. fol. 180.

TEnore præsentium literarum pateat universis; quod nos Richardus, permissione divina Hereford. episcopus, adversa valetudine & debilitate nostri corporis his temporibus impediti, coram reverendis patribus dominis Dei gratia Arnaldo, tit. sanctæ Priscæ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero cardinali, ejusdem vicecancellario, & Arnaldo, eadem gratia Pyctaven. episcopo, domini nostri papæ camerario, sedis apostolicæ nunciis in synodo apud London. nona die mensis Octobris prox. futur. continuata seu prorogata a die 28. Mensis Septembris prox. prædict. absque imminenti D mortis periculo non poterimus personaliter comparere. Idcirco ad comparendum coram eisdem nomine nostro die nona Mensis Octobris, & loco prædictis cum continuatione, & prorogatione dierum sequentium, si oporteat, & ad assistend. eisdem vice nostra una cum prælatis & personis ecclesiasticis, quos præsentes ibidem esse contigerit, ferventibus animis, favoribus, consiliis, & auxiliis opportunis, prout utilius & efficacius viderint expedire, pro reformatione pacis, de qua in literis dictorum dominorum cardinalium, & episcopi fit mentio specialis juxta formam mandati reverendi patris in Christo domini R. Dei gratia Cantuar. archiepiscopi, totius Angliæ primatis, nobis C in hac parte auctoritate dictorum patrum directi, venerabiles viros magistrum Johannem de Ress, officialem curiæ Cantuar. arcnidiaconum Salopsiæ, in nostra ecclesia Hereforden. & magistrum Mich. de Wareham, canonicum Hereford. juris civilis professorem nostros procuratores legitimos conjunctim & divisim facimus, ordinamus, & constituimus per præsentes; dantes eisdem, & eorum alteri plenariam potestatem & speciale mandatum ad tractand. nomine nostro cum dictis patribus cardinali, & episcopo, & cæteris prælatis, ut superius est expressum; & ad consentiendum his, quæ de consensu unanimi procuratorum, & cæterarum personarum ecclesiasticarum ad honorem Dei, & utilitatem ecclesiæ Anglicanæ, & regni, auctore Domino, ordinabuntur ibidem; ratum habituri & firmum, quicquid per eosdem procuratores nostros conjunctim vel alterum eorum divisim factum fuerit in præmissis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Dat. apud Bosbur. 4. Die mensis Octobris, anno Dom. MCCCXII.

ANNO CHRISTI 1314.

PARISIENSE CONCILIUM

Anno 1314. celebratum.

Affert Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 300. ex MSS. cod. Reg. Succ.

PHilippus miseratione divina archiepiscopus Senonensis in provinciali concilio an. MCCCXIV. die Martis ante translationem B. Nicolai cum continuatione dierum sequentium Parisius celebrato ad perpetuam rei memoriam.

I.

Concil. Provinc. statuta suffraganeis publicand.

Sanctorum patrum pia consideratione salubriter constituit veneranda provisio, ut metropolitani cum suis suffraganeis, pro corrigendis subditorum excessibus, refrenandis moribus, ecclesiarum juribus ac libertatibus observandis, eorumque oppressionibus relevandis, tenerentur sub pœnis canonicis provincialia singulis * concilia celebrare, & quæ pro prædictorum expeditione in illis statuerant observari facere, publicando per suffraganeos in episcopalibus synodis celebrandis in suis diœcesibus annuatim, prout antiquorum & novorum canonum testantur & præcipiunt instituta, quod recolendæ memoriæ nonnulli prædecessores nostri devote pensantes, & fideliter adimplentes, laudabili studio plurima in provincialibus conciliis statuerunt, quorum observantia ecclesiis & personis earum fructus uberes allatura, cum illorum deserti ignorantiæ obumbrata nebulis, hucusque statum ecclesiæ vastavit enormiter, & damnabiliter impedivit. Quapropter nos consideratione præjudicandæ jacturæ pro futuris temporibus occurrere cupientes, ac omnis excusationis vel ignorantiæ causam amputare, sacro approbante concilio, suffraganeis nostris in virtute sanctæ obedientiæ & sub poenis canonicis juxta statuta Lateranensis concilii duximus injungendum, ut præfatas ordinationes prædecessorum nostrorum, & si quas in hoc sacro concilio vel subsequentibus per nos aut successores nostros statui vel ordinari contigerit, in scriptis fideliter redigentes vel redigi facientes, illas in suis episcopalibus synodis subjectis suis, prout melius expedire providerint, studeant publicare, ad eorum observantiam illos opportunis remediis omni excusatione vel palliatione postposita compellentes.

* videtur deesse ann.

II.

Contra clericorum detentores

Item, ut eo potentius ecclesiæ libertas vigere invaleat, & grex dominicus pastorali cura ab oppressionum incursibus sollicitius præservetur, quo plurimorum spectantium fuerit sollicitudinis studio commonitus, & temerariæ rapacitatis abusus multiplicibus fuerit acclamationibus confutatus, sacro nos ad hoc sollicitante concilio, duximus statuendum, ut curati ecclesiarum parrochialium nostræ provinciæ, detentores clericorum infra parrochiarum suarum limites constitutos sollicite monere & requirere teneantur, ut præfatos detentos clericos ab eis ordinariis suis restituant indilate. Si ab eis requisiti non adimpleverint absque mora, detentionem hujusmodi confitentes, vel cum alia detentio adeo notoria & manifesta existat, quod non possit aliqua tergiversatione celari, detentos ipsos excommunicatos a canone, in suis ecclesiis studeant publice nunciare, & eos faciant ab omnibus arctius evitari, donec a locorum ordinariis, satisfactione eisdem & passis injuriam de tantis excessibus competenter facta, vel ab aliis competentibus judicibus absolutionis beneficium meruerint obtinere, statutis synodalibus alias super hoc editis: si & prout locorum ordinariis expedire videbitur, nihilominus in suo robore duraturis.

III.

Generales citationes prohibitæ.

Item, exigit detestandæ perversitatis abusus, ut illorum audacia, qui citationum, monitionum & aliorum canonicorum processuum remediis abutuntur, & ea quæ suadente justitia ad subditorum tranquillitatem & pacem perinde adinventa fuerant, ad eorum vexationem & perturbationem convertere moliuntur, tanto districtius canonicis pungantur aculeis, & præsidentium studiosis provisionibus refrenentur, quantum per illorum scelerata facinora in ecclesiæ Dei scandalum constat perniciosius gravari sæcularium insolita & indefensa devotio, ac propter calumnias talium, ad indevotionem ascendere conspicientur, inde emanare calumnias, ubi consuevit omnis calumniarum occasio profugari: temporalibus insuper dominis ex istorum protervia damnabilis paratur occasio infringendæ non modicum ecclesiasticæ libertatis. Quapropter sacro approbante concilio, duximus statuendum, quod in nostra provincia omnibus ecclesiasticis judicibus generales citationes, quæ sub eadem forma consueverunt concedi: *Citent omnes illos & illas, quos & quas lator præsentium*, &c. intelligantur penitus interdictæ, & ab eisdem in posterum nullatenus concedantur. Quod si fortan obtentæ extiterint quoquo modo, nullius penitus sint effectus, & eis non * patiatur impingere.

* Edit. no parcatur impune

IV.

Citationes quomodo faciendæ

Statuimus insuper, quod nullus super participatione cum excommunicatis citetur, nisi primo monitus fuerit nominatim, nec scribat notarius citatorium, nisi prius monitionem viderit tam sigillo judicis, quam executoris sigillatam; ac impetrator citationis jurare teneatur, se credere quod citandi cum excommunicato participaverint in casibus a jure non permissis, & scienter, antequam citationem obtineat sæpedictam: quodque in ipsa citationis littera talis inseratur clausula, videlicet præfatum imperatorem antedictum subiisse juramentum, & in

ANNO CHRISTI 1314.

in ipsa citatione quinque tantummodo contineantur nomina personarum. Si vero postquam personæ citatæ super participatione prædicta, per earum juramenta, prout moris est se debite purgaverint, eo ipso actores, ad quorum instantiam tales citationes impetrantur, personis sic citatis super hoc instantibus & supplicantibus, nisi præfati actores contrarium legitime probare voluerint, in expensis ob hoc factis legitime condemnentur. Et si qui modo superius annotato citationem impetrantes super ipsa participatione fraudulosi reperti fuerint, pro extorquenda pecunia taliter a citatis, tamquam fures & perjuri efficaciter pro crimine puniantur.

V.

Absolutiones extortæ per vim irritæ declarantur.

Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius aut suspensionis seu etiam interdicti, per vim vel per metum extortam, præsentis constitutionis auctoritate omnino vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia, eos qui absolutionem sive revocationem hujusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

VI.

Pignorationes seu repræsaliæ prohibitæ.

Et si pignorationes, quas vulgaris elocutio repræsalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tamquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sint constitutione prohibitæ, cum earum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in his inhibentur eas concedi contra personas prædictas, seu bona ipsarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujusvis consuetudinis, quam potius abusum reputamus, a foro concessas ad illas extendi de cetero præsenti decreto districtius inhibemus. Illi autem qui fecerint, adversus personas prædictas pignorationes seu repræsalias concedendo, vel extendendo ad eas, nisi præsumtionem hujusmodi revocaverint, a concessionis vel executionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententias excommunicationis incurrant; si vero universitas ecclesiastica, ecclesiastico subjaceat interdicto.

VII.

Ne exemti ad divina excommunicatos & interdictos admittant.

Episcoporum & aliorum prælatorum querelis frequentibus & querulosis clamoribus excitati, præsenti decreto duximus statuendum, ne aliqui sæcularium aut regularium, quantocumque exemtionis, libertatis sedis apostolicæ privilegio muniti, cujuscumque ordinis, religionis, status, aut conditionis existentes, celebrent aut celebrari faciant divina, in civitatibus, castris & villis, nisi quatenus eis a jure conceditur: & ne in locis interdictis ab ordinariis seu delegatis judicibus, aut a jure excommunicatos publice sive interdictos ad divina officia vel ecclesiastica sacramenta, seu ad ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra præsumserit, præter alias pœnas a jure statutas, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus quem contemserit, satisfecerit competenter.

VIII.

Contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam.

Quoniam, ut intelleximus, quorumdam justitiariorum, ballivorum, judicum, vel sæcularium, ac temporalium dominorum, quibusdam in partibus præsumtuosa temeritas sic excrevit, ut in terris eorum sive stratibus litteras apostolicas impetrantes, vel ad judices ordinarios ecclesiasticos recurrentes super causis, negotiis seu quæstionibus, quæ de jure aut antiqua consuetudine ad forum ecclesiæ pertinent, non possint in eis per eosdem judices ordinarios, & apostolicas litteras justitiæ complementum obtinere, quin potius super illas recurrere ad judicem sæcularem, vel a causa desistere compellantur, nos justitiam nostram & ecclesiæ nostræ sponsæ nolentes negligere, qui alios in sua justitia conservamus, statuimus ne quis impetratores litterarum nostrarum, vel alios ad forum ecclesiasticum recurrentes, super causis quæ ad idem forum de jure vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur, per se vel per alios ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus litigandis agendum, per eorumdem judicum ecclesiasticorum, vel impetrantium, vel litigantium, aut litigare volentium, seu propinquorum ipsorum, seu rerum illorum aut ecclesiarum suarum etiam captionem, vel aliis modis quibuscumque compellat, aut compelli faciat, seu procuret per se vel per alium, nec impediat quominus eorum judicibus ecclesiasticis delegatis, seu ordinariis querelantes de causis, quæ, ut præmissum est, ad cognitionem pertinent eorumdem, possint justitiam libere obtinere, ut ad prædicta facienda det consilium, auxilium vel favorem. Si quis vero contra fecerit, excommunicationi se ipso facto, noverit subjacere, a qua, nisi tam judici cujus cognitioni fuerit impedita jurisdictio usurpata, quam parti quæ turbata fuerit in prosecutione sui juris, de injuriis & damnis & interesse prius per eumdem fuerit integre satisfactum, nullatenus absolvatur.

IX.

Ut temporé int rdicti pœnitentiæ sacramentum etiam sanis possit conferri &c.

Alma mater ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinavit & consulte, quæ suadente subditorum utilitate postmodum consultius revocat in meliusque commutat. Sane sicut locis ecclesiastico suppositis interdicto, nulla certis casibus exemtis..... divina officia celebrantur & ministrantur ecclesiastica sacramenta: quia vero ex districtione hujusmodi statuti excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, cum fratribus nostris deliberatione super hoc habita diligenti, concedimus quod tempore interdicti ab homine vel a jure prolati non tan-

ANNO CHRISTI 1314. 1315.

tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani quam etiam infirmi ad pœnitentiam, quæ propter pronitatem & facilitatem hominis ad peccandum summe necessaria est, licite admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti præcipimus in mortis articulo ad eamdem. Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est interdicti sententia, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium vel favorem, nisi delicto, si sit tale quod eidem satisfacere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem; aut si satisfacere nequeant, vel hujusmodi, per eos qui eam facere debent & possunt præstare, dabunt consilium, auxilium, ac juxta posse suum laborabunt fideliter, non pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum, nec tunc & quoad istos vel alios qui certamine deliquerint, nisi civitas & locus alius, seu universitas existat, interdicti facienda est relaxatio; solum interdictis injungenda pœnitentia salutaris. Addimus præterea, quod singulis diebus in ecclesiis & monasteriis missæ celebrentur, & alia divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis, & tam canonici quam clerici, quibus distributiones quotidianæ illis qui interfuerint canonice tribuuntur, si ad officia non venerint, supradictas distributiones amittant sicut interdicti, quas demum non haberent, si divinis officiis non interessent.

X.

Ut in præcipuis festis divina publice celebrentur tempore interdicti.

In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumtione Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia celebrentur, excommunicatis exclusis, & interdictis admissis qui qualiscumque ob reverentiam dictarum solemnitatum, ut ipsi ad humanitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Præfatis diebus participationem permittimus divinorum, sic tamen quod illi propter quorum excessum hujusmodi interdictum est prolatum, altare nullatenus appropinquent, ceteris quæ contra observantiam interdictorum a nostris prædecessoribus instituta sunt, in suo robore duraturis, non obstantibus quibuscumque privilegiis ecclesiarum, monasteriorum, ordinibus, religionibus, seu personis ecclesiasticis & sæcularibus, vel exemtis & non exemtis, sub quavis forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, quæ sunt contra tenorem præsentis constitutionis, nulli volumus suffragari, cum quibus tam sæcularibus quam regularibus sufficere debeat.

XI.

Ne in locis non exemtis fiant oratoria aut capellæ sine licentia.

Auctoritate sedis apostolicæ, de fratrum nostrorum consilio statuimus, quod oratoria vel capellas in locis non exemtis diœcesanorum locorum ipsorum sine licentia, exemti construere non præsumant, casibus expressis a jure dumtaxat exceptis, in locum exemtum celebrent vel celebrari faciant divina; qui si talia præsumserint, ob hoc a prælatis seu eorum ordinariis compescantur. Si quas propter hoc exemtorum ipsorum conservatores privilegiorum in eos sententias protulerint, illas penitus revocamus. Inhibemus autem ne ipsi in locis exemtis facere audeant, nisi si per hoc licentiam, & privilegium habeant.

XII.

Ne exemti hominum suorum liberorum lites suscipiant.

Speciales causas quoque sive lites proprias hominum suorum liberorum, quæ tamen ad ipsos homines pertinent, iidem exemti nomine suo, ut actores, sive ut defensores aliquatenus non assumant, etsi sunt dicti homines censuales, cum id nequaquam licitum sit eis.

BITURICENSIS PROVINCIÆ CONCILIUM

Ab Ægidio Columna archiepiscopo

Anno 1315. *habitum.*

A.C. 1315.

CONCILII hujus nomen, quod unicum superest, innotescit ex Dissertatione Historica *de ducentis celeberrimis Augustinianis scriptoribus* a P. Dominico Gandolfi Augustiniano edita; qui in Ægidio Columna hæc refert. *Provinciale Concilium celebravit in sua Bituricensi sede anno* 1315. *post Beatissimæ Mariæ Virginis Nativitatem, non sine summa spirituali utilitate Cleri & populi.* Nec plura de Concilio isto.

ANNO CHRISTI 1315. 1316. 1317.

SENONENSIS PROVINCIÆ CONCILIUM

Pro decimis, quas à clero poscebat Philippus Navarræ & Galliæ rex

Anno 1315. *celebratum*.

A.C.1315. C*Ausam, & nomen ipsum concilii latuisset, nisi servatum fuisset in charta quam ex archivo Archiepiscopatus Parisiens. exhibet Dubois Hist. eccl. Paris. to. II. pag.* 565. *ex quo hic*.

Ludovicus Dei gratia Francorum & Navarræ rex dilectis & fidelibus nostris, episcopo Parisiensi, & personis ecclesiasticis dioecesis Parisiensis salutem, & dilectionem. Cum per dilectum & fidelem nostrum archiepiscopum Senonensem ad nostram præsentiam ex parte provincialis Concilii Senonensis destinatum nobis gloriose fuerit pro vobis, aliisque suffraganeis, & personis Ecclesiasticis Senonensis provinciæ eis & vobis concessa propter magnas nostras & regni nostri necessitates una decima solvenda nobis de moneta currenti in locis, in quibus solvetur, in duobus terminis; medietate scilicet in festo Purificationis beatæ Mariæ, & alia in festo beatæ Magdalenæ proximo venturis: vel si nobis magis placuerit habere illam decimam alio tempore, dicto anno elapso, quam in dictis duobus terminis proxime venturis; tunc, præterito anno elapso, quando ipsam decimam habere voluerimus in eisdem festis Purificationis beatæ Mariæ Virginis, & Magdalenæ dicti anni, in quo prædictam decimam habere voluerimus in eisdem festis ipsa decima persolvatur, acto expresse juramento, quod nos efficaciter procuremus cum apostolica sede, vel cum executoribus deputatis ab ea ad faciendum levari decimam pro subsidio terræ sanctæ concessam, quod in eodem anno dicta decima, quæ nobis concessa est, & decima, quæ pro subsidio terræ sanctæ levanda est, aliquatenus non concurrant; & quod dicta decima nobis concessa per eos non levetur per gentes nostras, nec nostro nomine, sed per eos, seu per deputatos ab eis, adjunctis, si voluerint, & petierint dicti Prælati, & aliter non, aliquibus ex gentibus nostris ad compellendum rebelles; & quod dicta decima secundum antiquam taxationem decimæ, & a personis, & beneficiis ecclesiasticis, quæ hactenus habere decimam consueverunt, & non ab aliis, quæ decimam non consueverunt solvere, persolvatur; & quod propter præstationem, & solutionem dictæ decimæ nullum eisdem Prælatis, cæterisque personis ecclesiasticis dictæ provinciæ, nec eorum libertatibus, immunitatibus, & privilegiis præjudicium generetur; nec nobis nec successoribus jus aliquod acquiratur ad petendum, vel habendum consimilia in futurum: nos prædictam concessionem decimæ sub præmissa forma nobis factam gloriose recipimus; & ab omni periculo, & damno; si quod ab apostolica sede, vel executoribus deputatis per eam eisdem prælatis, & personis ecclesiasticis communiter, vel divisi obtentu præmissorum quomodolibet proveniret, eos indemnes & omnia supradicta nos facturos, & servaturos promittimus bona fide. In quorum testimonium sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Vicenas anno Domini MCCCXV. mense decembri.

JOANNES PAPA XXII.

Sedit ab anno 1316. *usque ad* 1334.

TARRACONENSE CONCILIUM

Anno 1317. *celebratum*.

A.C.1317. Affert Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 5. ANno Domini MCCCXVII. die Mercurii, quæ fuit VIII. calendas Martii, nos Eximinus miseratione divina sanctæ Terraconensis ecclesiæ archiepiscopus, in civitate Terraconensi provinciale concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus Martino Oscensi, Berengario Vicensi, fratre Raymundo Urgellensi, Guillelmo Gerundensi, fratre Guillelmo Ilerdensi, Berengario Dertusensi, & Petro Tirasonæ ecclesiarum episcopis & principibus, procuratoribus quorumdam suffraganeorum nostrorum, videlicet Cæsar-augustani, Pampilonensis, Calagurrensis, Valentinensis, & Barchinonensis ecclesiarum episcoporum absentium, & aliis quamplurimis viris religiosis, abbatibus, prioribus, & clericis, & procuratoribus capellanorum cathedralium ecclesiarum nostræ provinciæ in dicto concilio existentibus, habita deliberatione & tractatu ad reformationem status totius provinciæ nostræ, communi voto & affectu confirmantes constitutiones prædecessorum, sacro approbante concilio, ordinationes fecimus subscriptas.

I.

Contra Beguinos & Beguinas.

Cum in quibusdam partibus provinciæ Terraconensis seminarentur & dogmatizarentur aliqui errores & hæreses per aliquos homines & mulieres, ut per religiosum inquisitorem hæreticæ pravitatis nobis totique sacro concilio extitit nunciatum, quorum errorum & hæresum Beguini & Beguinæ dicebantur esse auctores. Volentes ne sub specie

Anno Christi 1317.

cie sanctitatis, hæresum latens venenum aspidum & insanabile corda simplicium valeat in posterum subintrare, sacro approbante concilio, statuimus, & perpetuo ordinamus, quod Beguinæ & Beguini plures quasi conventicula facientes simul non stent, nec etiam duo in eadem domo, nisi casualiter & unum diem ad plus, vel ratione consanguinitatis veræ & propinquæ, qui etiam si non essent Beguini, simul alias habitarent. Mantellos non portent, nec conjuncta præter modum communem, ne novum ritum vivendi & ab ecclesia non approbatum introducere videantur, nec audeant congregari ad legendum aliquid, dicendum vel repetendum, nisi in ecclesiis, prout aliis laicis fidelibus est permissum; & qui inaudientes reperti fuerint, excommunicentur; & si aliqui extraneæ provinciæ sub consimili habitu Beguinorum istam Terraconensem provinciam intraverint sine litteris testimonialibus illius diœcesani, a cujus diœcesi recesserunt, per diœcesanos istius provinciæ vel eorum loca tenentes vocentur, & de fide examinentur catholica, et si necesse fuerit, capiantur, etiamsi suspecti reperti non fuerint de fide, vel deponant habitum, vel exire provinciam compellantur.

II.

Ne habeant libros theologicos in vulgari.

Statuimus etiam et ordinamus, quod nullus Beguinus vel Beguina teneat, habeat et legat libros theologiæ in vulgari, nisi libros in quibus solum orationes continentur, et habentes prædictos volumus, quod ad tradendum ipsos diœcesanis per censuram ecclesiasticam compellantur.

III.

De regula tertia sancti Francisci.

Item, volentes prædictos errores a Terraconensi provincia penitus evitare, approbante sacro concilio, statuimus et perpetuo ordinamus, quod illi qui revera fuerunt de tertia regula B. Francisci, ipsam fuerint professi, simul non cohabitent, nisi prout et quantum eis ex regula per felicis recordationis dominum Nicolaum III. eis concessa est permissum, nec libros habeant theologicos in vulgari, nec prædicent, doceant aut repetant aliquid de fide, nisi in ecclesiis, prout aliis fidelibus laicis est permissum, aliis omnibus et singulis in dicta regula contentis in suo robore duraturis, quibus nolumus in aliquo derogari.

IV.

Nec exigatur votum virginitatis.

Item, sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliquis votum virginitatis ab aliqua puella exigat vel recipiat, nisi eo modo et ab illis cui et quibus de jure fieri permissum est. Mandantes universis et singulis suffraganeis nostris, ne alicui dent licentiam talia recipiendi seu etiam exigendi.

V.

De rebus ecclesiæ.

Volentes ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus quod aliquis prælatus vel clericus, cujuscumque status vel conditionis existat, bona dignitatis vel beneficii sui obligare sub sigillo regio non præsumat, et qui contra fecerit, eo ipso excommunicationis sententiæ ipsum decernimus subjacere.

VI.

Quod canonici & clerici beneficiati communicare debeant bis in anno.

Item, cum clerici exemplum et forma esse debeant laicorum, statuimus et sub virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus omnes canonici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, et alii clerici beneficiati, qui sacerdotes non fuerint, saltem communicent bis in anno, nisi ex causa de licentia proprii confessoris ea vice duxerint abstinendum. Rectores vero ecclesiarum et alii in sacerdotio constituti ad minus celebrent ter in anno.

VII.

Ut clerici tonsuram & vestes ac mores clericales induant.

Item ad reformandam in clericis honestatem, et vitandam materiam quæstionum, quæ frequenter super clericatu quorumdam inter ecclesiasticos et sæculares judices oriuntur, statuimus, eodem concilio approbante, quod omnes clerici conjugati, vel alii in minoribus ordinibus constituti, volentes gaudere privilegio, infra tres menses a præsenti ordinatione inantea suo episcopo vel officiali, si in ejus civitate vel diœcesi fuerit, vel alias infra mensem cum redierit ad easdem, personaliter se præsentent, facientes scribi nomina eorumdem, & moneantur nominatim per eumdem episcopum vel officialem, quod tonsuram congruam & vestes deferant clericales, & abstineant a negotiationibus & aliis actibus inhonestis & specialiter carnificum seu macellorum aut tabernariorum officium publice et personaliter non exerceant, nec tafuraneas teneant, nec in eis etiam conversentur, contractus usurarios non exerceant. Bastaxii, mimi, histriones vel lenones, carbonerii seu fornerii, cursarii seu piratæ, nisi forsan contra infideles, vel sagiones curiæ sæcularis non existant, nec se guerris voluntarie immisceant, nisi pro defensione sua vel ecclesiæ. Qui si taliter moniti ab his non destiterint infra mensem, quamdiu præmissis vel alicui præmissorum institerint, pro clericis minime defendantur. Curent insuper episcopi taliter punire seu puniri facere clericos delinquentes, ne prætextu timoris pœnæ aliquis præsumat allegare seu assumere clericatum.

Expliciunt constitutiones.

AD

AD CONCILIUM PROVINCIALE LONDINENSE

Anno 1321. habitum

ADDITIO.

„ PRoviniale concilium anno 1321. ad „ diem 1. decembris Londinum indi„ ctum circa tempus illud reipsa conveniffe „ quamvis non fatis demonftrat Labbeus; „ ex iis quæ inferius afferentur fatis con„ ftabit. An vero conftitutiones illæ quas „ inter acta ejusdem concilii ex Spelmanno „ recitat Labbeus, reipsa ad archiepifco„ pum Cantuarienfem Walterum, feu potius „ ad Simonem, ut eft in MSS. quibusdam, „ five ad Stephanum, cui vindicant codices „ alii, pertineant nemo certo definierit; „ ficut nec fatis conftat utrum a concilio „ Londinenfi anno 1321. feu potius ab al„ tero Oxonienfi fuccedentis anni conditæ „ fint. Etfi tamen concilio huic minime tri„ buantur, funt tamen hujus pariter concilii „ acta alia, quæ in Labbeo defunt, hic ve„ ro ex Wilkins to. II. pag. 507. dantur.

Ad celebrandum concilium totius provinciæ Cantuar. archiepifcopus mandatum emifit, quod cum executione ejusdem hic fequitur.

Ex reg. Adæ de Orton, ep. Hereford. fol. 55.

Reverendo patri in Chrifto, &c. Adam, &c. Mandatum venerabilis patris domini S. Dei gratia London. epifcopi II. calend. decembris in crepufculo recepimus tenoris, & content. infrafcript. Venerabili in Chrifto patri domino A. Dei gratia Ereford. epifcopo, S. ejusdem permiffione epifcopus London. falutem, & finceræ dilectionis continuum incrementum. Literas & mandata reverendi in Chrifto patris & domini, domini W. Dei gratia Cantuar. archiepifcopi, totius Angliæ primatis, 18. calend. decemb. recepimus in hæc verba: Walterus permif- D fione divina, &c. venerabili fratri domino S. Dei gratia London. epifcopo, falutem, & fraternam in Domino charitatem. Non fine magnæ follicitudinis ftudio dedimus hactenus operam, & adhuc libenter impendimus operofa profecutione labores, ut de multiplicibus hujus regni turbationibus, quas per aliqua tempora difpendiofe pertulit, ad pacis gaudia idem regnum redeat & quietis. Cum enim mente revolvimus, quanta pericula ecclefiæ Anglicanæ, viris ecclefiafticis, & cæteris regni incolis in promptu fe offerunt his diebus, profecto tanto graviore commotione concutimur, quanto regnum ipfum, quod ab olim pacis pulchritudine E gaudere confueverat, noftris jam temporibus guerrarum diffidiis expofitum, inteftini belli difcrimine naufragari pertimefcimus, nifi divina opitulante clementia his præfidio occurratur celeriter opportuno. Ut autem animarum, ac corporum, atque rerum imminentibus difpendiis obvietur, & pacis tranquillitas extra fuos terminos his diebus, proh dolor! exulata, ad debitæ reducatur reconciliationis amplexus, eo promptius eoque ferventius ad pacem hujufmodi procurandam ftudia noftra habemus apponere; quod id fub gravibus pœnis per facros canones prælatis eft commiffum, tepiditate quacunque fepofita, mutuo ipforum interveniente confilio, diligentius exequendum. Volentes igitur in habendo fuper hiis tra- B ctatu, in quibus omnium ac fingulorum caufam agi confpicimus, veftro, ac cæterorum fratrum noftrorum coepifcoporum, ac cleri totius noftræ Cantuar. provinciæ in concilio, quod ex caufis præmiffis, urgentiffimis, ac notoriis ex deliberato confilio cum quibusdam fratribus noftris jam præfentibus convocand. duximus, confilio ac auxilio perpotiri, & in ipfis procedere juxta tractandorum qualitatem negotiorum, & facrorum, ut præmittitur, canonum inftituta; vobis in virtute fanctæ obedientiæ firmiter injungendo mandamus, quatenus omnes & fingulos coepifcopos, fuffraganeos noftros provinciæ noftræ Cant. peremptorie citetis, C & per ipfos epifcopos fingulos in fuis diœcefibus decanos, & priores ecclefiarum cathedralium, archidiaconos, abbates, & priores alios fuos conventus per fe regentes, exemptos & non exemptos ac eorum conventus, totumque clerum, prout fingulis fubeffe nofcitur, peremptorie citari faciatis, & curetis, quod dicti fratres noftri, & ipforum finguli decani, & priores ecclefiarum cathedralium, ac archidiaconi finguli perfonaliter; finguli vero abbates & priores conventus per fe regentes, exempti & non exempti, ac fingula capitula, & conventus finguli per unum, clerufque cujuslidiœc. per duos procuratores fuper præmif- fis, & aliis, ftatum ecclefiæ Anglicanæ, & totius regni concernentibus, in ipfo concilio pertractand. una nobifcum, & cum cæteris fratribus tractaturi, primo die menfis Decembris in ecclefia fancti Pauli London. de mane fufficienter compareant, cum continuatione & prorogatione dierum fubfequentium, confilium, auxilium, & affenfum ordinandis, faciendis & ftatuendis ibidem ad laudem Dei, populi quietem, & utilitatem totius reipublicæ falubriter impenfuri, facturi & recepturi in eodem concilio ulterius, fecundum tractandorum naturam, quod ecclefiæ atque regni hujus faluti congruit & quieti; fratribus noftris & perfonis fuperius nominatis expreffe denunciantes, quod contra ipfos non comparentes, & in pacis profecutione negligentes, ad quam quilibet noftrorum fratrum ex injuncto canonis fub gradus fui amiffionis pœna tenetur, quantum nobis a jure permittitur, puniendo procedemus, ipfofque in hiis, in quibus noftra fe jurifdictio non extendit, de tam damnabili negligentia deferemus fine mora. Terminum vero comparitionis taliter abbreviari oportuit propter imminentia, & no-

ANNO CHRISTI 1321.

notoria pericula, quæ ad hujus regni desolationis miseriam tendere dignoscuntur, & dilationem ulteriorem non expetunt, nisi competenti remedio eisdem celerius occurratur; vos etiam prædictum nostrum mandatum, quantum vos decanum, & capitulum vestrum, archidiaconos, & abbates, priores, conventus, & clerum vestrum contingit, per omnia fideliter faciatis ac etiam observetis. Et ne mandatum nostrum hujusmodi arte, ingenio, aut negligentia deludatur, vobis, ut supra, injungimus, quod coepiscopis nostris, & suffraganeis omnibus & singulis consimiliter injungatis, ut singuli ipsorum de suis executionibus cum citatorum nominibus plene nos certificent die & loco prædictis, quatenus ad eos attinet secundum formam superius annotatam. De die vero receptionis præsentium, & quid de executione præsentis mandati feceritis, nos ad dictos diem & locum distincte & aperte certificari curetis per literas vestras patentes, harum seriem, & citatorum nomina plenarie continentes. Dat. apud Lamheth 18. calend. Decembris, anno Domini MCCCXXI.

Cupientes igitur dicti patris mandatum cum reverentia debita exequi, ut tenemur, vos tenore præsentium peremptorie citamus, ac per vos cæteras personas, de quibus supra fit mentio, quatenus vestram dioec. contingit, citari volumus & mandamus, quod compareatis & compareant dictis die & loco, factur. cum continuatione & prorogatione dierum, quod dicti patris mandatum exigit & requirit. Et quid in præmissis feceritis, præfatum patrem eisdem die & loco, una cum citatorum nominibus, certificetis certis literis patentibus, habentibus hunc tenorem. Dat. apud Stebenheath 17. calend. Decembris, anno Dom. supradicto. Hujus igitur auctoritate mandati omnes illos, quorum nomina in schedula præsentibus annexa continentur, citari fecimus, secundum exigentiam vestri mandati prædict. Cumque propter temporis brevitatem, & inundationem aquarum insolitam clerus nostræ dioec. cum ea, qua mandastis, celeritatem non potuit congregari, super executione dicti mandati, circa quam velde contingentibus, quatenus nobis fuit possibile, est omissum, vestram paternitatem ad primum diem decembris certificare non potuimus, ut mandastis, super quo vestra benignitas nos habere dignetur favorabiliter excusatos. Dat. apud Bosour. 3. calend. decemb. anno Dom. supradicto.

Excusatio episcopi Hereford. de non veniendo ad concilium.

Ex reg. Adæ de Orleton, episc. Hereford. fol. 55.

Reverendo in Christo patri domino W. Dei gratia Cantuar. archiepiscopo &c. Adam, &c. Licet ad pacem regni, & tranquillitatem procurandum, & firmiter tenendum consilium & auxilium parati semper simus summopere exhibere; quod tamen sacro concilio vestro primo die mensis decembris in ecclesia sancti Pauli London. convocato, occurrere personaliter non valemus, justis & urgentibus necessitatibus multipliciter impediti, venerabilem virum magistrum A. Murymouth, juris civilis professorem, & canonicum nostræ ecclesiæ Herford. ac dilectum filium dominum R. de Prynton, rectorem ecclesiæ de Aks nostræ dioec. & eorum alterum, ad nostram absentiam excusandum, nostros certos nuncios ad vestram venerabilem præsentiam destinamus; ac ipsis & eorum alteri vices nostras committimus, ad tractandum super propositis in dicto concilio, & consentiendum hiis, quæ ad laudem Dei, ecclesiæ tranquillitatem, & regni pacem, ac totius reipublicæ utilitatem in præfato concilio ordinata fuerint seu statuta. Dat. apud Bosbury 3. calendas. Decembris, anno Dom. MCCCXXI.

Litera regis episcopo Exon. missa in causa Hugonum le Despenser.

Ex reg. Stapledon Exon.

Edwardus, Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, & dux Aquitan. venerabili in Christo patri Waltero, eadem gratia episcopo Exon. salutem. Cum Hugo le Despenser senior, & Hugo le Despenser junior, nuper ad prosecutionem quorumdam magnatum de regno nostro per quandam considerationem per ipsos factam ab eodem regno exulati fuissent & exhæredati, ac iidem Hugo & Hugo postmodum per petitionem suam nobis porrectam nobis suggesserint, quod in consideratione prædicta plures errores intervenerint; quorum prætextu dicta consideratio revocari & adnullari de jure debet; & nobis cum instantia supplicaverunt, ut nos ad vinculum juramenti per nos præstiti tempore coronationis nostræ, necnon ad tenorem magnæ chartæ de libertatibus Angliæ, qua sententia excommunicationis confirmatur, & in qua continetur, quod nulli negabimus aut differemus rectum aut justitiam, necnon ad ordinationes nuper per prælatos & proceres dicti regni nostri factas, & per nos approbatas, ac de voluntate & mandato nostro juratas, in quibus etiam continetur, quod dicta magna charta in singulis suis articulis observetur; debitam considerationem habentes prædicti Hugonis & Hugonis, justitiam in hac parte fieri, & errores prædictos debito modo corrigi & emendari faceremus: quam quidem petitionem venerabilibus patribus W. archiepiscopo Cantuar. episcopis, & aliis prælatis, & clero Cantuar. provinciæ, in provinciali concilio tunc apud London. existentibus, fecimus liberari, eis in fide & ligeancia, quibus nobis tenentur, firmiter injungentes, quod diligentius examinatis in eadem petitione contentis, nobis consulerunt, quid inde de jure facere debemus; ac iidem archiepiscopus, episcopi, & prælati tunc in eodem concilio præsentes pro se, & procuratores cæterorum episcoporum ejusdem provinciæ absentium nobis responderunt, quod habito avisamento pleniori super negotio prædicto, eis videbatur considerationem prædictam, quantum ad exilium & exhæredationem prædictorum Hugonis & Hugonis, erronee factam fuisse totaliter & injuste, per quod ipse archiepiscopus, & episcopi, ut patres spirituales, nobis cum in-

ANNO CHRISTI 1321. 1323.

instantia supplicarunt consulendo, & ut pares regni nostri, concordarunt, & unanimiter assensum præbuerunt, ut nos considerationem prædictam ita erronee, & contra Deum & justitiam factam revocare & adnullare faceremus; adjicientes, quod nec ipsi, nec aliquis eorum considerationi prædictæ unquam consenserint seu consenserit; sed quod unusquisque eorum tempore considerationis supradictæ factæ, protestabatur in scriptis, se nolle nec posse eisdem consentire: nosque postmodum petitionem & responsionem supradictas coram nobis in præsentia prælatorum & cleri prædictorum, immo & dilectorum & fidelium nostrorum Edmundi, com. Cantuar. fratris nostri, Jo. de Britann. Richmund. Adomari de Valentia, Pembroch, Edmundi Arundel, comitum, ac aliorum procerum regni nostri nobis tunc assistentium, de assensu eorundem publice recitari fecerimus; qui quidem comites & proceres responsionem prælatorum & cleri prædictorum super præmissis in omnibus concordarunt, & nobis una cum prælatis prædictis supplicarunt, ut nos considerationem prædictam revocari & adnullari faceremus, & ad hoc assensum suum præbuerunt; dictique Richmund. Pembsoch, & Arundel comites asseruerunt, quod assensus, quos considerationi prædictæ adhibuerunt, fecerint præ timore posse indebita pati, * quod dicti magnates in consideratione prædicta subito ipsis ignorantibus duci fecerunt: A ac nos similiter habito cum justitiariis nostris, & cæteris de concilio nostro, super præmissis tractatu diligenti, iidem justitiarii & cæteri asseruerunt considerationem prædictam contra legem & consuetudinem regni nostri fuisse factam; nos, pro eo quod in dicto concilio absentes fuistis, volentes, certiorari, utrum vobis videatur, quod responsiones, consilium, requisitio, & consensus per prædictos archiepiscopum & prælatos in dicto concilio tunc præsentes, & per prædictos comites & proceres, ac cæteros de concilio nostro super negotio prædicto sic facta, rite facta fuerint, & utrum eisdem responsionibus & consilio, quantum in vobis est, consentire volueritis, necne; B vobis mandamus in fide & ligeancia, quibus nobis tenemini firmiter injungentes, quod habita deliberatione super præmissis, de eo, quod inde senseritis, & facere volueritis, ac per nos consulitis fieri in eisdem, per vestras patentes literas sine dilatione qualibet rescribatis, remittentes nobis hoc breve. Teste meipso apud Wigorn. 4. die Januar. anno regni nostri XV.

Deest aliquid

Summa respons. episcopi Exon.

Se in ea esse sententia, considerationem non fuisse quoad exilium & exhæredationem Hugonum rite factam, & posse revocari; C sed hoc optime fieri debere in parliamenteo, prout ibidem prius facta fuerat.

CONCILIUM APUD PERTHUM IN SCOTIA

Anno 1321. *habitum.*

Vert Wilkins II. pag.

MEnse Julio hujus anni concilium ecclesiarum Scoticarum apud Perthum habitum fuisse meminerunt rotulæ regis Roberti I. n. 85. in collect. comitis de Panmure, p. 65.

TARRACONENSE CONCILIUM

Anno 1323. *celebratum.*

I.

C. 1323. Affert Mart. Vet. Mon. t. I. pag. 9. ex MS. Colb.

EXiminius *in secundo concilio celebrato Terraconæ, VIII. cal. Feb. MCCCXXIII. contra diffidantes prælatos & personas ecclesiasticas.*

Prædecessorum nostrorum qui condemnaverunt diffidari prælatos et personas ecclesiasticas, vestigiis inhærentes, sacro approbante concilio, statuimus, ut si quis deinceps, cujuscumque status vel conditionis existens, diffidaverit seu aculendaverit diffidari, seu aculendari fecerit aut procuraverit, publice vel occulte archiepiscopum vel episcopum, vel eorum officiales, vel prælatum, aut religiosum, vel alium clericum beneficiatum in sacris ordinibus constitutum, seu prædictorum occasione homines et loca eorum ministrationi commissa, sive in hac scienter dederit consilium, auxilium vel favorem, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrat, et denuntietur excommunicatus quotidie, dum in excommunicatione perstiterit, pulsatis campanis, et candelis extinctis, et nihilominus terræ seu castra ipsius, si quæ habuerit, eo ipso subjaceant ecclesiastico interdicto, a qua sententia nullatenus absolvatur, nec interdictum ipsum relaxetur, donec de injuria et damnis propterea irrogatis satisfecerit competenter. Quod si clericus, cujuscumque status vel conditionis existens, aut religiosus in his deliquerit, si beneficium vel administrationem obtineat, præter poenas prædictas, a beneficiis omnibus et administratione sit eo ipso privatus. Si vero beneficiatus non fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, donec secum super hoc per sedem apostolicam fuerit dispensatum.

II.

Contra laicos invadentes jurisdictionem ecclesiasticam.

Ecclesiastica jurisdictio a sæculari distincta esse

ANNO CHRISTI 1324. 1327.

esse dinoscitur, et una per alteram impediri non debet, sed potius adjuvari. Quia vero nonnulli sæculares judices statuta canonum circa hæc edita contemnentes, clericos et alias personas ecclesiæ super rebus et causis injuriose coram se compellunt in judicio litigare, et alias personas recurrentes ad ecclesiasticum forum super causis quæ ad idem forum de jure vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum compellunt, sacro approbante concilio, statuimus, et universis prælatis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus statutum felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. quod incipit: *Quoniam ut intelleximus*, in suis episcopalibus synodis ac in ecclesiis etiam suarum diœceseon ubi expedire viderint, faciant publicari, prædictosque judices excommunicatos publice nuntiari.

SENONENSE CONCILIUM IN SCOTIA

Anno 1324. celebratum.

A C.1324 Affert Wilk. Conc. Brit. t. II. pag. 524.

MEnse Martio hujus anni ecclesiarum Scoticarum concilium celebratum fuisse apud Sconam constat ex Chartulario Palsguiensi. h. a.

AD CONCILIUM AVENIONENSE

In quo Nicolaus V. antipapa damnatus, & quæstio utrum Christus & Apostoli proprii aliquid habuerint discussa, Anno 1327. habitum

ADDITIO.

A.C.1327. „ IN Vaticana Bibliotheca codex 3140. „ membranaceus hunc præfert titulum. „ *Dicta .... in quæstione de bonis & usu* „ *Christi & discipulorum seu apostolorum se-* „ *cundum ordinationem libri qui habet quin-* „ *que partes, in quarum tertia sunt meri* „ *cardinales num. XIV. in quarta meri epi-* „ *scopi seu prælati*. Continet vero Codex ille „ sententias episcoporum & doctorum viro- „ rum pro concilio isto Avenionensi dictas. „ Ex his portionem recitat P. Peterffy in „ append. ad tomum primum conciliorum „ Hungariæ pag. 290.

SENTENTIÆ EPISCOPORUM HUNGARIÆ

In Congregatione Avenionensi super quæstione: Utrum asserere Christum & apostolos aliquid habuisse commune, sit hæreticum?

DICTA FRATRIS AUGUSTINI EPISCOPI ZAGRABIENSIS.

IN subjectis quæstionibus intentionis meæ est, non ea repetere, quæ ab aliis dicta sunt, sed quæ dici rationabiliter potuerunt, breviter insinuare, nihil intendens majorum authoritati, vel manifestæ rationi contrarium dicere, vel etiam meliorum opinionibus derogare. Utrum asserere Christum, et Apostolos nihil habuisse in communi sit hæreticum? hic primo videndum est utrum necesse sit dicere Christum, & apostolos aliquid habuisse in communi. Secundo qualiter intelligi debeat hoc verbum: *habuisse, & quæ habuerunt*. Tertio; quia ad hoc facere videtur, utrum paupertas, de se, sit perfectio? Quantum ad primum, videlicet, utrum Christus, & Apostoli aliquid habuerint in communi? quia scriptura Canonica dicit eos habuisse Joan. 12, *Judas, fur erat & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat*.

Item 13. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei JESUS Eme ea, quæ opus sunt nobis, ad diem festum*. Secundo. Certum est autem, quod eos loculos, & quæ in loculis mittebantur, Judas non habuit ut fur; sed ut procurator Domini, ad ejus imperium conservando. Item ait: 2. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*. Item Paul. ad Phil. 4. *Habeo omnia & abundo*. Item 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Etiam SS. PP. in hac materia vocabulo *habendi* simpliciter utuntur, ut patet per Aug. in libro de opere Monachorum. Item in gloss. super. 1. ad Corinth. 9. & per diversa Decreta, quod necesse sit dicere: Christum, & Apostolos aliquid habuisse in communi, & contrarium asserere, temerarium sit, & incautum; etiamsi posset aliquibus adinventionibus ad veritatem reduci. His autem contrarium videtur; quia Discipuli Domini famis necessitate de vulsis spicis confricata grana manducabant. Matth. 12. Luc. 6. Quod videtur significare non eos habuisse, unde emerent. Item solvendum didrachma in ore piscis quæsiisse Petrum de mandato Domini Mat. 17. quod videtur non fecisse, si unde solveret, habuisset. Ad quæ rationabiliter responderi videtur; quia, & tunc non habuerunt, alia tamen scilicet cum emebant. Joan. 9., vel emere tentabant, Marc. 6., habuisse probantur. Nec est mirum, si peculium dico, quod certum, & jugem habebat exitum, & nec jugem nec certum ingressum, aliquando deficiebat; probabile satis est Dominum Salvatorem ea, quæ oblata, ut pauper, recipiebat, humiliter pro suis, suorumque, ac aliorum indigentium necessitatibus liberaliter expendisse.

Quod etiam objicitur: Crucifixores ejus, præter vestes nihil aliud, quod dividerent, in-

inveniſſe; ſic ſolvi videtur: Quia is qui pecuniam habebat, ſi quæ forte ſupererat, non cum Domino ſpoliandus remanſerat, ſed magis ſpoliantibus hoſtibus fuerat ſociatus. Quæ autem habuerint, & quomodo nomen habendi intelligi debeat, ſciendum: quod Dominus noſter JESUS Chriſtus, quia tempore manifeſtationis ſuæ, circumeundo per Civitates, & Caſtella continuæ prædicationi ſe dedicaverat. Luc. 9. *& aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum DEI, quia ideo miſſus ſum*. Et Luc. 8. *Ipſe iter faciebat per civitates & Caſtella, prædicans, & evangelizans Regnum DEI*, ideo nullam certam domum, nec aliam rem immobilem habuit: Mat. 8. & Luc. 9. *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. De tempore vero ante ſuam manifeſtationem præter id, quod et ſcriptum haberi poteſt, aliquid afferere temerarium puto. Dicitur autem in Nazareth fuiſſe nutritus. Luc. 9. et ibidem habitaſſe Mat. 2.; et illuc a templo rediiſſe Luc. 2.; unde et patria ſua appellata eſt. Mat. 6.; ſicut, et Bethſaida Andreæ, et Petri. Joan. 1. a qua Nazareth etiam Nazarænus vocatus eſt. Inde etiam parentes ejus in Bethlehem aſcendiſſe dicuntur. Luc. 2. Ubi, ſi dicatur ante manifeſtationem in Parentum domo habitaſſe, nullum inconveniens video juxta illud Luc. 2. *Deſcendit cum illis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Niſi forte alius etiam, Joſeph, et Mariam domo caruiſſe, animoſe velit contendere, contra id, quod ſcriptum eſt. Luc. 1. *Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam*. Unde et de Chriſto dicit Gregor in Homil. ſuper illud Luc. 2. *Exiit edictum*. Non in Parentum domo, ſed in via naſcitur, ut profecto oſtenderet, quia per humanitatem, quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur. Non obſtat, quod Chryſ. dicit in Homil. de ſtella magorum: magos inveniſſe pandochium tenebroſum, et ſordidum, et matrem Chriſti vix tunicam unam habentem, quia loquitur declamative, ac ſi ibi puerum inveniſſent magi, ubi paſtores invenerant, quæ utique domus parentum ejus non erat, cum hoc clare per ſcripturam habeatur, quod tempore prædicationis ſuæ, et uſque ad mortem, loco, domoque caruerit. Ex quo conſequenter haberi poteſt, eum etiam utenſilia, quæ non niſi in domo conſervari poſſunt, minime habuiſſe, et maxime cum talia, quibus ipſe humilibus utebatur in hoſpitiis, faciliter inveniantur.

Reſtat ergo quantum pro Domino noſtro JESU Chriſto in vita mortali degente, ac ipſius ſocietate, de tegumento corporis ſolum, atque pecunia, vel his, quæ uſu conſumuntur, quæſtionem haberi. Nec obſtat, quod dicitur domus Simonis Matth. 1. et Luc. 9. quia et ea domus ſi Petri fuit, in his omnibus intelligitur, de quibus dicit Petrus Mat. 19. *Ecce, nos reliquimus omnia*, ſicut Aug. dicit, de omnibus Apoſtolis ſuper illo Joan. 19. *Accepit eum Diſcipulus in ſua*. Sed forte mutando dictum, retinuit nomen antiquum; aut alio modo, quibus in humanis rebus fieri ſolet, a Petro denominabatur. Ut aut poſt Aſcenſionem Domini, Apoſtoli, qui aliquoties in uno loco diutius morabantur, ſicut Jacobus Jeroſolymis, ubi Epiſcopus ordinatus fuerat, et Saulus, et Barnabas Antiochiæ, anno toto Act. 1. et L. 9. Item Paulus Corinthi per annum cum dimidio Act. 18. domum vel locum ſpecialem habuerint, non occurrerit de ſcriptura ſacra, niſi quod habetur Act. ultimo. *Manſit autem Paulus biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum*. De quo Paulo etiam legitur, quod penulam reliquerit apud Carpum, conſervandam utique, itemque libros, et membranas ſecum deferri jubet, 2. ad Timoth. 9. Quæ idcirco poſui, ut conſtet Apoſtolos non modo victui neceſſaria, ſed etiam ſuis officiis expedientia habuiſſe. Quantum ergo ad id tempus, quo Chriſtus cum Diſcipulis in hac mortali vita dimoratus eſt, ſatis clarum videtur, non eſt aliud, quam indumenta neceſſaria, pecuniam, et res, quæ uſu conſumuntur, habuiſſe. Nunc igitur quæritur; hæc eadem, quæ eos habuiſſe, ſupra probatum eſt, qualiter habuerunt. Et quantum ad propoſitum attinet, res aliqua tribus modis haberi poteſt; ſcilicet proprietate, uſufructu, & ſimplici rei uſu. Quidam autem addunt quartum modum, quem vocant facti uſum; vocantes facti uſum, per quem nihil mihi in re competit, antequam ea utar actu, nec poſtquam uſus fuero, ſi quid forte de ſubſtantia rei remanſerit, ſed tantum in ipſo actu utendi, quo modo ſolo dicunt Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, et Apoſtolos ejus, res neceſſarias habuiſſe. Sed cum ea, quæ Dominus noſter, et Apoſtoli habebant, conſervarent, juxta quod dicit Aug. ſuper illo Joan. 13. *Loculos habebat Judas*: item adminiſtrarent; Theophilactus ſuper illo Joan. 12. *Fur erat, & loculos habens*, dicit: quidam vero adminiſtrationem pecuniæ ſuſcepiſſe Judam fatentur, tanquam minimum omnium. Item diſtribuebant Jo. 13. ut egenis aliquid daret. Ubi dicit Chryſ. Qui non peram, non virgam, non non æs jubet deferre, loculos ferebat ad inopum miniſterium. Act. 4. *Dividebatur ſingulis prout opus erat*. Item emere poterant. Mar. 6. *Euntes emamus denariis panes, & dabimus turbis manducare*. Joan. 4. *Diſcipuli JESU abierunt in civitatem, ut cibos emerent*, Et 13. *Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*. Licet autem hoc non directe mandatum a Domino, ſed ex opinione Diſcipulorum inducatur; eos tamen non aliud opinari arbitror potuiſſe, quam quod videre ſoliti fuerant. Item poterant vendere. Luc. 22. *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*; non quod his verbis Dominus noſter Diſcipulos ſuos gladio martiali armare voluerit, quibus ſtatim gladii uſum prohibuit. Mat. 29. et Joan. 18. *Converte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*; ſed tantum imminentem perſecutionem ſignificare. Hoc tamen dicebat eis et hoc ipſi audiebant, quod legitime ſe facere poſſe, cum ipſo converſati didicerunt, & iſta ad rei dominium pertinere videantur; ſatis apparet eos, ea, quæ habebant, pleno jure in communi poſſediſſe; privatam enim proprieta-

Anno Christi 1327.

tatem excludit, id quod dicit Dominus. Luc. 15. Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus. Item Mat. 19. et Marc. 10. dixit Christus adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me*. Et infra respondens Petrus dixit ei: *Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Per quæ verba et jubentis Domini, et pro omnibus profitentis Petri, satis clarum existimo, privatæ possessionis dominium a schola Domini abdicatum. Hoc enim valet ad probandum, eos habuisse totum dominium: quod in rebus illis, quæ Dominus noster, aut Apostoli habuerunt, furtum committi poterat. Joan. 12. Judas fur erat, et etiam fraus. Act. 9. *Vir autem quidam nomine Ananias cum uxore sua Saphira vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri conscia uxore sua*. Sed dicunt illi, quod earum rerum, quarum Christus, & Apostoli facti usum habebant, alius extra eorum societatem Dominus erat; cujus vel concessione, vel permissione, ea, quæ supposita sunt, cuncta gerere poterant. Quod cum de scripturis probare non possint, satis periculosum existimo in re tanta, solis suspicionibus quantumcunque subtili ingenio coloratis definire. Et cum ex hoc inferre videantur hanc propositionem esse simpliciter veram: Dominus JESUS Christus & Apostoli nihil habuerunt; contra tot sacræ Scripturæ testimonia, profanatam credo vocum novitatem, quam Apostolus vitare jubet, Ad Tim. 6. Non enim apparet; quid perfectionis afferat, alienæ rei conservationem, atque ministerium, sollicitudinemque suscipere potius, quam rem suam utiliter dispensare. In facultatibus enim amor, & sollicitudo superflua, non usus necessarius reprobatur. Dicunt præterea hunc facti usum esse duplicem, scilicet quotidianum, & promiscuum. Appellantes quotidianum usum, actum utendi pro illa vice; promiscuum vero, cum ad eundem usum res tempore aliquo conservatur. Et primum dicunt esse de statu perfectionis; secundum vero ad imperfectionem pertinere. Ipsum autem Dominum, & Apostolos usum quidem quotidianum ex statu suo habuisse; usum vero promiscuum, propter necessitatem aliquam, dispensative admisisse, ad quod facere videtur illud Matt. 6. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo cooperiemur? hæc enim omnia gentes requirunt*. Sed cum ea, quæ supradicta sunt de rerum usu, seu dominio, collecta de Evangeliis, diversis inveniantur acta temporibus; itemque necessariorum provisionem per collectas responsiones, & deportationes, Paulus Apostolus tanta sollicitudine egerit, ut patet 1. ad Corint. 16. & 2. ad Cor. 9. & ad Phil. 4. Hocque quasi in munus, & officium acceperit, ut patet ad Galat. 2. Non dispensative quasi imperfectionis actum, ut dicunt, sed velut perfectioni suæ in nullo derogantem peregit. August. etiam, cum tanta de ista necessariorum providentia locutus sit in libro de opere Monachorum, nusquam eam de antiqua imperfectione notavit. Ubi &

A ad supradictas auctoritates expresse respondere videtur per illa verba: non hoc noluisse Dominum, ut nihil servaretur imposterum; sed hoc potius, ne pro timore defectus necessariorum, commissum sibi prædicationis officium negligerent, aut ad terrena commoda consequenda prædicationem ordinarent. Est autem considerandum, quod licet Dominus noster JESUS Christus infirmitatem nostræ carnis assumpserit, suæ tamen Divinitatis plenitudinem non amisit. Unde & ex potestate poterat non esurire, & Angelos habere ministros, propter quod pro sua persona loculis non indiguit. Sed quia Apostoli, & alii Discipuli homines tantum erant, ideoque infirmiores, loculos habere

B ad eorum sustentationem admisit.. Et hoc est, quod dicit Aug. libro de opere Monachorum; Dominus noster more naturæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quo mitteretur pecunia, quæ conferebatur utique bonis fidelibus, eorum victui necessaria, quos loculos Judæ commendavit. Hæc Aug. Infirmitatem autem hic non status imperfectionem, sed communis conditionis fragilitatem accipere possumus. Sicut dicit Apostolus ad Rom. 8. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et ad Galat.

C 4. Scitis, quod per infirmitatem carnis evangelizavi vobis. Sed posset aliquis quærere: si ea, quibus utebantur Apostoli, ipsorum erant, cur prohibeantur etiam judicio defendere? Mat. 9. Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium. Eodem modo prohibebantur repetere Luc. 6. *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Ad quod dicendum est: quod præcepta hujusmodi non videntur data in exercitium operis, sed in animi præparationem; quod etsi ea ad literam servari debere aliquis adstruat, & ipsis manifestum est, rem illius esse, a quo aufertur, quia dicit: tunicam tuam; & ea, quæ tua sunt; & ta-

D men in judicio pro eis sive defendendis, sive repetendis prohibetur agere: non quia eis ista de jure competant, sicut de rebus suis, sed ad auferendam inquietam sollicitudinem, cum qua causæ tractantur, & perfectorum virorum patientiam prorogandam. Neque enim ideo dicitur, ut percutienti maxillam aliam præbeamus, quia maxilla nostra non sit, sed ut servorum DEI, tanto sit patientia dignior, quanto in rebus familiaribus illam novit injuriam æquanimiter tolerare. Ad quod non perfectos tantum, sed omnes hortatur Apostolus ad Cor: 6. Omnino delictum est in nobis, quod judicia habetis in vobis, quare non magis fraudem patimini. Apo-

E stoli igitur, ne quod spiritualibus exercitiis præstarent impedimentum, vel se de rerum cupiditate notabiles redderent; standi in judicio, seu contendendi pro rebus temporalibus, aut etiam cum nimia instantia exigendi, merito a se sollicitudinem abdicarunt. De tertio, scilicet de paupertate, utrum ipsa per se sit perfectio, vel perfectionis instrumentum. Quia per Venerabilem Doctorem tam copiose, ac rationabiliter disputatum

ANNO CHRISTI 1327.

tum est, quod satis crederem ad quæstionis veritatem sufficere: propter eos tamen, qui ad probandum Christum, aut Apostolos nihil habuisse, hoc vel pro primo fundamento videntur assumere paupertatem perfectionem esse, & summam paupertatem, summam perfectionem; ac per hoc dominum nostrum summe pauperem debuisse existere, cum ei nulla desit perfectio, conabor ostendere paupertatem per se perfectionem non esse. Cum enim paupertas voluntaria non dicat aliud, quam possessarum abdicationem, tanto erit paupertas major, quanto plus a se possessas res abdicaverit, ut puta secundum superius positam distinctionem: qui rei proprietatem, & dominium abdicat, pauper est; qui proprietatem & dominium, & usumfructum pauperior; qui cum hoc etiam simplicem rei usum, adhuc pauperior. In summo vero pauper erit, qui et ipsum facti usum a se abdicaverit. Sed abdicare facti usum omnino non virtus, sed vitium est, cum sit contra naturam, et ad proprii subjecti tendat corruptionem. Igitur summa paupertas non est optimum, ergo nec paupertas dici poterit per se bonum. Sed dicant aliqui, ista vera est. Quanto paupertas major, tanto melior, servata in paupertate ratione virtutis. Fatentur igitur posse esse paupertatem, et non esse virtutem. Igitur paupertas de se non est perfectio. Ea enim, quæ per se sunt, a subjectis separari non possunt. Præterea ipsi dicunt, quod summam paupertatem professi, ratione imminentis personalis necessitatis, possunt facere actum illi summæ paupertati contrarium, scilicet non necessaria conservare, quod ut dicunt, est actus imperfecti status: Contra quos sic Aug. Professus virginitatem etiam in mortis periculo in ejus observantia dispensationem non recipit; utilius enim corpus moritur virginitatis amore, quam nititur præsentis desiderio, quocunque actu virginitatis contrario polluatur. Igitur illam summam paupertatem professus etiam in mortis expectatione, si paupertas per se virtus esset, dispensationem non posset accipere. Item quidquid illud sit, quod de rerum possessione vel usu homines subtiliter dividant in rerum usu, Domino nostro JESU Christo Joannes Baptista fuit pauperior, ut idem Dominus testatur. Mat. XI. et Luc. 7. *Venit Joannes Baptista neque manducans, neque bibens*, quod dicitur propter sui victus vilitatem. Venit filius hominis manducans et bibens, quod dicitur propter victus communitatem. Dum igitur Domino nostro JESU Christo, quoad rerum usum, in sensu Catholico fuerit Joannes Baptista pauperior, nec tamen etiam quoad rerum usum fuerit eo perfectior, ergo paupertas non est per se perfectio.

DICTA FRATRIS GUIDONIS GRENENSIS, ET ARBORENSIS ARCHI-EPISCOPI.

SAnctissime Pater, et Domine! cum protestationibus ad hoc necessariis, scilicet: quod non intendo aliquid contra fidem et bonos mores, vel contra determinationem vestram, et istius sanctissimæ sedis dicere. Ad A quæstionem, qua quæritur, utrum asserere Christum, et Apostolos non habuisse aliquid in communi, sit hæreticum? Respondeo, quod hoc asserere est hæreticum, prout patet per auctoritates, et rationes inductas per sanctitatem vestram, et per venerabiles Patres, Magistros sanctæ Theologiæ, et Archi-Episcopos, et Episcopos in præsentia Beatitudinis vestræ, quæ continentur in Evangeliis, Epistolis Pauli, et in actibus Apostolorum, et hoc sacri Canones videntur etiam ponere, ut patet 12. q. 1. c. *dilectissimis*. c. *scimus*. c. *exemplum*. c. *futurum*. & c. *habebat* 13. q. 4. c. *quid ergo?* & 17. q. 4. c. *Si forte*. B Et extrav. de verb. signif. Exiit, qui seminat. 2. §. Porro V. *Nec quisquam his putet obsistere*. Et V. *Egit namque Christus, & docuit*. 2. Quare manifestum est Christum, & Apostolos aliquid habuisse in communi, unde contrarium pertinaciter asserere hæreticum est; & hoc notatur 24. q. 3. *Inter Schisma*. Ille dicitur hæreticus, qui Scripturam Sacram aliter intelligit, quam sensus flagitat Spiritus Sancti, ut 24. q. 3. *Hæresis* & §. ultimo, quod intelligo, qui in errore persistit, ipsum pertinaciter defendendo 24. q. 3. *dicit Apostolus*. Nec obstat illud, quod quidam allegant, nolite cogitare de crastino 2. Quia secundum beatum Joannem super illo eodem verbo: labor exercendus est, C sollicitudo tollenda. Nec illud, quod habetur Mat. 8. Luc. 9. Vulpes foveas habent, & aves cœli nidos. v. quia hoc potest dupliciter intelligi, quantum ad litteram videlicet: quod Christus erat de Nazareth ex parte Matris, ut patet per illud; Missus est Angelus Gabriel in Civitatem, 2. Et per illud Luc. Descendit cum eis in Nazareth, & erat subditus illis. Et per illud: quoniam Nazarenus vocabitur. Cum igitur Nazareth distet a Jerosolymis fere per dies tres, esse potuit, quod hospitium non habuit proprium Jerosolymis: vel illud Christus dixit contra ingratitudinem perfidorum Judæorum, qui Christo Messiæ, & vero Hæ- D redi Regni eorum negabant, quod natura providerat brutis pro quiete eorum; & supradicta omnia dico secundum parvitatem intellectus mei. Stare tamen intendo in his, et omnibus aliis determinationi sanctitatis vestræ.

DICTA ARCHI-EPISCOPI COLOCENSIS. (a)

QUæritur utrum asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in communi, sit hæreticum? in præsenti quæstione Pater sanctissime! salva semper correctione sanctitatis vestræ, & hujus Apostolicæ sacræ Sedis, cujus correctioni submitto E omnia dicta mea, dico: quod, Christus, & Apostoli habuerunt aliquid in communi, sicut clare, & evidenter apparet in multis locis Scripturæ Sacræ. Sed utrum asserere, & tenere contrarium sit hæreticum, dicere non præsumo, timens in tam gravi, & ponderoso articulo quidquam temere judicare. Illud tamen firmiter credo, & teneo, quod S. Vestra, & hæc sanctissima (b) in hac parte sentiendum duxerit, & tenendum. Igi-

(a) F. Ladislai; de quo plura apud Vadingum

(b) Adde: Congregatio.

ANNO CHRISTI 1327.

Igitur ad probationem, quod dicitur, Christum, scilicet, & Apostolos habuisse aliquid in communi, sic procedo. Legitur enim Joan. 12. quod Christus dixit Judæ: *quod facis, fac citius. Et nemo discumbentium intellexit*, Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod sibi diceret, ut emeret, quæ opus erant ad diem festum, vel ut egenis aliquid daret: per quod datur intelligi, quia habebat aliquid reservatum, quod in suis, & aliorum necessitatibus expendebat. Horum siquidem loculorum non Judas, sed Christus, Dominus fuit, ut patet in Can. 12. q. 1. *exemplum*. Et melius 23. q. 4. *Quid ergo*. Ubi dicitur: ecce fur est Judas, & ne contendas fur, sed sacrilegus, & non qualiscunque fur, sed loculorum, sed Dominicorum, sed Sacrorum. Si enim Judas, dominus loculorum fuisset, injuste fur diceretur, & latro; quia sic dicunt jura communia. Rei, quæ plenissime mea est, non facio furtum, nec furti teneor actione. Præterea Joan. 4. dicitur. Quod *JESUS fatigatus ex itinere sedebat super fontem, & Discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent*. Et Luc. 22. dicitur: *Qui habet sacculum, tollat & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*. De ipsis quoque Apostolis, & aliis Discipulis dicitur Act. 2. *Multitudinis erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum de his, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis erant communia*. Et Act. 4. dicitur. *Et quod, qui domos, & agros possidebant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat*, quæ verba transumptive ponuntur in Canone 12. q. 1. *Dilectissimis*. Præterea ad hoc facit optime illud c. *Melchiadis* 12. q. 1. *futuram*. Ubi dicitur, *futuram Eccles. indigentibus Apostoli prævidebant. Idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad confovendos egentes*. Per quod ostenditur argumento suprascripto, e contrario sensu literæ, quod si Apostoli in Judæa mansuram Ecclesiam prævidissent, non pretia prædiorum tantummodo, sed ipsa prædia possedissent. Et ratio potest esse, quia plus utilitatis poterant conferre egenis, ex fructibus prædiorum, quam ex pretio ipsorum, sicut dicit Urbanus 12. q. 1. *videntes*. Non, ergo propter abdicationem proprietatis omnimode, sed per translationem Ecclesiæ de Judæa in gentes, adeptionem prædiorum Apostoli neglexerunt. Unde qui nunc habent possessiones, & bona alia in communi, non minus, imo multo magis judicio meo dici possunt esse in statu perfectionis, quam illi, qui in speciali etiam vel communi nihil habere se dicunt præter simplicem usum facti, sicut probatur. 12. q. 1. *Expedit*. Nec minus etiam propter hoc isti sequi dicuntur vestigia Christi, & Apostolorum, quam illi. Quia ut dictum est, & Christus loculos habuit, significans, sponsam suam sanctam Matrem Ecclesiam pro suis, & aliorum necessitatibus loculos habituram. Et Apostoli prædia recepissent, nisi Ecclesiam prævidissent de Judæa transituram in gentes. Huic autem dicto præjudicat, si titulus illius c. *Melchiadis*, dicatur esse falsus; ex eo videlicet, quia Melchiades præcessit Sylvestrum, cujus tempore fuit Constantinus ad fidem conversus. Nam postquam dictum cap. est per Ecclesiam approbatum, & invenitur inclusum in corpore decretorum, debet sibi fides plenaria adhiberi, quamvis, quis auctor ejus fuerit, ignoretur. ar. *illius* c. *Pastoralis*. *De fide instrumentorum*, & 19. de *Si Romanorum*. Et hoc credo mandatum esse verum, scilicet Christum, & Apostolos habuisse aliquid in communi, quia non solum rerum illarum nudum & simplicem usum, verum etiam jus, & proprietatem plenissime habuerunt. Nam qui simplicem usum habet alicujus rei, nulli jus ipsum, quod habet vendere, locare, aut gratis concedere potest. Nemo potest dare, quod non habet. 1. q. 7. de jure pat. Quod autem propter hoc pulchre dicitur in Canone. Omnis enim Dominus, quod habet si vult, vendit, sive servum, sive aliquid horum quæ possidet. Similiter & qui emit, Dominus nolens esse ejus, quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. 1. q. 1. *Eos*. Et in alio loco dicitur, quod res alienari non potest, nisi a vero Domino. 53. di *Alibi*. Ergo non usurarii simplices, sed tantum veri Domini, de jure possunt res suas alienare, vendere, vel donare. Præterea in his rebus, quæ usu consumuntur, recte non constituitur usus fructus, nec jure naturali, nec civili. Jure naturali non; quia non potest esse salva rei substantia; Jure Civili non, quia proprietas, sive dominium rei hujusmodi transit in legatarium, quamvis utilitatis causa provisum sit, quia quando usus fructus quasi usus fructus legatur, in rebus hujusmodi legatarius satisfacere tenetur de æstimatione rerum instituenda D. qui legavit. Et ideo censetur in pecunia sic legata, quæ assidua permutatione, & commixtione exstinguitur, sicut ista satis plane notantur per Bern. de pignor. *cum constet*. Sed certe jam constat, sicut supradictum est: quod Christus, & Apostoli res hujusmodi habuerunt, quas vendendo, & donando distribuebant, prout sibi & aliis opus erat. Nec tamen legitur, quod de æstimatione rerum illarum satis dederint alicui, vel quia ipsa satisdatio eis ab aliquo remissa fuisset. Quare concludi potest legitime, non obstantibus his, quæ in contrarium allegata fuerunt, Christum, & Apostolos non tantum quoad simplicem usumfacti, sed etiam quoad verum, & plenum dominium, aliquid habuisse in communi.

DICTA EPISCOPI SEGNENSIS. (a)

IN quæstione, qua quæritur, an asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in communi sit hæreticum? videtur mihi dicendum salva correctione Sedis Apostolicæ: quia in communi habuerunt. Constat enim Christum loculos habuisse, in quibus oblata a fidelibus conservabat, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat, ut in c. habebat Dominus loculos 12. q. 1. habebant etiam Apostoli in communi, ut in c. *dilectissimis*. Eadem q. & credo, quia quicunque Scripturam aliter intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, a quo scri-

(a) Qui fuerit, ... quo ... ne, ign...

ANNO CHRISTI 1327.

Anno Christi 1327. scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, possit hæreticus dici. 24. q. 3. c. *Hæresis*. & q. eadem. c. *Quidam*. v. *Hæc sunt*. Quare A mihi videtur, quod asserere pertinaciter Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in communi, sit hæreticum. Anno Christi 1327.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES PRO ETRURIA

A Johanne diac. Card. A. S. L.

Anno 1327. promulgatæ.

IN NOMINE DOMINI AMEN. HÆ SUNT CONSTITUTIONES FACTÆ PER REV. IN CHRISTO PATREM ET DOMINUM DOMINUM JOHANNEM PERMISSIONE DIVINA SANCTI THEODORI DIACONUM CARDINALEM APOSTOLICÆ SEDIS IN PARTIBUS TUSCIÆ LEGATUM.

Ex MS. Cod. Cap. Eccl. Majoris Pist. QUia nihil, juxta verbum Augustini, facilius, & levius, & omnibus acceptabilius est episcopi, ac presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie, & adulatorie agatur; & nihil apud Deum miserabilius, & tristius, & dapnabilius; universos clericos convenit ab omni strepitu terreno cessare & divino officio & contemplationi insistere, cum dicantur reges, hoc est ipsos, & alios regentes virtutibus, quod corona capitis designare videtur: protestantur enim dicentes domino: *pars hæreditatis meæ*. Sed nunc, proh dolor! obliti quod dixerant, terrena ambiunt non ordini, vel orationi vacant; sed armis & mercimoniis, & aliis detestandis artibus adeo se involvunt ut quasi in nullo a secularibus differant, imo uniformiter sic incedunt. Nos vero hiis morbis, quantum cum Deo possumus, occurrere cupientes, ut possimus cum Apostolo dicere: mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium nostrum, non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis, ut quos ad vitæ decorem domesticæ laudis exempla non provocant, saltem medicina correctionis compellat; præsenti constitutione duximus statuendum, ut non comam nutriant, sed tonsuram publice ac patenter deferant clericalem, & habitum juxta modum qui sequitur, videlicet.

De vita, & honestate Clericorum quoad vestes, & tonsuram.

Quod prælati ecclesiarum quocumque nomine nuncupentur, rectores ecclesiarum, civitatum; canonici & cappellani ecclesiarum cathedralium, & aliarum principalium ecclesiarum, locorum insignium, dummodo tales canonici decimum octavum suæ ætatis attingant, cum fuerint in eorum ecclesiis tempore divini offitii cum birrectis, seu berriolis & cappis clausis, coctis vel mantellis humeros, & anteriores partes corporis cooperientibus, prout decet. Extra vero ecclesias possint cum eisdem vestibus incendere prout placet. (3) Ac rectores ecclesiarum aliorum locorum per civitates, castra, terras, & loca predicta insignia cum tabarris talaribus incedere publice teneantur, nisi fuerint in itinere vel peregrinatione constituti. Si quis autem cum tonsura condecenti, & habitu, sicut præmittitur, non incesserit supradictis, quandiu non paruerit, a perceptione fructuum sui benefitii nihilominus B post ejus perceptionem per mensem unum sit ipso facto suspensus. De quibus quidem si interim qualitercumque perceperit, sit eo ipso inhabilis per sex menses ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Cujus quidem constitutionis transgressores suo ordinario infra octo dies a tempore scientiæ intimare concanonici, vel benefitiati ejusdem ecclesiæ sub pena inhabilitatis predictæ jam latæ obnixius teneantur. Predicta vero ad residentes tantum in dictis ecclesiis sive locis & ad fructum benefitii, in quo taliter delinquitur, volumus duntaxat extendi.

Contra portantes arma.

C Volumus insuper & mandamus quod clerici, quibus lacrimæ arma debent insistere, arma publice non deferant, nisi habentes inimicitias capitales a nobis vel a suis diœcesanis licentiam obtinerent, quo casu uti possint caputiis magnis & honestis atque tabarris; vel nisi qui essent in peregrinatione, vel itinere constituti; contrarium vero facientes penas supradictas modo, & forma supradictis ipso facto incurrant.

Postremo quia religionis ager non potest bonorum operum uberes fructus producere, nisi per cultoris diligentiam & culturam a vitiorum spinis fuerit expurgatus, universos & singulos clericos tam seculares quam regulares pro primo, secundo & tertio D monitionis edicto monemus, eis districte sub excommunicationis pœna mandantes, quatenus divinis officiis diligenter inserviant, ac cum ecclesiis & personis ecclesiasticis convertentur, a criminibus quoque maxime homicidiis depredationibus, usuriis, violentiis, ludis prohibitis, tabernis, nisi duntaxat essent in itinere constituti, & blasfemationibus Dei, & sanctorum, exercitibus & cavalcatis, nisi in casibus a jure concessis, offitiis secularibus publicis ac mercimoniis vel aliis exercitiis seu commertiis clericis, vel monacis interdictis, necnon a quibuslibet aliis flagitiis, & enormitatibus prorsus studeant abstinere, nec se E talia perpetrantibus counire vel præbere ipsis auxilium, consilium vel favorem; alioquin si patenter, & publice tonsuram & vestem hujusmodi non detulerint, vel se in prædictis sibi prohibitis, vel aliquo prædictorum immiscuerunt, & per hoc eos vexari contingat in judicio seculari, a nobis vel suis diœcesanis subsidium aliquod non expectent. Et nihilominus, si beneficiati fuerint, pre-

ANNO CHRISTI 1327.

preter alias penas a jure in taliter delinquentes inflictas, per tres menses fructus beneficiorum suorum omnium perceptione noverint se privatos, convertendorum in utilitatem ecclesiarum suarum in quolibet predictorum casuum de suorum diœcesanorum consilio & assensu.

Ricolendæ memoriæ domini fratris Latini Hostiæ. & Velletren. episcopi, tunc apostolicæ sedis legati, constitutionem unam, videlicet contra concubinarios clericos, aliam contra beneficia ecclesiastica illicite detinentes vel se in illa auctoritate propria intrudentes editas, volentes a clericis & subditis nostris inviolabiliter observari, ipsas nostris constitutionibus de verbo ad verbum duximus inferendas & etiam innovandas, quarum tenores tales sunt.

De Clericis concubinariis.

Quamvis concubinarios clericos sacri canones severitate multiplici persequantur; quia tamen plerique timore Dei postposito in hujusmodi turpitudine vitii non solum occulte sed etiam publice inveniuntur offendere; nos eorum imprudentiam opportuna districtione confundere ac reprimere cupientes, monemus clericos omnes nostræ legationis qui sacrum ordinem & ecclesiasticum beneficium sunt adepti, seu adipiscentur in posterum, ut nullus eorum concubinam seu focariam publice tenere presumat. Et qui suadente diabolo detinent infra octo dies, ex quo presentem constitutionem in sua civitate & diœcesi publicatam esse cognoverin, eas a se prorsus abiiciant, nunquam de cetero recepturi. Si qui vero ex prædictis clericis concubinam seu focariam publice ac manifeste sive in domibus ecclesiarum sive alibi post duos menses post terminum supradictum non erubuerint retinere, beneficiis ecclesiasticis, quæ infra nostræ legationis terminos obtinent, ipso facto noverint se privatos. Eis episcopis autem & superioribus prælatis ad quos beneficiorum, quæ taliter delinquentium fuerant, collatio seu provisio pertinent, conferendi ea seu providendi de ipsis liberam concedimus potestatem; aliis etiam ad quos electio seu præsentatio ad beneficia eadem vel eorum provisio spectare dinoscitur, liceat eligere seu presentare ad illa vel etiam providere, de illis, ex quo per episcopos prædicti clerici presentis constitutionis penam declarati fuerint incurrisse, ut sic eos qui damna spiritualia parvi pendunt temporalis saltem jactura coerceat a peccato.

De clericis non residentibus & de cotidianis distributionibus.

Et si beneficia sint dignis propter offitia tribuenda, ut plurimum nostri temporis clerici veluti dilicati, pro fructu tamen non merito beneficia assecuti, cum matutinis, missa, vesperis & ceteris canonicis horis in ecclesiis persolvendis se mancipatos agnoscant, & cotidianas distributiones lucrifaciant ingredientes, quorum nondum solutis horis egrediuntur, risibus, & circuitibus & vaniloquiis

A se involvunt. Et mox cum instat finis horarum iterato eundem chorum reintrare procurant. Et si nos fallunt, nunquid fallere possunt oculos cuncta tenentis, qui dixit: *domus meam domus orationis vocabitur*; & per prophetam: *impii ambulabant in circuitu?* sed in extremo examine cum dicet redde villicationis rationem tuæ, quam redditurus erit qui amplexus commodum onus repudiat, immo velut morbosa ovis; quæ eiicienda esset potius ab ovili, inficit alias suo exemplo; propter quæ ipsorum fraudibus est de opportuno remedio obviandum. Sane licet statutum existat, quod distributiones cotidianæ, que alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur, tantum canonicis, & a-

B liis beneficiatis seu clericis cathedralium & aliarum collegiatarum ecclesiarum, qui divinis offitiis in hujusmodi ecclesiis affuerunt, debeantur, juxta ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabiliter jam factam seu etiam faciendam; quod tamen statutum ipsum ut plurimum non servatur, & a multis nostræ legationis trahitur in abusum. Statuimus & ordinamus quod quicumque prædictarum ecclesiarum canonici & alii beneficiati seu clerici, qui dum in civitatibusvel in locis aliis, ubi distributiones hujusmodi tribuuntur, præsentes extiterint, matutinum ante primum hymnum perfectum, vel in missam antequam sit finitum ultimum *chyrie elei-*

C *son*, seu in vesperis antequam primus psalmus totaliter compleatur non affuerint, nec perstiterint usque ad finem offitii, eo ipso cotidianas distributiones, quæ dantur in illis horis in quibus delinquerunt, per duos dies immediate sequentes amittant. Si qui vero de distributionibus ipsis quicquam receperint, exceptis illis quos infirmitas seu justa & rationabilis causa, temporalis necessitas aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret, nec non & illi qui easdem distributiones eis dederint vel eis dari consenserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi duplum ejus restituant quod turpiter receperunt, vel dederunt, seu dari consen-

D serunt, nullatenus absolvantur. Verum si distributiones hujusmodi in cathedralibus ecclesiis vel etiam in aliis collegiatis ecclesiis, si collegiatæ fuerint civitatense, vel principales aliorum locorum insignum non existant, volumus, & mandamus quod canonici denarios octo & alii beneficiati seu clerici earundem ecclesiarum prælatis exolvere teneantur; quod si eos non solverint, ipso facto sint fructuum prebendarum suarum per mensem privati. Statuentes quod distributiones hujusmodi, ac denarii, & fructus sic amissi in quolibet casuum predictorum de diœcesani consensu in utilitatem ecclesiarum absque diminutione qualibet efficaciter convertan-

E tur: quod si de fructibus hujusmodi delinquentes quicquam interim receperint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.

Contra detinentes vel occupantes illicite beneficia ecclesiastica.

Præteriti malitia temporis usque adeo in quibusdam partibus nostræ legationis invaluisse dignoscitur, ut non solum plerique cle-

ANNO CHRISTI 1327. clerici fine justo, verum etiam quidam laici fine ullo titulo quamplures ecclesias, & earum jura occupare presumpserunt, & eas in suorum aliorumque plurium animarum periculum detinere præsumant; nos igitur, huic letali morbo cupientes opportuni remedii medelam apponere, monemus omnes clericos, & laicos nostræ legationis, eisque in virtute obedientiæ sub interminatione divini judicii, qua fungimur, auctoritate districte precipimus, quatenus clerici qui ecclesias quaslibet propria temeritate invadere, occupare vel absque institutione canonica recipere presumpserunt, & eas taliter occupatas sive receptas detinere non metuunt; laici qui quocumque modo ecclesias detinent, sive eis per clericos faciunt deserviri, sive ipsas debito teneant obsequio defraudatas, ecclesias ipsas cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus ac juribus quoquo modo pertinentibus ad easdem infra unum mensem a publicatione præsenti in civitate ac districtu Florentiæ; in aliis vero civitatibus & diœcesibus infra similem terminum, ex quo in eis præsens constitutio fuerit publicata, libere & absolute dimittant, ut ipsis ecclesiis per illos, ad quos de jure in eisdem electio vel collatio aut præsentatio, seu provisio pertinet, de personis idoneis valeat provideri. Et provisionem hujusmodi ipsi, qui easdem ecclesias (tenent), nullo modo publico vel privato per se vel alios impedire presumant. Si qui vero clerici aut laici ex predictis hoc nostrum tam salubure preceptum infra predictum terminum adimplere contempserint, aut provisionem ecclesiarum hujusmodi, quominus infra unum mensem ex quo eis ipsas dimiserint, libere fieri valeat, quoquo modo presumpserint impedire clericos non solum predictis ecclesiis, verum omnibus beneficiis ecclesiasticis, quæ infra nostræ legationis terminos obtinent, omnino privamus & inhabiles reddimus ad alia beneficia infra eosdem terminos obtinenda: laicos autem si sunt potentes ut judices aut notarii seu domini legum, aut quolibet alio publico funguntur offitio, hujusmodi offitii volumus esse privatos, eosque inhabiles reddimus ad hæc vel similia deinceps in loco quolibet exercendo; insuper ipsos excommunicationis vinculo innodamus, a qua non nisi per apostolicam sedem vel legatum de latere domini papæ missum absolutionis benefitium valeant obtinere: proviso quod quamvis in mortis articulo non sit eis, si penituerint, absolutio & communio deneganda; tamen ecclesiastica careant sepultura, donec ecclesiæ occupatæ aut detemptæ per eos libere, ut prædictum est, fuerint absolute dimissæ, ac de fructibus earumdem ad mandatum ordinarii vel ejus vicarii sit integre satisfactum. Omnesque religiosos & clericos seculares, qui tales scienter ad sepulturam receperint, per unum annum ab officio & beneficio decernimus esse suspensos. Omnibus autem prelatis, ad quos de jure prædictarum ecclesiarum collatio seu provisio pertinent, sub excommunicationis poena districte precipimus, ut eisdem humano timore postposito de personis idoneis providere non differant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bra-A chii sæcularis, ad quod exhibendum potestas & rectores alios civitatum aliorumque locorum per censuram ecclesiasticam compellere studeant, teneantur, & debeant, si fuerit opportunum.

De executoribus testamentorum.

Quoniam nihil est quod magis debeatur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium; decens est celeriter exequi testamentorum ultimas voluntates, quæ pro legibus sunt servandæ. Ideoque statui-B mus quod quicumque hactenus deputatus fuerit executor ultimæ voluntatis, vel in posterum deputabitur, si executionem sibi commissam, infra annum computandum ab obitu testatoris, non fecerit, vel non faciet in futuris executionibus, cum ex hoc manifeste ejus negligentia deprehendatur, ipsa executio per diœcesanum episcopum fiat, contradictione aliqua non obstante.

Contra Patronos.

Quod debemus defendere & tueri, prohibemur procul dubio impugnare. Nunc autem nonnulli ecclesiarum patroni, Dei timore postposito, ad ipsas ecclesias presen-C tatas ab eis inexcogitatis modis nunc latenter nunc palam....... opprimere, redditus earundem, qui rectoribus, & ministris eorum debentur, sibi appropriare nituntur. Igitur eorum ausibus duximus obviandum, statuentes, & ordinantes, quod si quis patronus, vel pro patrono se gerens, aliquid immobile occupaverit, seu mobile pretiosum vel sacrum ecclesiæ, in qua patronum se dixerit, rapuerit, sive in prelatum vel rectorem, canonicum vel conversum ipsius ecclesiæ manus injecerit temere violentas, eo ipso prima vice vacationis ecclesiæ, in qua se gesserit pro patrono, vocem presentandi rectorem noverit se privatum, cujus pre-D sentatio ex tunc transferatur in eum, ad quem alias de jure vel consuetudine institutio talis ecclesiæ pertineret. Et si talis ecclesia collegiata existeret per decem annos omni honore & commodo, qui ex jure patronatus ei ab eadem ecclesia deberetur, privatus existat. Eisdem quoque poenis innodamus patronos prefatos, minas vel timores inferentes prælatis, canonicis, conversis vel rectoribus antedictis, tales, propter quas iidem prælati canonici, conversi vel rectores ab administratione spiritualium vel personali residentia facienda aliqualiter retrahatur. Inhibentes nihilominus prelatis vel rectoribus supradictis, ne ultra quam ipsis E patronis debeatur de jure, vel antiqua consuetudine aliquid eisdem de juribus vel bonis immobilibus ipsarum ecclesiarum erogare presumant, contra eos, si secus egerint, ad privationis sententiam processuri.

De censibus & procuratoribus.

Quoniam, ut ad nos multorum fide dignorum relatione pervenit, in diversis parti-

ANNO CHRISTI 1327.

tibus nostræ legationis pravæ consuetudinis morbus invaluit; videlicet quod nonnulli laici & parochiani multarum ecclesiarum diversis anni temporibus comestiones, & potus exigunt ab ecclesiis sibi exhiberi interdum insimul congregatis, vel aliquid aliud loco comestionis, vel potus, quod particulariter dividitur inter eos; in quibus propter crapulam et ebrietatem fiunt vulnera, committuntur homicida, dapmna plurima proveniunt, et pericula animarum, et dum vacare deberent actibus virtuosis, tenebrarum operibus se involvunt. Ea propter volentes, prout ad nostrum spectat offitium, tales abusus quantum nobis est possibile refrenare; universis et singulis laicis, et parochianis quarumcumque ecclesiarum nostræ legationis inhibemus, et sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, ne prefatas comestiones, vel potationes ab ecclesiis predictis exigere præsumant, nec ipsi prelati vel rectores ecclesiarum per se vel alium, seu alios eis in hoc audeant indulgere.

Contra celebrantes in locis interdictis.

Decet, ut a vinea Domini Sabbaot pestiferi palmites extirpentur; sane ad audientiam nostram fide digna relatione pervenit, quod nonnulli clerici ecclesiastica beneficia C obtinentes in civitatibus, castris, terris, & locis occupatis per rebelles & inimicos ecclesiæ ac de hæresi vel fruitoria hæreticorum sententialiter condemnatos in eisdem civitatibus castris, terris, & locis propter dictorum hæreticorum vel fruitorum contumaciam, & contemptum suppositis solemniter ecclesiastico interdicto celebrare & publice divina officia non verentur. Quinimmo prestant eisdem in suis sceleribus obstinatis consilium, auxilium, & favorem in animarum suarum periculum, & grave scandalum plurimorum. Nos volentes prædictis, in quantum cum Deo possumus obviare, hac in perpetuum valitura constitutione sanci- D mus, quod quicumque clerici vel religiosi tam exempti, quam non exempti, cujuscumque ordinis & conditionis existant, de cetero in civitatibus, castris, terris & locis predictis taliter occupatis & generaliter interdictis divina officia scienter celebrare presumpserint, etiamsi cathedralem vel matricem, seu parochialem loci ecclesiam illa viderint, aut sciverint non servare, dummodo eadem interdicta in aliis civitatibus & locis insignibus eisdem civitatibus castris, terris & locis predictis convicinioribus tam publice ac patenter fuerint solemniter publicata, quod ad dictam cathedralem vel matricem seu parochialem loci ecclesiam veri- E similiter pervenisse presumatur; vel eisdem damnatis aliquod prestiterint consilium, auxilium, vel favorem publice, vel occulte directe vel indirecte, seu nomen vicariatus, vel alicujus offitii ad dioecesanos dictarum civitatum, castrorum, terrarum & locorum taliter occupatorum spectantium usurpaverint, in eisdem civitatibus, castris, terris, & locis predictis quocumque signito vel que-

A sito colore; necnon clerici qui ab hujusmodi vicariis vel offitialibus munus confirmationis, collationis, institutionis vel provisionis quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum vel aliorum quorumcumque ecclesiasticorum, & piorum locorum receperint, vel per literas commendatitias eorum ad quosvis ordines ecclesiasticos se fecerint promoveri, vel eos ut vicarios seu offitiales habuerint vel tractaverint, seu eis quomodolibet paruerint vel obedierint. Nec non etiam clerici, qui aliquos induxerint vel arctaverint ad subventiones aliquas dictis rebellibus, & damnatis prestandas, vel etiam impedierint quoquo modo quod legatis, & nuntiis sedis B Apostolicæ, vel diocesanis prefatis in sepedictis civitatibus, castris, & terris non pareant in suis offitiis, jurisdictionibus vel mandatis, non solum excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, sed etiam a suis ecclesiasticis benefitiis omnibus noverint se privatos, & perpetuo inhabiles ad alia optinenda. Et si religiosi fuerint, eos per suos prelatos mandamus carceri districtos perpetuo mancipari, pane doloris & aqua angustiæ sustentandos.

Quod habentes dignitates se faciant promoveri.

Quia nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei, nonnulli non attendentes, quod in ea vocatione in qua quis vocatus existit, persistere debet, assumpti ad dignitates ecclesiasticas de Christi patrimonio sublimati ad aratrum manu missa eas relinquunt, & ad militaria seu seculum se convertunt in suarum animarum periculum, & dignitatum ecclesiasticarum non modicum prejudicium & gravamen. Ea propter volentes talibus de opportuno remedio obviare: monemus omnes, & singulos, dignitates, vel personatus habentes, quibus cura imminet animarum, quod infra annum a tempore publicationis presentis Constitutionis qui promoti sunt, & qui promovebuntur in posterum a suæ adeptæ possessionis pacificæ tempore numerando, se faciant statutis a jure temporibus saltem ad subdiaconatus ordinem promoveri. Alioquin a dictis suis dignitatibus, personatibus elapso dicto tempore se noverint eo ipso fore privatos, nisi per suos dioecesanos cum eisdem fuerit favorabiliter dispensatum, quæ fieri non intendimus, nisi inspecta rationabili causa vel prerogativa meritorum accepta, dioecesanis ipsis videretur potius dispensandum; super quo eorum conscientias oneramus.

Publicatio supradictarum Constitutionum.

Publicatæ, & pronuntiatæ fuerunt constitutiones predictæ per supradictum Rev. Patrem & dominum, dominum Johannem miseratione divina sancti Theodori diaconum cardinalem apostolicæ sedis legatum. Et lectæ per Bindum de Musello capellanum d. domini legati, de mandato, & de auctoritate ipsius domini legati ipso presente, & mandante, presente etiam clero civitatis & dioecesis Florent. ac religiosorum multitudine

ANNO CHRISTI 1327.

ne copiosa Florentiæ apud locum fratrum minorum in aula d. domini legati, die dominico VIII. kal. martii sub anno Domini a a nat. MCCCXXVII. pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini domini Johannis pp. XXII. anno XI. indict. X. presentibus etiam ven. patribus dominis Petro Anagnino (4) Alamanno Amilien. Ugolino civitatis Castelli (5) Tedicio Fesulano (6) episcopis, Boso Aretino electo (7) & dominis Conte, & Anigo vicariis episcopi Florentini. Qui dominus legatus statim precepit dictas constitutiones omnes, & singulas per singula capitula observari.

Et ego Andreas Nardi de Fulgineo publica & apostolica & imperiali auctoritate notarius, & scriba d. domini legati & suæ curiæ supradictis puplicationi, affirmationi & acceptationi interfui, & de mandato & auctoritate dicti domini legati scripsi, & publicavi signumque meum apposui consuetum.

Venerabilis in Christo pater & dominus dominus Baruntus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Pistoriensis episcopus existens in ecclesia majori civitatis Pistorii coram clero, & populo, ibidem cohadunato ad audiendum sermones die prima quadragesimæ, imposuit mihi Johanni quondam Donati notario, & scribæ suo & suæ curiæ episcopalis quatenus audientibus omnibus publice legerem constitutiones predictas. Quas ego Johannes de ipsius mandato publice, & alta voce legi, audientibus omnibus per ordinem, ut sunt scriptæ, quibus lectis eas omnibus publicavit, & mandavit ab omnibus observari.

Acta fuit dicta lectura, & publicatio in ecclesia majori Pistoriensi coram clero seculari & regulari dictæ civitatis Pistorii et magna hominum multitudine adunata ad audiendum sermones an. nat. D. MCCCXXX. indict. VIII. die XXII. febr. et presentibus testibus vocatis, et rogatis dominis Johanne de Ricciardis, Cancellerio de Cancelleriis, et Bonavollia canonicis Pistorien. domino Nicolao de Gualfreduccis judice, et pluribus aliis testibus vocatis, et rogatis.

IN CONSTITUTIONES SUPERIORES COLLECTORIS

N O T Æ.

(1) *Johan. S. Theodori diac. card. A. S. L.* Is est Joan. Paitani Rom. de Ursinis quem Joan. papa XXII. an. 1316. diac. card. S. Theod. renunciaverat. A Pont. Avenioni commorante legatus missus est in Italiam & Tusciam ad coercendos Ludovici Bavari & Antipapæ impetus. Plura de illo legas apud Baluzium in Not. ad vitas Papar. Avenion. to. I. pag. 734. qui & obiisse monet anno MCCCXXXV. Has ejus constitutiones pro Etruria latas in concilio quodam Florentino anno 1327. eruditis hucusque ignotas, suppeditarunt Illustr. & Rev. capituli, cathedralis ecclesiæ Pistoriensis archiva, humanitate Rev. canonicorum ejusdem ecclesiæ mihi reserata.

(2) *Extra ecclesias possint eisdem vestibus incedere.* Ex hoc testimonio demonstratum esse arbitror, eisdem vestibus, quibus clerici olim officiis divinis in ecclesia adsistebant, extra ecclesiam pariter incedi consuevisse; ita ferme ut canonici regulares hodie etiam servant. Quin & sacerdotes veteres olim ipsum Missæ sacrum agentes vestes vel numquam vel non semper mutabant, quod exemplo S. Fulgentii Ruspensis episcopi planum est, narrante veteri & coævo Vitæ ejus scriptore cap. VIII. *In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat.*

(3) *F. Latini Hostiensis &c* De hoc Latino Ursino eardinali Hostiensi & Velitrensi episcopo Prædicatorum ordinem antea professo, vide notas P. de Rubeis ad constitutiones provinciales Aquilejenses anni 1339. in hac collectione una cum notis illis excusas to. III. Eam dignitatem adivit anno 1278. Ughellio teste. Legationem in Etruriam obtinuisse & aliunde scimus & ex nostris hisce constitutionibus confirmatur. An constitutiones illæ F. Latini Hostiensis episcopi quas innovat & servandas edicit Raimundus Aquilejensis patriarcha cum nostris hisce confundendæ sint vel distinguendæ, ignoro; vix tamen credo statuta a Latino sancita pro Aquilejensi patriarchatu in Etruriam pervenisse, ibique legis vim obtinuisse. Multo pronius est credamus, suas dedisse constitutiones peculiares pro utraque provincia.

(4) *Petro Anagnino*, qui hoc ipso anno ex ea sede ad Marsicanam translatus fuit, substituto in ejus locum Alemanno, qui his constitutionibus adhuc episcopus Ameliensis subscribit, vel testis adest.

(5) *Hugolino Civitatis Castelli*. Deest episcopus iste in serie episcoporum Ughelliana inter Godefrinum & Guillelmum reponendus; ejusdem tamen Guillelmi exordio serius nempe post. an. 1327. exordium revocato.

(6) *Tedicio Fesulano*, noto Ughellio episcopo quem scriptorem vide.

(7) *Boso Aretino electo*. Vidonem Tarlatum Aretinum episcopum Ghibellinarum partium studiosum Joannes XXII episcopatu exuerat jam inde ab anno 1222. statimque Bosonem Aretinum successorem elegit Tarlati tamen potentia adeo prævaluit, ut nec episcopatum neque consecrationem ipsam episcopi, quamdiu Tarlatus ipse vixit, novus electus obtinere potuerit. Probat id nuncupatio *electi* tradita Bosoni anno 1327. nempe eodem ipso quo declinante Tarlatus decessit.

AD

AD LONDINENSE CONCILIUM

A Simone Mempham Cantuarienſi archiepiſcopo

Anno 1328. *habitum*

ADDITIO.

An. 1328. *Quemadmodum Londinenſe concilium anni 1321. a Spelmanno & Labbeo datum ſupplere in multis licuit ex Vvilkins; ita pariter & ex illo plura hic danda ſuccurrunt.*

MANDATUM ARCHIEPISCOPI CANTUAR. PRO CONCILIO

Provinciali in eccleſia ſancti Petri London. die Veneris prox. poſt converſ. S. Pauli.

Affert Wilk.t.II. p. 548. Ex Reg.Exon. Grandinſon.A.fol. 105. Simon, permiſſione divina, Cantuar. archiepiſcopus, totius Angliæ primas, venerabili fratri noſtro domino Simoni, Dei gratia London. epiſcopo, ſalutem, & fraternam in Domino charitatem.

Regimini ſanctæ Cantuar. eccleſiæ Dei patientia, licet immeriti, præſidentes, inter alias ſollicitudinis noſtræ vigilias ad id votis ferventibus aſpiramus, & mentem noſtram ſedulo deſtinamus affectu, ut eccleſia Anglicana ſub pacis dulcedine vigeat, jura ſua ac libertates obtinere valeat illibata, gregis dominici cura vigilanti ſtudio frequentetur; laici, quos Anglia produxit pariter & enutriit, in via veritatis & juſtitiæ dirigant greſſus ſuos. Et præſertim, quod conſtituti in clero morum honeſtate refulgeant, ut tanquam lucerna pedibus laicorum, ipſos inſtruant vitæ merito & ſermone, qualiter in domo Dei debeant converſari. Sane dicta eccleſia Anglicana, ante hæc tempora pacis turbatæ diſcrimine multis doloribus & anguſtiis laceſſita, adhuc modernis temporibus carbonibus odii inter proceres reaccenſis majora pericula & diſpendia, niſi Deus avertat, poterit veriſimiliter formidare. Et ſuper dolorem hujus vulneris ſuperadditur afflictio, quod quidam filii impii & degeneres eccleſiam & viros eccleſiaſticos injuriis innumeris afficere, jura eccleſiarum & libertates malitiæ jaculis expugnare, &, quod auditu eſt horrendum, ipſos viros eccleſiaſticos mutilare & trucidare, aut hoſtiliter carpere non formidant; prout diſcurrens fama denunciat & patratorum ſcelerum evidentia demonſtrat. Ad occurrendum igitur tantis periculis, divina clementia ſuffragante, & morbis præmiſſis medicinam aliqualem, prout nobis poſſibile fuerit, adhibendam, ſacris canonibus eruditi, & ſanctiſſimi patris & domini noſtri, dom. Joh. divina providentia papæ XXII. crebris monitis excitati, noſtrum provinciale concilium die Veneris prox. poſt feſtum converſ. S. Pauli, prox. ſequent. in eccleſia cathed. S. P. London. deliberato conſilio ordinavimus convocandum. Quocirca fraternitati veſtræ committimus & mandamus, quatenus omnes & ſingulos fratres noſtros, epiſcopos provinciæ noſtræ Cantuar. citetis, & per eoſdem citari faciatis peremptorie decanos, priores, & capitula eccleſiarum cathedr. &c.

Proviſo, quod ſinguli epiſcopi antedicti, antequam dioeceſes ſuas verſus dictum concilium egreſſi fuerint, cum ſuo clero deliberent & inquirant ſagaciter. *De gravaminibus & defectibus dicti concilii ſtudio reformandis*; quodque a clero & populo proceſſiones fieri, litanias & alias orationes dici faciant pro pace regni, & pro concilio noſtro, ut debitum conſequatur effectum. Dictis etiam epiſcopis veſtris literis auctoritate noſtra diſtrictius injungatis, quatenus de die receptionis mandati noſtri &c. Dat. apud Maghfeld 3. cal. Decem. anno Dom. MCCCXXVIII. & conſecr. noſtræ primo.

Quarum auctoritate literarum decanum & capitulum eccleſiæ noſtræ cathedr. Exon. abbates, priores, & archidiaconos, conventus etiam, collegia, & clerum dictæ noſtræ dioec. quorum nomina in ſchedula præſentibus annexa continentur, citavimus in forma nobis ſuperius demandata. De gravaminibus etiam & defectibus dicti concilii ſtudio reformandis inquiſivimus, quæ in eadem ſchedula duximus inſerenda; mandatum veſtrum ſecundum ſui naturam, vim, formam, & effectum ejuſdem in omnibus reverenter executioni debitæ demandando. Ad regimen eccleſiæ ſuæ ſanctæ reverendam paternitatem veſtram conſervet altiſſimus per tempora diuturna. Dat. apud Chuddelegh 15. calend. Febr. anno, &c.

No-

ANNO CHRISTI 1328.

Nomina citatorum.

Decanus ecclesiæ nostræ cathedr. Exon.

Abbates	Taviſtock. ordinis S. Benedicti,		Quia mandatum vestrum erat generale, perſonaliter.
	De Hertilaunde, ord. S. Auguſtini,		
	De Buffeſtre, De Forda, De Conckeswell, De Nywenham,	ord. Ciſtercienſ.	
	De Torre Moun, ord. Præmonſtrat.		

Archidiaconi	Exon. Barum. Totton. Cornub.

Priores	Plymton,	Launceſton,	ord. S. Auguſtini.
	S. Germani,	Bodmynne,	
	Totton,	De Truwardraith,	
	S. Nic. Exon.	S. Jacobi Exon.	ord. S. Benedicti.
	De Carſewell,	Ottriton-	
	Frycherestocks,	ordinis S. Auguſtini.	

Capitulum ecclefiæ noſtræ cathedr. Oxon.
Per procuratores.

Collegia	Eccleſiæ S. Crucis Criditon.
	D. Thomæ mart. Glasneye.
	S. Karentoci,

Conventus etiam monaſteriorum ac prioratuum prædictorum: ac clerus totius noſtræ dioec. Exon. ſunt citati.

ASCHAFENBURGENSE CONCILIUM

Provinciale

A Petro Moguntino archiepiſcopo

Ante annum 1328. habitum

„ PEtrum Moguntinum archiepiſcopum, ultra concilium illud quod habuit Moguntiæ anno 1110. a Labbeo indicatum, & a Veneto ejus editore ex Lunigii Spicilegio ſuppletum; aliud etiam provinciale concilium in urbe Aſchafenburgenſi habuiſſe, diſcimus ex ſynodo diœceſana Hildeſeimenſi anni 1652. apud Lunig Spicileg. Contin. II. pag. 707. unde pariter intelligimus ſuffraganeos epiſcopos illi habendo conveniſſe. De anno nihil conſtat; ſed cum Petrus cathedram illam ab anno 1326. circiter ad 1328. tenuerit, intra tempus illud collocandum eſſe conſtat. Ipſe quidem Petrus Aſchafenburgenſis concilii ſæpe meminit in ſuis conſtitutionibus concilii Moguntiæ habiti anno 1310. ſed concilium illud eſt alterum ab hoc diverſum, a Gerhardo archiepiſcopo anno 1292. habitum. Hujus vero concilii a Petro habiti conſtitutiones geminas has profero, quas affert idem Herbipolenſe concilium apud Lunig ibid.

Ex concilio provinciali Aſcaffenburgenſi D. Petri archiepiſcopi Moguntini.

Item ſtatuimus, et ordinamus, ut ſi aliquis clericus vel laicus utriuſque ſexus cujuſcunque dignitatis, religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione et pertinacia damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere, vel tenere, quod ſacerdos in mortali peccato exiſtens non poſſit efficere corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus non poſſit ligare vel ſolvere ſuos ſubditos a peccatis, pro hæretico et incredulo habeatur, et errorem hujuſmodi ſacri concilii approbatione condemnamus, anathematizamus, et penitus reprobamus, cum ſacræ ſcripturæ dicat auctoritas, quod ſive bonus, ſive malus ſit miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ ſuæ confert. Non enim quæ ſancta ſunt, coinquinari poſſunt, nec ipſa ſacramenta poteſt hominum malitia profanare; unde ſacerdos, quantumcunque pollutus exiſtat, divina non poteſt polluere ſacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo a quocunque ſacerdote ab Eccleſia tolerato, divina myſteria audiantur, & alia recipiantur eccleſiaſtica ſacramenta.

Ad idem, de blaſphematoribus & ſortilegis.

Quamvis ſacris canonibus & ſanctorum Pa-

ANNO CHRISTI 1330.

Patrum traditionibus contra manifestos sanctorum blasphemos, ac damnatum & abominabile scelus Idololatriæ, videlicet incantationes, superstitiones & sortilegia Phitonum & Phitonissarum, in locis diversis sufficienter cautum & provisum existat; quia tamen (quod mentis amaritudine referimus) adhuc vitia talia in multis locis nobis subjectis existunt in usu; quapropter erroribus & periculis exinde in dies consurgentibus, quantum in nobis est obviare cupientes, districte statuto præsenti perpetuo duraturo præcipimus, ut contra tales statuta canonica desuper edita summa cum diligentia ab universis nobis subjectis practicentur, & in confessionibus de peccatis hujusmodi solers fiat inquisitio, & tam mares quam mulieres talia exercentes, a communione sacramentorum excludantur, ac pro absolutione ad nos vel vicarium nostrum remittantur. Et nihilominus si qui publici blasphemi reperti fuerint, vel de hujusmodi incantationibus vel superstitionibus ab ecclesia reprobatis se intromiserint, vel eisdem fidem adhibuerint, ut ab his intra breve tempus eis statuendum desistant, volumus moneri sub pœna suspensionis a divinis & ecclesiastica sepultura, a quo non nisi per nos vel vicarium nostrum, aut nostros superiores valeant liberari & absolvi. Hoc etiam statutum nostrum salutiferum, ne quis illius ignorantiam prætendere possit, volumus per rectores ecclesiarum ac curam animarum habentes, in cancellis ecclesiarum, si, & quoties expedire visum fuerit, solemniter publicari.

GRADENSE CONCILIUM

In quo indulgentiæ ecclesiæ decernuntur iis, qui in sumptus pro novo templo construendo aliquid contulissent

Anno 1330. habitum.

Ex Autograp. in Archiv. PP. Ord. Ser. B. M. V. Venetiarum. Misit P. Joseph Bergantini Ord. ejusdem Venetæ provinciæ Antistes.

DIvina miseratione Dominicus sanctæ sedis Gradensis patriarcha Venetus, Dalmatiæque primas, frater Bartholomeus Torcellanus, Petrus Equilinus, Andreas Cluiginus, Georius Arbensis, Lompradius Veglensis, Angelus Castellanus, frater Fridianus Civitatis novæ ecclesiarum episcopi universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam.

Omnipotens Dominus, cujus munere venit, ut semper a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de suæ pietatis abundantia, quæ supplicum excedit merita, & vota, humiliter servientibus multo majora tribuit, quam valeat promereri. Et pia mater ecclesia de salute animarum sollicita, devocionem fidelium per quædam spiritualia munera, & indulgentias invitare non desinit ad debita famulatus obsequia, et honorem Deo et sanctis sedibus impendendi, ut quanto crebrius, et devocius illuc confluit populus Christianus, assiduis precibus Salvatoris gratiam et favorem, Civium suffragia implorando, tanto celerius delictorum suorum veniam et gloriam consequi mereantur æternam. Nos igitur in sancto concilio existendo, cupientes nostros subditos et alios, quos possimus, de consensu tamen et voluntate dioecesanorum suorum, ad hujusmodi Sanctorum suffragia et cælestia præmia jugiter invitare, et locum, sive ecclesiam ad honorem sancti Johannis Evangelistæ in dioecesi Concordiensi prope Valvesonum nuperrime construendam nostrorum indulgentiis, et spiritualibus beneficiis honorare, ut per hæc voluntas hominum ad largiendas in Domino largius inducatur; omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad construendam dictam ecclesiam sancti Johannis de suis bonis aliquid dederint, miserint, vel legaverint, seu alias quomodolibet manus porrexerint adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia et Virginis gloriosæ Mariæ matris ejus, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non beatorum martyrum Hermachoræ, et Fortunati patriarcharum et nostrorum meritis et munere confisi, singulas dierum quadragenas de injunctis eisdem penitentiis indulgentes misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium, et noticiam clariorem præsentes nostras indulgentiarum literas, ad supplicationem et instantiam venerabilis in Christo patris Domini Al. Dei gratia Concordiensis episcopi nobis ad hoc per suas patentes litteras sub data VII. Julii indictione XIII. supplicantis, fieri jussimus, et nostrorum sigillorum pontificalium appensione. Datum Gradi die XV. mensis Julii, sub annis Domini millesimo tricentesimo trigesimo, Indictione XIII.

PARISIENSIS CONVENTUS

In causa celebris controversiæ de visione Dei clara animabus expiatis statim concedenda,

Anno 1333. *habitus*.

ANno 1333. in aula summi Pontificis Joannis XXII. agitari cœpit quæstio, num animæ justorum a corporum nexu solutæ & culpa criminum expiatæ, statim plena & absoluta Dei visione donarentur. Negantem sententiam præferebat non ambiguo studio Pontifex, qui & in Minoritam quemdam assertorem hujus visionis carcere animadvertendum censuit. Pervenit opinionis pontificiæ fama ad aures Philippi V. Galliæ regis, dignamque rem censuit, quæ in solemni ecclesiasticorum consessu discuteretur. Quid in eo actum sit, narrant literæ a Patribus illis de rebus a se definitis ad Pontificem transmissæ, legendæ apud Hermannum Cornerum ordinis Prædicatorum scriptorem historiæ, quam sub ejus nomine vulgavit Eccardus in corpor. Hist. tom. II. num. 3. & ex eo hic dantur.

Sanctissimo Patri & domino domino Johan. Dei providentia sacrosanctæ Roman. ac universalis ecclesiæ summo Pontifici.

Vestri devotissimi filii & servi ejusdem miseratione, Petrus de Palude patriarcha Jerosolymitanus, Petrus Rogerii archiepiscopus Rothomagensis, Wilhelmus Bernhardi cancellarius Parisiensis, Johannes de Bolenciaco archipeiscopus Vulcassini in ecclesia Rothomagensi, Nicolaus de Lyra ordinis minorum, Johannes de Metheno ordinis S. Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma prior provincialis ordinis fratrum prædicatorum provinciæ Franciæ, Johannes de Caricampo ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa prior Generalis fratrum B. Mariæ de Carmelo, Simon de Mariis, Wilhelmus de Castro Reynaldi, Wilhelmus de Brema ordinis minorum, Wilhelmus Kalathoc ordinis prædicatorum, Olyanus Salahadini, Gerardus de Paganis ordinis eremitarum S. Augustini, Petrus de Verbena ordinis Vallis scholarum, Nicolaus de Alexandria ordinis eremitarum S. Augustini, Petrus Horie, Nicolaus Boneti ordinis minorum, & Durandus de Aureliaco ordinis prædicatorum, sacræ theologiæ magistri, cum humillima sui recommendatione pedum oscula beatorum.

(archiepi- pus)

Ad vestræ deducimus notitiam sanctitatis, quod Serenissimus princeps ac dominus noster, dominus Philippus Dei gratia rex Francorum illustris, Dominica IIII. Adventus in suo regali manerio, sito in nemore Vicinarum, nos fecit ad sui præsentiam vocari, assistentibus sibi excellentibus principibus, ducibus & comitibus, & reverendis patribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus & his & illis quam plurimis, & aliorum tam clericorum quam laicorum & baronum ac militum consiliariorum suorum, Religiosorumque & secularium multitudine copiosa, nosque ore proprio requisivit, quod vellemus corporale juramentum præstare super petendis de statu animarum sanctarum a corporibus exutarum, illud, quod sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus, causas aliquas exponendo, quæ ad hoc petendum suum animum inducebant, specialiter, quia audierat, aliquos in scholis sine rationibus aliqua circa illam materiam protulisse, propter quæ multorum tam clericorum quam laicorum fuerant corda non mediocriter concitata, & ex quibus, ut dicebat, simplices trahi poterant in errorem. Nos autem, pater beatissime, attendentes, quod præfatum serenissimum principem & dominum nostrum, fundatorem studii Parisiensis regemque excellentem revereri tenemur, & jussionibus ejus obedire, quodque ipsum ibidem dicentem audivimus, quod in hac materia non quærebat, quod in aliquo vestram tangere posset sanctitatem; quinimo sicut filius vester devotissimus vestrum in omnibus zelabat ferventius honorem, & personam vestram sanctissimam ibidem magnis laudum præconiis extollebat; considerantesque, quod juxta principis Apostolorum doctrinam de ea, quæ in nobis est, fide & spe parati debemus esse omni poscenti nos reddere rationem; petitum a nobis præstavimus juramentum. Quo præstito, fuerunt nobis propositæ duæ quæstiones: prima: *Utrum animæ sanctorum in cœlis existentes videant divinam essentiam facie ad faciem ante resumtionem corporum, & ante generale judicium.* secunda: *Utrum visio, quam de divina essentia nunc habent, evacuabitur in die extremi judicii, alia succedente.* Ad quas, sicut eramus juramento astricti respondimus, quod sentiebamus. Singuli & sigillatim in hac sententia omnes convenimus, quod a tempore mortis Domini nostri Jesu Christi, per quem pretium redemptionis generis humani extitit persolutum, omnes animæ SS. Patrum, quas ibidem Salvator noster descendens ad inferos eduxit de limbo, cæterorumque fidelium, quæ de corporibus exierunt, non habentes purgabile, vel quæ jam in purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam, claram & beatificam intuitivam & immediatam essentiæ divinæ & beatissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam Apostolus 1. ad Corinth. XIII. visionem *facie ad faciem* nominat, sunt assumtæ, ipsaque Deitate beata perfecte fruuntur; etiam quod crediderunt, videntes; quod speraverunt, tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ. Quodque dicta visio, quam nunc habent, minime evacuabitur, resumptis corporibus, alia succedente; sed ipsamet in eis, cum sit vita æterna, perpetuo remanebit. Et pro firmo, pater sanctissime, omnes Doctores, qui nos in Pari-

Anno Christi 1334. 1336.

risjenti studio præcesserunt, quorum scripta legimus, hanc sententiam tenuerunt, docuerunt, & in scriptis suis tenendam reliquerunt. Quare vestræ beatitudini omni, qua possumus, humilitate & reverentia totis præcordiis supplicamus, quatenus prædictæ quæstioni, in qua pro una parte vestra sanctitas pulcherrime & subtilissime allegavit, & quam plures auctoritates adduxit, imo tot, quod non recordamur nos legisse doctorem aliquem, qui ad unum propositum adduxerit tot & tantas, semper tamen recitando & non determinando, nec afferendo seu opinando, sicut audivimus, dignetur sanctitas vestra finem dare, partem illam, in qua nutrita est devotio totius Christiani populi vestro regimini crediti, veram esse determinatione apostolica confirmando. Sanctissimam personam vestram ecclesiæ suæ sanctæ regimini conservare dignetur Altissimus sanam & incolumen per tempora longiora; quæ nos habere dignetur in sui gratia de benignitate solita commendatos. Datum sub sigillis nostris Parisius in congregatione magistrorum in Theologia generali regentium, secundo die Januarii.

Addit post hæc Histor. Rex quoque Franc. Papæ literam similem scripsit, D. etiam Durandus de sancto Portiano Magister in Theologia ordinis Prædicat., episc. Meldensis, fecit tractatum acutum valde contra papam in eadem materia, qui licet ad curiam citaretur, tamen defensus per regem Francorum non venit nec comparuit. Papa autem Johannes, lectis literis regis pariter & universitatis, & percepta eorum serie, formidans totius curiæ tumultum & insurrectionem contra ipsum, publice in sermone suo prædictum errorem suum revocavit & retraxit, & supra dictum Fratrem Magistrum Thomam Walloys Anglicum de carcere cum solemnitate eripuit, & ipsum pro injuriis suis impie sibi illatis, solemnibus promotionibus honorare & remunerare promisit. Sed ipse magister in recompensationem injuriarum illarum nihil recipere voluit honoris aut promotionis temporalis: potius apud Deum remunerari cupiens, qui corona æterna pro fide passos præmiare solitus est.

BENEDICTUS PAPA XII.

Sedit ab anno 1334. usque ad 1342.

AD BITURICENSE CONCILIUM

Anno 1336. habitum

ADDITIO.

Ex Mart. Anecd. t. IV. p. 775.

IN eo Codice MS. monasterii S. Severini Neapolitani, in quo extabant statuta Synodalia ecclesiæ Ruthenensis; hæc pariter additamenta ad Bituricense Concilium provinciale anni 1336. nactus est P. Martene, ex quo hæc ad concilium jam ante vulgatum supplendum exhibemus.

Post canonem XI. hæc addit Codex.

Ex statuto antiquo in præsenti ecclesia edito & diutius observato vendentes & ementes in diebus dominicis sunt excommunicati.

Post ultimum vero editum canonem in MS. habentur sequentes in editis prætermissi.

Et quamvis a prædictis omnibus & singulis sententiis volumus quemlibet suffraganeum posse suum subditum per se vel per alium absolvere; turbatores tamen libertatis, & jurisdictionis ecclesiasticæ præfatos & civiles per se dumtaxat possit absolvere, aut per ejus officialem, vel commissarium super hoc specialem: ita tamen, & non aliter, si tam judici cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata, quam parti læsæ in sui juris persecutione turbatæ de injuria, damnis, & expensis, & interesse prius integraliter fuerit satisfactum, nulla sibi per absolventem in hoc libertate, remissione seu gratia quam ad hujus partis valitura. Verum ne supradicti jurisdictionis ecclesiasticæ turbatores in malitiis inveniant defensores, prohibemus ne quis clericus, vel persona ecclesiastica dictis turbatoribus, super turbatione hujusmodi ad judicium ecclesiasticum evocatis, quos culpabiles crediderunt, vel similiter patrocinium dare præsumant, vel consilium seu favorem. Quod si fecerint, in ipsos excommunicationis sententiam ferimus in eis scriptis.

Item, volumus & ordinamus quod omnia singula statuta præmissa quilibet suffraganeorum nostrorum in suis dioecesibus faciat in prima vel secunda synodo publicare, ne ex tunc in antea prætextu ignorantiæ aliquis se valeat excusare.

Item, volumus quod in dictis synodis præcipiatur sacerdotibus curatis suis, quod eorum quilibet penes se tam in vulgari quam in Latino præsertim de statuto edito contra jurisdictionis & libertatis ecclesiæ turbatores, copiam habeant, ut sibi injuncta fidelius exequantur. Hoc siquidem firmiter, permanenter & inviolabiliter volumus observari, statutis antiquis in suo robore nihilominus duraturis.

Ad præmissorum autem omnium fidem & majoris roboris firmitatem habendam his sic statutis & ordinationibus per totum concilium factis, nos dictus archiepiscopus Bituricensis etiam in provinciali concilio prædicto constituti sigillum nostrum, una cum sigillis dictorum nostrorum suffraganeorum apponi fecimus in pendenti. Nos vero præfa-

ANNO CHRISTI 1338. fati Rogerius Lemovicensis, Bertrandus Cadurcensis & Arnaldus Tutelensis episcopi, sigilla nostra una cum sigillo dicti reverendi patris domini Fulcrandi Dei gratia Bituricensis archiepiscopi ipsi concilio præsidentis præsentibus duximus apponenda. Actum & datum in provinciali Bituricensi concilio die jovis ante festum beati Lucæ evangelistæ continuata a die lunæ præcedenti prima die concilii supradicti. Anno domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, indictione 5. pon- A tificatus sanctissimi patris & domini nostri prædicti domini Benedicti papæ XII. anno secundo. Et de suffraganeis dicti domini archiepiscopi Bituricensis IX. reverendis patribus dominis episcopis Ruthenensi, Vabrensi, S. Flori, Claromontensis, Aniciensi, Mimatensi, Cadurcensi, Sarlatensi, Montis Albani, Lemovicensi, Tutelensi; & Deus & beata virgo Maria dirigat ingressus eorum & aliorum presbyterorum, sanctæ sedis apostolicæ obediendorum. Amen. ANNO CHRISTI 1338.

CONVENTUS FRANCFORDIENSIS

In quo de jure ecclesiæ in electione imperatoris actum est,

Anno 1338. *habitus.*

An. 1338. „ F. Henrico de Hervordia Ordinis prædicatorum, qui circa annum 1455. scribebat, in chronico usque ad annum illum perducto & nondum vulgato debemus synopsim actorum celebris hujus Francfordiensis conventus a Ludovico Bavaro imperatore indicti. Ex eo chronico illam sibi adoptavit F. Hermannus Cornerus, cujus chronicon edidit Eccardus in corp. Hist. to. II. pag. 1052. ex quo hic. Quanquam vero a sæculari principe conventus hic habitus; cum tamen ecclesiasticis præsulibus maxima parte constiterit, & de B rebus agat ad ecclesiam pertinentibus, inter ecclesiasticos cœtus locum jure sibi vindicat suum. Ita ergo Cornerus.

Lodovicus Rex Romanorum tenuit curiam solemnem in Frankanford, secundum Henricum de Hervordia. Ad quam curiam venerunt Reges Angliæ & Bohemiæ, & Principes Imperii, & Electores Imperatoris, ac plures alii Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & milites innumeri, Archiepiscopi quoque, Episcopi & abbates plurimi, ac doctores utriusque juris periti, Magistri in Theologia & alii literati. Insuper & civitatum legati, & hominum aliorum spectabilium multitudo copiosa convenerunt. C Horum omnium, quorum interesse poterat, consilio studioso Lodowicus Rex tanquam Imperator plurima statuta, ecclesiæ & Imperio, ut asseruit utilia & necessaria, instituit, declaravit & promulgavit, de plenitudineque potestatis imperialis vim legum eis dedit, & coram his omnibus, eis etiam acclamantibus & congaudentibus publice & solemniter perpetuis temporibus observanda mandavit. De quibus quædam extrahens, præsentibus inserere curavi. Primo namque statuit, quod ad Principes Electores Imperii clericos & laicos immediate pertinere debeat electio Imperatoris. Secundo quod electus per Principes concorditer vel in discordia, dum- D modo a majori parte principum electus sit, efficitur verus Rex Romanorum postea in Imperatorem coronandus. Tertio, quod sic electus potest citra approbationem, assumtionem, nominationem vel confirmationem sedis apostolicæ jura imperii & judicia exercere, & administrare. Quarto quod post electionem hujusmodi sic electus, & electores debent notificare domino Papæ, quomodo talem catholicum & idoneum elegerint legitime in regem Romanorum, petendo cum humilitate, ut sibi faveat coronationem & unctionem, & quod eas sibi impendat. Quod & facere, & tunc tenetur, nisi eum notorie sciat indignum notabili indignitate, & tunc potest sibi suum officium subtrahere. Et si papa idoneo electo negaret coronationem, & unctionem, tunc recipere posset & poterit ab alio episcopo catholico; & exinde intitulare, & scribere Romanor. imperatorem, licet per antea in esse, ex ipsa electione factus sit verus Imperator. Nam coronationes, inunctiones & benedictiones tales sunt quædam solemnitates adventitiæ per ecclesiam inventæ, solum nomen & non rem impendentes, in signum devotionis, humilitatis & unionis inter ecclesiam & imperium. Quæ ambo a Deo processerunt, & sunt inter se diversa, sicut spirituale & corporale, quæ essentialiter nihil habent commune, sed per accidens unita sunt causa defensionis mutuæ, quia una potestas alteram defendere tenetur, prout jura & Chronicæ docent antiquæ. Et Papa major est imperatore, quia dominus spiritualium & animarum; imperator vero dominus corporum & rerum corporalium. Et ideo Papa corrigere potest Imperatorem de peccato sicut alium christianum. Quinto, quod imperator papæ præstabit & ecclesiæ defensionis, devotionis & humilitatis, non autem homagii vel fidelitatis juramentum, quia temporalitatis nihil sibi tribuit, quæ quantum ad omnes procedunt ab imperatore. Sed ratione delicti ipsum corrigere potest, & hoc juramentum est obsequium Christianitatis & fidei, adeo etiam quod si principes requisiti hoc obsequium non præstaverint, possunt excommunicari, ut patet XXIII. q. V. cap. *Administratores*. Sexto quod regimen vacantis imperii pertineat ad papam, dixit omnino esse falsum & ab omni veritate alienum, ac contra consuetudines approbatas, nec non contra sacri imperii libertatem & dignitatem, contraque jura & libertates principum electorum. Nam vacante Imperio, comiti Palatino de Rheno de jure & approbata consuetudine imperii, observata hactenus inconcusse, administratio imperii spectat, secundum ordinationem Karoli Magni, qui imperium ad se rapuit a Græcis, & in Teu-

ANNO CHRISTI 1342.

Teutonicos & Alemannos transtulit, sicut & ecclesiam quasi ad nihilum redactam resuscitavit & ampliavit. Reynoldus comes Gelriæ & Wilhelmus comes Guliaci vel Juliaci, cum gradum Nobilitatis suæ factis quamplurimis insignibus gloriosus adornassent, secundum Chronicam Francorum, uterque in hac curia Frankenfordensi ad statum & gradum nobiliorem per regem Romanorum provectus est, Reynoldus quidem in ducem, & Wilhelmus in Marchionem sublimatus est. De solennitatibus autem omnibus, quæ secundum Imperii consuetudinem in talibus fieri solent, nihil penitus rex vel potius jam imperator nominandus prætermisit, omnia perficiens splendide & jucunde. Et notanter dico, Lodovicum regem amplius nominari debere imperatorem, & hoc virtute constitutionis quartæ immediate supra tactæ, & per curiam regiam de consensu principum electorum & omnium aliorum spiritualium & secularium ibidem congregatorum ordinatæ & promulgatæ, quæ in ipso antea completa fuit, & jam ratificata & approbata per principes. Prædictus autem comitatus Gelriæ, nunc vero ducatus factus, primo nobilis advocatus Gelriæ nominari consuevit. Sed postea Comitia Sutphaniensi non habente hæredem masculum, sed tantum filiam puellulam, Advocatus Gelrensis duxit eam in uxorem, accepta cum ea Comitia Sutphaniensi, de qua per episcopum Trajectensem infeodatus, amplius comes est nominatus, & tandem cum divitiis & potentia invaluisset, Dux per Imperatorem etiam appellatus est. Comitem etiam Vvilhelmum Guliacensem vel Juliacensem eodem modo imperator fecit Marchionem. Et ex hinc in eadem curia Lodowicus imperator nullo cogente vel suadente coram regibus & principibus omnibus tam ecclesiasticis quam secularibus & aliis universis rationem fidei suæ sonore, distincte & devotissime reddidit, & quod fidelis esset christianus, clare plenissimeque declaravit, singulis articulis fidei per aliquantulum temporis immorando, quemlibet eorum fideli- A ter credere, & cuilibet imperterrite adhærere se protestans. Cumque pervenisset ad articulum, & unam S. Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, illi paulo plus immorabatur, asserens, se ab illo articulo nec etiam quantulumcumque declinare, aut in eo hæsitare, sed in eo fidelissimum & firmissimum esse velle. Unde dixit: Credimus enim quod catholica ecclesia docet & prædicat. Quare enim reciperemus Evangelium Matthæi, & non Thomæ vel Thaddæi, nisi quia ecclesia docet, istud acceptandum, & non alia, ut in decretis Patrum Orthodoxorum continetur. Et subjunxit: Nec obstat nobis, si de discordia inter nos & Papam aliquid nobis objiciatur. In omnibus enim ad B fidem, justitiam, veritatem & bonos mores, ecclesiæ consuetudines antiquas & approbatas pertinentibus, & in aliis quibuscumque justis, & sanctis ad fidem qualitercunque necessariis, Papæ & Cardinalibus humiliter, & prompte semper obedivimus, obedimus & obediemus, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, quanquam eorum passiones & adinventiones novitatum periculosarum, ut imperii læsionem, quinimo destructionem, quæ tandem utique vergunt in extremum malum, reipublicæ humiliationem & dejectionem ecclesiæ, non approbemus. Post hæc omnia protestatus est, se petere & desiderare a Principibus omnibus C & christianis quibuscunque, quod Papam, si quo modo possent, ad cor & concordiam revocarent, tum quia fidelibus omnibus hoc expediret, tum quia veritas, quæ Deus est, non nisi in pace consuevit habitare, tum etiam quia dixit, se non esse tam impotentem vel humiliatum, quod vellet extraneis violentiis quibuscunque velut calcaribus perurgeri. Omnibus his peractis, sonore legit & distincte Credo in Deum Patrem omnipotentem, & Orationem Dominicam cum salutatione Angelica, & valedicens Regibus & Principibus omnibus cum exercitu suo magno regressus est in Monacum, & cæteri Principes ad partes suas reversi sunt.

CLEMENS PAPA VI.

Sedit ab anno 1342. usque ad 1352.

AD CONCILII LONDINENSIS

Anno 1342. habiti

Canonem II. explicatio &

ADDITIO.

Archiepiscopi Cantuariensis ordinatio super honestate clericorum in apparatu & etiam super salario sacerdotum.

Affert Wilk. t. III. p. 29.

SImon, &c. discretis viris commissario nostro Cant. generali, officiali archidiaconi nostri Cant. ac omnibus decanis peculiarium jurisdictionem, salutem, gratiam & benedictionem. Dudum in provinciali concilio per bonæ memoriæ dominum Johannem prædecessorem nostrum, London. celebrato, contra clericos tam beneficiatos quam non beneficiatos, breves vestes & excessive longas manicas in suis supertunicis obtinentes, ac quædam alia illicite committentes, ordinatum fuisse salubriter meminimus sub hac forma: exterior habitus, &c. —— Verum quia humana fragilitas semper ad vetita libentius se inclinat, & ea damnabiliter committere audaciori fronte præsumit, quo sub per-

pernitiosæ dissimulationis velamine transivit diutius incorrecta; eapropter dictam constitutionem ad subditorum nostrorum memoriam revocare, et eam plene exequi; eidemque quasdam declarationes et adjectiones facere propter quasdam adinventiones inhonestas, valde noviter exortas, quantum nobis immediate subditos concernere poterit, sub forma decrevimus infrascripta; ipsam namque constitutionem honestam nimium et salubrem specialiter approbantes, ipsam in qualibet sui parte volumus vim habere, & subditos nostros prædictos efficaciter coarctare. Et quia de sacerdotibus non beneficiatis, diac. aut subdiaconis non est in eadem constitutione expressa mentio, licet sub clericorum non beneficiatorum nomine possint in genere comprehendi; nec eosdem sacerdotes, diaconos, et subdiaconos, propter gradum eminentiorem, quem obtinent cum clericis aliis inferioris gradus, quorum non est concors confessio, neque status, si contra contenta in eadem constitutione deliquerint, simili pœna convenit cohiberi, dictam constitutionem declarando, et eidem adiiciendo salubriter de consilio peritorum nobis assistentium, ordinamus, volumus et statuimus; quod singuli sacerdotes non beneficiati, diaconi etiam et subdiaconi, in nostra dioec. seu jurisdictionibus nostris immediatis, etiamsi extra dioec. nostram fuerint ubilibet existentes, contra præmissorum aliquod, post monitionem infrascript. exnunc quomodolibet delinquentes, nisi infra tres menses se correxerint, ipso facto ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, nec ab ipsa suspensione absolvi valeant, quousque unam marcam in pios usus, secundum nostrum arbitrium convertendam, rectori vel vicar. ecclesiæ, in qua celebraverint, sive degunt, persolvant; rectores autem & vicarii hujusmodi pœnam recipientes infra xii. dies, infra dioec. nostram, alias si extra dioec. nostram, & cum infra provinciam nostram fuerimus, nos infra mensem, de nominibus delinquentium & culparum circumstantiis, quantum ad eorum notitiam pervenerit, necnon de quantitate hujusmodi pœnæ sic per eos receptæ, a die receptionis hujusmodi numerand. teneantur reddere certiores, ut sic disponere valeamus, in quos usus summa hujusmodi utilius convertatur. In clericis vero aliis inferioris gradus teneat prædicta constitutio robur suum. Et quanquam dicta constitutio clericis omnibus cujuscunque gradus itinerantibus indistincte brevibus uti vestibus toleret et permittat; ordinamus tamen & declaramus, & volumus, quod vestes hujusmodi non sint nimis strictæ, nec etiam per medium botonatæ; sed sint clausæ desuper et inferius similiter, vel saltem absque botonis scissæ seu apertæ, prout placuerit facienti, & sicut olim fuerant, & statui convenit sacerdotis: alioquin quicunque clericus in sacris ordinibus constitutus utens publice veste hujusmodi botonata per medium in toto vel in parte, duplum ejus, quod pro eo solverit rectori vel vicario suo post monitionem hujusmodi, & lapsum trium mensium immediate sequentium, in pios usus, secundum discretionem nostram similiter erogand. solvere teneatur; quod si infra mensem, a tempore, quo hujusmodi veste botonata publice usus fuerit, dictam pecuniam solvere non curaverit, ab ingressu ecclesiæ vigore præsentium. Et quoniam dudum super salario sacerdotum ordinationem quandam fecimus, quæ hactenus tamen propter sacerdotum avaritiam tam propter caristiam & temporis malitiam, nullatenus servabatur; tamen jam per Dei gratiam tempora in melius commutantur, & bladorum, ac aliorum victualium major abundantia superveniet, ut speratur: propterea dictam ordinationem exequi plenius cupientes, volumus & ordinamus, quod omnes & singuli sacerdotes stipendiarii, qualitercunq. & ubicumq. infra nostram dioec. seu aliquam jurisdictionem nostram immediatam celebrantes pro anno jam præsenti, in quo speratur ubertas amplior, & sic deinceps de salario suo per modum, qui sequitur, conveniant, ordinent & disponant, ulterius ab aliquo sub colore quocunque nullatenus recepturi: sacerdos enim animarum curæ præpositus, & intendens, ultra septem marcas nullo modo conveniat seu percipiat quovismodo; nisi alicujus parochiæ tanta fuerit amplitudo, quod ejus labor de tanta summa non possit rationabiliter compensari, & super excessu nostra prævenerit licentia specialis; sed dicta summa, vel minori, juxta medietatem parochiæ contentetur. Stipendiarius vero alius quilibet quinque marcis ad plus pro suo salario sit contentus, ordinatione nostra prædicta in cæteris partibus in suo robore permansura. Contra vero eam seu hanc nostram declarationem in aliquo venientes ipso facto ab ingressu ecclesiæ auctoritate præsentium sint suspensi, & nos contra eosdem, cum nobis delati fuerint, si in aliquo contemptores fuerint, aut rebelles, rigidius procedere intendimus; ut avaritia eorum illicita refrenetur, & vos offic. & decani jurisdictionum nostrarum immediatarum similiter in capitulis vestris de hoc specialiter inquirentes, & delinquentes hujusmodi, secundum delicti quantitatem ulterius, si res exegerit, punire efficaciter non tardetis. Quocirca vobis in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis majoris, quam si in executione mandati præsentis negligentes fueritis vel remissi, trina monitione nostra canonica præcedente, in personas vestras proferimus, districtius injungimus & mandamus, quatenus constitutionem & ordinationem prædict. una cum dictis nostris declarationibus & adjectionibus in singulis ecclesiis, tam nostræ dioec. quam jurisdictionum nostrarum prædictarum vobis subditarum, tribus dominicis, seu alias festivis, necnon trina vice in tribus capitulis, per vos, offic. vel decanos prædictos in quolibet decanatu extunc circa instans festum natalis Domini celebrand. publicetis palam, publice, & distincte; cuilibet rectori ac vicario dictam constitutionem non habenti, veram ejusdem constitutionis nostrarumque ordinationis prædictæ et præsentis declarationis copiam facientes infra sex dies, a die requisitionis vobis faciendæ continue nu-

Anno Christi 1342.

numerand. Moneatis insuper trina vice in singulis capitulis et ecclesiis prædictis, ut singuli tam beneficiati, quam non beneficiati omnibus & singulis, tam in dicta constitutione, quam in præsenti declaratione nostra expressis, quantum eos concernit, humiliter pareant, & ea devote adimpleant infra terminos eis in hac parte limitatos, sub poenis & censuris in eisdem constitutione, ordinatione, & declaratione plenius designatis; monitionem autem vestram, cum modo, quo præmittitur, publice & generaliter facta fuerit, singulos nobis subditos sic efficaciter arctare volumus, ac si facta foret ipsorum cuilibet nominatim. Et quid feceritis in præmissis, nos infra quindenam a tempore publicationis hujusmodi, una cum præsenti mandato curetis distincte & aperte reddere certiores. Dat. apud Maydestan. iii. calend. Nov. anno 1353. & consecrat. nost. (*a*) quarto.

(a) Rectius quinto.

CONCILIUM ARMENORUM

In quo objecti Armenis in libello errores condemnantur, eorumque fides amplius declaratur,

Anno 1342. celebratum,

Ex MS. codice bibliothecæ regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA P. MARTENE.

Affert Mart. ex MS. cod. bibl. reg. Vet. Mon. t. VII. p. 320.

CUm Leo rex Armenorum, missis ad Benedictum papam XII. legatis, auxilium ab eo postulasset adversus Sarracenos, a quibus gravissimas clades acceperat; respondit pontifex nullam ab ecclesia Romana opem esse sperandam, nisi prius Armenorum populi, quibus infecti erant, errores penitus omnes ejurarent. Nam fide dignorum acceperat relatione, non pauca apud eos prævaluisse prava dogmata, quæ quidem ante omnia erant præcidenda. Facta quippe diligenti inquisitione, interrogatisque Armenis nonnullis, atque aliis viris probis, qui aliquandiu in Armenia erant conversati, errorum libellum collegit amplissimum, quo ad regem & patriarcham misso, mandavit, ut generali totius regni congregato concilio, objectos errores emendarent. Libellum illum, qui articulis decem & septem supra centum constat, ad annum 1341. edidit Odoricus Rainaldus, ubi observat Leonem regem graviter tulisse regnum suum ea fœditate inquinatum; & Armenos ut hæreticos apud sedem apostolicam fuisse traductos, Danielemque monachum ejus jussu ad excusandos Armenos commentarium edidisse, atque ad Benedictum papam transmisisse. Jussit præterea Leo generale sui regni coadunari concilium, in quo objecti suis errores damnarentur, & fidei ratio publico testimonio redderetur.

Acta concilii illius, seu responsiones ad singula objectorum errorum capitula, ex ms. cod. bibliot. reg. hic exhibemus, in quibus etsi purgare se Armeni tentaverunt, non omnino tamen apparet illorum fides in omnibus illibata. Quapropter qui Benedicto XII. successerat Clemens papa VI. novos ad eos anno 1346. direxit nuncios, qui singulos fidei Christianæ articulos credendos, atque traditiones ecclesiæ Romanæ deferrent observandas, ut ex hac discimus epigraphe, quæ ad calcem regii codicis legitur.

Anno Domini MCCCXLVI. de mense aprili scriptum fuit hoc opus per me fratrem Johannem Dei gratia episcopum Sutrinum, quando de mandato domini nostri papæ debui mitti ad gentem Armenorum, ad portandum eosdem articulos fidei & traditiones ecclesiæ Romanæ: in quo continentur 1. articuli sanctæ Romanæ ecclesiæ, ad quos tenetur omnis fidelis catholicus, sine quibus non est salus: quos dominus Benedictus XII. disposuit mittere antedictis. 2. Errores Armenorum cum responsionibus eorum ad colorandum falsitates contentas in dictis articulis convocato eorum generali concilio. 3. Impugnationes errorum prædictorum auctoritatibus sacræ scripturæ & rationibus. 4. Errores Græcorum cum impugnationibus eorum. 5. Errores Jacobitarum cum impugnationibus eorum.

Sutrinus tamen episcopus ad Armenos non videtur profectus, sed alios misit Clemens internuncios, scilicet Antonium episcopum Cajetanum, & Joannem electum Coronensem, quos designat in ea, quam ad Catholicon Armenorum scripsit epistola, apud Raynaldum ad annum 1346. num. 6.

ACTA CONCILII.

IN nomine, in gloria Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Anno Incarnationis Domini MCCCXLII. honorabilissimus pater dominus Benedictus XII. sanctissimus pontifex Romanus misit ad ecclesiam Armenorum libellum unum de erroribus, quos errores dicebat se audivisse ab aliquibus detractoribus ecclesiæ: ideo paterna pietate rogabat Catholicon (a) & regem Armenorum, petendo ab eis, ut cum sy-

(a) Quid sit apud Armenos Catholicon explicat Jacobus a Vitriaco in Hist. Hierof. cap. 78. *Habent*, inquit, *prædicti Armeni primatem, quem Catholicon appellant, cui cumsummo honore & reverentia, omnes a minimo usque ad maximum, tamquam alteri papæ obediunt*. Unde & a Guillelmo Tyrio l. 15. c. 18. dicitur: *Maximus Armenorum pontifex*.

synodo antiſtitum eccleſiæ Armenorum ſuprafcriptos errores prædicti libelli audirent, cum examinatione condemnarent tamquam inimicos catholicæ fidei, ut fides orthodoxa cathol. eccl. ſine quocumque errore teneatur, prædicetur ; & colatur, & in partibus Armenorum, ſicut in eccleſia Romana. Ideo ego dominus Mekquitar, quamvis indignus, tamen providentia divina Catholicon omnium Armenorum, de voluntate & conſenſu glorioſi domini Conſtantini gratia & electione Dei regis omnium Armenorum, venerabilium principum ejus, & diligentium Chriſtum ; etiam cum conſilio & adjutorio omnium epiſcoporum, magiſtrorum, abbatum monaſteriorum, aliquorum aliorum eccleſiaſticorum virorum idoneorum qui ſunt hi:

Archiepiſcopi.

Dominus Baſilius Siſſi.
Dominus Vartan Tarsenſis.
Dominus Stephanus Ananarſenſis.
Dominus Marchus Cæſareæ Cappadociæ.
Dominus Baſilius Iconienſis.
Dominus Simeon Sebaſtienſis.

Epiſcopi.

Dominus Baſilius de *Partepert*.
Dominus Gregorius Actanenſis.
Dominus Johannes de Leace.
Dominus Nerſes Campanienſis.
Dominus Johannes de *Matbekar*.
Dominus Gregorius Germanicenſis.
Dominus Baſilius Augurienſis.
Dominus David Taronenſis.
Dominus Daniel de Themeſca.
Dominus Stephanus Trapiſanenſis.
Dominus Paulus Coquanenſis.
Dominus David Camando.
Dominus Gregorius *Maſgacim*.
Dominus Mesrobus de *Sorcanant*.
Dominus Gregorius *Tartuyn*.

Epiſcopi vero nullatenſes ſunt iſti.

Dominus Johannes.
Dominus Conſtantinus.
Et alius Domius Johannes.
Dominus Stephanus.

Et epiſcopi de curia Catholicon.

Dominus Sergius.
Dominus Baſilius.
Dominus Gregorius.
Et publicus notarius dominus Baſilius.

Et magiſtri eccleſiæ ſunt iſti.

Daniel de ordine Minorum lector Siſſi.
Baſilius lector de *Mageguar*.
Johannes magiſter domus catholicon.
Magiſter Stephanus.
Magiſter Nerſes de *Poſenant*.

Et abbates monaſteriorum ſunt hi.

Johannes abbas de *Agner*.
A Karabet abbas de *Cirorim*.
Thoras abbas de *Moiſmos*.
Stephanus abbas de *Queſſedan*.
Johannes abbas de *Pelor*.
Conſtantinus abbas de *Leſernat*.
Herabiet abbas S. Romani.
Johannes abbas de *Kaylcoyn.*
Leon abbas de *Quemerquecon*.
David abbas de Perger.

De ordine ſacerdotum idoneorum ſunt iſti.
Leon archipresbyter palatii regis.
Jacobus archipresbyter Siſi, & alii ſacerdotes.
Baſilius archipresbyter de Athana, & alii ſacerdotes.
B Deodatus archipresbyter de Tharſo, & alii ſacerdotes.
Conſtantinus ſacriſta, etiam ſacriſtæ majorum eccleſiarum.
Conſtantinus de ſancta Sophia, & canonici ejusdem eccleſiæ.
Johannes de ſancta *Ethennacine*, & aliqui canonici ejusdem eccleſiæ.

Congregati inſimul legimus & audivimus libellum errorum & falſitatum, quem in omni parte ſua examinavimus, & ſeparavimus veritates orthodoxæ fidei & ſacramentorum ſanctæ eccleſiæ a falſis & variis erroribus, quos nobis impoſuerunt, ſicut quemlibet in articulis errorum ubi memorantur, C manifeſtamus piiſſimo & ſacratiſſimo patri noſtro domino Clementi papæ Romano, ſucceſſori præmemorati domini Benedicti & apoſtolicæ ſedi ejus. Scilicet fidem & ſacramenta ſancta, ſecundum ritum & modum, ſecundum quem habuit eccleſia Armenorum, & nunc habet & confitetur. Et errores aliquorum Armenorum, quæ quandoque demanaverunt, tamen a nobis non recipiuntur, ſed ſpernimus ſemper & condemnamus errores hæreticorum alienigenarum, quos non tenuimus, nec habemus, & quos alias non audivimus, quos falſe nobis impoſuerunt, condemnavimus omnes cum anathemate, ſicut ſemper apud vos anathematiza- D ti ſunt. Et hæc patent in præſenti libello malorum, in cujus principio dicit hoc.

Et primo, quod aliqui antiqui magiſtri Armenorum dixerunt & prædicaverunt, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio, ſicut & a Patre.

RESPONSIO. Verum eſt hoc, quod quamvis valde parum habeamus ſuper iſta materia, tamen in aliquibus locis invenitur in libris noſtris proceſſio Spiritus a Filio ſicut a Patre, ſicut in oratione Pentecoſten, quæ omni anno communiter legitur in tota eccleſia Armenorum, & oratio dicit ſic: *Qui es, Domine, Dominus virtutum, & Deus verus, fons luminis, & in te procedens in-* E *ſcrutabiliter ex Patre & Filio, mirabilia operans Spiritus-ſanctus*. Et S. Cyrillus dicit: *Neceſſe eſt Spiritum Filii confiteri eſſe eſſentiæ, quia ſicut ab ipſo eſt ſecundum eſſentiam, ad creaturas ab eo miſſus renovationem operatur*; & ſimilia. Sequitur.

Sed a ſexcentis & duodecim annis citra, magiſtri & prælati, & alii Armeni de majori Armenia, dimiſerunt prædicare & dicere quod Spiritus-ſanctus procedat a Filio ſicut a Pa-

ANNO CHRISTI 1342.

a Patre, quia in dicto tempore factum fuit concilium apud Armenos, ubi fuerunt Catholicon, episcopi & magistri Armenorum & patriarcha Assyriorum, & ibi determinaverunt, quod de cetero non diceretur apud eos, quod Spiritus-sanctus procederet a Filio sicut & a Patre, & condemnaverunt antiquos doctores Armenorum, qui fuerant ante dictum concilium, eo quod dixerant & docuerant quod Spiritus-sanctus procedit a Filio, sicut a Patre; persecuti sunt incarcerando eos & in vinculis ponendo; & sic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere, nisi soli illi qui reuniti sunt sanctæ Romanæ ecclesiæ.

RESPONSIO. Hæc omnia sunt verba confusionis noviter inventa, & absque veritate, quoniam si tale quid inter Armenos fuisset factum de processione Spiritus, tunc vel per libros, vel per successionem pervenisset ad nos, quod tamen numquam audivimus, & quod supradicta non sunt vera duplici ratione manifestamus. Primo, quia dicitur in primo articulo. Et sic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere; sed nos ostendimus in prima parte hujusmodi articuli in oratione Spiritus-sancti, quod per totam ecclesiam Armenorum Spiritus-sanctus prædicatur, ut dicitur, procedere a Filio sicut & a Patre. Secundo, quia dicit, quod in concilio illo erat patriarcha Assyriorum; & in tertio articulo dicit, quod in dicto concilio condemnaverunt concilium Calcedonense; sed concilium ubi invenitur fuisse patriarcha Assyriorum & contra concilium Calcedonense, illud est concilium Manasgardense, & ibi non fit mentio de processione Spiritus. Ergo falsum est quod dicunt. Item, sciendum est, quod quando processio Spiritus-sancti determinata fuit a Filio sicut a Patre per ecclesiam Romanam, quamvis Græci contrarii fuerint, tamen magistri Armenorum cum synodo receperunt, sicut invenitur apud nos in historiis quæ sunt in majori Armenia; sed nomen papæ qui misit, manifeste non habemus; & in minori Armenia, tempore regis magni HECON, & catholicon dom. CONSTANTINI, GREGORIUS papa misit legatum, & mandavit per epistolam dicere & confiteri Spiritum-sanctum procedere a Filio sicut a Patre, & ipsi cum concilio receperunt, & confirmaverunt, & miserunt in Oriente & illi etiam receperunt & consenserunt; sed post tempora unionis nostræ cum ecclesia Romana, magis declaratum fuit & dispersum in tempore ESIN regis & domini CONSTANTINI catholicon. Illud vero quod dicunt, quod de novo uniti ecclesiæ Romanæ dicunt processionem a Filio sicut & a Patre, verum est. Sequitur.

Et si quandoque invenitur in libris eorum, quod Spiritus-sanctus procedit a Filio, hanc processionem Spiritus-sancti intelligunt de ejus processione temporali ad sanctificandam creaturam, non de processione ejus æterna, qua processit æternaliter a Patre & Filio in esse personali.

RESPONSIO. Et hoc etiam non est verum, quoniam ubi in libris nostris invenitur Spiritus-sanctus procedere a Patre & Filio, vel spiritualiter, vel una persona, ubi verba non aspiciunt, nec dirigunt ad creaturas, sed ad personas Patris & Filii, tunc illam pro æterna processione intelligimus, sicut in oratione superius; sed quando datur vel mittitur Spiritus-sanctus a Filio ad creaturas renovationem operari & sanctificare, tunc illam intelligimus pro temporali ejus processione: ideo non bene dicunt:

Item, quod Armeni articulum fidei in symbolo positum de Spiritu-sancto sic pronuntiant: Credo in Spiritum-sanctum, increatum & perfectum, qui locutus est in lege, & prophetis, & in evangeliis, & descendit in Jordane, & prædicavit in apostolis, & habitat in sanctis. *Nullam mentionem facientes, quod Spiritus sanctus procedat a Patre, vel a Patre & Filio.*

RESPONSIO. Sciendum est, quod *increatum & perfectum* addiderunt sancti patres contra hæreticos, qui creatum & imperfectum Spiritum dicebant. Et illud quod dicit, quod nullam mentionem faciunt in simbolo, quod Spiritus-sanctus procedat a Patre, nec a Patre & Filio, quamvis in aliquibus locis ex defectu scriptorum & ex negligentia prælatorum inveniatur, sicut dicunt supra; communiter tamen invenitur in libris, & sic dicitur in ecclesia Armenorum, *& in Spiritum-sanctum, qui a Patre emanat.* Et postquam ecclesia Armenorum unita fuit cum ecclesia Romana, dicimus manifeste & docemus Spiritum-sanctum procedere a Filio sicut a Patre. Sequitur.

Quando tamen legunt evangelium Johannis, ubi dicitur, quod Paraclitus procedit a Patre, hæc dicunt & confitentur.

RESPONSIO. Verum est hoc. Sequitur.

Sed multi ex eis negant quod Spiritus-sanctus procedat a Filio. Et si aliqui hoc credant, tamen non audent hoc manifeste dicere.

RESPONSIO. Numquam invenimus quod ecclesia Armenorum contraria fuit processioni Spiritus-sancti a Filio, vel quod non ausa fuerit confidenter prædicare, maxime nunc; quia unita est ecclesiæ vestræ, licet membra Christi non fuerint sine aliquibus adversariis. Sequitur.

Licet in concilio Calcedonensi non fuit determinatum expresse, quod Spiritus-sanctus procederet a Filio sicut & a Patre, sed hoc fuerat determinatum in conciliis Constantinopolitano & Ephesino; quod tamen concilium Calcedonense approbavit determinationem in dictis conciliis prioribus, ideo reprobando dictum concilium Calcedonense, dicti Armeni reprobaverunt dicta concilia, quæ per dictum concilium approbata fuerunt, inter quæ erat, quod Spiritus-sanctus procedit a Filio sicut & a Patre.

RESPONSIO. Concilium Calcedonense aliqui de Armenis non propter hoc reprobaverunt, quia recipit Constantinopolitanum & Ephesinum concilia, etiam determinata in eis quæ Armeni universaliter recipiunt sancta & orthodoxa cum omnibus determinationibus suis, & festivant omni anno in memoriam eorum, qui non reprobaverunt concilium Calcedonense; propter hoc fuit, quia ab aliquibus malis & falsis seminantibus turbationem in ecclesia, quos abhorret Spi-

Spiritus-sanctus, diffamatum fuit apud Armenos, quod sanctum & gloriosum concilium Calcedonense recepit hæreses Nestorii; ideo crediderunt aliqui Armeni ignoranter errantes, & reprobaverunt sanctum concilium, & nefandum judicaverunt. Et causa non recipiendi Leonem papam fuit duplex. Primo quia in quatuordecim capitulis epistolæ suæ, quam misit ad synodum Calcedonensem, invenitur hoc verbum: *Verbum caro factum est, & tabernaculavit in nobis*, sicut in lingua nostra est translatum: apud vos vero quomodo invenitur ignoramus. Et hoc reprobant Armeni. Secunda est, quia erat caput & celebratur concilii Calcedonensis; sed aliqui perversi, qui diffamaverunt concilium Calcedonense, dixerunt ipsum habere errorem Nestorii; similiter & caput concilii, B. Leonem, quem nos sanctum reputamus simul cum concilio, & docemus ignorantes.

Item, quod in dicto concilio condemnaverunt concilium Calcedonense, ex eo principaliter, quod in dicto concilio Calcedonensi erat determinatum, quod in Domino JESU CHRISTO erant duæ naturæ, humana scilicet & divina, & unica persona subsistens in duabus naturis; & in dicto concilio determinaverunt, quod sicut in Domino JESU CHRISTO erat una persona, ita erat una natura divina, & una voluntas & una operatio; & anathematizaverunt dicentes contrarium, & illos qui contrarium dicebant persecuti sunt, eos incarcerando, vinculando, & morti tradendo; in dicto etiam concilio condemnaverunt B. Leonem papam & epistolas ejus, quas miserat ad concilium Calcedonense & ad Flavianum patriarcham Constantinopolitanum, in quibus B. Leo scripserat, quod in Domino JESU CHRISTO erant duæ naturæ, & una persona, duæ voluntates & duæ operationes.

RESPONSIO. Sciendum est, quod concilium Manasgardense factum fuit contra Armenos illos, qui a tempore ESDRAS catholicon usque tunc receperant concilium Calcedonense & determinationes ejus, ut manifeste invenimus & causam condemnationis Calcedonensis concilii posuimus in secundo articulo, quod Armeni illi qui reprobaverunt concilium Calcedonense, propter hoc fuit, quod divulgatum fuit, quod recepit hæreses Nestorii. Sed post hoc fuerunt duo concilia facta, unum in Sisio per dominum GREGORIUM, secundum in Adana per dominum CONSTANTINUM, contra dictum concilium Manasgardense, quæ sine comparatione erant solemniora, quam Manasgardense concilium. Et in conciliis Sisi & Adanæ determinatum fuit contra determinationes Manasgardensis concilii, scilicet recipere concilium Calcedonense & determinata in eo per sanctos patres, qui propter duas naturas, voluntates & operationes Christi Domini determinaverunt taliter sicut fuerunt in Christo propter perfectam humanitatem & divinitatem ejus, sicut nunc habet universalis ecclesia Romana, & nos eadem confirmando facimus, & docemus, sicut prænominati prædecessores nostri determinaverunt. Sequitur.

Et in dicto etiam concilio Dioscorum con-

A *demnatum per dictum concilium Calcedonense canonizaverunt, & pro sancto haberi voluerunt, & adhuc ter in anno faciunt festum de eo, sicut de sancto, & eum laudant ut sanctum, & maledicunt B. Leonem & concilium Calcedonense, qui condemnaverunt dictum Dioscorum. Dicunt etiam quod illi qui consenserunt determinatis in dicto concilio Calcedonensi, Christum negaverunt.*

RESPONSIO. Sciendum est, quod Dioscorum ideo aliqui tamquam sanctum receperunt, quia audierant, sicut scriptum est, quod concilium Calcedonense recepit hæreses Nestorii, & dictus Dioscorus contrarius fuit concilio Calcedonensi, quasi zelator veritatis. Ideo excommunicaverunt concilium B Calcedonense & papam Leonem, quasi divisores veritatis ecclesiæ, & cum canticis semel in anno laudant ipsum Dioscorum sicut testem veritatis. Et hoc tunc faciebant, quando ignorabant veritatem; sed postea scientes veritatem, cessaverunt a quinquaginta annis citra in Cilicia & in Armenia majori, qui obediunt nobis, & dictum canticum extraxerunt de libris, & novum canticum composuerunt pro sancta synodo Calcedonensi. Et est hoc: *Ex duabus naturis unitis, inconfuse ostendistis unum Filium, unum Deum, unum Christum. Idem Deum Verbum cum corpore indivisum, Verbum incarnatum. Ergo matrem Dei genitricem.* C Non in humanatione Verbi confundimus naturam corporis in rem fantasticam, & non duas personas divisas unum id est Christum dividimus; & propterea anathematizamus Nestorium, & contra illos qui reprobant concilium Calcedonense & determinata in eo.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod peccatum primorum parentum personale ipsorum tam grave fuit, quod omnes eorum filii ex semine eorum propagati, usque ad Christi passionem, merito dicti peccati personalis ipsorum, damnati fuerunt, & in inferno post mortem detrusi.

RESPONSIO. Mente genita & de novo D inventa sunt hæc verba, quia transgressionem mandati Dei a primis parentibus intelligimus personale peccatum eorum, unde ortum fuit peccatum originale in natura, per quod iverunt nati ex eis in infernum, etiam propter actualia peccata sua, sicut de Dathan & Abiron, ut habetur num. x. propter inobedientiam suam, & non propter transgressionem primorum parentum descenderunt vivi in inferno, & cooperti sunt terra, & perierunt in medio multitudinis populi. Et Luc. xvi. dicitur: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Et hæc etiam veritas Dei non propter causam peccati personalis Adæ dicit, sed quia erat homo di- E ves, per quem ostendit abundantiam divitiarum & concupiscentiam oculorum: qui induebatur purpura et bisso, & per hoc designat superbiam & vanam gloriam hujus vitæ; & comedebat quotidie abundanter, & per hoc designat delicias & desideria carnis: quibus de causis hic dives & alii etiam homines vadunt ad infernum, & non propter peccatum personale Adæ; & alia multa similia, quæ propter brevitatem dimittimus. Sequitur.

Ff Non

ANNO CHRISTI 1342.

Non propter hoc quod ipsi ex Adam aliquod peccatum originale contraxerint, cum dicat pueros nullum omnino habere peccatum, nec ante Christi passionem, nec post.

RESPONSIO. Sciendum est quod hæresis ista est Pelagiana, & Cœlestini, qui Armeni non erant. Nam isti dicebant, quod peccatum primæ transgressionis non originaliter transit ad alios, sed consequenter, scilicet eadem operando; & ideo dicebant, quod in parvulis peccatum non est, & sic dicebant, quod in baptismo parvulorum non fit remissio peccatorum, & contra hæresim istam in Quarqueton fuit concilium, & anathematizati fuerunt a sanctis patribus, qui negant & non confitentur, quod parvuli baptizentur in remissionem peccatorum, vel quod nihil de Adam traxerint de originali peccato, quod necesse est purgari per lavacrum regenerationis. Nos pariter cum dictis sanctis patribus supra scriptam hæresim una cum hæreticis anathematizavimus, & anathema sit adhuc. Amen. Quod autem manifestum sit, quod ecclesia Armenorum in errore isto numquam fuit, ponimus orationes ecclesiæ Armenorum, per quas petit noviter natis remissionem peccatorum in baptismo, & alias gratias. Et sunt hæ. *Misisti apostolos tuos jubens prædicare & baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti omnes gentes. Sed ordinasti verissimo verbo tuo non renatis ex aqua & Spiritu vitam æternam non videre: a quo verbo pertimescens servus tuus, desiderans vitam æternam, venit voluntarie ad baptismum hujus aquæ spiritualis.* Deinde dicit: *Concede aquam istam, in qua nunc baptizatur iste in remissionem peccatorum, & in receptionem Spiritus-sancti, in adoptionem Patris cœlestis, in hæreditatem regni cœlorum, ut sanctificatus a peccatis, in beneplacito tuo stet in hac vita, & in futuro bonum indeficiens recipiat cum omnibus sanctis.* Item, alia oratio.

Qui vocasti servum tuum, Domine, in sanctificationem & illuminationem baptismi, rogamus te, Domine, fac hunc dignum magna gratia, & exspolia ab eo antiquitatem peccati, & cetera. Post vero formam baptismi in oratione quæ incipit, *Qui illuminasti*, sequitur sic: *Liberasti eum, sanctificasti & justificasti, et dedisti adoptionis honorem.* Nunc cogitent subtiliter quomodo ecclesia Armenorum parvulis de quo peccato remissionem peccatorum petit, & a quibus peccatis parvulos dicit & credit liberari, sanctificari, & justificari. Igitur non de actuali, quod non habent. Ergo necesse est dicere & confiteri, quod de originali, & necesse est ipsos confiteri quod falsum dixerunt. Sequitur.

Sed dicta damnatio ante Christi passionem eos sequebatur ratione gravitatis peccati personalis; quod commiserunt Adam & Eva transgrediendo divinum præceptum eis datum.

RESPONSIO. De hoc superius respondimus quomodo intelligimus in principio hujus capituli. Sequitur.

Sed post Domini passionem, in qua peccatum primorum parentum deletum fuit, pueri qui nascuntur ex filiis Adæ, non sunt damnationi subjecti, nec in inferno ratione dicti peccati sunt detrudendi, quia Christus totaliter peccatum primorum parentum delevit in sua passione.

RESPONSIO. Hoc falsum est, quia apostolicæ & evangelicæ doctrinæ, quibus credimus, & etiam ordinationibus ecclesiæ Armenorum contrarium est; quia quamvis personale peccatum primorum parentum deletum fuit per passionem Christi, tamen originale necesse est per baptismum mundari. Ideo dicit Christus: *Qui non renascitur ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Et Petrus etiam dicit: *Baptizetur quilibet vestrum in nomine JESU CHRISTI in remissionem peccatorum vestrorum, & recipiatis gratiam Spiritus-sancti.* Et secundum fidem & consuetudinem ecclesiæ Armenorum, nullus potest intrare ad vitam, nisi solum illi, qui per regenerationem baptismi sunt mundati a peccatis, sicut superius in oratione manifestavimus. Igitur non est verum quod dicunt.

Item, quidam magister Armenorum vocatus Mechicarin, qui interpretatur Paraclitus, de novo introduxit & docuit, quod anima humana filii propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore; & angelus etiam unus ab alio: quia cum anima humana rationalis existens, & angelus existens intellectualis naturæ, sunt quædam lumina spiritualia, ex seipsis propagant alia lumina spiritualia, & in hoc sequuntur eum quasi omnes de provincia Argeciensi, quæ est magna provincia continens VII. dietas. Alii vero Armeni non dicunt hoc, sed quod Deus omnes animas creat; & Armeni de dicta provincia habent illum Mechicarim pro sancto.

RESPONSIO. Tale quid ab aliquo alio non audivimus de supradicto Mechicarim, & illis qui hoc dixerunt non est dignum nobis credere, quousque certificati fuerimus a fidelibus viris, quia ipsi etiam maxima mala dicunt de Armenis, quæ numquam audivimus. Tamen hic error quod anima hominis propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore, & unus angelus ab alio, semper fuit excommunicatus in ecclesia Armenorum, & maledictus sit, quia dicta ecclesia sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animæ creantur noviter a Deo, & in tempore animandi simul fit creatio animæ de novo a Deo, & positio in corpus: animæ vero virorum post quadraginta dies seminis, & mulierum post octuaginta dies, sicut dicit Gregorius Nyssenus. Sicut audivimus supradictus Mechicarim mortuus est, mittens magistris ut caveant, quod si inveniatur talis error factus, quod non attendant, nec consentiant, & si aliquis libellus ejus remanserit, in quo talem blasphemiam locutus fuerit, tollatur & igni comburatur.

Item, dicunt Armeni, quod animæ puerorum qui nascuntur ex Christianis parentibus, post Christi passionem, si moriantur antequam baptizentur, vadunt ad paradisum terrestrem, in quo fuit Adam ante peccatum. Animæ vero puerorum, qui nascuntur ex parentibus non Christianis, post Christi passionem, & moriuntur sine baptismo, vadunt ad loca ubi sunt animæ parentum suorum ipsorum.

RESPONSIO. Ecclesia Armenorum inter pueros non baptizatos, sive de Christianis sint

sint nati, sive de infidelibus differentiam non facit, sicut supponunt in articulo; sed eos uniformiter secundum sententiam Domini privat a paradiso cœlesti, & quamvis gloriam non habent, nec poenam sensibilem habebunt, ut dicit Saulius, pueri fidelium qui non baptizantur, & pueri infidelium, nec ad poenam intrabunt, nec ad regnum, quoniam nec bonum nec malum fecerunt; & locum in quo vadunt non manifeste ostendunt, sed indifferenter dicebant, quod vadunt ubi Deus ordinavit pro eis, & non sicut ipsi dicunt, quod vadunt in paradiso. Postea vero addiscentes a vobis quod vadunt in limbo, qui est super infernum, & de hoc docti sic dicimus, quare reprehenditur falsitas eorum.

Item, dicti Armeni dicunt, quod animæ hominum adultorum qui mortui sunt vel morientur post Christi passionem, vadunt in aere vel in terra, quæ est juxta paradisum terrestrem, vel alibi, ubi Deus ordinat ipsas manere usque ad diem judicii, sive sint Christiani, sive non. Nulla tamen anima ipsorum vadit ad infernum, vel paradisum cœlestem vel terrestrem, usque ad dictum tempus judicii.

RESPONSIO. Omnia supradicta sunt falsa, & criminosa dicere communiter esse in ecclesia Armenorum, quia quamvis aliquis de magistris habente opinionem Græcorum, dicebant quod animæ justorum, quamvis in requie sint, tamen usque ad resurrectionem generalem, quando animæ accepturæ sunt corpora sua, in regnum cœlorum non ibunt; tamen ecclesia Armenorum, maxime nos omnes justas animas de quocumque statu sint, cantamus & credimus, quod iverunt & vadunt ad vitam æternam, & non juxta paradisum, & ad alia loca sicut supra dicit. Unde primo cantamus de B. Virgine: *Hodie (in) habitaculum Spiritus-sancti supernæ virtutes transmutantur in cœlum, introiens in superna Jerusalem, in thalamum incorruptibilem, in incredibilem Creatoris. . cum Trinitate*, & alia similia multa. De Adam autem dicitur. *Qui fructum vitæ ex te obtulisti mortuo Adæ cujus cum jejuniis quadraginta dierum gustum fructus purgavit, & in vitam sine fine perduxit eum.* De prophetis: *Qui morte tua, Domine, dolores mortis solvisti, descendens in infernum reduxisti tecum animas justorum prophetarum ad lumen sine umbra*, &c. De apostolis: *Qui recepit ad vitam incorruptibilem sanctos apostolos, & collocavit in lucidis.* Item, *Passi fuerunt pro Christo, & in eum posuerunt spem suam, & sanguinem suum effuderunt in terram, & coronati sunt de immortali rege.* De martyribus: *Cum victoriosa patientia complevistis cursum vestrum, & translati fuistis de terrenis ad cœlestia, & recepistis a Christo coronam incorruptibilem.* Item: *Qui de exercitu terrenorum militantes tibi cœlesti regno, collocati sunt cum angelis in cœlis, testes tui vertices.* De confessoribus: *Splendent justi in regno, & anachoriten, in requie martyres coronantur.* Lampades virginum accenduntur, *Domine, cum eis, qui te Deum confitentur.* Item: *Qui cursum suum perfecerunt cum beneplacito tuo, Christe, & coronam incorruptibilem receperunt de te.* Iterum: *Martyrizati per angustias contra inimicum, & transmutati sunt in regnum cœlorum.* De virginibus: *Ædificia cœlestia in terra firmata, & columnæ lucidæ ad coelum erectæ ipsæ ascenderunt, & altis ostenderunt viam desiderabilem supernæ Jerusalem.* Iterum: *De gloria ad gloriam exaltatæ, gloriantur in honore & gloria triginta septem, quoniam hic est munus beatarum virginum, quæ immarcescibiliter coronatæ fuerunt in æternum sine fine.* Iterum: *Plusquam luminaria in medio stellarum splendent in choris angelorum filiæ supernæ Jerusalem.* Generaliter autem pro omnibus defunctis dicimus: *In civitate Domini virtutum, & in civitate regis magni; ubi congregatio sanctorum est in pace ibunt cum spe, & requiescent in choris angelorum, videntes lumen æternum.* De illo autem quod dicebatur, quod nulla anima ibat ad infernum, Matth. VII. dicitur: *Lata est porta & larga via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Quod audientes, credimus quod nunc post passionem Domini, multi secundum verbum Domini per latam portam & largam viam vitiorum intrant infernum. Idem Apocalypsis XX. dicit: *Mors & infernus dederunt mortuos suos & judicati sunt, quilibet secundum opera sua, & mors & infernus traditi sunt in stagno ignis, hæc est mors secunda, & qui non fuit in libro vitæ scriptus, projectus fuit in stagno igneo.* Beatus Johannes, cujus verbis firmiter & sine scrupulo credimus sicut Christo, manifestat quod mors, quæ est diabolus & infernus, nunc recipiunt filios perditionis post mortem, & in finali judicio dandi sunt judici omnium, ut unusquisque respondeat de factis suis, & quia filiorum perditionis nulli inveniuntur in libro vitæ, a judice simul cum morte & inferno iterum in lacum igneum mittentur, id est in inferno sæcula sæculorum, qui est mors secunda. Iterum B. Cyrillus a quodam interrogatus: Recordantur ne de nobis animæ recedentes a nobis sicut angeli, aut non? Respondit, animæ sanctorum recordantur omni tempore: tamen peccatorum qui in inferno sunt, Dei non recordantur. Qualiter ergo nosti? Audi de hoc quid dicit David, *Non est in morte, qui memor sit tui, aut, in inferno quis confitebitur tibi?* Iterum: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Ecclesia Armenorum habet & prædicat, quod post passionem Domini peccatores non pœnitentes vadunt ad infernum, & justi ad regnum cum anima, sed post finale judicium ibunt cum anima & corpore, sicut superius manifestavimus, & non sicut in illo mendacio quod dicitur in articulo, quod nulla anima illorum vadit ad infernum vel regnum: & si sunt aliqui simplices & errantes, qui sunt extra veritatem, qui de regno & inferno aliud dicunt vel scribunt, eos non recipimus, sed habemus ut contrarios veritati & errantes. Sequitur.

Et ut dicunt, animæ puerorum non baptizatorum ad generale judicium venient cum corporibus suis, & post judicium ibunt ad paradisum terrestrem, in quo volabunt sicut columbæ de una arbore ad aliam, & sicut angeli de cœlo ad terram, & de una parte ad aliam; non tamen habebunt gloriam, nec sustinebunt pœnam aliquam.

ANNO CHRISTI 1342.

ANNO CHRISTI 1342.

RESPONSIO. Hæc omnia sunt falsa & fantastica verba, & etiam respondimus supra in sexto articulo. Sequitur.

Post generale vero judicium, animæ adulterorum ibunt ad loca, quæ eis deputabuntur post dictum generale judicium.

RESPONSIO. Justi ad vitam æternam, & peccatores ad tormenta, sicut superius dictum est, & non aliter.

Item, Armeni dicunt, quod animæ puerorum baptizatorum & animæ multum perfectorum hominum, post generale judicium intrabunt in regnum cœlorum, ubi carebunt omni malo pœnali hujus vitæ, quia nec esurient, neque sitient, nec nubent nec nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlis, nec peccare poterunt, nec cadere a statu in quo erunt.

RESPONSIO. Hæc omnia vera sunt non solum pro valde perfectis hominibus, sed & pro omnibus animabus justorum, quæ nunc sine corpore intrant in vitam, & post generale judicium cum anima & corpore simul. Sequitur.

Non tamen videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest; sed videbunt claritatem Dei, quæ ab ejus essentia emanat, sicut lux solis emanat a sole, & tamen non est sol.

RESPONSIO. Hoc quod dicit, quia non videbunt essentiam Dei, &c. sicut supra, contrarium est evangelicæ & apostolicæ doctrinæ, quibus credit ecclesia Armenorum, quoniam eodem modo videbimus Deum sicut & angeli vident. Unde de angelis Matth. XVIII. *Angeli eorum videbunt semper faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Et quod nos etiam sicut angeli Deum videbimus, ad Cor. XIII. testatur: *videmus nunc per speculum & in ænigmate; tunc facie ad faciem.* Facie ad faciem dicit, quoniam videbimus manifeste essentiam Dei. Item apostolus comparando visionem illam manifestat, & dicit: *Nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, sicut & cognitus sum*, id est, sicut Deus videt & cognoscit nos tunc, & nos etiam videbimus Deum, secundum mensuram dignitatis & potentiæ nostræ, & non quantum Deus seipsum videt. Et quod videbimus Dei essentiam Johannes testatur: *Scimus quod quando ille revelabitur, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est.* Scilicet quia videbimus essentiam, magnitudinem, claritatem, sapientiam & bonitatem ejus; quæ omnia in Deo Deus sunt: tamen non tantum quantum ipse se videt; & scientia Dei est immensa, infinita, incomparabilis, incomprehensibilis, & incircumscriptibilis.

Item, in Canticis nostris cantat ecclesia nostra: *Christe Deus noster, concede nobis cum Petro & filiis Zebedæi esse dignos divinæ visionis tuæ.* Item: *Munda Domine, peccatorum servorum tuorum sensus, & concede videre te, & audire paternam vocem: Hic est Filius meus dilectus.* Vide quoniam hic & in multis aliis locis petimus videre essentiam Dei; tamen si sunt aliqui ignorantes, quos nescimus, qui dicunt vel scribunt sicut superius in articulo, non acceptantur a nobis; sed potius reprobantur & spernuntur. Sequitur.

Et in dicta visione dictæ claritatis erunt A *diversi gradus, ita quod perfectius dictam claritatem videbunt angeli, quam quicumque homines; & prophetæ, & apostoli, & martyres, & virgines, quam pueri baptizati. Et in hoc dicunt, quod consistit sanctorum perfectorum & puerorum baptizatorum beatitudo.*

RESPONSIO. Quamvis diversos gradus ponimus in visione divinæ essentiæ, tamen non in claritate, quæ non est Deus, ut videtur dicere in articulo; quia claritas Dei & omne quod essentialiter est in Deo Deus est, & differentiam graduum visionis Dei sic dicimus, quoniam essentia Dei videbitur, & diligetur intentius ab uno, quam ab alio; quia quemadmodum virtus intellectualis unius magis erit perfecta lumine gloriæ, quam alterius, B tanto magis videbit unum & eumdem Deum; sicut in sensibilibus etiam unus & idem sol a multis plus & minus videtur secundum quantitatem virtutis visivæ, & quod unus plus videbit quam alter, Paulus testatur ad Corinthios XV. *Sicut stella alia stella est gloriosior, sic & in resurrectione.*

Item, de pueris non baptizatis & de non perfecte justis hominibus, qui simul non pervenerunt ad perfectionem apostolorum, martyrum, confessorum & virginum, Armeni dicunt quod post generale judicium ibunt ad paradisum terrestrem & non cœlestem, ubi carebunt omni molestia corporali, & delectabuntur inter ligna paradisi; non tamen comedent C *nec bibent, nec nubent nec nubentur, & ita perpetuo ibi remanebunt, & in hoc consistet eorum beatitudo.*

RESPONSIO. De pueris non baptizatis numquam audivimus, & falsitas hujus dicti per se patet, quia animæ puerorum non baptizatorum & imperfecte justorum hominum in unam requiem ire valde est inconveniens propter tres causas. Primo quia parvulus opera bona non habet. Secundo, quoniam cum originali peccato decessit. Tertio quia ad gratiam baptismi non pervenit: tamen imperfecte justorum animæ istorum trium contrarium habent. Primo quia purgati sunt ab originali peccato. Secundo quia habent D gratiam baptismi. Tertio quia operati sunt opera bona. Ergo inconveniens esset istos in unam requiem ire. Sequitur.

Differentia tamen erit inter pueros non babtizatos Christianorum filios, & adultos non perfecte justos; quia adulti non perfecte justi habebunt coronam de lumine ignis, quo terra comburetur ante judicium, videbunt etiam claritatem ligni crucis Christi: quæ claritas tunc maxima erit, quia omnes claritates quæ sunt in hoc mundo, adjungentur claritati Christi; & dicti adulti, secundum quod magis vel minus perfecti erunt, dictas coronas luminis differentes habebunt, & dictam claritatem crucis Christi differenter videbunt, E *secundum eorum merita: dictas tamen coronas luminis non habebunt pueri non baptizati, nec videbunt claritatem crucis Christi, & in hoc erit differentia inter illos.*

RESPONSIO. Quamvis igitur Armeni dicant, quod in adventu secundo Christi sancta crux glorificata apparebit ante eum, & omnes electi videbunt eum, & de hoc docti per evangelium Matthæi. *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & videbunt filium*

lium hominis venientem in nubibus cœli in virtute & gloria multa. Unde alias infamias numquam audivimus, & sunt mendacia mente genita, & ecclesia nostra de supradictis intelligit sicut superius diximus.

Item, dicunt quod mediocriter homines mali Christiani post generale judicium non ibunt ad paradisum cœlestem vel terrestrem; sed remanebunt in terra, in qua nunc habitant homines quæ tota erit plena arboribus, sicut paradisus terrestris; & tamen non comedent nec bibent, & tunc morientur. Et hic locus dabitur eis, ex hoc quod mediocriter mali fuerunt. Vocant autem homines mediocriter malos, homines conjugatos, & alios in sæculo communiter viventes.

RESPONSIO. Quamvis inveniatur in dictis aliquorum simplicium, quod paradisum & terram habitationem animarum dicunt post judicium, non tamen injustorum animarum, ut dicunt in articulo. Apud nos autem sive bonarum sive malarum animarum non est acceptabile, sed est spernibile & reprobabile valde, quoniam nos locum electorum post judicium vitam æternam dicimus, & damnatorum infernum, & non secundum falsitatem suprascriptæ opinionis, paradisum & terram; illud vero quod mediocriter malos vocant conjugatos, & alios qui communiter vivunt in sæculo, falsum est, & anathematizarum, quoniam nos actum legitimum matrimonii malum non invenimus esse nec dicimus, absit, qui propter multiplicationem hominum, a Deo in natura ordinatus est; sed malum dicimus peccatum, quod est accidentale naturæ.

Item, de multum malis hominibus, sicut sunt generaliter infideles, omnes etiam Christiani malam vitam ducentes, habent duas opiniones, quarum una est, quod tales post generale judicium ponentur in oceanum, quod tunc erit igneum, & ibi graviter cruciabuntur per vermes, qui erunt sicut dracones; & sicut magis vel minus peccaverunt, ita dicti dracones majores vel minores erunt; quia ut dicunt, statim quando homo graviter peccat, dictus draco nascitur in oceano, & crescit, secundum quod plus vel minus homo peccat; & aliqui ex hominibus malis, qui multa peccata & diversa commiserunt, plures dracones ibi habebunt, quorum unus cruciabit eos in oculis, alter in auribus, & sic de aliis membris. Cruciabuntur etiam ibi dæmones, qui ibi cum eis erunt, juxta illud quod Dominus dicturus est malis: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. *Et ita perpetuo ibi mali homines cruciabuntur.*

RESPONSIO. Poena maris oceani ignei & vermium qui ex peccatis generantur ibi ad tormenta infidelium & peccatorum Christianorum sunt fabulæ & non acceptabilia in ecclesia Armenorum, & non omnia verba mendosa, quæ inveniuntur in libris stultorum, recipiuntur in ecclesia Armenorum; sicut & apud vos non putamus esse, & excommunicamus dictam opinionem, & si aliquando inveniantur talia in libris stultorum, non approbamus. Sequitur.

Alia vero opinio eorum dicit, quæ magis communis est apud Armenos, quod post generale judicium, nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit postquam Christus ad inferos descendit, & infernum totaliter destruxit; sed unusquisque peccator, peccato quod commisit cruciabitur, & secundum quod plus vel minus peccaverit, secundum hoc a dictis peccatis cruciabitur, & sic talia peccata dicuntur esse infernus, in quo peccatores post generale judicium cruciabuntur.

RESPONSIO. Licet aliquando inveniebatur in dictis aliquorum suprascripta opinio, tamen non communiter, quia multi multis modis dicebant. Aliqui sicut supra in secunda opinione: aliqui alii dicebant, quod licet Christus animas omnium liberavit, tamen infernum non destruxit, quia dicebant quod post judicium iterum omnes animæ peccatorum rediturae erant ad infernum; & alii dicebant, quod quamvis Christus animas sanctorum, quæ exspectabant liberationem ejus, liberavit de inferno, non tamen peccatorum animas, quæ damnatæ erant æternaliter in inferno. Et isti varii errores inde proveniebant, quia cum audiebant aliqui, quod Christus infernum destruxit, destructionem hanc intelligebant totaliter, & non secundum partem. Postquam vero novimus ecclesiam Romanam, scivimus hoc quod dicunt, quod post generale judicium nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit postquam Christus ad infernum descendit, & infernum totaliter destruxit, nocivum esse animabus. Ideo abhorremus & anathematizamus talem erroneam opinionem & habentes eam, & confitemur sicut ecclesia Romana, quod in loco suo perfectius dicemus.

Item, prædicti Armeni dicunt, quod omnes mediocriter mali in judicio cum operibus suis ponentur in statera, & si plus ponderaverint eorum mala quam bona, tunc ponentur in oceanum secundum opinionem prædictam, de qua supradictum est, & affligentur ibi secundum quod demeruerunt. Si vero plus ponderaverint eorum bona quam mala, tunc ponentur in ista terra, quæ erit arboribus plena, non tamen ita delectabilis, sicut est paradisus terrestris. Si vero bona eorum & mala æqualiter ponderent, tunc ad preces B. MARIÆ & aliorum sanctorum, Deus ponet eos in ista terra, in qua nullum malum afflictivum patientur.

RESPONSIO. Sciendum quod supradicta verba sunt fabulæ & mendacia, & tædium auditori. Ideo nolumus credere hæc nos, nec umquam talia audivimus.

Item, licet in ordinario Armenorum contineatur, quod illi qui baptizantur, etiam si pueri sint, quod veniunt ad baptismum de diaboli servitute, tamen dicunt quod tales pueri nullum peccatum habent, sed omnino innocentes & ab omni peccato etiam originali immunes, nec dicunt, ut baptizentur, ut consequantur remissionem peccatorum; sed ut sint Christiani, & ut post generale judicium intrent cum perfectis sanctis in regnum cœlorum, & ad hæc duo valet eis baptismus secundum eos.

RESPONSIO. Sciendum est quod supradictus articulus omnino falsus est & criminosus, & in quarto articulo ubi actum fuit de

de originali peccato, sufficienter respondimus; sed hic etiam falsitatem hanc breviter manifestamus, quia in doctrina ecclesiæ Armenorum scilicet Actuum Apostolorum dicitur de Jesu: *Ei omnes prophetæ testificantur remissionem peccatorum accipere in nomine ejus*. Et Petrus in secundo idem confirmat: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine* Jesu Christi, &c. Et quia Armeni dicunt & docent & credunt in symbolo: *Credimus unum baptismà in pœnitentiam & propitiationem & remissionem peccatorum*. Ergo Armeni accipiunt remissionem peccatorum veraciter, secundum mandatum apostoli Petri, qui credunt in Jesum & baptizantur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, secundum mandatum Christi, & purgantur ab originali peccato. Qui vero hæc mala imposuerunt Armenis, de difficili salvabuntur. Hoc autem quod dicit: Baptizentur ut sint Christiani, & ut post generale judicium, &c. Verum est, nunc cum anima, & tunc cum anima & corpore, & non solum valet ad ista duo bona, sed etiam ab originali peccato purgat, ut superius dictum est.

Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent quod Christus descendit ad inferos.

RESPONSIO. Quod Christus descendit ad inferos cum anima rationali, hoc verum est, ut Petrus dicit Act. 2. *Sicut & vos scitis, habent definito consilio & præscientia Dei traditum in manus & affigentes in signo occidistis, quem Deus suscitavit, solvens dolores mortis, quoniam non erat possibile eum teneri ab ea*. Et idem per prophetam confirmat dicens, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Sequitur.

Prædicavit ibi, & illas animas, quæ ei credere voluerunt, justificavit: illas autem quæ ei credere noluerunt, in suo peccato dereliquit.

RESPONSIO. Opinionem hanc licet aliqui dixerint: tamen alii contrarium dixerunt communiter, quod post mortem per poenitentiam non est salus nec credulitas liberandi a peccato, ut dicitur Ecclesiastes XII. *Si ceciderit lignum in austro, sive in aquilone: ubi ceciderit, ibi manebit in æternum*. Nos vero descensum Christi ad inferos ad sanctos patres dicimus, & liberationem eis factam & peccatoribus qui condemnati erant in æternum. Illos autem una cum opinionibus suis, qui dicunt, quod peccatores, qui damnati erant in æternum, crediderunt in Christum & justificati sunt in inferno, reprobamus & despicimus. Sequitur.

Exiens autem ab inferis destruxit totaliter infernum, & omnes animas, quas ibi invenit, sive essent bonæ sive malæ, inde eduxit; & posuit eas in isto aere & terra, & circa paradisum terrestrem, ubi erunt usque ad finale judicium.

RESPONSIO. Quamvis aliqui dixerint, quod Christus exiens de inferno extraxit omnes animas bonas & malas, & dicebant malas redituras in infernum, opinio ista sicut in XIII. articulo diximus, communis non erat nec acceptabilis, totaliter ablata est; & illi qui dicebant quod omnes animæ exierunt de inferno post mortem Christi, locum proprium non ponebant, sicut in articulo dicitur. Nunc vero qualiter veraciter habemus in VIII. ostendimus. Sequitur.

Interim tamen animæ mediocriter malæ & malæ simpliciter, non patientur aliquam pœnam sensibilem, sed solum patientur timorem: mediocriter tamen malæ, quia timent suum periculum, quod erit in die judicii, ut supra dictum est, quando ponentur in statera: malæ vero simpliciter, quia timent pœnam oceani, ubi ponentur post generale judicium, patientur pœnam timoris, quæ eas multum affligit mentaliter.

RESPONSIO. In X. & XI. respondimus sufficienter de hoc. Sequitur.

Mediocriter vero malas & perfecte bonas posuit in ista terra vel aere circa paradisum terrestrem, &, ut dicunt, tales animæ sunt in magna consolatione, propter spem quam habent de remuneratione, quam consecuturæ sunt post generale judicium. Et dicunt quod ante dictum generale judicium non erit alia remuneratio operum bonorum vel malorum, inducentes ad hoc dictum Apostoli: Oportet nos præsentari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout in corpore gessit, sive bonum fuerit, sive malum.

RESPONSIO. In sexto articulo diximus de hoc tantum quod sufficit. Sapientiæ vestræ igitur hic manifestamus, quoniam magistri diversimode locuti sunt super hoc. Aliqui secundum opinionem Græcorum usque ad generale judicium retributionem bonorum & malorum, sic dicebant, sicut in articulo supra scriptum est. Alii autem dicebant veritatem, quod justæ animæ recipiunt retributionem regni, & peccatores retributionem inferni, sed postquam venimus in notitiam ecclesiæ Romanæ, totaliter in ultima opinione confirmati sumus.

Item quod dicti Armeni non dicunt, nec tenent, quod Christus descendens ad inferos prædicaverit dæmonibus, nec quod dæmones eduxerit de inferno.

RESPONSIO. Verum est. Sequitur.

Sed bene dicunt quod dæmones usque ad generale judicium sunt in isto aere, vel in terra, si tamen ibi existentes aliquam pœnam sensibilem sustinent vel sustinebunt usque ad dictum generale judicium, non exprimunt. Dicunt tamen quod patiuntur carentiam gloriæ, & quod ipsi qui prius erant clari, effecti sunt nigri, & quod multum timent pœnam oceani, in quo ponendi sunt post generale judicium cum malis hominibus.

RESPONSIO. Usque ad ista tempora de sensibili pœna diaboli nec affirmabant, nec negabant. Nunc autem nos dicimus, quod ipsi puniuntur sensibiliter, & verum est, quod gloriam non habent, nec claritatem primam. Sed timor etiam fabula est, sicut superius diximus, & idem de dæmonibus, sicut de hominibus.

Item inter Armenos sunt duæ opiniones de tempore, quo fuerunt creati angeli, quia eorum aliqui dicunt, quod ante istum mundum sensibilem angeli creati fuerunt, alii vero dicunt, qued cum isto mundo sensibili creati fuerunt, sed cum coelo empireo ante omnem diem.

RESPONSIO. Opinio Gregorii theologi hæc est, quod angeli fuerunt antequam omnes

mnes creaturæ, & dicit sic. Primo cogitabat angelicas & coeleſtes virtutes, & cogitatio fiebat opus, & Job. XL. *ipſe eſt principium viarum Dei*. Et aliqui alii dicunt, quod poſtquam coelum, quod eſt locus eorum, quod tamen ante eſſe hominis omnes confitemur. Damaſcenus non putat convenientia dicta Gregorii theologi, dicens, quod decebat primo intelligibilem eſſentiam ducere ad eſſe, & deinde ſenſibilem & ita ex duabus hominem, tamen ſanctus Nerſes, Glanenſis Catholicon Armenorum coelum empireum, & angelos & primam materiam a principio & de nihilo ſimul de novo creata dicit. Et iſtius opinionem recipit eccleſia Armenorum, & omni Dominica die hanc dicit cantando *noviter creavit verbum in principio coelum coelorum & coeleſtes virtutes incorporalium &c.* Sequitur.

Dicunt etiam quod omnes Angeli boni creati fuerint.

RESPONSIO. Verum eſt, quia a creatore nullum malum veſtigium in ſe habuerunt, ſed boni erant & pro bono creati, ſed, ut dicit Damaſcenus, non potuit comprehendere in ſe claritatem & honores quos dederat ſibi creator; ſed ipſe per liberum arbitrium converſus fuit de naturali bono extra naturam, & ſuperbivit contrariando Deo creatori ſuo, & rebellando ei induratus eſt, & primo diviſus a bono remanſit in malitia. Quapropter malum nihil eſt aliud, niſi ſolum carentia boni, ſicut tenebræ carentia luminis, & ideo qui lux creati ſunt, & creaturæ & boni fuerunt. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona*, & ex libero arbitrio tenebræ factæ ſunt. Sequitur.

*Et in dicta bonitate ſteterunt, ut eorum aliqui dicunt, uſque ad quartam diem, quando Deus luminaria fecit. Aliqui vero eorum dicunt quod ſexta die, quando Adam creatus fuit, dæmones peccaverunt, & de coelo ceciderunt, per illam partem coeli, quæ apud eos vocatur Artecos * apud nos vero dicitur Galatia, cum quibus etiam per dictum foramen unus bonus angelus cecidit, & multi alii cecidiſſent, niſi Deus eis dixiſſet: Pax vobis. Ille vero bonus angelus, qui ceciderat, ad preces B. Baſilii in coelo reſtitutus fuit.*

* al. Aro-.

RESPONSIO. Hæc ſunt verba deriſoria & puerorum, & non magiſtrorum, quoniam cœlum eſt natura valde ſimplex, & eſſentiæ valde ſubtilis, & incorruptibilitate durabile valde, & angelus eſt ſubſtantia intellectualis & incorporalis, & non ſicut corpus habet longitudinem & latitudinem & profunditatem, ſed intellectualiter ſubito ibi ſunt & operantur, ubi mandat divinæ voluntatis intimatio. Ideo quando angeli de cœlo veniunt in terra, foramen non faciunt, ſicut in articulo dicunt; quia ſi ſic eſſet, tunc neceſſe eſſet, quod in coelo tot foramina eſſent, quot angeli mittuntur in miniſterium hominis. Sequitur.

Dicunt etiam eorum aliqui, quod feria VI. de mane Adam creatus fuit; ſed circa ſextam dictæ diei Æva fuit formata, & ſecundum aliquos eorum eodem die fuit per diabolum tentata, ſecundum vero alios feria VI. ſequentis ſeptimanæ.

RESPONSIO. Verſus Glonenſis dicit, quod in eodem die in qua creati fuerunt ceciderunt: in tertia hora mens Ævæ per ſerpentem fuit decepta, & in ſexta hora primus homo conſentiit verbis ejus, & cecidit; & Chriſtus eadem hora elevatus fuit in cruce ad delendum peccata eorum. Et quando exivit Adam antiquus, Chriſtus latronem poſuit in medio paradiſi. Illud autem quod dicit ſexta feria alterius ſequentis ſeptimanæ omnino falſum eſt.

Item quod Armeni communiter tenent quod in alio ſæculo non eſt purgatorium animarum.

RESPONSIO. Hoc verbum per unum modum verum eſt, & per alium non. Quod ſi aliquis accipiat ſolum non purgatorii, tunc verum eſt, quod Armeni a parvo tempore citra intellexerunt purgatorium; ſi vero dicant quod animæ peccatrices, quæ cum fide, ſpe, & contritione & confeſſione exiverint de mundo, non tamen cum perfecta poenitentia, in alia vita nullam poenam ſuſtinebunt pro peccatis non ſatisfactis in aliquo loco vel aliquo tempore, hoc falſum eſt. Et per hoc patet, quod Armeni proprie pro uno defuncto & pro multis ſtatim poſt mortem, & poſt tempora per ſeipſos faciunt, & aliis faciunt facere vigilias, eleemoſynas & miſſas, & mediantibus iſtis bonis, petunt a Deo pro defunctis remiſſionem peccatorum, & a tormentis liberationem, & hæreditatem regni coelorum, & iſta tria oſtendimus in canticis defunctorum. Primo pro remiſſione peccatorum: *Quoniam te laudant principatus cœlorum, ſcilicet rex gloriæ omnipotens & omnia tenens, dimitte peccata defunctorum noſtrorum, & acquieſcere fac in tabernaculo tuo in regali quiete.* Item: *Qui es creator ignitorum & terrenorum; & ſemper glorificaris rationabilibus miniſtris, a te petimus, ut concedas remiſſionem defunctis noſtris.* Item: *Deus qui es dator remiſſionum, dimitte peccata defunctorum noſtrorum omnipotens & fortis & miſericors Deus ſalvator & benefactor.* Secundo liberari a poenis; *Defeci a generatione mea fatigatus. Dimiſi vitam hujus ſæculi, & cum vanitate corporis converſus ſum in terra, unde creatus fui. Miſereamini mei, miſericors Deus & Salvator, & allevies dolores animæ meæ. Ecce in pace reverſus ſum in terra, de qua creatus fui, renovator artifex, dator miſericordiæ, miſerere mei, miſericors ſalvator, & allevies dolores animæ meæ.* Tertio propter regnum Dei. *Propterea & nos te rogamus, pater cœleſtis, colloca defunctos noſtros in ſupernam Jeruſalem in congregatione primogenitorum ſcriptorum in cœlis, unanimiter a te petimus Spiritum-ſanctum vivificantem, interceſſione ſanctæ Dei genitricis, fac dignos defunctos noſtros in cœleſti tuo ſancto talamo, & cum ſupernis virtutibus benedicere ſanctam Trinitatem.* Sed poſteaquam venimus in notitiam magnæ, ſanctæ & glorioſæ Romanæ eccleſiæ, recepimus & confirmavimus verba purgatorii, ſicut præmemorata eccleſia, & quod nos recepimus, aliis prædicamus & docemus. Sequitur.

Quia, ut dicunt, ſi Chriſtianus confiteatur peccata ſua, omnia peccata ejus & pœnæ peccatorum ei dimittuntur.

RESPONSIO. Verum eſt, ſi pœnituerit: ſi ve-

si vero sine satisfactione poenitentiæ moritur; tunc ecclesia juvat eum jejuniis, orationibus, eleemosynis, & missis: quia Deus nullius mali sine punitione remissionem concedit; sed vel hac vita, vel in futuro punit, secundum Job. *Scio quod non dimittis peccatori*. Sequitur.

Nec etiam Christum orant pro defunctis, ut eis in alio sæculo peccata dimittantur.

RESPONSIO. Quamvis supra contrarium diximus sufficienter, tamen & hic modicum scribamus ad stirpandam hanc falsitatem per cantica defunctorum. *Cum natura nostra quam induisti, in ligno crucis affixus fuisti, solvendo nos a peccati primi patris vinculo, solve & hunc de transgressionibus per sanctam tuam passionem, cum plenis lampadibus introduc in talamum cum sapientibus sanctis virginibus*. Et in oratione defunctorum quæ incipit sic. *Qui regnas ab æterno recipere animam servi tui cum sanctis tuis, qui a principio placuerunt tibi, recipe hunc cum justis tuis, & in tabernaculo amicorum tuorum constitue eum, & si aliquid humaniter transgressus est iste, cogitatione verbo & opere, tu sicut benefactor & misericors Deus, dona sibi remissionem.*

Item in oratione. *Deus animarum: Qui dixisti omnipotenti & forti verbo tuo*: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, *quiescere facias Domine Deus animam servi tui, & scribe in libro quietis gloriosæ beatitudinis, & concede ei portionem & partem in mansionibus æternis, & si transgressus est per transgressiones hujus sæculi sine fine, verbo tuo concede remissionem sibi, & ab omnibus peccatis & vanis deceptionibus libera animam hujus, & recipe in quiete tua*. Et aliæ multæ tales orationes & supplicationes, quas propter prolixitatem transimus. Sequitur.

Sed generaliter orant pro omnibus defunctis, sicut pro B. Maria, apostolis, martyribus & aliis sanctis, ut in die judicii intrent in regnum cœleste, vel in aliis locis, ut supradictum est, & quod ibi requiescant.

RESPONSIO. Licet in missali inveniatur una oratio, in qua videtur quod pro sanctis oramus, non tamen illo modo, sicut in articulo dicitur, quod in die judicii sancta Dei genitrix, apostoli, martyres, & alii sancti intrent in regnum coelorum, ac si modo non essent. Et oratio dicit sic: *Per hunc quiescere facias omnes præcedentes defunctos sanctos patres, patriarchas, apostolos, prophetas, martyres, episcopos, sacerdotes; diaconos & totum collegium ecclesiæ tuæ sanctæ, & omnes de ordine sæculari viros, mulieres, cum fide finientes, cum quibus & nos visites pius & misericors Dominus rogamus*. Sciendum est, quod sicut habeamus a domino Merces qui exponit missam, & nos etiam intelligimus, non petimus ibi pro præmemoratis, ut quiescant a poenis, tribulationibus & laboribus. Absit, quia omnino carent miseria, & habent beatitudinem æternam; sed quia sancti Dei quiescunt & gaudent de salute nostra & honore Dei, sicut angeli gaudent de salute peccatorum. Igitur petendo in missa quietem sanctorum, petimus nobis gratiam, honorare Deum, & salvari, & collocari cum

A eis. Item quod oratio ista a sancto Athanasio dicta, qua intentione dicit ignoramus. Sequitur.

De animabus paganorum dicunt, quod animæ eorum sunt super sepultura eorum vel in sepulcris, usque ad diem judicii, & frequenter audiuntur in sepulcris Sarracenorum voces & gemitus, & etiam quandoque animæ eorum, vel dæmones pro eis videntur circa sepulcra ipsorum in diversis speciebus animalium & hominum, propter quod Sarraceni non libenter stant juxta sepulcra Sarracenorum; & ex hoc etiam quandoque Sarraceni faciunt baptizare filios suos, & inungi in diversis locis, ut post mortem non egrediantur de sepulcris; B *non tamen eos faciunt baptizari, ut efficiantur Christiani.*

RESPONSIO. Armeni credunt & habent, quod animæ Sarracenorum & aliorum infidelium, & fidelium peccatorum ante & post Passionem Christi vadunt cum anima in inferno, & post judicium etiam cum anima & corpore; sed quando Deus dæmones permittit in corpora Sarracenorum mortuorum intrare, & faciunt ea stare & ire, & alia signa quæ fiunt circa sepulcra eorum, sicut supra in articulo dicitur, putamus ex permissione Dei fieri, propter confirmationem fidei Christianorum, & ut error Sarracenorum manifestus sit Christianis, qui vident talia signa, & ex hoc judicent quod a dæmo- C nibus fit operatio illa; & quando aliquando Christianum contingit esse prope, & nominat nomen Christi, & signat signo crucis, subito cadit corpus illud dæmoniacum, & remanet immobile; & illud etiam quod quandoque Sarraceni propter supradictas causas baptizare faciunt filios suos, verum est, & ut etiam non faciant.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod Christus descendit de cœlo, & incarnatus fuit propter hominum salutem, non pro eo quod filii propagati ex Adam & ex Eva post peccatum eorum ex eis contrahunt originale peccatum, a quo per Christi incarnationem & mortem solventur, cum nullum tale peccatum D *dicant esse in filiis Adæ; sed dicunt quod Christus propter salutem hominum est mortuus & passus, quia per passionem filii Adam, qui dictam passionem præcesserunt, fuerunt liberati ab inferno, in quo erant, non ratione originalis peccati, quod in eis esset; sed ratione gravitatis peccati personalis primorum parentum.*

RESPONSIO. Hoc in quarto articulo respondimus falsum esse, quia secundum fidem & doctrinam Armenorum, Incarnatio & Passio Christi sine sacramento baptismi ab originali peccato non purgat, nec ante Incarnationem, nec post; sed per baptismum purgat, sicut ante per circumcisionem: qua- E re veritas Dei Dicit: *Qui non regeneratur ex aqua & Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* Sequitur.

Credunt etiam quod Christus propter salutem puerorum, qui nati fuerunt post ejus passionem, incarnatus fuit & passus; quia per suam passionem destruxit totaliter infernum & ita post ejus passionem nullus ex dictis pueris vadit ad infernum.

RESPONSIO. Gratia salutis puerorum Chri-

ANNO CHRISTI 1342.

Christus dedit baptismum, & mandavit baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, & non destructionem inferni, ut mentitur hic, & quod etiam alias non audivimus. Sequitur.

Credunt etiam quod propter salutem hominum adultorum Christianorum Christus fuerit incarnatus & passus; quia si tales poeniteant de peccatis suis, post ejus passionem, quando moriuntur, non vadunt ad infernum.

RESPONSIO. Verum est, quia (per) poenitentiam Christiani post passionem Christi non vadunt ad infernum; sed ad Christum in coelo secundum verbum suum, quod *Ubi ego sum, & minister meus erit.*

Item, quod Armeni credunt & tenent, B *quod primi parentes & tota eorum posteritas, usque ad Christi passionem mortui fuerunt in corpore & anima, & ad infernum descenderunt.*

RESPONSIO. Verum est hoc, quoniam locus ille ubi etiam primi parentes iverunt, quandoque vocatur in sacris libris Gremium Abrahæ, & quandoque Infernus, etiam & Locus peccatorum, manifestus & est per evangelium, secundum illud: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Sequitur.

Non propter peccatum originale, quod filii Adam contraxerunt ab Adam, sed ratione gravitatis peccati personaliter primorum parentum: propter quod licet eorum filii non peccaverint, tamen propter peccatum primorum C *parentum passi fuerunt mortem corporalem, & apud inferos punitæ eorum animæ fuerunt, usque ad dictum tempus.*

RESPONSIO. Hoc in quarto, & tertio decimo articulis manifestavimus falsum esse. Sequitur.

Credunt etiam & tenent, quod post Christi passionem & ante, usque ad generalem resurrectionem, filii Adam habent concupiscentiam inordinatam carnis, & mortalitatem propter gravitatem peccati primorum parentum, & non propter originale peccatum, quod ex eis contraxerunt, a qua concupiscentia & mortalitate sancti liberabuntur in generali resurrectione per Christum.

RESPONSIO. Licet infirmitas & corru- D ptio concupiscentiæ carnis, & pronitas ad vitia corporalia ex peccato Adæ causata fuerint, & intraverint in naturam carnis, tamen nunc ex corpore corpus corruptionem habens, & infirmitatem concupiscentiæ, & mortalitatem in seipso habendo generat alia corpora vitiosa & infirma, & mediante corruptione corporis, vitiat etiam & animam; & ex hoc manifestum est, quod peccatum originale, & in corpore & in anima sed in corpore originaliter & in anima formaliter. Sequitur.

Etiam tantum dicunt, quod dicta concupiscentia carnis est peccatum & malum, quod parentes etiam Christiani, quando matrimo- E *nialiter concumbunt, committunt peccatum, & propter hoc poenitentia eis imponitur per sacerdotes, quia actum matrimoniale dicunt esse peccatum, & etiam matrimonium.*

RESPONSIO. Responsionem istius Paulus Tarsensis mandat: *Pretiosa est conjugatio, & sancti sunt thori; sed fornicatores & adulteros judicat Deus.* Secundum doctrinam Apostoli nostri matrimonium dicimus pretiosum, & conjugationem propter generationem prolis, & retributionem debiti, & custodiam sui ipsius a fornicatione, secundum causam, si causa conjunctionis non sunt: sed solum pro concupiscentia animalis delectationis, vel extra terminos conjunctionis, tunc sine peccato non sunt; qua de causa poenitentiam injungimus, non propter actum matrimonialem: quare dicunt falsa de nobis. Sequitur.

Dicunt, & credunt, & tenent, quod si Adam & Eva non fuissent transgressi mandatum, non fuisset inter eos carnalis conjunctio, nec per seminum conjunctionem fieret generatio humana; sed homines propagarentur ab hominibus sine carnali conjunctione, sicut lumen a lumine. Dicunt etiam quod Deus præsciens, quod homines transgrederentur ejus præceptum, membra genitalia fecit in eis, per quæ post peccatum fieret hominum propagatio.

RESPONSIO. Zacharias catholicon Armenorum dicit, quod primi parentes per generationem sine vitio crescendi erant & multiplicandi sine animo & numero, si mandatum Dei non fuissent transgressi; sed hanc generationem sine vitio dicunt aliqui, scilicet sine concupiscentia vitii; sed hoc quod dicit, sicut lux propagatur a luce, numquam audivimus, nec est verum, quia lux a luce deciditur, & per materiam multiplicatur, & non generatur sicut conjunctio a semine & a voluntate carnis, & similem sibi producit.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod æternus Dei Filius natus de substantia Patris, in tempore sibi univit humanam naturam, & factus fuit homo.

RESPONSIO. Verum est hoc & rectum. Sequitur.

Sic tamen quod in ipsa unione humanæ naturæ ad Dei Filium, humana natura conversa fuit in divinam ejus naturam; sic quod post dictam unionem in Christo non est nisi una natura, scilicet divina, non humana sicut ipse est una persona.

RESPONSIO. Hoc est falsum, quia licet aliqui ante nos unam naturam dixerint propter ineffabilem unionem in Christo, tamen non mutatione nec confusione, sicut dicitur hic in articulo, quia tale dictum est Indicii, quem ecclesia Armenorum semper anathematizavit, & cum eo sit etiam anathematizata supradicta hæresis simul cum tenentibus eam: sed a tempore illo, a quo appropinquavimus ecclesiæ Græcorum, & postquam uniti fuimus ecclesiæ Romanæ, ita intelleximus & intelligimus de duabus naturis, quod in unione & divinæ & humanæ naturarum in Christo, divina natura non fuit mutata in humanam, nec humana in divinam, nec ex divina & humana fuit una alia natura per corruptionem earum, quia per hoc Christus non esset Patri consubstantialis, quia est natura simplex, nec matri, quia natura matris ex divina & humana natura non est composita, & Christus nec Deus esset, nec homo, sed aliqua alia species; sed nos credimus, quod perfecta Dei natura, & perfecta humana natura unitæ fuerunt, in uno Christo, in uno Filio, in una persona Ver-

ANNO CHRISTI 1342.

Verbi indivisibiliter & inconfusibiliter, immutabiliter & inalterabiliter, in unum & eumdem Christum. Post uniunem credimus & dicimus non factum secundum divinam naturam, sed factum secundum humanam; immortalem secundum divinam, & mortalem secundum humanam, quod & dominus Nerses Glanensis catholicon Armenorum, in epistola Mesopotamiæ scribit & dicit sic: „ Confitendum est, qui pie volunt stare in „ Christo, quia cum erat unicus Dei Filius „ Deus & homo, immortalis & mortalis, mor„ tuus est & per mortalitat. non alius mortuus „ nec alius vivus remanens, sed unus & idem u„ nicus ex duabus, mortuus est secundum hu„ manitatem sicut homo, & sicut ipse voluit, „ & immortalis remansit, secundum divi„ nitatem, sicut immortalis natura Dei, & „ quod mortuus est veraciter, & remansit „ immortalis, certitudinaliter in morte ma„ nifestant sancta miracula; similiter expi„ ratio super crucem, involvi pannis, & „ positio in sepulcro mortem verificat; sed „ potestative dare spiritum in manu Patris, „ & duplex emanatio fontium sanguinis & „ aquæ quasi ex vivo de mortuo corpore, „ immortalitatem significant, quæ non fuit „ separata ab eo propter hominem. Et iterum „ idem dicit: quod confitendum est a nobis „ post unionem non ipsum hominem solum, „ nec Deum nudum propter divinitatem; „ sed Deum & hominem, & non alium De„ um & alium hominem secundum Nesto„ rium, & ad invicem adhærentes, sed „ unum & idem & hominem verum & De„ um perfectum, quoniam Deus homo san„ ctus, & Verbum caro, non quod essentia „ in essentia habitavit; sed una essentia il„ la Verbi Dei, quæ facta est caro, quan„ doque patiebatur humana sicut homo, „ quandoque permittebat animam, & cor„ pus humanum pati, quæ sua erant, sci„ licet famem, sitim, dormitionem, labo„ rem, lacrymas, tristitiam, timorem & „ alia omnia; & quandoque multiplicia „ signa & virtutes de essentia Dei manife„ stabat divina, non alius patiebatur im„ becillia signa, & alius ostendebat forta„ ram (a) sicut dividunt divisores lacyma„ ri & similia homini, & resuscitare Laza„ rum, & aliam Verbi Dei; sed qui unitus „ erat in una persona, operabatur secun„ dum qualitatem suæ naturæ quando vo„ lebat humane, ut homo, quia homo erat; „ & divine, ut Deus, quia Deus erat, „ & ideo verba evangelistarum & aposto„ lorum magistri ecclesiæ duobus modis lo„ quuntur, quia scripserunt pro divinitate „ & incarnatione Domini nostri, quoniam „ humilia narrant, ut dicit: *Pater meus ma„ jor me est, & Spiritus promtus est, cu„ ro autem infirma. Non mea voluntas, sed „ tua fit*; & effusio sudoris ut gutta sangui„ nis ex timore, & *Deus Deus meus quare „ me dereliquisti? & Ascendo ad Patrem meum „ & ad Patrem vestrum, Deum meum & Deum „ vestrum*; & dicta Pauli: *Deus Dom. nostri J. „ CHRISTI & Pater gloriæ*; & Jesus fi„ delis factori suo, & paulo minus humi„ liatus ab angelis & in diebus carnis suæ „ orationes & deprecationes offerebat cum „ magno clamore & suspiriis ad Deum, „ qui poterat salvare eum, & obedire ei „ qui subjecit sibi omnia. Hæc omnia & similia secundum humanitatem dicimus scripta pro eo & quare, ut non quando revelaretur divinitas mundo post resurrectionem & ascensionem in cœlo, putarent homines de eo vel non accepisse naturam humanam, vel accepisse & mutasse in naturam divinam, quia si tanta locuti sunt in infirmiora, & adhuc etiam ausi fuerunt hæretici dicere, quod fantastice accepit corpus; sed si semper altiora narrassent, & numquam humiliora, in quo igitur lacu non cecidissent; sed dicta Evangelistæ: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et illud: *Antequam Abraham esset, ego sum*. Et Apostolus, quod *per eum formatu sunt omnia, quæ in cœlo & in terra, & lux gloriæ & figura essentiæ ejus*; & talia similia proprie de divinitate sunt dicta. Et illud: *Ego & Pater unum sumus*. Et *qui vidit me, vidit & Patrem meum*. Et quod *nullus cognoscit Patrem nisi Filius*. Et quod *tu es Christus Filius Dei*. Hæc & similia his secundum unionem Verbi sunt scripta & specialia divinitatis. Ideo scripserunt quod non putant de Virgine accepisse principium, secundum Paulum Samosatenum; sed quod ante sæcula & a Patre est genitus, & post unionem indifferenter humanitatis & divinitatis ponunt scripturæ nomina & res propter ineffabilem unionem, quoniam quandoque est quod opera propria dimittantur; divine humanitati, & est quod propria humaniter Deitati sicut supra. Et est sciendum, quod hæresis Endici & sequacium suorum similatur supradictæ novæ & falsæ hæresi, quam imponunt Armenis. Et quoniam Endicius unam naturam dixit per confusionem & per alterationem, scilicet quod Verbum Dei figuram & alterationem solum accepit a sancta Virgine, & non veraciter homo factus est, istam hæresim ecclesia Armenorum semper anathematizavit, & cum ea etiam anathematizata sit supradicta hæresis cum habentibus eam, quæ latrat, quod humana natura in Christo, non est nisi una natura, & illa divina & humana. Sequitur.

Et dicti Armeni maledicunt omnes qui contrarium dicunt, & in tantum detestantur illos qui dicunt post unionem duas naturas esse in Christo, divinam scilicet & humanam. Quod si aliquis Armenus prius baptizatus secundum ritum eorum hoc diceret, non participarent cum eo, sed haberent eum ac si paganus fuisset; & si vult reverti ad fidem Armenorum, eum iterum baptizant, sic, sicut si semper paganus fuisset, & post secundum baptismum imponunt ei pœnitentiam viginti annorum.

RESPONSIO. Hæc omnino sunt falsa, quia numquam in ecclesia Armenorum hæc alias audivimus, nec vidimus, nec fecimus, quia licet a dicentibus duas naturas, sicut Nestorius & sequaces ejus, quos detestamur & abrenuntiamus, tamen eos non baptizamus, nec tantam poenitentiam imponimus sicut dicunt.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod secundum eos post unionem naturarum in Chri-

(a) Sic legitur in MS. Per fortaram intelligere videtur fortitudinem; nam eam opponit imbecillibus signis.

ANNO CHRISTI 1342.

Christo, natura humana conversa fuit in divinam naturam, ita quod in Christo ex tunc non fuit nisi natura divina.

RESPONSIO. Hoc superius in XIX. articulo manifestamus sufficienter falsum esse, & replicare necesse non est. Sequitur.

Tamen dicta natura divina in Christo fuit passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis, secundum quod Christo placebat, & sic dicunt Christum fuisse passum & mortuum secundum naturam divinam, quia sic voluit ipse, licet humana natura in eo non esset, quando passus & mortuus fuit.

RESPONSIO. Sciendum est, quod in XX. articulo dicitur de Armenis; quod humanam naturam dicunt & credunt & tenent conversam in divinam ejus naturam; & hic iterum replicant, quod natura humana conversa fuit in Dei naturam; & quod humana natura secundum hanc opinionem, quod Christus homo non erat, quia quidquid mutatur a substantia & natura sua, quod erat non manet; & hic etiam in XXI. articulo dicitur de Armenis, quod dicunt Christum passum et mortuum secundum naturam divinam, et per hoc manifestum est quod Christus etiam non est Deus secundum dicta eorum, quoniam passibilis & mortalis & mutabilis natura Deus non potest esse. Sic sequitur secundum dicta eorum, quod Christus non est Deus nec homo, quod absit, quia Christus veraciter Deus est & perfectus homo est, sicut symbolum ecclesiæ Armenorum testatur in articulo Filii dicendo: *Credimus & in unum Dominum JESUM CHRISTUM Filium Dei unigenitum, a Deo Patre genitum, scilicet de essentia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum & non factum, eumdem ipsum de natura Patris, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia.* Necessitatem expositionis non habetis vos qui mente illuminati estis, videntes quod ecclesia Armenorum per confessionem supradictam JESUM CHRISTUM verum Deum & creatorem omnium creaturarum credit, & statim post hæc dicit symbolum: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendens de cœlis incarnatus est, humanatus est, natus est perfecte ex MARIA sancta Virgine, per Spiritum sanctum, per quem accepit corpus, animam & omnia quæ veraciter sunt in homine, non habens dubium.* Et per hoc manifeste confitetur ecclesia Armenorum, quod ille qui erat Deus verus & creator omnium creaturarum, ille manet homo verus sine ullo dubio. Ergo falsum est, quod natura humana mutata fuit in Dei naturam. Falsum est & hoc etiam, quod divina natura passa est, in Christo crucifixa est, & mortua est. Item sciendum quod divinitatem Verbi dicere esse passibilem est hæresis Ariana, sicut & Gregorius Theologus manifestat & dicit in verbis ad Clodium contra Apollinarem: quod si absque anima erat homo, hoc Arriani dicunt, ut in divinitatem passiones introducant, quasi in movente corpus illud. Ita in eodem sensu dicit sanctus Athanasius contra Arrianos, quod Deitas non vulneratur, quia Spiritus est Deus, impassibilis & impalpabilis, quia carnem vulneraverunt Judæi. Et Nerses Glanensis Catholicon Armenorum, dicit contra quosdam tales hæreticos: Qui hoc dicunt, similes sunt eis qui cavent a parvo lapide in via, ut non offendantur, & voluntarie a præcipitio alto projiciunt seipsos; sicut & vos cavendo ab illo, ut non solum homini dabitis passionem, & crucem, & naturam immortalem dicitis comprehensam esse a morte, quod nec dæmones audent dicere, nec aliquis de pessimis hæreticis, excepto Arrio, qui non confitebatur eum ex natura Patris genitum, sed quasi unum de creaturis post tempora factum. Ideo secundum creaturas in operibus passionum ponebat eum, quoniam naturæ creatæ sub vitiis passionum cadunt sensibiles & intelligibiles, intelligibiles solum passione spirituali, sed homines spirituali & corporali: tamen increata natura Dei libera est a passionibus vitiorum, & tantum distant a natura ejus passiones, quod si vellet mori & pati, non posset, quia licet omnipotens est, tamen in natura sua, quæ est impassibilitas & immortalitas, mutationem recipere non potest. Item, dicit Gregorius Theologus in sermone Nativitatis: quasi homo mortuus, & quasi Deus resurgens, non alius resurgens & alius mortuus; sed dicit quod Verbum unicum in corpore secundum humanitatem moriens, & secundum divinitatem resurgens. Item alibi dicit: Passibilis corpore, & divinitate impassibilis, ipsemet cælestis et terrestris, visibilis et invisibilis, comprehensibilis et incomprehensibilis. Et contra Arrianos scribit dominus Nerses Glanensis catholicon Armenorum de verbis S. Athanasii ad Mesopotameos: Quomodo verbum increatum passibile dicitis, vel, quomodo passibile corpus increatum appellatis? Ergo increatam essentiam Verbi dicendo passibilem, blasphematis, & passibile corpus dicendo increatum, ad duos defectus caditis, vel fantasticam operationem, et passionum patientiam putatis secundum impietatem Manichæi, vel increatæ naturæ Dei passiones imponitis, et hæc dicendo ipsam divinitatem Patris et Spiritus sancti dicitis mortis esse receptibilem, quoniam mors corporis consubstantialis mortalium fuit; unde nos cum sancto Athanasio confitemur Christum Deum et hominem, non propter divisionem hoc dicimus, absit, quia passiones & mors dicuntur de eo, quoniam confitemur passionem et mortem corporis Verbi, et ipsummet Verbum immutabile et inalterabile credimus, et quia ipsemet est passibilis et impassibilis, divina natura immutabilis et impassibilis, sed corpore passus, ut dixit Petrus, et mortem gustans. Ideo errant qui dicunt, quod alius est qui passus est, & alius est qui non est passus, sed non est alius nisi Verbum quod passum est, & mortem recepit corpore, quia ipsummet impassibile & incorporale Verbum placuit esse corpus passibile, ut per passiones suas salvaret homines. Ideo alapatus a ministro, quasi in Verbo suo alapam recipiens dicebat: *Quare cædis me?* & esse verbum impalpabile dicebat per prophetam: *Dorsum meum dedi verberibus, & genas meas alapis, & faciem meam non averti a confusione sputi*; quoniam quidquid humane patiebatur corpus Verbi, hoc

ANNO CHRISTI 1342.

hoc cum eo ſtando Verbum in ſe recipiebat, ut nos communicari poſſumus divinitati Verbi. A Et valde erat mirabilis res, quoniam ipſe erat qui patiebatur, & ipſe erat qui non patiebatur. Patiebatur per paſſibile, quoniam ſuum corpus patiebatur, & in ipſo paſſibili erat ipſe ſive paſſibile indiviſibiliter & a paſſibili corpore, quia Deus eſſendo Dei Verbum, impaſſibilis erat natura, tamen cum paſſibili corpore unitus; incorporalis & corpus habebat in ſe impaſſibile Verbum mundans infirmitates ejus. Ergo falſum dicunt contra eccleſiam Armenorum, quod ſolam naturam dicunt divinam paſſibilem & impaſſibilem, mortalem & immortalem, quod abſit, quia error iſte ſemper maledictus eſt ab eccleſia Armenorum, & anathema ſit. B Sequitur.

Credunt etiam & tenent quod in Domino JESU CHRISTO *poſt unionem non fuit niſi unus intellectus, una voluntas, & una operatio, ſcilicet divina, non humana.*

RESPONSIO. Licet multi multis modis propter duas voluntates, duas operationes, & duas naturas, & aliqui perverſe dicendo una voluntas, una natura, una operatio; ſed nos ſecundum doctrinam ſanctam evangelii malum abiiciendo & bonum in ſpiritu & in corde, & in fide noſtra colligendo unum eumdemque Chriſtum credimus & confitemur, perfectum Deum & perfectum hominem, ſicut ſupra; ſed ſecundum illud quod C perfectus Deus eſt, habet omnes proprietates divinitatis, quas habet Pater & Spiritus-ſanctus abſque perſonali proprietate Patris & Spiritus-Sancti, per quas dividitur ab eis. Sed ſecundum hoc quod perfectus homo eſt, habet omnia quæ habebat primus Adam abſque peccato, ſcilicet corpus animatum & ſpiritum rationalem cum virtutibus ſuis voluntate & operatione, & aliis omnibus.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ab illa hora quod Dominus mortuus fuit in cruce, ipſe deſcendit ad inferos, & infernum deſtruxit totaliter, ita quod ex tunc non fuit infernus, nec aliquæ animæ hominum, vel etiam dæmones ex tunc fuerunt in inferno, nec D *erunt poſtea.*

RESPONSIO. Quod Chriſtus deſcenderit in inferno & corporaliter deſtruxit infernum, ubi erant ſancti patres, verum eſt & diximus ſupra illud quod dicit quod omnino deſtruxit infernum, & deinde non eſt infernus, &c. & iſtud etiam diximus in XI. articulo, & de dæmonibus diximus in XV. ſed apud nos & apud alios ſapientes Armenorum confirmatum eſt veraciter, quod peccatores qui erant ante Chriſtum, in inferno ſunt, & vadunt in inferno nunc etiam, & illuc remanſuri ſunt in ſæcula ſæculorum. Sequitur.

Quod vero Chriſtus reſurrexit, educens de inferno ſanctorum animas; qui ibidem e- E *rant, duxit eas in paradiſum terreſtrem, & cum ipſis dictum paradiſum intravit, dicens eis: Ecce locus in quo fuiſtis; & ſtatim de iſto paradiſo eas ejecit, & poſuit eas in terra vel aere circa paradiſum terreſtrem.*

RESPONSIO. Quod Chriſtus ſurrexit a mortuis, & animas ſanctorum eduxit ſecum de inferno, verum eſt confitendum, ſed alia omnia falſa ſunt, inſana & vana.

Item, quod de anima Latronis Chriſtum confitentis in cruce apud Armenos ſunt diverſæ opiniones, quarum una eſt, quod illud quod ponitur in evangelio: Hodie mecum eris in paradiſo, *to* hodie *non tenetur ibi determinate pro illa die qua mortui fuerunt Deus & latro, ſed tenetur pro die finalis judicii, quando ſancti perfecti intrabunt in paradiſum cœleſtem, quomodo dies accipitur in Pſalmo:* Melior eſt dies una in atriis tuis. *Tunc enim, non ante, latro intrabit in paradiſum cœleſtem ſecundum eos cum aliis ſanctis perfectis. Alia vero opinio dicit, quod die quo dictus latro mortuus fuit, ejus anima venit ad partem paradiſi terreſtris, volens illuc intrare, ſed per angelos, Enoch, & Elyam intrare illuc prohibitus fuit; ſed in die reſurrectionis Domini, quando Dominus cum aliis animabus ſanctorum, quas extraxerat de inferno, venit ad portam paradiſi terreſtris, invenit ibi dictam animam latronis, & cum Dominus oſtendiſſet manus & latus, angelis, Enoch & Elyæ aperientibus ei portam paradiſi, intravit illuc cum dicta anima latronis & aliorum ſanctorum, & cum eis dixiſſet:* Ecce locus, de quo exiviſtis, *cum omnibus dictis animabus exivit de paradiſo, & eas poſuit in terra vel aere circa dictum paradiſum, ubi erunt uſque ad diem judicii, & tunc introducentur in paradiſum cœleſtem. Alii vero dicunt quod illa vere hora pro qua Adam exivit de paradiſo feria* VI. *Dominus poſuit animam latronis in paradiſo terreſtri, ſi tamen poſtea eduxit inde eam vel non, non dicunt.*

RESPONSIO. Sciendum eſt quod ſupradictæ tres opiniones licet inveniantur prima & ultima in opinionibus aliquorum Armenorum, & media Aſſyriorum, tamen nos, & alii qui ſapientes ſunt, in opinionibus hominum non ſumus ligati inſolubili ligatione, maxime in perverſa, ſed in verbis evangelii, ut dicit Chriſtus ad hoc: *Hodie mecum eris in paradiſo*; & Dominus cum anima rationali, una cum Deitate ſua ivit ad locum patriarcharum, & aliorum ſanctorum, qui quandoque vocantur ſinus Abrahæ, & quandoque infernus, ut cantat & confitetur eccleſia noſtra, quod anima latronis etiam cum Chriſto ivit illuc ſecundum verbum Domini, & quando liberavit alias animas ſanctorum, & latronis etiam cum eis in die reſurrectionis ſuæ, & quando duxit alias animas ad cœlum, quando aſcendit, animam latronis etiam cum eis, & ſicut viderunt aliæ animæ ſanctorum Deitatem Chriſti in inferno, & ſemper ex tunc, quia eſt gloria cœleſtis paradiſi, ſimiliter & anima latronis, & ſupradictas tres opiniones nos non recipimus, ſed ſpernimus & condemnamus.

Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod animæ malorum hominum, qui multa peccata actualia gravia commiſerunt, qui mortui fuerunt ante Chriſti paſſionem, fuerunt poſitæ in inferno, & ibi pœnas infernales pro peccatis ſuis ſuſtinuerunt.

RESPONSIO. Verum eſt & adhuc hodie ſuſtinent, & ſuſtinebunt in ſæcula ſæculorum, ſecundum præceptum Domini ibunt peccatores ad ſupplicia æterna. Sequitur.

Sed cum Dominus poſt paſſionem ſuam infer-

ANNO CHRISTI 1342.

fernum destruxisset, dictas animas posuit in terra, vel in aere, & ibi vadunt huc vel illuc, non patientes aliquam pœnam sensibilem usque ad diem judicii.

RESPONSIO. Falsum est, & non alias audivimus, quia animas peccatorum dicimus in inferno in æternum mansisse. Sequitur.

Hominum autem malignorum animæ, qui fuerunt post Domini passionem, quando mortui sunt dicti homines, angeli mali & terribiles accipiunt eas, & adducunt ad oceanum, de quo supra mentio facta est, & ostendunt eis oceanum, & vermes & dracones, qui ibi sunt; & dicunt eis, quod post generale judicium ibi ponentur, & per dictum oceanum & dracones cruciabuntur, & ex hoc dictæ animæ multum timent propter dictas pœnas, quas passuræ sunt post generale judicium, non tamen interim aliam pœnam sensibilem patientur.

RESPONSIO. In VII. articulo & in XI. sufficienter dictum est de peccatoribus & inferno, & hæc quæ supra scribuntur sunt phantasiæ & fabulæ. Sequitur.

Animæ vero hominum bonorum & perfectorum quando moriuntur, accipiuntur per bonos angelos, & ducuntur in cœlum ante thronum Dei; & vident sub throno Dei, qui thronus sunt angeli, gloriam quam post generale judicium habituræ sunt, & hoc multum consolantur. Postea tamen ab angelis ducuntur ad terram vel ad aerem, & sunt ibi usque ad diem judicii, & propter dictam spem dicuntur requiescere.

RESPONSIO. Licet aliqui dicebant hoc, quod in exitu justarum animarum de corpore angeli ducunt in coelis facere adorare Deum; & post hæc secundum divitates suas & voluntatem Dei ducuntur ad locum quietis; sed quod dicit in articulo, quod post adorationem, iterum ducunt ad terram vel ad aerem, non audivimus. Sequitur.

Dicunt etiam & credunt, quod post generale judicium homines mali, qui fuerunt vel ante Domini passionem vel post, ponentur in corpore & anima in dicto oceano, & ibi cruciabuntur perpetuo.

RESPONSIO. Falsum est hoc, & in multis locis superius manifestavimus, quia numquam a sacra scriptura audivimus nos oceanum esse infernum, sicut nunc superius diximus, & item in VII. & in XI. articulis manifestavimus opinionem ecclesiæ Armenorum de inferno & de peccatoribus.

Item, quod Armeni dicentes unam solam naturam esse in Christo, scilicet divinam & non humanam, respondere non possunt ad dicta posita in scriptura de Christo, per quæ manifeste ostenditur Christum habuisse humanam animam, quæ divina natura non erat sicut: Non derelinques animam meam in inferno; *nec ad illud.* Tristis est anima mea usque ad mortem; *nec ad illud quod dicit Dominus.* Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, & inclinato capite emisit spiritum; *per quæ omnia manifeste scriptura dicit fuisse in Christo post unionem animam humanam: sed cum eis prædicta dicuntur, non habentes quod respondeant, recurrunt ab baculos, vel ad pœnas corporales, ut male tractent eos qui talia eis dicunt.*

A RESPONSIO. Licet aliqui de Armenis aliquando unam naturam dixerint in Christo propter indivisibilem & ineffabilem unionem verbi & corporis & animæ rationalis, contra divisionem Nestorii & suorum similium, quia in lingua nostra natura æquivoca est, quandoque etiam personam significat, ut dominus Nerses Glanensis dicit; & quia Cyrillus qui in synodo Ephesi erat principalis ad condemnandum hæreses Nestorii, una cum omnibus sanctis patribus qui ibi erant, dicit in multis locis; una est natura Verbi incarnati contra divisores & propter ineffabilem unionem; sed secundum opinionem hæreticorum confusione, alteratione,

B vel conversione nullus dixit, ut hic, & in multis aliis locis in falsitate & confusione istius libelli mentitur, dicendo quod Armeni dicunt solam unam naturam in Christo, scilicet divinam & non humanam. Ideo dictis supra sanctæ scripturæ ecclesia Armenorum non fuit contra, nec sistit; sed credit & prædicat, prout in xx. & xxi. articulo manifestavimus de humanitate & divinitate Christi; sed quod possumus respondere de verbis nostris patet, ideo baculare non est necesse; sed illi qui istas falsitates dixerunt, & alii eis similes, quos non cognoscimus, taliter errantes errant, licet Armeni essent, tamen de ecclesia Armeniorum non erant,

C sed de synagoga sathanæ, sicut dicit Johannes: *de nobis exierunt, sed non erant ex nobis*: quia ecclesia Armeniorum tales errores semper excommunicat & anathematizat cum confitentibus eum, & anathema sit. Sequitur.

Dicunt etiam & credunt, quod anima Christi, quando descendit ad inferos, ne cognosceretur, induit se Deitate, sicut & quando erat in vita præsenti, ne cognosceretur, induit Divinitatem suam corpore.

RESPONSIO. Hic manifeste dicunt contra dicta sua supra, qui testificantut veritatem secundum dictum Armenorum, quod in Christo post unionem erat Deitas & anima

D rationalis & corpus; quia descensus animæ rationalis Christi ad inferos, ut dicit, quod induta Deitate ut non cognosceretur, & quando erat in vita præsenti sic dicit, quod Deitas induta corpore, hæc post unionem erant, licet non est rectum quod dicit, quod anima Christi quando descendit ad inferos, ut non cognosceretur, induit se Deitate; quia descendens ad inferos non occultatus est, sed manifestatus fuit, quoniam mors morti factus est, & liberatio vinculatis, & salus & gloria sanctorum suorum. Item, dicit hic secundum fidem Armenorum, quod in Christo post unionem erat Deitas, anima & corpus, est verum, & confessum a nobis: sed in xx. articulo contra dicit,

E quia humana natura conversa fuit ad divinam ejus naturam, & natura (divina) ad humanam sine conversione animæ & corporis mutari non potest; & in articulo xxvi. etiam dicit: Armeni dicunt & credunt quod in Christo nec corpus erat nec anima post unionem. Hæc falsitas per se patet, quoniam quomodo Christus simul & semel corpus & animam habet & non habet, vel natura humana in Christo est conversa & non

ANNO CHRISTI 1342.

Anno Christi 1342.

non conversa? quod est valde inconveniens.

A *Item, quod Armeni dicunt & credunt, quod licet resurrectio a morte solum ad carnem pertineat, quæ mortua fuerat; tamen in Christo, quia non erat nisi divina natura post unionem ipsam, secundum quod volebat faciebat opera carnis & animæ, quamvis in Christo nec caro esset nec anima post unionem.*

RESPONSIO. Et in XXVIII. articulo etiam dicit, Armeni dicunt, voluntas divina sicut volebat faciebat, et ostendebat se humanum corpus habere, licet non haberet. Quare per supradicta manifestum est, quod omnia opera Christi phantastica erant, et non vera. Si sic est, ut dicit, et in XX. articulo dicunt Christum, secundum fidem ecclesiæ Armenorum, non esse hominem; sed dicentes Armeni credunt et tenent, quod in homine humanæ naturæ ad filium Dei humana natura conversa fuit in divinam ejus naturam, sic quod post dictam unionem in Christo non erat, nisi una natura, divina scilicet & non humana. Item, in XXI. post unionem naturarum in Christo humana natura conversa fuit in naturam divinam, sic quod in Christo ex tunc non erat nisi natura divina. Item, in XXVIII. dicunt Armeni, quod in unione ipsa humana natura conversa fuit in Deitate, de quibus patet, quod secundum hanc falsitatem Christus homo non est, sic dicendo: Armeni dicunt & credunt, quod natura divina in Christo fuit passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis, sicut Christo placebat, & sic dicunt Christum passum & mortuum secundum divinam naturam. Item, in XXIX. Armeni dicunt & tenent, quod quando voluit divina ejus natura mortalis fuit & mortua, etiam & quando voluit facta fuit immortalis; ex quo sequitur manifeste, quod si sic esset, Christus etiam Deus non esset, quia passibilis, mortalis & mutabilis natura de se & ratione naturæ suæ Deus esse non potest. Ecce prima hæresis Manichæorum, qui dicunt Christum non verum hominem factum, sed phantasticum. Secunda est Eudici & sequacium, qui unam naturam dicebant in Christo confusam. Et tertia Arii, qui Deitatem Verbi passibilem dixit, sicut in xx. articulo manifestavimus; sed quod Christus secundum fidem ecclesiæ Armenorum est verus Deus, verus homo, & quod omnia opera ejus veraciter sint, Johannes evangelista ostendit in canonica, ubi dicit: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus-sanctus, & hi tres unum sunt*: per quod manifestatur, quod Christus verus Deus est; *& tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, caro, & sanguis*; & per hoc ostenditur, quod Christus verus Deus homo est. Igitur ad esse homini duo sunt necessaria principaliter, esse anima & corpus, quoniam per unionem istorum verus homo fit: sed per hoc quod Christus clamavit in morte voce magna, & emisit spiritum, manifeste ostenditur, quod animam habebat, non solum vitalem, sed etiam rationalem, de qua ante dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; & *potestatem habeo ponere animam meam & iterum accipere*, & per hoc quod una apertione lateris per lanceam exivit aqua et sanguis, certificatur veraciter, quod Christus verum corpus habebat, quia a phantastico corpore nec aqua nec sanguis exire potest, et quod hæc omnia alia opera Christi divina et humana vera sunt, non phantastica, dicit Evangelista, *qui vidit & testatur, & testimonium ejus verum est*. Item, si non habebat animam, quam igitur emisit? et si non habebat corpus, quod fixerunt in cruce, volverunt pannis, et posuerunt in sepulcro, et post resurrectionem numquam pedes divinitatis tenuerunt in via mulieres. Et si non erat verus homo, qui in cœnaculo intrans ad discipulos dixit: *Palpate & videte quia ego idem ipse sum*, quare in confusione negantium dicebat, quod *anima corpus & ossa non habet, sicut me videtis*

B *habere*. Et ad solvendum opinionem Thomæ dicebat Dominus: *Fer manum, & mitte in latus meum, & mitte digitos ad locum clavorum, et noli esse incredulus, sed fidelis*; et talia similia multa habemus in evangelio et ab apostolis, quod Christus erat perfectus Deus et perfectus homo, et omnes operationes ejus veraciter sunt, quibus firmiter credimus sine ullo dubio, et contradictores habentes contradictionem maledicimus.

Item, quod Armeni credunt et tenent, quod die sabbati post parasceve, hora sexta, Dominus resurrexit, et hoc dicunt se habere ex traditione Gregorii, qui fuit antiquitus eorum catholicon, cui, ut dicunt, fuit revelatum, cum esset in sepulcro Domini, quod hora

C *sexta dictæ diei sabbati resurrexerat Dominus; et sic apud Armenos est determinatum, et dicta hora faciunt festum de resurrectione Domini, et postea eadem die comedunt ova, caseum, non tamen carnes.*

RESPONSIO. Ecclesia Armenorum, sicut recepit a Gregorio illuminatore usque ad hanc diem, in dominica die facit resurrectionem Domini, et non in sabbato, per cujus prædicationem credit Christum Deum et hominem, vetus et novum testamentum recipit ad doctrinam et magisterium & instructionem suam; et non, sicut detractores et

D maledictores sancto patri nostro dicunt, per traditionem ejus datum fuit et ordinatum in ecclesia Armenorum sexta hora magni sabbati facere resurrectionem Domini dicentes manifestatum fuisse sancto Gregorio in sepulcro Domini. Sed quod ecclesia Armenorum in dominica facit resurrectionem Domini, et non in sabbato, multipliciter ostenditur: Primo per evangelistas quorum verbis credit ecclesia Armenorum, et Marcus dicit, resurget JESUS diluculo, *Una sabbatorum apparuit Mariæ Magdalenæ*. Lucas vero: *Una sabbatorum valde diluculo audiverunt mulieres ab angelo, Non est hic, surrexit*. Similiter et alii duo evangelistæ te-

E stificantur de his. Secundo, ab officio ecclesiæ Armenorum, quod canticum supradicti sabbati totaliter sepulturam Domini recolit et honorat, et nullam mentionem de resurrectione facit, excepto illo, quod secundum consuetudinem Armenorum in festo resurrectionis, et in omnibus aliis festivitatibus totius anni in vigilia festum colere incipimus, sicut apud vos etiam in sabbato sancto legitur evangelium S. Matthæi de resurrectione

ne, et dicitis alleluia, et similia alia. Tertio, quia tantum paschatis una sabbatorum totaliter resurrectionem Domini honorat et colit, ante omnia cantat: *Hodie surrexit a mortuis sponsus immortalis & cœlestis, tibi gaudium & lætitia, o ecclesia sponsa de terra, benedic in voce exultationis Deum tuum Syon. Hodie Angelus cum splendore lucis descendens de cœlis, & terruit custodes, & sanctis mulieribus prædicabat, dicens: Christus resurrexit a mortuis, gaude & lætare mater, & Virgo, quoniam genitus de te Virgine hodie per resurrectionem genitus de sepulcro virgine. Hodie lapis fidei Petrus, & dilectus Johannes cum adversariis festinantes ad sepulcrum resurgentis*, et sic omnia cantica dicta una sabbatorum resurrectionem Domini multis modis narrant. Quarto, quia per totum annum in dominica resurrectionem semper colimus, excepto pentecostes et aliis magnis festivitatibus, quæ in dominica veniunt, et resurrectionis officium impediunt. Quinto, in omnibus diebus dominicis dicimus hoc canticum, quod dominus Nerses Glanensis catholicon dicit magisterialiter: *Manifestemus & ministerium secretum noscamus, quia lux invisibilis, in intelligibilis, mundis autem spiritibus visibilis, in hac una sabbati nobis est ortus sanctæ resurrectionis splendor. Iterum & descendens in sepulcro, incorruptibili corpore & sancto resurgens, tertia die & lux orta est mundo*. Sexto, quia totius anni dominicas colimus et honoramus propter resurrectionem Domini, et sic per traditionem Gregorii illuminatoris nostri, et per doctrinam evangelii et apostolorum, resurrectionem Domini in dominica recipimus, facimus et credimus, et contra facientes et dicentes anathematizamus. Sed quod de ovis et caseis, sciendum est, quod in primis diebus universaliter comedebant caseum et ova in sero sabbati sancti, tamen resurrectionem una sabbati diluculo faciebant. Et hæc consuetudo antiqua est, et multotiens prohibita per Mons catholicon, maxime in synodis de Sisio et de Adana, quæ factæ fuerunt propter unionem ecclesiæ Romanæ, ordinaverunt cum piscibus et oleo solvere, et abstulerunt ova et caseum, et nos sic facimus, et populum nostrum, quantum possumus, facimus observare. Sequitur.

Computant autem tres dies & tres noctes, quibus fuit Dominus in ventre terræ sic, quia in nocte sequente feriam quintam Dominus tradidit corpus suum & sanguinem discipulis suis, & ipsi discipuli, qui terrei erant, corpus ejus & sanguinem comederunt & biberunt, & sic in seipsis Christum sepelierunt; & computant illam noctem, & postea diem sequentem usque ad illam horam, qua in die parasceve tenebræ factæ sunt super universam terram, pro prima die & nocte; tempus vero illud quod dictæ tenebræ duraverunt, computant pro secunda nocte, & diem quæ fuit post dictas tenebras, computant pro secunda die; noctem vero quæ præcedit sabbatum, computant pro tertia nocte, & diem sabbati usque ad meridiem, pro tertia die.

RESPONSIO. Licet talia verba inveniantur in libris nostris, quæ aliqui stulti locuti sunt, ad probandum quod Christus tribus diebus & tribus noctibus mansit in corde terræ, tamen communiter a magistris Armenorum spernitur hæc perversa expositio, maxime de nobis; sed ad confirmandam tertiam diem resurrectionis Domini, accipimus partem pro toto, scilicet in parasceve in hora nona positus fuit in sepulcro, cui nox præcesserat, & post hæc nox & dies sabbati, quæ faciunt duos dies, & in nocte una sabbati diluculo, ut dicunt evangelistæ, surrexit Dominus, & sic sunt tres dies & tres noctes. Sequitur.

Et dicunt, quod dicta eorum opinio confirmata fuit per B. Silvestrum papam ad instantiam dicti Gregorii, & plus credunt dictæ opinioni, quam evangeliis Marci & Lucæ, qui dicunt, quod prima sabbati, id est dominica Dominus surrexerit.

RESPONSIO. Hæc omnino falsa sunt, & detrectationes & opprobria sanctorum Dei.

Item, quod Armeni nesciunt respondere ad illa quæ in evangeliis continentur, ubi manifeste scribitur, quod Christus post resurrectionem suam unum corpus humanum habuit, cum dicant, quod in ipsa unione humana natura conversa fuit in Deitatem, nisi hoc solum quod voluntas divina secundum quod volebat faciebat, & ostendebat se corpus humanum habere, cum tamen non haberet.

RESPONSIO. Sciendum est, quod in XX. & in XXI. articulis ostendimus sufficienter suprascriptum errorem falsum esse, tamen quia multotiens replicatur, prolixitati parcatis. In XXVI. dicitur secundum quod volebat faciebat opera corporis & opera animæ, licet in Christo nec corpus erat, nec anima post unionem, & hic dicit quod voluntas divina secundum quod volebat faciebat, & ostendebat se corpus humanum habere, cum tamen non haberet; sed per hoc quod dicit quod Armeni nesciunt respondere ad illa quæ in evangeliis continentur, ubi manifeste scribitur, quod Christus post suam resurrectionem verum corpus habuit. Sciendum est, quod Armeni dicunt illa quæ ab evangelio didicerunt, quod in Christo sunt tria, scilicet Divinitas, rationalis anima humana & corpus humanum; ideo necessitatem respondendi non habent, ut cantat ecclesia Armenorum in canticis Nativitatis Domini: *Te rogamus, Fili Patri coætanee, qui hodie cum natura protoplasti de Virgine natus es, Deus & homo*. Numquam protoplasti natura sine anima & corpore erat, vel quomodo est homo, si animam & corpus non haberet? sed super conversationem Christi super terra cantat ecclesia veraciter, *Incarnatus est, & cum hominibus conversatus est*. Et pro anima rationali cantat: *Voluntarie expirasti, & in sinu Patris tradidisti sanctam animam tuam, & pro corporis claritate inclinatus fuisti, & pro salute nostra incarnatus fuisti, &c.* Igitur ecclesia Armenorum habet & credit & confitetur, quod Christus animam rationalem quam accepit, tradidit in morte, & cum eodem corpore quod acceperat crucifixus est, quod est post unionem. Quomodo ergo & animam & corpus non haberet, sicut sunt in XXVI. & XXVIII. articulis, & in symbolo diximus omni die: *Ascendens in cælum cum eodem corpore ad dexteram Pa-*

ANNO CHRISTI 1342.

tris judicare vivos & mortuos. Igitur si post unionem anima & corpus non erant in Christo, ut dicunt in articulo, quomodo eodem corpore in Ascensione ascendit ad cœlum? & nunc quomodo eodem tempore sedet ad dexteram Patris? & quomodo eodem corpore venturus est judicare vivos & mortuos? Ergo ex hoc patet, quod false dicunt contra ecclesiam Armenorum.

Item, licet secundum Armenos, in Christo post unionem non fuerit nisi natura divina, in qua conversa fuit humana ejus natura.

RESPONSIO. Ut in xx. articulo manifestavimus, hoc veraciter falsum est. Sequitur.

Armeni tamen dicunt & tenent, quod voluntati Christi subjecta erat divina natura, ut de ea faceret quod vellet, & ut dicunt, quando voluit, divina ejus natura mortalis fuit, & etiam mortua, & quando voluit fuit facta immortalis, sicut factum fuit post suam resurrectionem, accipientes ad hæc probandum illud quod dicitur in Johanne: Ego vivo, & vos vivitis.

RESPONSIO. Credendum est quod in xx. & XXVI. art. et in multis aliis locis hæc manifestavimus sufficienter falsa esse, quod naturam divinam dicit esse mutabilem, tamen et hic idem manifestat ecclesia Armenorum in symbolo, quod omni die dicunt, quod increatæ et immutabilis natura Filii Dei. Igitur quod dicunt de eo, quod erat aliquando quando non erat Filius, vel erat quandoque quando non erat Spiritus-sanctus, vel de nihilo factus, vel de aliqua essentia vel substantia dicunt esse increatum Filium, vel Spiritum-sanctum, vel alterabilem, vel mutabilem, ut dicitur in XIX. et in XX. articulis, et in XXI. et in XXVI. et in XXVIII. articulis, taliter dicentes anathematizat sancta catholica et apostolica ecclesia, et anathema sit.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ex hoc quod Christus ascendit in cœlum, in eo post unionem desiit esse natura humana, alioquin si in Christo fuisset humana natura post unionem, non ascendisset in cœlum, sed translatus fuisset in paradisum terrestrem, sicut de Enoch & Elia factum fuit.

RESPONSIO. Armeni credunt et tenent, quod Christus cum eodem corpore quod accepit a Virgine ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et cum eodem corpore venturus est judicare vivos et mortuos in confusionem et opprobrium falsitatis illorum, quam superius dicunt: *Si in Christo fuisset humana natura post unionem, non ascendisset in cœlum.* Sciendum est, quod ecclesia Armenorum credit et tenet, quod sancta Dei genitrix virtute Christi assumta fuit in coelum cum corpore. Igitur nutus Christi, qui alios assumsit cum corpore ad coelum, seipsum non poterat mutare? Item, sancti post generalem resurrectionem cum corporibus ascensuri sunt in coelum, ut in VII. articulo manifestavimus, secundum fidem ecclesiæ Armenorum, qui simpliciter homines sunt; sed Christus qui Deus erat et homo, quomodo non poterat ascendere in coelum? Ergo falsitas hæc per se patet. Ideo dicit Apostolus: *Nolite omni spiritui credere.* Et Propheta: *Sepulcrum patens est guttur eorum; & Linguis suis dolose agebant. & perdet Dominus loquentes mendacium.*

Item, quod Armeni tenent, quod illæ auctoritates Prophetæ & Apostoli: Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem, *& quod* Christus exspoliavit principatus & potestates, transduxit eas in semetipsum, *non intelliguntur, quod hoc faceret quando Christus ascendit in cœlum; sed intelliguntur quando Christus ascendens ab inferis, & duxit secum animas hominum, quæ ibi erant, & posuit eas in ista terra vel aere usque ad diem judicii.*

RESPONSIO. Licet magistri locuti sunt differenter de hoc, sed nos non dicimus, & credimus, quod Christus post passionem suam descendit ad inferos cum anima rationali, ubi erant sancti patres, & liberavit eos ab inferis, & quando ascendit in cœlum, eos duxit in coelum secum, secundum verbum evangelii quo dicit: *Quando exaltatus fuero de terra, omnes traham ad me ipsum.*

Item, quod dicunt Armeni & tenent, quod Christus descendens ad inferos ligavit dæmones qui ibi erant, & etiam super terram, ut non possent tentare vel offendere homines, sicut ante faciebant; sed sunt treçenti anni, quod dæmones omnes sunt disligati, & seduxerunt homines a fide Christi per totum mundum, exceptis Armenis; a triginta annis citra, illos homines de minori Armenia, & a XXV. citra, Armenos de majori Armenia seduxerunt a fide Christi, quia, ut dicunt, ex tunc Armeni posuerunt in sacrificio aquam in vino, & fecerunt festum Nativitatis Domini XXV. die Decembris; & sic a dæmonibus seducti fidem Christi dimiserunt.

RESPONSIO. Sciendum est, quod millesimo anno post baptismum Domini, in quo tempore catholicon Armenorum erat Petrus, & rex Græcorum erat Basilius, & Armenorum rex erat Johannes, tertio die Octobris terribile & mirabile factum fuit in coelo tertia hora diei, quoniam firmamentum coeli scissum fuit ab Oriente usque ad Occidentem, & vehemens lux effusa fuit in terra a parte Aquilonari, & antequam lux deficeret, factus fuit rugitus et strepitus supra totum mundum, et attenebrata fuit terra, sic quod stellæ apparebant quasi in medio noctis. Item, post quinque annos obscuratus fuit sol taliter, quod omnes stellæ de die sicut de nocte apparebant, et terra clamavit communiter, et tremuit vehementer longo tempore, et mare fluctuabat valde vehementer; tunc supradicti catholicon et rex Armenorum miserunt ad quemdam devotum et virtuosum magistrum Armenorum, vocatum Johannem *Ceseirie*, ut diceret causam signorum: qui respondit eis cum lacrymis et suspiriis, quod nunc mille anni sunt a vinculo sathanæ, quem ligavit Dom. noster J. CHRISTUS: nunc autem solutus est a vinculis secundum Apocalypsim Johannis Evangelistæ, cui dixit angelus Domini quod mille annis ligabatur sathanas, et iterum solvetur a vinculis; hodie solutus fuit super mundum, et scissionem firmamenti coeli accepit super debilitates et infirmitates ecclesiæ, quæ debebant debilitari in virtutibus, et

ANNO CHRISTI 1342.

et obscuritate solis et stellarum; accepit super vitia et incredulitatem hominum, ubi dicit, quod deficiet quilibet in operibus suis, et quasi per modum prophetiæ dicit multiplicari Agarenos et gentiles super terram ad destructionem ecclesiæ, quem vidimus et videmus oculatim, et alia multa quæ propter prolixitatem transimus; sed in fine dicit, quod exitura est virilis gens Romanorum; et accipient Jerusalem, et liberabunt Christianos, et ædificabuntur ecclesiæ, et quod breviter scripsimus invenitur nobiscum. Cetera omnia quæ dicit in articulo, apud nos non inveniuntur, & sunt verba mente genita & false composita. Tamen de aqua & festo Nativitatis Domini, verum est quod Armeni non unici detrahunt nobis, qui sumus uniti ecclesiæ Romanæ, & multas alias detractiones & blasphemias loquuntur de nobis, et despiciunt nos; at non debilitamur a veritate quam accepimus a sancta ecclesia Romana.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod Christus post suam ascensionem habuit humanitatem, sed non habuit naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem humanam.

RESPONSIO. Hoc quod dicit, quod Christus post ascensionem suam habebat humanitatem, verum est, quoniam secundum fidem Armenorum perfectus homo est, sicut et perfectus Deus; sed illud quod dicit quod non habebat naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem, falsum est, et in XX. et XXI. et XXV. & XXVI. articulis sufficienter ostendimus, quod secundum hoc quod perfectus homo est, perfecte habet naturam, voluntatem, et operationem, et omnia alia naturalia animæ et corporis. Sequitur.

Etiam dicunt & tenent, quod Christus in cœlum ascendens, non subito pervenit ad dextram Patris, sed decima die post suam ascensionem, & in novem diebus qui sunt a die ascensionis ejus usque ad diem Pentecostes, Christus fuit inter angelos, ita quod per unam diem fuit in uno ordine Angelorum, & alio die in alio, & quilibet ordo angelorum festivavit eum una die: decima vero die pervenit ad dexteram Patris, & tunc statim misit apostolis Spiritum-sanctum, & propter hoc Armeni festivant illos decem dies.

RESPONSIO. Sciendum est, quod S. Gregorius post tormenta amarissima duorum annorum suorum pro testimonio Christi & increpatione idololatriæ Cheridati regis Armenorum, positus fuit & in lacum tormentorum, & erant ibi multi serpentes & scorpiones, & cibabant eos de condemnatis ad mortem. In supradicto lacu B. Gregorius fuit per tredecim annos, de mandato regis, & angelus Dei omni die apparebat & consolabatur eum, & iste angelus erat de quarto ordine; a quo didicit B. Gregorius, quod angeli etiam festivant Ascensionem, qui audivit ab angelo, quod festum magnum est hodie ordini meo qui in coelis est, quod est festum Ascensionis. Ecclesia autem Armenorum de hac materia nihil plus habet, nisi istud de B. Gregorio; sed aliqui alii inveniuntur, qui dixerunt in sermonibus putative, quod quilibet ordo per unam diem festivat, & in quolibet ordine per unum diem stetit, & hoc non habemus a S. Gregorio, nec est acceptabile apud nos, maxime nunc quando habuimus notitiam Romanæ ecclesiæ; sed magis veritatem dicimus & prædicamus, scilicet quod coelitus ascendit in coelum, & sedet ad dextram Patris, secundum prophetam: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.*

Item quod Armeni de maiori Armenia dicunt, quod ipsi sunt ecclesia catholica & apostolica, & propter hoc quod ipsi habent catholicon; & etiam eorum ecclesia est apostolica, quod ipsi tenent fidem quam apostoli prædicaverunt, & propter hoc sunt ecclesia catholica & apostolica.

RESPONSIO. Quod Armeni de majori Armenia, propter hoc quod habent catholicon dicunt, se solam ecclesiam catholicam & apostolicam, hoc non audivimus: sed quod ecclesia Armenorum est apostolica, propter hoc quod habent fidem, quam apostoli prædicaverunt, hoc verum est, quia symbolum ecclesiæ Armenorum, quod nunc habet, est sanctum & rectum & conveniens evangelicæ & apostolicæ prædicationi, sicut recepimus a sancta ecclesia, & a sanctis patribus nostris. Sequitur.

Græca vero ecclesia non est ecclesia catholica vel apostolica, quia ponunt aquam in vino in sacrificio, & quia dicunt duas naturas esse in Christo, & quia faciunt festum nativitatis Domini xxv. die mensis Decembris.

RESPONSIO. Sciendum est, quod Græci primo in sacrificio non ponebant aquam, & festum nativitatis, sicut Armeni faciebant sexto die Januarii, sed postea in diebus Johannis Osauri ecclesia Græcorum a pontifice Romano recepit aquam ponere in sacrificio, & festum nativitatis facere xxv. Decembris; sed ecclesia Armenorum non recepit, quia catholicon Armenorum S. Isaac dejectus est de sede sua, & non habebat ecclesia Armenorum caput quod recepisset supradicta, sicut aliæ ecclesiæ, & sic remansit ad pristinam consuetudinem. Græci autem postquam receperunt aquam in sacrificio ponere, & festum nativitatis colere xxv. Decembris, incoeperunt obprobriari Armenis, & Armeni Græcis. Sequitur.

Dicunt etiam & tenent, quod ecclesia Romana non est ecclesia catholica & apostolica, propter easdem causas, quas dicunt de ecclesia Græca, & etiam quia corrumpunt fidem Christianam faciendo & acceptando concilium Calcedonense ad instantiam B. Leonis papæ.

RESPONSIO. Quia ecclesia Armenorum cum ecclesia Romana numquam bellavit, quare obprobria & convicia ecclesiæ Romanæ parum inveniuntur, sicut de B. Leone in canticis Christianorum, & c usam quare, in secundo articulo memoravimus. Tamen nos de minori Armenia, & qui de majori Armenia obediunt & conveniunt nobiscum, jamdiu est, cum duabus solemnibus synodis abstulimus obprobria S. Leonis papæ & glorificamus eum cum sanctis, & synodum Calcedonensem cum aliis sanctis synodis, licet aliqui de majori Armenia, qui non conveniunt nobiscum, remanserunt sic, sicut ante erant. Sequitur. Di-

ANNO CHRISTI 1342.

Dicunt etiam & tenent, quod ecclesia Romana & Græca desinent esse ante generalem A *resurrectionem, vel tempore antichristi: Ecclesia vero Armenorum durabit usque ad finem.*

RESPONSIO. Hoc falsum est, quia licet de Armenis dicunt aliqui de rusticis, quod non venient usque ad antichristum, sed pro Græcis & pro Francis, numquam audivimus talia. Sequitur.

Et quod illi de Armenia minori, excepto rege & quibusdam nobilibus, sunt de ecclesia majoris Armeniæ, & sunt pejores, quam illi de majori Armenia, nec volunt recipere aliquem magistrum, nisi sit de majori Armenia. Dicunt etiam, quod rex & nobiles minoris Armeniæ, quia tenent supradictos arti- B *culos cum ecclesia Romana & Græca, non sunt de ecclesia catholica & apostolica.*

RESPONSIO. Populus Ciliciæ communiter sicut catholicon, rex, & alii prælati ecclesiastici & sæculares uniti sunt ecclesiæ Romanæ, similiter & populares. Ideo pejores quam inobedientes manifestare non possunt esse, & si sint aliqui in corde suo, non sunt inobedientes manifestare non possunt, quia corriguntur de inobedientia etiam per mortem.

Item, quod Armeni dicunt & tenent quod ecclesia catholica fuit per totum orbem diffusa a principio, quia aliqui ex omnibus crediderunt in Christum. C

RESPONSIO. Verum est hoc & acceptabile. Sequitur.

Sed postea in concilio Calcedonensi fuit fides ecclesiæ corrupta & destructa, ex eo quod ibi determinatum fuit, quod in Christo erant duæ naturæ & una persona, & omnes qui dictum concilium receperunt, fuerunt extra ecclesiam catholicam: & quia dicti Armeni dictum concilium non receperunt, sed condemnaverunt; ideo solum apud eos est catholica, exceptis paucis de ecclesia minoris Armeniæ.

RESPONSIO. Causam non recipiendi synodum catholicon in secundo & tertio articulis breviter manifestavimus, & illud etiam, quia nos jamdiu est cognoscentes ve- D ritatem, recepimus synodum sanctam: tamen non est mirum, si Armeni defecerunt de facto duarum naturarum; quia ut vos bene scitis in synodo Ephesina universaliter a tota ecclesia condemnatus fuit nefandus Nestorius cum hæresi sua, qui dicebat duas naturas, duas personas, & duos filios in Christo; & condemnationem istam Nestorii & hæresis ejus Armeni condemnaverunt in tota ecclesia, sed post modicum tempus facta fuit synodus Calcedonensis, in qua determinatum fuit duas naturas confiteri & unam personam in Christo, licet si dixerint naturas esse unitas in persona, & in hac synodo Armeni non erant, ut veritatem scivis- E sent. Ideo quoniam audiverunt ab Assyriis, quod confirmaverunt hæreses Nestorii, tunc incoeperunt declinare a synodo, sicut ab hæresi Nestorii. Sed tamen ecclesia Armenorum in diebus Erach cæsaris, & Esdræ catholicon Armenorum, quærentes veritatem cum solemni synodo, receperunt concilium Calcedonense cum determinationibus suis, cum aliis sanctis synodis, & a dicto Esdra usque ad septem catholicon sic tenuerunt; sed post hæc Johannes de Osna fecit synodum in Manasgarde cum sex episcopis Assyriis, & paucis Armenis contra catholicon prædecessores suos, & fecit declinari multos a veritate, dicendo unam naturam, unam voluntatem, unam operationem in Christo contra concilium Calcedonense: tamen alii catholicon dominus Gregorius & dominus Nerses Glanensis, videntes impietatem eorum voluerunt iterato redire ad pristinum statum, & uniri cum Græcis; & licet duæ partes concordaverint ad invicem, & pervenissent ad unionem, si a morte non fuissent præventi, & remansit sic usque ad tempora prædecessorum nostrorum, qui cum duobus conciliis uniti sunt cum ecclesia Romana, & receperunt concilium Calcedonense, & abstulerunt omnes causas turbationis, & nos una cum omnibus nobis obedientibus sic stamus sic sumus & docemus.

Item quod Armeni credunt & tenent quod solum apud ipsos est ecclesia catholica, quia, dicunt, apud illos sunt quæ faciunt esse unam tantum ecclesiam, scilicet verus baptismus & unica fides Christi, & unicus Spiritus-sanctus & unus Deus & Dominus, quæ apud alias ecclesias, quæ vocantur Christianæ, non sunt.

RESPONSIO. Si aliqui talia dixerunt, nos ignoramus, quia nec audivimus, nec diximus: quoniam licet ecclesia Armenorum, secundum fidem Christianam in qua est, de catholica ecclesia est; tamen ipsa per se non est tota & universalis ecclesia; & si dicit habere, sicut & habet veraciter res istas, scilicet verum baptismum, & unicam fidem Christi, unum Sanctum Spiritum, unum Deum & Dominum, tamen non dicit quod aliqui Christiani non habent, sicut in articulo dicitur, & ex hoc patet quod dicunt, quod omnes venientes ad eos ab aliis ecclesiis rebaptizant, quoniam baptismus datus in aliis ecclesiis, non putant verum baptismum esse; & hoc falsum est, quia universaliter in tota ecclesia Armenorum hominem venientem ad eos ab aliis ecclesiis rebaptizant, quia baptismum aliarum ecclesiarum putant verum esse, & non sicut mentiuntur in prædicto articulo; sed aliqui ex eis qui articulum istum falsum ponunt super Armenos, baptizaverunt plures contra verbum apostoli qui dicit: *Non est possibile semel baptizatis iterum renovari ad pænitentiam, & sibi ipsis reiterato crucifigere filium Dei.* Sequitur.

Quia, ut dicunt, Armeni habent etiam veram fidem, quam aliæ ecclesiæ destruxerunt recipiendo concilium Calcedonense. Habent & vere Spiritum-sanctum & verum Deum & Dominum, quæ aliæ ecclesiæ non habent, quia negaverunt Deum & Dominum in concilio Calcedonensi, dicendo quia in Christo sunt duæ naturæ & una persona.

RESPONSIO. Causam non recipiendi concilium Calcedonense in xxx. articulo manifestavimus & replicandi necessitas non est. Sequitur.

Propter quæ in symbolo non dicunt simpliciter: Et unam sanctam ecclesiam, *sed in* istam sanctam ecclesiam, *accipiendo ly* istam, *pro ecclesia Armenorum.* RE-

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia talem intellectum numquam in symbolo audivimus, licet & hoc vocabulum dupliciter invenimus in symbolo Armenorum, universaliter dicunt, *credit in his sola universalis & apostolica ecclesia*, & de hoc sic intelligimus, quia quicquid dicit symbolum, a principio usque hic, & quod post sequitur usque ad finem, credit sola & universalis & apostolica ecclesia. Sed qui dicunt: *credimus in hanc solam universalem, &c.* intelligimus *in hanc* pro una catholica & apostolica ecclesia, quæ orthodoxa confitetur omnia quæ sunt in symbolo, & non solum pro generatione nostra, ut false detrahimur.

Item, quod a tempore Eraclii imperatoris citra, fuerunt tres catholicon in Armenia tenentes diversam fidem & diversum baptismum ad invicem.

RESPONSIO. Sciendum est, quod in hoc articulo ponunt multa inaudita, & insitas pessimas falsitates super Armenos, quia licet catholicon *de Alnanc*, quod interpretatus *Columbarum* & Jurgianorum quandoque obediebant catholicon Armenorum, tamen tres catholicon, ut dicitur in articulo, Armeni non tenuerunt, nec post Eraclium nec ante diversas fides, & diversum baptisma tenuerunt ad invicem. Catholicon *de Alnanc* est antiquus, & constitutus a B. Gregorio; sed Archamarensis archiepiscopus est, & quandoque obediebat catholicon, & de parvo tempore citra nomen catholicon imposuit sibi, quare excommunicatus fuit a catholico Armenorum, & adhuc est in excommunicatione; tamen baptismum, fidem, & officium & ordinationes ecclesiæ & doctrina eorum trium per unum modum fuerunt usque ad illud tempus, quod catholicon, qui est in Armenia minori, & tres simul cum obedientibus eis uniti fuerunt cum ecclesia Romana. Nunc autem ista est differentia inter nos & eos, quia nos ponimus aquam in sacrificio & facimus festum nativitatis xxv. Decembris, & dicimus in Christo duas naturas unitas in una persona filii Dei, & recipimus sanctam synodum Calcedonensem, & confitemur purgatorium & cognoscimus primatum ecclesiæ Romanæ; sed ipsi secundum antiquam consuetudinem non ponunt aquam in sacrificio, & faciunt festum nativitatis & Epiphaniæ sexta Januarii, & dicunt Christum perfectum Deum & perfectum hominem, tamen unam naturam propter ineffabilem unionem, secundum verbum Cyrilli, qui dicit quod una est natura Verbi incarnati, & adhuc non recipiunt concilium Calcedonense, neque nomen purgatorii audiverunt, nisi de quinquaginta annis citra, & non cognoscunt primatum ecclesiæ Romanæ. Sequitur.

Nam catholicon Columbarum dicit quod Pater & Filius & Spiritus-sanctus fuerunt crucifixi in cruce.

RESPONSIO. Falsum est hoc & crimen. Sequitur.

Et illi qui subjecti sunt ei, baptisant in aqua.

RESPONSIO. Verum est hoc: Sequitur.

Catholicon vero medius & subjecti ejus dicunt quod solus Dei Filius fuit crucifixus in cruce.

RESPONSIO. Verum est. Sequitur.

Et pro majori parte baptisant in aqua, licet aliqui, pauci tamen, baptizent in vino, non tamen baptizatos mergunt in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.

RESPONSIO. Falsum est & criminosum, quia omnes cum aqua baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quia eumdem librum, & ejusdem rubricas, & eamdem consuetudinem baptismi, quam nos habemus, & ipsi habent, & numquam audivimus, quod aliquis in ecclesia Armenorum cum vino baptizaret, nec ecclesia Armenorum talem errorem sustinere posset. Sequitur.

Catholicon vero tertius a quinquaginta annis citra tenent illud quod tenet ecclesia Græcorum.

RESPONSIO. Catholicon tertius tenet omnia ecclesiæ Græcorum, per quæ convenit cum ecclesia Romana: tamen illud in quo cum ecclesia Romana non convenit, non tenet, nec vult tenere, sed tenet sicut sancta ecclesia Romana. Sequitur.

Conveniunt tamen dicti tres catholici & subjecti eorum in istis, quod in Christo est una natura sicut una persona, quæ natura est divina, & quod non ponunt (aquam) in vino in sacrificio, nec faciunt festum nativitatis Domini xxv. die Decembris, excepto catholicon tertio, qui a quinquaginta annis citra in istis a primis duobus est separatus.

RESPONSIO. Differentiam tertii catholicon qui est in Armenia minori & archiepiscopi Archamarensis & catholicon *de Elnanc* superius diximus, & non est necesse reiterare; sed illud quod dicit quod Christus est una natura sicut una persona, & natura ista est divina, omnino falsum est, & crimen tam de his, quam aliis quæ de nobis asserunt, ut superius diximus, in multis locis. Sequitur.

Quilibet autem de dictis catholicon, dicit quod ipse tenet veram fidem, & verum baptismum habet, & quod aliqui catholicon ab eo non habent veram fidem, nec verum baptismum, & sic quia sunt divisi inter se, non est una ecclesia inter eos, sed alia & alia.

RESPONSIO. Contrarietas hæc, quæ ponitur de fide & baptismo de supradictis tribus catholicon falsum est crimen, quia catholicon *de Alnanc & de Archamar* uniti sunt omnino in fide, & in baptismo, & nos differentiam nostram ab eis in isto articulo demonstravimus.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod in aliis ecclesiis ab ecclesiis Armenorum non datur peccatorum remissio, quia aliæ ecclesiæ negaverunt veram fidem, recipiendo concilium Calcedonense.

RESPONSIO. Talia verba sunt dicta a malignis & a stultis, & sunt valde spernibilia apud nos & maledicta. Sequitur.

Nec etiam habent unum baptismum, quia miscent aquam in vino in sacrificio dicentes, quod aqua quæ fluxit de latere Christi, virtutem tribuit soli sacramento baptismi, & ideo illæ ecclesiæ, quæ miscent aquam in vino, baptismum perdiderunt, propter quod remissio peccatorum non fit apud ipsos, sed solum

Anno Christi 1342.

lum fit in ecclesia Armenorum.

A RESPONSIO. Hæc omnino falsa sunt, quia si ecclesia Armenorum crederet, quod in aliis ecclesiis baptismus non est, quia miscent aquam in vino in sacrificio, baptizatos ab eis rebaptizaret, sed ecclesia nostra, ut in XXXVI. articulo diximus, nullum baptizatum ab aliis eccl. rebaptizat, & sicut credit quod habent verum baptismum, ita habent & remissionem peccatorum. Sequitur.

Et ideo presbyteri Armenorum prohibent subjectis ne sacramenta recipiant ab aliis, quam ab Armenis; quia illa sacramenta alii non habent.

B RESPONSIO. Ecclesia Armenorum maxime in Cilicia semper indivisibiliter omnia sacramenta ab ecclesia Romana recepit, & dedit eis maxime ex tunc, quando iterum in caritate ligata fuit cum dicta ecclesia: similiter, & ab ecclesia Græcorum sacramenta accipiebat, & ei dabat quamdiu diligebant se mutuo; sed postquam per diabolum turbatio intravit inter eas, coeperunt declinare ab invicem: tamen Armeni non propter hoc principaliter, quia judicabant eos sacramenta ecclesiæ non habere; sed propter invidiam & inimicitiam utriusque.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod populus subjectus uni catholicon potest recipere dicta sacramenta ab alio catholicon vel presbyteris ejus, & dicta sacramenta valent

C *dicto populo; sed episcopi & presbyteri unius catholicon non possunt recipere sacramenta ab alio catholicon vel subjectis ejus, vel si reciperent, talia sacramenta eis non valerent.*

RESPONSIO. Populus totius ecclesiæ Armenorum individicabiliter de una dioecesi in aliam dioecesim, & vice versa accipit omnia sacramenta, & usque nunc non est prohibitum. Simili modo est de episcopis in *Alnanc* & in *Archamar*, accipiunt mutuo sacramenta individicabiliter; sed archiepiscopus Archamarensis, ex tunc quod fuit rebellis nobis, & excommunicavimus simul cum suffraganeis suis, non possunt participare nobiscum, nisi primo obediant & ab-

D solvantur ab excommunicatione, in qua sunt. Similiter & catholicon Alnacensis cum suffraganeis suis non participant nobiscum nec nos cum eis, postquam uniti fuimus cum ecclesia Romana. Sed quando conveniunt nobiscum in unione ecclesiæ Romanæ, non est differentia inter nos & ipsos.

Item, quod Armeni credunt & tenent, quod nullus Armenorum potest consequi remissionem peccatorum per episcopos vel presbyteros ecclesiæ Romanæ vel Græcæ.

RESPONSIO. Hæc dicere de episcopis & sacerdotibus Romanis falsum est communiter, quia sicut in XXXVIII. manifestavimus, quod sic ecclesia Armena semper tenuit pa-

E cem & amorem cum ecclesia Romana, & eamdem opinionem quam pro se habuit, & etiam pro ecclesia Romana: tamen de Græcis non dicunt quod populo suo non possint dare remissionem peccatorum, sed populum suum prohibent, ne vadat ad eos. Sequitur.

Sed aliqui ex Armenis dicunt, quod dicta peccatorum remissio potest fieri in Armenis per episcopos & presbyteros Armenorum.

A RESPONSIO. Hæc opinio generalis est omnium, & non solum aliquorum. Sequitur.

Alii vero dicunt, quod episcopi vel presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remissionem, nec principaliter, nec ministraliter; sed solus Deus peccata remittit: nec episcopi vel presbyteri adhibentur ad faciendum dictam peccatorum remissionem, nisi quia ipsi acceperunt potestatem loquendi a Deo & cum Deo; & ideo cum absolvunt, dicunt, Deus dimittat tibi peccata tua, *vel.*: Ego dimitto tibi peccata tua in terra, Deus dimittat tibi in cœlis.

B RESPONSIO. Hoc quod dicit, quod episcopi & presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remissionem, falsum est, & non audivimus, quia, licet principaliter dare remissionem solius Dei est, de se habet & facit sed ministrabiliter datum est a Deo ministris ecclesiæ dimittere peccata. Sed quod dicit Apostolus: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum in cælis; & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Et iterum in evangelio sufflavit in eis & dixit: *Accipite Spiritum-sanctum, & quibus remiseritis peccata, remittuntur eis, & cui retinueritis, retenta sunt*; quoniam secundum quod accepit a Deo, dare potest aliis: sed pro forma absolutionis sciendum est, quod licet intentio sacerdotis, & illius

C qui confitetur, eadem est sicut vestra, quia intentio intendit dare, & populos recipere remissionem peccatorum; tamen formam non perfecte ponebant, sed sic dicebant, ut supradictum est. Sed ex tunc quod habuimus notitiam Romanæ ecclesiæ, multi de nobis addiscentes formam ejus, cum eadem forma facimus remissionem peccatorum, & docemus alios facere.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod postquam aliquis peccando perdidit gratiam Dei, numquam postea in æquali gratia resurgit.

RESPONSIO. Nos dicimus & habemus, quod post peccatum cum pœnitentia & gratia Dei potest aliquis in æquali & altiori

D gratia ascendere, sicut antiquitus de David propheta, & in novo testamento de Petro apostolo, & aliis eis similibus.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod sola Dei passio sine omni alio dono Dei, etiam gratificantis, sufficit ad peccatorum remissionem, nec dicunt quod ad peccatorum remissionem faciendam requiratur gratia Dei gratificans vel justificans, nec quod in sacramentis novæ legis detur gratia gratificans.

RESPONSIO. Arbor ex fructu cognoscitur, ut dicit Veritas Dei, sive ab operibus Armenorum potest agnosci, quoniam qui hæc dicunt mentiuntur. Armeni vero bapti-zatos baptizant in remissionem peccatorum,

E absolvunt & absolvuntur a peccatis; similiter & alia sacramenta accipiunt, quæ de Christo sunt spirituales medicinæ pro salute nostra data, quoniam credunt, quod sub velamine visibilis Dei divina gratia invisibiliter operatur salutem humanam, quoniam sacramenta non solum signant vel ostendunt; sed etiam dant gratiam sanctificationis digne recipientibus, & rec pientes faciunt placere Deo; & licet omnia sacramenta ha-

be-

Anno Christi 1342.

beant gratiam a passione Christi licat a fonte, si tamen sine omni alia gratia Dei solum per passionem remissio nobis fieret, alia sacramenta vana essent, & non baptizati & impœnitentes occisi salvarentur, quod est falsum & contra Deum qui dicit: *Qui non regeneratur ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum Dei*. Et Marcus dicit: *Si non pœniteamini, peribitis*. Et Matthæus: *Securis ad radicem arboris posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, abscindetur & in ignem mittetur*. Item, *Sine gratia Dei data creaturis in auxilium, nullum opus facere possunt, nec etiam in esse manere*. Quare dicit Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum*. Et per gratiam Dei paratur quibusque recipere donum Dei, & per eamdem gratiam liberum nostrum arbitrium prohibetur a malo, et excitatur ad bonum; et sine hac gratia nullus potest sufficienter parare se ad salutem Dei secundum Apostolum, *Et gratia ejus, quæ in me vacua non fuit*; et sine gratia gratificante gratiam Dei nec lucrari possumus, nec crescere in bonum, nec recipere gloriam, secundum Apostolum *Non ego, sed gratia Dei mecum*.

Item, Armeni tenent & dicunt, quod liberum arbitrium humanum non sufficit sibi ad peccandum; sed diabolus facit & instigat homines ad peccandum: ita quod si dæmones non essent, nullus homo peccaret.

RESPONSIO. Sciendum est, quod liberum arbitrium naturaliter liberum est a necessitate, & nulla causa extranea sufficienter cogere potest eum, licet aliquando causæ extraneæ debilitent eum in malo, sicut aliqui qui tribulantur a malo, & negant Christum: ideo nos dicimus quod homo libera voluntate elegit bonum per auxilium gratiæ, et malum per defectum gratiæ; similiter quando dicunt homines, quod satanas decipit me, dicunt decipere et non cogere, sicut invenitur XXII. Regum. *Etiam & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*. Ergo quando Deus permittit malos spiritus super homines, quicquid volunt faciunt.

Item, licet Armeni orent in missa & alibi pro bonis tam spiritualibus quam temporalibus adipiscendis, & pro malis removendis.

RESPONSIO. Verum est hoc, oramus recipere bona spiritualia et corporalia, æterna et temporalia, et liberari æternali et temporali a malo. Sequitur.

Pro mortuis tamen non orant, ut in præsenti requiem habeant, sed tantummodo in futuro.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia nos oramus ut animæ mortuorum in præsenti, qui vadunt ad purgatorium, et sunt in tormentis, ut quiescant nunc in anima, et in futuro in anima et corpore, ut cantica et orationes nostræ pro defunctis testantur.

Item, apud Armenos cum aliquis ex eis mortuus est, talis observatio fit, quod de sero ducunt animalia munda, secundum legem Moysi, cujusmodi sunt oves, capræ & boves, coopertæ pannis sericis ad ostium ecclesiæ, ad quem locum exeunt clerici dictæ ecclesiæ, & sacerdos benedicit sali, & de sale benedicto ponit in ore animalium dictorum, & postea cum oleo de lino inunguntur dicta animalia, & deinde effuso ipsorum sanguine occiduntur, & de carnibus dictorum animalium sequenti nocte comedunt clerici cum sale; sed sacerdos qui in crastinum debet celebrare pro mortuo, non comedit de carnibus dictorum animalium usque post missam.

RESPONSIO. Secundum consuetudinem Armenorum quando aliquis moritur, parentes mortui, si possunt & volunt, faciunt benedicere sal, & benedictum sal dant animalibus, & animalia illa occidunt, & sacerdotibus et pauperibus dant comedere, et vigilias et orationes faciunt fieri pro anima mortui, ut Deus aspiciens ad orationes et eleemosynas vivorum, mortuis misericordiam concedat; et hanc consuetudinem ecclesia Armenorum recepit a S. Gregorio, quia invenitur in historiis, quod sacerdotes idolorum, qui per sanctum Gregorium crediderunt in Christo, dicebant B. Gregorio, quod in gentilitate nostra de nefandis immolationibus habebamus cibaria pro nobis et filiis nostris; de cetero autem mandet et ostendat dominatio vestra causam vitæ nostræ per quam vivemus: tunc ipse ordinavit eis dare decimas de omnibus, et mandavit populo, ut pro sacrificiis quæ idolis ante offerebant, illam darent Deo oblationem de mundis animalibus, benedicerent sal, et darent animalibus; sed in festivitatibus et Dominicalibus, et in magnis festivitatibus sanctorum, ad memoriam mortuorum in Christo, et eleemosynam ad cibum pauperum pro mortuis, et de immolationibus istis ordinaverunt dare fidelibus sacerdotibus partem; tamen illud quod dicunt, quod ducunt animalia in sero, et animalia sint secundum legem Moysi, et quod cooperiunt cum sericis ad portam ecclesiæ, et quod inunguntur cum oleo lini, et cetera quæ sequuntur, non sunt vera, quoniam nec vidimus, nec audivimus; et si in aliquibus locis inveniatur ab aliquibus simplicibus, quos nescimus, talia facientes, de numero bestiarum reputamus; et si quandoque in aliquo tempore fuerunt talia in aliquibus locis et particulariter, nunc autem nullo modo inveniuntur. Sequitur.

Faciunt autem prædicta, quia dicunt & tenent, quod licet remissio peccatorum principaliter fiat per sanguinem Christi: tamen non fieret dicta remissio peccatorum, nisi sanguis animalium prædictorum effunderetur in peccatorum vivorum & mortuorum remissionem.

RESPONSIO. Quia lex Moysi dicit, quod remissio peccatorum fit per effusionem sanguinis animalium brutorum mundorum, et sine eo non fit peccatorum remissio vivorum et mortuorum. Et Dominus dicit in evangelio, quod ipse non venit solvere legem, sed adimplere, quam solvisset, si peccatorum remissio fieret sine effusione sanguinis animalium: tamen secundum novam legem credit et habet ecclesia Armenorum, quod per Corpus et Sanguinem Domini fit; quæ celebratur ad propitiationem et remissionem peccatorum vivorum et mortuorum, et non per effusionem sanguinis animalium, secundum legem antiquam; tamen immolationem animalium quare et qua intentione facit ecclesia Armenorum, superius manifestavimus,

ANNO CHRISTI 1342.

mus, et non est necesse replicare. Et quia nos secundum legem Moysi non facimus, per hoc patet, quoniam pro vivis faciebant, et nos pro mortuis; licet quandoque pro vivis etiam et altera ceremonialia secundum legem antiquam nos non facimus. Quomodo ergo eleemosyna nostra similis est immolationibus eorum? Ergo falsum est quod dicunt hi de nobis. Item, quod quando veritas venit, quod est sacrificium Christi, sacrificia antiquæ legis completa fuerunt, quæ figuræ erant veritatis; ideo non solum quod nos facimus secundum legem antiquam; sed abhorremus valde, si aliquis de Christianis inveniatur judaice vivere. Sequitur.

Et de hoc etiam reprehendit eos Damascenus, dicens quod dicti Armeni accipientes de erroribus Judæorum, Sarracenorum, paganorum, & aliorum errantium, de illis erroribus suam fidem composuerunt.

RESPONSIO. Fidem et confessionen ecclesiæ Armenorum mittimus sanctitati vestræ, et inde videre poteritis utrum de Christi evangelio est, et ab apostolis ejus est, an de errore Judæorum, Sarracenorum et paganorum. Et mentiuntur, quoniam inde manifestabitur falsitas eorum qui injuste contemnunt Armenos. De Damasceno vero non habemus talia dicta de nobis, sicut superius fuit dictum: tamen si dixerit, ut homo Græcus, tunc non solum nobis dixit, sed vobis plus quam nobis, quod inconveniens putavimus scribere. Sequitur.

Et de dicta fide in concilio Manasgardensi librum composuerunt, qui apud eos vocatur Radix fidei.

RESPONSIO. Nos concilium Manasgardense una cum omnibus determinationibus suis reputamus contra veritatem, et a magno tempore citra non recipimus eum, sicut superius multotiens manifestavimus.

Item, quod dicti Armeni observant discretionem ciborum mundorum & immundorum animalium, secundum quod lex Moysi dicit.

RESPONSIO. Licet Armeni aliqua animalia separent et aliquas volucres, et non comedant: tamen hoc non faciunt propter ceremonialia legis Moysi, sed propter inconsuetudinem gentis. Qui sani sunt, cum gratiarum actione recipiunt omnia secundum Apostolum. Omnes creaturæ Dei bonæ sunt, nec est aliud dejicibile, iis maxime qui cum gratiarum actione recipiunt, quoniam omnia mundantur per verbum Dei. Sequitur.

Et licet aliqui de Armenia comedunt porcum: tamen secundum eos, si sacerdos comederet de porco, postea non posset expellere dæmones de obsessis corporibus, quia, ut dicunt, Dominus expellens dæmones de duobus hominibus, misit eos in porcos.

RESPONSIO. Illi monachi de Armenis, qui carnes non comedunt, nec carnes porcinas comedunt: licet aliqui particulariter inveniantur in majori Armenia, qui non comedunt, ad quos non pervenit potestas nostra ut corrigantur.

Item, quod (cum) Armeni jejunant diebus jejuniorum institutis inter eos, non comedunt carnes, nec pisces, nec ova, nec caseum, nec butyrum, nec lac, nec oleum, quia dicunt, quod omnia ista sunt quædam carnes.

RESPONSIO. Verum est hoc excepto oleo, quod communiter comedunt; et de piscibus multi cómedunt; et causam quam dicunt non comedendi, dicentes quod sunt quædam carnes, hoc falsum est, quoniam non propter hoc quod dicit, non dimittimus comedere; sed quia ab ecclesia nostra prohibita sunt, et quia habemus exemplum a Christo, ab apostolis, et a sanctis patribus in Thebaida, qui in diebus jejuniorum ab omni pinguedine et sapido cibo abstinebant, ad affligendum et subjiciendum corpus, ut dicit apostolus, quod per necessitates et desideria se ipsos crucifigebant. Sequitur.

Comedunt autem herbas, panem & vinum: possunt tamen comedere, quotiens volunt, illis diebus quibus jejunant.

RESPONSIO. Hoc quod dicit quod comedunt, verum est, & alia multa cibaria de seminibus et fructibus, et de dulcibus etiam comedunt: illud tamen quod dicit, quod possunt comedere quotiens volunt in diebus jejuniorum, licet in jejuniis hebdomadarum et in quarta et sexta feria, verum est, et pauci sunt qui solum semel comedunt; sed in diebus jejuniorum quadragesimæ, abstinent usque ad horam nonam, et plures semel comedunt, exceptis quibusdam vitiosis, qui nolunt facere secundum legem, sed secundum voluntatem; et exceptis laborantibus et infirmis, pauperibus, prægnantibus et lactantibus. Sequitur.

Dicunt & prædicant, quod illi qui in diebus jejuniorum comedunt pisces, ova, caseum, butyrum & oleum, sunt maledicti & infideles, & extra fidem constituti, & sunt ab ovili Christi separati.

RESPONSIO. Ista sunt verba rixæ & contrarietatis, quoniam qui Christi sunt, secundum apostolum faciunt, qui dicit: *Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Et, *qui manducat, Domino manducet, gratias enim agit Deo; & qui non manducat, Domino non manducet, & gratias agit Deo.* Et non maledicimus, nec dicimus, nec credimus, quod propter cibaria separati sint comedentes ab ovili Christi. Et si quandoque aliqui dicunt talia verba, sicut superius dicitur, propter rixas & controversias dicunt, non secundum legem.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod si Armeni committunt semel quodcunque crimen, quibusdam exceptis, ecclesia eorum potest absolvere eos tantum ad culpam & pœnam de dictis criminibus: sed si aliquis commiserit dicta crimina iterum, absolvi non possunt per eorum eccl.

RESPONSIO. Hoc falsum est, & contra doctrinam Christi, cui credimus & obedimus: qui dixit Petro, Dimitte peccanti, non septies, sed septuagies septies. Item, secundum consuetudinem ecclesiæ nostræ, quotiescumque peccatores pœnitentes veniunt ad confessionem, audimus eorum confessionem, & secundum demerita pœnitentiam injungimus; tamen si confessor ignorat mederi, mittit eum ad magistros vel ad episcopos. Quare falsum dicit, quod si quis committeret dicta peccata iterum, absolvi non posset per eorum ecclesiam; & licet absolvimus peccatorem a peccatis, non tamen a pœna communiter.

Item

Item, dicunt, quod si aliquis eorum post baptismum acceptat primam & secundum uxorem, absolvi potest per eos; quod si accipiat tertiam & quartam & deinceps, non potest absolvi per eorum ecclesiam; quia dicunt, quod tale matrimonium fornicatio est, & talem habent pro pagano: ita quod nec erit in fine communicandus, neque dicunt de domo sua ad sepeliendum per portam domus; sed frangunt parietes domus, & per foramen parietis educunt corpus ejus; nec missam celebrant, nec sepultura ecclesiæ eum sepeliunt, sed faciunt de eo, sicut de pagano.

RESPONSIO. Armeni, qui non sunt uniti ecclesiæ Romanæ in majori Armenia, secundum consuetudinem Græcorum duas uxores accipere putant esse legitimum; sed tertiam & quartam & deinceps adulterium putant. Tamen, quando illi qui tertiam uxorem vel quartam acceperunt, convertuntur, ad pœnitentiam recipiunt, & faciunt pro eis & in vita & in morte, sicut pro aliis peccatoribus; ideo illud quod dicit, quod tales putant paganos, in morte non communicantur, & quod non extrahant per portam domus, & talia opprobria quæ dicit contra eos, falsum est, nec alias vidimus, nec audivimus. Nos vero de Cilicia, & qui obediunt nobis, postquam uniti fuimus cum ecclesia Romana, qui recipiunt tres vel quatuor, & sic deinceps unam post aliam, recipimus eos, & alios Christianos legitime nubentes. Sequitur.

Si tamen ille qui recipit tertiam uxorem dum vivit, eam dimittit sic, ut postea non revertatur ad eam, recipiunt eum ad pœnitentiam, & imponunt ei XV. annos pro pœnitentia, sic quod in dictis annis non comedat carnes, pisces & supradicta lacticinia; & si dictam pœnitentiam perfecerit, & postea moriatur, faciunt de eo, sicut de alio Christiano in vita & in morte.

RESPONSIO. Verum est hoc, quod recipiunt ad pœnitentiam tales in majori Armenia, sicut & alios peccatores, tamen non sic, sicut dicitur in articulo.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod si aliquis ante susceptionem ordinis sacri commisit aliquod peccatum luxuriæ carnalis exterioris, quod ille habet confiteri confessori dictum peccatum.

RESPONSIO. Verum est, quod ecclesia Armenorum omnes quos ordinat, prius facit eos confiteri, postea ordinat: Sequitur.

Deinde episcopus qui ordines facit, interrogat dictum confessorem, si ille est dignus ordinari. Cui sacerdos respondet, quod non, & sic repellitur a susceptione ordinis sacri.

RESPONSIO. Verum est hoc, quod antequam essemus uniti cum ecclesia Romana, tales defectus fiebant, ut superius dicitur; tamen non communiter, ut supra; et adhuc aliqui in majori Armenia, qui non obediunt nobis, forte sic faciunt. Sequitur.

Si vero postquam ordinatus est, commiserit tale peccatum luxuriæ, oportet quod si absolvi velit, quod confiteatur confessori suo, & tunc ille confessor deponit eum ab executione ordinis; & si postea exsequatur actus dicti ordinis, dictus confessor dicit hoc episcopo in præsentia aliorum, & cum qua vel cum quo peccaverit, revelat.

RESPONSIO. Communiter hoc non est verum; tamen principaliter possibile est esse inique; sed ubi potestas nostra pervenit, non dimittimus tales sine poena transire. Sequitur.

Mulieres etiam cum quibus tales peccaverint, jactant se dicendo: Ego deposui talem sacerdotem.

RESPONSIO. Possibile est, quia aliquando fuerunt talia; sed tamen quando inveniuntur, puniuntur. Sequitur.

Ex quo contingit apud Armenos, quod multi sunt qui dicta peccata nolunt confiteri dum vivunt, ne repellantur a susceptione sacrorum ordinum; & si eos susceperint, ne postea deponantur ab ordinis executione.

RESPONSIO. Sciendum est, quod plures propter timores et verecundiam non confitebantur, ut putamus; nunc autem omnes confitentur.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ista peccata sunt irremissibilia, nec eorum ecclesia potest hæc peccata remittere, quia Christus non dedit ecclesiæ potestatem, quod talia peccata remittat, scilicet si aliquis peccatum luxuriæ committat in ore hominis vel mulieris.

RESPONSIO, Tale quod nunquam nos audivimus. Sequitur.

Et si blasphemat Christum, vel fidem Christianam, aut crucem, & tales blasphemos non reputant Christianos, nec sacramenta ecclesiæ eis ministrant dum vivunt, nec quando moriuntur faciunt eis sicut de Christianis; nec eorum filios reciperent ad baptismum, nisi convertantur, & pœnitentiam agant.

RESPONSIO. Hæc omnia falsa sunt, quoniam omnia peccata quæ confitentur et poenitentur, remittuntur, sicut Christus dedit ecclesiæ potestatem, et ecclesia nostra facit, excepta finali impoenitentia, quod est irremissibile apud nos. Ideo ecclesia nostra non poenitentibus et induratis in peccatis, qui in hora mortis etiam non avertuntur a peccatis, non dat eis sacramenta ecclesiæ. Tamen numquam hæc audivimus nec vidimus; quod pueri geniti a peccatoribus parentibus, puniantur pro peccato parentum, non dando eis caracterem baptismi; quod est valde falsum et despectuosum, et contra prophetam dicentem: *Filius non portabit iniquitatem patris sui.*

Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod si aliquis commiserit semel peccatum adulterii, sodomiæ, bestialitatis, vel homicidii, vel apostasiam a fide, faciendo se Saracenum, vel Judæum; et etiam si aliquis dicat, quod in Christo sunt duæ naturæ & una persona, potest absolvi per eorum ecclesiam, non tamen debet communicari, nisi in fine vitæ suæ.

RESPONSIO. Hoc verum est, exceptis duobus. Primum, quod dicit quod tales peccatores non debent communicari nisi in fine vitæ; quia talibus peccatoribus, quando conteruntur, & confitentur peccata sua, & poenitentiam peregerint, damus eis sacramenta. Secundum est quod dicit, quod si aliquis dicat, quod in Christo sunt duæ naturæ & una persona, duplici modo intelli-

gi-

ANNO CHRISTI 1342.

gimus hoc; si dicentes dicunt duas naturas divisas in Christo, sicut Nestorius, tales infideles reputamus: sed qui dicunt duas naturas unitas in una persona Filii Dei, quod credidit ecclesia nostra, & credit firmiter, & hoc peccatum non putamus, sed potius justitiam, sanctitatem & veritatem, sicut superius diximus. Sequitur.

Et si quis commisit dicta peccata vel etiam alia plures, non potest absolvi per ecclesiam, nisi prima vice; & si postquam semel confessus fuerit & absolutus de aliquo peccato, de prædictis iterato committat dictum peccatum, prima absolutio non valet.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia ecclesia Armenorum semper recipit poenitentes, sive sint peccata ejusdem speciei, seu alterius speciei; & prima absolutio valet confessis, licet in peccata confessa recidivent.

Item, quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod si sacerdos habens uxorem, cum ipsa committat sodomiam, non peccat, nec si hoc confiteatur, deponitur, sed in hoc derelinquitur conscientiæ suæ quod confiteatur, vel non confiteatur si vult.

RESPONSIO. Sodomitæ, ut habemus ex sacra scriptura, propter gravitatem turpitudinemque peccati, cum maximis poenis puniti fuerint a Deo, sicut sodomitæ & gommorritæ, propter quod si aliquis de sæcularibus inveniatur in hoc peccato, punitur: Ergo multo plus clerici, si inveniantur in hoc peccato; sed mirum est, quod dicit, quod si sacerdos sodomiam committat cum uxore non peccat, & relinquitur conscientiæ suæ confiteri & non confiteri. Unde potest hoc probari? ipse sibi contradicit ubi in 50. articulo peccatum fornicationis aggravat, & hic sodomiam peccatum non dicit: ex quo patet quod falsum est.

Item, quod inter Armenos catholicon & episcopi excommunicant Armenos sine omni culpa excommunicatorum, & nulla monitione præmissa, sicut placet eis.

RESPONSIO. Falsum est communiter, quoniam nos pro peccatis excommunicatorum monemus homines: si audiant & dimittant peccata, bonum est: tamen si non obediant, tunc excommunicamus, licet multotiens propter debilitatem nostram & injustitiam tyrannorum excommunicandos etiam excommunicare non possimus; & hoc etiam multotiens accidit in ecclesia Dei nobis & aliis, quia injusti prælati injuste communicant populum suum propter vitia sua. Sequitur.

Et dicunt quod excommunicati per eos non possunt absolvi de aliquo peccato, nisi per catholicon vel episcopos, qui eos excommunicaverunt.

RESPONSIO. Excommunicatos a catholicon, sine verbis & auctoritate catholicon, nullus de episcopis potest absolvere. Excommunicatos vero ab episcopis, si injuste fuerit factum, catholicon justitiam faciens absolvit eos, vel absolvere facit. Sequitur.

Si tamen vadant ad alium catholicon vel episcopos alii catholicon subjectos, possunt absolvi per eos a dicta excommunicatione & peccatis suis.

RESPONSIO. Verum est hoc, quia sunt inobedientes & injusti; quia quod de jure non possunt facere, injuste faciunt; & ecclesia corrigere non potest, quia sub potentia infidelium sunt. Sequitur.

Dicunt & tenent quod excommunicatis non debent sacramenta ecclesiastica ministrari.

RESPONSIO. Verum est hoc. Sequitur.

Et si aliquis excommunicatus moriatur, amici ejus vadunt vel mittunt ad illum, qui eum excommunicavit, & dant ei pecuniam, vel alias res valentes pecuniam, prout conveniunt cum eo; & tunc excommunicans dat ei licentiam, quod ipsum sepeliant ecclesiastica sepultura, & quod faciant pro eo illa quæ supradicta sunt de animabus, non tamen aliter absolvunt illum ab excommunicatione.

RESPONSIO. Si excommunicatus in die mortis pœniter de peccatis, & rogat præsentes, ut vadant ad excommunicantem, rogare eum, ut pacificetur, reddendo debitum, si possibile est; etsi non misericordiam petere, tunc excommunicans convenit cum eis, & dat licentiam facere ei sicut & aliis Christianis. Multotiens vero injusti episcopi & officiales eorum faciunt injustitiam, sicut scriptum est hic & prius.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod excommunicationis sententia etiam juste lata, & secundum Domini ordinationem, quia monitus non vult ecclesiæ obedire, nec se de peccato quod commisit emendare, non excludit a regno Dei, quia ita bene excommunicatus vadit ad regnum Dei.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia tale opus infidelium est, qui spem gratiæ ecclesiæ non habent, nec bonorum spiritualium, ut dicit apostolus: *qui terrena cogitant solum, quorum abstractum est cor, alienati sunt a vita Dei*: generatio vero Armenorum maxime sæculares turmæ, valde timent ab excommunicatione vel juste vel injuste [lata.] Sed si Armeni excommunicationem nihil putent, ut dicit, quo modo ergo in LIV. articulo „ contra se dicit, Armeni „ dicunt & tenent, quod excommunicatis „ non oportet dare sacramenta. Item, Si „ aliquis excommunicatus moriatur, parentes ejus vadunt & mittunt ad eum qui „ excommunicavit eum, & conveniunt cum „ eo, &c. Hinc patet quod false dicunt. Sequitur.

Sed fornicatio, homicidium, adulterium, & si sacerdos accipiat secundam uxorem, & si aliquis ex Armenis dicat esse in Christo duas naturas, & duas voluntates, & duas operationes, & unam personam; ista excludunt a regno Dei, & non excommunicatio lata propter inobedientiam ecclesiæ. Unde Armeni purum vel nihil reputant excommunicationem valere.

RESPONSIO. Verum est quod peccata quæ a lege divina prohibita sunt, operantes sine contritione & pœnitentia excludunt a regno, & peccata quæ sunt contra canones & statuta ecclesiæ, sicut in ecclesia Armenorum confirmatum est per synodum, quod sacerdos unam uxorem habeat & non plures, & qui plures accipiunt, peccant, & si impœnitentes moriantur, pereunt; sed de duabus naturis, & duabus voluntatibus & duabus operationibus & una persona quo mo-

modo intelligimus in Christo, respondimus supra in multis locis.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod si aliquis fuisset baptizatus in ecclesia, & postea lapsus fuisset in hæresim vel in apostasiam a fide, faciendo se Saracenum, vel Judæum, & deinde vellet reverti ad ecclesiam Armenorum, non rebaptizaretur, sed solum cum chrismate inungeretur, nec aliter absolvatur; imponitur tamen ei, quod vadat ad locum illum in quo commisit apostasiam a fide, & ibi coram omnibus confiteatur peccatum suum, & abneget illam perfidiam quam commisit.

RESPONSIO. Verum est hoc, quia baptizatos iterum non baptizamus; sed apostatantes a fide Christi secundum septimum canonem Laodicensem, sive etiam secundum canonem Constantinopolitani concilii, qui mandat primo abrenunciare hæreses in quas crediderunt, & confiteri orthodoxam fidem, & eos ungere cum oleo sancto in fronte. Sic & nos quandoque facimus, tamen non injungimus conversis iterato ire ad locum, ubi negaverunt Christum, nisi forte ipsi voluerint; & si aliquis confessor interrogaverit conversum, utrum valuerit ire ad locum illum ubi negavit Christum, & confiteri eum, & ipse respondeat, non, propter hoc non dimittitur recipi ad gratiam. Sequitur.

Si tamen aliquis fuisset baptizatus in ecclesia alicujus catholicon Armenorum, & postea converteretur ad fidem Romanæ ecclesiæ vel Græcæ; si postea vellet venire ad ecclesiam primam, in qua fuerat prius baptizatus; illa ecclesia sic baptizaret eum, ac si numquam baptizatus fuisset & semper fuisset Saracenus vel paganus. Si vero aliquis fuisset primo baptizatus in ecclesia Romana vel Græca, & postea vellet venire ad ecclesiam Armenorum: illa ecclesia ad quam veniret, rebaptizaret eum, ac si numquam baptizatus fuisset, sed semper fuisset paganus vel Sarracenus.

RESPONSIO. Falsum est hoc ut in XXXVI. articulo sufficienter manifestavimus & respondimus, ubi hoc etiam dicit quod & hic. Sequitur.

Et quod Armeni ideo dicunt, quod baptizati in ecclesia Romana vel Græca, quando veniunt ad ecclesiam Armenorum, rebaptizari debent; quia ecclesia Romana vel Græca in eo quod dicunt duas naturas esse in Christo, fidem negaverunt; & ex eo quod ponunt aquam in vino in sacrificio, non habent aquam baptismi, quia aqua quæ fluxit de latere Christi, non potest servire in sacramento baptismi. Unde cum ponatur aqua in sacrificio per dictas ecclesias, eædem ecclesiæ non habent baptismum, quia non habent verum chrisma, sine quo verum baptisma non datur; & propter prædicta, quia ecclesia Latina & Græca non habent verum baptisma, sed solum ecclesia Armena dictum baptismum verum habet, quia contraria dictis ecclesiis tenet & habet; & ideo ecclesia Armena baptizat baptizatos in ecclesia Latina vel Græca, quando veniunt ad eam.

RESPONSIO. Causæ baptismi quod ecclesia Armenorum baptizat baptizatos a Latina ecclesia vel Græca, ut dicunt detractores Armenorum, tres sunt. Primo quia Romana ecclesia & Græca dicunt duas naturas esse in Christo. Secunda, quia aquam ponunt in sacrificio. Tertia, quia non habent verum chrisma; sed ecclesia Armenorum numquam baptizavit, nec nunc baptizat baptizatos a supradictis ecclesiis. Ergo falsum & criminosum est, quod dicunt de nobis.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod verum chrisma sic conficitur, quod habent diversos flores aromaticos, & alios quos invenire possunt in die ramis palmarum, & illos decoquunt in vino, & deinde dictum vinum accipiunt, & per quatuor dies ante diem cœnæ ponunt dictum vinum in oleo, & coquunt insimul, & astant tunc multi episcopi & sacerdotes, dicentes multas orationes dum hæc decoctio fit; & deinde die cœnæ accipitur unus flasco de dicto oleo, & in ipso flascone ponit catholicon balsamum, & postea catholicon celebrat missam; & quando catholicon elevat corpus Christi, unus episcopus qui adstat ei, elevat dictum flasconem, & catholicon dicit orationes. Deinde de dicto flascone ponitur in diversis vasis quæ stant ibi juxta altare, & sic verum chrisma conficitur solum per catholicon modo prædicto.

RESPONSIO. Verum est hoc, exceptis duobus, primo quia cum vino non decoquimus, & secundo quia in oleo vinum non immiscemus; sed odoriferos flores & aromata decoquimus in aqua, ut accipiat aqua odorem suavitatis; & post hæc accipimus aquam illam claram & odoriferam, & in dicta aqua decoquimus oleum usque totaliter quod deficit aqua, & remanet solum in oleo odor suavitatis, & hoc ideo facimus, ut incorrupte & odorifere remaneat, & ut propter longitudinem temporis non corrumpatur; quia in multis provinciis, ubicumque sunt obedientes nobis, de nobis recipiunt oleum unctionis sive chrisma; & episcopi qui sunt sub potestate nostra, & sub dominio infidelium, a nobis prohibiti sunt consecrare chrisma, ut non propter distantiam sint rebelles nobis. Et balsamus miscetur simul cum oleo, & simul consecrantur in vase super altare, licet tantum unus flasco elevatur, ut populus videat. Sciendum est, quod alias orationes non dicunt, nisi quatuor evangelia leguntur quando decoquitur crisma. Sequitur.

Et sine tali chrismate non potest dari verus baptismus.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia licet non sic facimus, sicut diximus, tamen baptizatos cum chrismate aliarum ecclesiarum veraciter habemus baptizatos, & non despicimus, & supradictam falsam opinionem alias non audivimus. Sequitur.

Unde contigit apud eos, quod pueri portati ad baptismum, quia sacerdos non habet de dicto chrismate, vel illi qui puerum portaverunt, nolunt tantum dare quantum sacerdotes vellent, frequenter moriuntur sine baptismate.

RESPONSIO. Licet secundum consuetudinem gentis nostræ sacerdos semper chrisma & corpus Christi custodit, tamen si con-

ANNO CHRISTI 1342.

contingat in aliquo loco, quod chrisma non inveniatur, & necessitas erit baptizandi, tunc baptizant solum cum aqua, & baptizati sunt; & licet sacerdotibus, qui baptizant, dent unum dragma, vel plus secundum voluntatem dantis; sed numquam audivimus, quod sacerdos quando baptizat, acceperit pretium pro chrismate, quare false dicunt. Sequitur.

De quibus pueris dicunt Armeni, quod in die judicii baptizabuntur de sanguine qui fluxit de latere Christi: quia, ut dicunt, quando Christus moriebatur in cruce, luna descendit, & accepit sanguinem Christi, qui adhuc manet in luna, & ex hoc apparet aliqua nigredo in luna, quæ prius non apparebat: in die autem judicii effluet dictus sanguis de luna, de quo baptizabuntur dicti parvuli, quod sic possint intrare regnum cœlorum.

RESPONSIO. Hoc omnino falsum est, nec audivimus usque nunc, & valde miramur de tam falsa compositione. Tamen notandum est, quod in IX. articulo contrarium dicunt. Armeni dicunt quod non baptizati pueri, post generale judicium ibunt ad paradisum terrestrem & non coelestem.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod ad hoc quod sit baptizatus verus, ista tria requiruntur, scilicet aqua, chrisma (quod) modo prædicto factum est, eucharistia: ita quod si aliquis baptizaret in aqua aliquem dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen, *& postea non ungeretur dicto chrismate, non esset baptizatus. Si etiam non daretur ei Eucharistia, sacramentum baptismi ratum non esset.*

RESPONSIO. Licet secundum consuetudinem ecclesiæ nostræ noviter natis tria sacramenta simul damus. Primo baptizamus tali modo, quod sacerdos ponit puerum in aqua fontis, & accipit de eadem aqua sancta, in qua stat puer, & ponit super verticem pueri, dicendo: *Talis veniens de cathechumenio ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen.* Et post hæc cum chrismate confirmant eum ad modum crucis in fronte pueri, & dicunt: *Oleum suave in nomine JESU CHRISTI fusum super te, sit caracter divinus & cœlestis donorum in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti amen.* Et cetera alia: & postea puerum baptizatum communicant sic: cum corpore Christi sicco tangunt labia pueri, & reponunt; & si sacerdos celebrat & in tempore illo baptizatur puer, tunc modicum sacerdos digitum suum tingit in sanguine, & inde tangit labia pueri, & hoc fit secundum consuetudinem ecclesiæ Græcorum tantum. Si necessitas contingat baptizandi, ubi chrisma & corpus Christi non inveniuntur, tunc baptizant cum sola aqua, & baptizant cum sola aqua, & baptismus est, sicut in LVII. articulo diximus. Ideo non est verum quod dicunt, quod baptizati sola aqua in tempore necessitatis, qui non fuerunt uncti cum chrismate, vel communicati de corpore Christi, baptizatos non putant esse. Sequitur.

Et etiam apud eos non baptizantur pueri quo usque habeant VIII. dies.

RESPONSIO. Hoc falsum est, quia post & etiam ante baptizamus, & secundum voluntatem parentum, & necessitatem noviter natorum. Sequitur.

Et tunc species sacramenti Eucharistiæ liquefiunt in aqua vel vino, & ponunt in ore pueri baptizati, & sic accipiunt eucharistiæ sacramentum, & tunc dicuntur vere baptizati: quæ tria si non fierent, Armeni non reputarent puerum vere baptizatum.

RESPONSIO istius prius fuit habita, sed illud quod dicunt, quod balneant in aqua vel in vino, omnino falsum est. Sequitur.

Dicunt etiam quod pueri baptizantur in peccatorum remissionem, tamen nullum peccatum habent.

RESPONSIO. Falsum est hoc; quia pueri baptizantur in remissionem peccati originalis, ut Armeni dicunt & credunt, et hoc sufficienter ostendimus in articulis IV. & in XIII. Sequitur.

Adulti vero baptizantur in remissionem peccatorum, non quia in aqua baptizantur; sed quia dicto chrismate inunguntur, & accipiunt Eucharistiæ sacramentum.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia Armeni in unctione non petunt remissionem peccatorum, sed gratiam; quoniam remissionem peccatorum in aqua fontis baptismatis recepit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quæ est ante unctionem et communionem: et in LXX. articulo dicit aliam falsitatem contra istam, quod Armeni non dicunt vel tenent, quod sacramentum Eucharistiæ digne susceptum operetur in suscipientem remissionem peccatorum, vel pœnarum debitarum pro peccato relaxationem; vel quod per ipsum detur gratia Dei, vel ejus augmentum: ex quibus patet quod falsum dicunt, quod corpus Christi operetur remissionem peccatorum in suscipientibus digne, et non operetur simul. Hoc falsum est et impossibile.

Item, quod Armeni diversimode baptizant, & quantum ad materiam, & quantum ad formam baptismi. Quantum ad materiam quidem, quia aliqui, licet pauci, baptizant in vino puro: alii vero in lacte, alii vero communiter in aqua.

RESPONSIO. Omnino falsum est & crimen, quoniam materia baptismatis Armenorum est sola aqua, in qua Christus baptizatus fuit, & quæ exivit de latere Christi ad ablutionem nostram, & etiam a Christo audivimus, quod in evangelio dicitur: *amen amen dico vobis, qui non fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare regnum Dei.* Ideo ecclesia Armenorum dixit in oratione baptismi: *Concede aquam istam in qua baptizatur iste nunc in remissionem peccatorum, & receptionem Spiritus-sancti, & adoptionem patris cœlestis & ad hereditatem regni cælorum, ut mundatus a peccatis, in beneplacito tuæ voluntatis stet in hac vita, & in futuram bonum indeficiens hæreditabit.* Et cum lacte et vino baptizare numquam vidimus, nec audivimus, nec in libris nostris hoc invenitur. Ideo possumus dicere cum propheta *sepulcrum patens est guttur eorum, & linguis suis dolose agebant.* Sequitur.

Quantum vero ad formam, nulla forma baptismi certa est apud eos, sed quilibet episcopus

copus vel presbyter ordinat sibi formam in qua baptizet.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quoniam forma baptismi ecclesiæ Armenorum una est, et non alia; et talis est ista, quod sacerdos ponit puerum in fonte baptismatis, accipit aquam benedictam, in qua stat puer et ponit super verticem pueri, dicendo: *Talis veniens a catechumeno ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Aliqui autem mergunt ter in aqua, ter recipiendo dictam formam. Hæc est forma ecclesiæ nostræ. Sed quod quilibet episcopus vel sacerdos componat sibi formam specialem et baptizet, numquam vidimus, nec audivimus, nec scimus. Sequitur.

Et modum baptizandi tenet quem vult. Aliqui enim ex eis qui in aqua baptizant, non nominant dum baptizant tres personas divinas: dicendo: Baptizetur iste in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, *sed dum baptismum in aqua lavant, dicunt evangelium ab illo loco*: Venit JESUS a Galilæa in Jordanem ad Johannem *usque ad illum locum*: Et vox facta est dicens: Hic est fil us meus. *Alii vero dum baptismatum lavant*. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. *Alii vero dum baptizatum lavant, dicunt antiphonam scilicet*. Dum erant apostoli in coenaculo, repente venit sonitus tamquam spiritus vehemens cum magna voce, et accendit eos in igne sine ardore. *Dicunt etiam illam antiphonam*: Repente descendit Spiritus-sanctus in similitudinem gloriæ super apostolos. *Et aliam etiam quæ talis est*: Benedictio in excelsis Spiritus-sancti procedentis a Patre, per quam inebriati sunt apostoli vino immortali & invitaverunt terram ad coelum.

RESPONSIO. Quia sicut materia et forma ecclesiæ Armenorum uniformes sunt, ut superius est dictum, similiter et modus baptismatis per totam ecclesiam Armenorum per unum modum est; et differentias istas quas dicit in articulo, modo quo dicuntur, nec habemus, nec in libris nostris invenimus, quia licet dicamus *Vox Domini super aquas*, quando aquam ad fontem baptismatis ponimus, et post hæc legimus de Ezechiele: *Hæc dicit Dominus: accipiam vos, &c.* & ab apostolo, *Ergo lex pædagoga, &c.* Et post hæc evangelium: *Et erat homo ex pharisæis nomine Nicodemus, &c.* Et post hæc duæ orationes, & post hæc baptizant in fonte baptismi in aqua, *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*. Et post hæc sacerdos tenens puerum in fonte dicit hoc evangelium: *Tunc venit Jesus de Galilæa in Jordanem ad Johannem, &c.* usque illuc. *Exivit JESUS velociter de aqua illa.* Et quando verbum hoc dicit, extrahit puerum de fonte & ponit puerum in ulnis compatris, & post hæc dicunt: *Pater noster*, & aliqua talia cantica. Et sic est modus baptismi nostri, & non sicut superius dicunt. Sequitur.

Illi vero qui baptizant in vino, dum lavant illum qui baptizatur, dicunt. Ego te lavo in vino, ut sis fortis & non patiaris frigus. *Illorum vero qui baptizant in lacte, non exprimitur aliqua forma.*

RESPONSIO. Hæc sunt verba falsa, sicut

A superius diximus, & detractiones. Sequitur.

Aliqui vero dum lavant baptizando, dicunt, quod ipsi vellent committere turpia cum matre pueri, qui baptizatur.

RESPONSIO. Istud est verbum turpe & obprobriosum sacramentis Dei, & grave auditui nostro, & est inconveniens ponere in scriptis. Sequitur.

Aliqui etiam ex Armenis quando ponunt baptizandum in aqua, dicunt: Baptizetur talis in nomine Patris & filii & Spiritus-sancti. *Et deinde cum baptizandum lavant, dicunt iterum eadem verba; & deinde quando extrahunt de aqua, dicunt eadem verba.*

RESPONSIO. Sciendum est, quod quia communiter omnes Armeni sic faciunt, quia
B sive mergant puerum in aqua, sive fundant super caput, pro qualibet vice mergendi & effundendi aquam, dicitur: *Talis veniens a catahumeno ad baptismum, baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Nunc autem nos communiter secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ dicimus semel tribus sub mersionibus & effusionibus aquæ factis, cum ista forma: *Ego baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti;* sed illud quod dicunt, quod quando ponitur & extrahitur, dicitur forma baptismi non est verum, sed in baptizando verum est. Sequitur.

Et deinde inungunt baptizandum cum chrisma
C *te in oculis, in auribus, in ore, sub asellis, in genu & sub genu, in pedibus & in plantis pedum, dicendo certa verba; & postea baptizatum communicant de sacrificio altaris, & sic, ut dicunt, homo plene & vere est baptizatus & aliter non.*

RESPONSIO. Verum est hoc, excepto hoc, quod sub asella nec sub genu non ungunt, sed bene alia loca, sicut supra scriptum est, & ultra ungunt concavum manus, pectus & humeros, quæ non dicunt: modum autem communionis in LVIII. articulo manifestavimus.

Item, quod si aliquis Armenus baptizatus in aqua vel vino aut lacte modis supradictis,
D *etiamsi dum baptizaretur in aqua dicatur*: Baptizetur iste in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, *transeat ad ecclesiam Latinam vel Græcam, & postea revertatur ad primam ecclesiam, ita rebaptizatur, ac si paganus semper fuisset. Si vero de ecclesia unius catholicon transeat ad ecclesiam alterius catholicon, ille catholicon ad cujus ecclesiam vadit, facit eum negare fidem illius catholicon, qui eum baptizavit, & chrismat eum modo prædicto, dicens quod chrisma alterius catholicon nihil valet, nisi suum, non tamen rebaptizat eum excepto catholicon Armeniæ minoris, qui baptizatos chrismatos in eccle-*
E *siis catholicon majoris Armeniæ venientes, ad ecclesiam minoris Armeniæ rebaptizat, & chrismat modo supradicto.*

RESPONSIO. Hæc omnia quæ hic in LX. articulo dicunt, sunt totaliter falsa & verba inaudita.

Item, Armeni dicunt quod virtute sacramenti baptismi baptizatus sit membrum ecclesiæ, & potest participare sacramentis & efficitur Christianus, & post finale judicium, nisi aliud obsistat, intrabit regnum cœlorum.

ANNO CHRISTI 1342.

RESPONSIO. Vera sunt hæc, nunc autem intrant in vitam cum anima, & post generalé judicium intrabunt cum anima & corpore, sicut in VII. articulo & alibi in multis locis.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod licet in eorum ordinario antiquo dicatur, quod per baptismum datur remissio peccatorum; ipsi tamen hoc sic exposuerunt, quod hoc veritatem non habet de pueris, qui in ætate puerili baptizantur infra ætatem XII. annorum, quia tales reputant innocentes & sine peccato, quia Armeni pro maximo peccato habent peccatum luxuriæ, quod committere non possunt tales pueri; sed de illis qui baptizantur postquam peccatum luxuriæ commiserunt, dicunt quod tales baptizantur in remissionem peccatorum.

RESPONSIO. In quarto articulo & in decimo tertio, & in quinquagesimo octavo sufficienter manifestavimus falsum esse quod dicunt, quia parvuli baptizantur in remissionem originalis peccati, et adulti in remissionem originalis & actualis peccatorum. Notandum est autem, quod in LVIII. articulo dicunt, quod adulti in aqua baptizati non recipiunt remissionem peccatorum; & hic dicunt quod baptizantur postquam peccatum luxuriæ commiserunt, quod tales baptizantur in remissionem peccatorum, ex quo patet quod falsum est & dicunt. Sequitur.

Tenent etiam dicti Armeni, quod illi qui non commiserunt peccatum luxuriæ, sunt virgines & innocentes, etiamsi non baptizati decederent.

RESPONSIO. Licet non baptizati, secundum corpus possunt vocari virgines, nondum corrupti corpore, innocentes vero non, quia habent maculam originalis peccati, maxime si cum actuali peccato etiam peccaverunt.

Item, apud Armenos utriusque Armeniæ non datur sacramentum confirmationis, quia, ut dicunt, illi qui eis fidem a principio prædicaverunt, tale sacramentum eis non dederunt.

RESPONSIO. Omnes Armeni per totum mundum & in utraque Armenia sacramentum confirmationis dant post baptismum (per) episcopos & sacerdotes indifferenter. Primo confirmant cum chrismate ad modum crucis frontem pueri, & dicunt: *Oleum suave in nomine JESU CHRISTI fusum super te sit caracter divinus cœlestium donorum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.* Simili modo & alios sexus * inungunt dicendo quædam verba, & per hunc modum dant sacramentum confirmationis. Licet postquam prædecessores nostri uniti fuerunt cum ecclesia Romana, aliquot in minori Armenia episcopi confirmant secundum modum ecclesiæ Romanæ, & alii secundum modum antiquum, quem habuerunt ab ecclesia Græca. Sequitur.

* f. nexus.

Et quamvis apostoli miserint Petrum & Johannem ad illos qui baptizati fuerant in Samaria per Philippum, ut imponerent eis manus, & acceperunt Spiritum-sanctum, quod ad sacramentum confirmationis pertinere videtur; dicunt tamen Armeni, quod illi qui baptizati fuerunt per Philippum, non acceperant verum baptismum, quia Philippus erat solum diaconus, & non presbyter vel episcopus: qui presbyter & episcopus solum possunt dare verum baptismum, & ideo missi fuerunt dicti duo apostoli ad eos, ut verum baptismum & Sanctum-Spiritum acciperent.

RESPONSIO. Secundum (librum) Actuum apostolorum, qui dicit: *Sed postquam crediderunt Philippo, qui evangelizabat regnum Dei & nomen JESU CHRISTI, baptizabantur omnes viri et mulieres*; aliqui ex magistris super hoc verbo opinantur, quod iste Philippus de septem diaconibus erat, & sic baptizati per eum non erant vere baptizati. Hoc non dicimus nos, nec alia audivimus, quia licet scriptum sit in Actibus apostolorum, de Petro & Johanne, quod missi fuerunt de Jerusalem ab aliis apostolis in Samaria, quæ Samaria receperat verbum Dei, ipsi euntes oraverunt super eos, qui solum baptizati erant in nomine JESU CHRISTI, tunc posuerunt super eos manus, & accipiebant Spiritum-sanctum, tamen iterato non baptizaverunt. Ex quo patet, quod perfecte et veraciter baptizati erant, sicut nos credimus. Sequitur.

Dicunt etiam dicti Armeni, quod Eunuchus baptizatus a Philippo, in tali baptismo non acceperit Spiritum-sanctum; sed postquam Philippus raptus fuit ab eo, Spiritus-sanctus venit super Eunuchum.

RESPONSIO. Hoc contra textum ubi dicitur in Actibus apostolorum; *et descenderunt ambo in aquam Philippus & Eunuchus; & baptizavit eum: & cum exierunt de aqua illa, Spiritus-sanctus venit super Eunuchum, & angelus Domini rapuit Philippum.* Quare non est credendum, si millesies exponerent illa, quamvis expositiones non acceptamus, nec alias audivimus.

Item, catholicon minoris Armeniæ dicit, quod sacramentum confirmationis nihil valet, et si valet aliquid, ipse dedit licentiam presbyteris suis, ut idem sacramentum conferatur.

RESPONSIO. Falsum est dupliciter. Primo, quia sacramentum confirmationis recipit ecclesia Armenorum, secundum consuetudinem Græcorum, et hoc est valde antiquum, antequam minor Armenia esset Armenorum. Secundum falsum est et crimen dicere de catholicon minoris Armeniæ, quod sacramentum confirmationis nihil putat.

Item, Armeni dicunt et tenent, quod illa inunctio cum chrismate facta in novem locis, de qua supradictum est, valet Christianis dum vivunt, pro omnibus inunctionibus quæ fiunt per ecclesiam Latinam: unde apud eos non est sacramentum confirmationis, nec extremæ-unctionis, nec quando consecrantur episcopi vel presbyteri, unguntur eorum manus vel capita.

RESPONSIO. Hoc quod dicunt, quod unctio puerorum, quæ fit in novem locis, sicut supra dictum est, valet Christianis dum vivunt pro omnibus unctionibus quæ fiunt per ecclesiam Latinam, hæc sunt verba stultitiæ et inania, quoniam quamvis observatio extremæ-unctionis communiter deficiat in ecclesia Armenorum, particulariter non faciebat, secundum modum ecclesiæ Græcorum: unctionem aut confirmationem universaliter per omnes Armenos cum baptismo dabant sacerdotes sine defectu, sicut et Græci, ut superius, etiam in LVIII. articulo diximus. De un-

unctione vero sacerdotum sciendum est, quod a tempore domini Nerses Glanensis citra ducentos annos, hæc veritas intravit ecclesiam Armenorum, quoniam in consecratione episcopi et sacerdotis ungimus caput et pollicem episcopi; sacerdoti autem totam manum ungimus sub hac forma, quia duabus manibus sacerdotis ad invicem conjunctis episcopus ungit, incipiendo a pollice dextræ manus, ducendo ad indicem sinistræ manus, et incipiendo a pollice sinistræ manus, ducendo ad indicem dextræ manus, dicendo: *Domine, tu unge sanctitate & benedictione manus istorum, & omnia quæcumque isti benedicent, tu benedic, & quæcumque manus istæ signabunt in nomine tuo confirma, & perfice, ut confortentur per gratiam Domini nostri* JESU CHRISTI. Caput vero episcopi ungimus per modum crucis et dicimus: *Caput tuum sit unctum & benedictum cælesti unctione cum honore episcopali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Deinde ungimus pollices, et dicimus: *Deus Pater Domini nostri J. CHRISTI, qui per voluntatem suam exaltavit te ad honorem episcopalem, potentia sua signet te per unctionem sanctam, & impleat abundanter spiritali benedictione: quare consecratus de te, consecratus sit, & sanctificatus de te, sanctificatus sit, & omnia quæcumque signabis cum manu & pollice sanctificentur, & super quem acquiescet dextera tua, sit ei ad salutem & sanitatem.* Et hæc receperunt patres nostri ab ecclesia Romana, et ad nos sicut pervenit, sic facimus, et docemus omnes, obedientes nobis. Illi vero qui ante dictum Nerses fuerunt, secundum consuetudinem ecclesiæ Græcorum faciebant. Sequitur.

Sed quando presbyteri vel episcopi sunt mortui, portantur ante altare, & ibi eorum capita et frontes et manus dextra inunguntur, et tunc populus venit, et osculatur manum dextram prædictorum, et faciunt oblationes suas, ac si primam missam haberent celebrare; postea adducuntur ad ostium ecclesiæ animalia, munda, cooperta pannis sericeis, et modo supradicto occiduntur et comeduntur.

RESPONSIO. Verum est hoc, tribus exceptis. Primum, licet inungunt frontem, caput vero non. Secundum, nec oblationem faciunt ut in prima missa. Tertium, de animalibus in XL. articulo manifestavimus.

Item, omnes Armeni communiter dicunt et tenent, quod per verba posita in canone missæ, quando dicuntur per sacerdotem: Accepit panem, et gratias agens fregit et dedit suis sanctis electis, et recumbentibus discipulis dicens, Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est Corpus meum, quod pro vobis & multis distribuitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, benedixit, gratias egit, bibit, dedit suis sanctis electis & recumbentibus discipulis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic est Sanguis meus, novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *non conficitur, nec ipsi conficere intendunt Corpus & Sanguinem Christi, sed solum dicunt verba recitative recitando, scilicet quod Dominus fecit quando sacramentum instituit.*

RESPONSIO. Omnes Armeni universaliter credunt, & dicunt, quod panis & vinum per verba Christi posita in canone missæ eorum, quando accipit sacerdos panem in manu sua, & dicit alta voce: *Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est sanguis novi testamenti, qui pro vobis et multis effundetur in propitiationem et remissionem peccatorum,* conficitur veraciter Corpus & Sanguis Christi, secundum fidem ecclesiæ Armenorum, & secundum intentionem sapientum, quamvis multi de simplicibus incipientes a principio missæ dicunt et legunt usque ad finem canonis missæ, et putant fuisse missam, ideo, non dicit verum quod non conficitur, nec ipsi conficere intendunt Corpus et Sanguinem Christi, sed solum dicta verba recitative recitando, scilicet quod Dominus fecit, quando sacramentum instituit. Sequitur.

Et post dicta verba dicit sacerdos multas orationes positas in eorum canone, & post dictas orationes venit ad locum ubi sic in eorum canone dicitur: Adoramus, supplicamus, petimus a te, benigne Deus, mitte in nobis et in hoc propositum donum coessentiale tibi Spiritum-sanctum, per quem panem benedictum Corpus veraciter efficiens Domini nostri et Salvatoris JESU CHRISTI; *et dicta verba dicit sacerdos, ter, deinde dicit sacerdos super calicem:* Et vinum benedictum Sanguinem veraciter efficiens Domini nostri et Salvatoris JESU CHRISTI, *et per hæc verba credunt, quod conficitur Corpus Christi et Sanguis.*

RESPONSIO. Quamvis illud quod dicit superius invenitur in missali S. Athanasii, quod nos habemus, et facimus, et Johannes Osauri etiam post verba Christi, quæ ponuntur in canone missæ: *Accipite et comedite, accipite et bibite*, et cetera alia sic dicit, *etiam faciens panem hunc pretiosum Corpus Christi tui, et vinum hoc pretiosum Sanguinem Christi tui.* Similiter et S. Basilius dicit indifferenter in eodem loco et eodem modo, ut S. Chrysostomus; ideo et nos sic diximus, ut dixerunt et ordinaverunt isti, tamen non credimus, confici Corpus et Sanguinem Christi, ut dicunt, quod ante est confectum. Et tamen qua intentione supradicti sancti magistri fecerunt ignoramus; et si aliud melius videatur vobis, quod necessarium sit facere, parati sumus perficere. Sequitur.

Diversum ritum etiam habent dicti Armeni ad celebrandam missam, quia quidam illorum in altari ponunt duos calices, in quibus ponunt panem & vinum, & calices apud eos sunt vel terrei vel lignei: & quidam celebrant missam in communibus vestimentis, quidam induuntur sacris vestibus, & quidam celebrant populo præsente, & quidam excluso populo, & clausis januis sacerdos solus celebrans intrat ecclesiam & exit, & penitus non ostendit populis Corpus Christi, & adhuc in pluribus locis fit isto modo, quod celebrant super janua clausa; quousque sacerdos dicit: Respicite, *quando scilicet elevat Corpus sacramentum, ut populus videat, & tunc aperiuntur januæ ecclesiæ.*

RESPONSIO. Nos in minori Armenia per omnia

omnia facimus, sicut & vos, quia quando nos celebramus, vestimur vestimentis sacris, & ponimus unum calicem argenteum vel aureum cum patena, & alii nimis pauperes de metallo stannato, vel de vitro grosso. Ligneus autem vel terreus apud nos non inveniuntur, & numquam clausis januis celebramus; sed semper in aspectu populi: tamen in Armenia majori in aliquibus locis inveniuntur particulariter, sicut superius dictum est in articulo, propter metum infidelium, & nos quantum possumus corrigimus, & docemus non facere sic. Sciendum est autem, quod in majori Armenia, qui januis clausis celebrant in quadragesima, in sabbato tantum fit & in Dominica, & hoc particulariter, & in tempore quo elevatur Corpus Domini, aperiunt portas ecclesiæ, ut populus videat, quod elevatio Corporis Domini fit necessario, sive sit ibi populus, sive non.

Item, Armeni non dicunt, quod post dicta verba consecrationis panis & vini sit facta transubstantiatio panis & vini in verum Corpus & Sanguinem, quod natum fuit de Virgine Maria, & passum & resurrexit.

RESPONSIO. Contra hoc est textus canonis missæ ecclesiæ Armenorum, qui dicit: *Per quem, scilicet per Spiritum-sanctum, panem habens, & vinum benedicens, Corpus & Sanguinem veraciter faciens Domini nostri Jesu Christi, convertens per Spiritum sanctum.* Ex quo patet, quod ecclesia Armenorum panem & vinum per operationem Spiritus-sancti intendit consecrare, & transubstantiare in verum Corpus & Sanguinem Christi, qui natus est de Virgine Maria, crucifixus & sepultus, & resurrexit, & ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei Patris, & venturus est judicare. Et Christus idem dicit: *Hoc est Corpus meum.* Et *Hic est Sanguis meus.* Et *Qui manducat Corpus meum, & bibit meum Sanguinem, ipse in me habitabit, & ego in eo.* Ergo qui aliud dicet, vel putabit, vel prædicabit, quam illud quod Christus dicit, anathema sit secundum Apostolum. Sequitur.

Sed tenent quod illud sacramentum sit exemplar, aut similitudo, aut figura veri Corporis & Sanguinis Domini, & hoc specialiter aliqui magistri Armenorum dixerunt, videlicet quod non erat ibi Corpus Christi verum & Sanguis, sed exemplar & similitudo ejus.

RESPONSIO. Tales magistros cum tali doctrina non cognoscimus; sed maledicimus. Sequitur.

Dicunt etiam, quod quando Christus sacramentum instituit, non transubstantiavit panem & vinum in Corpus suum & Sanguinem; sed solummodo instituit exemplar & similitudinem Corporis & Sanguinis sui; propter quod sacramentum altaris non vocant Corpus & Sanguinem Domini, sed hostiam vel sacrificium, vel communionem.

RESPONSIO. Error maximus est iste, & quem alias numquam audivimus, quoniam Christus in celebratione Corpus & Sanguinem suum dixit, sicut & nos credimus, & non exemplar & similitudinem Corporis & Sanguinis sui. Sciendum est vero, quod nos panem missæ hostiam vocamus, quando nondum consecrata est in altari, & Corpus Christi post consecrationem: communionem autem propter communionem nostram cum eo: sacrificium vero, quia oblationem facimus Deo Patri pro nobis. Sequitur.

Quidam etiam magister vocatus Nerses, habet in suis libris expressum, quod quando sacerdos dicit hæc verba: Hoc est Corpus meum, *tunc est ibi Corpus Christi mortuum; sed quando sacerdos dicit:* Per quem, *ut supra positum est, ibi est Corpus Christi vivum; non tamen expressit, si erat verum Corpus Christi ibi, vel similitudo ejus.*

RESPONSIO. Opinio dicti magistri super hoc verbo, & si qua alia sunt, quæ non sunt recta, non recipiuntur a nobis. Et potest iste errare sicut homo, quoniam & alii magni magistri, qui tamquam sancti honorantur, in multis defecerunt, quæ ab ecclesia non recipiuntur pro vero. Quod dicit quod dictus magister non expressit utrum erat Corpus Christi ibi vel similitudo ejus, non dicit verum; quoniam verum Corpus & Sanguinem dicit panem & vinum post celebrationem. Sequitur.

Et quod etiam Armeni illud quod ponitur in eorum canone missæ, Per quem panis benedictus efficiatur verum Corpus Christi, *sic verum Corpus Christi exponunt, quia efficitur vera similitudo & exemplar Corporis & Sanguinis Christi.*

RESPONSIO. Talem falsam & perniciosam expositionem numquam alias audivimus, nisi in isto libello. Sequitur.

Unde & Damascenus propter hoc reprehendens eos, dixit quod ducenti tunc anni erant, quod Armeni perdiderant omnia sacramenta, & quod illa sacramenta quæ habebant, non erant eis tradita ab apostolis, vel ab ecclesia Græca vel Latina; sed ipsi, ut voluerunt, sacramenta sibi finxerunt.

RESPONSIO. Non putamus quod Damascenus dicat talia de nobis; & sic dicit, forte propter divisionem nostram ab eis. Sciendum est vero, quod sacramenta quæ recepimus a principio ab ecclesia per sanctos patres nostros, ita habemus; primo matrimonium & pœnitentiam, quæ ante incarnationem Christi dedit Deus hominibus in adjutorium perficere mandata ejus, & pervenire ad bona promissa, & Christus etiam confirmavit ista; pœnitentiam, prædicando, ut dicitur in Marco: *Si non pœnitemini peribitis*; & matrimonium, eundo ad nuptias, & Armeni ita habent; quia peccatoribus prædicat ecclesia Armenorum conteri de peccatis suis, & confiteri, & pœnitere, secundum illud: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; & matrimonium habet & prædicat pretiosum, sanctum, & simile Christo & ecclesiæ, secundum apostolum; & sicut Christus recepit baptismum in aqua, & mandavit nobis baptismum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, quod & nos facimus & habemus simili modo, sic in articulo LIX. & in multis aliis locis manifestavimus. Sed quando fecit discipulos sacerdotes, dedit potestatem ligandi atque solvendi, secundum illud Marci: *Amen dico vobis quodcumque ligaveritis super terram, erit liga-*

ligatum & in cœlis; & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis. Sic & nos habemus & facimus, & primam missam ipse Christus fecit, & secundum (eam) corpus & sanguinem suum dedit, quod pro nobis in multis distribuitur in propitiationem & remissionem peccatorum, & mandavit apostolis facere, secundum illud Matthæi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et hæc similiter nos facimus, sicut superius in LXV. & in LXVI. articulis manifestavimus. Et confirmationem etiam, secundum consuetudinem totius orientalis ecclesiæ usque nunc, episcopi & sacerdotes qui baptizant, dant consequenter post baptismum, sicut in XVIII. articulo & in LXIII. manifestavimus, & licet per hoc differamus ab ecclesia Romana, in qua soli episcopi dant; Græca autem non, quoniam & ipsi ita faciunt sacramenta quæ apostoli didicerunt a Christo, & docuerunt ecclesiæ. Hæc sunt quæ etiam & nos habemus, & invenimus in libris apostolorum. Quare falsum est dicere de nobis, quod non habemus sacramenta quæ apostoli docuerunt ecclesiæ, & quod nova sacramenta finximus pro nobis. Igitur ostendat nobis veritatem sacramentorum, & antiquitatem sacramentorum apostolorum, & tunc corrigemur. Et si non sit ita, cessent a detractionibus suis.

De sacramento vero extremæ-unctionis, sciendum est, quod aliqui licet pauci faciunt secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ, quemadmodum & nos & aliqui secundum modum Græcorum. Secundum autem majorem partem non faciunt: nunc conamur hoc sacramentum per gratiam Dei, quantum possumus, conformari consuetudini ecclesiæ Romanæ.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod si presbyter vel episcopus ordinatus committat fornicationem etiam in secreto, perdit potestatem conficiendi & ministrandi omnia sacramenta, quæ pertinent ad episcopum vel presbyterum, & tamen omnia sacramenta per eos confecta, nullam efficaciam vel virtutem habent, ex eo quod per tales fornicationes perdiderunt potestatem conficiendi & administrandi.

RESPONSIO. Quamvis publici fornicatores prohibentur ab ecclesia Armenorum, ut non celebrent, non propter hoc quia perdiderunt potestatem celebrandi & administrandi omnia sacramenta, quæ pertinent ad episcopum vel presbyterum, & quod nullam virtutem vel effectum habeant sacramenta confecta per eos, ut dicunt supra; sed propter canones sanctorum patrum & scandalum populi, & quia ministri hujus magni sacramenti juxta posse mundi sint. Qui vero in secreto peccat, si de voluntate sua dimittit celebrare propter conscientiam, tunc confessor celebrare non cogit. Si vero veraciter contritus est, & non velit cessare a celebratione, tunc confessor habet dispensare eum per pœnitentiam. Sequitur.

Dicunt tamen, quod bonus laicus fidelis Eucharistiam confectam per episcopum vel presbyterum habentem potestatem conficiendi sacramentum Eucharistiæ, eam aliis ministrare potest.

A RESPONSIO. Falsum est hoc, quia tale, quod ad nos non pervenerit.

Item, dicti Armeni dicunt, quod si episcopus vel presbyter committat fornicationem, vel quamcumque aliam speciem luxuriæ secrete vel publice, perdit potestatem conficiendi & ministrandi sacramenta, quæ ad Deum pertinent. Si vero efficiatur hæreticus & apostata a fide, ut Saracenus vel Judæus, vel committat quodcumque aliud crimen, ut homicidium, perjurium, & sic de aliis criminibus, dictam potestatem conficiendi & administrandi sacramenta non perdit; sed sufficit, quod de talibus peccatis pœniteat, sive dicta peccata commiserit publice vel occulte.

B RESPONSIO. De fornicatione manifestavimus in LXVIII. articulo. Tamen de homicidiis sciendum est, quoniam sacerdotes Armenorum contra inimicos fidei tempore necessitatis ad bellum vadunt, & si in bello de infidelibus occidunt, tunc propter hoc ab ordinibus non prohibemus; nec quando infideles venientes super Christianos ad occidendum eos, tunc si sacerdotes nostri liberando se, occidunt eos, non inhibemus eis quin possint celebrare, quia pro fide & justitia bellant. Aliter vero homicidæ pœnitent & cessant a celebratione. Apostatam a fide non vidimus celebrare post apostasiam.

C *Item, Armeni non dicunt nec tenent, quod sacramentum Eucharistiæ digne susceptum operetur in suscipiente peccatorum remissionem, vel pœnarum debitarum pro peccato relaxationem, vel quod per ipsum detur gratia Dei, vel ejus augmentum.*

RESPONSIO. Dicta Christi in canone missæ Armenorum, cui credunt Armeni, sine omni dubitatione sunt contra hoc, quia dicit Dominus: *Accipite & comedite ex hoc omnes, hoc est corpus meum, quod pro vobis & pro multis distribuitur in propitiationem & remissionem peccatorum.* Item: *Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus, novi testamenti, qui pro vobis & multis effundetur in propitiationem & remissionem peccatorum.* Et
D alibi in canone missæ scriptum est de corpore Domini, ut hoc sit omnibus nobis accedentibus ad eum, non ad condemnationem, sed propitiationem & remissionem peccatorum; de quo dicit Johannes evangelista: *Sanguis Jesu mundet nos ab omnibus peccatis.* Et in LVIII. articulo etiam contra se ipsos dicunt, quod adulti baptizantur in remissionem peccatorum, non quia in aqua baptizantur, sed quia dicto chrismate inunguntur, & accipiunt Eucharistiæ sacramentum. Ergo sumtio corporis Christi remissionem peccatorum operatur etiam secundum verba eorum, quod est contrarium suprascriptis; quoniam sicut per comestio-
E nem cibi mors intrat in nobis, sic per spiritualem cibum istum vivificamur & augmentamur in gratia, secundum illud: *Qui manducat corpus meum & bibit sanguinem meum, mortem non videbit in æternum.* Sequitur.

Sed solum dicunt, quod effectus sacramenti Eucharistiæ sunt isti; scilicet, quod ille qui recipit hoc sacramentum, Christus manet in eo, quia scilicet corpus Christi intrat in ejus corpus, & in ipsum convertitur, sicut & a-

ANNO CHRISTI 1342.

& alia alimenta convertuntur in alimentum.

RESPONSIO. Sciendum, quod numquam non alias talem hæresim audivimus, quoniam si effectus corporis Christi solum hoc esset, quod verteretur in alimentum sicut & alia cibaria, nihilominus tamen apostolus ipsum ostendit esse majus quam alia cibaria, dicens: *judicium sibi manducat & bibit, qui non dijudicat corpus Domini*. Ecclesia Armenorum effectum corporis Christi in canone missæ exprimit aliter: *Recipe a nobis propositionem hanc, & perfice hanc in sacramentum corporis & sanguinis unigeniti tui, & medelam remissionis peccatorum concede nobis manducantibus hunc panem & vinum*. Sequitur.

Et quia eucharistia manet in suscipiente, dicunt quod presbyter qui accipit corpus Christi non debet flebotomari postea per triduum: & quia quidam presbyter contrarium fecit, exivit de flebotomia sanguis & ignis.

RESPONSIO. Possibile est quod aliqui de simplicibus faciunt hic, tamen non propter hoc quod corpus Christi & sanguis maneat & convertatur in eis; sed propter insipientem consuetudinem, nec fit de mandato nostro, nec de statuto ecclesiæ. Sequitur.

Dicunt etiam Armeni, quod effectus eucharistiæ sunt ut custodiatur accipiens a fulgure & grandine, & ab aliis aeris nocuis impressionibus, & ab infirmitatibus corporis, & talibus malis corporalibus suis vel carorum suorum; & idem dicunt quo ad istas pœnalitates corporales de sacramento poenitentiæ, quod scilicet homines per dictum sacramentum a talibus pœnalitatibus custodiuntur.

RESPONSIO. Effectum eucharistiæ supra in parte manifestavimus. Quamvis per gratiam sacramenti recipimus multa data optima, & dona perfecta spiritualia & corporalia, & liberamur a multis periculis, tentationibus spiritualibus & corporalibus. De poenitentia vero hic est sicut in loco suo patefecimus.

Item, quod sexcenti & XXII. * *anni sunt, quod concilium supradictum fuit celebratum per Armenos in civitate Manasgardensi, & ibi patriarcha Assyriorum* *, *catholicon, episcopi, & magistri Armenorum determinaverunt, quod in sacrificio altaris non debet misceri aqua in vino.*

* al. XVI.

* al. Suriarorum.

RESPONSIO. Verum est hoc, quamvis multotiens superius diximus quod nos dictum concilium cum omnibus determinationibus ejus non recipimus. Sequitur.

Nihilominus determinaverunt ibi, quod illi qui miscent aquam in vino in sacramento altaris, non habent verum baptismum, quia illa aqua quæ fluxit de latere Christi in cruce, non potest servire nisi sacramento baptismi; & ideo qui aquam ponunt in vino, perdiderunt sacramentum baptismi. Determinaverunt etiam in dicto concilio, quod si aqua in sacramento altaris poneretur, quod illud sacramentum nullum esset, quia Dominus post consecrationem sacramenti eucharistiæ dixit: non bibam de hoc genimine vitis; *& ita solum germen vitis debet poni in sacrificio & non aqua.*

RESPONSIO. Superius multoties diximus quod concilium Manasgardense cum omnibus determinationibus suis, quæ sunt contra veritatem, non recipimus. Hoc autem quod dicunt, quod illi qui miscent aquam in vino in sacrificio altaris, non habent verum baptismum, ex eo quod aqua solum sacramento baptismi servire potest, & quod in missa in qua erit aqua, non est missa; ista sunt verba stultitiæ, & nescimus certitudinaliter, utrum in dicto concilio determinatum fuit hoc vel non: quoniam quamvis Armeni propter antiquam consuetudinem in sacrificio aquam non ponebant, tamen non dicunt quod in sacrificio in quo aqua erit, eucharistia non fit, vel ex eo quod aquam ponant, propter sacramentum baptismi. Forte aliquis impius propter rixas & inimicitias dixit tale quid, quod ignoramus. Sequitur.

In quo etiam concilio anathematizaverunt illos qui ponebant vel ponerent aquam in dicto sacrificio, & in tantum hoc detestantur, quod si in ecclesia Armenorum celebretur missa in qua misceatur aqua in vino, aliqua pars tecti ecclesiæ discooperitur, ut radius solis in eo intrare possit, per cujus introitum consecratio dictæ ecclesiæ tollitur, & postea antequam aliquis Armenus in dicta ecclesia missam celebret, oportet quod dicta ecclesia reconcilietur.

RESPONSIO. Hæc omnino falsa sunt & verba nequitiæ.

Item, quod Armeni antiqui dixerunt & tenuerunt, quod nullus non ordinatus in presbyterum, quantumcumque esset bonæ vitæ, poterat conficere sacramentum eucharistiæ.

RESPONSIO. Verum est hoc secundum opinionem antiquorum Armenorum & novorum. Sequitur.

Et quod illi qui erant in presbyteros ordinati, si malæ vitæ essent, non poterant dictum sacramentum conficere; sed boni presbyteri hoc facere poterant, & non alii.

RESPONSIO. Quamvis sacerdotes malæ vitæ de facto possint celebrare sicut boni; tamen de jure solum bonis convenit facere secundum apostolum, *primo probet quis seipsum, & tunc de pane illo edat, & de calice bibat, quia qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*, quoniam non dijudicat corpus Domini &c. Sequitur.

Armeni vero moderni dicunt, quod boni & mali presbyteri, dummodo non dimiserint legem Armenorum, nec effecti fuerint de lege ecclesiæ Latinæ vel Græcæ, nec commiserint peccata de quibus supradictum est, possunt conficere dictum sacramentum: sed illi presbyteri qui dimiserunt legem Armenorum, vel facti de lege ecclesiæ Græcæ vel Latinæ, quia eam dimittendo effecti sunt hæretici, non possunt conficere dictum sacramentum.

RESPONSIO. De bonis et malis sacerdotibus supra breviter diximus, quomodo possunt et non possunt. Si vero Latinorum et Græcorum legem dicant rebaptizari et reordinari, tunc verum est, quod illud non recipimus sive sit de nobis, sive sit de aliis, forte baptizatus non erit. Si vero de ritu ecclesiæ Latinæ dicunt, tunc verum non est, quia sacerdotes ejusdem ecclesiæ amore filii accipimus, sicut et nostros, et baptizatos per eos, et rebaptizati in opprobrium ba-

ANNO CHRISTI 1342.

baptismi et reordinati in opprobrium sacerdotii deponuntur ab ordinibus secundum statuta canonum.

Item, Armeni habent in quodam canone, quod si aliquis fuisset baptizatus in quibuscumque ecclesiis, quæ tenerent quod in Christo essent duæ naturæ & una persona, & vellet a presbyteris Armenorum recipere eucharistiæ sacramentum, idem sacramentum non daretur ei per dictos presbyteros, nisi prius abnegaret baptismum, quod acceperat, & malediceret, illos, qui dicunt duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in vino in sacrificio, quibus factis, rebaptizant eum modo Armenorum, & tunc dant ei eucharistiæ sacramentum, per eos modo Armenorum confectum.

B RESPONSIO. Quamvis Armeni separentur ab illis, qui dicunt duas naturas divisas, ut Nestorius, qui una cum hæresi sua fuit anathematizatus in sancta et universali synodo Ephesina, talibus non damus sacramentum eucharistiæ, nisi prius abnegent illam hæresim, tamen non separantur ab illis qui duas naturas dicunt unitas in uno Christo et in una persona, quod et Armeni confitentur et credunt. Illud vero quod dicit, quod faciunt abnegare baptismum et rebaptizant, omnino falsum est, et crimen, quod etiam multotiens superius diximus. Sequitur.

C *Et quod presbyteri Armenorum, dum celebrant missam januis clausis ecclesiæ, secundum quod supradictum est, maledicunt illos qui dicunt duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in vino in sacrificio, & qui aliquam reverentiam faciunt imaginibus Dei vel sanctorum.*

RESPONSIO. Quamvis aliquando inter Græcos et Armenos per simplices fuerit controversia de imaginibus, nunc autem ablata est turbatio illa: prælati vero Armenorum semper receperunt imagines sanctorum, et sunt in ecclesiis nostris. Illud vero quod dicunt quod januis clausis maledicunt, dicentes duas naturas esse in Christo, et ponentes aquam in sacrificio eucharistiæ, hoc non D audivimus alias nisi nunc.

Item, quod apud Armenos majoris Armeniæ, non sit imago crucifixi, nec aliæ imagines teneantur sanctorum.

RESPONSIO. Quamvis quandoque aliqui ignorantes de Armenis contrarii fuerint, sicut supra in LXXIII. articulo diximus; tamen a prælatis dictæ ecclesiæ numquam sunt abjectæ, sed potius habentur in multis ecclesiis depictæ; sed causa quod non habentur imagines communiter in majori Armenia, est persecutio Saracenorum, qui dominantur Armenis, et valde persequuntur imagines et habentes.

E *Item, quod magister Armenorum cum venisset ad quemdam locum ubi fiebat solemniter (sacrificium), & sacerdos elevasset eucharistiæ sacramentum, ut videretur a populo, dictus magister maledixit eidem sacerdoti, dicens quod mysterium fidei in secreto debebat teneri, & non populo ostendi, & quod ostendendo dictum sacramentum, sacerdos videbatur dicere populo: non timeatis, unum frustum panis est hoc sacramentum.*

A RESPONSIO. Sciendum est quod Nerses episcopus de Orui, qui nunc in Romana curia false se nominat archiepiscopum Manasgardentem, scripserat supradictum errorem a populo Hangæ, quod est castrum magnum et a populo de villa Sahap, quæ sunt loca notabilia, domino Jacobo, qui tunc temporis erat catholicon Armenorum, et dictus dominus Jacobus misit legatos dominum Basilium de Malmescia qui est episcopus Iconiensis, & Basilium publicum notarium ad inquirendum & certificandum utrum ita esset, sicut scripserat supradictus episcopus ex parte populi dictorum castrorum vel non, sed dictus publicus notarius catholicon Armenorum cum juramento testimonium perhibuit coram domino Makzinitar, qui nunc est catholicon Armenorum & coram domino Sergio, & domino Basilio, & domino Gregorio, & fratre Daniele, & coram multis aliis, quod de mandato catholicon ivimus ad Hanga castrum solemne, & ibi congregavimus quinque episcopos & XII. sacerdotes, & plures burgenses ejusdem loci & magistrum Matzzinchar & Diracoe sacerdotem qui missam celebraverat, propter quem & de quo supradictus Nerses episcopus ex parte dictorum castrorum scripserat errorem & domino Jacobo, & ibi Nerses episcopus inventus est mendax; quia populus ille ad instantiam cujus scripserat errorem, testimonium dederunt unanimiter, & una voce jurando, quod de dicto Makznichar & Diracoe sacerdote talia verba quæ scripsit Nerses episcopus de ipsis non audiverunt, nec de voluntate & licentia eorum scripsit litteram. Tunc rumor magnus fuit, quod si non fuissemus ibi, plures lapidassent eum & nepotem suum, qui litteram falsam scripserat de voluntate sui avunculi, & illud fuit principium, & causa persecutionis suæ a dioecesi, & fugiens venit ad nos. Nos vero propter hanc falsitatem & alias multas injustitias, quas fecit apud nos & in aliis locis, non potuimus eum recipere in amorem. Quare fugiens de nobis, venit ad vos, & hæc multoties imposuit nobis.

Item, quod fuerunt Boloniæ tres Armeni, qui prius fuerant baptizati in forma Armenorum, & postea fuerunt baptizati in forma ecclesiæ Latinæ, qui homines cum postea venissent apud Florentiam, duo Armeni interrogaverunt eos an fuissent balneati, vocantes balneationem baptismum receptum in ecclesia Latina; qui cum respondissent quod sic, dixerunt eis quod abnegarent dictam balneationem; quod cum facere nollent, tantum verberaverunt eos, quod unus ex eis post paucos dies decessit; alios vero duos tamdiu in carcere retinuerunt, quo usque dictam balneationem abnegarent, dicendo, quod dictam balneationem reputabant ac si unus canis minxisset super eos, & fuerunt per eos, ut creditur, rebaptizati, secundum modum Armenorum, alioquin talibus non darent eucharistiæ sacramentum, etiam in fine, quantumcumque peterent.

RESPONSIO. Supradicta facta nos ignoramus, tamen de hoc valde miramur, quod cum apostolus baptismum unum dicit, & forma cum qua baptizamus est sancta & ac-

cepta ab omnibus generalibus synodis, in quibus primatum ecclesia Romana habebat, quomodo sustinet eos, qui rebaptizant baptizatos cum illa forma, quam sanctam & rectam tenet maxime quando vi faciunt.

Item, cum clerici & laici Armeni fuissent baptizati in forma ecclesiæ Latinæ, catholicon minoris Armeniæ fecit eos capi & dehonestari, radendo totaliter eorum capita & medietatem barbæ, & scindendo vestes eorum, & postea in carcerem poni; & cogebat eos, quod sacramentum baptismi quod acceperant, in forma ecclesiæ Romanæ abnegarent; & quia facere noluerunt, diu fecit eos in carcere detineri.

RESPONSIO. Sciendum est quod supradicti ecclesiastici & sæculares, non propter hoc fuerunt dehonestati, quia cum forma Latinæ ecclesiæ baptizati fuerant, sed quia præsumserant tam in occulto quam in secreto errorem introducere in ecclesia: quia ipsi reordinati fuerant, rebaptizati, et multos alios trahentes ad se rebaptizaverunt et reordinaverunt: aliquos rebaptizabant in balneis, alios in domibus, alios in transitu aquarum, et in occultis locis et silvis reordinabant. Et causas dedicationis has dicebant primo, quia quando primo baptizati fuistis, non eratis capaces rationis, et nescitis utrum sacerdos dixit: *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*; & forte non dixit propter ebrietatem, ideo necesse est vobis baptizari in ætate perfecta, ut certitudinaliter a sacerdote formam baptismi recipiatis, & auferatis dubium de cordibus vestris. Secundo quia peccata quæ fecistis, si contingat quod cum poenitentia non deleveritis, nunc per baptismum sanctificabimini, & sine poenis purgatorii potestis transire ad regnum coelorum; & si verum esset, quod baptizati non essent, rebaptizari & reordinari necesse fuisset; tunc oportebit notificare prælatis ecclesiæ, & medelam sanitatis quærere, & non occulte & in secreto novum errorem & malum in ecclesiam Dei introducere, & bonas constantias Christianorum corrumpere. Ideo correxerunt eos in modico tempore ecclesia & rex per suum forum judiciale, & irarum misericordiam fecerunt, dando eis res suas & constituendo eos ad executionem ordinum.

Item, quod cum archiepiscopi dubitantes an essent vere ordinati & baptizati per Armenos, venissent ad catholicon, qui nunc est minoris Armeniæ, dictus catholicon vocavit dictos archiepiscopos, & inhibuit eis hoc primo, quod non celebrarent missam Latinam, sed missam Antiquam Armenorum.

RESPONSIO. De duobus archiepiscopis quos dixit, unus vocatur Simeon Bech & alter Nerses Balo. De Simeone Bech verum est, quod Theotopolis archiepiscopus erat, de Nerses vero, qui nunc est in curia Romana, qui archiepiscopum Manasgardensem se nominat, falsum est; quia ipse erat episcopus Urni, & non de Manasgarde; & isti ad dubitationes suas erroneas alios inducebant rebaptizando, & in missis eorum dubium introducendo, dicentes quod missæ Armenorum non veraciter sunt missæ. Ideo dominus Jacobus, qui tunc catholicon erat, vocavit eos & monuit, ut non facerent a se ipsis novam deceptionem, nec perderent homines in civitate & in habitatione sua, & non dixit eis quod missam Latinam non celebrarent, quoniam usque in hodiernum diem, qui vult & scit facit. Sequitur.

Secundo præcepit eis quod non servarent jejunia ecclesiæ Romanæ, sed antiqua jejunia Armenorum.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia dominus Jacobus, qui tunc catholicon erat, multotiens multos condemnabat ad sententiam pecuniariam, qui non observabant quinque dies statutos pro jejunio nativitatis qui incipiunt in XIX. die Decembris, sed custodiebant jejunium Epiphaniæ secundum antiquam consuetudinem Armenorum, qui faciebant festum nativitatis & epiphaniæ simul sexto die Januarii. Sequitur.

Tertio, præcepit eis, quod non baptizarent aliquem, qui dubitaret de suo baptismo, & veniret ad eos ad petendum verum baptismum; sed ut dicerent ei quod baptismus Armenorum est melior, quam baptismus ecclesiæ Romanæ.

RESPONSIO. Quia supradicti duo episcopi non solum baptizabant, qui dubitaret an esset baptizatus, & dubium esset conveniens; sed etiam totam gentem in erroneam opinionem inducebant, & rebaptizabant, sicut in LXXVII. articulo etiam diximus; ideo monebat eos dominus Jacobus, quod non facerent, & non dicebat, quod baptismus Armenorum melior esset, quam baptismus Romanæ ecclesiæ, quoniam nos baptismum Romanæ ecclesiæ & Armeniæ ecclesiæ unum scimus, secundum Apostolum & unus baptismus non est uno bonus & melior. Sequitur.

Quarto, inhibuit eis, ne facerent populum suum Armenum Latinum, quia dicebat ille dictus catholicon, quod melius erat quod populus suus sicut Armenus vadat in infernum, quam si fierent Latini, & omnes irent in paradisum.

RESPONSIO. Hoc mandatum per se patet, quia nullus habens rationem hoc diceret, neque vellet, quoniam melius est de quacumque natione voluerit esse, ire ad vitam, quam Christianus peccator esse & ire ad infernum: quamvis secundum canones generalium conciliorum populum & dioecesim nostram ab aliis rapi nolumus.

Quinto, præcepit eis quod non docerent pueros Armenos nec linguam, nec litteram Latinam, quia quando addiscerent linguam Latinam, amitterent linguam Armenorum: & ad testimonium & confirmationem horum dictorum est hoc, quod in eodem anno supradictus catholicon consecravit sex episcopos Armenos, & accepit ab eis litteram publicam, quod ipsi non darent pueros de partibus suis ad discendum litteram Latinam.

RESPONSIO. Hoc falsum est, & per hoc patet, quod ipsi qui hæc dicunt, tunc nec linguam, nec litteram * faciebant; quomodo ergo alios docere potuissent? De sex episcopis etiam quos ad testimonium pro confirmatione mendacii sui dicunt, nec dominus Jacobus hoc fecit, sicut dicit, nec etiam vidimus, nec audivimus. Sequitur.

* f sciebant.

Nec dimitterent aliquem prædicatorem Lati-

ANNO CHRISTI 1342.

tinum qui prædicaret veritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, in dioecesi & provincia sua. Item, quemlibet episcopum quem ipse consecrat, facit anathematizare illos Armenos, qui volunt fieri veri catholici & obedientes ecclesiæ Romanæ.

RESPONSIO. Et hoc falsum est, quia multi prædicatores de ecclesia Romana prædicaverunt & prædicant in ecclesia Armena; & nullum de Armenis umquam excommunicavimus ex eo, quod obediret ecclesiæ Romanæ, sed potius excommunicamus semper, & manum adjutricem porrigimus & contrarios corrigimus.

Sexto, inhibuit eis quod non prædicarent papam Romanum caput esse ecclesiæ in Orientalibus partibus, sed ipse se dicit & facit papam in partibus Orientalibus, a fine maris usque ad imperatorem magnum Tartarorum, & multa alia verba inconvenientia & errorem sapientia locutus est.

RESPONSIO. Summam potestatem papæ Romani, & obedientiam nostram in multis locis manifestavimus; tamen catholicon Armenorum a primitiva ecclesia usque nunc habet curam omnium Armenorum. Propter hoc vocatus fuit catholicon Armenorum. Nos vero interrogavimus dominum Jacobum, qui tunc catholicon erat, de subscriptis verbis; & ipse admiratus respondit talia verba numquam dixisse. Sequitur.

Hæc omnia inhibuit eis dictus catholicon, & quia noluerunt ei obedire in prædictis, gravem persecutionem contra eos fecit, propter quod unus ex eis post annum cum dimidio ivit ad insulam Cypri, & ibi audivit quod dictus catholicon, consentiente rege Armeniæ, illos quos illi & aliqui Latini baptizaverant et ordinaverant sub conditione in forma ecclesiæ Romanæ, capi fecit, & aliquos sacerdotes ex eis degradavit, et in duro carcere regis posuit: alios vero incarceravit, et adhuc sunt incarcerati, & eorum bona & possessiones fuerunt confiscatæ, et aliis venditæ.

RESPONSIO. Causa persecutionis eorum non est hæc quam dicunt; quæ autem sit in articulo LXXVII. manifestavimus in parte, sicut & vos audietis per litteras multorum qui sciunt facta Nerses.

Item, quod presbyteri et episcopi Armenorum imponunt poenitentiam illis Armenis, qui veniunt ut baptizentur in ecclesia Græca vel Latina per aliquot annos, ut scilicet jejunent modo Armenorum. Modus autem Armenorum talis est, quod in dicto tempore non debent comedere carnes, pisces, lac, caseum, vel ova. Possunt tamen comedere quoties volunt in die. Illis vero Armenis, qui accipiunt Eucharistiæ sacramentum in ecclesia Græca vel Latina, imponunt pœnitentiam quinque annorum, ut scilicet jejunent per dictum tempus modo supradicto.

RESPONSIO. Qui non sunt baptizati, ut sunt cathecumeni Armenorum, si volunt parentes, tunc indifferenter faciunt baptizari in ecclesia Latinorum sicut Armenorum; quia plures de principibus Armenorum & filiis eorum baptizati sunt secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ. Tamen si baptizati fuerunt & rebaptizentur in opprobrium & contumeliam sacramenti Dei, tunc tales non solum cum jejuniis, sed cum igne necesse est corrigere. Poenitentiam vero jejuniorum quam dicunt pro baptismate & communione, nec nos fecimus, nec audivimus talia fuisse inter Armenos: quoniam multi de nobis, qui volunt, indifferenter & cum magna spe communicantur a Latinis sicut a nobis. De jejuniis autem verum est, quoniam suprامemorata cibaria non comedimus, excepta quadragesima, in qua semel comedunt: in aliis autem quando & quantum volunt comedunt: in quadragesima vero communiter jejunant quousque horam nonam diei, & postquam dixerint officium, comedunt aliqui semel, & aliqui incontinentes contra statuta prout placet comedunt.

Item, quod apud Armenos in quadragesima, quam incipiunt Dominica in quinquagesima, non celebratur missa in ecclesiis, nisi in die sabbati & Dominica.

RESPONSIO. Verum est hoc, secundum consuetudinem totius Orientalis ecclesiæ; in palatio vero regis Armenorum celebratur omni die in quadragesima; & in aliis ecclesiis quando faciunt, non prohibemus. Seq.

*Nec decem * aliis septimanis anni in quibus Armeni jejunant.*

* vel nec dicitur aliis septimanis.

RESPONSIO. Falsum est hoc, excepta septimana ante Dominicam septuagesimæ, in qua in Armenia majori non celebrant nisi in sabbato & Dominica: in Armenia vero minori, in secunda septimana omni die celebrant, & in aliis etiam X. septimanis; in majori vero per IX. septimanas faciunt sicut & nos, excepta septimana ante septuagesimam. Sequitur.

Magis autem celebrant missas in die sabbati, quam in diebus dictorum temporum, quia communiter omnia festa quæ veniunt in septimana, celebrant in die sabbati, exceptis festis Assumtionis B. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, quæ festa celebrant in Dominica; alio vero tempore anni communiter in ecclesiis non celebrant, nisi dictis duobus diebus in septimana, & tunc etiam ducunt animalia ad ostium ecclesiæ, & occidunt modis supradictis.

RESPONSIO. Quamvis aliquas festivitates faciant in die sabbati in majori Armenia, quæ cadunt in fine septimanæ jejunii, tamen non omnes; festum vero B. Mariæ & S. Crucis, & omnes alias festivitates, ut docet martyrologium, nos in minori Armenia facimus; & licet quandoque in festivitatibus sanctorum aliqui ob solemnitatem festi præmittunt eleemosynam dare pauperibus, tunc occidunt animalia, & cibant famelicos, non tamen secundum supradictum modum.

Item, quod apud Armenos populus non communicat, nisi in vigiliis epiphaniæ & in die; ita quod illi qui jejunaverunt, per septimanam ante dictam vigiliam, in dicta vigilia vel nocte sequenti communicant, & faciunt festum Natalis Domini, & ibi anathematizant omnes illos qui faciunt festum Natalis Domini XXV. die Decembris. In sequenti vero die faciunt festum epiphaniæ, & tunc illi de populo qui volunt communicant, & etiam illi qui non jejunaverunt dictam septimanam. Communicant etiam aliqui in die cœnæ & in sabbato sancto.

RESPONSIO. Armeni communicant in vigilia epiphaniæ post vesperas in occasu solis, quoniam celebrant missam & in mane, & in coena Domini, & in sabbato sancto, & in Paschate communiter, & quamvis ante universaliter tota ecclesia Armenorum sexto Januarii faciebant festum Nativitatis & epiphaniæ, secundum antiquam consuetudinem Orientalis ecclesiæ: illos vero qui XXV. die Decembris faciebant festum Nativitatis Domini, non anathematizabant, ut dicunt false & criminaliter. Nos autem a magno tempore citra in minori Armenia, & qui sequuntur ritum nostrum de majori Armenia etiam festum Nativitatis XXV. die Decembris facimus & docemus.

*Item, quod quando aliqui communicari debent per sacerdotem, fit confessio generalis, dicendo genera peccatorum, non descendendo ad aliquod peccatum singulare, & postea populis * recitat dictam confessionem in secreto, tamen raro vel numquam aliquis Armenus confitetur sacerdoti sua peccata.*

* *al.* populus reiterat.

RESPONSIO. Populus Armenorum communiter secundum consuetudinem ecclesiæ Armenorum confessus fuit, & confitetur peccata sua sacerdoti singulariter, & sine singulari confessione apud nos non debet communicare, nec communicari: sed si aliquando non fit, hoc non est secundum consuetudinem legis nostræ, sed fit ex ignorantia confessoris vel confessi, quoniam Christiani qui non confitentur, valde reprehensibiles sunt & vituperabiles apud nos. Sequitur.

Et si confitetur, non dicit quod hoc vel illud singulare peccatum commiserit, sed dicit quod diabolus dictum peccatum fecit, vel quod ad suggestionem alterius hominis dictum peccatum fecit.

RESPONSIO. Licet aliqui ignorantes dum confitentur dicunt: Satanas decepit & peccavit, tamen non intelligunt, quod non obstante satana, qui fuit culpabilis, quoniam si intelligerent se esse innocentes, non confiterentur. Sequitur.

Dimittunt autem confiteri peccata sua secrete & singulariter, quia sacerdotes peccata eorum revelarent, & multum graves eis pœnitentias imponerent, propter quod communiter Armeni non confitentur, nisi in genere peccata sua.

RESPONSIO. Secundum consuetudinem ecclesiæ Armenorum nulla de causa debet confessio revelari. Si vero aliquis hoc fecerit, tunc deponitur & punitur; nec propter gravem poenitentiam desistunt a confessione. Sequitur.

Facta autem dicta generali confessione per populum, sacerdos dicit: Ego dimitto vobis peccata vestra, *vel* Deus dimittat vobis; *& aliqui dicunt:* Ego dimitto vobis peccata vestra in terra, & Deus dimittat vobis in coelo.

RESPONSIO. De forma absolutionis nostræ diximus in XL. articulo sufficienter. Sequitur.

*Dicti autem sacerdotes dicunt eis, quod nisi dictas poenitentias compleverint, non debent communicare in vita præsenti, nec ingrediantur in regnum Dei, & erunt exclusi a gra-*A *tia & benedictione Dei.*

RESPONSIO. Quamvis confessores pœnitentiam quam injungunt confessis, volunt quod compleant, & si accidat quod non compleant, non propter hoc prohibentur a communione, nisi despexerint pœnitentiam & noluerint facere, & sint potentes ad hoc, vel per canones & statuta prohibiti sint. In hora vero mortis sine prohibitione communicant. Sequitur.

Et apud Armenos nullam certam formam habent presbyteri & sacerdotes absolvendi subjectos eorum a peccatis suis.

RESPONSIO. Formam absolutionis nostræ modo quo habemus in XL. articulo diximus. Sequitur.

B *Quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod dicta generalis confessio sufficit ad remissionem peccatorum & absolutionem, nec apparet quod secrete & singulariter aliquis confiteatur peccata sua sacerdoti; dicta etiam absolutio generalis valet ad peccatorum absolutionem, etiamsi contritio non præcesserit.*

RESPONSIO. Non sine causa dicit Spiritus-sanctus per prophetam, quod os talium maledictione, amaritudine, & nequitia plenum est, & sub lingua eorum labor & dolor. In L. articulo singularem confessionem dicunt necessariam esse secundum consuetudinem Armenorum, sic dicendo: Si vero postquam ordinatus est, commiserit tale pec-C catum luxuriæ, oportet quod si absolvi velit, quod confiteatur suo confessori. Et hic dicit, quod non oportet quod secrete & singulariter aliquis confiteatur peccata sua sacerdoti, sed confessionem generalem dicunt sufficere ad absolutionem & remissionem peccatorum, etiamsi contritio non præcesserit, quod est falsissimum & contra omnes canones.

*Item, Armeni infirmi, quando dicitur eis quod morti appropinquant, ipsi vel eorum amici petunt communionem, & eam faciunt portari; & quandoque contigit quod quando multum debiles sunt, sacerdotes ponunt in ore eorum communionem; & quando sunt proximi morti, faciunt sacerdotes de communione si-*D *gnum crucis super os eorum, & sic reportant communionem.*

RESPONSIO. Non oportet dari nisi his qui volunt & possunt accipere. Hoc autem verum est, quod quandoque talia accidunt, ut dicitur in articulo, & nos correximus & corrigemus juxta posse quod hoc non sit plus.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod catholicon, episcopi & presbyteri Armenorum eamdem & æqualem potestatem habent ligandi vel solvendi, quantam & qualem habuit B. Petrus apostolus, cui a Domino dictum est: Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in coelis, & quodcumque solve-E ritis, &c.

RESPONSIO. Secundum jura canonica & civilia, successores habent auctoritatem prædecessorum suorum; papa autem est successor apostoli Petri, & habet auctoritatem Petri, & catholicon est successor Thadæi apostoli, & habet auctoritatem ejus. In Nicæna vero sancta synodo sancti patres congregati, quorum determinationes & canones valde acceptabiles sunt apud nos, sen-

ten-

tentiam dederunt Romanam ecclesiam caput esse omnium aliarum ecclesiarum, cujus caput est papa. Ideo catholicon Armenorum & alii patriarchæ sub potestate ejus sunt, & minores eo, scilicet archiepiscopi minores sunt catholicon secundum gradum, & non æquales, ut dicitur hic supra in articulo, & apud nos nullus ignorat hoc, quod catholicon majorem potestatem habet quam episcopi, & episcopi quam sacerdotes, quamvis secundum consuetudinem ecclesiæ Armeniæ non astringimus auctoritate subditorum nostrorum populos, scilicet audire confessionem & absolvere large ab omnibus peccatis. Tamen si vobis videatur inconveniens, parati sumus facere secundum voluntatem vestram modo quo scribetur nobis.

B *Item, Armeni dicunt & tenent, quod usque ad concilium Nicænum Romanus pontifex non habuit majorem potestatem, quam alii patriarchæ; sed tunc de voluntate dicti concilii fuit ordinatum, quod dictus Romanus pontifex haberet potestatem super alios patriarchas; quam potestatem habuerunt Romani pontifices usque ad concilium Calcedonense; sed quia in dicto concilio congregato ad instantiam B. Leonis papæ fuit determinatum, quod in Christo erunt duæ naturæ & una persona, Romani pontifices perdiderunt dictam potestatem, & omnes illi qui dicto concilio consenserunt, & ex tunc illa plena potestas ligandi vel solvendi, quam Christus dedit ecclesiæ in persona B. Petri, apud solos Armenos remansit: & hoc etiam Armeni determinaverunt in supradicto concilio Manasgardensi, quod congregatum fuit ibi de mandato cujusdam Sarraceni nepotis Mahometi.*

RESPONSIO. Si ante concilium Nicænum papa Romanus majorem auctoritatem habebat, quam alii patriarchæ, nos huic rei non contradicimus; sed sicut in sancta synodo Nuceri * determinatum fuit, sic discimus, cognoscimus & habemus; & pontifex Romanus major est auctoritate aliis patriarchis, sicut in LXXXIV. diximus. Quod autem dicitur postea in articulo: auctoritatem hanc habuerunt summi pontifices Romani, &c. *usque in finem*, sunt verba rixæ & controversiæ, quæ numquam audivimus.

* Nicæna

Item, Armeni dicunt & tenent, quod post concilium Calcedonense Romanus pontifex non habet plus de potestate super subjectos suos, quam ille pontifex qui præest Nestorianis super Nestorianos, & ille qui præest Græcis super Græcos. Dicunt etiam ulterius, quod papa scit quod potest, & armeni sciunt quod possunt.

RESPONSIO. Hæc nos non dicimus, nec alias audivimus, & maledicimus dicentes, & in LXXXIV. articulo manifestavimus quod papa Romanus major est aliis patriarchis.

Item, quod rex Armenorum interrogavit catholicon minoris Armeniæ, an si papa excommunicaret eum, reputaret se excommunicatum, quod respondit quod non, quia papa nihil habet facere de eo, nec ipse aliquid accepit a papa. Rex tamen dixit, quod si papa mandaret ei, quod dictum catholicon deponeret, ipse deponeret eum.

RESPONSIO. Utrum rex dominum Jacobum, qui tunc erat catholicon, super talia

A interrogavit ignoramus, quia non eramus præsentes; sed quando post mortem regis interrogamus dominum Jacobum, ipse dixit: hæc ignoro.

Item, catholicon Armenorum hoc modo eliguntur, instituuntur & confirmantur, & potestatem pertinentem ad catholicon accipiunt, & deponuntur, & aliter puniuntur: quia catholicon Columbarum & catholicon de Hactamar *viventes eligunt aliquem de genere ipsorum, quem volunt, & postea consecrant eum in catholicon; non tamen utitur hanc potestatem quousque mortuus fuerit ille catholicon qui eum elegit. Postquam autem mortuus est dictus catholicon, primus sequens catholicon vadit ad imperatorem Tartarorum qui est paganus, & ab ipso confirmatur in catholicon, & ut confirmetur in catholicon per eum exigitur ab eo pecunia quam solvere potest: qui modus eligendi & confirmandi catholicon introductus fuit in ecclesia majoris Armeniæ per Saporem regem Persarum paganum, qui colebat ignem, & durat usque nunc. Qua confirmatione facta per dictum regem, idem rex dat litteras suas, quod episcopi & subjecti ei obediant, quia est confirmatus per eum, & quod dent ei certam quantitatem pecuniæ, & postea annuatim alias, & omnes presbyteri ad minus dant ei valorem unius floreni annuatim, & de quolibet foco Christianorum ei subjectorum habet ad* C *minus valorem sex grossorum argenti annuatim, & dictus catholicon dicto regi quolibet anno habet dare certam magnam summam pecuniæ, quam si non daret, vel aliud crimen committeret; dictus rex deponit eum, & secundum qualitatem criminis commissi per eum, punit etiam ad mortem.*

RESPONSIO. Suprascripta communiter vera sunt, exceptis paucis, quoniam quamvis catholicon Alnancensis & archiepiscopus Akchamacensis vadunt ad canem tamquam ad tyrannum, tenentem mundum, & accipiunt confirmationem super potestate temporali & non spirituali, quia canis de spiritualibus Christianorum non curat. Secundo, utrum D Saporius rex Persarum, qui colebat ignem, hoc modo fecerit, sicut scribitur superius, vel non, tunc vero non propter hoc sic fit, quia Saporius sic fecit; sed quia tyranni hujus temporis qui sunt canes sic volunt, quia dominantur in illis partibus, & sicut volunt ita faciunt subditis suis. Tertio, licet episcopi & sacerdotes serviant supradictis catholicon & archiepiscopo, & populares episcopis & sacerdotibus secundum consuetudinem suam; tamen supradicti prælati non possunt vi extorquere pecuniam a populo, nisi a cane accipiant mandatum speciale, & hoc potest esse valde raro. Quarto, quia quamvis supradictus catholicon Alnancensis & archie- E piscopus Aktamecensis heredes sibi eligant, tamen in vita eorum non consecrantur electi, sed post mortem. Sequitur.

Catholicon vero minoris Armeniæ sic fit? quia mortuo catholicon, rex Armeniæ convocat episcopos quos vult, & eligunt tres episcopos minoris Armeniæ in catholicon & præsentant eos regi, qui rex coram quolibet electorum prædictorum flectit genua, & deinde ille de dictis electis, qui plus de pecunia de-

dederit regi, per regem statuitur catholicon, & confirmatur per hoc, quod rex imponit annulum in digito manus ejus, & iste catholicon qui nunc est, dedit pro confirmatione sua dicto regi L. millia grossorum vel valorem ipsorum, & quolibet anno dat ei xx. millia grossorum vel valorem. Dictus autem rex potest deponere dictum catholicon, & aliter punire quando vult; & apud Armenos catholicon, episcopi, & presbyteri nullum ordinem alicui dant, nisi interveniente pecunia, nec chrisma, nec aliquod aliud sacramentum; sed omnia alia talia venalia sunt apud eos.

RESPONSIO. Veritas hæc est, quod, post mortem catholicon, archiepiscopi, episcopi, magistri, abbates & archipresbiteri de mandato regis congregantur, & quilibet horum dat vocem cui vult, scilicet episcopis, magistris, abbatibus & monachis: & voces omnium in scriptis dant regi sub sigillis suis. Si vero plures sunt, rex mandat ut conveniant in duobus vel in tribus; deinde rex cum concilio suo de tribus his elegit unum quem vult, & in die consecrationis rex flexis genibus ponit annulum in digito ejus, osculando manum dexteram, & redit ad locum suum, & tunc accipiunt eum prælati, & consecrant eum secundum consuetudinem catholicatus. Tamen consensus regis in electione catholicon cum argento non fit, ut dicitur in articulo. Sequitur.

Dictus autem rex potest deponere dictum catholicon, & alias punire quando vult.

RESPONSIO. Rex catholicon de jure nec deponere potest, nec punire; sed si aliquod malum fecerit contra canones, illa de causa canones deponunt eum & puniunt; tunc rex congregat episcopos qui elegerunt illum catholicon, & deponit eum & punit; sed de hoc quod in articulo dictum, quod apud eos catholicon, episcopi, & sacerdotes nec ordines, nec crisma, nec aliquod aliud sacramentum dant alicui, nisi interveniente pecunia, falsum est hoc: quamvis aliqui ante & post ordinationem episcopo dant aliquid per modum encœnii secundum quod volunt, & non pretium gratiæ ordinum.

Item, quod imperator majoris Armeniæ quando confirmat dictos catholicon, dicit eis: Eatis & faciatis officium secundum fidem vestram, & mandamus quod possitis benedicere, maledicere, & ligare & solvere secundum fidem vestram, prout vobis videbitur expedire; & volumus quod Christiani qui sunt sub nobis obediant vobis, & si obedire nollent, mandamus quod illi qui præsunt terræ, eos cogant vel puniant, *& de hoc dat eis privilegium.*

RESPONSIO. Hæc nos nescimus utrum ligandi vel solvendi mandatum dent ipsi, nec fit de voluntate nostra vel per canones, nec nos corrigere & dirigere possumus, eo posito, quod sic fieret, sicut dicitur in articulo. Sequitur.

Et eodem modo fit per regem minoris Armeniæ, de catholicon minoris Armeniæ.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quoniam rex ipsi catholicon non dat privilegium, nec auctoritatem ligandi, absolvendi, maledicendi & benedicendi; quia quod non habet, dare non potest: catholicon vero habet auctoritatem hanc de Christo, mediantibus apostolis & eorum sequacibus. Sequitur.

Et rex minoris Armeniæ eligit ipsos episcopos & presbyteros, accepta pecunia ab eis; & postea illos electos in episcopos mittit ad catholicon, ut consecrentur per eum, & presbyteros ad episcopos, ut ordinentur per eos: qui etiam episcopi & presbyteri ordinantur per catholicon & per episcopos pecunia.

RESPONSIO. Episcopi minoris Armeniæ de voluntate regis eliguntur & constituuntur, & causa ista est, quoniam monasteria cum redditibus suis de patrimonio regis sunt, & diœceses episcoporum & monasteria cum reditibus suis mixti sunt simul, qua de causa sine voluntate regis non fit; & si quandoque catholicon electionem putat esse inconvenientem, violenter non facit fieri. De pecunia vero sciendum est, quod non per bonam consuetudinem nec per canones potest fieri. Si vero facit, peccat. Qui nunc de majori Armenia veniunt, cum litteris testimonialibus, catholicon consecrat eos auctoritate sua. Tamen illud quod dicitur de sacerdotibus, quod rex accipit pecuniam, & mittit eos ad episcopos ut consecrentur, omnino falsum & in LXVIII. articulo breviter manifestavimus modum dandi & accipiendi de sacerdotibus: sic fit de episcopis. Sequitur.

Eo autem ipso quod sunt consecrati vel ordinati, a Deo immediate post consecrationem accipiunt potestatem ligandi & solvendi, consimilem illi quam dedit Christus B. Petro apostolo, & tantam potestatem habent presbyteri, sicut episcopi & catholicon.

RESPONSIO. De hoc respondimus in LXXXIV. articulo sufficienter.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod potestas illa quam Christus dedit B. Petro dicendo ei; Quodcumque ligaveris super terram, &c. *Fuit solum data personæ Petri, & pro ipso solo: ita quod hæc potestas non transivit ad aliquem ejus successorem.*

RESPONSIO. In articulo LXXXIV. manifestavimus quomodo successores habent auctoritatem prædecessorum, sicut nos habemus & dicimus, & malum hoc noviter inventum, nullus qui utitur ratione cogitat.

Item, quod Armeni dicunt & tenent, quod generalis potestas super totam ecclesiam Christi non fuit data Petro, nec successoribus ejus a Christo; sed hæc potestas fuit eis data per concilium Nicænum, quam tamen potestatem postea successores Petri perdiderunt.

RESPONSIO. Hæc de novo audivimus; sed nos bene habemus hoc in scriptis quod volumus dicere, quod in prima & secunda synodo Nicæni patres sententiam dederunt, quod ecclesia Romana caput esset aliarum ecclesiarum. Similiter & pontifex Romanus excellentior quam alii pontifices. Igitur nos sic dicimus & habemus non solum, quia in sancta synodo determinatum fuit; sed quia Christus oves suas Petro recommendavit pascere. Illud vero quod dicunt, quia successores Petri auctoritatem perdiderunt. Hæc sunt verba rixæ & non caritatis, nec veritatis; & absit quod talia verba stolida per mentes nostras transierint.

Item

Item, quod apud Armenos non sunt nisi tres ordines, scilicet, acolytatus, diaconatus & presbyteratus.

RESPONSIO. Secundum consuetudinem nostram acolytum vocamus ostiarium, quem facimus sub ista forma; quia in fine orationis ostiario dat episcopus clavem in manu, accedenti, dicendo: *Accipe auctoritatem claudendi & aperiendi portas ecclesiæ sanctæ*, & scindit crines per modum crucis, & in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. Secundo dat candelam in manu ejus, & dicit: *Accipe auctoritatem accendendi lampades sanctæ ecclesiæ*. Tertio dat libros in manu ejus, & dicit: *Accipe auctoritatem legendi libros divinos sanctos novi & veteris testamenti*. Et hæc tria vocamus acolytatus ordinem. Post subdiaconos ordinamus: post orationem & alias orationes, ponit episcopus manum super capita eorum, & in fine induunt vestimenta, & ponunt manipulum in manu sinistra, & istos vocamus subdiaconos & exorcistas, & sic sunt quinque ordines. Ordinem vero diaconatus sic damus: post multas ordinationes & orationes quas dicit episcopus super diaconum juxta altare; deinde convertit episcopus faciem diaconi ad populum, & ambas manus ponit super caput ejus, & astantes sacerdotes ponunt unam manum super humerum, & aliam elevant ad Deum dicendo alta voce episcopus & sacerdotes: *Divina & cœlestis gratia quæ semper imples necessitatem administrationis apostolicæ ecclesiæ, voca talem de subdiaconatu in diaconatum & ad ministrationem sanctæ ecclesiæ secundum testimonium personæ suæ & populi*, & populus dicit ter: *Dignus est*. Deinde convertit eum ad orientem, flectendo genua coram episcopo, & ponit manum super caput ejus dicendo: *Ego ponam manum meam super eum; vos omnes orate, ut dignus sit iste gradum diaconatus incorrupte observare ante sanctum altare Dei*. Post hæc dicit multas orationes & epistolas. In fine vero episcopus ponit stolam super humerum sinistrum dicens: *Accipe mundam & sanctam stolam de manu Domini nostri JESU CHRISTI, & tradidit evangelium in ecclesia Dei ad auscultationem vivorum & memoriam mortuorum*. Deinde tradit thuribulum cum incenso dicens: *Accipe licentiam dare odorem suavitatis ad ministrationem sacramenti Dei*. Quando vero sacerdotem ordinamus, hoc modo facimus post aliquas orationes, quas habet dicere episcopus tenendo manum super caput ejus, convertit eum ad populum, & dicunt: *Divina & cœlestis gratia &c.* Illo modo sicut superius in ordinatione diaconi diximus, & deinde dicit episcopus multas orationes, & legunt multas lectiones & post hæc omnia sacerdos qui noviter ordinatur aperit manus adhærentes ad invicem, & episcopus cum chrismate per modum crucis signat ambas manus ejus, sicut superius diximus, sic dicens: *Tu, Domine magne, sanctitate & benedictione manus istorum & omnia quæ hi benedicent benedic, & quod manus istorum signabunt in nomine tuo confirma, & perfice ut sint confortati per gratiam Domini nostri* Jesu Christi. Post hæc accipit episcopus patenam cum corpore Domini &

A calicem cum sanguine, & dat in manibus eorum dicendo: *Accipe potestatem per gratiam Dei signare & perficere sanctam eucharistiam pro vivis & mortuis*. Deinde ponit episcopus dextram super novos sacerdotes & dicit: *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, descendat super vos, qui perfecti estis in ordine sacerdotali, offerre propositionem corporis & sanguinis Christi Dei nostri pro pace in remissionem peccatorum, populo Dei, cui det gloria, potentia & honor, &c.* Modum & responsionem istorum ordinum dominus Bermundus comes Quiquensis secundum antiquam consuetudinem Armenorum, & secundum novam consuetudinem, quas ecclesia Armenorum impetravit B ab ecclesia Romana a CC. annis citro interpretravit in lingua latina, & misit vobis & demum etiam poteritis videre veritatem. Sciendum quod a prædecessoribus nostris sic pervenit ordo sacerdotis, & ita sic nos fecimus & facimus. Sequitur.

Quod ordines conferunt episcopi promissa vel accepta pecunia.

RESPONSIO. Item istius in LXXXVIII. articulo diximus. Sequitur.

Eodem modo dicit ordines presbyteratus & diaconatus conferunt, scilicet per manus impositionem, dicendo quædam verba, hoc solum mutato, quod in ordinatione diaconi exprimitur ordo diaconatus, & in ordinatione C *presbyteri ordo presbyteratus.*

RESPONSIO. Veritatem sicut habemus supra manifestavimus. Sequitur.

Nullus autem episcopus apud eos potest ordinare alium episcopum, nisi solus catholicon; qui catholicon tenet penes se pontificale ubi continetur modus consecrandi episcopum dictum; qui catholicon nullum in episcopum consecrat, nisi data vel promissa pecunia secundum facultates consecrandi in episcopum vel valorem episcopatus.

RESPONSIO. Verum est quod secundum consuetudinem ecclesiæ catholicon solus consecrat omnes episcopos vel archiepiscopos Armeniorum, astantibus episcopis vel ar- D chiepiscopis, & facimus secundum canones sine pecunia, & episcopi consecrati a catholicon serviunt secundum valorem episcopatus. Sequitur.

Et in majori Armenia consecrantes, episcopos, presbyteros, diacones, vel accolythos in communibus vestibus stant, dum prædicta faciunt, & etiam ordinandi.

RESPONSIO. Quamvis talia prius facta fuerunt, & ab aliquibus paucis & simplicioribus: nunc vero cum sanctis vestimentis communiter faciunt, maxime qui obediunt nobis, & de die in diem quantum possumus corrigimus.

Item, quando aliquis ordinatus est in dia- E *conem, episcopus dat ei licentiam quod contrahat matrimonium cum virgine: quo matrimonio contracto, ministrat in dicto ordine, & potest etiam, stante matrimonio, promoveri in sacerdotem.*

RESPONSIO. Semper apud nos in acolytatus ordine qui volunt sacerdotes sæculares fieri, accipiunt uxores virgines, & deinde subdiaconi & diaconi fiunt, & serviunt in ordine diaconatus, & ideo falsum dicit, quod

Anno Christi 1342.

quod prius diacones fiunt, & deinde uxorem accipiunt. Sequitur.

Si existens diaconus, accipiat secundam uxorem, postea non promovetur ad sacerdotium.

RESPONSIO. Verum est hoc.

Item, in Armenia majori quando aliquis ordinatur in diaconem, non datur liber evangeliorum, nec stola, sub certa forma verborum, nec quando aliquis ordinatur in presbyterum, datur ei calix cum vino, nec patena cum pane sub certa forma verborum, quibus utitur ecclesia Romana, nec inunguntur ejus manus.

RESPONSIO. In majori Armenia episcopi, qui a nobis consecrantur, ita sicut manifestavimus in XCII. articulo: qui vero non obediunt nobis, eos non bene cognoscimus veraciter.

Nec quando aliquis ordinatur in episcopum, ponitur liber evangeliorum in cervice & in spatulis ejus, nec caput nec manus inunguntur ejus chrismate, ut fit in ecclesia Romana. Catholicon etiam majoris Armeniæ soli consecrant episcopos, assistentibus eis aliis episcopis.

RESPONSIO. De minori Armenia ponimus evangelium super spatulas, & ungimus pollicem & caput, sicut in LXV. articulo expressimus, & astant multi episcopi in consecratione. In majori vero Armenia, qui non obediunt nobis, quomodo faciunt, nos nescimus veritatem.

Item, quod catholicon majoris Armeniæ dedit potestatem cuidam presbytero, ut possit ordinare in diaconos quos vellet de subjectis, cum tamen apud Armenos minoris Armeniæ, nullus possit ordinare aliquis in presbyterum & diaconum nisi solus episcopus.

RESPONSIO. Hoc vero falsum est, quia non invenimus aliquem catholicon minoris Armeniæ, qui dederit sacerdoti licentiam diacones ordinare, quoniam apud nos solus episcopus potest diaconos ordinare, & non sacerdos.

Item, catholicon minoris Armeniæ, quando vult consecrare episcopos, induit se vestimentis sacris; ipse tamen solum dictam consecrationem facit, & si aliqui episcopi sint præsentes propter honorem ejus, non consecrant cum eo episcopum; sed solum assistunt in missa, quando celebrat catholicon, sicut cardinales quando papa celebrat, nec tenent librum pontificalem, nec orationes dicunt, quæ dicuntur per episcopos assistentes in consecratione episcoporum.

RESPONSIO. Quamvis catholicon solus dicat orationes consecrationis, tamen episcopi qui assistunt participant cum eo, quia aliqui de assistentibus episc. tenent manus accedentis; & alii evangel. tenent super humeros accedentis, & alii tenent manus super humeros ejus, quando catholicon consecrat et unus episcopus legit evangelium secundum quod convenit, & omnes alta voce dicunt: *Divina & cœlestis gratia, &c.* sicut in ordine diaconatus scripsimus. Ideo verum non est quod dicit, quod nihil faciant episcopi assistentes ei, quamvis episcopi assistentes non habeant librum pontificalem.

Item, quod catholicon Armeniorum conveniunt cum episcopis eis subjectis, qui non per successionem veniunt, ad certam quantitatem pecuniæ ei dandam; quam si non solvunt deponit eos, & consecrat alios episcopos loco ejus, & cum suis litteris scribit populo, quod ipse episcopum primum deposuit & alium constituit, ex quo contigit quod frequenter propter talem causam in uno episcopatu sunt tres vel quatuor episcopi: venientes simul episcopos & depositos per eum iterum restituit ad suos episcopatus, si bene solvant ei pecuniam, de qua cum ipsis convenit.

RESPONSIO. Episcopos non dantes pecuniam raro contigit deponere; tamen multoties quia sunt in subjectione infidelium, non obediunt aliquando catholicon, vel alter alterius episcopatum rapit, vel contrariatur veritati, vel unioni ecclesiæ orthodoxæ, vel quia propter mala merita sua populum scandalizat, et quando vocamus eos, ut veniant ad nos ut corrigantur, ipsi non obediunt, nec veniunt, ideo deponimus eos, et propter tales causas, tales privantur ab episcopatibus suis, et alii in loco eorum substituuntur; tamen episcopus depositus si injuste sit depositus, propter invidiam et falsum testimonium processu temporis examinatione facta et veritate reperta, qui injuste fuit depositus, tunc restituitur ad episcopatum suum. Sequitur.

Illos vero episcopos, qui veniunt per successionem, quando non solvunt ei pecuniam de qua cum eis convenit; dictus catholicon eos excommunicat, nec dat eis chrisma, quousque solvant dictam pecuniam.

RESPONSIO. Quoniam inobedientes reperiuntur episcopi, & censum debitum de jure nostro & consuetudine quam tenentur dare sedi nostræ, & non dant; tunc propter hoc puniendo increpat in spiritualibus, quousque reddiderint censum ecclesiæ debitum.

Item, catholicon minoris Armeniæ tenet penes se ulnam brachii & manum adhuc integram B. Gregorii, qui fuit catholicon, & fuit ordinatus episcopus more ecclesiæ Græcæ; quam ulnam & manum dictus catholicon ponit super caput & manus illorum quos ordinat in episcopos, & dicit, quod si dictæ manus impositio & brachii non fieret super caput & manus illorum, qui per eum ordinantur in episcopos, non essent ordinati in episcopos; quia impositio dicti brachii & manus faciunt consecrationem episcoporum, & propter hoc ipse nullos episcopos ut episcopos recipit, qui ordinati fuerunt per alios catholicon Armeniæ majoris, quod nullus alius catholicon, nisi ipse, dictum brachium & manum Gregorii habeat.

RESPONSIO. Hoc omnino falsum est, quia quamvis dextera B. Gregorii sancti patris nostri, qui fuit successor B. Thadæi apostoli, & convertit gentem Armenorum, cum multis passionibus & miraculis de idololatria ad cultum Dei, ponamus super capita episcoporum signando, tamen non dicimus nec habemus, prout habetur in articulo, quod impositio dicti brachii seu ulnæ faciat consecrationem episcoporum, quoniam patet manifeste falsum; quia secundum hoc sequeretur, quod nullus de aliis episcopis esset episcopus; quos omnes tamen reputamus episcopos, & illos etiam qui de catholicon Alna-

nanenli & archiepiscopo Akathamatensi consecrati sunt, quamvis cum ipsis propter eorum rebellionem non participamus; tamen quando uniunt se ecclesiæ nostræ, recipimus eos ut episcopos.

Item, quod Armeni venientes ad Italiam, dicunt se esse expulsos de episcopatibus suis per Sarracenos, cum tamen hoc verum non sit; & dicunt se esse archiepiscopos, cum tamen in Armenia nullus sit archiepiscopus, ad hoc ut possint pro pecunia vendere religiosis mendicantibus episcopatus; & multi ex eis magnas pecunias exigunt, & multos episcopos taliter fecerunt, & in curia Romana etiam multos ordinaverunt in presbyteros & diaconos sine licentia diœcesanorum, in quorum dioecesi habitabant, & pro pecunia & persecuti sunt & persequuntur illos Armenos, qui secundum ritum ecclesiæ Romanæ baptizabantur, & illos qui fidem Romanæ ecclesiæ tenent: & dicunt quod ecclesia Romana errat; sed episcopi Armeni bonam & rectam fidem tenent.

RESPONSIO. Potest esse quod supradicti episcopi fugientes de tribulationibus veniunt ad vos, ut quiescerent tamquam pueri ad patrem, licet non cum litteris & verbis nostris. Ideo ipsi respondeant pro se ipsis. De hoc vero quod dicunt, quod Armeni non sunt archiepiscopi, falsum est hoc, quia multi archiepiscopi sunt in minori & majori Armenia; quamvis suffraganeos non habeant, quia aliqui episcopatus vacant qui dissipati sunt per infideles, & aliqui de archiepiscopis in majori Armenia episcopatus suffraganeorum suorum rapuerunt; & quia sub potestate infidelium sunt, eos vi dirigere non possumus. Pro persecutione vero Armenorum, qui iterum rebaptizati sunt, sciendum est, quod nos contrarium audivimus ab aliquibus qui appellaverunt ad nos, quod sine mandato papæ condemnaverunt illos qui sunt in monasteriis Armenorum in terra Latinorum, & condemnant & incarcerant, quousque coacti chirographum propria manu dent scriptum, quod non sunt baptizati, & tunc baptizant eos, & persequuntur eos quousque fugiunt de partibus vestris. Notandum quod ipse sibi contrarium dicit, quia in articulo LXXVIII. dicit, quod duo archiepiscopi dubitantes, &c. & nunc dicunt, quod in Armenia nullus sit archiepiscopus: ex quo patet simplicitas & falsitas eorum.

Item, quod apud Armenos nulla est certa forma verborum exprimens consensum matrimonii inter virum & uxorem; immo multi per parentes & amicos coguntur venire ad ecclesiam, ut matrimonium fiat inter eos; & quamvis unus vel ambo dicant, quod nolunt inter se matrimonialiter copulari, tamen matrimonium fit inter eos in facie ecclesiæ.

RESPONSIO. Apud Armenos est forma verborum, quæ consensum matrimonialem manifestant inter virum & uxorem. Igitur primo mediantibus parentibus sponsi & sponsæ loquuntur ad invicem, & si consentiunt, desponsant se mutuo per traditionem annuli; & quando veniunt ad portam ecclesiæ, tunc promittit fidem unus alteri cum talibus verbis: Interrogat sacerdos sponsum, dicendo: *Si talis mulier efficiatur cæca, clauda, leprosa, infirma, dominus es?* quod sonat in lingua Armenica: *Vis accipere eam?* Tunc sponsus respondet: *Dominus sum*, hoc est, consentio in eam. Deinde sponsam interrogat, & ipsa respondet in simili forma, & cetera talia, & in libro quem olim miseramus vobis, invenietis sufficienter super ista materia. Deinde introducit in ecclesiam, & dat benedictionem, & huic respondent, *ad domum*. Et hæc est consuetudo generalis omnium Armenorum. De violentia vero, quam dicit fieri per parentes & amicos, contra voluntatem viri & uxoris, in terra nostra non fit. Si vero accidat in terra infidelium, tunc per episcopos cum excommunicationibus & poena pecuniaria corriguntur & diriguntur.

Item, quod inter Armenos gradus consanguinitatis & affinitatis, qui apud eos pro eodem habentur, observantur usque ad septimum gradum. Si tamen aliqui existentes in tertio gradu & infra inter se matrimonium contrahant, permittuntur stare in tali matrimonio, & non inquietantur super hoc per episcopos.

RESPONSIO. Secundum antiquam consuetudinem gradum consanguinitatis custodiebamus usque ad septimum gradum: nunc vero usque ad quintum gradum observamus; & si infra contrahatur per simplices, diriruntur, & gradum affinitatis usque ad duos vel tres, & non amplius, ut dicunt.

Item, quod apud Armenos, si post matrimonium contractum, & carnali copula subsequuta, & prole suscepta, viro non placeat uxor, vel e converso; ille cui non placet alter conjux vel ambo, si sibi mutuo non placent, vadit vel vadunt ad episcopum seu sacerdotem, & eis data pecunia, secundum quod ad invicem conveniunt, episcopus seu sacerdos separat dictum matrimonium, & licentiam dat alteri nubendi, etiam tum altero conjuge invito, & hoc fit multoties apud Armenos.

RESPONSIO. Hoc nunc non facimus, & si inveniatur qui talia fecerit amplius, secundum præcepta ecclesiæ nostræ, ipsum episcopum dejicimus ab episcopatu suo, & privamus ab executione ordinum, & bona confiscantur ad palatium regis. Et hoc confirmatum est per spiritualem & temporalem curias nostras. Tamen eunuchos & dæmoniacos post spatium septem annorum separamus. In Armenia autem majori adhuc multotiens fit illud quod superius dictum est.

Item, apud Armenos multi sunt qui habent plures uxores simul, quia viri habentes uxores in uno loco, cum se propter mercaturas vel alias transferunt ad alia loca, accipiunt alias uxores in dictis locis, ad quæ se transtulerunt: in locis etiam propriis manentes, multi sunt qui duas uxores viventes simul habent, quarum unam accipiunt post aliam, etiam in facie ecclesiæ talia matrimonia facientes.

RESPONSIO. Plures uxores simul habere non fit apud nos legitime, & non vidimus: tamen uxorem & fornicariam multotiens inlegitime accidit simul habere. Quod de mercatoribus dicit, potest fieri incongrue, & sine lege. Illud etiam quod dicit, quod duas uxores simul viventes matrimonialiter ha-

ANNO CHRISTI 1342.

habent communiter, falsum est, & contra canones: quia Christus non plures, sed dixit: *Duo erunt in carne una*. sequitur.

Spurii etiam apud eos ita succedunt in hereditatem, ac si legitimi essent, & promoventur sine alia dispensatione ad omnes ordines, & ad episcopatum, & etiam ad statum catholicon, sicut de facto est de nepote Zachariæ, qui erat filius concubinæ fratris dicti Zachariæ, qui promotus est in episcopum post patruum suum.

RESPONSIO. Apud nos spurii ad gradum sacerdotii non possunt ascendere, secundum consuetudinem & canones ecclesiæ nostræ, & si contingat, fit contra statuta. De nepote autem dicti domini Zachariæ, de quo dicitur quod est spurius fratris domini Zachariæ, hoc non audiveramus, & cum audivimus & quæsivimus, tunc fuit nobis dictum, quod de licentia domini Johannis fuit factum.

Item, quod cum Armeni dicunt, quod in ipsa unione natura humana in Christo conversa fuit in divinitatem; dicti Armeni dicunt & credunt, quod Christus in judicio, in forma divina apparebit & judicabit, & non in forma humana.

RESPONSIO. In XX. & in XXI. & multis aliis manifestavimus, quod secundum fidem Armenorum, nec humana natura conversa fuit in divinam, nec divina in humanam; sed divina & humana naturæ unitæ fuerunt in uno Christo non confuse & indivisibili unione, & ita falsum imponunt Armenis, & sic necesse non est hoc repetere: tamen de modo & apparitione Christi in judicio, ecclesia Armenorum in symbolo, contra hoc ostendit quod habet & credit, dicens: *Venturus est in corpore ecclesiæ forma hominis & gloria Patris judicare vivos & mortuos*. Ecce forma Dei. Idem & Matthæus dicit: *Venturus Filius hominis in gloria Patris sui*. Et Johannes Apocal. I. *Ecce veniet in nubibus cœli; & videbunt eum omnes oculi & qui vulneraverunt eum*. Quomodo ergo Christus erit in judicio Filius & eodem corpore quod accepit a virgine, & non habebit figuram hominis? quod est valde falsum & phantasticum.

Item, Armeni dicunt & tenent, quod est generale judicium, justi & impii in æternum vivent, quia ex tunc non morientur.

RESPONSIO. Verum est; justi autem in gloria, & impii in poenis. Sequitur.

Dicunt tamen, quod ex justis hominibus aliqui ibunt in paradisum coelestem post judicium, & alii in paradisum terrestrem, & alii in terram istam, ut supra dictum est, in quibus locis nullam poenam sustinebunt.

RESPONSIO. Quamvis invenitur quod aliqui putaverint hoc, tamen opinio ista non capitur a nobis, quoniam nos recepimus & credimus, ut Christus dicit, quod justi ibunt in vitam æternam, & peccatores ad poenas æternas. Sequitur.

Dicunt tamen, quod vita æterna etiam in illis qui ibunt in paradisum coelestem, non consistit in Dei visione faciali & fruitione; quia Dei essentia a nulla creatura umquam videbitur, sed solummodo claritas ejus.

RESPONSIO. In VIII. articulo sufficienter ad hæc fuit responsum.

Item, quidam catholicon, Armenorum scripsit & dixit, quod in generali resurrectione cum corporibus suis omnes homines resurgent.

RESPONSIO. Verum est. Sequitur.

Sed tamen in corporibus eorum non erit sexuum discretio, quia si talis discretio sexuum esset inter eos, tunc viri ducerent uxores, & mulieres nuberent, cujus contrarium Dominus dixit: sed resurgent viri & mulieres cum corporibus suis in alia forma, in qua non erit sexuum discretio.

RESPONSIO. Sicut audivimus & didicimus a sancto evangelio, quando resurgent omnes in resurrectione generali cum propriis corporibus suis, nec viri uxores accipient, nec mulieres viros; sed erunt ut angeli, qui in cœlis sunt; & ita credimus et habemus, quoniam post resurrectionem generatio non erit, tamen quod cum sexu virili & femineo resurgendi sunt, de hoc communiter ab ecclesia Romana certificati sumus et placet, et contrarium non recipimus, quamvis apud nos inveniatur opinio nunc dicta in articulo.

Item, Armeni tenent, quod si aliquis sit in periculo moriendi, & non habeat tempus recipiendi communionem, quod faciunt crucem cum manu in terra, & de quolibet brachio dictæ crucis accipiunt modicum de terra & comedunt, & hæc comestio terræ habetur per eos pro communione.

RESPONSIO. Hæc sunt phantasiæ vetularum et simplicium, et responsionis non digna quoniam non quicquid vetulæ quandoque dicunt, apud nos est lex; quia hoc anno in terra nostra plus quam decem millia Christianorum a gladio infidelium occisi sunt, & numquam ab aliquo audivimus, quod aliquis cum terra communicatus fuerit.

Item, quod aliqui magni homines Armeni laicis dixerunt, quod sicut bestiæ in morte exspirant, & sic moriuntur: ita & homines: & sicut bestiæ cum semel mortuæ fuerint, numquam resurgent: ita nec homines postquam mortui fuerint, resurgent.

RESPONSIO. In terra nostra per gratiam Dei tales hæretici non inveniuntur, sicut ipsi dicunt: tamen si in majori Armenia inveniantur, ignoramus, et talia alia non audivimus, excepto de quibusdam hæreticis, qui sunt in majori Armenia in contrata Manasguer, et vocantur filii solis, et quamvis ipsi haberent in majori Armenia, et loquantur Armenice, tamen Armeni non sunt; sed colunt solem, et sunt infideles manifesti, et operantur multas alias turpitudines, quas propter prolixitatem transimus.

Apud Armenos nullus punitur de quocumque errore quem teneat.

RESPONSIO. Falsum est hoc, quia multi puniuntur de erroribus spiritualibus, et de malis corporalibus, quantum convenit et possibile est secundum conditiones temporum.

Item, apud Armenos sunt multi alii errores a prædictis, qui errores continentur in infrascriptis libris Armenorum quorum primus intitulatur Tonapachaz *, *id est contra festivitates quas ecclesia Romana celebrat & Græ-*

* al. Tonphacen.

Græca. Secundus liber vocatur Anadoarmat, id est Radix fidei. Tertius liber vocatur Johannes Mandagonensis. Quartus liber vocatur Johannes Offinensis. Quintus liber vocatur Myastosuruy * id est unius locutionis. Sextus vocatur Michael Patriarchæ Antiocheni. Septimus vocatur Paulus Taronensis. Octavus intitulatur Occenensis. * Nonus vocatur Matthæus. Decimus vocatur Canonum apostolorum, in quo continentur omnes errores Armenorum. Undecimus dicitur Sergium. Duodecimus dicitur Marocha a nomine magistri, qui sic vocabatur, in quo libro exponuntur evangelia. Decimus tertius dicitur Vanam in quo exponitur evangelium Johannis. Decimus quartus dicitur Ignadius, in quo exponitur evangelium Lucæ. Decimus quintus vocatur Guanazan, id est liber virgarum: Decimus sextus vocatur Neginus Pataraquin, in quo exponitur missa. Decimus septimus vocatur Teytorgunt * id est liber epularum. D cimus octavus vocatur Aismavort *, id est martyrologium, & quod sunt plures alii libri Armenorum in quibus multi continentur errores.

(l. Mya-furum. — l. Octa-nsis — l. Tex-quire. — l. Ais-nore, est, rtyro-ium.)

RESPONSIO. Sciendum est quod de super scriptis libris sunt aliqui quos nescimus, et sunt isti primus. Toctanensis, secundus Mathæus, tertius, Miascosurus, libri vero quos audivimus et vidimus et qui sunt spernendi et reprobandi, nec a nobis recipiuntur, sunt Johannes Offinensis, Mandagonensis, Paulus Taronensis, Marucha, Michaeli; sed libri qui sunt in ecclesia Armenorum approbati & acceptabiles in parte non sunt isti Tonapachar, Hanadoarmat idest radix fidei canones apostolorum, liber Sergium, Vanam, Ignadius, Guanazam, Aysyganot, Pataraquin, Mehging, id est expositio missæ, in istis, quando inveniuntur aliqua, quæ contra veritatem sunt & unionem nostram cum ecclesia Romana, sed vel de una natura, vel de aqua in sacrificio, vel de festo nativitatis, vel de synodo Calcedonensi, & si quæ similia, de quibus ad præsens non recordamur, illa spernimus, reprobamus, nec recipimus.

Item, dicunt Armeni quod Christus non deposuit superflua naturæ, & ut dicunt, causa est quia corruptio talium superfluitatum est peccatorum gravatio *, & quia Christus peccata non fecit, ideo non dominabatur sibi talis corruptio.

(l. generatio.)

RESPONSIO. Opinio ista comuniter invenibatur inter Armenos; tamen ex tunc quod uniti fuimus cum ecclesia Romana particulariter et non generaliter invenitur tale dictum, maxime nos volumus sequi intellectum vestrum super hoc verbo.

Item, dicunt quod licet Christus fuit circumcisus secundum legem, non tamen sibi fuit amputatum præputium, quia non licebat a Deificato corpore aliquid amputari, & maxime quia sic fuerat ordinatum, quod primogenitus circumcideretur, findendo pellem præputii, & nihil amovendo, & Christus fuit primogenitus.

RESPONSIO. Quamvis inveniatur in dictis aliquorum sicut scriptum est in articulo, tamen nos sic dicimus, et credimus sicut in evangelio dicitur, quod Christus octava die

A fuit circumcisus secundum legem Moysi, et vocatum fuit nomen ejus JESUS, et in honorem et memoriam ejus omni anno festum facimus solemniter; & opinio proposita in articulo a nobis non recipitur.

Item, dicunt quod Deus propter amorem hominis victus fuit, quia in suis comminationibus non fuit inventus verax; sed semipartialis; quia dixerat homini quod moreretur, si manducaret lignum vetitum; & tamen non fuit totaliter mortuus post commestionem fructus, quia anima numquam fuit mortua, iterum etiam nec in corpore fuit mortuus usque ad nongentesimum trigesimum annum. Iterum quia animalia omnia non revellaverunt sibi, sed necessaria in ejus servitio remanserunt.

B RESPONSIO. Si opinio ista inveniatur ab aliquo dicta, ad nos tamen non pervenit, nec tale quid alias audivimus, quia nos naturam divinam & incommutabilem credimus & scimus, & Deum in verbis suis ineffabilem & veracem scimus & credimus, quoniam sicut dicit Deus Adæ, quod in die qua comedes morte morieris, & sic factum est, & ex tunc sub potentia mortis cecidit, & perdidit gloriam paradisi, & post tempora mortuus fuit corpore, & animalia etiam post transgressionem Adæ non sic obedierunt Adæ & filiis ejus, sicut ante faciebant ante transgressionem mandati Dei.

Item, dicunt, quod signum posuit Deus C non occidendi Cain, & ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit; sed ipse de præcipiti se submisit: ex quo innuunt scripturam Genesis quoad hoc esse falsam, quæ videtur dicere, quod Lamech interfecit Cain.

RESPONSIO. Si supradicta opinio invenietur in dictis alicujus stulti, tamen apud nos sic non invenitur, quoniam in biblia nostra, & in libris qui leguntur in scholis invenimus, quod Lamech interfecit Cain. Sicut Genes. 4. dicitur: Audite uxores Lamech vocem meam, & auribus percipite, quoniam occidi virum. (a)

Item, quia, cum rex Armenorum vocatus D Ethon, ut Armeni unirentur ecclesiæ Romanæ, congregasset omnes episcopos Armeniæ & magistros, & catholicon, ut disputarent cum legato misso ei per Romanam ecclesiam; & facta dicta disputatione, cognovisset dictus rex, quod veritatem tenebat sancta Romana ecclesia, & quod Armeni errantes errant a veritate, ex tunc reges minoris Armeniæ tenent fidem Romanæ ecclesiæ; sed episcopi, magistri & principes Armenorum non fuerunt de hoc contenti; & post recessum dicti legati, quidam magister dictus Varcham de Nigromonte (b) composuit unum librum vocatum de Risma contra papam, & suum legatum, & contra ecclesiam Romanam, in quo vocant E papam Romanum superbum Pharaonem cum suis subditis in mari hæresum submersos, & legatum ejus ambassiatorem Pharaonis fuisse reversum cum maxima verecundia. Et dixit quod ecclesia Romana erat multum decepta, quia nativitatem & aquam a maledicto Archomano recepit, & multas alias blasphemias scripsit, qui magnus est, & multi magistri Armenorum & episcopi & presbyteri dictum librum habent, & honorant tamquam canones apostolorum.

(a) Hic desideratur unus articulus de catholic. quem rex petentibus duobus episcopis deponere recusavit.

(b) In responsione j legitur Nigro-ponte.

ANNO CHRISTI 1342.

RESPONSIO. Invenimus quod in diebus magni Ethimy regis venit legatus a papa pro unione, & rex recepit eum caritative, & dictum legatum misit in Hormengela ad dominum Constantinum catholicon; & ipse etiam cum caritate & honore recepit eum, & in tempore illo erat in Nigro-ponte supradictus *Varchan*, vir ignotus & amator rixæ, qui scripsit aliqua verba insipida, erronea, & inordinata contra verba legati, quæ non placuerunt regi, nec catholicon, & sunt valde reprehensibilia apud nos, & ubicumque inveniuntur igne comburuntur.

Item, quod Armeni non habent omnino veram fidem quam tenet ecclesia Romana, nec sacramenta, blasphemantque ecclesiam Romanam & papam & cardinales, dicentes esse hæreticos; & quod catholicon minoris Armeniæ dixit quod papa & omnes cardinales qualibet die plures quam ipsi haberent capillos in capite, faciunt homines occidere: & licet prædicent quod simonia non sit committenda, ipsi tamen sine labe simoniæ nullas gratias faciunt, & paucissimi sunt homines in majori Armenia præter regem & nobiles, qui teneant fidem veram Romanæ ecclesiæ.

RESPONSIO. Mentiuntur, Armeni namque habent fidem veram, quam receperunt a sancta catholica & apostolica ecclesia per sanctum Gregorium illuminatorem, & hæc est, *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium & invisibilium, & unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, a Deo Patre genitum, scilicet ex essentia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, eumdem ipsum de natura Patris, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, incarnatus est, humanatus est, natus est perfecte ex Maria Virgine per Spiritum sanctum, per quem accepit corpus, animam, mentem & omnia quæ veraciter sunt in homine, indubitanter passus est, crucifixus est, sepultus est, tertia die resurrexit, ascendit in* A *cœlum, sedet ad dexteram Patris, venturus est eodem corpore & gloria Patris judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum, increatum & perfectum, qui ex Patre Filioque emanat, qui cum Patre & Filio adoratur & glorificatur, qui locutus est per prophetas in lege & in prophetis & in evangelio. Qui descendit in Jordanem, prædicavit in apostolis, & habitavit in sanctis: credit in his sola universalis & apostolica ecclesia, in unum baptisma pœnitentiæ in propitiationem & remissionem peccatorum & in resurrectionem mortuorum, in judicium æternale animarum & corporum, in regnum cœlorum & in vitam æternam.* B Qui vero dicunt de eo, quod erat quandoque quando non erat Filius, vel erat quandoque quando non erat Spiritus-sanctus, vel de nihilo factus vel de alia essentia vel substantia dicunt esse increatum * Filium Dei vel Spiritum sanctum, vel alterabilem, vel mutabilem, talia dicentes anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Nos vero glorificemus illum qui est ante sæcula, adorando sanctam Trinitatem & unam Deitatem. Sciendum est quod quamvis primo Spiritum sanctum in symbolo a Patre solum dicebamus emanare, tamen ex tunc quod uniti fuimus cum ecclesia Romana, a Patre & Filio dicimus. Similiter habent Armeni & sacramenta sancta, quo- C rum quodlibet in loco suo superius manifestavimus, & in LXVII. articulo, & omnia in uno loco breviter diximus, sicut habemus & docemus; idem replicare necesse non est. Sequitur.

* f. creatum.

Blasphemant sanctam Romanam ecclesiam & papam, & cardinales, dicentes eos esse hæreticos.

RESPONSIO. Omnino hoc falsum est, quia si nos tales malas opiniones haberemus de vobis, non fuissemus uniti vobiscum in confessione fidei orthodoxæ, & eo quod hoc dicit, anathematizatum sit. Ista etiam interrogavimus de illo qui tunc temporis catholicon erat, & ipse respondit: ignoro, amen.

CON-

CONCILIUM PROVINCIALE ROTHOMAGENSE

Anno 1342. celebratum.

MS. . Aqui- ct. af- t Mart. t. Mon. VII. p. 4. — Johan- *Haut-* *te.* Ayme- i, qui lem an. it. Guil- nus *uger.* Guill. Caro- nte. Guill. Robert. *Bruco-* Guill. *Ebie-* *e.*

GUillelmus miseratione divina episcopus Bajocensis, dilectis nobis in Christo filiis capitulo ecclesiæ nostræ Bajocensis, salutem in Domino. Cum in concilio provinciali nuper in capella archiepiscopali Rothomagensi, gratia Spiritus-sancti prævia, celebrato, statutum novum editum fuerit sub hac forma. Quoniam secundum canonicas sanctiones pro reformandis moribus, & excessibus corrigendis concilia provincialia sint a singulis metropolitanis cum suis suffraganeis celebranda, idcirco nos J. (*a*) miseratione divina Abrincensis episcopus, vi specialis commissi vices gerentes reverendi patris, ac domini domini Ay. (*b*) Dei gratia Rothomagensis archiepiscopi absentis, et nomine nostro, & G. (*c*) Sagiensis, ac G. (*d*) Lexoviensis personaliter, nec non & G. (*e*) Bajocensis, R. (*f*) Ebroicensis, ac G. (*g*) Constantiensis episcopi per procuratores ad hoc idoneos constituti in provinciali concilio, in capella archiepiscopali Rothomagensi insimul congregati, & inibi sacrum concilium provinciale celebrantes, vocatis etiam ad dictum concilium abbatibus, prioribus conventualibus, et capitulis tam cathedralium quam aliarum collegiatarum, ac conventibus sæcularium et regularium ecclesiarum et monasteriorum provinciæ Rothomagensis, et per se vel per procuratores præsentibus in concilio memorato pro corrigendis excessibus, præsertim in personis ecclesiasticis perpetrandis, et moribus, quantum in nobis est, reformandis, salva semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, post multas deliberationes præhabitas, præfato approbante concilio, consensu unanimi statuimus infrascripta.

Quoniam multis grassantibus (vitiis) opus est exemplo, ut poena unius metus sit multorum, et meta præsumtionis existat. Et quia experientia docuit in Rothomagensi provincia fuisse et esse quamplures suæ salutis immemores et oblitos, ac nomen Domini recipientes in vanum, qui perhorrenda inhumanitate, detestandaque sævitia, nonnullas personas etiam ecclesiasticas diffidarunt, et earum vitæ pararunt insidias, domosque ipsarum invaserunt, necnon et ipsas personas ecclesiasticas impediverunt, et eisdem impedimentum præstiterunt, et etiam procuraverunt, quominus pacifice, libere et secure ad ecclesias et alia loca incedere possent, et a suis exire domibus, pro libito voluntatis, eisdemque quamplurimas irrogarunt injurias, ac ipsas fuerunt hostiliter insecuti, et in futurum pejora contingere verisimiliter formidantur, nisi celeriter occurratur. Quapropter nos volentes tot et tantis consimilibus excessibus ac malis exemplis et animarum periculis obviare, sacro approbante concilio, provida deliberatione statuimus, quod si quis in provincia Rothomagensi de cetero aliquam personam ecclesiasticam, cujuscumque status aut ordinis existat, diffidaverit, vel paraverit insidias, quamvis mors, vulneratio vel percussio secuta non fuerit, vel domos ipsas invaserit, vel eam impediverit indebite, aut eidem impedimentum dederit, vel procuraverit, quominus libere, pacifice et secure ad ecclesias et alia loca incedere valeat, et a suis exire domibus pro libito voluntatis, aut alias ipsos fuerit hostiliter insecutus, vel præmissa, aut aliquid præmissorum fieri mandaverit, vel nomine suo facta rata habuerit, aut facienti auxilium, consilium aut favorem impenderit, seu facientes vel mandantes scienter receptaverit; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua absolvi valeat a dioecesano loci, quo dictum facinus fuerit perpetratum et non ab alio, præterquam in mortis articulo, nisi super hoc a dicto dioecesano mandatum habeat speciale, satisfacto tamen primitus diffidato, seu insidiato, arbitrio dioecesani loci, in quo præmissa, aut aliquid præmissorum fuerit perpetratum, et tam diffidator, quam alii quivis supradicti sic excommunicati, quamdiu in sua perduraverint contumacia, singulis Dominicis diebus et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes illius dioecesis ecclesias, in quo præmissa vel aliquod præmissorum fuerit perpetratum, necnon civitates dioeceseon vicinarum ad mandatum dioecesani excommunicati publice nuntientur. Poenas vero supradictas extendi volumus ad eos, qui diffidationes jam factas, vel aliquod præmissorum de cetero prosequentur. Et ne quis prætextu ignorantiæ a poena hujusmodi statuti se valeat excusare, statuimus et ordinamus, quatenus præsens statutum in singulis synodis et decanorum calendis, ac etiam in parochialibus ecclesiis ad minus ter annis singulis publicetur. Ejusdem auctoritate concilii vobis districte præcipiendo mandamus, quatenus dictum statutum in nostra Bajocensi ecclesia prædicta, palam, publice et solemniter, ad hoc facto silentio, publicari curretis et mandetis per omnes ecclesias vobis, capitulo, seu singularibus dignitatibus aut præbendis subjectas modo simili publicari, juxta dicti statuti continentiam et tenorem, ita quod non possitis aut debeatis de inobedientia aut negligentia reprehendi. Datum sub sigillo nostro, anno Domini MCCCXLII. die XIV. mensis Decembris.

SY-

SYNODUS IN GRÆCIA

Pro deponendo e Sede Monembasiæ Isidoro episcopo quorumdam criminum reo Anno 1344. habita.

Añ. 1344. ISidorum ex monacho episcopum suum Monembasiotæ rerum magnorum criminum postulabant apud summos ecclesiæ Græcæ Hierarchas. Ad ea cognoscenda coacta est synodus, in qua convictus episcopus depositionis sententiam tulit; synodi sententiam Tomum Græci appellant, hanc nactus est in MS. Codice Allatius exhibuitque in Differt. II. B de libris ecclesiasticis Græcorum ex quo hic datur.

Verba facta sunt de sanctissimæ Metropolitanæ Monembasiensis ecclesiæ Hieromonacho Isidoro, eum scilicet nonnullos ex clero ejusdem ecclesiæ ad ecclesiastica officia promovisse: cum vero ipsius commemoratio haberetur, quemadmodum haberi solet, & leges præscribunt, præsulum commemoratio post ordinationem nulla se correctione meliorem reddidit, postquam id cognovit. Simul etiam dictum est, erga Imperialem sublimitatem puram ipsum non colere benevolentiam, rebellioni recenti, ac tyranni plurimum addictissimum. Hinc fit, nullam ipsi concedi curam, vel C *sollicitudinem Urbis hujuscemodi, & tot terrarum, neque munus pontificium. Ulterius dictum est eum eadem atque Palamas sentire, fovereque, qui rebellat Ecclesiæ, & sanctorum Patrum traditionibus non inhæret, immo pessime nonnulla ex promulgato Tomo de disputatione inter ipsum & Barlaam accipit, & ad propriam attrahit, præter traditionem, & communem sensum ecclesiæ Christi, cum terribilis excommunicatio per hunc tomum adversus eum prolata fuisset, ne inposterum loqueretur, neque simile aliquid scripto traderet. Ideoque turbas in ecclesia Dei movet, & tali pondere neglecto, ipse eosdem conatus fovet, & rursus eadem audet. Cum hoc itaque una sentiens Hypopsephius prohibitus sit primum ne sacra celebraret, cum vero neque ab eo sejungi voluerit, neque professionem edere, quod sententias Palmæ non probat. His discussis, & quid opus factu esset inquirentibus nobis determinatum, ac plena synodo constitutum est, hunc ita se habentem non esse, neque ad sacerdotium, neque ad Pontificatum admittendum, etenim qui ante pontificatum, quæ ad Pontifices spectabant molitus est, & tyrannidem affectantibus se conjunxit, iisque qui proprias opiniones pertinaciter propugnant, adhæsit, & eos, qui ab ecclesia discesserant, excepit, hic jure & merito, neque ad Pontificatus solium pervenire permittetur. Manu Patriarchæ per literas cærulei coloris subscriptum erat, mense novemb. indict. 13. Ignatius miseratione divina patriarcha Thepolitanus, magnæ Antiochiæ, & totius Orientis.*

LUDOVICI IV. BAVARI

Imperatoris submissio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV. die XVI. mensis Januarii per Humbertum Dalphinum Viennensem & alios ejusdem Ludovici Ambasiatores.

An. 1344. Extat ap. Baluz. Misc. t. II. pag. 272. IN Nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejusdem MCCCXLIIII. Ind. XII. die XVI. mensis Januarii, pontificatus sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Clementis divina providente clementia papæ sexti anno secundo, in consistorio publico, in quo fuere præsentes reverendi patres domini miseratione divina, Petrus Penestrinus, Bertrandus Ostiensis, Gaucelinus Albanensis, Johannes Portuensis, Annibaldus Tusculanus, Petrus Sabinensis episcopi, Imbertus tituli basilicæ XII. apostolorum, Talayrandus tituli sancti Petri ad Vincula, Petrus tituli sancti Clementis, Gotius tituli sanctæ Prisciæ, Bertrandus tituli sancti Marci, Bernardus tituli sancti Cyriaci in Thermis, Guillelmus sanctorum quatuor coronatorum, Guillelmus tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Helias tituli sancti Vitalis, Guido tituli sanctæ Cæciliæ, Stephanus tituli sanctorum Johannis & Pauli, Hugo tituli sancti Laurentii in Damaso, Ademarus tituli sanctæ Anastasiæ presbyteri, ac Raymundus sanctæ Mariæ Novæ, Galhardus sanctæ Luciæ, Johannes sancti Angeli, Bertrandus sancti Eustachii, & Guillelmus sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinales, præsentibus etiam venerabilibus patribus fratre Petro Jerosolymitanensi, & fratre D Geraldo Antiochensi Patriarchis, ac dominis Gasberto Narbonensi, Orchelyo Salzeburgensi archiepiscopis, Johanne Belvacensi, Petro Claromontensi, Stephano Cassinensi, Guillelmo Forojuliensi, Raymundo Morinensi, Beltramino Bononiensi, Angelo Grossetano, Bernardo Oscensi, Guidone Tutellensi, fratre Petro Grassensi episcopis, Gasfredo Lausanensi, Nicolao Lemonicensi, Agapito Lunensi electis, Bernardo Stephani, Raymundo de Valle, Guidone de Calma, & Francisco de Ursinis domini papæ notariis, & discretis viris dominis Guillelmo de Norwico, Johanne de Blandiaco, Amanevo de Mota, Bernardo de Novodomuno, Petro Alamandi, Bernardo Hugo- E nis de Cardalhaco Auditoribus sacri palatii Apostolici, Guillelmo de Posterela, Petrovillaris fratre Petro Basterii, Hugone de Arpajone, Jacobo de Placentia, Galhardo Nigri domini papæ cappellanis, Carlino de Madalbertis de Cremona, Blasio de Senis, Francisco de Lanceo, Henrico de Ast, Francisco de Aquila, Jacobo de Mediolano in Romana curia Advocatis ac Guillelmo de Bos,

ANNO CHRISTI 1344.

Bos, Johanne de Amelio, Michaele Ricomanni, & Bertrando de Chiannaco clericis camere dicti domni nostri papæ, & notariis publicis infrascriptis, & alia Prælatorum & personarum ecclesiasticarum & secularium multitudine copiosa, personaliter constituti magnificus & potens vir Dominus Humbertus Dalphinus Viennensis, ac venerabiles viri Domini Marquardus de Randegg Juris canonici professor, electus de Præpositus Bambergensis, Eberhardus de Tuminaroe Præpositus Augluftensis ecclesiarum, & Viricus de Augusta Protonotarius, Ambasiatores, nuncii, & procuratores magnifici viri Domini Ludovvici de Bavaria, qui se regem Romanum nominat, facta per dictum dominum Marquardum quadam propositione verbali, in qua multa mala & excessus, crimina & delicta, quæ commiserat idem Ludovvicus contra sanctam Romanam Ecclesiam tempore sanctæ memoriæ Domini Johannis Papæ XXII. in persona ipsius Domini Johannis & contra unitatem & libertatem ecclesiæ sacrosanctæ, & quasi omnia contenta in quodam procuratorio, de quo infra fit mentio, verbo narravit, vice & nomine ipsius Domini Ludovvici de Bavaria exhibuerunt & produxerunt quandam litteram quam dicebant esse procuratorium dicti Ludovvici, scriptam & signatam, ut prima facie videbatur, manu & signo Ottonis Amelders de Vinezman clerici Bambergensis dioecesis & Romarii Hormelin clerici constantiensis dioecesis publicorum auctoritate sedis apostolicæ Notariorum, & sigillatam impendenti quodam sigillo rotundo in cera crocea, in quo in medio sculpta erat quædam imago hominis habentis infulam in capite suo, sedentis inter duas aquilas, habentis sub pedibus ejus duos leones, & tenentis in manu dextra quoddam sceptrum & in manu sinistra quoddam pomum rotundum, in cujus circumferentiæ hæ litteræ legebantur: *Ludovicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus*. Et a tergo dicti sigilli erat quædam impressio alterius parvi sigilli, in qua erat sculpta quædam aquila, & in circumferentia ipsius eæ litteræ legebantur: *Juste judicate filii hominum*. Quæ quidem littera de ipsius domini nostri papæ mandato ibidem publice lecta fuit; ipsaque ex integro lecta, supranominati ambassiatores, nuntii, & procuratores, habentes ut dixerunt, inter cetera a dicto Domino Ludovico de Bavaria plenam & liberam potestatem & speciale mandatum, prout ex forma dicti procuratorii, cujus tenor describetur inferius, constare dixerunt, ponendi & submittendi dictum Dominum Ludovicum de Bavaria, res, statum, velle & nolle, nihil sibi proprii arbitrii retinendo, absolute & liberaliter in manibus dicti domini nostri papæ, ejusque dispositioni & ordinationi ipsius Domini Ludovvici de Bavaria personam, res, statum, velle & nolle, nihil sibi proprii arbitrii retinendo, pro malis & excessibus, delictis, & criminibus contra dictum Dominum Johannem, ecclesiam Romanam & etiam universalem commissis, & contra unitatem & libertatem ejusdem ecclesiæ sacrosanctæ. Et pro emenda & satisfactione omnium præmissorum facienda eidem Ecclesiæ sacrosanctæ, prout habent, ut præfertur a dicto Domino Ludovvico in mandatis, ex deliberato proposito & spontanea voluntate, licet per dictum dominum nostrum papam, facta prius aliquali collatione juxta exigentiam agendorum, semel & pluries dicti Ambasiatores, nuntii & procuratores exhortati fuissent, quod in tanto negotio priusquam facerent, viderent & deliberarent quid circa præmissa essent acturi, & quod nollent fictive aliquid agere & verbis solum dicere & non realiter, & facto quæ dicebant attendere, quia Deus, cujus vices tenet in terris Ecclesia, irrideri non potest, & quod non crederent quod ipse indiscretam remissionem faceret, licet misericordiam non negaret, plena deliberatione iterum habita inter eos absolute & liberaliter ipsum dominum Ludovvicum, scilicet personam, statum, res, & bona ipsius, posuerunt in manibus præfati domini nostri papæ, ipsumque & alia supradicta & ejus ordinationi & dispositioni pro omnibus supradictis excessibus & emenda & satisfactione fiendis pro eis & omnibus in littera procuratoria infrascripta contentis totaliter submiserunt. Et ad prædictorum majoris roboris firmitatem supranominati Ambassiatores, nuntii, & procuratores, & ipsorum quilibet, juraverunt tactis sacrosanctis evangeliis in animam ipsius Domini Ludovvici prædicta omnia & singula posita, ut præfertur, & submissa attendere & complere & effectualiter observare quicquid dictus Dominus noster super prædictis duxerit ordinandum, & non contra facere vel venire per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione seu causa. Et ibidem dictus dominus noster Papa, audita dictorum Ambassiatorum, nuntiorum, & procuratorum propositione & submissione, & aliis per ipsos dictis factis, & juratis, humilique petitione & supplicatione ipsorum tam super expressatis superius quam aliis in dicto procuratorio contentis, multarum animarum periculis, quæ propter dictum dominum Ludovvicum & perpetrata per eum sunt diversis poenis & sententiis involutæ. Affectu paterno compatiens, hujusmodi positionem, summissionem, personæ ipsius D. Ludovvici de Bavaria, rerum, status, abdicationem proprii arbitrii ipsius in se misericorditer & gratiose recipiens dixit & protestatus fuit, quod licet quantum ad relaxationem processuum contra ipsum dominum Ludovvicum factorum, & poenarum quas propter præmissa incurrerat, intenderet misericorditer agere cum eodem, quantum sibi cum honore ecclesiæ videretur, indiscretam tamen remissionem facere nullatenus intendebat. De quibus omnibus & singulis dictus Dominus noster mandavit, & ipsi Ambassiatores, nuntii, & procuratores requisiverunt, per nos Notarios infrascriptos & nostrum quemlibet fieri unum, duo, & plura publica instrumenta. Actum &c.

CON-

CONCILIUM PRAGENSE

Ab Ernesto archiepiscopo I.

Anno circiter 1346. habitum.

An. 1346. Ex Lunig. Cont. III. pag. 131.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S., Amen, Ernestus Dei & apostolicæ Sedis gratia, S. Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, universis prælatis, capitulis, conventibus, plebanis, ecclesiarum rectoribus, & clero & clericis, ac cæteris Christi fidelibus, tam religiosis, quam sæcularibus, per Pragensem civitatem, & diœcesem & provinciam constitutis in omnium Salvatore salutem, & præsentium observantiam, frequenti lectionis studio salutarem. Rex magnificus, qui facit mirabilia magna solus suæ munificentiæ sinum aperiens, nuper nostram Pragensem ecclesiam, per sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum, dominum Clementem papam VI., ad preces & solertem instantiam serenissimi principis & Domini nostri, domini Caroli, tunc Marchionis Moraviæ, nunc vero Romanorum & Boemiæ regis in Metropolitanam erexit, & archiepiscopalis dignitatis titulo insignivit. Nosque super solium pastoralis præeminentiæ ipsius Pragensis ecclesiæ, licet immeritos, sua tamen ac ipsius sedis apostolicæ dignatione locavit. Idcirco ea injuncti nobis officii debito in hujus novitatis primordio subditorum utilitati providere volentes, summam aliquorum canonum & constitutionum provincialium ecclesiæ Moguntinæ, quæ olim in nostra provincia tenebantur, ac etiam statutorum synodalium per nos & nostros prædecessores editorum, quas constitutiones pro morum correctione & decisione, causarum & casuum frequentius occurrentium magis utilis, & transgressoribus periculosiores judicavimus, & unanimi consilio & assensu suffraganeorum, capitulorum, conventuum, omniumque prælatorum, personatus dignitates, vel officia ecclesiastica regentium, cæterorumque subditorum nostrorum, quocumque nomine censeantur, plano & brevi stylo, ut facilius commendari possent memoriæ, in unum libellum duximus redigendas, quem & nullum alium pro constitutionibus provincialibus reputari volumus, & haberi. Omnes alias constitutiones provinciales ecclesiæ Moguntinæ, quoad totam nostram provinciam, & omnia statuta synodalia a prædecessoribus nostris, vel a nobis usque in præsens edita, quo ad nostram dioecesem præsentibus non insertas, & inserta irritantes, imo irritas & irrita nunciantes, & omni carere decernimus roboris firmitate. Ut autem constitutiones ipsæ ad singulorum perveniant notitiam clariorem venerabilibus fratribus episcopis nostris in virtute S. obedientiæ districte precipiendo mandamus, quatenus ipsas mox sibi scribi faciant & procurent, ac singulis annis, cum suas synodos celebrant, clero suo eorundem studium, observantiam studiosius recommendent. Cathedralium vero & collegiatarum ecclesiarum capitula habeant earumdem constitutionum duo paria, unum sub sigillo nostro, quod in sacristia servent, aliud quod in ecclesia sua in loco patenti affixum, cathenula a die publicationis eorumdem infra trium mensium spacium reponi faciant. Archidiaconi autem, decani rurales, & parochialium ecclesiarum rectores singuli, unum libellum ipsarum constitutionum pro se comparent: Nam lapsis tribus mensibus nemo per ignorantiam earumdem poterit se tueri.

De summa Trinitate & fide catholica.

Firmiter præcipimus, ac universi prælati plebani, & rectores ecclesiarum nostræ provinciæ de S. & individua Trinitate, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & in articulis fidei, maxime divinitatem & humanitatem Domini nostri Jesu Christi concernentibus, nil aliud credant, teneant ac doceant, nisi quod S. Romana credit, tenet & docet ecclesia. Laici implicite, clerici vero explicite & distincte. Et ne quis Clericorum per crassam ignorantiam Articulorum fidei se possit aliqualiter palliare, de ipsis articulis fidei, et de quibusdam aliis ad salutem fidelium summe necessariis libellum quemdam, qui de tribus punctis essentialibus religionis Christianæ intitulatur, in fine harum nostrarum constitutionum decrevimus annectendum. Quem libellum insertum cum præsentibus nostris constitutionibus mandamus per omnia haberi, & contenta in eo studiosius intelligere & efficaciter obsevare.

De constitutionibus.

Statuimus, quod constitutiones seu statuta provincialia, quælibet personarum superius expressarum, ad provinciale concilium secum afferat, & lectionem earundem audiat, ac easdem in eodem perlegat. Hoc ipsum circa synodalia episcoporum statuta, per subditos ipsorum in synodis episcoporum episcopalibus observare mandamus.

De rescriptis.

Fraudibus impetrantium rescripta apostolica, in quibus actor rei potentiam se perhorrescere falso proponens, ad hunc finem tantum, judices extra communem ipsorum diecesim impetrat, ut reus fatigatus laboribus et expensis, cum eo pro suo libito concordare cogatur, obviare volentes, statuimus, quod dioecesanus ipsorum, vel ejus officialis, ad instantiam rei, si hoc notorium fuerit, quod non est tantæ potentiæ, quam actor, merito perhorrescere debeat, teneatur conditionem actoris & rei scribere judici taliter impetrato, & ipsum petere, ut super hoc rei probationes recipiat po-

ANNO CHRISTI 1346.

potius, quam credat actoris simplici juramento. Nam licet jus permittat hujusmodi perhorrescentiam probari posse juramento, quæ probatio inter cæteras est fragilior; non tamen prohibetur, quin reus volens contrarium probare propter testes quorum probatio est fortior juramento, sit merito admittendus. Adiicientes quod nullus ad requisitionem cujuscunque ignoti judicis se delegatum vel subdelegatum sedis apostolicæ asserentis aliquam citationem seu publicationem processuum quorumcunque audeat facere, nisi prius sibi de jurisdictione ipsius per ostensionem bullæ apostolicæ, vel transumpti authoritate Ordinarii per manum publicam facta fuerit plena fides. Ut autem de citationibus factis & processibus exequutis constare possit, injungimus decanis & parochialium ecclesiarum plebanis, ut quilibet ipsorum sigillum proprium infra mensem, a præsentium publicatione numerandum, habere teneatur sub poena unius fertonis grossorum Pragensium fabricæ cathedralis ecclesiæ persolvendum.

De diutina consuetudine.

Olim ecclesia Moguntina diuturne servatam consuetudinem introduxit, quam demum perpetuis servandam temporibus statuti provincialis serie declaravit, ut archiepiscopus Moguntinus vel ipsius officialis causas appellationum, vel alias ad Moguntinam sedem legitime devolutas subditis suorum suffraganeorum in toto, vel in parte possit committere, & eos ad suscipiendas hujusmodi causas compellere. Nos considerantes prædictas consuetudines, & statuta pro subditorum litigantium commodo introductas, & ante erectionem nostræ Pragensis ecclesiæ in Pragensium & Olomucensium dioecesibus observatas, eas in provincia nostra inviolabiliter servandas & tenendas de cætero hoc sancto approbante consilio definimus.

De electione.

Cum in ecclesiis prælatorum seu canonicorum electio, vel præbendarum, vel beneficiorum collatio, vel bonorum alienatio seu obligatio, aut alia ardua negotia ecclesiæ imminent facienda, ad talia absentes canonici sunt vocandi; alioquin ipsis instantibus per superiorem cassabitur, quod in eorum absentia per præsentes fuerit attentatum, nisi consuetudo habeat eos ad talia non vocari, vel absentes sint extra provinciam constituti. Excommunicamus omnes seculares & regulares canonicos ac monachos, qui in electionibus, aut aliis suarum ecclesiarum, aut monasteriorum negotiis prosequendis conspirationes, conjurationes, seu alias colligationes quascunque fecerint; eis districtius injungentes, ut ipsi utilitatem & profectum ecclesiarum & monasteriorum suorum, solum Deum habentes præ oculis, recta conscientia & mente libera satagant procurare.

De renunciatione.

Sunt nonnulli, qui se ad beneficia ecclesiastica minus pinguia procurant institui, ut ratione tituli recipiantur ad ordines, & demum facti presbyteri temeritate propria dimittunt beneficia, & more conductorum servorum singulis annis pro quotidiano victu de una ecclesia ad aliam se transferunt, facientes quæ non licet loqui in cleri opprobrium & scandalum laicorum. Nos attendentes, quod nullus sine superioris sui licentia beneficium ecclesiasticum dimittere vel recipere potest, temeritatem hujusmodi volentes compescere, statuimus, quod tales per dioecesanos suos suspendantur ab executione ordinum susceptorum. Et nihilominus in exaggerationem facti subdantur poenitentiæ carcerali. Verum cum beneficium suum aliquis ad manus sui superioris renunciare voluerit, superior ipse de renunciationis causa an sit rationabilis, & justa, & per consequens admittenda; an vero simoniaca, vel in fraudem expectantium, aut ordinum, ut prædicitur, receptorum, seu per vim et metum extorta, & sic non admittenda, inquisitionem faciat diligentem.

De ætate & qualitate ad sacros ordines & curata beneficia promovendorum.

Cum clericorum ordinatio, vel beneficiorum provisio imminuerit facienda, prælati ex sui officii debito diligenter inquirant, an promovendus ad sacros ordines vel curatum beneficium, sit gravis in moribus, ætatis legitimæ, et scientiæ competentis, et utrum sit de toro legitimo generatus; si in sæculo remanet, quoad sacros ordines, vel curatum beneficium obtinendum, solus papa poterit dispensare. Et ipse promovendus, vel aliquis suorum progenitorum usque ad quartum gradum, per paternam lineam ascendendo, occiderit vel mutilaverit aliquem clericum, in sacris ordinibus constitutum, et pro clerico se gerentem; et utrum habeat perpetuum beneficium ecclesiasticum, vel sufficiens patrimonium volens ad sacros ordines promoveri. Et si est de alia dioecesi, utrum habeat commendatitias seu dimissorias superioris sui literas. Quem autem criminosum vel defectuosum invenerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, hunc omnino repellant. Præcipimus insuper, quod episcopi excommunicationis sententiam proferant in illos, qui furtive ad receptionem ordinum accesserint, priusquam ordinationem inchoent clericorum.

De Clericis peregrinis.

Nullus in ecclesia sua ignotum seu peregrinum de alia dioecesi venientem, ad celebrationem divinorum in publico præsumat admittere, licet formatas suas, et literas seu ordinationes exhibeat, nisi etiam ostendat literas dioecesani episcopi, vel ejus vicarii, in cujus dioecesi habeat licentiam celebrandi. Contrarium faciens, in uno fertone grosso-

forum Pragensium pro admissione qualibet, per loci archidiaconum puniatur, pro utilitate fabricæ cathedralis ecclesiæ convertendo.

De officio archidiaconi.

Permittimus ut archidiaconi juxta antiqua statuta ecclesiæ Moguntinæ, per consuetudinem approbatam, personaliter in suis sedibus residentes, si juris habeat peritiam, seu assessores peritos, causas matrimoniales, et usurarum audire, et definire valeant, causis aliis dioecesanis episcopis et ipsorum officialium examini reservatis. Judicata per eos, præterquam in casibus supra dictis, sint irrita ipso jure. Et nihilominus per loci dioecesanum a suis officiis suspendantur. Nec absque suorum episcoporum speciali licentia, ex causa quacunque a Clero suorum archidiaconatuum possint petere subsidium moderatum.

De vicariis.

Multorum querelis, et propria experientia nos docente, didicimus, quod nonnulli prælati seu canonici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum secularium et regularium, quorum dignitatibus, præbendis seu monasteriis parochiales ecclesiæ incorporatæ sunt vel annexæ, perpetuis vicariis eorundem assignant sic tenuem portionem, quod de ea vicarii nequeunt sustentari. Nos in his dispositionem juris communis observari volentes, omnibus, ad quos talium vicariorum institutio seu investitura pertinet, præsentis statuti serie districte præcipimus, quod de cætero nullatenus ad vicarias ipsas præsentatos admittant, nisi prius ipsis pro sustentatione sua et hospitalitate servanda, ac pro aliis oneribus incumbentibus sufferendis congrua portio deputetur. Insuper rectoribus parochialium ecclesiarum simili districtione mandamus, ut quando ipsis, studiorum vel ex alia justa causa per episcopum datur licentia, se ad tempus a suis ecclesiis absentandi, non quærant vicarios, qui eis solvant magnam pensionem, quam verisimiliter de fructibus beneficii ultra sustentationem comportare non possint; sed potius illos, quos plebibus suis prodesse crediderint, verbo pariter ex exemplo adjuvet. Hujusmodi autem vicarios, rectores ecclesiarum episcopo loci præsentare teneantur, ut ab eo, præmisso examine, pro illo tempore curam animarum recipiant, quam rectores ipsi auctoritate propria eis nequeunt delegare.

De officio delegatorum.

Quorundam delegatorum sive subdelegatorum, in tantum progreditur periculosa temeritas, quod licet a sede apostolica simplices in forma commissiones recipiant, nihilominus tamen earundem auctoritate nonnunquam etiam pro pecuniario debito, terras, civitates, Oppida, Villas, Loca, Territoria, vel districtus ecclesiastico subiiciunt interdicto. Et ut male factum deterius valeant effectui mancipare, in suum subsidium potentiam invocant brachii secularis, cum auctoritate talium judicum, vel pro tali causa interdicta posita, ipso jure sint nulla; omnibus metropolitico jure nobis subjectis, ne interdicta hujusmodi aliquatenus teneant, districtius inhibemus, nec seculare brachium, quoad hoc ipsis præstet aliquod subsidium vel juvamen.

De officio Ordinariorum.

Ne inferiores prælati suorum superiorum jurisdictionem eludant, episcopis, archidiaconis, diaconis, & aliis prælatis, seu eorum officialibus, in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus; ne subditis suis, seu eis qui litigant aut litigaverunt, coram eis inhibitionem faciant, aut aliquod impedimentum præstent, directe vel indirecte, quominus appellatione, vel alia suas causas ad superiorum examen deducere valeant aut perferre. Cum propter occupationes multiplices, aut invalitudines corporales seu occasiones alias, episcopi per se ipsos non sufficiant ministrare populo verbum Dei, ac ipsius confessiones audire, maxime propter amplas dioeceses & diffusas, assumant sibi viros idoneos ad S. prædicationis officium salubriter exequendum, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint, sollicite visitantes, eos verbo ædificent pariter & exemplo, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Habeant etiam saltem tres primarios seculares vel religiosos industrios & peritos, quorum duo apud ecclesiam Cathedralem, sint assidui, tertius episcopalem curiam sequatur continuo, quibus plenam suam auctoritatem tribuant in audiendis confessionibus, & absolutionibus impendendis, & eis, cum indiguerint, congrua necessitati subministrent, ne pro necessariorum defectu cogantur desistere ab incepto. Celebrent autem episcopi missarum solemnia in suis ecclesiis cathedralibus, præsertim in festivitatibus Domini & Virginis gloriosæ, clero & populo indulgentias solitas concedentes. Et quia plures non re, sed solo nomine, tam clerici, quam monachi, magis metu poenæ, quam verbo vitæ a suis cohibentur excessibus, statuimus, quod episcopi suos habeant carceres duplicatos, minores & magis rigidos, in quibus secundum exigentiam criminum, tales delinquentes ad tempus, vel in perpetuum ad agendam pœnitentiam recludant. Præsenti prohibemus edicto, ne episcopi aut abbates, seu quivis alii seculares vel regulares, aut ecclesiasticæ vel laicæ quæcunque personæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus, vel ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, præsentationem, ordinationem, institutionem vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona, morientibus eorum rectoribus, vel ministris in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi vel futuris debent successoribus fideliter reservari, occupare, aut in usus suos convertere quoquomodo præsumant: alioqui epi-

episcopi ab ingressu ecclesiæ; cæteri vero clerici ab officio & beneficio, tandiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis. Laici vero patroni, pro illa vacatione præsentandi potestate, et nisi moniti occupata plene restituant, infra mensem jure patronatus ipsius ecclesiæ perpetuo sint privati.

De majoritate & obedientia.

Cum inferior suo Superiori regulariter ad exhibendam reverentiam & obedientiam teneatur; quorum exhibitio nonnisi per obsequium humilitatis extrinsecus præstitum aliorum notitiæ innotescit; quapropter canonici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, prælatis, et inferiores prælati superioribus, ac universaliter omnes clerici majoribus suis, in assurgendo, inclinando, et aliis prærogativis, quibus consueverunt homines revereri, honorem debitum deferant reverenter, ut etiam laici a clero sumentes humilitatis exemplum, eidem exhibeant reverentiam ampliorem. Quia frequenter rectores parochiarum non audent contra nobiles et potentes mandata superiorum exequi, propter eorum tyrannidem belluinam, statuimus, quod nullus presbyter assumat capellaniam cujuscumque nobilis vel potentis, seu ipsorum capellas tanquam capellanus officiet, nisi prius episcopo diœcesano, super eo, quod ad ipsius synodos veniat, et mandata superiorum sibi injuncta, ad sui domini et ipsius Castri familiæ notitiam perferat, obedientiam faciat manualem. Item, cum aliquis nobilis justitiarius, seu laicus quicumque captivaverit aliquem clericum, pro clerico se gerentem, seu deprædatus fuerit alicujus ecclesiæ bona; capellani castrorum hujusmodi et plebani locorum, in quibus clericus detinetur captivus, aut præda servatur, quam primum hoc sciverint, etiam non expectato super hoc alio superioris mandato, a celebratione abstineant divinorum, sub pœna excommunicationis; quam facientes contrarium incidere volumus ipso facto. Omnes clerici seculares et religiosi, metropolitico et dioecesano nobis jure subjecti, pro serenissimo domino nostro *Carolo* Romanorum & Boemiæ rege, et gloriosa conthorali sua domina regina, ac eis qui pro tempore fuerint Boemiæ regibus et reginis, in missis et quotidianis orationibus suis, fundant devotas preces ad Dominum, ut in præsenti vias ipsorum dirigat per suorum semitas mandatorum, pro statu pacifico subditorum, et in futuro eis præmium tribuat beatorum.

De postulando.

Repellantur ab advocationis seu postulationis officio in presbyteratus ordine, vel in dignitate prælationis ecclesiasticæ constituti, nisi proprias & ecclesiæ suæ, aut cum necessitas imminet, conjunctarum, vel miserabilium personarum causas, non temporalis lucri causa, sed divinæ retributionis intuitu prosequantur. Religiosi vero solum in causis suorum Monasteriorum, & tunc, cum super hoc a suis superioribus mandatum ostendunt, ad hujusmodi postulationis vel procurationis officium admittantur.

De his quæ vi, metusve causa fiunt.

Ex multorum inobedientia tam secularium clericorum, quam religiosorum, crudelibus hominibus displicere nolentium, contemnitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, quibus cum a suis Superior. injungitur, ut contra rebelles processus publicent, vanum metum talium prætendentes, eosdem processus publicare recusant, & ex hoc illi, pro quibus hujusmodi sunt latæ sententiæ, beneficio executionis eorundem debito defraudantur. Ut igitur huic pesti salubris obviet medicina, sacrorum Canonum sequentes vestigia diffinimus: Quod metus amissionis rerum temporalium omnium vel saltem majoris partis, aut invasionis personæ verisimiliter propter publicationem hujusmodi processuum imminens qui probari possit, si inquirat superior, propter testes idoneos subditum ab executione mandati Superioris sui excusat. Si quis vero ad communicandum excommunicatis, vel celebrandum coram eis, seu in loco supposito ecclesiastico interdicto, sive ad quodcunque simile faciendum se coactum asserat, quod jure vel mandato Superioris fieri prohibetur, qualiscunque sit metus, quem prætendit, etiam si poterit cadere in constantem virum, eum a transgressionis pœna non valeat quomodolibet excusare. Qui autem absolutionem a sententiis excommunicationis, vel suspensionis, aut relaxationem interdicti per vim, seu per metum, extorquent; ipso facto sunt excommunicationis vinculo innodati.

De alienatione mutandi judicii causa facta.

Cum concessiones actionum multis intervenientibus causis invalidæ reputentur, ad tollendam super hoc omnem materiam dubitandi, hoc sacro approbante Concilio, illam tantum cessionem, quæ fit in præsentia, & auctoritate proprii episcopi, vel ejus officialis, seu alterius ordinarii judicis, præmissa summaria cognitione, an fiat ex causa legitima, validam reputamus.

De judiciis.

Hoc sacro approbante Concilio statuimus, quod hi, qui propter pericula verisimiliter imminentia, propter Nuntios personaliter adiri non possunt, ut citentur in ipsorum parochiali ecclesia per edictum in publico. Et sic ibidem etiam citator de periculo dubitaret, tunc in Ambone cathedralis ecclesiæ, continuis tribus diebus Dominicis, citatio talium publice proponatur, contra quos taliter evocatos procedi poterit, si fuerint contumaces, ac si eos apprehendisset citatio personalis. Reus autem, qui per se, vel per alium, seu alios, Nuntium Judicis spoliat, verberat vel captivat, excommunicationis sententiam incidat ipso facto.

ANNO CHRISTI 1346.

De Foro competenti.

Quia tam ecclesiasticus, quam secularis ordo confunditur, cum unicuique sua jurisdictio non servatur, hinc est, quod spiritualia & secularia judicia esse convenit impermixta. Quare omnibus ecclesiasticis judicibus, districtius inhibemus, ne laicos ad instantiam quorumcunque clericorum vel laicorum, pro causis secularibus, seu mere civilibus, ad suum consistorium citari faciant, aut de cognitione causarum hujusmodi se aliquatenus intromittant, nisi forte miserabilium personarum, vel in defectum judicis secularis. Nec e contra judices seculares, clericos, pro quibuscumque causis criminalibus, vel civilibus. nec etiam laicos super rebus, vel possessionibus ecclesiarum, quocunque titulo eas possideant, aut suum judicium faciant evocari, vel eas audeant judicare. Alioquin tam ecclesiasticus, quam secularis judex metas suæ potestatis excedens, excommunicationis sententia innodetur. Et actor clericus, qui reum indebite coram non suo judice fatigavit, in expensis condemnetur, & super eadem causa de cetero nullatenus audiatur.

De fide instrumentorum.

Cum ex eo, quod plerique rudes & ignari per se prothocolla facere nescientes, & alii se notarios publicos mentientes, conficere instrumenta præsumunt, ex quibus plurima incommoda & pericula oriuntur, quibus nos obviare volentes prohibemus, ne pro Notario publico quisquam se gerat, vel quævis instrumenta conficiat, antequam de creatione sua, loci Dioecesano, vel ejus officiali, fecerit plenam fidem. Contrarium faciens, excommunicationis sententiam incidat, & instrumenta per eum confecta, sint irrita ipso facto.

De Appellationibus.

Juris beneficio Appellans, nonnunquam abutitur, qui revocatione per appellationis Judicem attemptatorum post sententiam obtenta contentus, de justitia forsitan principalis causæ dubitans appellationem suam prosequi prætermittit. Ut igitur parti appellanti et honori Judicis, a quo appellavit, provideatur de remedio opportuno, præsenti constitutione statuimus, quod si appellans ipse, justo impedimento cessante, suam appellationem non prosequatur, ex tunc Judex ipse, a quo appellavit, eum in pristinas reducat sententias, quousque judicatis pareat, vel appellationem suam debite prosequatur.

De vita & honestate Clericorum.

Dolenter referimus, quod multorum est adeo repræhensibilis vita clericorum, ut ipsi per exempli pernitiem mores non instruant, sed destruant potius Laicorum. Quapropter universi clerici mores et vitam reforment in melius, et ea, quæ ad ipsorum statum et honestatem pertinent cum magna caute-

A la custodiant, nec solum a malo, sed etiam ab omni specie mali, se prudenter studeant cohibere, continenter et caste vivant, a crapula et ebrietate abstineant, quæ sunt libidinis incentiva. Et etiam, quando convivia præparant, quæ rara sint, clerici sex cibariorum seu ferculorum numerum non excedant. Tabernas non visitent et arma non portent, nisi propter necessitatem et viarum pericula in itinere constituti; Officia vel commercia secularia, et præsertim carnificum seu macellariorum, aut tabernariorum prorsus evitent. Nam clerici, si hujusmodi carnificum aut tabernariorum officium publice et personaliter exerceant, et cum hoc deferunt habitum clericalem, et per dicecesanum tertio moniti, ab hujusmodi officiis

B non destiterint, vel desistent, vel postea reassumunt, in rebus propriis clericorum immunitate non gaudeant. Si vero, cum hoc abjiciunt habitum clericalem, etiam quoad personam, perdunt privilegium clericale: decet etiam, ut clerici coronam seu clericalem tonsuram, patentibus auribus, cum habitu deferant clericali. Et quicunque clericus publice virgata vel partita veste utitur, nisi rationabilis causa subesset, si Beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum Beneficiorum, quæ obtinet, sit ipso facto suspensus. Si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordini-

C bus infra sacerdotium constitutus, per idem tempus redditur eo ipso inhabilis, ad Beneficium ecclesiasticum obtinendum. Et idem est de aliis clericis, qui nec beneficiati sunt, nec sacram vestem talem, simul et tonsuram, publice deferunt clericalem. Dignitatem vero, vel personatum seu beneficium aliud obtinens, cui cura imminet animarum, nec non cæteri in sacerdotio constituti ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si præterquam ex causa rationabili publice vestem ferant hujusmodi, sunt eo ipso beneficiati a perceptione fructuum beneficiorum, quæ

D obtinent, suspensi per annum. Cæteri vero sacerdotes et religiosi quilibet, per idem tempus annuale redduntur inhabiles ad quæcunque beneficia ecclesiastica ootinenda. Clerici insuper maxime beneficiati, caligis scacatis rubeis ac viridibus uti non debent, nec Joculatores se faciant. Et si per annum, vel post trinam monitionem, artem illam ignominiosam exerceant, eo ipso privati sunt omni privilegio clericali. Alearum et Taxillorum ludos fugiant, chorearum, torneamentorum et hastiludiorum et aliis publicis spectaculis non intersint. Clausuram monasteriorum Monialium, absque causa rationabili et manifesta, et sine superioris li-

E centia ingredi non præsumant. Clericos, qui vagi communiter nuncupantur, in domibus suis non recolligant, nec eis aliquod munus parvum vel magnum tribuant. Ecclesiam cathedralem vel collegiatam, in qua quis beneficiatus existit, infra divinum officium sine religione non intrent. Presbyteri parochialium ecclesiarum Campanatores literatos, seu clericos, non laicos uxoratos habeant, qui cum eis cantare vel legere non

non ignorent. Et cum divinum officium celebrant, vel fidelibus ecclesiastica sacramenta ministrant, uterque presbyter et campanarius, superpelliciis desuper sint induti. Insuper nullus presbyterorum sine Ministro missam audeat celebrare.

De cohabitatione clericorum & mulierum.

Quamvis fornicationis crimen, inter cetera crimina sit detestabilius clericis, utpote, quia inter ceteras virtutes principaliter carnis continentiam profitentur; Multi tamen clerici suæ salutis et professionis immemores, non solum tentationibus victi, desideria carnis perficiunt, sed etiam tentationem præveniunt, dum ne frustra tententur, in domibus propriis, vel vicinis, paratas ad malum, fornicarias nutriunt mulieres. Ne igitur crimen ipsum videamur per tolerantiam approbare, omnes clericos, qui de cetero in domibus suis suspectas mulieres, vel etiam extra domum in sua procuratione publice detinent concubinas, si sunt beneficiati, beneficiis suis privandos, si vero non habeant beneficia, ab executione ordinum, per suos superiores fore decernimus perpetuo suspendendos. Quos demum eorum malitia exigente, ipsi superiores carcerum pœnis afficiant, vel de suis dioecesibus ejiciant vel expellant, si nec sic curaverunt vitam suam emendare: archidiaconos autem locorum, qui clericos sui archidiaconatus, plebani qui vicinos, sive socios hac labe respersos scienter tolerant, tanquam pro concubinatu proprio volumus condemnari. Licet autem clericus pro fornicationis crimine, vel alio mortali quolibet, quo ad seipsum sit suspensus, non tamen debet ab aliis in divinis officiis evitari, nisi crimen ipsum sit notorium per sententiam seu confessionem factam in jure, aut evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua cælari non possit. Notorium concubinarium dicimus per canones etiam ab officio, ne dum quo ad se, verum etiam quo ad alios suspensum; qua suspensione durante, si divinis se ingerit sicut prius, irregularitatis notam incurrit, a qua nisi per summum Pontificem poterit liberari.

De clericis non residentibus in beneficiis.

Si parochialis ecclesiæ rector, vel alius clericus a beneficio, quod obtinet, sine sui superioris licentia, se præsumpserit absentare, eodem beneficio per superiorem suum est privandus, quacunque contraria consuetidine non obstante. Cum de jure communi quodlibet beneficium requirat residentiam personalem.

De præbendis & dignitatibus.

Eum qui beneficium, cui cura animarum imminet, vi occupat, seu se scienter injuste intrudit in eo, decernimus ipso jure privatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat. Non enim decet, ut stultus melioris quam peritus conditionis existat, vel quod invasor eo qui juste ingreditur privilegio gaudeat potiori. Insuper ut

A violenti, qui authoritate, vel verius temeritate propria occupare dignitates, personatus aut alia quæcunque beneficia ecclesiastica non verentur, etsi non virtutis amore, pœnæ saltem formidine a suæ temeritatis audacia refrenentur, eo ipso jus si quod in dignitatibus, personatibus & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea, ipsis forsitan competebat, amittant.

De institutionibus.

Statuimus, quod persona ecclesiastica quæcunque regularis vel secularis in dignitate, personatu, officio, seu ecclesiastico beneficio quocunque, non instituatur, vel ad illud B confirmetur, nisi ante omnia de obedientia & reverentia suis Superioribus impendenda, de statutis Provincialibus & Synodalibus, in quantum eum tangunt observandis, ac de cura & onere beneficii, in quo instituendus est, pro posse suo explendis, corporale præstiterit juramentum; institutionem contra præmissa factam nullius firmitatis fore decernentes. Clericus, qui auctoritate patroni clerici vel laici sine institutione episcopi, vel ejus, ad quem institutio ejusdem beneficii de jure pertinet, vel consuetudine approbata in beneficio ecclesiastico in spiritualibus & temporalibus administrare præsumit, eo ipso, ad illud se reddit indignum. Patro- C nus vero, qui talem in hujusmodi beneficio pertinaciter fovere præsumpserit, perpetuo præsentandi potestate privetur. Religiosi similiter etiam exempti in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, & per religiosos consueverunt gubernari, instituendos presbyteros episcopis repræsentent, ut ipsis de plebis cura respondeant, religiosis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Nec institutos per episcopos etiam religiosos sine auctoritate ipsorum episcoporum religiosi poterint removere, nisi eis hoc competat, ex privilegio speciali. In hujusmodi quoque institutionum & aliorum arduorum negotiorum lite- D ris exinde confectis archiepiscopalis vel episcopalis majoris sigilli appositionem sine minoris impressione decernimus non valere.

De concessione præbendæ non vacantis.

Ne contra statuta Canonum desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus præbenda se crediderit successurum, districtius inhibemus, ne capitulum cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ, aliquem, non vacante præbenda in canonicum recipiat & in fratrem, nisi evidens utilitas ecclesiæ id exposcat, quam suo episcopo exponere tene- E atur, & hinc unam personam tantum recipiendi habeant facultatem. Quibus omissis receptio unius vel plurium eo ipso sit nulla. Et in pœnam capituli episcopus totidem in eadem ecclesia canonicatus & præbendas conferat, dum vacabunt.

De

De rebus ecclesiæ alienandis, vel non.

Indemnitatibus ecclesiarum providere volentes, statuimus, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, prælaturarum, præbendarum & cæterorum officiorum & ministeriorum ac bonorum ecclesiæ communium omnium redditnum & proventuum, in quibus villis ex nomine & in quibuscunque rebus consistent, & quid ad cuiuslibet dignitatem, Officium, præbendam seu dispensationem pertineat, sub sigillis majoris prælati, & ipsius capituli, habeatur in Sacristia ecclesiæ clara & fidelis conscriptio, ut saltem novus prælatus, canonicus, vel minister per hujusmodi scripturam, de suis juribus & proventibus informatus, recuperare valeat per suum prædecessorem deperdita, vel neglecta. Similiter Libri, ornatus, calices & cætera clenodia & ornamenta ecclesiæ registrentur, & saltem de anno in annum revideantur per seniores de capitulo, ut appareat, si qua per imprudentiam Ministrorum sunt distracta, vel eorum diligentiam acquisita.

Administratores bonorum ecclesiarum vacantium, vel alia ex causa legitima Superioris officio deputati, si quam possessionem ipsius ecclesiæ, vel rem mobilem preciosam sine consensu majoris & senioris partis capituli, donationis, venditionis, permutationis vel emphiteusis titulo alienent aut obligent, invalidus sit contractus. Quod si abbates, præpositi, priores, seu alii quivis monasteriorum seu religiosorum locorum rectores, aliqua de rebus suorum monasteriorum citra formam canonum, ut prædicitur, alienare præsumpserint, contractus est nullus. Et alienantes per suos superiores administrationum officiis perpetuo spolientur. Nec aliquis creditorum, audiatur repetens a successore mutuum, quod fecit, etiam super literarum vel pignorum cautione; nisi prius probet, quod in evidentem utilitatem ecclesiarum seu Monasteriorum hujusmodi sit conversum.

De emtione & venditione.

Si quis emerit animalia, vel alias res prædatas, cum in prædonis jus succedat ad restitutionem eorundem, per censuram ecclesiasticam compellatur. Emtor vero vel Venditor, qui alterum decipit, in legitimo pondere vel mensura, aut qui scienter ignoranti rem vendiderit vitiosam, poenitere non potest, donec satisfaciat taliter damnum passo.

De pignoribus.

Sacrorum canonum vestigiis inhærentes declaramus. Quod si quis alteri, castrum, villam, seu possessionem quamlibet titulo pignoris obligat, ratione cujus ad eundem ecclesiæ inibi situatæ jus pertinet patronatus, etsi hoc non exprimat, nihilominus apud obligantem jus remanet præsentandi, ex eo, quia fructus rei pignoratæ minuunt debitum principale, fructus vero juris patronatus cum A sit spiritualis, nequit cum rebus temporalibus compensari.

De testamentis & ultimis voluntatibus.

Cum in officiis charitatis primo loco illis naturaliter obligemur, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse, proinde statuerunt & definierunt sancti Patres, quod clericus de bonis per ecclesiam & intuitu ecclesiæ acquisitis, non potest condere testamentum, sed bona hujusmodi, sive clericus ipse testatus, sive intestatus decedat, per eum relicta ecclesiæ a qua percepit beneficium, vel successoris usibus applicentur: salvo quod pauperibus & religiosis locis, & illis, qui sibi viventi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitiorum merita, potest donationem facere moderatam. De his vero, quæ personæ suæ industria vel intuitu, aut ex successione parentum acquisivit, disponere poterit in vita pariter & in morte. Præterea, statuta locorum, quæ habent, quod nullus ultra certam summam ecclesiis vel clericis donare seu legare audeat in ultima voluntate, irrita judicamus, cum iniquitatem contineant & testandi perimant libertatem. Conditores vero hujusmodi statutorum, ac eisdem utentes coerceantur canonica disciplina. Invigilent insuper ordinarii circa executores C testamentorum & ultimarum voluntatum & contra illos, qui eas impediunt quovismodo, ut ipsæ voluntates extremæ, infra tempus testatoris arbitrio limitatum effectui mancipentur. Vel si testator exequutionis terminum non præfixit, ut ipsa executio ultra unius anni spatium, nullatenus prorogetur. Executores etiam ultimarum voluntatum, de bonis defuncti se nullatenus intromittant, donec de eisdem inventarium fecerint, sub fide dignarum testimonio personarum.

De sepulturis.

D Illi, qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora in cœmiteriis, interdicti tempore in casibus non concessis a Jure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumant, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto, a qua nullatenus absolvi poterunt, nisi prius ad arbitrium dioecesani episcopi, eis quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem. Quicunque religiosi & seculares clerici aliquem ad vovendum, jurandum vel fide interposita, seu alias promittendum inducunt, ut sepulturam, apud eorum ecclesias eligant, vel jam E electam ulterius non immutent, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto, a qua ab alio, quam a sede apostolica præterquam in mortis articulo nullatenus absolvantur. Nec valet talis electio. Et is, qui sic elegerit, nec apud sic electam ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit eligere sepulturam, ne contra votum, juramentum vel promissum hujusmodi a se factum, materiam habeat veniendi, sed contradictione qua-

ANNO CHRISTI 1346.

quacunque cessante, sepeliatur omnino apud A illam ecclesiam, apud quam sepeliendus de jure fuisset: Si alias sepultura non electa forsitan decessisset. Si vero idem religiosi, vel clerici prædictum in sua ecclesia vel coemeterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur, quam etiam omnium quæ occasione sepulturæ illius pervenerint, quomodolibet ad eosdem infra decendium integraliter faciendum obligantur, quæ nisi fecerint, Ecclesia ipsa apud quam sepultus fuerit; nec non ipsius cœmiterium, ex tunc eo ipso sunt & tam diu manebunt ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Plebanus ecclesiæ, vel ipsius vices gerens, si præter licentiam sui B episcopi, vel ipsius in spiritualibus vicarii, defunctum intra parochialem ecclesiam præsumpserit sepelire, in pœnam unius Sexagenæ Grossorum Pragensium ad fabricam cathedralis ecclesiæ applicandorum incidat ipso facto. Et nihilominus per episcopum subiiciatur pœnitentiæ graviori, nisi is, qui est sepultus, fuisset presbyter vel patronus ecclesiæ, aut alius ipsius ecclesiæ notabilis benefactor.

De parochiis.

Dominicis et aliis festivis diebus, presbyteri parochiarum, antequam missam cele- C brent, plebem interrogant, si alterius parochianus sit in ecclesia, qui proprio contempto plebano ibi missam velit audire. Quem si invenerit, de ecclesia ejiciant sine mora. Nullus presbyter parochianum alterius, sine proprii sacerdotis licentia, nisi mortis periculo constitutum ad confessionem recipiat, cum eum absolvere nequeat, vel ligare, neque ei ministret quodcumque aliud ecclesiasticum sacramentum.

De statu Monachorum.

Præcipimus, ut abbates, præpositi, priores monachorum et canonicorum regularium, D nec non abbatissæ, magistræ et priorissæ monialium tam in se ipsis quam in subditis, prout ad cujuscunque spectat officium, vitam, et conversationem exhibeant, ac habitum deferant regularem, se ipsos ac suos subditos ab his præcipue, qui ipsorum professioni obviant, et ordinis honestati non congruunt, puta circa exqusitum ornatum vel notabilem excessum, in vestibus, cibis, et potibus, equitaturis, et lectisterniis ac similibus superfluitatibus, seu taxillorum, alearum, et schachorum ludis, ac chorearum lasciviis, totaliter cohibentes, juxta dispositionem suæ regulæ, et sacrorum canonum instituta, sollicite providentes, quod nullus E monachus vel canonicus regularis, seu monialis, nisi ratione administrationis seu officii, possessiones, redditus, vel aliud quidquam proprii habeat, quin imo illud, quod cuilibet singulari personæ, ex suo labore vel artificio aut parentum seu amicorum largitione obvenit, superiorum manibus offeratur, ut per ipsius providentiam circumspectam, emolumentis hujusmodi communitatis, vel singularium personarum necessitas sublevetur, apostatasque suos inquirant et repetant, ac ipsos carcerum pœnis afficiant, & voluntarie revertentes, paterne suscipiant, salva semper poenitentia regulari.

De Capellis Monachorum.

Religiosi in ecclesiis, ad ipsos etiam pleno jure spectantibus, rectores sui ordinis locare non audeant, quæ alias sunt solitæ per seculares clericos gubernari. Nec episcopus potest ecclesias parochiales vel certos redditus earundem sine consensu sui Capituli, religiosorum usibus applicare.

De Jure Patronatus.

Volentes viam præcludere, ne quis per subreptionis astutiam præficiatur ecclesiis, & ne ex institutionibus repentinis inter patronos, si qui sunt, lites oriantur, ex litibus fortiores, præsenti decreto statuimus. Quod cum aliquis ad curatum beneficium, per quempiam clericum vel laicum fuerit præsentatus, ordinarius loci, seu is, ad quem institutio spectat, per decanum loci, vel viciniorem plebanum in ecclesia, ad quam fit præsentatio præsente plebe ad hoc specialiter convocata, publice faciat proclamari. Quod si quis est, qui velit docere de jure suo, quod ad ipsum solum vel cum alio, seu aliis, jus pertineat præsentandi, aut presentato aliquid objicere, quod eum reddat inhabilem, ne possit ad id beneficium promoveri, veniat infra certum & peremptorium terminum ad ipsius institutionis præsentiam, hoc facturus. Adjiciendo in proclamatione hujusmodi, quod si infra talem terminum nullus compareat, præsentationi vel præsentato se opponens, ex tunc ac institutionem præsentati proceditur, juxta formam juris. Institutio vero facta non præmissa proclamatione hujusmodi sit irrita eo ipso.

De patronis & clericis, qui mediante pacto ecclesias præsentant & recipiunt: quod est simoniacum.

Detestanda quorundam patronorum seu advocatorum cupiditas, in tantum metas suæ potestatis excedit; quod cum aliqua ecclesiastica beneficia vacare contingit, quorum ad ipsos jus pertinet patronatus, nullam idoneitatem præsentandarum personarum, sive ecclesiarum, seu plebium utilitatem attendentes, sed imitatores Ghiesi, quærunt clericos Simonis successores, quos recepta prius ab eis certa summæ pecuniæ sive cautione, de ipsa in posterum persolvenda, aut promissione de remittendis sibi, vel non repetendis ab eo decimis vel aliis ecclesiæ juribus, aut quod si eis quandocunque displicentiam fecerint, ecclesias ipsas dimittere & litteras præsentationis & institutionis suæ ipsorum manibus tradere teneantur; aut similibus pactionibus præmissis, demum eos instituendos repræsentant. Ne igitur hujusmodi execrabile mercationis genus, jus sibi vendicet, de cætero contra canonicas sanctiones, hoc sacro approbante concilio definimus, quod

Anno Christi 1346.

quod patronus, clericus, vel laicus, qui ex conventione vel pacto, aut quolibet præmissorum vel simili depræhensus fuerit, aliquem præsentasse, eo ipso, pro illa vacatione jus præsentationis amittat, et pro tunc beneficium hujusmodi per eum ad quem ipsius institutio pertinet, conferatur. Præsentatus vero taliter non solum eodem beneficio sit privatus, sed ipso facto reddatur inhabilis ad sacros ordines et ad alia quævis ecclesiastica beneficia obtinenda.

De consecratione ecclesiæ, vel Altaris.

Si ecclesiam pollui humani sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius ecclesiæ coemeterium si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, et antequam reconcilietur per episcopum, in ea non debent divina celebrari, vel aliquis sepeliri.

De celebratione Missarum.

In eadem ecclesia, et eodem tempore, duas missas sub nota celebrari districtius inhibemus: Adiicientes, quod nullus pro vivis, mortuorum officium audeat facere. Septimum, tricesimum vel annuale. Omnibus Sacerdot. in virtute S. obedientiæ, et sub excomm. poena, districtius inhibemus, ne die, qua primam missam celebrant, seu octo diebus immediate sequentibus, per se, vel alium, invitatum solemnem audeant præparare. Salvo, quod tunc certos clericos seculares et religiosos, paucos tamen et sine solemnitate qualibet procurare poterunt. Sic tamen, quod joculatores et Hystriones nullatenus admittantur. Missarum etiam novarum officia, quas S. Romana et universalis non recepit seu instituit ecclesia, penitus reprobamus. Hystorias novas, hymnos, sequentias, nisi in concilio provinciali, aut in episcoporum synodis approbentur, in ecclesiis legi aut decantari districtius prohibemus. Quod enim SS. PP. decreto non est sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. Si cui per nos, aut suffraganeorum nostrorum aliquem conceditur, quod in altari viatico portatili divina coram ipso possint officia celebrari, non in loco ventoso, seu alias periculoso vel inhonesto, hoc fieri debere intelligimus. Unde si quis presbyterorum, occasione concessionis hujusmodi contra præmissa divina celebrare præsumpserit, eo ipso per unum mensem a missæ officio, præsentis statuti vigore noverit se suspensum.

De Baptismo.

Quia sacramentum Baptismi, omnium aliorum est janua, quo carens, non est capax cujuscunque alterius sacramenti, presbyteri cum exacta diligentia studeant providere ne in collatione ipsius; tam in prolatione formæ verborum debita, quam immersione in aqua, circa quæ tota virtus Baptismi versatur, aliqua negligentia committatur. Forma autem verborum, de qua nihil potest omitti, nec ei debet aliquid interponi, est ista: Ego te baptizo, In nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus Sancti. Immersio vero fiat trina, sic, quod primam faciat statim, cum incipit formam verborum proferre, ultimam autem finiendo formam. Hanc autem formam frequenter plebani doceant plebes suas. Nam propter necessitatem istius sacramenti, sine quo nullus potest salvari, etiam laicus quicunque, vir, vel mulier, pater, vel mater, puerum vel adultum baptizare poterunt in suo vulgari, proferentes formam verborum in mortis articulo constitutum. Et cum in tali necessitate per hujusmodi personas quis fuerit baptizatus, presbyter a baptizato et personis circumstantibus diligenter inquirat, si forma debita sit servata, quam si servatam invenerit, circa baptismum unctiones tantum supplere debitas non obmittat. Si vero circa formam erratum fuerit, tunc ipsum denuo baptizet. Quod si verisimiliter dubitatur, an quis rite vel non rite fuerit baptizatus, tunc baptizetur sub hac forma. Si baptizatus es, non te rebaptizo, In nomine † Patris, et † Filii et Spiritus Sancti.

De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum sacramentorum, vasorum, & vestimentorum sacrorum.

Statuimus, ut in ecclesiis Chrisma, et Eucharistia, Oleum Sacrum, Aqua Baptismi, sub fideli custodia, sive seris conserventur, ne possit ad alia temeraria manus extendi, pro nephandis aliquibus exercendis. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per ejus incuriam aliquid nephandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni. Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam clerici ecclesias sic exponunt supellectilibus propriis et etiam alienis, ut potius domus laicæ quam Dei basilicæ videantur, non considerantes quod dominus in evangelio non sinebat, ut vas transferretur per Templum. Sunt et alii, qui non solum ecclesias dimittant incultas, verum etiam vasa ministerii et vestimenta ministrorum ac pallas Altaris, nec non et ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi suppellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oportet haberi refugium. Sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque ut in oratorio, vasa, corporalia et vestimenta prædicta munda et nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

De festivitatibus celebrandis.

Ut circa celebrationem festivitatum sit ecclesiarum nostræ provinciæ concordia singularum, statuimus, ut in subscriptis diebus tantum clerici & laici debeant a servilibus operibus abstinere. Primo in festivitatibus Chri-

Christi, videlicet: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ & Resurrectionis ipsius, cum duobus diebus immediate sequentibus, ascensionis ipsius & Pentecostes cum duobus immediate sequentibus, Corporis Christi. in festivitatibus S. Crucis, Inventionis scilicet, et Exaltationis, et omnibus diebus Dominicis. In quatuor festivitatibus Beatæ Virginis Mariæ, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis. Item in die Angelorum quod dicitur festum S. Michaelis. In festo nativitatis S. Joannis Baptistæ. Item in diebus Apostolorum, videlicet Matthiæ, Philippi et Jacobi, Petri et Pauli, Jacobi majoris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Andreæ, Thomæ et Joannis evangelistæ, transitus tantum. Item, in diebus beatorum Martyrum, Stephani, Laurentii, Viti, Venceslai passionis tantum, Adalberti, et quinque fratrum, scilicet, Benedicti cum fratribus. Item, confessorum Martini, Nicolai, et Procopii. Item, Mariæ Magdalenæ, et Margarethæ, Ludmillæ passionis tantum & Catharinæ. Item in festo Omnium Sanctorum. Item, episcopus festivitates patronorum suæ ecclesiæ, in sua dioecesi, potest facere celebrari. Et quælibet parochialis ecclesia festum patroni sui, in cujus est honore principaliter dedicata, & anniversarium dedicationis diem in sua parochia faciant celebrari. Item, in diebus beatorum Marci & Lucæ Evangelistarum, & quatuor doctorum ecclesiæ, Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, quorum festivitates foelicis memoriæ Bonifacius papa mandavit in universis ecclesiis, sub officio duplici solenniter venerari. Et populus in sua parochiali ecclesia divino officio peraudito, ad sua opera licite se convertit.

De observatione jejuniorum.

Quidam novitatum avidi sectatores, jejuna per ecclesiam indicta violant, propter quædam alia jejunia, quæ faciunt diversis fictionibus hominum adinventa. Cum autem omnes novitates sint suspectæ, & propter hoc fugiendæ, maxime autem illæ, quæ SS. Patrum obviant institutis, districtius inhibemus, ne aliquis quodcunque jejunium ecclesiæ propter aliud votivum audeat solvere, sed universi fideles utriusque sexus, præsertim a viginti annis super omnia jejunia, quæ per ecclesiam indicuntur, vel consuetudine patriæ approbantur, cum summa diligentia studeant observare, nisi forte aliquis debilitate vel infirmitate gravatus, refectione ciborum egeat, & tunc de licentia superioris, si commode adiri poterit. Nec sufficit licentia simplicis sacerdotis, nisi jejunanti periculum immineret.

De ecclesiis ædificandis.

Ecclesiam seu basilicam denuo nullus ædificet, nec antiquam transferat, nisi per episcopum vel ejus commissarium, in locum structuræ ponatur lapis primarius benedictus, alias ædificium diruatur, ædificans temerarius clericus vel laicus canonice puniatur. Nec episcopi socii dioecesanorum seu vicarii qui communiter suffraganei appellantur, hujusmodi primarium lapidem ponant, maxime in locis, in quibus ecclesiæ alias non fuerunt, nec ædificatas consecrent, sine dioecesani licentia speciali, qui ex officio suo providere tenetur, nec ecclesia erigatur sine dote congrua, luminaribus & ornamentis, & absque alterius ecclesiæ notabili detrimento. Cum autem hujusmodi episcopo per dioecesanum committitur, ut in dioecesi sua ecclesiarum construendarum primarios lapides ponat, seu constructas consecret, in tali generali mandato non comprehenduntur collegiatæ ecclesiæ, nisi de speciali dioecesani commissione; nec potest ipsius subditos solvere, vel ligare. Insuper singulæ parochiales ecclesiæ duorum altarium, vel maxime trium numero sint contentæ, nisi essent collegiatæ, in quibus Altaria, arbitrio dioecesani, multiplicari poterunt, secundum exigentiam multitudinis ministrorum.

Quicunque ecclesiastica beneficia obtinent, omnino adjuvent ad tecta reficienda vel ecclesias emendandas, collectores eleemosynarum pro fabricis ecclesiarum, quos quidem vitricos appellant, deputati sint omnium exceptione de plebe majores, & iidem eleemosynas fidelium inconsultis ecclesiarum rectoribus non expendant.

De immunitate ecclesiarum & ecclesiasticarum Personarum.

Licet laicis in ecclesiis, in ecclesias ecclesiasticasve personas, ac eorum bona, omnis authoritas sit ablata, tam jure canonico quam civili, nonnulli tamen laici nitentes in vetitum, immunitates eorum diversis conatibus infringere moliuntur. Nos super his volentes eorum ausum reprimere, auctoritate hujus sacri concilii, sub obtestatione divini judicii & maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne de cætero hujusmodi temerarias manus præsumant extendere, quod videlicet aliquem confugientem ad ecclesiam, quantumcumque maleficium commiserit grave, judex laicus seu quivis alius quantamcunque secularem dignitatem obtinens seu potestatem exercens, de ecclesia violenter præsumant extrahere, immunitatem ecclesiæ taliter violando. Sed potius ad instantiam rectoris ecclesiæ, ad quam fugit, eidem vitam & membra illæsa conservent, & ipsum pecuniaria vel alia disciplina puniant mitiori, nisi malefactor ad ecclesiam fugiens, publicus latro fuerit, vel nocturnus prædator agrorum, aut si in ipsa ecclesia vel ejus coemeterio homicidium, vel membri truncationem sub spe immunitatis perpetraverit. Tales enim quolibet immunitatis privilegio sunt indigni. Nullus sub excommunicationis poena in ecclesia vel de ecclesia munitionem seu fortalitium præsumat erigere vel facere, aut ipsius coemiterium pro ejus firmitate fossatis quibuslibet vallare. Nullus laicorum clericum quemcunque deferentem coronam & habitum clericalem sine demandatione ecclesiastici Judicis captivare præsumat. Quod si fecerit excommunicationis sententiam incidit ipso facto, a qua cum so-

solus papa absolvere potest. Et nihilominus in ejus obprobrium clerus civitatis, villæ, oppidi vel castri seu parochiæ, in quibus clericus captus est, seu detinetur captivus, eo ipso, alio non expectato mandato, cessationem faciat a divinis, donec per dioecesani providentiam, ad cujus notitiam id perferant, sine mora, vel aliter liberetur. Nec aliquis consanguineorum, seu amicorum clerici, taliter captivati, pro ipsius liberatione sub excommunicationis poena aliquid audeat solvere, vel de solvendo ponere cautionem. Verum si clericus vagabundus, in furto, vel alio maleficio deprehendatur & habeatur de fuga suspectus, tunc ex hac nostra generali licentia, quam præsentibus impartimur, secularis potestas sub testimonio tamen clericorum, si commode haberi poterit, vel alio fide digno poterit malefactorem hujusmodi captivare, ac eum quam primum ecclesiastico judici præsentare, juxta traditiones sacrorum canonum puniendum. Qui autem ausu sacrilego prælatum, canonicum, aut quencunque clericum pro clero se gerentem occiderit seu mutilaverit, præter alias diversas poenas juris omnibus feudalibus, si quæ ab ecclesia tenuit, sit eo ipso privatus, et ad ecclesiam a qua ea tenuit, libere revertantur. Jus patronatus, si quod in una, vel in pluribus ecclesiis habuit, ipso facto perdat, & ad dioecesanum episcopum devolvatur, filii ejus & nepotes usque ad quartum gradum, per masculinam lineam descendentes ad ordines seu quodcunque ecclesiasticum beneficium nullatenus admittantur. Illi autem, qui omnem malitiam superantes archiepiscopum fuerint hostiliter insecuti, vel eorum aliquem percusserint, ceperint vel occiderint, seu ipsis malefactoribus ad hoc præstiterint consilium, auxilium vel favorem, ipsorum filii & nepotes descendentes, ut una cum supra ipsis ad hoc quomodolibet cooperantibus, ipso facto poenas incidunt a jure statutas. Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis aliquando interdicunt, ne prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quicquid vendant aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aliqua obsequia exhibeant vel exhibere præsumant, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ vergant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

Insuper præsenti constitutione jubemus, ut locum dioecesani contra eos, qui ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis, pro eorum rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, gabellam seu theloneum suo vel alieno nomine exigunt vel extorquent in suarum animarum periculum, & eorum, a quibus talia exigunt, præjudicium & gravamen, excommunicationis & interdicti sententias a jure prolatas, postquam de hoc ipsis constiterit omnino publicent, & a suis subditis tamdiu faciant publicari, donec illi sic ablata restituant, & de transgressione hujusmodi satisfaciant competenter. Ad hæc quicunque servari faciunt statuta edita vel consuetudines introductas, contra ecclesiæ libertatem, statutarii & scriptores statutorum

A ipsorum, nec non potestates, consules, rectores & consiliarii locorum, ubi hujusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint, vel servatæ, nec non & illi, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata, in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

De sponsalibus & matrimoniis.

Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu, verbis consuetis expresse recipiat utroque dicente: Ego accipio te in meam, & ego te in meum,
B vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, non liceat alteri ad alia vota transire. Quod si fecerint secundum matrimonium, imo verius adulterium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantum promissio de futuro matrimonio contrahendo, utroque dicente: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia, & alter eorum, antequam carnaliter se cognoscat, aliam seu alium per verba sibi desponsaverit, de præsenti dato, quod prima promissio de futuro per interpositionem fuerit juramenti firmata, ei ta-
C men præjudicat, de præsenti, desponsatio post secuta. Illi vero, qui primam promissionem per secundum contractum irritum fecit, est de violatione fidei poenitentia injungenda. Carnalis vero copula si sequatur, promissionem de futuro, eo ipso matrimonium efficit, sic quod ei in nullo præjudicat quicunque contractus matrimonialis postmodum subsecutus. Constitutionem quoque generalis concilii, tum inhibitionem contrahentium periculis providentem censemus districtius observandam, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, diebus dominicis vel aliis festivis in ecclesiis, per presbyteros coram plebe publice proponatur, trium die-
D rum ad minus, termino præfinito, ut infra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat. Sed & ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat, & si nec per oppositionem alicujus, nec per investigationem propriam infra eundem terminum inter volentes contrahere aliquod impedimentum invenerint, presbyteri ipsi factis interrogationibus consuetis eos non differant copulare. Si vero ex oppositione cujuscunque vel alias contra copulam contrahendam apparuit probabilis conjectura, per presbyteros interdicatur contractus publice et expresse, donec quid fieri debeat super eo, per episcopum vel
E ejus officialem, ad quorum hæc notitiam perferant, sint edocti. Si quis autem edicto hujusmodi prætermisso clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit, in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum subsidium habitura: cum ipsi parentes taliter contrahendi, affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima cen-

se-

featur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter eccl. interdictum, etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane, si parochialis sacerdos hujusmodi clandestinas conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & hiis, qui taliter copulare præsumpserint, etiam nullo alio impedimento obstante, condigna pœnitentia per episcopum injungatur. Si quis vero ad impediendam legitimam copulam, malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem. Nullus autem elapso dicto denunciationis termino, matrimonium audiatur accusans, seu contra illud testificans, nisi denuntiationem hujusmodi probabiliter ignoraverit, vel nisi juret, quod post terminum denuntiationis illud didicerit, quod opponit, & quod ad hoc ex malitia non procedat. Cum autem presbiter contrahentes matrimonium legitime copulavit, eis benedictionem sacramentalem impendat, si neuter contrahentium alias fuerat in matrimonio constitutus. Nam si benediceret secundas nuptias, per episcopum cum literis testimonialibus ab officio beneficioque suspensus ad sedem apostolicam est mittendus: laici sub excommunicationis pœna nubentes non audeant copulare, nec aliqua statuta condere, quæ libertatem contrahentium matrimonium impediant quovis modo. Cognitionem vero causarum matrimonialium, plebani et decani rurales sibi penitus noverint interdictam.

De cognatione spirituali.

Spiritualis cognatio sive compaternitas in viginti casibus matrimonium contrahendum impedit & dirimit post contractum scilicet, inter levantem & levatum, levatum & filios levantis, levatum et conjugem levantis prius cognitam. Parentes levati et conjugem levantis prius cognitam levantem et parentes levati. Item inter baptizatum et baptizantem, baptizatum et filios baptizantis. Baptizatum et conjugem baptizantis prius cognitam. Parentes baptizati et conjugem baptizant. prius cognitam. Baptizantem & parentes baptizati. Item, inter confirmatum et levantem, confirmatum et filios levantis, confirmatum, et conjugem levantis prius cognitam. Levantem et parentes confirmati. Item, inter confirmatum et confirmantem, confirmatum et filios confirmantis, et conjugem confirmantis prius cognitam. Parentes confirmati et conjugem confirmantis prius cognitam, confirmantem et parentes confirmati. Ne igitur occasione spiritualis cognationis in matrimonio difficultates emergant, districte præcipimus, ut ad prædicta Baptismi et Confirmationis sacramenta, per quæ tantum compaternitates hujusmodi contrahuntur, solum unus vir vel mulier cum compatre levante, de cætero admittatur, non obstante in contrarium prava consuetudine, cum sit contra sacrorum canonum instituta.

De Consanguinitate & Affinitate.

Qui divino timore postposito in animarum suarum periculum scienter in quarto vel infra consanguinitatis vel affinitatis gradu, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non religiosi et moniales, ac clerici sacris Ordinibus constituti matrimonia contrahentes, præter alias poenas juris, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Habens uxorem legitimam, si adulteræ suæ hoc scienti promittit fidem de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum ea de facto contrahit, carnali copula præcedente vel sequente, non potest cum ipsa, legitima mortua, in matrimonio remanere. Si vero secunda ducta contractum cum alia ignorabat, tunc secunda instante cum ea compellitur remanere. Compulsione autem hujusmodi durante, si vir cum tertia contrahit, tenet contractus, est tamen sibi propter hoc pœnitentia imponenda. Similiter si ipse vel adultera sua, mortem uxoris legitimæ effectualiter procuravit, non potest adulteram aliquatenus ducere in uxorem. Idem si uterque etiam sine adulterio in mortem legitimæ esset machinatus, cum effectu.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel promittatur.

In tantum peccatis exigentibus corda quorundam presbyterorum symoniaca pravitas depravat, qui nec Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, aut extremæ unctionis sacramenta, nec benedictionem nubentium, aut exequias seu sepulturam mortuorum, sive alia quæcunque spiritualia suis volunt subditis ministrare, nisi pro hujusmodi seu administratione ipsorum eis solvatur vel promittatur precium, pro suæ turpitudinis excusatione, imo verius accusatione, diuturnam consuetudinem prætendentes. Ne igitur tam perniciosam venalitatem pravitatis symoniacæ per impunitatem vendentium videamur nostris temporibus approbare, hujus sacri approbatione concilii duximus statuendum, quod singula prædicta sacramenta & res sacræ non obstante quacunque consuetudine in contrarium, quæ censenda est potius corruptela, per presbyteros, sine exactione cujuscunque temporalis emolumenti libere conferantur. Et quicunque de cætero præmissorum, vel alicujus ex prædictis venditor fuerit depræhensus, si est rector ecclesiæ perpetuo ipsa privetur, si vero vicarius, seu socius rectoris fuerit, ad episcopales carceres, ut ibi perpetuam agat poenitentiam, detrudatur. Veruntamen, si laici nollent rationabiles & approbatas ecclesiarum consuetudines observare, tunc non per ipsos presbyteros, cum in propria causa judices esse nequeant, sed per episcopum vel ejus officialem summarie & de plano de hoc veritate cognita ad earundem observationem per censuram ecclesiasticam compellantur. Præter-

terea archidiaconi locorum seu decani rurales, si pro sacris liquoribus vel chrismate & oleo per se vel alios aliquid præsumpserint extorquere, suis beneficiis perpetuo spolientur.

De Judæis.

Et si Judæos, quos perpetua culpa perpetuæ servituti subjecit pietas christiana receptat, & sustineat cohabitationem illorum, ingrati tamen esse non debent, ut reddant christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum & illam retributionem impendant, quorum juxta vulgare proverbium: Mus in pera, Serpens in gremio. Et ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judæi Christianas puerorum suorum nutrices, quod non tantum dicere, sed etiam nephandum est cogitare, cum illas recipere Corpus & Sanguinem Jesu Christi contingit, per triduum antequam eos lactent lac effundere faciunt in latrinam. Alia insuper contra fidem catholicam detestabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare sustinent, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Inhibemus ergo districte, ne de cætero nutrices seu obstetrices, vel servientes habeant Christianos, ne ipsos ex familiaritate nimia, ad suæ infidelitatis errorem pertrahant, & ne filii liberæ, filiis famulentur ancillæ, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant, servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit. Si vero hac prohibitione nostra, imo verius apostolica contempta, nutrices, obstetrices, & aliam familiam, non dimiserint Christianam, episcopi locorum sub excommunicationis poena, inhibeant districte omnibus Christianis, ne cum Judæis commercium aliquod audeant exercere. Quia similitudo exterioris habitus, quem Judæi cum Christianis indistinctum deferunt, plerumque tantum periculum inducit, quod per errorem Christiani, Judæorum, & Judæi, Christianorum mulieribus commiscentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus, per velamen erroris hujusmodi, quandoque simulati, ulterius excusari possit, statuimus, ut masculi Judæorum in capitibus suis pilea lata, ut antiquitus consueverant, & non caputia, deferant. Mulieres vero sub peplo, sive alio velamine, capitis ornarium, sive levaturam eminentem supra frontem ponant, sic, quod omni tempore per hujusmodi signa, a Christianis discernantur. Quæ signa, si Judæi infra duorum mensium spacium, a publicatione præsentium non assumpserint, ut est dictum, ex tunc eis, per excommunicationis sententiam christianorum communio subtrahatur, et in poenam temporalis domini loci, qui ipsos ad hoc non compellet, clerus secularis & religiosus civitatis, Oppidi seu villæ, in quibus Judaei taliter indistincte morantur, eo ipso generalem cessationem faciant a divinis, donec per Judæos, statuto præsenti fuerit obeditum.

In die Parasceven dominicæ Passionis Judæi in publicum non prodeant, & per totam illam diem ostia & fenestras suas clausas teneant ne in christianorum conspectum, qui tunc sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, per suas derisiones & blasphemias in contumeliam prosiliant creatoris. Nulli eorum publico præficiantur officio. Si quis autem hæc commiserit, excommunicationis sententia innodetur: Judæo vero officiali, tamdiu Christianorum communio in commertiis & aliis denegetur, donec in usum pauperum christianorum, secundum providentiam dioecesani episcopi convertatur: quidque fuerit a christianis adeptus, occasione officii sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Synagogas novas construere nullatenus admittantur, sed antiquas si corruerunt, vel ruinam minantur, reædificare poterunt: non autem, ut eas exaltent, aut ampliores, aut præciosiores faciant, quam antea fuisse noscuntur, qui utique pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis, & suis observantiis tolerantur. Ad baptismum non cogantur inviti, nec in personis vel rebus suis, sine judicio puniantur. Nec in suis festivitatibus perturbentur, nec eorum coemiteria per exhumationem corporum, vel alias violentur.

De hæreticis.

Hæretici, quarumcunque sectarum & credentes ipsorum erroribus, nec non receptatores, defensores & fautores eorum excommunicati sunt, quo universi fideles christi, maxime parochiales presbyteri, diecesano loci, vel inquisitori hæreticæ pravitatis denuntiare tenentur, ut pro suis demeritis ultionem recipiant, & ne fidelium corda, eorum doctrinis pestiferis corrumpantur.

Contra christianos.

Qui ad ritum transierunt vel redierunt Judæorum, etiam si hujusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolute seu præcise coacti baptizati fuerint, est tanquam contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos seu Judæos convicti, & sicut contra fautores, receptatores & defensores talium, procedendum.

De raptoribus.

Mandamus universis plebanis & aliis clericis, cujuscunque sunt status, in virtute S. obedientiæ, & sub poena privationis beneficii, ne aliquem raptorem, proscriptum, bannitum, profugum vel incendiarium, aut eorum rapinas in domibus suis, recolligant, vel conservent; aut ipsis etiam extra domos suas, expensas seu alimenta ministrent, sive ipsorum literas vel legationes, ad quascunque personas perferant, a quibus plerumque hujusmodi pestiferum genus hominum, per comminationes de occidendis personis, vel earum bonis cremandis, pecunias extorquere conantur.

De

De usuris & usurariis.

Usurariorum pravitatem, qui plerumque mercatorum famam inquinant, dum sub mercationis velamine diversis adinventis fraudibus, plus secum contrahentes damnificant, quam illi qui nullo quæsito colore, directe mutuant ad usuras, detegere cupientes, & ne etiam juris ignorantiam simulatam circa hoc possint prætendere, & sic suos errores de cætero, frivolis rationibus excusare. Declaramus & dicimus, quod cum usura tantum committatur in mutuo; mutuum autem in iis rebus consistat, quæ determinantur numero, pondere vel mensura, non solum is, qui expresse rem hujusmodi eo pacto, vel principaliter ea spe mutuat, vel aliquod B emolumentum temporale ultra sortem recipiat, quantumcunque sit parvum, sive sit fructus, seu proventus rei pignoratæ, in sortem non computat, usurarius est censendus; sed & ille, qui mercem quamcunque venditionis tempore, communi æstimatione minus valet, & quam tunc venditurus erat, carius vendit, solutionem precii differens, ea vice, & qui statim solvit precium cujuscunque rei emptæ, pro minori, quam tunc valeat, lucri causa, ejusdem rei traditione dilata, ad terminum, in quo constat, ipsam rem plus valere, Usurarii sunt censendi, & qui tales esse probari possunt ad notitiam dioecesanorum, vel eorum officialium perferantur, ut per eos ad restitutionem usurarum ipsi, vel eorum hæredes districtione canonica compellantur. Confessores autem in foro animæ, tales ad restitutionem inducant efficaciter, si suarum animarum damnationem cupiunt evitare. Sane, si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras, non esse peccatum, ille, velut hæreticus condemnetur. Præcipimus autem plebanis locorum, ac illis, qui habent officium prædicandi, quod saltem semel singulis mensibus statutum præsens fidelibus exponant vulgariter, ac eos salutaribus inducant monitis, ut abstineant a criminibus & fraudibus usurarum. Et inno- D tescant omnibus, ac eis in remedium peccatorum suorum injungant, ut ipsi in nostro, seu suffraganeorum nostrorum consistoriis, usuras, aliquo de prædictis modis solutas, repetant, vel, si nondum solverint, sed solvere promiserint, a promisso se, & suos fidejussores absolvi petant.

De Falsariis.

Plerumque parochialium ecclesiarum rectores, & alii simplices clerici, decipiuntur per falsarios literarum, dum juris ignari, falsitatem eorumdem, quæ non solum in sigillis, & eorum applicatione, verum etiam E in rasuris chartarum, & alias multipliciter perpetrantur, deprehendere nescientes, falsas pro veris receptant.

Volentes igitur inconvenientiis & periculis, quæ ex hujusmodi incauta credulitate sequuntur, occurrere, statuimus, ne de cætero aliquis plebanorum, vel quæcumque alia ecclesiastica persona, literas, quæ dicuntur a sede apostolica, vel ejus poeniten- A tiariis, seu a quocumque alio, de ignotis partibus, super indulgentiis, petitionibus eleemosynarum, vel dispensationibus, seu quibuscunque aliis negotiis impetrare, in favorem vel præjudicium cujuscunque audeat approbare, nec ipsas, in sua ecclesia permittat aliquatenus publicare; nisi prius per dioecesani loci, vel ejus officialis patentes literas fuerint approbatæ. Quod si portitores hujusmodi literarum, contradicente plebano, eas publicare, vel earum prætextu eleemosynas seu alios quoscunque actus præsumpserint exercere: ipse plebanus, eos cum rebus suis, auctoritatem habet arrestandi, cum adjutorio, si opus foret, brachii secularis, sic, quod ipsos una cum rebus & literis dioecesano vel archidiacono loci, quam cito commode poterit, studeat præsentare.

De sortilegiis.

Parochiales presbyteri plebes suas frequenter informent, ut sciant sortilegas artes, & incantationes, sub prolatione quorumque verborum, vel scriptura characterum, quibuslibet infirmitatibus hominum seu animalium, nihil posse conferre remedii, vel sterilitati agrorum vel arborum, seu potestati tonitruorum vel grandinum providere, & eis sub excommunicationis poena præcipiant, C quod a sortilegiis & superstitionibus quibuscunque abstineant, nec sortilegos consulant, vel ad domos suas recipiant: sed quod ipsi plebano tales denuntient, ut turpiter dehonestati, ejiciantur de plebibus, ne per eos simplicium conscientiæ polluantur.

De excommunicato, interdicto, vel suspenso celebrante.

Is, qui celebrat majore excommunicatione ligatus, aut cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si in ea se divinis ingerat celebrando, vel concelebrando in suo agens officio sicut prius, & ille qui scienter celebrat in loco supposito interdicto, irregularitatem incurrant, a qua nequeunt, per alium, quam per Romanum pontificem liberari. Talis etiam, cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si interdicto hujusmodi durante, decedit, non debet, sicut nec excommunicatus excommunicatione majori, in ecclesia vel cœmeterio ecclesiastico sepeliri. Ille vero, qui scienter celebrat præsente excommunicato, excommunicatione majori, est ingressus ecclesiæ interdictus. Et si hoc interdicto durante celebrat, irregularis efficitur, ab ea tantum per summum Pontificem liberandus. Qui autem sic irregularis in contemptum clavium divina præsumpserit profanare, beneficiis suis privetur perpetuo, & nihilominus subjiciatur poenitentiæ carcerali.

De injuriis & damno dato.

Si culpa tua alicui factum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus auxilium præbuisti, aut hæc imperitia tua, seu negligentia evenerunt, de jure super hiis satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam

ANNO CHRISTI 1346.

riam verisimiliter posse contingere vel jacturam. Quod si animalia tua, alicui nocuerunt, tum ad satisfactionem teneris, nisi eadem animalia dando passis damnum, velis liberare teipsum, quod tamen ad liberationem tuam non proficeret, si fera animalia, vel quæ naturaliter consueverunt nocere, dato, quod domesticata fuissent, & quam debueras, non curasti, diligentiam adhibere. Sane, licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse. Secus tamen est, in illo dicendum, qui ne damnum accideret, de contingentibus, nil obmisit. Et si injuriam passus secundum christianitatis legem injurianti rancorem ex corde, gratis, pro Deo dimittere teneatur, satisfactionem tamen pro eadem, coram competenti judice, potest petere, dimissione rancoris hujusmodi non obstante.

De pœnitentiis & remissionibus.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam pro viribus studeat adimplere. Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ coecitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit, justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris confitentis non alterius circumstantias, & peccati per circumlocutiones cautas, maxime circa inusitata peccata, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad sanandum ægrotum. Nam si peccator dicat, se non posse, vel nolle in futurum ab aliquibus peccatis mortalibus abstinere, dato quod præteritis pœnitentiam sit paratus suscipere, tamen, quia contritionem veram non habet, quæ requiritur, quod & præterita plangat, & in futuro ab eisdem & similibus abstinere proponat, absolvi non debet, sed ejus confessione recepta, crebris & salubribus monitis ad abstinendi propositum, aliquali sibi imposita poenitentia inducatur. Caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovismodo seriose, vel jocose prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ, caute requirat. Quoniam qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum a sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.

A Presbyteri circa principium quadragesimæ, in suis prædicationibus, suas plebes sollicitent, ut confessiones suorum peccatorum, ad finem ipsius quadragesimæ, non differant, sed eas statim faciant, cum jejunium, seu alia quæcunque bona opera, ad salutem non prosint, in peccatis mortalibus constitutis; & induti superpelliciis, in ecclesia confessiones audiant, pœnitentibus, qui confitentur, se furtis, rapinis, usuris vel aliis fraudibus facultates aliorum abstulisse, ante omnia male ablatorum restitutionem injungant, in toto vel in parte, prout eorundem se facultates extendunt, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Non confitentibus sibi præcise comB parationes missarum injungant, sed mandent certum quod erogandum pauperibus presbyteris, vel aliis, prout rationabilius devotioni videbitur congruere confitentis. Casus reservatos auctoritati summi pontificis, vel episcopis, de jure ad eosdem remittant, nisi habens casus hujusmodi, sit in mortis articulo constitutus, quo cessante periculo, super criminibus papæ vel episcoporum auctoritati reservatis, pro recipienda poenitentia ipsorum, vel poenitentiariorum eorundem, se conspectui repræsentent. Cum autem vocatur presbyter ad curandum infirmum, prius quam deferat ad eum corpus Christi ipsius, si non imminet mortis periC culum, familiariter confessionem recipiat, ne per multorum præsentiam & tumultum, qui ob devotionem & indulgentias comitantur ipsum presbyterum sacramentum eucharistiæ deferentem, impediatur devotio confitentis.

Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda est quantitas poenitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus & eleemosynarum studiis, pondus poenitentiæ sublevandum, quod si forte migraverint, ne obligati, a communione & consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo divinitus erepti convaluerint, poeD tentiæ modum a sacerdote sibi impositum, diligenter observent. Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sacrorum patrum, communione viatici reficiantur. Aliis vero pro qualitate peccati & præsidentium arbitrio, tempora poenitentiæ sunt decernenda. Licet fratribus prædicatoribus & minoribus sit a jure permissum, ut ex eis personæ sufficientes idoneæ, vitæ probatæ, discretæ, modestæ atque peritæ, per eorum certos superiores electæ & præsentatæ dyoecesanis locorum, in eorum civitatibus & dioeE cesibus, de ipsorum humiliter petenda licentia, gratia & beneplacito confessiones sibi confiteri volentium, audire, & imponere poenitentias salutares, & absolutionis beneficium impendere possint. Quia tamen sumus certo certius informati, quod iidem religiosi contempta ejusdem juris forma, indifferenter omnes, dummodo sint presbyteri, etiam non præsentati episcopo confessiones audiant singulorum, in apertam damnatio-

tionem suarum, et sibi confidentium periculum animarum. Ne per errorem hujusmodi animæ subditorum nostrorum periclitentur, de cætero, hoc sacro provocante ac approbante consilio, omnibus rectoribus, parochialibus nostrarum dioecesis et provinciæ firmiter inhibemus, ne parochianos suos permittant, dictis fratribus confiteri, nisi illis duntaxat, qui per patentes literas dioecesani episcopi, pro ipsis confessionibus audiendis nominatim fuerint deputati. Quas quidem literas de cancellaria nostra et suffraganeorum nostrorum, gratis, et sine solutione pecuniæ aliqua ipsi fratres habent recipere, et eas rectores ecclesiarum ad requisitionem fratrum ipsorum, sub excommunicationis poena teneantur in suis ecclesiis publicare. Veruntamen si episcopus fratribus ipsis, ut præmittitur, electis et præsentatis, sine causa recusaverit audiendi confessiones licentiam exhibere, ex tunc fratres ipsi, ex speciali concessione apostolica id faciendi, habent liberam facultatem. In nullo tamen casu, circa absolutionem, majorem auctoritatem habent, quam parochiales presbyteri, nisi episcopus vel superior, qui potest, ipsis uberiorem gratiam, specialiter duxerit, concedendam. Nec etiam possunt dicti fratres, seu quivis alii religiosi, clericis, vel laicis, sine speciali licentia parochialis presbyteri, ministrare alia sacramenta, et qui contrarium faciunt, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

In Ecclesiis quoque parochialibus, dicti fratres prædicare non possunt, nisi de ipsorum rectorum beneplacito & assensu. Cum autem fratres ipsi, diebus festivis, in suis domibus, in mane, prædicationes faciunt, non eas in tantum protrahant, quod plebs ad prædicationem et summam missam suæ parochiæ quibus tunc interesse tenentur, negligat horam debitam veniendi. Nec parochianos in suis sermonibus detineant, nisi forte domorum suarum festivitates indicerit, nec gyrando per ecclesias et eorum ambitus, populum aqua benedicta aspergant, aut cereorum, cinerum, vel frondium palmarum benedictionibus occupent, cum talia in parochialibus ecclesiis de jure et antiqua consuetudine peragantur. Non impediant etiam dicti fratres per suas prædicationes et processiones solennes, quas observat ecclesia generalis, quin imo, fratres ipsi, se in hiis debent parochialibus ecclesiis conformare.

Plerique episcopi, per indiscretam et superfluam indulgentiarum concessionem, claves ecclesiæ contemptibiles reddunt, et poenitentialem satisfactionem enervant, non advertentes, quomodo romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, in hoc, tantum moderamen consueverit observare, qui in cappella sua personaliter celebrans vel prædicans, interessentibus contritis et confessis, ad maximum VII. annos Indulgentiæ, & carenas totidem largitur. Ne igitur per temeritatem hujusmodi, simplicitati fidelium, de cætero illudatur, decernimus, ut secundum dispositionem juris communis, cum dedicatur basilica, non extendantur indulgentiæ ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur. In anniversario vero dedicationis tempore, quadraginta dies injunctis poenitentiis, indulta remissio non excedet. Et similiter quando ex aliis rationabilibus causis, per literas suas Episcopus hujusmodi remissiones suis subditis voluerit indulgere, quadraginta dierum, & non amplius, numero sit contentus. Nec remittentium indulgentias subditi participant alieni, nisi hoc, ut ipsi, uti possent, eis proprii judices specialiter duxerint indulgendum. Huic autem statuto necessario duximus annectendum, quod nullus clericus secularis vel religiosus, exemptus vel non exemptus in ecclesia sua, seu monasterio, indulgentias, præterquam dioecesani loci audeant publicare, vel nisi per dioecesani patentes literas fuerint approbatæ. Nam frequenter in diversis ecclesiis sive locis, multorum annorum & carenarum indulgentiæ, sub nominibus summorum pontificum, et etiam episcoporum ignotorum conceduntur, quapropter nimium excessum de falsitate vehementer sunt suspectæ. Et propter hoc hujusmodi indulgentiarum literæ, per Dyoecesanum examinari & approbari debent, cujus interest, ne ipsius subditi ex spe, quam hujusmodi mendosas & falsas indulgentias obtinent, ab agendis condignis poenitentiis retrahantur. Prohibemus insuper ne publice poenitentes alias quam in die Coenæ Domini reconcilientur ecclesiæ, & eis relaxentur carenæ, & nisi iidem a suis plebanis testimoniales portent literas, quod vere sunt poenitentes, & quod jam poenitentiam, vel ejus partem aliquam peregerunt. Si episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille quem is elegerit in casibus, cui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, nisi hoc in concessione specialiter exprimatur, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.

De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

Sacro approbante consilio prohibemus, ne quisquam prælatus vel judex, de jure vel consuetudine excommunicandi potestatem habens, in aliquem procedendo, tanquam judex excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Excommunicationem autem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse scribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum etiam hujusmodi scripturæ excommunicans teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione, volumus fieri publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici, sigillo autenthico consignatas. Si quis autem Judicum hujus constitutionis temerarius extiterit violator, etiamsi alias fuerit juxta excommunica-

cationis ſententia, per menſem unum ab ingreſſu eccleſiæ & divinis, noverit ſe ſuſpenſum. Et hæc eodem, in ſuſpenſionis & interdicti ſententiis, volumus obſervari. Plebani vero ſeu parochiarum rectores excommunicandi authoritatem ſibi noverint penitus interdictam. Quod ſi propria temeritate quempiam excommunicare præſumpſerint, ſuperioris arbitrio proinde puniantur. Cum autem in prolatione ſententiarum hujuſmodi magna maturitas requiratur, epiſcopi & alii judices eccleſiaſtici, ſententias ipſas, per ſe ipſos, in rebelles proferant, & demum publicationem ſeu denuntiationem earundem, plebanis locorum committant. Qui commiſſione ſuper hoc ſeu mandato recepto, induti ſacerdotali veſte ad altare, ſeu in ambone eccleſiæ ſtantes, expoſita populo excommunicationis cauſa, accenſis candelis, projectis ad terram, excommunicatum denuntiabunt publice, & præcipient, ut ab ipſius communione abſtineant univerſi. Denuntiare etiam debet epiſcopus, eum, quem excommunicavit, vicinis epiſcopis, qui ad ipſius requiſitionem, talem, in ſuis dyoeceſibus excommunicatum denuntiabunt, & ipſum, tanquam excommunicatum vitabunt, & a ſuis ſubditis facient arctius evitari.

Qui abſolutionis beneficium parvipendunt.

Nonnulli majori excommunicatione ligati, & publice denuntiati, abſolutionis beneficium parvipendunt, ex eo, quia clerici ſeculares & religioſi, & maxime exempti, eis non ſolum in communibus actibus, & extra divinum officium, verum etiam in divinorum celebratione, communicare præſumunt. Et ſi quandoque clerici ipſi, de communione ſeu participatione hujus arguuntur, reſpondent nonnunquam mendaciter, quod talis excommunicatio ad eorum notitiam non pervenit. Quia vero excommunicatos, excommunicatione majori, tam exempti, quam non exempti vitare tenentur, & ſi eis communicant, excommunicationem incurrunt minorem, ne ſit neceſſarium, quod ſingulorum auribus ſingulariter inculcetur, ex quo ſententia ipſa publice promulgatur, definiendo ſtatuimus, quod, quando excommunicationis ſententia in eccleſia cathedrali, ſynodo, parochia propria, vel alio loco debito, & patenti, ſolenniter fuerit promulgata ſeu publicata, ipſi excommunicato participans, ſe, quin hujusmodi canonice puniatur, per ignorantiam nullatenus valeat excuſare, niſi doceat, quod tempore promulgationis ipſius ſententiæ fuerit extra dyoeceſim, vel alibi, in tanta diſtantia conſtitutus, ſic, quod ad eum talis excommunicatio non pervenit, nec potuerit veriſimiliter pervenire. Inſuper ille, qui, dum eſſet ſanus corpore, abſolutionis beneficium, a ſententia excommunicationis, qua innodatus exiſtit, petere negligit ſeu contemnit, in ægritudinis lecto, abſolutionem petens, non antea abſolvatur, donec ponat idoneam cautionem, quod, ſive convaleſcat, ſive moriatur, ſecundum poſſibilitatem ſuam per ſe, vel per alium, plenarie ſatisfaciat de commiſſo, ratione cujus fuit excommunicationis vinculo innodatus. Qui vero excommunicatus moritur, ipſius cadaveri, chriſtianorum communio denegetur.

De verborum ſignificatione.

Intelligentia verborum, ex cauſis dicendi, aſſumenda eſt: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus. Verba, ex communi uſu, ſunt intelligenda.

De regulis juris.

Dubia, in meliorem partem ſunt interpretanda.

Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.

Neceſſitas licitum facit, quod in lege licitum non habetur.

Res ſacræ a quoquam injuſte violari non debent.

Non juſte facit, qui ex timore ſervili aliquid facit.

Defleat peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.

Non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.

CONSTANTINOPOLITANA PSEUDO SYNODUS

In qua Johannes Aprenus Patriarcha reus adsciti dogmatis Barlaami, & rejecti Palamæ sistitur & deponitur,

Anno 1347. *habita.*

QUamquam Venetus Labbei editor, vir doctus mihique amicus, Constantinopolitanam hanc synodum non ignoravit; cum tamen in ejus historia mancus sit & erraverit in multis, ideo concilio huic non tantum additamento succurrendum, sed & ex integro refingendum est. Tertia hæc est synodus CPtana, cui indicendæ causam præbuit Johannes Caleca CPtanus Patriarcha, qui Palamæ olim sectator in Barlaami & Acindini partes inclinare videbatur. Dies illi dicta ad concilium, cui Anna Imperatrix & filius ejus Johannes imperator præsidebant. Peracta sub illis sessio prima, & cusum de Joannis abrogatione decretum; tum & tomus alter (alter inquam a priori, quem secunda synodus scripserat) contra Acindynum & complices editus, *ac triginta episcoporum subscriptionibus confirmatus, quibus postea per subscriptionem consensit quoque sanctissimus Hierosolymorum patriarcha.* Ait David monachus in relatione de dissidio Barlaami & Palamæ, quam in MS. cod. Bibliothecæ Augustanæ legisse se Gretserus in Adnotat. ad Cantacuzenum lib. 2. cap. 40. affirmat, et ex ea verba illa decerpsit, quæ pariter verba recurrunt in actis synodi CPtanæ a Combefisio vulgatis & synodo anni 1350. assignatis, legendis in edit. Venet. Lab. tom. XV. pag. 620. Hæc mihi fusius aliquanto dicenda fuerunt, ut demonstrarem subscriptiones illas, quas veluti subjectas tomo in in hac synodo cuso dedit Venetus Labbei editor, accepitque a Lambecii Commentar. lib. VI. pag. 30. non ad hanc quidem synodum, sed ad præcedentem alteram anni 1341. pertinere convincerem. Exhibet enim nomina Patrum tantummodo decem; cum triginta tomo hujus tertiæ synodi subscripta legenda essent. Ex quo illud ulterius consequitur, tomum illum Bibliothecæ Cæsareæ cui adjunctæ erant subscriptiones a Lambecio vulgatæ, ad synodum illam secundam anni 1341. spectasse; nec sane de Nessel in Commentar. Biblioth. Vindebon. par. II. decretum illud alteri assignat.

Dum ita concilium propemodum absolvendum expectaretur, accidit ut Joannes Cantacuzenus Imperatori Joanni collega a populo datus urbem CPolim, ex qua ad id usque prohibitus fuerat, obtinuerit. Eo confugit Joannes Patriarcha auxilium implorans; agenteque Imperatore instauratur concilium, cujus innovati acta hic recitare verbis Joannis Cantacuzeni in historia a se scripta lib. 4. cap. 3. maluerim. Postquam igitur narrasset historicus Joannis patriarchæ jam damnati ad imperatorem recursum, ita loquentem Imperatorem illum inducit.

Quod autem ad prava dogmata attinet, quorum te episcopi coarguunt, ego quoque te calculo meo condemno, si convincare. Sin absolvere, nihil impediet, quin thronum tuum recipias. Quoniam vero te ab episcopis exauctorari contigit, ego te in sedem restituere non possum. Tamen ad me provoces licet, meque arbitro ad objecta respondeas. Patriarcha imperatoris erga se mansuetudinem, benevolentiamque cernens,
B propemodum somniare se putabat, propter rerum eventum inopinatum videlicet. Insuetatum enim mortis genus, & omnia summa ludibria, supremasque contumelias sibi patiendas suspicabatur, dum perpenderet, quam multa belli tempore in eum nefarie deliquisset. Deinde jam meliore spe subnixus, & e timore quo tenebatur recreatus, imperatorem de lenitate, injuriarumque oblivione prædicabat oppido, agebatque gratias impense, quod sui misertus, ignovisset. Petebat autem tempus ad deliberandum, quid episcopis respondendum esset, si causam suam tueri vellet: quod ei imperator concessit. Tertio post die ad eum regressus,
C perblandis, ac festivis sermonibus eum exhilarans, etiam de judicio percunctabatur, vellet ne causam suam agitari. Patriarcha rursum affatim imperatorem laudare, & judicium sibi optatum affirmare: etenim crimina se diluturum. Imperator ejus petitionem episcopis statim significat, suaque sententia, ut justam confirmat: id quoque episcopis quoque perplacere videbatur: affirmantibus, nec sibi probari, patriarcham throno depelli, nisi perversam doctrinam, & ab orthodoxa religione valde discrepantem sectari ostenderetur, præfigebantque diem, quo omnes in palatium coacti, in ejus dogmata inquirerent. Qui ubi illuxit,
D episcopi, & monachorum præcipui, aulicorumque procerum lectissimi conveniunt. Vocatur Patriarcha, differt, & se venturum negat. Iterum ac tertium pro more vocatus, judicium semper detrectat. Episcopi decretam exauctorationem, juxta patrum de his rebus sanctiones ratam faciendam constituunt. Non permittens imperator, ipse patriarcham adit; quærit num ad causam dicendam velit occurrere. Quo aperte etiam illo præside, judicium repudiante, episcopi consensu abdicationem ejus in litteras redigunt, & de dogmatis tomum edunt, in quo confitentur omnes: Acindynum ejusque coetum (quibuscum & patriarchæ Joanni,
E eadem sentienti, consuetudo fuerit, quocirca & sede sua dejectus sit) prave, atque impie de religione sentire. Palamam autem cum sui similibus divinorum & Theologorum placitis consentanea & sapere, & profiteri. Tali modo Joannes patriarcha throno ejectus est, etiam antequam Byzantium intraret Imperator. Nec vero quiescebat, sed cum ecclesiasticis quibusdam, & episcopis, ac privatis conspirans, iterum turbas com-

ANNO CHRISTI 1348. movebat, & jactare perseverabat, sibi in judicio factam injuriam; vociferans contra episcopos, qui ei patriarchatum abrogaverant. Quamobrem omnes, exceptis tribus ejus asseclis, ad imperatorem adeuntes petunt, ut Byzantio pellatur, ita a seditione & tumultu ecclesiam conquieturam. Imperatori ob seditionem componendam similiter visum est faciendum. Ergo Didymotichum illum mittit.

Hanc synodi sententiam de exauthoratione Joannis decreto suo Cantacuzenus Imperator confirmavit, idque extare in cod. MS. Bibliothecæ Vindobonensis testatur de Nessel in Comm. Bibl. Vindobon. par. II. pag. 20. signari vero illud testatur mense martio Indict. XV. anno mundano 6855. Christi scilicet 1347. Portio etiam quædam tomi synodici in Concilio isto scripti recitatur inter acta synodi Palamiticæ anni 1350. rectius an. 1351. a Combefisio vulgata & in collect. Veneto Labbean. to. XV. inserta.

STATUTA SYNODI PROVINCIALIS DUBLINII

Coactæ tempore Alexandri de Bicknor (Bricknor) archiepiscopi Dublinensis

Ex reg. episcopi Ossoriensis in Bibl. illustris ducis Chandos. collat. cum MS. penes rever. episcop. Clogheren.

Wilk. tom. II. pag. 746. UNiversis almæ matris ecclesiæ filiis per dioec. & prov. Dublin. constitutis, Alexand. permissione divina Dublin. archiepiscopus, Hiberniæ primas, ejusque suffraganei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Spiritus sancti gratia, ope nostra, & consilio transgressores canonum corrigere, quædam etiam alia salubriter edita, non tamen satis moribus utentium approbata recensita stabilire, & contra novellas quorumdam tergiversationes, quas in furno sulphureo non cessat abissus piceus exhalare, novis quidem remediis occurrere intendimus, ut valemus. Et licet sanctorum patrum prædecessorum nostrorum decreta per ora ipsorum dudum promulgata, regulas justitiæ & æquitatis dogmata completiora quasi lata flumina prodierint, & tanquam rivuli de fluminis latitudine pro diversorum temporum necessitate sint producti; humani tamen juris conditionem in futurum curare cogit necessitas manifesta.

A sanctis olim patribus noscitur institutum, quod metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare; in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem cum Dei timore habeant tractatum, canonicas regulas, & maxime, quæ statutæ sunt in hujusmodi concilio generali, relegendo eas faciant observari, debitam poenam transgressoribus infligendo, ut quicquid legi divinæ corruptis moribus contraire cognoverint, gladio spirituali & doctrina salutis exterminent, ecclesiasticæ sarculo disciplinæ velut providi cultores vitia extirpent, virtutes inserant, mores reforment, ut appetitus noxius honestatis debitæ limites non excedat, deinde christiana professio liberius magis ac magis salubribus proficiat incrementis.

I.

De Decimis solvendis.

Nos Alexander, archiepiscopus supradictus, in nomine, sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, notorium fore providimus auctoritate præsentis concilii, de fratrum & suffraganeorum, ac cleri nostræ dioec. & provinciæ consensu & assensu ordinamus & statuimus, quod cum nonnullis inobedientiæ filii, ecclesiæ reverentia prorsus abiecta, propriis commodis inhiantes, ad eum, a quo bona cuncta procedunt, debitum respectum non habentes, qui decimas in signum universalis dominii sibi reservavit, & reddi præcepit, & pro suo cultu eos clericis ac ministris ecclesiæ assignavit & concessit, excogitata fraude maligna aliqua malitiose domini prædiorum & alii impediunt, impedirive faciunt seu procurant viros ecclesiasticos, ad quos spectat perceptio decimarum, eorumve procuratores vel ministros, quominus hujusmodi decimas percipere & colligere possint, unire, & abducere libere, integre, & quiete, ac eisdem gaudere sine quocumque impedimento, vel sine alicujus pecuniæ vel alterius rei exactione vel donatione. Alii vero in viros ecclesiasticos ea occasione, quod jura sua ecclesiastica in foro ecclesiastico prosequantur, aut fuerint prosecuti, ut tenentur, judicant, seu judicari & attachiari procurant, & clericos in strata publica, ac in domiciliis incedentes & existentes capiunt ministri & detinent, ac incarcerant, donec finem vel redemptionem fecerint, bona hujusmodi captorum sibi appropriant, & in usus suos convertunt, aut eis alia gravamina inferri faciunt, vel procurant in casibus omni jure reprobatis, vel saltem non permissis; unde maximas jacturas, & pericula inevitabilia incurrunt; universos & singulos hujusmodi instigatores, impeditores, captores, & alios supradictos; per quorum nefandas machinationes ecclesiis, vel earum rectoribus, vicariis, aut eorum ministris, seu quibuscunque viris ecclesiasticis, seu eorum ministris quicquam damni infertur, aut, ut subtrahatur honoris, permittitur, præsentis declaratione concilii pronunciamus vinculo excommunicationis esse innodatos, ac loca & terræ hujusmodi capientium, in quibus hujusmodi clerici capti & incarcerati detinentur, sint & remaneant interdicta, & sic publice interdicta fore denuncientur per ordinarios locorum, donec ipsis abeundi libera pateat facultas, & pristinæ libertati cum bonis & damnorum satisfactione plene fuerint restituti; ipsique capien-

pientes & detinentes, & hujusmodi terrarum inhabitatores, hujusmodi durante interdicto, omni careant ecclesiastica sepultura, & aliis sacris ecclesiæ, baptismo parvulorum, & poenitentia morientium duntaxat exceptis.

II.

De immunitate ecclesiæ.

Cum ad immunitatem ecclesiæ confugientibus aliqui propter arctam custodiam, quæ apponitur circa ipsos, vix in alimentis valeant subveniri, & aliqui confugientes hujusmodi ab ecclesiis, vel coemeteriis, vel via publica post abjurationem terræ violenter extrahantur, ac sic extracti, in præjudicium immunitatis ecclesiasticæ, crudeliter occidantur; ordinamus, quod omnes, qui talibus confugientibus, quos ecclesia tueri tenetur, alimenta impediunt ministrari, & illos, qui hujusmodi confugas ab ecclesia, vel coemeterio, vel alio quocunque loco ecclesiastico immunitatem habente, cum tunc sub protectione ecclesiæ consistant, vel a via publica post abjurationem terræ, ut est dictum, extrahere, vel extractos occidere præsumpserint, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

III.

De locis clericorum contra voluntatem eorum non ingrediendis.

Item ordinamus & statuimus, quod omnes, qui de domibus, maneriis, grangiis, & aliis locis bona ad archiepiscopos, episcopos, & alios viros quoscunque ecclesiasticos spectantia, vel ad personas ecclesiasticas, seu ad ipsas ecclesias pertinentia, quicquam præter voluntatem dominorum vel ipsorum, qui sint hujusmodi rerum custodes deputati, subtrahere, abstrahere, consumere, vel intrare præsumpserint, abstrahi, vel consumi, aut contrectari consensum fecerint; seu hujusmodi consumptionem, abstractionem, aut contrectationem suo nomine, vel a familiaribus factam, ratam habuerint, sacri approbatione hujus concilii provincialis pronunciamus & declaramus ecclesiasticæ immunitatis existere violatores, et sententiam majoris excommunicationis contra hujusmodi violatores in constitutionibus nostris, et prædecessorum nostrorum, et auctoritate præsentis concilii latam, incurrant ipso facto; rege, regina, et eorum liberis duntaxat exceptis.

IV.

Ne religiosi inducant aliquos ad eligendum apud eos sepulturam, vel sacramenta laicis ministrandi.

Item, licet explorati juris sit, quod viris religiosis, cujuscunque status, vel conditionis existant, sub certis poenis et censuris in sacris canonibus contentis, sit inhibitum, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu ad promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non mutent, aut laicis sacramentum unctionis extremæ vel eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his rectoris, vel vicarii, aut parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui ex causis prohibitis a canone, præterquam in casibus a jure permissis, aut per privilegia sedis apostolicæ concessis, eosdem a sententiis per statuta provincialia et synodalia promulgatis, seu, ut verbis eorum utamur, a poena et a culpa absolvere quoniquam præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, per sedem apost. duntaxat absolvendi. Nonnulli tamen sub quodam devotionis velamine et sanctitatis suæ ausibus temerariis contra præmissa facere, inducere, et procurare, abjecto juris tramite non verentur; auctoritate sacri præsentis concilii statuimus et ordinamus, quod quilibet dioecesanus singulis annis coram populo in lingua materna, ac de hujusmodi delinquentibus solertem faciat inquisitionem; et si quos in præmissis canonum invenerit transgressores, ipsos censuras in jure statutas incurrisse pronunciare non differat; et ipsos sic involutos in singulis ecclesiis supradictis nominatim, et nihilominus omnes sic delinquentes in genere per parochiales presbyteros quater in anno publice faciat denunciari.

V.

De peccatis, in quibus poenitentiarus absolvere non potest.

Item sacri præsentis auctoritate concilii inhibemus, ne quis de nostris poenitentiariis, et omnibus aliis, conspiratores, perjuros, falsos assisores, qui prece vel pretio, affectione vel odio, aut promissionibus corrupti, contra justitiam in alterius præjudicium, damnum, seu exhæredationem scienter falsum dixerint, seu hoc procuraverint, ac clericorum indictatores, et procurantes præter licentiam loci dioecesani, sine speciali licentia eisdem literatorie et nominatim concessa, præterquam in mortis articulo, absolvant; quod si convalescant, eis injungant, ut veniant ad dioecesanum loci poenitentiam salutarem super hoc recipiendi.

VI.

Ut nullus inferior episcopo absolvat ab homicidio.

Item absolutiones ab homicidio voluntario, tam publico quam occulto, solis episcopis extra mortis articulum reservamus; per quod homicidiorum audaciam refrenare intendimus, et non majori reverentiæ in aliquo derogare.

Anno Christi 1348.

VII.

Ut nullus consignet procuratorium ad alicujus petitionem, nisi constet petentem vocari nomine, quo se dicet nominatum.

Item ex horrenda quorundam malitia perpendimus accidisse, quod aliquo possessore ecclesiastici beneficii in remotis agente, aliquis dolosus ipsius adversarius beneficium, domum ejus, vel rem aliam, contra inhibitionem domini et sacrarum sanctionum, avaritiæ cæcitate concupiscens, spiritu sathanico se in lucis angelum transfigurans, fingit mendaciter prædictum absentem vocari coram judice, et se ipsius procuratorem existere, et vocari nomine absentis, ad causam ejus in judicio defendendam, prætendens auctoritate falsum procuratorium; alicui decano rurali, vel alii superiori forsitan supplicans in hæc verba: Quia sigillum meum præsentibus est incognitum, peto ut sigillum auctoritatis vestræ huic procuratorio meo apponatis; & sic data mercede iniquitatis obtinet, quod requirit. Deinde vero obtento falso procuratorio, cum altero se ipsius fingente adversarium fraudulenter & mendaciter litem ingreditur; & hac fraude procedens, possessionem beneficii nanciscitur per sententiam, vero domino, cujus status sic periclitatur de facto, hoc penitus ignorante. Volentes igitur tam detestandis fraudibus, in quantum est possibile, obviare, statuimus, ut nullus decanus, archidiaconus, vel ejus officialis, vel officialis episcopi sigillum officii sui alicui procuratorio apponere præsumat, nisi hoc petatur ab eo publice, in judicio vel extra judicium, nisi hic, qui procuratorem constituit, quem constat verum esse dominum, præsens personaliter sub laudabili testimonio hoc requirat, ut fraus quælibet excludatur. Si quis vero decanus, archidiaconus, vel eorum officialis, seu officialis episcopi ex certa malitia contrarium fecerit, per triennium ipso facto a beneficio sit suspensus; quicunque advocatus seu procurator hujusmodi facinus fieri procuraverit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & ab officio postulandi, ut inhabilis per quadriennium sit suspensus. Nihilominus alii aliter puniendi secundum loci dioecesani arbitrium.

VIII.

Ut non fiant inquisitiones de beneficiis, nisi in capitulis, possessore ad id vocato.

Item ad elidendum fallacias iniquorum, sagaci est studio laborandum cuilibet justitiæ amatori, ne, si torpescat rectorum industria, simplicitas adversantium supplantetur, & succumbat veritas falsitati. Sane ex relatione multorum recepimus, quod quidam in absentis beneficium oculos cupiditatis jacientes, novos fingentes rumores, asserunt mortuum esse beneficii possessorem, & procurant se per patronos ejusdem ad illud præsentari, & clandestinas inquisitiones fieri de eodem; sicque nonnunquam possessionem ejusdem subdole nanciscuntur, justis & veris ipsorum beneficiorum possessoribus penitus ignorantibus; ex quibus inclyta mala provenire didicimus, ex ipsis vero veri rectores eorumdem gravia dispendia patiuntur; statuimus & perpetuo ordinamus, ut nullus, cui ex debito officii sui hujusmodi inquisitiones competit facere, inquisitionem faciat, ut capiat super vacationem cujusvis beneficii, nisi publice in pleno loci capitulo, eo, qui possessioni ecclesiæ incumbit, vocato legitime, sub tanti temporis spatio, quo possit sibi de prudentum virorum consilio prospicere, & defensioni status sui sufficienti remedio providere. Super vacatione vero beneficii, quod de jure & de facto vacare prætenditur, in pleno loci capitulo, per rectores & vicarios ejusdem loci, capellanos, & alios viros fide digniores patriæ, si rectores & vicarii absfuerint, per quos rei veritas melius poterit indagari, vocatis vocandis, facta proclamatione publica in beneficio vacante, de die & loco hujusmodi inquisitiones faciendæ per totam nostram provinciam amodo fiant inquisitiones; quicquid autem contra præsentis concilii ordinationem fuerit attentatum, decernimus non tenere, & clandestinam inquisitionem, ut præmittitur, capientes ad arbitrium dioecesani fore puniend. & ipsum ambitiosum præmissa procurantem, ab ipso beneficio, licet ambitiose adepto, perpetuo fore excludendum.

IX.

Ne clerici beneficiati, vel in sacris constituti, laicorum ballivi vel seneschalli existant.

Item cæterum præsenti sacro concilio statuimus, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, seneschalli laicorum, aut ballivi, sine licentia dioecesani, seu quovismodo existant, nec jurisdictiones exerceant seculares; quod si contra hoc attentare præsumpserint, per loci dioecesanum acriter puniantur & mulctentur.

X.

Ut decani rurales causas matrimoniales tractare non præsumant.

Item, quoniam in causis matrimonialibus magna est discussio necessaria, unde eas a simplicibus est grande periculum pertractari; statuimus ut decani rurales nullas causas matrimoniales de cætero audire præsumant, nec earum examinatio nisi viris discretis committatur, quibus assidentibus, si commode fieri potest, debito fine terminentur.

XI.

XI.

De oblationibus factis in capellis matrici ecclesiæ restituendis.

Item sacro præsenti concilio statuimus, et districte præcipimus, quod capellani ministrantes in capellis, quæ salvo jure matricis suæ parochiali ecclesiæ qualitercunque sunt concessæ, oblationes universas, & cætera omnia, quæ ipsis non recipientibus ad parochialem ecclesiam pervenire deberent, rectoribus parochialis ecclesiæ, vel vicariis, si hoc sibi ex assignatione portionis suæ debeatur, integraliter restituant; quod si hoc facere contempserint, donec realiter satisfecerint, a celebratione divinorum sint suspensi.

Item religionis sinceritas ab omni secularis implicationis malitia est eo solicitius servanda, quo devotionis sanctæ simplicitas facilius retardatur, cum in curis sinceræ mentis oculus distractus ab unitatis studio sit præpeditus; præsentis auctoritate concilii statuimus, ut nullus religiosus admittatur executor alicujus testamenti, nisi suus superior caveat sufficienter pro religioso hujusmodi, quod ultimam defuncti, cujus fuerit executor fideliter exequatur voluntatem, & reddat integræ suæ administrationis rationem, & de damnis, si quæ per ipsum evenerint, loci ordinario absque difficultate respondeat, nec aliter de executione vel distributione se intromittat, sub poena anathematis inhibemus. Sane qui sufficienter cavere nequeunt, sciant se tam ab executione, quam administratione, sive distributione bonorum hujusmodi præsentis diffinitione concilii perpetuo alienos.

XII.

De testamentis.

An. CLXXII id Cam- nf. Clo- er. MS.Clo- er. pro *atorum* *rum* le- *domini* *pa.*

Item, cum in concilio (*a*) Casselen. per archiepiscopos, episcopos, & alios de consensu illustris regis Angliæ, & domini Hiberniæ (*b*) legatorum, ducum, comitum, baronum, procerum, clerique & populi Hiberniæ fuisset & sit ordinatum, concessum, & statutum, quod universi fideles in infirmitate positi, confessore suo & vicinis astantibus, cum debita solennitate testamentum condant, & bona sua mobilia, dummodo uxores & liberos habeant, ære alieno & servientium mercede exceptis, in tres partes dividantur; unam liberis, & alteram uxori legitimæ, ac tertiam propriis exequiis relinquentes; & si forte legitimam prolem non habuerint, inter ipsum et uxorem suam bona ipsa in duo media dividantur; et si legitima uxor decesserit, inter ipsum et liberos bipartiri debeant; nonnulli tamen non sine temeritatis audacia hujusmodi ordinationem, concessionem, et statutum infringere moliuntur; præsentis auctoritate concilii statuimus, ne quis alicujus solutæ vel conjugatæ mulieris, seu cujusvis alterius impediat seu perturbet, impediri vel perturbari faciat vel procuret cujusvis testamenti

A liberam factionem; quod si fecerit, sciat se majoris excommunicationis sententiam incurrisse ipso facto, a qua per loci dioecesanum tantummodo absolvatur.

XIII.

Sententia generalis.

Item auctoritate præsentis concilii excommunicamus omnes illos, et singulos, qui pacem regis & regni Angliæ, et domini Hiberniæ perturbare, aut libertates ecclesiasticas infringere, seu possessiones ecclesiasticas ausu temerario invadere, aut ad bona ecclesiastica manus injuriosas extendere præ-
B sumpserint, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis; necnon omnes illos et singulos, qui per prædicationes et suasiones publicas vel occultas ad pugnandum et guerram movendum in regem eundem, vel populum suum sibi subjectum, in dicta terra Hiberniæ, palam vel occulte inducunt, et (*c*) hortantur, non timentes animas decipere talium, eos quibusvis in hac parte sinistris suggestionibus adquiescunt, et a perpetratis, ac etiam perpetrandis hujusmodi prosecutionem guerrarum, homicidiis, incendiis, sacrilegiis, et rapinis absolvere propria temeritate præsumunt, cujuscunque status, gradus, conditionis, et ordinationis,
C aut dignitatis existant; et illos, qui in ecclesiastica beneficia per laicalem potestatem se intrudunt, et ea per laicalem potestatem injuste detinent occupata.

(c) legit *nihilominus pro hortantur.*

XIV.

De vita & honestate clericorum.

Item statuimus et ordinamus, quod omnes clerici, qui gaudere voluerint privilegio clericali, tonsuram decentem, et coronam competentem in capite deferant, maxime coram suis ordinariis, in ecclesiis et congregationibus clericorum, nec erubescant
D ipsius portare signa, qui pro eis spineam non dedignabatur portare coronam, factus pro nobis obediens usque ad mortem, (*d*) ut ejus resurrectionis et gloriæ possemus esse participes æternæ. Si quis vero clericorum contra hoc attentare præsumpserit, per ordinarium loci graviter puniatur.

(d) Clogh. ita: *ut iis resurrectionis tribueret esse participes.*

XV.

De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.

Item sacro præsenti concilio ordinamus & statuimus, quod si quis archiepiscopum,
E episcopum, archidiaconum, suosve officiales, commissarios, vel eorum ministros pro eo quod eum pro suis culpis, criminibus, vel excessibus in his, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, suspenderit, excommunicaverit, seu ejus terram ecclesiastico (mediante justitia) supposuerit interdicto, ad examen vetitum traxerit, seu in foro laicali ea de causa judicaverit vel vexaverit, ipso facto majoris excommunicationis sententia sit innodatus.

XVI.

ANNO CHRISTI 1346.

A

XVI.

De eodem.

Item statuimus sub poena excommunicationis majoris, quod nullus virum ecclesiasticum ad publicum officium, quod non sine ordinis sui, vel status; aut juris offensa, vel sine nota irregularitatis exercere potest, per captionem bonorum, vel alia amerciamenta assumere compellat; quam contravenientes incurrere volumus ipso facto.

B

XVII.

De sepulturis, & aliis contentis in statuto.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullum officium spirituale alicui tradatur ad firmam, nec quod sepultura, vel aliquod sacramentum ecclesiæ pro aliquo debito cuiquam denegetur. Et si quis contra hæc attentare præsumpserit, ad arbitrium dioecesani sui graviter puniatur.

XVIII.

De immunitate ecclesiæ.

C

Item statuimus et ordinamus, quod laici judicia secularia, vel attachiamenta in ecclesiis, vel coemeteriis, vel solo ecclesiæ nullatenus exerceant; & si contra hoc fecerint vel attachiaverint, ipso facto sint excommunicati.

XIX.

Ne capellani admittantur sine chartis ordinum.

Item statuimus & ordinamus, quod nullus capellanus alienigena seu indigena incognitus ad celebranda divina infra nostram D provinciam, nisi prius de suis ordinibus literatorie constiterit, seu per testes fide dignos fidem fecerit, quovismodo recipiatur. Nec aliquis laicus alienigena de partibus remotis ad nostram accedens provinciam, nisi prius, quod solutus fuerit, in forma juris constiterit, ad solemnizandum matrimonium infra nostram provinciam quovismodo admittatur. Et si quis contra hoc fecerit, graviter puniatur.

XX.

De infamantibus.

E

Item omnes illi, qui odio vel lucri causa alium penes aliquos alios, apud quos prius non fuerat diffamatus, falso & malitiose diffamant super criminibus, pro quibus mors, vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exhæredatio, seu majoris partis bonorum suorum spoliatio sequi deberet, & judicialiter committeretur, majoris excommunicationis sententia ipso facto sint innodati.

XXI.

De electione decanorum.

Item ordinamus, & præsentis concilii auctoritate statuimus, quod illi, qui decanos rurales eligunt, pro hujusmodi decanis ruralibus, si in officio maleversati fuerint, seu de perquisitis & synodalibus loci dioec. minime satisfecerint, pro illis respondeant & satisfaciant competenter, & si per ministrum fuerit (*a*) initiatus, quod ipse respondeat pro assumpto.

(a) MS.C[...] gher. *mu[...] tatus.*

XXII.

De quæstoribus.

Item, quia eleemosynarum quæstores nonnullas abusiones in suis prædicationibus proponunt, ut decipiant simplices tantum, & nonnulla alia bona subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant, nonnulla etiam mala in deceptionem animarum multiplicem perpetrentur; statuimus, & ordinamus, quod nullus amodo quæstor sine literis archiepiscopi vel diec. admittatur quovismodo; & ut salubrius animarum provideatur saluti, statuimus, quod verba decretalia epistolæ infrascripta inserantur, quia, ut ait apostolus, "Omnes statuemur ante tribunal Christi, recepturi ut in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, "oportet nos messionis diem extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac (*b*) æternarum virtutum semen seminare in terris, quod reddendo domino multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis; firmam spem fiduciamque tenentes, quum qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam; & ad aliud proponendum, nisi fuerit licitum & canonicum, nullo modo admittatur. Sacerdotes vero, qui alio modo, quam supradicto, quæstores ad prædicandum voluntarie & scienter admittunt, per annum a celebratione divinorum ipso facto sint suspensi; & ipsi quæstores, si contra præmissa aliquid attentaverint, ipso facto sint excommunicati. Et si per quadraginta dies perseveraverint, ad significationem episcoporum capiantur, & incarcerentur, quousque de talibus aliud fuerit per loci dioecesanum dispositum. Quascunque literas hujusmodi quæstoribus hactenus concessas revocamus, præmissarum sententiarum relaxatione sine absolutione loci dioecesani reservata. Et capellani pecuniam ea occasione receptam ecclesiis cathedralibus restituant triplicatam.

(b) MS.C[...] gher. *ita[...] æternoru[...] intuitu [...]minare.*

XXIII.

De festis S. Patricii & patronorum.

In medio pectoris nostri beati Patricii, Hiberniæ apostoli, & patroni, memoriam revolvimus, qui, divina disponente clementia, populum Hibernicanum ad fidem convertebat, nonnulla etiam monasteria & ecclesias suis construxit temporibus, & multimodis co-

ANNO CHRISTI 1351.

coruscavit miraculis, cujus doctrina, vita, & sanctitate Hibernicana fulget ecclesia, aliisque multis insigniis decoratur & privilegiis; ipse nos fovet, ipsiusque meritis & intercessionibus assiduis indies (a) juvamur & refocillamur; & digne ad sui honoris gloriam & laudem quilibet catholicus oculos sui cordis & mentis convertere astringitur. Idcirco dignum prorsus arbitramur, ut fidelis populus prona voluntate tam excelsi, tam gloriosi patroni nostri memoriam cordicitus rememoret, ad divinam misericordiam pro peccatis impetrandam; sacri præsentis approbatione concilii ordinamus & statuimus, quod qualibet hebdomada extra quadragesimam solennis fiat commemoratio sanctissimi patricii, patroni nostri, per totam provinciam Dublin. in aliqua feria vacante, cum regimine chori; & quod dies exitus sui ab hoc ergastulo sanctissimus sub duplici festo perpetuis temporibus celebretur. Volumus insuper, & sacri hujusmodi approbatione concilii statuimus & ordinamus, quod aliarum ecclesiarum cathedralium nostræ provinciæ in suis dioecesibus dies exitus patronorum earundem, viz. sanctæ Brigidæ in Daren. sancti Canici in Ossor. S. Laseriani in A Lechlinen. & S. Edani confessoris in Fernen. dioec. sub duplici festo, & per totam provinciam Dublin. cum regimine chori solenniter celebrentur; ac etiam quod subditi cujuslibet ecclesiæ cathedr. nostræ prov. diebus, quibus officium patroni ecclesiarum cathedr. earundem sub duplici festo celebratur, ab operibus ruralibus prorsus abstineant, & debita meditatione ad divini nominis honorem, gloriam, & exaltationem, suarumque animarum salutem pro expiatione peccatorum suorum ad eorum ecclesias conveniant parochiales devote, & divinis intersint officiis hujusmodi diebus celebrandis.

(a) Desunt in MS. Clogher.

B Item statuimus & ordinamus, quod dies exitus S. Laurentii, quondam archiepiscopi Dublin. sub duplici officio, & festive; & festa undecim mille virginum, & translationis S. Patricii quodlibet sub novem lectionibus (b) sancte) in ecclesiis per totam provinciam nostram celebretur.

(b) Deest in MS. Clogher.

Item ordinamus, quod, ubi est servitium proprium dictorum patronorum, copia per dioec. ad quamlibet ecclesiam cathedralem mittatur, ut dioecesani possint facere de illis distributionem inter illas ecclesias, prout decet.

DUBLINENSE CONCILIUM

Anno 1351. habitum.

Hinc incipiunt constitutiones domini Johannis de sancto Paulo archiepiscopi Dublin. in concilio provinciali in ecclesia S. Trinitatis Dublin. A. C. 1351. editæ.

Ex MS. cines rev. Clo... herens. fert Wilk. to. I. p. 18.

QUoniam sanctorum patrum decreta pro moribus reformandis & excessibus corrigendis quantumcunque hactenus salubriter ordinata, effectum, pro quo ordinantur, tamen plenum sortiri non possint, eo præsertim, quod humana natura ad malum faciliter inclinans, contra juris remedia ob animarum salutem feliciter instituta per suas nodosas & inextricabiles machinationes novas adinventiones quotidie nititur producere.

Nos Johann. permissione D. Dublin. archiepiscopus, una cum suffraganeis nostris in concilio nostro provinciali in ecclesia nostra sanctæ trinitatis Dublin. die mercurii proximo post festum sancti Patricii anno domini 1351. celebrato, ad laudem Dei, ac gloriosæ virginis & Dei genitricis Mariæ omniumque sanctorum, & sanctæ matris ecclesiæ venustatem pro moribus subditorum solidandis, & vitiis extirpandis constitutiones infra scriptas breves & utiles pro tempore jam instanti, cum consensu & assensu suffraganeorum nostrorum prædictorum, ac nostrorum & eorundem suffraganeorum capitulorum, nec non aliorum omnium, quorum consensus requiritur in hac parte, duximus promulgandas; decernentes eas a quibuscunque subditis nostrarum civitatis, dioecesis & provinciæ fore futuris temporibus firmiter observandas. Stella mundi Maria mater nostri salvatoris radiis splendidissimis suæ magnificæ pietatis totam machinam illuminans orbis terrarum, ab omnibus christianæ fidei cultoribus inter omnes sanctos Dei est præcipue veneranda; & si in ecclesia militanti non poterit venerari, ut est digna, congruit tamen, ut ipsam devotis laudum præconiis, quibus possumus, laudemus in terris, quæ filium suum interpellat pro nobis jugiter in cælis.

De festo conceptionis beatæ Mariæ.

D Statuimus igitur, hoc sacro approbante concilio, quod festum conceptionis ipsius gloriosæ virginis Mariæ per totam nostram provinciam perpetuis temporibus duplici festo solenniter celebretur; subditis ejusdem provinciæ firmiter injungentes, quod in eodem festo in ecclesiis suis parochialibus conveniant, & divinis intersint officiis, & precipue in missa, & pro suorum remissione peccatorum, Deum, & dictam gloriosam virginem sinceris mentibus studeant exorare, ab omni onere servili, rurali & manuali prorsus abstinendo, sicut in festo nativitatis ejusdem virginis a Christi fide observatur; & servitium de conceptione fiat eo-E dem modo, quo in nativitate; hoc mutato, quod ubi dicitur "nativitatis" in festo nativitatis, dicatur "conceptio" in festo conceptionis.

De festo S. Annæ Matris B. Mariæ, & aliorum sanctorum.

In ecclesiasticis siquidem legitur historiis, sicut

sicut sanctorum patrum instituta testantur, A gloriosum Deum voluisse honorem, reverentiam & obsequia parentibus fœcunditatis exhiberi a sobole procreata, ut per hæc & alia sibi invicem exhibita stirpis in propagines honoris prærogativa clarius elucescat: quum igitur veneranda memoria beatæ Annæ, quæ sanctissimam Mariam Dei genitricem, & salvatoris nostri matrem suis gestabat visceribus, in utero sanctificata divinaque opitulante gratia ipsam genuit & feliciter produxit in lucem; nos igitur Joannes archiepiscopus supradictus ipsam beatam Annam, cujus memoriam ob vitæ ejus sanctitatem & puritatem, suis gloriosis meritis exigentibus, digne duxit sancta mater ecclesia excolendam a subditis nostrarum dioecesis & B provinciæ Dublinii devotius venerari sinceris mentibus cupientes, præsentis concilii auctoritate statuimus & ordinamus; quod festum sanctæ Annæ memoratæ in feria proxima post festum sancti Jacobi apostoli, nec non & translationibus S. Thomæ martyris, qui post multas & varias persecutiones, quas sustinuit pro defensione ecclesiasticæ libertatis, martyrii gladio feliciter occubuit, ac festum beatæ Catharinæ virginis, & martyris gloriosæ in singulis ecclesiis nostrarum dioecef. & provinciæ prædictarum sub duplici festo singulis annis diebus suis solenniter celebrentur; & quod subditi prædicti C in honorem ipsorum sanctorum Deum devote in ecclesiis suis parochialibus contemplantes, ab hujusmodi servili, rurali & manuali operibus se in festis abstineant antedictis, ut divinis officiis vacent devotius & intendant; singulis curatis ecclesiarum prædictarum sub poena majoris excommunicationis districte præcipientes, quod proprium servitium de dictis sanctis in singulis suis eccl. scriptum, & eisdem eccl. appropriatum, ubi propria historia de eisdem sanctis in ecclesiis non habetur, habeant infra sex menses a tempore publicationis præsentium continue numerandos, & quod servitium beatæ Annæ sic in festo beatæ Mariæ Magdalenæ cantetur, mutatis mutandis, interim cele- D bretur; qui quidem curati singularium dioecesium, qui historias hujusmodi jam non habent, eas in ecclesiis cathedral. dictarum dioecesium inveniant transcribendas.

Contra violatores sequestri ecclesiastici.

Quorundam subditorum nostræ Dublinii provinciæ malitia taliter inolevit, quod præcepta licita & discreta, sacrorum canonum ac suorum ordinariorum contemnere non verentur, ecclesiastica reverentia minime formita, dum ipsorum ordinariorum sequestra ex causis justis & veris in bonis eccle- E siasticis, & aliis licite interposita in contemptum clavium ecclesiæ præsumant nequiter violare. Ut igitur dicti præsumptores a suis malitiis arceantur, præsentis deliberatione concilii statuimus, quod violatores sequestrorum per nos vel suffraganeos nostros, aut nostra seu ipsorum suffraganeorum auctoritate interpositorum, dicta nostra provincia post & contra publicationem eorundem sequestrorum palam facta locis; in quibus bona si sequestrata consistunt, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

De clandestina desponsatione.

Licet clandestina matrimonia sint per sanctos canones interdicta, verum tamen nonnulli subditis nostræ Dublinii provinciæ ad vetita faciliter inclinantes, matrimonia clandestina contrahere consueverunt, bannis in facie ecclesiæ, juxta ipsos sacros canones non præmissis, & multoties in gradibus consanguinitatis vel affinitatis prohibitis in jure, uno contrahentium vel utroq; in lecto ægritudinis tunc jacente, vel adhibita ibidem tertia solennitate per cappellanos stultos, & iudoctos, taliter contrahentes temporibus suis fiant adinvicem copulati, ac si bannis legitimis præcedentibus hujusmodi matrimonia fuissent in facie ecclesiæ legitime celebrata, sicq; liberi illegitimi, adulterini & incestuosi procreantur, & animarum pericula damnabilia oriuntur. Nos igitur huic abusioni pestiferæ occurrere cupientes, hoc sacro approbante concilio, inhibemus, ne subditi nostræ provinciæ matrimonia clandestina solemnizare sub modo prædicto, aut solemnizari facere in lectis vel alibi extra ecclesiam quovis modo, seu in ecclesiis nisi bannis publice trinis edictis per tres dies festivos inter missarum solennia, juxta formam canonum prædictorum, præcedentibus præsumant, sub poena majoris excommunicationis, quam tam contra taliter contrahentes quam presbyteros hujusmodi matrimonia solemnizantes incurrere volumus ipso facto. Quia sæpe contingit matrimonia rite & legitime contracta per falsas & fictas causas, testesq; corruptos & subornatos, damnabiliter divortiari in gravissimum periculum animarum, præsentis auctoritate concilii excommunicamus omnes illos, qui scienter falsum perhibent testimonium, vel perhibere procurant, & qui tales testes scienter producunt in causa matrimoniali illicita, & maxime ubi agitur contra matrimonium, nec non judices qui scienter illicite conjungendos copulant, aut seperant licite conjunctos.

De immunitate ecclesiæ.

Item in statuto bonæ memoriæ domini Alexandri nostri prædecessoris immediate in concilio provinaiali edito novimus ordinatum, quod impedientes fugientibus ad ecclesiam alimenta ministrari, & qui ipsos fugientes ab ecclesiis vel e coemeteriis earum, aut aliis locis immunitatem ecclesiasticam obtinentibus extrahere, vel extractos occidere præsumpserint, sententiam majoris excommunicationis incurrant; huic statuto salubri auctoritate præsentis concilii adiiciendo statuimus, quod nullus in prædictis locis immunitatem ecclesiasticam sic habentibus, etiam laicus in laicum manus iniicere temere violentas; aut res alienas in locis prædictis causa custodiæ pro salvatione eorundem depositas asportare vel facere asporta-

tari præsumat, unde libertas ecclesiæ aliqualiter violetur, vel talia præsumentibus auxilium, consilium, consensum, vel favorem præbeat publice vel occulte; alioquin contravenientes vinculo excommunicationis consimili innodamus, ceteris poenis contra in statuto dicti prædecessoris nostri, & sacris canonibus promulgatis, in suo robore duraturis.

De jejunio passionis.

Dominus noster Jesus Christus descendens a patre luminum ad terram miseriæ tenebrosam de beatissima gloriosa virgine Maria incarnari, & in mundo Deus, & homo inter homines voluit conversari, die viz. sanctificato parasceves, horis viz. matutinalibus a Judæis captus, prima coram Pontio Pilato judice ductus, tertia illusus, corona spinæ coronatus, sexta cruci ab ipsis Judæis perfidis conclavatus, nona in cruce pendens mortuus, vespertina de ipsa cruce depositus, & completoria extitit traditus sepulturæ, sicq. circa ejus flagellationes, passionem, & ipsius sanctissimi corporis mysterium erat tota expedita dies ipsa: dignum est ergo, quod dies illa christicolis per ipsius Domini nostri acerbissimam mortem ab infernalibus suppliciis ad gaudia æterna redemptis festivius veneretur, eo die ad laudem & gloriam ejus nominis jejuniis, orationibus & obsequiis Deo placabilibus insistatur. Et licet ipsa dies sic sanctificata, qua per universum mundum ab obsequiis regularibus reservetur ut debeat reservari; quidam tamen de præmissis in istis partibus mores opera ruralia & secularia eodem die non metuant exercere.

Nos igitur hoc sacro concilio approbante ex abundanti statuimus & decernimus ipsa sanctificata die, ut præmittitur, ab hujusmodi ruralibus & secularibus operibus fore in nostris dioecesi & provincia de cætero penitus abstinendum, ita quod prætermissis hujusmodi secularibus occupationibus liberius Deo obsequiis vacare valeat populus christianus.

De adorando nomine Jesu.

Cumq; dicatur per apostolum, ut in nomine Domini Jesu Christi omne genuflectatur, cælestium, terrestium & infernorum, quum pium & fructuosum esse censemus, quod Christi fideles cum ipsum sanctum nomen ipsorum auribus insonuerit, Deo inclinent devotius cor & caput, consentiente eodem concilio, monemus & hortamur in Domino subditos nostræ provinciæ Dublin. quod omnibus & singulis ecclesiis per nostram dioecesin & provinc. divina officia quotiescunq. celebrantes & audientes, tam clerici cujuscunq; status quam laici, tam in choro quam alibi in ecclesia, audito eo sanctissimo nomine Jesu, mentem, caput, & corpus devotissime inclinent, & humillime Deo flectant, & ut eo ferventius & perseverantius in isto sacro proposito perseverent, qui sunt mercedem spiritualem a domino accepturi, singulis subditis dioecesis & provinciæ prædict. vere de peccatis suis & confessis & contritis, in dictis choris & ecclesiis cum ipsum sanctissimum & dulcissimum nomen Jesu inter missarum & aliorum divinorum officiorum solennia audierint, humiliter sic inclinantibus, decem dies indulgentiæ, viz. qualibet die dominica, & aliis festis per circulum anni duplicibus de omnipotentis Dei misericordia confidentes misericorditer elargimur.

De veneratione facienda cum recitatur "gloria Patri".

Insuper universis & singulis viris ecclesiasticis tam religiosis non exemptis, quam aliis, tam in ecclesiis cathedralibus, quam parochialibus, & aliis locis, ubi divina officia licite celebrantur, eadem celebrantibus officia & eisdem interessentibus firmiter injungentes, quod ipsi ad honorem & exaltationem nominis sanctissimæ & individuæ trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quotiescunq. dicitur "gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto," ad eadem verba Deo humiliter se inclinent, unde viventes a Deo in terra gratiam, & morientes cæli gloriam merito reportabunt.

Quod censuræ ecclesiasticæ debent in parochialibus ecclesiis publicari.

Cum censuræ ecclesiasticæ eo magis timentur, quo solennius divulgantur, ad poenam delinquentium & terrorem decernimus & ordinamus, quod excommunicationum sententiæ tam in nostris, quam in prædecessoris nostri constitutionibus superius promulgatæ, ter per annum viz. prima dominica in adventu Domini, dominica in septuagesima, & dominica proxima ante festum beati Petri ad vincula inter missarum solennia, cum major aderit populi multitudo, candelis accensis, campanis pulsatis, in singulis ecclesiis parochialibus nostrarum dioecesis, & provinciæ per locorum presbyteros, albis indutis, solenniter publicentur, & in lingua materna maxime ad laicorum intelligentiam exponantur.

Ut autem dictarum constitutionum recens in futurum habeatur memoria, mandamus coepiscopis & suffraganeis nostris universis, quod ipsas in suis dioecesibus per se & alios faciant solenniter publicari, & firmiter observari, ac in suis synodis episcopalibus singulis annis publice recitari, ut per eos perversorum refrænetur audacia, libertatesq; & jura ecclesiastica conserventur illæsa ad utilitatem communem, laudem & gloriam nominis Jesu Christi, qui pacem & tranquillitatem ecclesiæ & terræ Hybernicanæ foveat & confirmet. Amen.

Copia vera extracta ex libro rubro antiquissimo dioecesis Ossoriensis registro seu recordo.

Per Rich. Connell. (Registrum
notar. Publ. (Ossorien.
(principal.

Anno Christi 1352.

INNOCENTIUS PAPA VI.

Sedit ab anno 1352. usque ad annum 1362.

LEGES ECCLESIASTICÆ ÆGIDII

Sabinensis episcopi & A. S. per Marchiam legati.

COLLECTORIS PRÆFATIO.

An. 1353. *ÆGidius Cardinalis Albernotius, Conchensis, Hispanus, vir generis nobilitate, prudentia, dexteritate agendorum, & scientia clarus, sacra Romana purpura jam ornatus & Sabinensi episcopatu potitus, ditionis pontificiæ in Italia citra Siciliam provincias administrandas ab Innocentio VI. suscepit. In eo regimine hanc curarum potissimam habuit, ut optimis constitutis legibus reipublicæ civilis, & ecclesiasticæ statum componeret. Id enim confusæ Italiæ res tunc maxime indigere videbantur, cum omnia sacra æque ac profana miscuisset Ludovici Bavari schisma, & schismati asserendo arma. Accedebat his Fraticellorum hæresis perniciosa, quæ sub obtentu pietatis fidei insidiabatur, nec sine successu. Hæ potissimæ rationes Ægidium suaserunt, ut, quas dixi, constitutiones daret, ecclesiasticæ, & civili rei restituendæ aptissimas; quas ego nactus sum in manuscripto codice membranaceo ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Josepho Palma archiepiscopo Lucano mihi communicato, & anno 1372. nempe post Ægidii obitum quinquennio, exarato. Porro hunc legum suarum codicem sex libris distinxit sapientissimus legislator, ex quibus tertius tantummodo in rebus ecclesiasticis versatur. Unum hunc librum tertium hic dandum censui, cum unus iste præsenti instituto meo serviat, cæteris, civilia tractantibus, omissis, eo plane consilio quo ex legibus sæcularium Principum ecclesiasticas sanctiones excerpit & passim exhibet Labbeus. Sed, ne quid dissimulem, Cardinalis Ægidii leges istæ non ex me primum typis vulgantur; prodierunt enim primum anno 1481. impressæ Perusiis, quacum editione ea contuli, quæ hic e MS. trado, ad oram libri variantibus adscriptis.*

CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ ÆGIDII ALBERNOTII CARDINALIS

Apostolicæ S. L. per Provincias ac Terras Ecclesiæ in partibus Italiæ citra regnum Siciliæ consistentibus.

INCIPIT LIBER III. DE CONSTITUTIONIBUS PERTINENTIBUS AD OFFICIUM SPIRITUALIUM.

De officio rectoris, sive auditoris super spiritualibus.

CONsuetudo antiqua, cujus non reperitur initium, & veteres constitutiones successive per rectores, & officiales ecclesiæ confirmatæ, quarum primi non reperiuntur auctores, & exigentia commoda provincialium, qui Metropolitanum non habent, & opportunitas explicandorum negociorum ecclesiæ, & suorum officialium & summi Pontificis forsan ordinatio, vel saltem tolerantia retroactis temporibus tribuere rectori provinciæ super spiritualibus, qui quandoque auditor vocatus existit, officium late diffusum; adeo quod idem rector sive auditor, ut quilibet ordinarius, de omnibus causis spiritualibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus cognitionem & decisionem consueverit exercere, & vice ordinarii fungi in quibuscumque causis civilibus, & criminalibus, & correctionibus delictorum; ordinariorum episcoporum, & aliorum prælatorum locorum suo regimini commissorum causas cognoscere, & eorum supplere negligentiam & defectum; & etiam consueverit cognoscere & terminare causas appellationum ab ipsis ordinariis, & prælatis & quibuscumque clericis, seu eorum sententiis interlocutoriis, & definitoriis & quibuscumque gravaminibus interjectas. Nos igitur, non videntes evidentem utilitatem mutationis, seu revocationis consuetudinis constitutionis hujusmodi, ipsas pro evitatione scandali, & bono publico duximus approbandas.

De officio Judicis super spiritualibus Marchiæ.

Judex super spiritualibus per rectorem, sive auditorem generalem deputatus, sit & esse intelligatur Judex competens & ordinarius in omnibus causis spiritualibus & criminalibus & civilibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, præterquam in iis, quæ sibi a dicto rectore, sive auditore forent specialiter interdicta, & præterquam in causis appellationum a suis sententiis, sive gravaminibus interpositis, seu interponendis, de quibus dictus rector spiritualium, sive auditor per se vel alium sit cognitor & terminator. Deest dit. tit

De modo procedendi super spiritualibus causis.

Spiritualium causarum, & omnium pertinentium ad forum dicti auditoris, vel sui judices vel delegati, sive sint criminales, sive ci-

ANNO CHRISTI 1353.

civiles sive appellationum, similis ordo sit in procedendo, & sententiando, sicut determinantur per nostras constitutiones in caūsis civilibus, criminalibus, & appellationum pertinentibus ad forum sæcularium judicum, seu rectoris temporalis provinciarum.

De excommunicationibus, & interdictis in favorem appellantium, & prosequentium jus suum in nostra curia.

Auditor, & judex super spiritualibus, et quilibet ipsorum, quandocumque ipsi, vel alter ipsorum idem fuerint requisiti per judicem appellationum vel delegatum, coram quo causa appellationis interpositæ ad rectorem, vel suum judicem, aut officialem verterentur, vel pro parte appellante, aut jus suum prosequente coram rectore, vel suis judicibus, teneatur sub poena excommunicationis in officiales, seu singulares personas, & interdicti in communitates & terras (quas poenas incurrant ipso facto) mandare omnibus, quod innovata & facta contra dictos appellantes, vel jus suum prosequentes debeant intra terminum per eos assignandum revocare, & ad pristinum statum reducere & quod ab omni novitate noxia debeant abstinere.

(innovatio)

De modo deferendi Corpus Christi ad infirmos (b).

(...) ad. & lud referendum

Ut debitæ devotionis occasio circa Corporis D. N. Jesu Christi pro redemptione fidelium immolatum omnibus præbeatur, præcipimus, quod quotiescumque idem Corpus D. N. Jesu Christi ad infirmum deferre contigerit in calice vel pixide, vel alio decenti vase ad hoc specialiter deputato cooperto, pulchro, & mundo velamine, Sacerdos veste alba, vel alio habitu decente indutus ambabus manibus ante pectus deferat reverenter ad infirmum ministro clerico, vel in clericali habitu cum campanella, & lumine procedente. Et id ipsum in reditu observetur, si inde Corpus Domini contigerit reportari.

Quod missa non celebretur sine lumine de cera.

Item præcipimus ne quis presbyter absque lumine candelæ de cera missarum solemnia audeat celebrare.

De non celebrando in locis interdictis, & non participando cum excommunicatis.

Item districtius inhibemus, ut nemo audeat celebrare in locis interdictis, aut eum excommunicatis, aut interdictis in divinis adesse officiis, vel aliter cum eis participare contra canonica instituta.

De poena admittentium publice excommunicatum, vel interdictum.

Item interdicimus ne quis aliquem publicum excommunicatum vel interdictum cujuscumque conditionis vel status existat, quomodolibet scienter admittat; transgressores autem constitutionis nostræ, cujuscumque conditionis, & religionis existant exempti, & non exempti, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & aliter rectoris sive judicis spiritualium arbitrio puniatur.

(d. cujuscumque conditionis)

De poena excommunicati vel suspensi immiscentis sese divinis.

Item si quis excommunicatus, aut suspensus sententiam excommunicationis vel suspensionis contemnens celebrare præsumpserit, aut injecerit sese divinis, decernimus officio, & beneficio præsenti constitutione privatum, & aliter Rectoris arbitrio puniendum.

Ne clerici vadant sine tonsura, & habitu, nec sæcularibus & inhonestis actibus se immisceant.

Item statuimus, & acrius prohibemus, ne quisquam Clericus beneficiatus, aut in sacris existens sine condecenti tonsura & habitu clericali decenti incedat, nec utatur inhonestæ mercationis, vel negociationis officio, vel taberna, nec in taberna comedat sive bibat, nisi in itinere constitutus; nec ludere audeat ad aleas, vel taxillos publice vel private; contrafacientes vero judicis arbitrio puniantur.

Ne clerici foenerentur.

Item interdicimus ne quisquam clericus per se vel alium, publice, vel occulte ad usuras, seu caput salvum pecunias mutuet, nec aliquid aliud faciat, vel concedat, ex quo possit ultra sortem percipi, vel lucrum foeneratìvum pervenerit.

Ne usurarii absolvantur, vel ecclesiastica gaudeant sepultura sub certa forma.

(deest in editis)

Item præcipimus ut nullus publice usurarius, & in mortis articulo absolvatur, ac etiam ecclesiastica gaudeat sepultura, nisi prius eos, a quibus usuras extorsit, & quantitatem extortam juramento proprio manifestet, & primo etiam ab eo idonea cautio exigatur de restituendis vel remittendis usuris iis, a quibus eas extorserit, vel fraudolenter sibi promitti fecerat juxta tenorem felicis recordationis D. Gregorii papæ X. editæ in concilio Lugdunensi; præcipientes insuper ecclesiarum prælatis, ut constitutionem ipsam frequenter in ecclesiis, & prædicationibus publicent, eam, quam diligenter, faciant observari.

De poena clericorum tenentium publice concubinam.

Item interdicimus omnibus clericis & religiosis, præsertim in sacris ordinibus constitutis, concubinas, vel focarias habere, retinere, vel habere publice. Qui vero contra fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, & aliter sic gravatus puniatur, quod poena docente cognoscat, quam gra-

ANNO CHRISTI 1353.

grave sit hoc crimen in clericis, & enorme.

De pœna clerici arma portantis.

Item interdicimus omnibus clericis, & religiosis personis in civitatibus, castris, vel villis arma portare; & si quis contrafecerit tribus florenis aureis pro vice qualibet puniatur, & arma amittat.

Ne clerici post tertium sonum campanæ incedant.

Item, cum non solum a malo, verum & a specie mali præcipiat Apostolus abstinere, interdicimus eisdem clericis, ne post pulsationem campanæ cujuslibet loci de nocte, absque maxima rationabili causa, & necessaria per terram incedant; sicut nec laicis cujuslibet loci licet; contra facientes rectoris arbitrio puniantur.

De hora celebrandi matutina.

Item districte omnibus ecclesiarum rectoribus & ministris præcipimus, ut in ecclesiis sibi commissis matutinum officium saltem compleant in aurora, excepto specialiter dumtaxat paschali tempore, quod sufficiat illud perfici orto sole.

De pignorantibus varia sacramenta vel ordinamenta *ecclesiastica, & recipientibus ea pignori.* (ornamenta sic etiam in ser.)

Item interdicimus etiam, ne quisquam calicem, patenam vel crucem, turibulum vel sacerdotalia indumenta vel librum ecclesiasticum aut quævis alia ecclesiastica ordinamenta pignori obliget vel obligare præsumat; alioquim mutuans quæ mutuaverat amittat, & pro delicti quantitate obligans puniatur.

Ne clerici assumant officium communis, nec exerceant advocationem in foro sæculari, & de pœna admittentium eosdem. (deest in edit.)

Item statuimus, quod nullus clericus in sacris ordinibus adsumat officium communis, nec sit consiliarius, nec statutarius, nec advocationis, nec procuratoris, aut sindicatoris in foro sæculari officium faciat, nec adsumat, nisi pro ecclesia, & miserabilibus personis, sub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto; prohibentes potestatibus, judicibus, & aliis officialibus, quod eos ad prædicta non admittant sub pœna similiter incurrenda. (statuarius)

Ne clerici recipiant contractus in fraudem coltarum, & de pœna contrafacientium.

Item prohibemus, & interdicimus, ne aliquis clericus a patre, a fratre, vel quibuscumque recipiat emptiones, donationes vel alias cessiones in fraudem terræ, & communis unde est; & ut propter hoc commune terræ suæ fraudetur in daciis, & *coltis*, (collectis)

A quas debet, & solitum est percipere de bonis prædictis. Contrafacientes, & fieri facientes sententiam excommunicationis incurrant, & cessiones & contractus ejusmodi non valeant nec teneant ipso jure.

De pœna sustinentium sententiam excommunicationis, vel interdicti animo indurato ultra certa tempora.

Si qua communitas sententiam excommunicationis in potestatem, rectorem, consiliarios, vel officiales suæ terræ occasione suorum officiorum per rectorem, vel legatum Romanæ ecclesiæ, vel judicem in spiritualibus, aut episcopos prolatam, (ecclesi...)
A aut etiam interdicti sententiam in terra ipsa promulgatam spatio duorum mensium sustinuerit indurato animo, communitas, vel universitas MC. florenos auri; rector sive potestas civitatis vel universitatis MXXV. ac quilibet alius officialis X. florenos auri civiliter condemnetur. Singularis vero persona, quæ excommunicationis sententiam a suo judice promulgatam per idem tempus sustinuerit, nec cum effectu petierit se absolvi, si comes vel baro fuerit C. florenorum auri, si nobilis alius XXV. si plebeus X. florenorum auri poenis se noverit subjacere. Quod si forte præmissæ universitas vel singulares personæ per alios duos menses sustinuerint animo obstinato, poenæ prædictæ in
C singulis duplicentur, & graviter judicum arbitrio puniantur, si tempore prolixiore in sua duricia contumaciter duxerint persistendum.

Quod quilibet episcopus habeat procuratorem in curia generali.

Quia nonnulli episcopi, prælati, universitates, provinciæ, & eorum officiales se a processibus, condemnationibus, seu sententiis spiritualibus, quos, & quas a nobis seu rectore vel nostra curia contra subditos, & universitates, ut pro ipsorum exigant impietatum
D demerita, promulgari contigerit, excusare pro crassa & supina ignoratione moliuntur, ac frequenter propter insultum guerrarum, & rebellionum discrimina fragrantia commode eisdem episcopis nequeunt intimari; nos volentes prædictis per debita juris remedia obviare, hac constitutione irrefragabili decernimus, & ordinamus, ut prædicti episcopi, & eorum capitula ecclesiis vacantibus, & plebani & prælati locorum insignium procuratorem, seu officialem sindicum constituere in curia rectoris provinciæ teneantur, continue ibi moraturum. Denique rector intra mensem a præsentis constitutionis tempore præsentet per quem, seu quos
E prælatis, episcopis, capitulis, & eorum officialibus processus, & ordinationes commemoratæ sententiæ debeant, & valeant intimari; ipsosque episcopos, capitula, plebanos superius nominatos, considerata locorum distantia & ipsorum qualitate, perinde teneri ad observationem et ordinationem dictarum sententiarum, seu processuum prædictorum, postquam in nostra curia fuerint publicati, ac si eisdem forent personaliter præsen-

ANN CHRIS 1353

Anno Christi 1353.

sentati. Qui episcopi & prælati debeant intra unum mensem a die publicationis præsentis constitutionis, prædictæ constitutionis copiam sibi fieri facere, & habere.

Quod episcopi, & cæteri prælati religiosorum etiam exempti teneantur servare excommunicationes, suspensiones, & interdicta de privilegio papæ circa prædicta.

Deest in editis.

Item quoniam conscientiæ præsumptuosa temeritas quorundam animos sic tenebrose occupat, & invadit, sic mentem obnubilat, eorumdem, ut veritate, ac ratione postpositis, arbitrii, & propriæ voluntatis propositum sequi velint, sicut in plerisque religiosis, & ecclesiasticis personis contingere cognovimus ab excepto dum & per rectorem seu auctoritate nostra contra contumaces, inobedientes, atque rebelles S. R. E. atque nostras eorumque demeritis exigentibus, atque culpis excommunicationis in personas, suspensionis, interdicti, & universitates, atque collegia sententiæ promulgantur, quanquam dictæ sententiæ publice sic prolatæ plerique religiosi, & ecclesiastici, sic ipsorum obnubilantur mentes & animus quod prædictas sententias non observant ad eorum executionem causam frivolam prætendentes. Quidam enim ad sententiarum prædictarum observantiam privilegio non teneri. Quidam vero crassam, & supinam ignorantiam allegant, & dicunt prædictas sententias non pervenisse ad notitiam eorumdem, quod absurdum, & inexcusabile esse dignoscitur, cum non sit necesse singulorum moribus inculcari, quod tam publice & solemniter publicatur, seu promulgatur; ex quo quot, & quanta resultent animarum pericula, & subditorum discrimina nemo sanæ mentis ignorat. Justitia nempe ex prædictis turbatur *quia nervis* ecclesiasticæ disciplinæ delinquentibus peccandi audacia tribuitur, & in turbatione status pacifici, & tranquilli, provinciarum, & subditorum periculum, & discrimen nostra jurisdictio & exequutio non absque apostolicæ sedis, & nostri contemptu in diversis casibus multipliciter impeditur, & licet ad obviandum prædictis malis, & fraudibus multa sint adinventa remedia propter quæ possemus temeritatem compescere prædictorum; tamen SS. Pater & dominus Johannes Papa XXII. ad malitias & dolositates hujusmodi compescendas concessit literas in hac forma.

[margin: excusatio- em]

[margin: ...pitur que ...odus]

Johannes episcopus servus servorum Dei dilecto filio Amellio præposito Bellimontis præpositum solitum gubernari ordini S. Augustini Vallion dioecesis capellano nostro, & Marchiæ Anconitanæ rectori salutem, & apostolicam benedictionem. Sicut ad nostri apostolatus pervenit auditum prædicatorum minorum hæremitarum S. Augustini, & aliorum mendicantium, & non mendicantium ordinum fratres ac nonnulli etiam ecclesiastici seculares & aliæ personæ ecclesiasticæ in terras provinciæ marchiæ Anconitanæ, & aliarum terrarum tuo regimini concessarum

A constituti excommunicationis, & interdicti sententias per te latas dicentes ad ipsarum observationem aliquatenus non teneri, observare contemnant, propter quod tua jurisdictionis executio non absque nostro & apostolicæ sedis contemptu in diversis casibus multipliciter impeditur. Nos igitur volentes in hac parte de opportuno remedio providere, compellendum prædictos fratres ecclesiasticos & personas cujuscumque status existant, & quemcumque locum seu prælaturam vel officium obtinere noscantur etiam & conventus ipsorum & ecclesiasticas personas easdem ad observandum inviolabiliter sententias supra dictas excommunicationis in personas & interdicti sententias in conventum & ecclesiasticas ac loca ipsorum quibuscumque privilegiis indulgentiis & literis apostolicis generalibus & specialibus eis & ipsorum aliquibus & ordinibus eorumdem sub quacumque forma verborum concessis *tua jurisdictio impediri possit in hac parte quomodolibet vel differri*, per quæ nullum in hac parte volumus afferri suffragium nequaquam obstantibus plenam & liberam tibi concedimus tenore præsentium facultatem. Cum igitur tam in officio ordinariæ potestatis quam ex prædictarum auctoritate nostra teneamur predictis fraudibus obviare, & quantum possumus ipsas compescere & punire, auctoritate qua fungimur in hac parte præsenti edicto monemus omnes episcopos priores, provinciales locorum fratrum prædicatorum, ministros custodes guardianos fratrum minorum, priores provinciarum locorum fratrum hæremitarum & omnes fratres & conversos predictorum ordinum in provinciis Marchiæ constitutos & omnes & singulos abbates, præpositos & plebanos & universarum ecclesiarum rectores per dictam provinciam constitutos exemptos, & non exemptos cujuscumque ordinis, præeminentiæ, seu status existant; eisque præcipimus & mandamus sub poena ingressus ecclesiæ; episcopis tamen cum reverentia excommunicationis in personas ceterorum predictorum & suspensionis in capitula & collegia & interdicti servandi in ecclesiis eorumdem, quatenus sententiam per nos seu auctoritate nostra publice in nostro auditorio contra aliquam civitatem castrum terram seu universitatem vel specialem personam latam occasione rebellionis assumptæ intra XV. dies a promulgatione ejusdem sententiæ in prædictis civitatibus castro seu terra unde unusquisque in civitate communantia sive castro sic interdicta et interdicto in quo vel quibus ipsorum vel alterius eorum sitæ ecclesie dignoscantur, teneantur inviolabiliter observare ac denunciare observari; excommunicatos vero occasione prædicta ubicumque & infallibiliter teneantur per se vel alium ex prædictis causis denunciare, publice subiacere excommunicationis vinculo, eosque evitare & facere evitari justa canonicas sanctiones, quem tamen eis pro primo pro secundo et tertio ultimo et peremptorio termino assignamus; alioquin ipsos prædictam sententiam ingressionis ecclesiæ suspensionis et interdicti quam in ipsos canonica monitione premissa proferimus in his scriptis ipsos

[margin: Deest in editis]

ANNO CHRISTI 1353.

sos incurrere volumus ipso facto.

Quod notificatio sententiæ excommunicationis & interdicti possit fieri per edictum.

editi interdictum

Quia multoties illi contra quos per auditorem seu judicem super spiritualibus generalem vel eorum *commissione seu concessione* proferuntur sententiæ excommunicationis vel interdicti tales sententias vilipendunt, sub prætextu ignorantiæ per eos fit seu appensate; statuimus quod quotiescunque dictis perferentibus dictas sententias vel eorum in officio successoribus videbitur, possit per edictum publice apponendum ad januas palagj vel audientiæ curiæ generalis judicum fieri notificatio talium sententiarum excommunicationum seu interdictorum, talis notificatio perinde valeat & ad observantiam dictarum sententiarum arctet, ac si personaliter ipsis excommunicatis & interdictis, & illis quorum intereſt talis notificatio facta est.

ficte

capacem

editum

indictum

Quod inquisitores non procedant ficte, nec cum colore quæsito contra aliquem non hæreticum nec de crimine quod de hæresi non saperet manifesto *nec Cruce signet.*

Deest in edit.

Item volentes splendorem negocii fidei quod summam puritatem exposcit per actus quorumvis inquisitorum hereticæ pravitatis ut indiscretos & improbos tenebrosi fumi caligine obscurari & per ipsorum inquisitorum avariciam vel quamvis aliam insolentiam linguis loquentium denigrari & desiderantes hujusmodi detestandi criminis peniciosa labe respersos sic per diligentem inquisitionem & debitam *animadversionem* de medio fidelium extirpari, quod per inquisitores & ipsorum malicias vel imperitias status & fama fidelium & innocentum non lædatur, auctoritate prædicta statuimus & ordinamus quod in quacunque provincia constituti & vicarii ab eis vel provinciali deputati ministri sic diligenter inquisitores hæreticæ pravitatis officium suum exerceant & contra suspectos vel diffamatos de hæresi, postpositis odio, amore, prece, pretio vel favore procedant, quod se de cognitione indagine pronunciatione vel quovis alio processu quorumcumque aliorum criminum nullatenus intromittant; nec alia crimina quæ hæresim non saperent manifeste ad crimen hæresis, ut per hoc de ipsis possint recognoscere, retorqueant voluntatem seu reducant, nec alicui vel aliquibus crimen hæresis falso imponant vel imponi ab aliis permittant. Signum venerabilis Crucis nulli nisi quatenus eis ex speciali licentia apostolicæ sedis, de qua prius rectori fidem faciant, hoc licere, non imponant alicui nec absignent, & ubi auctoritate apostolica Cruce signarent, sicut de jure non possunt prædictis Cruce signatis nec aliis aliquis concedere quod tempore interdicti auctoritate apostolica vel quacumque alia vice appositi possint interesse divinis, nec eos ab aliis a suis peccatis nec a sententia excommunicationis a canone vel ab homine lata præterquam per eos vel prædecessores vel vicarios suos prolata absolvere, nec aliquibus super irregularitate quovis modo contra quomodolibet dispensare, neque privilegia aliqua concedre vel indulgentias dare nisi in casibus quibus ipsis a sede apostolica est concessum; neque sine ordinariis vel eorum Vicariis compositionem seu transactionem, quæ in locum succedit sententiæ, cum de latis facere, nec etiam cum episcopo seu vicario nisi publice & de consilio peritorum nec in fraudem aliquos in suam familiaritatem ut per hoc possint arma portare possint recipere, nec aliqualiter jam receptos retinere. Et ut tollatur fraudis suspicio & ut inquisitores precum importunitates vitent, quemlibet inquisitorem & vicarium ultra octo personas in talem familiaritatem sine rectoris provinciæ licentia non possint recipere vel habere, quorum octo nomina ipsi rectori in scriptis antequam possint impune arma portare, tradere teneantur. Quod si prefati inquisitores vel vicarii præsentis constitutionis fuerint transgressores, excedentes directe vel indirecte in prædictis vel aliquo prædictorum vel in contrarium temere venientes excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, & minister provinciæ super hoc summarie informatus remoto ab inquisitionis officio hujusmodi delinquente immediate alium substituere teneatur; nec talis hac causa amotus honorem administrationem vel officium in suo ordine valeat obtinere.

Deest in edit.

voce

LONDINENSE CONCILIUM

A Simone archiepiscopo Cantuariensi

Anno 1356. *habitum*.

an. 1356. affert Wilk. to. II. p. 38. ... fol. 3.

SImon permissione divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Michaeli Dei gratia London. episcopo salutem, & fraternam in Domino charitatem. Sacrorum canonum traditiones, arduaque negotia, manifestam ecclesiæ necessitatem concernentia, de quibus fraternitati vestræ, cæterisque confratribus, & suffraganeis nostris, pro parliamento nuper apud Westm. ultimo convenientibus, innotescit ad plenum, nos vehementer excitant & compellunt, ut absque moræ dispendio, quantum congrue poterimus, de Dei misericordia, ope, & gratia confisi, provinciale concilium celebremus; quocirca fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenus citetis, seu citari faciatis peremptorie venerabiles fratres coepiscopos & suffraganeos nostros provinciæ nostræ Cant. universos; & per eos abbates, priores, electivos, etiam exemptos, saltem quorum monastica ecclesiastica beneficia in ipsa nostra provincia habuerint non exempta; decanos, præpositos cathedrales & collegiales ecclesiarum, & archidiaconos suarum dioec. quod personaliter, collegia vero sive conventus locorum hujusmodi singuli per singulos & clerus cujuslibet dioeces. per duos sufficientes & idoneos procuratores, ut XVI. die mensis Maii jam futuro, proximo vid. die juridico, post completam tertiam hebdomadam Paschæ solemnitatis proxime jam sequentis, cum continuatione & prorogatione dierum tunc sequentium, quatenus opus fuerit in hac parte, coram nobis in ecclesia S. Pauli London. compareant, & sint præsentes; concilium tunc ibidem nobiscum juxta sacrorum exigentiam canonum celebraturi, ac super hiis, quæ communem ecclesiæ, nec non eorum necessitatem & utilitatem concernunt, tunc exponendis coram eis consilium suum providum impensuri, facturi & recepturi, quod ipsum sacrum concilium, divina assistente providentia, duxerit ordinandum: intimantes eisdem, quod contra absentes in forma canonica procedemus; nullius sic absentis excusationem penitus admissuri, nisi quatenus ad hoc nos arctarunt canonicæ sanctiones; præsertim cum ad idem concilium de communi consensu nostrum omnium sic, ut præmittitur, convenientium, diligenti tractatu super hoc inter nos præhabito, deliberatoque consilio visum fuerit procedendum: denunciantes, & denunciari facientes in genere cæteris omnibus, qui se gravatos senserint, quod in casibus illis, quorum correctio, seu reformatio ad concilium hujusmodi pertinere dignoscitur, audientia efficax per divinam clementiam eis in forma debita concedetur, & fiet in omnibus justitiæ complementum. Vos etiam præsens mandatum, quatenus ad vos, & decanum atque capitulum vestrum, nec non religiosos seu alios superius nominatos, ac archidiaconos & clerum vestræ dioecesis attinet, curetis in omnibus, prout convenit, adimplere; de die vero receptionis, &c. Dat. apud Otteford. XVIII. calend. Februar. 1355: & nostræ consecrationis VI.

Crastino die celebrationis hujus concilii provincialis, vid. die Martis XVII. mensis Maii, comparuerunt nobiles viri domini Radulphus comes Staffordiæ, Walterius de Manny, Willelmus de Sharshull, & Henricus Greve just. domini regis, cum dominis Joanne de Prey, senescallo domus regis, Thoma de Holland, & domino Joanne de Wynwicks, thesaurar. ecclesiæ Ebor. custode privati sigilli domini regis, & facta per dominum Willel. de Sharshull. intimatione, ne quid per concilium hujusmodi fieret in præjudicium domini regis, jurisve regni sui, tandem dictus dominus Walterus de Manny, expositis per eum diffuse negotiis regis, & periculis regni, petiit nomine regis, quod prælati & clerus provinciæ concederent regni decimam sexennalem, & quod solveretur infra triennium.

Cui petitioni, post varias concilii continuationes, propositasque & discussas cleri petitiones, die Lunæ XXII. mensis Maii, hanc responsionem dedit clerus provinciæ Cantuariensis.

Vobis reverendis in Christo, patribus, dominis Dei gratia archiepiscopo Cantuar. vestrisque suffraganeis, ad celebrandum concilium provinciale juxta sacra instituta canonum congregatis, supplicat humiliter & devote clerus Cantuar. provinciæ, quatenus pio sibi compatientes affectu, rationes suas & motiva infrascript. clementer auscultare dignemini, & eis in examine circumspectæ discreptionis vestræ diligentius ponderatis, petitiones ejusdem cleri admittere gratiose.

In primis: cum in ultima convocatione prælatorum & cleri ejusdem provinciæ, certa enormia gravamina, dicto clero illata, proposita fuerunt, & ostensa, super quibus petitum fuit a domino nostro rege remedium; & sub certis modo, & conditionibus adjectis & non impletis, & inter cætera quod in proximo extunc parliamento reformatio fieret eorundem; idem clerus concessit dicto domino regi decimas biennales; sed interim in prædicto, & aliis parliamentis, quæ ex tunc citra fuerunt, licet dicta decima sit soluta, nullum omnino extitit remedium ordinatum.

Item, cum reverendi patres duo cardinales, sedis apostolicæ legati, ad regna Franciæ & Angliæ in brevi, ut dicitur, sint venturi; pro quibus, & etiam pro venerabili viro domino Simone de Sudburia, nuncio dictæ sedis, indubitanter procuratio exigetur.

Item, cum beneficia ecclesiastica dictæ provinciæ, & eorum fructus vix ad medietatem ejus, quod valere solebant, hiis temporibus se extendant.

Item

ANNO CHRISTI 1362. 1366.

Item, cum custuma lanarum domino nostro regi in ultimo parliamento per communitatem laicorum pro sex annis concessa, de facto magis tendat; licet de jure tendere non debeat; ad grave onus cleri, qui a dicto parliamento non per contumaciam absens erat, quam laicorum, quibus concessum fuerat, quod in dictis sex annis ab eis peti non debeat aliqua quintadecima, seu collecta; placeat benignitati vestræ absque ulteriori onere ac vice ecclesiæ imponendo, ipsum clerum, qui dicto domino semper devotus extitit, & ipsum juvit in quantum potuit, ne deterioris conditionis existat quam communitas laicorum habere, si libeat, excusatum; & præmissa pro plena & finali responsione cleri admittere, ipsique clero assistere, & ipsum erga dominum nostrum regem in hac parte excusare.

Factaque suasione per dominum archiepiscopum, & alios episcopos dicto clero, quod consideratis expositis ei pro parte regis, super meliori responsione deliberarent, usque diem martis tunc crastinum idem dominus archiepiscopus concilium hujusmodi, & expedienda cum præsentibus in eodem continuavit in statu, quo tunc fuerat, & absentes decrevit fore expectandos ad diem prædictum martis. Quo die martis viz. XXIV. die mensis Maii, dictis dominis archiepiscopo, London. Wynton. Elien. Lincon. Assaven. & Roffen. episcopis, una cum aliis prælatis, & clero dictæ provinciæ loco prædicto constitutis, clerus ejusdem provinciæ ad petitionem regis in scriptis, prout sequitur, finaliter respondebat.

Licet responsioni cleri prædictæ datæ sint veræ, & validæ rationes atque justæ, nihilominus ob reverentiam domini nostri regis, & sinceræ devotionis affectum, quem habent, prout semper hactenus habuerunt, ad captandam ipsius benevolentiam, gratiam, & favorem, requisitionemque prælatorum in præsenti sacro concilio præsentium; idem clerus concedit dicto domino nostro regi sub forma, quæ sequitur, decimam tamen unam viz. quod sub spe reformationis infrascriptorum gravaminum efficacis, medietas ejusdem decimæ solvatur ad festum S. Andreæ proxime jam futurum; & quod antequam alia medietas exigatur quomodolibet, vel solvatur, dictus dominus noster rex etiam per suum sanum & providens consilium, gravamina ecclesiæ, prælatorum, & cleri, in dicto sacro concilio exposita, & ex quibus, & per quæ censuræ ecclesiasticæ, et claves ecclesiæ contemnuntur, quinimmo fides periclitatur catholica, et maximum incurritur periculum animarum, mandet et faciat effectualiter reformari; ac libertates, et jura, ac jurisdictiones sanctæ matris ecclesiæ, more christianorum principum antecessorum suorum subditis & revocatis novis gravaminibus, in statu suo antiquo & debito conservari: quo facto efficaciter & impleto, alia medietas dictæ decimæ ad festum nativitatis S. Johannis Baptistæ proximum post festum S. Andreæ, prædict. & non aliter persolvetur. Non intendit tamen dictus clerus, nec vult, quod pauperes, qui dictam decimam propter evidentem inopiam solvere non valebunt, ad præstandum eandem aliqualiter teneantur; super qua inopia nudæ relationi seu certificationi episcoporum singulorum in suis dioecesibus, absque probatione quacunque alia fides datur.

Qua quidem responsione data, idem dominus archiepiscopus omnes citatos ad dictum concilium, qui illo die non comparuerunt, ut tenebantur, pronunciavit contumaces; poena sibi reservata.

URBANUS PAPA V.

Sedit ab anno 1362. usque ad 1370.

An. 1362.

AGENNENSE CONCILIUM

A Turonensi archiepiscopo

Anno 1366. habitum.

An. 1366. Agennensis concilii nihil ferme ultra nomen superest; id vero innotescit ex codice quem Montfauconius Biblioth. M. SS. tom. 2. pag. 801. inter manuscripta bibliothecæ regiæ accenset; contineri enim in eo affirmat literas vernaculas archiepiscopi Turonensis super concilio Agennensi anni 1366. *Lettres de l' Archevesque de Tours sur le fait du concile d' Angers l' an 1366.*

EBO-

EBORACENSE CONCILIUM

A Joanne archiepiscopo & suffraganeis

habitum anno 1367.

ADDITIO.

n. 1367. ffert ... lk. t. II. p. 72. x MS. ott. Vi- ... llus D. fol. 152. & ex. S. penes ... Assa- en.

Joannis Eboracensis archiepiscopi constitutionibus addendum aliquid suggerit novissimus Anglicanorum conciliorum editor VVilkins, ex quo accessiones illæ hic dantur.

Casus reservati archiepiscopo Eboracensi.

Et quia tam rectores, quam vicarii, quam presbyteri parochianos suos ad confitendum passim admittere perpendimus, inter crimina, & crimina, quæ sint enormia, & quæ levia, non distinguentes; cum tamen in nonnullis casibus incurratur irregularitas, in aliis vero licet irregularitas non contrahatur, absolutio tamen sedi apostolicæ specialiter reservatur, & nonnunquam nobis permittitur, seu conceditur absolutio in eisdem, majora crimina, quæ nobis & poenitentiario nostro retinemus, faciemus in brevi, Deo dante, dilucide apparere, ut in casibus, in quibus absolutio pertinet ad nos, confitentes absolvimus; in aliis vero ad sedem apostolicam transmittimus eosdem, pro absolutione, sicut convenit obtinenda.

Primus casus est in eo, qui peccat contra fidem. Secundus est in eo, qui peccat contra naturam; & maxime cum brutis. Tertius casus in eo, qui peccat homicidium committendo. Quartus est in eo, qui peccat contra Deum, vel aliquem sanctorum, publice blasphemando. Quintus est in eo, qui peccat contra ecclesiam, violenter frangendo, aut ecclesiasticas immunitates seu libertates violando. Sextus est incestum committendo. Septimus est adulterium notorium committendo. Octavus est falsum testimonium perhibendo, & sic perjurium committendo. Nonus est in committendo simoniam. Decimus est in committendo sortilegium. Undecimus est in illis, qui faciunt conjurationes & conspirationes contra prælatos suos. Duodecimus est incendium perpetrando. Decimus tertius est contra votum licitum & honestum veniendo. Decimus quartus est in parentibus, qui liberos suos opprimunt. Decimus quintus est in hiis, qui sanctimoniales corrumpunt. Decimus sextus est in eo, qui in clericum, vel personam religiosam quamcumque manus injecit violentas, vel cum potest, eos a violenta manuum injectione non defendit; vel qui clericum inimicum detinet, licet manum non injiciat, ut forte ponendo eum custodiæ, vel infra domum aliquam includens. Decimus septimus est in eo, qui per se, vel per alium literas alicujus domini falsaverit, seu hujusmodi falsarios foverit, seu eos defenderit. Decimus octavus est in eo, qui hujusmodi literas ab alio falsatas habuerit, & scienter talibus usus fuerit. Decimus nonus est in archidiaconis, decanis, plebanis, præpositis, cantoribus, & aliis clericis personatus habentibus, necnon presbyteris legem vel physicam audientibus, nisi infra duorum mensium spatium destiterint omnino. Vicesimus est in eo, qui participat in crimine, propter crimen suum, cum excommunicato. Vicesimus primus est, qui sponte, & scienter participat cum excommunicato a domino papa in divinis officiis. Vicesimus secundus est in illis, qui ecclesiis, sacerdotibus, & eorum possessionibus exactiones, seu onera indebita imponunt, nisi moniti destiterint. Vicesimus tertius in usurariis publicis, & in his, qui ab eis oblationes recipiunt, vel eos ad ecclesiasticam sepulturam admittunt. Vicesimus quartus est in illo, qui celebrat, vel alias in ordine officiat, excommunicatus majori excommunicatione, vel suspensus, aut interdictus ab homine. Vigesimus quintus in clerico, qui accedit ad judicium principis seculare, contempto judice ecclesiastico. Vicesimus sextus in clerico, qui bigamiam contraxit. Vicesimus septimus in clerico non ordinato ministrante. Vicesimus octavus in clerico per saltum ad ordines promoto. Vicesimus nonus in eo, qui ordinem furtive suscepit. Tricesimus est, si se fecerit quis in eodem ordine iterum ordinari. Tricesimus primus est in eo qui fecerit iterum baptizari. Tricesimus secundus, si ad subversionem fidei adhæserit hæreticis, & in contemptum ecclesiæ se ab eis fecerit baptizari, vel ordinari. Tricesimus tertius est in ordinato extra quatuor tempora, vel alias illicite, & ante dispensationem obtentam ministrante. Tricesimus quartus casus est in illo, qui suspensus est a divinis officiis a canone, & sic suspenso divina celebrante. In casu, in quo summus pontifex sibi dispensationem reservat; in casu illius canonis, qui incipit: *De seu* & 2. videlicet libro VI. *Cum etenim*. Et in casu canonis, qui incipit sic: *Cum medicinalis*: quorum uterque est concilii Lugdunensis. Tricesimus quintus est in eo, qui in sententia excommunicationis ordines suscepit. Tricesimus sextus est in illis, qui de domibus, maneriis, seu grangiis, vel locis aliis archiepiscoporum, episcoporum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, contra ipsarum voluntatem, vel custodum rerum earumdem aliquid auferunt, vel consumunt, injuriose contrectant. Tricesimus septimus est, & ultimus in hiis, qui publice perpetraverint delicta enormia, unde tota civitas, urbs, villa, vel patria commovetur, pro quibus publica pœnitentia fuerit injungenda. In hiis igitur excessibus, & aliis, qui majoribus annumerantur, nobis, vel nostro poenitentiario, præterquam in mortis articulo, mitti volumus delinquentem. Literas autem gratis concedi præcipimus poenitenti, &, ut liqueat, qualis pœnitentia fuerit, & pro quo crimine sit injuncta, pœnitens literas a pœni-

nitentiario referat ad mittentem, qui poenitentiam a pœnitentiario injunctam non remittat; sed nec in pœnam pecuniariam, si forsan corporalis injuncta fuerit, sed nec alias quoquo modo commutare præsumat sub poena suspensionis ab officio, quam ipso facto incurrat, si secus egerit, donec nostram meruerit gratiam obtinere.

An. 1370.

GREGORIUS PAPA XI.

Sedit ab anno 1370. usque ad annum 1378.

LUGDUNENSE CONCILIUM PROVINCIALE

A Joanne archiepiscopo

Anno 1376. *habitum.*

An. 1376. Ex Gall. Christ. n. edit. t. IV. p. 170.

IN manualibus ecclesiæ Lugdunensis statutis folio 113. hæc nuda mentio de Lugdunensi synodo habetur: *anno* 1376. *die* 3. *martii celebratum fuit concilium provinciale in ecclesia majori Lugdunensi per R. dom. Joannem de Talaru decanum Lugdunensem tunc archiepiscopum Lugdunensem*. Nec de concilio isto ultra quidquam scimus.

A. 1378.

URBANUS PAPA VI.

Sedit ab anno 1378. usque ad annum 1389.

MEDINÆ SEU SALMANTICENSIS CONVENTUS

In causa dubii Pontificis Romani, uter admittendus,

Præside Petro de Luna card. & Clementis VII. legato coram Joanne Castellæ rege

habitus anno 1380.

exeunte, & sequentis exordio.

An. 1380. & 1381.

MEdinensis conventus & Salmanticensis concilii ita meminit Venetus Labbei editor, tanquam duo fuerint inter se distincti ecclesiastici conventus pro indaganda legitimi papæ veritate celebrati. Reipsa tamen una fuit continuata ecclesiasticorum coitio Medinæ Campestris in diœcesi Salmantina coacta. Hujus vero concilii acta integra servat duplex MS. codex Baluzio notus, quorum priorem in bibliotheca Achillis Harlæi; alterum in Colbertina nactus est. Vir iste eruditus omnium illorum actorum indiculum evulgandum duxit, id sufficere ratus, ut historia rerum in eo concilio gestarum cognoscatur. Eodem ego consilio indiculum eundem huc transfero; tum addam integram orationem ab episcopo Faventino ibi recitatam ut ex eodem indiculo constat, & a Martene Anecdot. to. II. pag. 1082. relatam, cum adjunctis Clementis papæ literis ad eundem Castellæ regem ex Baluzio Vit. Papar. Aven. to. II. pag. 853. acceptis. Attexam & alia in eodem concilio disputata, quæ ibi pariter P. Martene repræsentat. Postremam omnium afferam sententiam seu declarationem Joannis Castellæ regis, qua, diligenti consultatione in concilio præmissa, agnoscere se ac sectari Clementis VII. partes profitetur; cui declarationi geminæ accedent ejusdem regis literæ velut synodicæ ad Clementem ipsum, pontificem suum illum, patrem & dominum agnoscentis. Sententiam illam ex Harlæano codice dedit Baluzius in Collect. Actor. Vet. ad Vitas Papar. Avenion. to. II. pag. 920. Literas vero ex Gemmeticensi Codice vulgavit P. Martene Anecdot. to. II. pag. 1136.

SYNOPSIS ACTORUM CONCILII MEDINÆ CAMPESTRIS
Ex Cod. Harlæano.

IN Christi nomine. Amen. Incipit prima pars processus facti & habiti coram serenissimo ac præillustrissimo principe domino Johanne Dei gratia Castellæ & Legionis rege ac de ipsius mandato in villa Metinæ *del Campo*, Salamantinensis dioecesis, & super exorto nuper schismate in ecclesia Dei circa electiones duas, unam videlicet de reverendo patre domino Bartholomæo tunc archiepiscopo Barensi, secundam de reverendissimo patre & domino domino Roberto tunc Cardinale Gebennensi, in summum pontificem per sacrum collegium reverendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium celebratas, prosequentibus electionem primam reverendo patre Francisco de Urbino Faventino episcopo & venerabili viro Francisco de Siclenis de Papia legum famoso professore ambasiatoribus ejusdem primi electi, quem sanctissimum dominum Urbanum papam sextum nominabant; secundam vero electionem prosequente reverendissimo in Christo patre & domino domino Petro de Luna S. Mariæ in Cosmedin sanctæ Romanæ ecclesiæ diacono cardinali, asserente se legatum dicti secundi lecti, quem sanctissimum dominum Clementem papam septimum nominabat; nec non ex parte sacri col-

collegii dominorum cardinalium ad informandum dictum regem Castellæ de utraque electione transmissis.

Et est sciendum ante omnia, quod clare memoriæ dominus Enricus rex Castellæ & Legionis, pater & genitor dicti domini regis Johannis, audito olim de electione primi, scilicet Bartholomæi, & subsequenter de Cardinalium divisione seu subtractione ab illo, nec non declaratione facta per eos Anagniæ, quod ille primus non erat papa, demum vero de electione alia per eosdem Cardinales Fundis celebrata de persona secundi, scilicet Roberti, anxius & perplexus idem rex Enricus ex hujusmodi diversitate gestorum, ac dubius quid in hoc casu ancipiti eum sequi aut facere oporteret, propter multa, quæ occurrebant; & quia magni doctores circa hujusmodi negotium diversimode sentiebant, voluit esse indifferens in hac parte, ut etiam liberius inquirens de gesta, ad agnitionem veritatis hujus negotii, cui intendebat, si faveret divina pietas, perveniret. Sed eo, sicut Domino placuit, in sinceritate catholicæ fidei de medio sublato, memoratus dominus Joannes ejus filius legitimus atque hæres & successor in regno pariter & in voto, dum apud civitatem Burgensem solemnes ac generales curias pro sua felici coronatione teneret, ibique fecisset introduci istud negotium in præsentia archiepiscoporum & episcoporum ac nobilium & militarium & quamplurium in sacra pagina magistrorum doctorumque juris canonici & civilis & aliorum multorum etiam litteratorum regni sui; demum consideratis diversis tractatibus & scripturis quæ occasione hujusmodi jam hinc inde emanarant, singulisque in disceptationem deductis; quia tandem occurrebant dubia in mentibus singulorum, eo quod factum variari videbatur hinc inde, & casus certus seu indubitabilis nequibat tunc in materia reperiri; deliberavit idem rex saniori suorum ductus consilio indifferentiam dicti sui genitoris ac coeptum perquirendæ veritatis negotium amplecti, ne, quod absit, de negligentia prosecutionis tam piæ tamque meritoriæ causæ contingeret eum apud supremum judicem argui, ac propter indiscussionem ipsius rei & errorem forsan incurrere circa id quod eligere ac sequi in isto casu deberet. Quapropter rex ipse, antequam ad ulteriora procederet; ambassiatores, nuntiosque suos solemnes in Romam, ac Avinionem ad utrumque electorum direxit, quatenus ab eis casus instructionesque suarum electionum requirerent, & ut eorum quilibet nuncios suos sufficienter instructos ad regem præfatum pro conscientiæ illius informatione dignaretur transmittere cum modestia decentique instantia supplicarent, & similiter ab illis personis illarum partium de re gesta notitiam habentibus, cum adhuc recens forte ipsius rei memoria, informationes seu despositiones reciperent sibi fideliter reportandas. Quæ omnia & singula iidem nuntii regii illuc se in apparatu debito conferentes opere compleverunt. Et subsequenter præfati domini electi ad summum, ut præmissum est, pontificium dictos supra & infra designatos nuntios seu legatos ad memoratum dominum Joannem Castellæ & Legionis regem miserunt. Qui ad præsentiam ipsius sigillatim & prout commode valuerunt pervenientes, in primis arengas ac propositiones suas publicas et solemnes super causa adventus sui apud Metinam Salamantinensis dioecesis domino regi fecerunt seu etiam præsentarunt in forma sequenti.

Die igitur veneris XXIII. Novembris anni MCCCLXXX. Petrus de Luna longam orationem habuit sermone Hispanico, quæ postea in latinum versa heic (*nempe in codice illo a Baluzio consulto*) descripta est integra. Contendit autem manifestam fuisse violentiam in electione Urbani, adeoque illam esse nullam ipso jure. Denique obtestatur regem ut justas Clementis partes tueatur.

Deinde die dominica XXV. novemb. Franciscus episcopus Faventinus longissimam orationem habuit pro Urbano, quam in veritates XVII. divisit.

Die Lunæ XXVI. novembris Rodericus Bernardi, quam rex una cum fratre Fernando de Yliescas ordinis minorum ejusdem regis confessore, et Alvaro Melendi legum doctore miserat Romam, et Avenionem, ad investigandum et perquirendum veritatem, quis ex duobus esset verus papa, obtulit bullam clausam Urbani, quam episcopus Faventinus circa finem mensis augusti ei tradiderat Romæ de mandato primi electi; quam cum episcopus Faventinus recognovisset eam esse quam tradiderat Roderico, aperta est, et in ea inventi sunt unus sexternio et unus quaternio continentes casum primi electi, id est, narrationem eorum, per quæ ille ostendere nitebatur se vere et canonice factum esse Papam. Aderant tum in conventu rex ipse Petrus archiepiscopus Toletanus, Petrus Hispalensis, Joannes episcopus Seguntinus, Alfonsus Abulensis, Joannes Giennensis, Fernandus Legionensis, Petrus de Ayala miles, et duo nuntii Bartholomæi. Postea describitur casus sive factum verum et processus promotionis Urbani, illud ipsum nimirum, quod editum est apud Odoricum Raynaldum anno 1378. §. 73.

Die XXVII. Petrus cardinalis de Luna attulit in medium unum quaternum papyri sex foliorum, præsentibus rege Joanne, Petro archiepiscopo Toletano, et Petro Hispalensi, Joanne episcopo Seguntino, et Petro Tirasonensi, Petro Fernandi de Velasco camerario majore, et Didaco de Astunenga cubiculario dicti regis. Eodem tempore rex afferri jussit epistolam, quam Clemens VII. ad eum scripserat VII. Kal. junii anno secundo. Primum lecta est epistola illa, deinde casus cardinalium, qui continebatur in dicto quaterno. Incipit autem. *Cum propter falsam assertionem*. Editus est in tomo quarto historiæ universitatis Parisiensis pag. 468.

Sequitur propositio seu relatio, quam die quarta mensis decembris dominus Rodericus Bernardi jussus per prædictum dominum regem castellæ sibi et in hospitio suo fecit in præsentia Joannis episcopi Seguntini et Alvari Martini doctoris in legibus et licentiati in canonibus de his, quæ cum fratre Fernando ordinis Minorum confessore regio egerat apud Romam, et Avenionem. Deinde præ-

præfatus dominus Rodericus Bernardi ſtatim ibidem exhibuit et tradidit in ſcriptis præfato domino regi dicta teſtium per eum et ejus ſocios ambaſiatores regios tam Avenioni quam Romæ ſub ſacramenti præſtatione habita et recepta.

Sequuntur nomina eorum quos dicti ambaxiatores primitus habuerunt et examinaverunt apud Avenionem. Cardinalis Lemovicenſis, cardinalis S. Euſtachii, cardinalis Vivarienſis, cardinalis S. Angeli, cardinalis Majori smonaſterii, cardinalis de Vernio, cardinalis de Britannia, cardinalis Cuſentinus, cardinalis Pampilonenſis, cardinalis Glandatenſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, camerarius ſecundi electi, archiepiſcopus Neapolitanus, epiſcopus Cathanienſis, epiſcopus Valentinus olim Marſilienſis, epiſcopus Firmanus, epiſcopus Graſſenſis, generalis Minorum, Poncius Berardi, Gilbertus, Joannes de Baro, Bonifacius de Amanatis, Ægidius Bellemeri, frater Nicolaus Aymerici, Guido de Pruinis, Bindo prior ſanctorum, Petrus Roſtagni, Joannes de Lodon, Thomas auditor domini Mediolanenſis, Bernardus de Virididuno, frater Bartholomæus procurator ordinis Carmelitarum.

Nomina vero eorum qui jurari ac examinari per dictos ambaxiatores depoſuerunt apud Romam ſunt hæc. Nardus apothecarius, Guillelmus de Bulla, P. Albucius, Joannes de Paparonibus, Joannes Bolcardi, Jacobus palucil, Antonius de Auguſta, Alexius Petri, Franciſcus de Fara, Jacobus camerarius, Petrus de Surdis, Guillelmus Tenor, Vvalterus de Argentina, Buccius Petri, Henricus de Buda, Joannes de Papazaris, Fredus de Canali, Lulius Madalenus. Item cardinalis de Pavia, cardinalis Siſtaricenſis, frater Nicolaus cardinalis, epiſcopus Tudertinus, epiſcopus Caſtrenſis, epiſcopus Reatinus, epiſcopus Lucerinus, frater Raymundus de Capua, Nicolaus de Urſinis, Bernardus de Cucurno, Thomas Petra.

Die ſexta decembris, quæ fuit feſtivitas ſancti Nicolai, Rex miſſam per Alfonſum epiſcopum Abulenſem celebrari fecit in ſuis ædibus, illicque præſentibus ex parte Clementis Petro de Luna cardinale, fratre Angelo epiſcopo Piſaurenſi, Petro epiſcopo Tiraſonenſi, fratre Angelo miniſtro generali ordinis Minorum, et Fernando Petri decano Tiraſonenſi. Ex parte Urbani Guterio Gomecii cardinale Hiſpano, Franciſco Faventino, et fratre Menendo ordinis Minorum, ac Franciſco de Siclenis de Papia legum doctore, præſentibus etiam Petro Toletano et Petro Hiſpalenſi archiepiſcopis, ac Joanne Seguntino, Gundiſalvo Calagurritano, & Joanne Giennenſi epiſcopis, legi fecit formulam juramenti, quod de dicenda veritate præſtare debebant cardinales et alii utriuſque partis heic nominati, itemque formulam juramenti quod de ferendo ſecundum conſcientiam judicio præſtare debebant epiſcopi et alii viri, quos Rex delegabat ad cauſæ iſtius examinationem. Hi fuere archiepiſcopi et epiſcopi paulo ante nominati, tum etiam frater Alfonſus epiſcopus Aſturicenſis, Petrus electus Oxomenſis, Fernandus Alfonſi decanus Burgenſis, Didacus Fernandi theſaurarius Toletanus, Fernandus de Sanles ordinis Minorum magiſter in ſacra pagina, Fernandus Sancii canonicus Hiſpalenſis, Rodericus Bernardi et Didacus de Currali audientiæ regiæ auditores, frater Joannes Alfonſi de Toleto miniſter provincialis fratrum Minorum provinciæ Caſtellæ, Joannes Sancii et Alvarus Martini doctores decretorum, Petrus Fernandi, doctor legum, frater Fernandus de Illieſcas ordinis Minorum confeſſor Regis, Joannes Alfonſi de Palacios licentiatus in decretis, frater Lupus ordinis S. Auguſtini conventus Toletani, Fernandus Martini archidiaconus de Niebla in eccleſia Hiſpalenſi, Petrus Fernandi archidiaconus de Carrione in eccleſia Palentina, et frater Petrus Prior monaſterii de Abiago ordinis beati Hieronymi Palentinæ dioceſis. Hæ formulæ deſcriptæ ſunt in hoc loco, ex Hiſpanica lingua verſæ in latinam.

Die decima menſis decembris rex nominavit quoſdam viros inſignes ad recipienda dicta teſtium ſecundum articulos contentos in caſibus utriuſque electi, videlicet archiepiſcopos et epiſcopos ante nominatos, et inter hos etiam Alfonſum Abulenſem, fratrem Nicolaum priorem Valliſoletanum fratrum Prædicatorum, fratrem Joannem Alfonſi Toletanum ordinis Minorum miniſtrum provinciale Caſtellæ, Didacum Fernandi theſaurarium Toletanum, Joannem Alfonſi doctorem in utroque jure, Alvarum Martini doctorem decretorum, Petrum Fernandi doctorem in jure civili, Rodericum Bernardi et Didacum de curiali auditores audientiæ regiæ, Joannem Alfonſi licentiatum in decretis, fratrem Lupum ordinis S. Auguſtini conventus Toletani, fratrem Fernandum confeſſorem regis, fratrem Joannem Vitalis ordinis Minorum, et fratrem Petrum de Guadalſajara monaſterii S. Bartholomæi de Lupiana ordinis S. Hieronymi, omnes ibidem præſentes. Tum eis data formula juramenti quod excipere deberent a teſtibus, quæ ex Hiſpanico ſermone verſa in latinum heic habetur. Poſtea attendentes deputati ipſi quod eos ſimul unum ſolum teſtem examinare erat longiſſimum, et multum temporis perderetur propter multitudinem examinandorum teſtium, diviſerunt ſe in tres turmas. Quibus ſic factis iidem deputati ad receptionem et examinationem teſtium proceſſerunt a die XXVIII. decembris uſque ad principium menſis Maii ſequentis.

Sequitur caſus primi electi diviſus per articulos, is ipſe qui ſupra commemoratus eſt, ſed diviſus in articulos CIV. et additiones XXXV.

Poſtea ſequuntur interrogatoria formata et habita circa caſum primi electi, ſuper quibus interrogandi, et examinandi erant teſtes, diviſa in articulos LXXIII.

Deinde caſus ſecundi electi diviſus per articulos, is ipſe qui ſupra commemoratus eſt, ſed diviſus in articulos LXXXIX. et additiones XI.

Poſtea interrogatoria ſuper quibus interrogandi & examinandi erant teſtes ſuper caſu ſecundi electi, additis aliquibus articulis datis per cardinalem de Arragonia & aliquibus aliis ex officio, diviſa in capita CVII. & additiones XIV.

Poſt

Post ista omnia describitur bulla facta per dominum Gregorium XI. ante obitum suum, videlicet quod major pars Cardinalium posset eligere papam post obitum suum in & extra conclave, & tempus abbreviare & prolongare pro ea vice. Edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 2.

Sequuntur depositiones aliquorum cardinalium ac aliorum etiam examinatorum Avenioni mense Majo anni millesimi trecentesimi LXXX. per Rodericum Bernardi, fratrem Fernardum, & Alvarum Menendi doctorem ambaxiatores domini regis Castellæ, illuc & Romam missos pro inquisitione veritatis circa materiam dictorum duorum electorum ad summum pontificatum. Sequuntur ergo depositiones Bertrandi cardinalis Glandatensis episcopi Ostiensis, Joannis cardinalis Lemovicensis, Hugonis cardinalis de Britannia, Gerardi Cardinalis Majoris monasterii, Petri cardinalis de Vernio, Petri cardinalis S. Eustachii, Petri cardinalis Vivariensis, Guillelmi cardinalis S. Angeli, Nicolai cardinalis Cusentini, Petri cardinalis Pampilonensis, Joannis patriarchæ Alexandrini & archiepiscopi Tolosani, Thomæ archiepiscopi Neapolitani, Heliæ Cathaniensis episcopi, Guillelmi episcopi Valentini olim Massiliensis, Antonii, episcopi Firmani, Artaudi episcopi Grassensis, Poncii Beraldi correctoris literarum apostolicarum, Gilaberti secretarii papæ natione Alemanni, Joannis de Baro subdiaconi papæ, Bonifacii de Amanatis legum doctoris, Ægidii Bellameræ auditoris literarum contradictarum domini papæ, Guidonis de Prohinis olim senatoris Romanorum, Bidonis prioris sanctorum Joannis de Lodon alias de Narbona presbyteri, Thomæ decretorum doctoris & auditoris cardinalis Mediolanensis, Bernardi de Viriduno licentiati in decretis, fratris Bartholomæi procuratoris generalis ordinis Carmelitarum, fratris Nicolai Eymerici inquisitoris Arragoniæ, fratris Angeli generalis Minorum, Petri camerarii papæ fratris domini cardinalis Lemovicensis, & Petri Rostagni domini loci de sancto Crispino.

Deinde sequuntur depositiones testium receptorum Romæ per Rodericum Bernardi & fratrem Fernandum; scilicet Nardi apothecarii, Guillelmi de Bulla, Petri Albuchii presbyteri, Joannis de Paparonibus canonici S. Petri, Joannis Bolcardi magistri capellæ domini papæ Urbani, Jacobi Pauluccii civis Romani, Antonii de Augusta canonici ecclesiæ Lateranensis, Fredi de canali ostiarii papæ, Alexii Petri Pauli Henrici civis Romani, Francisci de la Fara doctoris in medicina, Jacobi camerarii cardinalis S. Petri, Petri de Surdis canonici sanctæ Cæciliæ, Guillelmi Tenoris capellæ domini papæ Urbani, Valcheri de Argentina, Buehii Petri Jacobi, fratris Genrici de Buda pœnitentiarii papæ Urbani, Joannis de Papazaris Bonaventuræ cardinalis de Padua, Nicolai cardinalis Urbani, Raynulphi cardinalis Sistaricensis, Stephani episcopi Tudertini, episcopi Reatini, Thomæ episcopi Lucerini, Joannis episcopi Castrensis, Lelli Magdaleni civis Romani, fratris Raymundi de Capua magistri generalis ordinis fratrum prædicatorum, fratris Bartholomæi de Cucurno ordinis fratrum Minorum, & Thomæ Petræ canonici Patracensis.

Finitis tandem depositionibus testium utriusque partis, describuntur dubia archiepiscopi Toletani data Alvaro episcopo Zamorensi, qui ibat Niciam ad cardinales Florentinum & de Mediolano. Et mox subiiciuntur responsiones ad dicta dubia domini Toletani scriptæ per manum domini Florentini.

Sequuntur depositiones generales nonnullarum personarum, tredecim numero, quæ de mandato domini regis ac deputatorum prædictorum dederunt per scripturam ea, de quibus recordabantur circa materiam primæ electionis. Eorum nomina hæc sunt. Frater Petrus de Guadalfajara, frater Ferrarius de Vergos ordinis Minorum, Petrus Alfonsi canonicus Hispalensis, Joannes abbas S. Isidori Hispalensis, Rodericus Fernandi portionarius ecclesiæ Hispalensis, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis S. Francisci, Garsias electus Auriensis, frater Michael monasterii S. Bartholomæi de Lupiana, Joannes Remigii de Guzman archidiaconus de Alcor in ecclesia Palentina, Alvarus Martini doctor decretorum, Fernadus Gudiel episcopus Legionensis, Alfonsus Fernandi presbyter Hispalensis, & Thomas Gundislavi thesaurarius Compostellanus.

Postea describuntur depositiones in speciali super casu primi electi habitæ & receptæ per dictos deputatos Metinæ a diversis personis medio juramento superius scripto examinatis. Eorum qui speciales depositiones fecerunt hæc sunt nomina. Frater Ferrarius de Vegos ordinis fratrum Minorum, Petrus Alfonsi canonicus Hispalensis, Alvarus Gundisalvi canonicus Cordubensis, Rodericus Fernandi portionarius eccl. Hispalensis, Joannes Garsiæ decanus Calaguritanus, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias Martini electus Auriensis, frater Michael professus ordinis S. Hieronymi, Joannes Remigii de Guzman archidiaconus del Alcor in ecclesia Palentina, Didacus Martini de Urdunna canonicus Toletanus, Alvarus Martini doctor decretorum, frater Menendus ordinis fratrum Minorum episcopus Cordubens. factus per primum electum, Petrus abbas S. Facundi, Fernandus episcopus Legionensis, Alfonsus Azero archidiaconus de Metina in ecclesia Salmanticensi, Petrus Roderici canonicus Cordubensis, frater Petrus Cordubensis conventus sancti Bartholomæi de Lupiana, frater Joannes Roderici episcopus de Neupatras, Franciscus Fernandi cantor Palentinus, Marcus Fernandi abbas de la Vanza in ecclesia Palentina, Joannes Sancii portionarius Toletanus, Garsias Petri de Tassara, Sancius archidiaconus de Guiart in ecclesia Pampilonensi, Petrus Fernandi archipresbyter de Fita, Joannes Sancii canonicus Hispalensis, Thomas Gundisalvi thesaurarius Compostellanus, Joannes Columbi clericus diocesis Avenionensis, Fernandus Petri decanus Tirasonensis, Nicolaus Martini archidiaconus Salmantinus, frater Angelus generalis minister ordinis Minorum, Bonifacius de Pistorio, alias de Amanatis, le-

ANNO CHRISTI 1380.

legum doctor, *Ægidius Sancii Munionis* præpositus Valentinus, & frater Angelus episcopus Pisaurensis.

Descriptis depositionibus testium interrogatorum super casu primi electi, ponuntur per ordinem depositiones eorum, qui interrogati fuere super casu secundi electi.

Testes iidem omnino fuere qui interrogati fuerant super casu primi electi.

Sequuntur deinde responsiones publice factæ coram rege ejusque toto consilio per cardinalem Hispanum, episcopum Faventinum, & Franciscum de Siclenis de Papia ad casum secundi electi anno MCCCLXXXI. die quarta mensis martii.

Ponuntur postea responsiones Petri de Luna cardinalis, episcopi Pisaurensis, et Bonifacii de Amanatis ad casum primi electi, factæ publice coram rege, ejusque toto consilio.

Finitis responsionibus partium, describitur consequenter intimatio per dominos cardinales facta universis, quod Barensis est intrusus. Incipit sic: *Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas*. Edita est in secunda vita Clementis VII. pag. 542. (apud Baluzium).

Sequitur qualiter cardinales notificant universis, quod dominus Clemens fuit rite et canonice per eos electus et solemniter inthronizatus et coronatus. Incipit: *Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem*.

Deinde litera septem cardinalium suis sigillis sigillata existentium Avenioni notificantium intrusionem primi electi. Incipit: *Ad vestram notitiam deducimus*.

Tum intimatio et notificatio cardinalium deprecantium universos Christi fideles ut Clementi adhæreant. Incipit: *Speculatores a Domino Deo*.

Protestatio domini Bertrandi cardinalis Glandatensis antequam intraret conclave suo sigillo sigillata cum subscriptione notarii. Incipit: *In nomine Domini. Amen*.

Confessio domini Anglici cardinalis Albanensis cum signis duorum notariorum et suo sigillo sigillata. Incipit: *Universis & singulis præsentes literas inspecturis*.

Instrumentum confessionis domini cardinalis S. Eustachii cum signo et subscriptione notarii et undecim testium. Incipit: *In nomine Domini. Amen*.

Extractiones quædam habitæ a dictis testium per illos de consilio regio; quorum aliqua facere videntur pro libertate electionis primæ, et quædam pro coatione seu impressione.

A Sequuntur conclusiones illorum de regio consilio circa dubia et allegata super materia. Subscribunt præter eos alii multi viri docti, et inter hos Martinus episcopus Pampilonensis.

Post præmissa vero præfato domino regi Castellæ exhibita, præsentata, et declarata, omnibusque peractis, ut supra per ordinem est expressum, scriptum, et designatum, demum idem dominus rex consilium prædictum pro debito fidei, veritatis, et justitiæ, ac securitate suæ conscientiæ libenter amplectens, volensque agnitam veritatem hujusmodi suis regnicolis universisque Christi fidelibus notam esse, ad civitatem Salamantinam, ubi studium viget generale, cum to-
B ta sua curia & sequela se contulit. Et tandem die dominica quæ intitulabatur XIX. mensis Madii anni a Nativitate Domini, millesimi trecentesimi octuagesimi primi, convenientibus ibidem ad ecclesiam cathedralem mane quasi hora prima præfato domino rege cum prælatis, nobilibus, & litteratis, ac notabilibus viris regnorum suorum, qui pro hujusmodi negotii ac rei gestæ perscrutanda & inquirenda veritate de mandato suo fuerunt evocati, præsente quoque ibidem reverendissimo in Christo patre & domino Petro de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin, diacono cardinali A. S. L. & nonnullis aliis prælatis ac litteratis viris diversarum natio-
C num & partium, grandique alia cleri & populi multitudine, qui propter hoc advenerant, celebratisque missarum solemniis, idem serenissimus ac christianissimus princeps & dominus rex, abjecto primo electo, vocato Bartholomæo de Priniano, olim archiepiscopo Barensi in apostolica sede intruso, pro sanctissimo in Christo patre & domino domino Clemente papa septimo canonice electo veroque Jesu Christi vicario se declarans, declarationem suam hujusmodi in scriptis redactam publice & alta ac intelligibili voce legi & recitari fecit; cujus tenor seu forma de verbo ad verbum sequitur & est talis.

Johannes Dei gratia Castellæ & Legionis
D *rex, universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare.*

A solis ortu usque ad occasum &c. *Datur integra inferius.*

„ Et sic absolvitur iste codex, qui in initio, uti supra monuimus, dicitur esse prima pars processus facti & habiti coram rege Castellæ de & super exorto nuper schismate in ecclesia Dei circa electiones Urbani VI. & Clementis VII.

SY-

SYNOPSIS SECUNDÆ PARTIS ACTORUM

Concilii Medinæ Castrensis,
Ex Colbertino Cod. num. 814.

ADMONITIO COLLECTORIS.

AN in codice isto Colbertino ea tantum contineantur acta vel documenta in concilio hoc prolata, vel aliqua alia præter illa, Baluzius nequaquam prodit; sed ita rem exhibet, ac si reipsa omnia ad alteram partem concilii hujus spectent. Verum si rem propius dispiciamus, intelligemus profecto ambos istos codices haud ita inter se continuari, ut prior alteri adjungendus sit; & ambo simul integram actorum concilii complexionem afferant. Nam in altera quædam occurrunt, quæ leguntur in priori, ut oratio Faventini episcopi ad concilium; ex quo discas Colbertinum hunc codicem alio plane consilio scriptum esse, quam ut secundam partem actorum concilii complectatur. Quamquam vero ita rem habere se credo, juvat tamen integrum rerum in eo descriptarum indiculum, prout a Baluzio datur, & hic exhibere.

Primum occurrit tractatus domini cardinalis S. Eustachii de papatu, qui in aliis codicibus vocatur tractatus de facto schismatis & impressionis, scriptus adversus electionem Urbani. In calce vero ita adnotatum est: *Tractatus iste domini cardinalis S. Eustachii fuit inceptus in civitate Fundana provinciæ Campaniæ anno a Nativitate Domini MCCCLXXVIII. de mense Septembris, & completus Avinioni anno sequenti de mense Marcii seu Aprilis.* C

Littera archiepiscopi Toletani ad cardinalem S. Eustachii, continens dubia super eodem tractatu.

Tractatus Petri de Barreria cardinalis Æduensis factus Parisius anno a nativitate Domini MCCCLXXIX. seu LXXX. *Serenissimo ac præexcellentissimo principi*. Editus est in tomo quarto historiæ universitatis Paris. pag. 529.

Tractatus domini Joannis tunc abbatis S. Vedasti, nunc episcopi Carnotensis, factus Parisius anno a nativitate Domini millesimo CCCLXXIX.

Tractatus magistri palatii responsivus ad rationes quorumdam theologorum contra dominum Clementem & pro B. factas, ordinatus Avinioni de mense Maii anno LXXX. D

Tractatus domini cardinalis Ebredunensis super materia concilii generalis habendi vel non habendi in negotio schismatis hodie currentis, scriptus de mense Augusti an. LXXX. forte factus eodem aut saltem præcedenti an.

Epistola ecclesiæ ad regem Francorum in causa schismatis, data in inferno vivorum. In fine apposita est hæc nota: *Nihil valet totum, nec principium, nec finis.*

Epistola de facto schismatis ad Ludovicum ducem Andegavensem, composita per magistrum Joannem de Florencia. Scripta ante electionem Clementis. E

Factum intrusionis Bartholomæi in papatu traditum per reverendissimos patres dominos dominos Florentinum & Mediolanum cardinales Italicos reverendissimis patribus & dominis dominis Albanensi, Vivariensi, S. Eustachii, & S. Angeli cardinalibus in Nicia cum eis constitutis de anno Domini millesimo trecentesimo LXXX. & de mense novembris.

Ambaxiatorum Urbani VI. oratio ad regem Castellæ divisa in XVII. veritates, eadem quæ in codice Harlæano occurrit sub nomine episcopi Faventini.

Allegata domini episcopi Ambianensis (Joannis Rolandi) pro domino Clemente in facto schismatis, coram rege Castellæ.

Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra Bartholomæum intrusum.

Declaratio domini regis Castellæ. Eadem quæ habetur in calce codicis Harlæani.

Francisci de Siclenis epistola seu factum pro Urbano ad eundem regem.

Responsio domini Evvardi de Tremaugen, Britonis natione, domini regis Franciæ ambaxaiatoris, juris utriusque professoris, nuntii domini Franciæ regis ad dominum regem Castellæ, facta in Castella apud Medinam del Campo coram dicto domino rege Castellæ consilium pro parte domini Clementis papæ VII. & contra Bartholomæum de Prinhano intrusum in papatu ad dubia quæ sequuntur, anno Domini MCCCLXXXI. de mense aprilis die secunda.

Quæstiones disputatæ coram rege Castellæ inter Petrum de Luna legatum & nuntios apostolicos Clementis VII. ex parte una, & nuntios Bartholomæi antipapæ anno Domini MCCCLXXXI. de mense Marcii. Et incepta fuit disputatio die sabbati XXIII. dicti mensis in capella regis in Metina del Campo diocesis Salamantinæ, absente rege, & ejus consilio toto præsente. Responsiones factæ fuerunt per Petrum de Luna & per Ægidium Sancii.

Allegationes Bonifacii de Amanatis advocati fiscalis domini papæ factæ coram rege Castellæ & toto consilio apud Medinam del Campo Salamantinæ dioecesis de anno a nativitate Domini MCCCLXXXI. die mercurii XXVIII. Aprilis.

Allegationes Petri de Turi utriusque juris professoris, custodis Lugdunensis, factæ in capella regis Castellæ tunc absentis apud Medinam del Campo pro parte Clementis VII. contra Bartholomæum intrusum de anno Domini MCCCLXXXI. & de mense aprilis secunda die.

Allegationes, ut dicitur, domini cardinalis de Luna.

Novæ allegationes Joannis de Lignano, seu verius postrema pars secundi tractatus quem

ANNO CHRISTI 1380.

quem Joannes de Lignano fcripfit pro Urbano, qui editus eft ab Odorico Raynaldo in appendice tomi XVII. annalium ecclefiafticorum.

Rationes Anglicorum, & refponfiones ad illas.

Allegationes domini Raymundi Bernardi Flameach factæ coram rege Boemiæ anno MCCCLXXXIII. die XXI. Augufti.

Literæ Wenceflai regis Romanorum, quibus committit Marchioni Moraviæ vicario fuo generali in Italia & ultramontanis partibus poteftatem inquirendi quis amborum fit papa & eidem faciat obediri.

Aliæ litteræ ejufdem Vvenceflai, quibus eidem vicario committit poteftatem reformandi ligam cum rege Franciæ.

Factum verum dominorum cardinalium. *Dudum vacante fede Apoftolica*.

Sermo factus fuper & pro fedatione moderni fchifmatis per Guidonem cardinalem Pictavenfem in fynodo Cameracenfi anno Domini MCCCLXXXIII. die prima octobris, pontificatus Clementis VII. anno fecundo.

Tenor veri teftamenti Petri Flandrini diaconi cardinalis S. Euftachii.

Tenor falfati teftamenti dicti domini S. Euftachii. Quam falfitatem commifit notarius per plures annos poft mortem prædicti domini, & poftquam ad Bartholomæum idem notarius fe transduxit.

Tractatus Perfecti de Malateftis abbatis Sitrienfis vicecancellarii Cataloniæ pro Bartholomæo contra Clementem, infcriptus: *Le triunpho Romano*; compofitus Barcinone anno MCCCLXXIX. die facratiffima corporis Chrifti decima menfis junii.

Tractatus Baldi de Perufio contra Clementem VII. Incipit: *Civitas Dei*. Editus in appendice tomi XVII. Odorici Raynaldi.

Tertiæ, & ultimæ allegationes Joannis de Lignano, valde Venenofæ, licet fuperficiales & non reales exiftant. Incipiunt: *Quia poft completum*. Editæ in calce ejufdem tomi XVII. uti dictum eft fupra.

Tenor litterarum directarum clero Romano ab anticardinalibus Bartholomæi.

Allegationes cujusdam in facto electionis, in favorem Urbani. Incipiunt: *In quæftione præfenti licet multi valentes*.

ALLEGATIONES ELECTI FAVENTINI,

Nuncii B. factæ coram rege Caftellæ.

Legatio ex parte Romani intrufi coram Caftellæ & Legionis rege.

Ex MS. Collegii S. Hieronymi de Dola, ex Mart. Anecd. t. II. pag. 1083.

Nunc pro declaratione juris domini noftri Urbani aliqua fub brevitate transcurram, quorum quædam apparebunt præparativa, quædam difpofitiva, quædam probativa, quædam vero executiva & adminiculativa: ex quibus clare domini noftri juftitia apparebit, profequendo XVII. veritates inferius adnotatas. Rediens ad primum proteftor, quod loquar cum qua potero honeftate, non ad alicujus infamiam five odium, nec favorem alterius: & quia quædam quomodo domini cardinales, qui pro duabus partibus & ultra erant Ultramontani, elegerunt Italicum, poffet dici quod incomprehenfibilia funt judicia Dei, fine quo nec folium cadit de arbore, tamen perfuafive refpondet.

Prima veritas exortæ divifionis patefacta diverfis vicibus in certis locis fimul & feparatim per diverfa colloquia fuper perfona Ultramontanea communionis ac divifionis. Nam mortuo piæ memoriæ domino Gregorio, & feparatim diverfa colloquia fuper electione fummi pontificis tenentes; tamen propter multas eorum voluntates, de nulla perfona Ultramontanæ nationis concordare potuerunt, facientes Ultramontani de fe duas partes, quarum una vocabatur Lemovicenfis, videlicet epifcopus Peneftrinenfis, cardinales de Agrifolio, Pictavenfis, Majoris-monafterii, de Veruhio. Et hi quærebant habere papam dominum Pictavenfem, vel faltem cardinalem Vivarienfem. Alia pars vocabatur Gallicorum, & fub ea erant Gebennenfis, Glandatenfis, de Britannia, & S. Euftachii, quos fequebatur dominus de Luna & etiam dominus de Urfinis videbatur concurrere. Alii vero Italici ftabant in feipfis. Prædicti vero Gallici tendebant habere papam dominum S. Euftachii, qui dominus S. Euftachii quadam vice dictis Lemovicenfibus in talia verba prorupit ex parte dominorum Gallicanorum, quod pro certo inter eos deliberatum erat, quod ifta vice nullomodo haberent papam de natione Lemovicenfi, fubjungens quod totus mundus erat attediatus de eorum dominio: & ex tunc dicta difcordia fuit patefacta: ideoque quælibet pars tenebat confilium ad partem; tractantes cum Italicis. Ecce ergo veritas exortæ divifionis patefacta per multa verba quæ in aliis atteftationibus videbitur, ex qua divifione furrexit.

Veritas fecunda..... De fubfequuto ordinationis. Nam revera illa pars obtulit fe Italicis; dicens quod potius volebant Italicum quam de natione Lemovicenfi. Hoc deducto ad notitiam Lemovicenfium, ftatim cœperunt cogitare viam fupplantandi Gallicos, & fcientes quod ex eorum vocibus non poterant habere papam de eorum natione vel fequela, concluferunt inter fe eligere dominum archiepifcopum tunc Barrenfem, propter feparatum tunc favorem. Et ex aliis caufis infertis in cafu ferenitati veftræ transmiffo per præfatum dominum noftrum: quod hoc fit verum patet ex publica fama nunc & tunc in curia Romana vigente. Item quia dominus Pictavenfis ad hoc requifivit dominum Petri mediante perfona domini mei reverendi domini Nicolai de Cremona, nunc epifcopi Brigienfis, utriufque juris doctoris, dominorum cardinalium familiaris & focii. Item patet per litteram domini Glandatenfis fcriptam per tres dies ante ingreffum conclavis, cujus copiam debet habere pater meus reverendus frater infans Petrus de Aragonia; & qui hoc indicavit domino de Agrifolio, cujus eidem domino noftro, fede vacante, quod fuper humeros fuos in brevi unum imponeretur magnum onus: aliquid & fibi tetigit dominus Gebennenfis prope ecclefiam S. Petri; fed expreffius hoc dixerunt

runt illi cardinales, qui promotores seu protectores erant dominæ reginæ, qui hoc dictæ reginæ ante ingressum conclavis per suas litteras scripsit; ut in ejus depositione in publica forma videre poterit. Ecce ergo inclinatio dominorum cardinalium fuit in dominum nostrum ante ingressum conclavis, & sic falsum est quod extendunt de creatione vel metu, quoniam creatio est quando quis contra propriam inclinationem invitus traditur. Si quis bene inspiciat, secundum legem & mentem philosophi hoc ostendit.

Tertia veritas superius tacta videlicet consultæ & fictæ factionis, nam sicut videbitis in supradicto casu, cum Cardinales de Agrifolio & Pictavensis post ingressum conclavis inquisivissent verba domini S. Petri & domini Mediolanensis, & ipsa reperissent tunc dispositâ in præfatum tunc Barrensem, & facta inter se ipsos computatione quod sufficiebant ad canonicam electionem, & dixisset dominus de Agrifolio aliis dominis hæc verba: Domini, sedeamus statim, quia pro certo credo quod statim eligemus & habebimus papam, cardinalis de Ursinis dixit: Ex quo fonte dedit tale consilium? domini deferamus istam electionem, & deludamus istos Romanos, qui volunt & petunt papam Romanum, & fingamus nos elegisse unum fratrem Minorum Romanum, quem ego nominabo, & induamus eum cappa & mitra, & postmodum loco & tempore faciemus veram electionem. Ecce ergo consulta fictio quæ inspecta fuit. Nam episcopus Prænestinus cum suis sequentibus statim respondit in idolatriam saltem usque in diem declarationis, subjungens esse procedendum ad veram electionem, non obstantibus clamoribus seu pactionibus populorum, de quibus non est timendum. Ecce ergo quomodo fictionem prævenerunt & statim superexit.

Quarta veritas supra posita, scilicet celebrata electio. Nam licet dominus Florentinus, qui primam vocem habebat per viam collationis visus fuit vota dominorum cardinalium trahere in Dominum S. Petri, quem ad papatum nominavit. Tunc domini Lemovicenses allegantes dominum S. Petri impotentem ad onera papatus, ex causis in dicto casu insertis, direxerunt vota sua in præfatum dominum nostrum: quibus votis computatis, repertum est eum habere ultra duas partes dictorum votorum. Tunc arguitur sic, electus est a duabus partibus, ergo verus papa est. Antecedens ipsi concedunt: consequentia probatur per caput *Licet* de elect. Sed ipsi contra dictam electionem timorem allegant, pro cujus exclusione, . . .

Pondero quintam veritatem, scilicet illius electionis occultationem, celebrata namque electione domini nostri præfati, consilium inter se tenuerunt, an esset expediens illam electionem publicare, & concluserunt quod non, & licet dicat quis partis adversæ quod quia populus fremebat, ideo non fuerunt ausi illam publicare, mirabile dictum est hujusmodi, si populo impellente, & propter hoc timentes & ad vitandam mortem elegerunt dominum Barensem, quod electionem suam non audebant publicare. Quis unquam audivit quod existens in periculo mortis noluit illud evitare? Et quis unquam audivit, quod volentes evitare mortis periculum absconderunt seu celaverunt causam evitationis suæ liberationis. Sed revera ratio occultationis fuit, quod non imaginabantur satisfecisse populo, & per consequens metus quem attentatum per populum prætendunt, non impressit in mentibus eorum, neque eorum arbitrium absorbuit. Et hoc possit esse causæ quantumcumque intrinsecus attentatæ, ut prætendunt sicut probatur, & hi tres deliberaverunt ergo non publicari dictam electionem, & nec facto nec signo publicaverunt. Inserunt pro ipso & non solum, sed adjunctis pluribus aliis prælatis, fingentes ab eis velle habere consilium, & interim fecerunt letantes in conclavi, mandantes publicari & colligi res suas, & asserunt qui audiverunt, & ut in attestationibus videre poteritis, dominus Gebennensis jocose dicebat inter alios Romanos *Le Velemo*. Interim venerunt prælati pro quibus missum erat: quibus existentibus in palatio, pransi sunt prælati per se, cardinales per se, & sumto prandio convenerunt de novo dicti domini cardinales, & tunc surgit.

Sexta veritas, videlicet electionis reiteratio. Nam quidam ex dominis proposuit inter eos hoc modo: Domini aliqui isto mane quando elegimus dominum Barrensem, fecerunt dubium de clamoribus Romanorum: nunc vero nullus clamor potest allegari; quia sunt omnia in quiete. Videamus ergo quid facere volumus. Et tunc quasi omnes seu saltem ultra duas partes ipsum dominum tunc Barrensem elegerunt. In cujus mente potest cadere quod talis raiteratio processerit ex timore? non enim supponit pars adversa impressores quos prætendunt petiisse reiterationem, cum ignorarent primam fictionem. Processit ergo ista secunda electio ex superabundanti voluntate, per quam ut etiam dixit pater meus dominus Joannes de Lignano, talis indictus est effectus. Quia si prima tenuit, ista secunda fit nulla; quia non potest geminare titulus beneficii in eodem subjecto. De elect. *ut quos duas*. Venit ad declarationem libertatis primi consensus. Si vero prima fuisset nulla, tunc secunda fuit aliqua juxta doctrinam Glossæ in cap. *Auditis*. Cum impressio non plus inficiat quam impressoris intentum sit. Et addendum quod non propter metum dicta reiteratio processit. Pondero quod ut adversantium casus habet, unus ex dominis in reiteratione electionis allegat metum divertere, & subditur in alio casu, quod spreta fuit talis allegatio, & ipsa spreta processit talis dicta reiteratio a duabus partibus & ultra. Non ergo metus fuit in causa hujus actus, pro quo ergo surgit

Septima veritas, scilicet novæ formæ expressionis. Dixerunt quia tam in prima, quam in secunda electione, quod eligebant animo & intentione quod esset verus papa. Causa enim fuit exuberantia voluntatis, quia dixerunt non solum quod esset papa, sed quod esset verus papa: insolitum verbum & ideo sine aliquo conatu metus, nec consilium fictionis datum per dominum de Ursinis sequi intendebant, nec allegationem metus

ANNO CHRISTI 1380.

tus factam per alium ponderarunt: ad quid enim prudentes viri & famosi juris & facti expertissimi hoc dixissent, non capit naturalis imaginatio, cum ut dictum est in proximo, impressores quos prætendunt hoc non petierunt. Verum est quod dominus S. Eustachii in suo confícto casu ponit quod pauci talibus verbis usi sunt, sed tamen quod omnes sic dixerunt patet ex casu dato a Johanne Lignano, qui secundum assertionem partis adversæ saltem fuit duorum Italicorum, ut sic haberet testimon. trium, quod validum est, licet, ut opinor, ille casus fuit omnium: sed postquam viderunt sibi ex illo concludi, confixerunt alium casum. Ecce sequitur

Octava veritas exclusiva præsumptæ dictæ fictionis, scilicet, notitiæ, & amicitiæ, copulationis. Fatentur enim dicti adversarii, quod dominus noster erat notus, & familiaris amicus erat, scientificus erat, expertus erat, bonæ conscientiæ. Non est ergo verisimile quod cogitassent tantam delusionem, & sic vituperosam in personam suam. Sed ipsi hoc tolerant hæc dicentes, quod intendebant ipsum religere in loco securo, quasi putarent quod locus sive metus attentatus, sive terrores extranei possent vitiare electionem prædictam in se ipse liberam, & a libera voluntate procedentem. Et hic est magnus error, ut videtur, quia traditionem talem seu effectum rei gestæ non impedit. Tumultus enim popularis non excludit propterea liberam, canonicam, concordem electionem fieri non posse. Item videte errorem alium; dicunt quia eum intendebant reeligere, & ex alia parte ponunt eum ineligibilem, quia consenserat electioni quam dicunt factam in tumultu. Item, est hic ponderandum, quod illa talis conditio in diem seu locum per eos, ut dicunt, in mentibus intellecta, non potest plus operari, quam si fuisset expressa: sed certum est, quod uti ubi fuisset expressa per eos nihil fuisset operata, tamquam a jure improbata ut in Reg. *Actus legitimi* de re inter. & de elect. cap. II. lib. VI. per quod caput apparet quod dicta talia vota conditionalia sive in diem vel locum pro non adjectis haberentur, & ex aliis confessibus penitus remanet electio valida; et non est dubium, quia multi ex dominis cardinalibus fatentur dominum nostrum pure et simpliciter elegisse, & de se ipso pluries, ut audio, confessus est dominus de Luna. Sed concludatur contra ipsos ex

Nona veritate, scilicet adjunctæ simulationis. Nam cum Romani deputati ad custodiam conclavis præsensissent, quod cardinales fecerant rumpi aliqualiter conclave ex parte posteriori, revera ad salvandum quasdam res quas dubitabant in multitudine subripi: dubitantes Romani ne illud fieret propter exitum cardinalium, non facta & non publicata electione, intraverunt per dictam irruptivam satis impetuosi: & tunc dicti cardinales, credentes quod propter impressionem faciendam ad habendum Romanum in papam, retraxerunt se ad capellam secretam, & cum aliquis consuleret quod confingerent dominum S. Petri electum, & quod sibi facerent reverentiam ut electo, multi eis dixerunt, maxime Dominus de Luna, sicut mihi constat per ea quæ de domo sua emanarunt, quod potius vellet mori quam facere reverentiam non vero papæ, dicens non conflabo vitulum, nec coram Baal flectam genua. Unus est enim & debet esse verus papa & non duo. Et verbo dixerunt illis Romanis quod dominus S. Petri erat electus, sed nolebat consentire: & tunc Romani irruerunt in illum, ponentes eum de facto supra sedem, velut papam, tamen absque exhibitione reverentiæ inde recesserunt & illæsi cardinales prædicti, ut hæc omnia habetis in casu. Ex his pondero duo mirabilia, primum quomodo dicti cardinales, qui dixerunt prius velle mori, quam consentire in illam simulationem, & non verum papam fingere, quamquam essent multis armatis & furenti populo, ut asseritur, circumdati, quando solum voces audiverunt, ut etiam asserunt, tam fortiter timuerunt, quod dominum B. ob timorem mortis elegerunt; alii vero, ut asserunt; alium, scilicet dominum S. Petri electum finxerunt, & populo ostenderunt. Verum, Serenissime Princeps, non est præsumenda tam inanis cautela in hominibus tantæ prudentiæ, tantæque experientiæ. Unde vestra circumspecta prudentia considerare potest quanta sit dictis dominis fides adhibenda, tota repugnantia, & non verisimilia asserentibus. Hunc sequitur

Decima veritas, scilicet solemnis inthronizatio. Hoc est sciendum, quod post simulationem, de qua proxime dixi, quatuor cardinales recesserunt de Urbe ad loca eis confidentissima; sex vero intraverunt castrum S. Angeli fortissimum & inexpugnabile, ut patet toti mundo; sex vero remanserunt in eorum hospitiis, qui sexta die sequenti clam ad palatium ubi erat dominus noster quasi latitans, accesserunt, & cum officiales Urbis jam informassent populum quod dominus S. Petri non erat electus a cardinalibus, sed erat ejectus dominus archiepiscopus Barrensis, & sic populum placassent, dicti alii sex cardinales, qui erant in castro voluntarie etiam ad dictum palatium venerunt, & convenientes in dicta capella secreta, omnes isti duodecim vocaverunt ad se dictum dominum nostrum tunc archiepiscopum B. & ipsum tamquam electum inter se ceperunt, & electionem sibi annunciaverunt, suum postulantes consensum, prout latius habes in casu. Et quomodo dictus dominus noster ab eis voluit certificari, & quid ipsi responderunt audiendo, infra super articulo confessionis. Quibus sic dominum nostrum inthronizaverunt, & Urbanum assumtum publicaverunt. Hæc ergo pondero, quod dicti cardinales voluntarie venerunt, quia cogi non poterant, non enim cogitur qui resistere potest, ut dicit Magister sententiarum lib. II. dist. XLII. Tunc arguitur sic. Duæ partes cardinalium & ultra receperunt dominum nostrum ut electum in papam. Ergo verus papa est. Nam negari non potest, nec per eos negatur; quin saltem aliqui ex eis etiam in prima electione ipsum voluntarie elegerunt, quo præsupposito, sufficit ipsius electi receptio quocumque modo, sive per osculum, sive per inthronizationem, sive per accessionem, ut dicunt doctores, in prædi-

dicto capite. *Licet per litteram quæ ibi est, nisi major concordia &c* Ad quod etiam benefacit glossa, quæ incipit. *Non sicut* in capite *Indemnibus* de electionn. lib. VI. Prima sola inthronizatio jus pontificativum probat. Nam olim imperatores nominabant papam XLIII. di. *Adrianus*, & cardinales solummodo inthronizabant, & sic est necesse fateri, quod ex ipsa inthronizatione oriebatur jus pontificatus, ut dicit Innocent. in cap. *Quod sicut*, de elect. Quoniam ex nominatione imperatoris non laicus de elect. *Sacrosancta* LXXXXVI. di. *unde quidam*. Et ista ratio est domini Baldi. Surgat ad idem, & fortius solemnis coronatio, quæ fuit.

Undecima veritas. Oportet enim fateri, quod solemnitas coronationis supponit pro aliquo in promotione Romani Pontificis. Ita patet ex notatis supra data per Johannem Andream l. VI. & satis videtur adaptare ad investituram, ut sicut investitura, si fit a confirmatore, habet vim confirmationis, si vero a collatore, habet vim collationis, si talem habet potestatem. Hæc est sententia Innocentii in caput *ex ore*, de hiis quæ fiunt a majori parte capituli. Sed quis dubitat quod creatio spectat ad cardinales, non solum per viam electionis, sed etiam provisionis, quoniam papam non facit modus, sed consensus: quod probatur ex verbis Innocentii & Compostellani, & aliorum doctorum in præallegato cap. dum dicunt sufficere consensum quomodocumque præstitum. Alii dicunt qualitercumque, ut sic in dicta præstatione consensus, & sicut de substantia formæ, ut dicit Innocentius in dicto cap. *quoniam sicut* in fi. de elect. lib. VI. ubi dicunt quod confirmatio scienter facta a confirmatore, etiamsi electio præcedens esset nulla, confert jus prælaturæ, habet vim provisionis, si confirmator talem habet potestatem. Sed cardinales ignorare non poterant, si quis fuerit defectus in electione Domini nostri, quod provenire non poterat nisi ex defectu consensus eorum, ideo sponte, postea inthronizando & coronando totum complevisse verum, & de novo jus pontificatus tribuisse..... unde si cardinales dicerent ordinamus quod iste sit papa, vel volumus, quod iste sit papa, papa esset considerandus, & est quia electio, ut dicunt sapientes, nihil aliud est quam declaratio consensus, &c. Sequitur nunc veritas multiplicis confessionis & fuit.

Duodecima veritas circa quam ... pro una maxima: quia confessio deliberata, seu cum intervallo temporis emanata, est quasi irrevocabilis. Nunc videatis, Serenissime Princeps, quot & quales confessiones emanaverunt a dictis cardinalibus. Primo enim cum illi sex existerent in castro S. Angeli dubitantes, ut dicebant, venire ad palatium, manibus propriis scripserunt testificantes dictam electionem canonicam, committentes aliis in palatio existentibus vices suas circa inthronizationem fiendam. Cujus scripturæ copiam habetis in dicto casu. Subsequenter tamen cum ad dictum palatium venissent, & essent XII. congregati, ut dictum est supra, vocato ad se domino nostro in secreto, omnibus exclusis remanentibus, tamen ibi juxta altare quodam reverendo patre episcopo ordinis S. Augustini confessore, & domestico commensali piæ memoriæ domini Gregorii papæ, & quodam alio clerico vocato Poncio, ambobus Galliæ nationis, qui ibi quasi semilatendo remanserant. Videte quid asseritur factum fuisse, nam ex ejus attestationibus videbitis cum dictam Florentinus narrasset electionem de ipso factam & peteret suum assensum, D. noster vertit se ad illos, dicens: Videte cum ista fuerint mihi narrata antequam veniretis, tamen nolui consentire dictæ electioni, nec aliquam novitatem facere, nec volo, donec sim certificatus qualis fuit & est vestra intentio. Et tunc quilibet ex eis per sacramentum voluntarium ponendo manus ad pectus, domino dixerunt quod intentio eorum fuit & erat pure & libere quod esset verus papa, & aliqui addebant, quod post B. Petrum nullus fuit forte ita pure & concorditer electus, subjungentes, quod prostratus ecclesiæ nullo modo differret consentire: quoniam foret valde difficile cardinalibus in aliam personam convenire..... Et attendatis hic, Serenissime Princeps, quod si aliud fecisset in reipsa, cardinales prædicti explicassent domino nostro in tali secreto actu. Nam ipsimet & eorum scripturæ dicunt quod reputaverunt eum bonæ conscientiæ, & talis conscientiæ, quod dictam electionem non acceptaret. Ergo verisimile est, quod ipsi saltem inquirenti & in loco sic secreto veritatem non celassent. Item, Serenis. Princeps, quod etiam per sacramentum confessi sunt pluries, & maxime dominus de Luna super altare S. Petri in consecratione dicti domini nostri, quoniam cum eo tractabant ejus utensilia altaris. Item, si ipsi vel aliqui alii confessi sunt esse in Anagnia, quando jam inchoatum erat schisma, quod potius volebant esse schismatici, quam martyres. Item, Serenissime Princeps, videte eorum confessiones per litteras tam collegiales quam privatas scripturas ad imperatorem, & ad alios principes mundi etiam propriis manibus, & ad eorum amicos & consanguineos, quæ confessiones & litteræ, si non faciunt papam, tamen probant papam esse factum. Dicta etiam singulorum probant factum universorum, si consona sint. Item habetis confessionem & recognitionem illius sancti viri cardinalis S. Petri in articulo mortis, & etiam domini Jacobi de Ursinis, qui non solum expresse, sed etiam tacite est confessus, scilicet quando de suo testamento ab olim facto revocavit dominum S. Eustachii & dominum Nicolaum de Neapoli, quos primo deputaverat executores, dicens nunc quod nolebat executores involutos in schismate, nec non & multas alias confessiones tam verbo quam per litteras factas in Anagnia, et per aliquos ex eis postquam per alios publice coeptum erat dicere sedem vacare. Inde clare vestræ Majestati ostendentur. Ad id conquerit multiformis recognitio quæ fuit.

Tertia decima veritas. Non enim est dubium, Serenissime Princeps, quin recognoverunt dominum nostrum verum papam, non solum eundo ad consistorium, & ei ut vere papæ obediendo: verum etiam beneficia & gratias pro se & suis impetrando, & ipsa beneficia possidendo. Et mirum est

est, quod multi ex eis adhuc hodie beneficia tenentes, tamen disputant an sit papa. Multi etiam ex eis indulgentias & gratias spirituales, & poenitentiales impetraverunt, quibus usi sunt in secreto. Circa quod poteritis videre attestationes cujusdam religiosi Tolosani ordinis Prædicatorum, qui aperte deponit virtute dictarum indulgentiarum confessiones audivisse ab eis, & absolutionem petitam ab eis impendisse. Multos enim & infinitos actus potestis videre, per quos in tribus vel quatuor mensibus continue eum esse verum papam recognoverunt. Sed ipsi conantur evadere, dicentes quod isti actus non faciunt papam. Ad quod potest responderi, ut supra, quod si non faciunt papam, ostendunt eum esse factum: quoniam sequentia ostendunt præcedentia. Alias ex talibus actibus concluderetur contra eos expresse idololatria, ut in prima clare dictum est. Præterea si volumus de juris apicibus loqui, ego considero in dictis dominis cardinalibus diversas species actuum. Scilicet proprie & improprie sunt actus, qui consistunt in taciturnitate, seu in non reclamatione, qui non proprie sunt actus, nisi in quantum ex eis elicitur quidam tacitus assensus. Et tunc supposito eorum confecto themate pro non, posset dici quod solus actus taciturnitatis sive non reclamationis non inducunt novam dispositionem, durante prima causa impediente. Quidam sunt actus proprii, qui consistunt in agendo, qui sunt mere voluntarii, & quoad istos non video quod locus metus impediat eorum effectus; cum non plus inficiat metus, quam respiciat. Ideo si metus intueatur, quod citius eligatur, & eligetur Martinus, valet electio, ut superius dictum est. Sed ipsi statim dicent, quod isti actus non sunt collegiales, & sic non formales, ideo non inducunt dispositionem seu purgationem vitii. Ad hoc respondeo primo, quod si non dispositive, saltem præsumtive, ut dictum est supra: unde etiam cum supposito eorum themate eorum fundamentum metus surgat etiam ex præsumtione, per aliam præsumtionem tollitur, ut inferius clare deducam; vel satis probabiliter dici potest quod isti actus voluntarii, licet non formales, sufficiant ad fundamentum nostrum. Nam quod in matrimonio carnali & professionali requiris materiam & formam, scilicet assensum & matrimonii expressionis assensus, &c. Ex quibus constat quod quandocumque quis consentiat in mulierem, aut consentiat profiteri, sive exprimat verba professionalia, nisi sit qui recipiat talem assensum, nec est matrimonium, nec professio; & tamen video, quod si matrimonium vel professio sit in sui forma legitima, quamquam intervenientibus terroribus sufficientibus ad impediendum consensum; & sic visum est vitium in materia, tamen actus, postea voluntarii sufficiunt ad matrimonium vel professionem, ut sint isti ultimi actus licet non formaliter trahantur ad primam materiam, in qua in figura apparuit vitium, in materia enim ponderantur allegata cap. *Insinuanter &c.* Nunc succedat veritas pacificæ possessionis Domini nostri, quæ fuit.

Quarta decima veritas. Patet enim ex præmissis de pacifica possessione domini nostri super cunctos Christicolas, & etiam super illos qui hodie sibi adversantur; nec negare possunt canonistæ, quin magnus effectus producatur ex possessione etiam in beneficialibus. Nam si existens in possessione cathedræ, sufficit sibi sola possessio cathedræ, &c.

Quinta decima veritas, scilicet de opinione principum, doctorum, & vulgi satis debet constare serenitati vestræ. Novistis enim, qualiter serenissimus imp. Rom. scilicet D. Carolus, & filius ejus D. Wenceslaus rex Romanor. cum omnibus principibus & prælatis Alemanniæ & Bohemiæ, nec non dominus rex Hungariæ, qui semper christianissimus fuit, rex Angliæ, comes Flandriæ, cum cæteris dominis & nobilibus Italicis tenent dominum nostrum Urbanum VI. verum esse papam; exceptis quibusdam paucis, qui eidem potius ex privato odio adversantur, quam ex tituli dubietate. De doctoribus etiam patet. Nam nullum in Italia doctorem agnosco, qui contrariæ opinionis existat; quamquam in Francia sint viri valentes juris periti, non tamen credo eos esse tales. Fons juris in Italia est, non in Francia, suntque dicti Gallici & multi alii circumventi in narratione facti, ex quo jus oritur. Numquam enim in Francia pro domino Urbano fuerunt informationes receptæ. Immo cum ad istum finem illuc destinarentur, quidam valentissimus doctor & miles & advocatus antiquus Romanæ curiæ, nomine dominus Ja. de Ceva, natione Provincialis fuit per partem adversam captus, detentus, nec dum suæ libertati plene restitutus, quamquam directo mitteretur ad personam regis Franciæ. Multum enim Serenissime Princeps, ponderanda est opinio seu interpretatio doctorum, nec etiam est spernenda, Serenissime Princeps, vulgi opinio. Nam jurisconsultus illam ponderat. Quid enim vulgus in hac materia sentiat, Vestra Serenitas non ignorat. Et dici solet proverbialiter quod vox populi vox Dei, &c.

De sexta decima veritate, scilicet divinæ revelationis non loquar, dubitarem tanto judicio aperire os meum. Scio tamen a fide dignis multos homines sanctæ vitæ & religionis, mares & feminas revelationem habuisse de hujusmodi veritate; ex quarum qualitate personarum præsumere possumus esse revelationes divinas, quæ omnem legem positivam superant. Ultimo dixi veritatem D. nostri adjuvari ex varietate facti narrationis. Scilicet ab adversariis, ut dixi in prima collatione, & facile posset ostendi maxima varietas in eis, ex qua contra ipsos posset concludi, quoniam varietatem non admittit Prætor, multo minus contradictores.

Decima septima veritas. Quæ probant, immo demonstrant justitiam domini nostri in summi pontificis seu pontificali dignitate & ut tali obediendum fore absque mentis scrupulositate. Sed unum solvatur, ut dictorum adversantium fundamentum tollatur. Videlicet domini cardinales convenientes Anagniæ, ut asserunt, submiserunt processum electionis domini nostri ratione liberationum Romanis, declarantes ipsam postea nullam exi-

existere, velut per impressionem factam, &c. *Subjungit varias juris citationes quas ne tædium generent consulto prætermimus.* Verum, Serenissime Princeps, etiam metum, quem allegant dicti Domini adversarii, & ut Vestra Regalis majestas clare videat injustitiam eorum, consideret quod, prout etiam ex eorum processibus apparet, ponitur magnum intervallum temporis inter electionem primam & secundam domini nostri. Nam prima ponitur facta hora tertiarum vel antea, secunda post prandium, & esset dies jejuniorum, & sic quasi prope horam vesperam. Et tunc dicunt adversarii, cum illa secunda electio quasi completa esset, coeperunt Romani irruere in conclave. Ergo ante non fecerant nisi verba, emittendo voces, ut dicti adversarii ponunt, ex quibus asserunt timuisse, tunc, Serenissime Princeps, quod in materia metus elicitur ex jurium communibus. Nam metus considerari potest duobus modis: uno modo qualis est, alio modo qualiter esse debet. Si enim est talis qualis esse debet in constantem virum illius conditionis & qualitatis, iste metus dicitur justus, id est meticulositas patientis dicitur justa. Si vero non est talis qualis esse debet, ut quia ex actibus inferatur, nullus vel parvus metus surgere, & fragilitas metuentis afferat illum metum transcendisse ante vices, in hoc non sibi afferendum quod allegaret fragilitatem, quæ non debet esse nec præsumitur esse. Nunc, Princeps justissime, dico quod metus verborum non debuit cadere in cardinales, præsertim in toto collegio. Præsumitur enim in eis fortitudo, et debent esse audactissimi. Lex præsumit hoc in militibus sæcularibus, immo certe lex præsumet militem sæcularem non evitare pro republica mortem. Multo fortius arbitrandum est, quod cardinales non sint tam fragiles quod timeant verba, maxime illorum, qui primo eis numquam fuerunt loquuti, nisi depositis capuciis, et cum inclinationibus et reverentiis. Immo præsumendum est, quod inter quæcumque pericula libere eligant quod ecclesiæ expediens fuerit. Item, illi actus, quos prætendunt factos a Romanis, non fuerunt impressivi, nam voces parum vel nihil imprimunt in subjectum, si constans est, sicut esse debet. Cogitetis si habetis excusatos milites vestros allegantes hujusmodi metum. Impressio enim est, Princeps Serenissime, applicando agentem ad passum, quasi de corpore in corpus: unde non proprie dicitur impressio corporalis, ut ubi corpus non tangitur, animus constantior esse solet & debet vel præsumitur esse. Item sicut dicit Justinianus nuper ex personis dicta pensamus. Sed Romani numquam ante, nec post aliquem cardinalium læserunt, nec unum minimum familiarem, immo sæpe eos reverentialiter tractaverunt, ut supra dixi: in cujus signum dicti cardinales sæpe eis dixerunt, quod non eligerent ad eorum votum, sed prout Deus dederit, & ulterius ipsis videretur. Et posito quod fuerint Romani commoti, instigatio quorumdam fuit hæc, longe ex post facta electione dicti domini nostri, ut superius est dictum. Nec etiam tunc processerunt ad aliquem actum, proximo facto, quia illud est attentare, illud est opprimere. Ex quibus omnibus concludi potest, quod si quis metus fuerit in cardinalibus, fuit & esse debuit levis, & sic vanus, qui nullum actum vitiat, nedum electionem papæ secundum jura. Et si asserunt graviter timuisse, ubi non debebant, non eis de jure credendum. Et hoc etiam posito, non vitiaretur actus sic factus per eos. Videmus in jure, quod non fuit excusata quædam mulier, quæ allegabat metum ortum ex verbis regis Legionum, & propterea credebat non obligari ad professionem quam fecerat. Quomodo cardinales per verba subditorum possunt, a quibus numquam recesserant ipsi, nec similes eis læsionem fecerant: licet dicant adversarii quod occiderunt olim Romani multos Romanos pontifices & martyres Christi: istud fuit tempore quo erant infideles, & sub imperatoribus infidelibus, id est non Christianis. Multi enim in eorum cordibus dubium generant ex qualitate dictorum cardinalium, de quibus asserunt non præsumendum quod a vero capite fidei temere recessissent, & alii quæ ad hæc scirent aliter respondere. Ego enim pondero quod judicia Dei abyssus multa, ideo incomprehensibilia, & investigabiles viæ ejus. Video enim quod permisit angelum Luciferum longe majoris perfectionis, cum tot millibus angelorum in cælo cadere. Si ergo permisit ruinam in cælo a fortius in terra. Adam etiam creatus in statu innocentiæ cecidit per peccatum, Dei permissu. Justissimus etiam ille David, ille rex tantus. Item totus populus Israeliticus idololatravit, & ut dixi, omnia ista de justo Dei judicio processerunt. Circa quod possemus considerare ea quæ scribit B. Gregorius ut transumtive habetur de poenit. dist. 2. *multis*. Et per hæc & informationes quas habetis dignetur Benignitas vestra accelerare declarationem vestræ intentionis sequendo hanc partem veram Domini papæ Urbani. Considerandum etiam quod totum schisma erit sedatum, tota christianitas sequetur eum. Ubi vero, quod absit, aliud eligeretur, pensate quod adderentur ligna ad ignem, & sic fortior erit ignis. Nam principes alii, & alia christianitas, non propterea mutabuntur. Sciunt enim, quod ubi per judicium hoc schisma debeat terminari, illud est judicium concilii generalis, & non aliquorum singularium prælatorum, & interim, ut dictum est supra, deberetur obedientia tenenti cathedram B. Petri apostolorum principis clavigeri æterni regni.

Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra B. intrusum.

ISta omnia quæ sequuntur probantur pro cardinalibus contra primam electionem. Et primo de confessionibus domini Faventini & domini Francisci constat, quod officiales Romani tenuerunt diversa consilia in capitolio juxta morem, in quibus tractatum fuit, quis modus per eos teneri deberet in electione papæ, quodque custodiam pontium & portarum Urbis, præter portam pontis quæ est juxta

juxta castrum habuerunt, nobiliousque Romanis mandaverunt sub pœnis & ad tempus de Urbe recedere. Et præfati officiales Urbis pendentibus decem diebus, qui effluxerunt inter mortem prædicti domini Gregorii & introitum conclavis, simul adunatis pluries supplicarunt, eosque requisierunt ut eligerent papam Romanum vel saltem Italicum. Item postquam cardinales intraverunt conclave & jam exiverant illi Romani qui cum eis intraverant, postea eodem sero iverunt ad dictos cardinales aliqui de officialibus Urbis, & capita regionum, & petierunt quod darent eis papam Romanum vel Italicum. Item cardinales ante ingressum conclavis fecerunt monitiones & exhortationes dictis Romanis, quod eos tenerent securos, ut possent uti libero arbitrio, allegando quod multa mala possent evenire, si cogerentur ad aliquid contra eorum voluntatem, eosque requisiverunt, quod ordinarent bonum capitaneum ad custodiam burgi sancti Petri, cum certo numero gentis confidatæ dominis cardinalibus, offerente se velle solvere stipendia dictæ gentis, & quod cardinales hortati fuerunt ipsos Romanos, quod tenerent & ordinarent populum taliter quod scandalum non veniret, & quod abstinerent ab illis consiliis, quæ videbantur, esse causa inflammandi populum, & facerent taliter custodiri pontes, vel ipsos tenendo clausos saltem de bona gente in sufficienti numero munientes, quod populus non posset transire ad palatium, & quod domini cardinales dubitantes exposuerunt saltem in effectu eisdem Romanis cum magna fide errores qui poterant sequi ex modis quos tenebant circa ipsos, expresse eis dicendo, quod si propter præmissa, quæ minas & impressionem eis velle facere sapiebant, aliquis in papam eligeretur, non esset verus papa; & quomodo ipsi tendentes, ut curia penes eos remaneret, essent causa eos perdendi. Postquam die introitus conclavis ingredientibus cardinalibus in conclavi, erat platea S. Petri plena & populo Romano & aliis forensibus, & quod magna pars populi Romani erant ibi cum armis, inter quos ille Barensis cum illis connestabulariis qui fuerant deputati ad custodiam conclavis, ipsique Romani ipsa nocte intraverunt palatium, & diversarum domorum portas ejusdem palatii ruperunt, & palatium hominibus armatis circumdantes & custodientes altis vocibus & reiteratis clamaverunt *Romanum volumus vel saltem Italicum*. Et demum die Jovis sequenti de mane clamores eosdem resumentes & iterantes, campanæ capitolii & S. Petri ipso mane ante prandium pulsatæ fuerunt ad martellum ad rumorem. Ista autem die præfatus Barensis remansit in palatio, & in cameris papalibus, & fuit ter requisitus per aliquos de dominis, de cardinalibus, qui de Urbe recesserant, ut exiret, & noluit exire. Item die veneris sequenti dictus Barensis misit per cardinales qui erant in castro, & pro illis qui erant in domibus, & ipsos reiteratis vicibus requisivit quod venirent ad ipsum; & cardinales venire noluerunt, sed illi qui erant in castro miserunt unam cedulam, in qua continebatur quod aliis sex cardinalibus committebant vices suas ipsum inthronizandi, &c. De qua cedula dictus Barensis non fuit contentus, nec ea pro tunc uti voluit, sed iterum requiri fecit dictos cardinales, qui erant in dicto castro ut venirent ad palatium, qui venerunt, & ipsum inthronizaverunt more solito. Qui Barensis postea requisitus pluries Urbem cum dictis dominis cardinalibus exire noluit, & cardinales paulatim venerunt Anagniam, & ipse Barensis sine aliquo cardinali ivit Tiburim, qui locus etiam distringitur per Romanos, ad quem locum ipsos cardinales sæpius evocaret, & ipsi cardinales venire recusarunt.

Ultra prædicta quæ probantur per confessionem, probantur sufficienter articuli qui sequuntur per testes fide dignos, & specialiter per cives Romanos & custodes conclavis, qui fuerunt recepti & examinati in urbe Romana.

Primus articulus est & probatur, quod durante novena exequiarum domini Gregorii, Romani sæpe & sæpius & etiam quotidie, & aliquotiens bis tenuerunt diversa consilia, in quibus fuit deliberatum & determinatum de habendo papam Romanum vel Italicum, & super hoc Romani & officiales requisierunt ipsos cardinales, ut darent sibi papam Romanum vel Italicum subjungendo eis minas continentes pericula personarum nisi facerent.

De custodia pontium & portarum quam Romani habere voluerunt & habuerunt probatur.

Item, probatur quod cardinales sentientes prædicta requisiverunt officiales Urbis quod abstinerent a consiliis & modis quos tenebant circa ipsos quæ impressionem & minas sapere videbantur: alioquin si aliquis eligeretur in papam, non esset verus papa, & ipsi tendentes ut curia penes ipsos remaneret, essent causa eam perdendi.

Item, probatur quod pendentibus illis decem diebus Romani palam & publice per carrerias etiam audientibus cardinalibus & suis familiaribus dicebant quod cardinales inciderentur in frusta, nisi sibi darent Papam Romanum vel Italicum.

Probatur etiam quia expellerunt nobiles, & vocaverunt rusticos seu montanarios, quos in magna multitudine in Romam venire fecerunt.

Item, probatur quia die Mercurii hora vespertina quando cardinales intrabant conclave fuit multitudo populi armatorum & aliorum in platea S. Petri, & infra et extra palatium, altis vocibus clamantium, etiam cum ira *Romano lo volemo, o alomanco Italiano*, alias quod omnes inciderentur, vel similia verba in effectu.

Item, probatur quia die Mercurii capita regionum cum aliis intraverunt in conclavi, & advisaverunt cardinales, quod nisi darent papam Romanum vel Italicum & facerent ad voluntatem populi, tantum esset scandalum, quod non possent eos defendere, comminando etiam cardinalibus mortem, nisi satisfacerent populo.

De fractura portarum palatii & quando

ista

ANNO CHRISTI 1380.

ista nocte circumdederunt palatium hominibus armatis clamantibus, ut supra, etiam A plene probatur.

Item probatur, quod dicta die Mercurii, qua fuerunt conclave ingressi cardinales, per totam noctem fuerunt continuati clamores Romanorum clamantium *Romano lo volemo o almanto Italiano*, & quod populus sic de mane existens infra & extra palatium & ante conclave, altius & validius quam de nocte & terribiliter incepit clamare, *Romanum volumus vel Italicum*, alias omnes cardinales incideremus per frusta, & alia verba similia.

Item, plene probatur quod die jovis de mane ante mediam tertiam fuerunt pulsatæ campanæ S. Petri & etiam campana capitolii cum martello ad rumorem, & tunc ad signum & sonitum campanarum populus fuit augmentatus, & multi armati ad rotas cum tumultu & clamore valido confluebant ad palatium clamando *Romano lo volemo o Italiano*, & quod talis fuit ac tantus & tam terribilis rumor, tumultus & clamor populi modo prædicto clamantis circa palatium cum minis mortis, quod cardinales merito debuerunt timere.

Item probatur quod fuerunt advisati cardinales isto mane ante electionem per custodes conclavis, quod incontinenti se expedirent, & darent populo Romanum vel Italicum, alias quod omnes erant in periculo C personarum, & quod tunc cardinales promiserunt Romanis sic furentibus & clamantibus, quod darent papam Romanum vel Italicum.

Item, probatur quod Romani intrantes cum furia deinde conclave, invenerunt aliquos cardinales propter eorum timorem fugientes, quos per violentiam & inhoneste injunctos reduxerunt ad capellam, & nisi finxissent & dixissent quod eligerent cardinalem S. Petri, quod omnes fuissent occisi.

Item, probatur quod die sequenti, scilicet die veneri de mane B. existens in palatio apostolico, misit pro cardinalibus, qui ante diem confugerant ad castrum S. Ange- D li, & pro aliis cardinalibus, qui in suis remanserant domibus, & reiteratis vocibus fecit eos requiri etiam post cedulam missam per cardin. castri super inthronizatione fienda, ut venirent ad ipsum inthronizandum. Cardinales vero venire noluerunt, & fuit dictum dicto Barrensi, quod in castro S. Angeli dicebatur specialiter per camerarium papæ, quod ipse non erat papa, nec esset, & quod idem B. cuidam episcopo hæc ferenti dixit, Tace non dicas, Ego mando tibi quod amplius non facies verbum de hoc. Et quod ipse archiepiscopus Barensis misit dicendum Vauderenis, quod nisi facerent cardinales venire ad ipsum inthronizandum, nihil erat E factum, & quod ipsi Vauderenses requisierant cardinales existentes in castro sub minis ut venirent ad eum inthronizandum.

Item, probatur quod duo Bauderenses iverunt ad cardinalem de Florentia, & sibi venire recusanti dixerunt, quod nisi veniret esse pejus quam heri. Et ista sic fuerunt dicta domino cardinali die veneris immediate sequenti post diem celebratæ electionis.

Probatur quod si cardinales revocassent in dubium electionem B. & non venissent ad ipsum inthronizandum & coronandum, quod fuissent in periculo personarum.

ANNO CHRISTI 1380.

Item, probatur quod dictus B. post coronationem irrequisitis cardinalibus remisit Romanis injurias quas intulerant ipsis cardinalibus, & absolvit eos propria auctoritate, & non præmissa aliqua satisfactione, dicendo quod quidquid fecerant, fecerant cum vino, & parcendum erat ebrietati.

Item, probatur quod cardinales non potuerunt sine periculo exire Roma post mortem Gregorii ante ingressum conclavis, nec B potuerunt publicare Romæ nullitatem electionis, & habuerunt causam rationabilem non declarandi suam intentionem Anagniæ ante declarationem per eos factam.

Item quod illi cardinales, qui se reduxerunt ad castrum S. Angeli jure debuerunt timere obsidionem & tyrannidem Romanorum, si non exivissent ad ipsum electum inthronizandum.

Sequitur in ms. declaratio regis Castellæ data Salamanticæ 13. cal. Junii 1381. in favorem Clementis, quæ edita est apud Baluzium in historia paparum Avenionensium.

DECLARATIO REGIS CASTELLÆ PRO CLEMENTE VII.

JOannes Dei gratia Castellæ & Legionis rex universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad occasum sacri turbinis excitata subversio satis innuit evidenter, quantam malignatus est inimicus in sancto, dum adversus Dominum & adversus Christum ejus pestiferas instruens solitæ iniquitatis insidias, & in nova furentis incendii horrendaque præstigia voraces conflans truculentis machinationibus officinas, divini & humani imperii principatum nephariæ collisionis acerbitate discerpit, & fidei ac religionis integritate fuscata vinculum catholicæ unitatis abrumpit; dum mortiferis errorum sentibus dominica seges suffocata necatur, & totius pietatis humanitate calcata, in matris injuriam devotio filialis armatur. O sordidæ coecitatis monstruosa ludibria! Ad unius sponsæ complexus geminos vocant dubitata sponsalia, & unius familiæ binos patres conformia duorum pollicentur insignia. Inter pastores adversos unius gregis cura sectatur, sit de coelestis sponsi hereditate contentio, sponsæ patrimonium hinc inde distrahitur, passim expilatur hereditas, & veri notitia patris a pupillis filiis, proh dolor, ignoratur. O Christiane plebis enervata devotio, præceps impietas, prodigiosa caligo! Quomodo obscuratus est sol, & splendidus veritatis auriga luciferos currus convertit in tenebras? Ubi fides, ubi religio, ubi lex, & vinculum caritatis? Nimirum ergo Christi cultores, & orthodoxæ fidei strenui sectatores, scilicet reges terræ, hoc videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, stupor apprehendit. His sane strepitibus, his perniciosis clamoribus excitatus gloriosæ recordationis dominus quondam rex

rex Henricus genitor noſter illuſtris, & piæ mentis affectu olim, dum ageret in humanis, ſolerter attendens quibus eſſet onuſta diſpendiis, quantis plena periculis, hujuſcemodi ruinis expoſita nephandæ peſtis calamitas memorata, ne fucatis velata coloribus multorum ſuſpecta loquacitas execrabilem nutriret exceſſum, ad rei geſtæ ſcrutandæ remedium divinum nobis prælibavit initium; cujus laudanda veſtigia ſic nobis coeleſtis dignatio regis imitanda propoſuit, ut quem ſibi fecit in regni ſolio & regiæ claritatis culmine ſucceſſorem, eundem probaret in fidei zelo, & devotionis ſinceritate conſortem. Quapropter prædictæ peſtis vagabunda piacula intra pectoris clauſtra non abſque amaritudine ſollicite reſolventes, qualesve eſſet exitus paritura diutius neglecta, penſantes, præſertim ubi languor arcem capitis occupat, cujus fluxus ad inferiora plerumque membra diffuſus, aut ea conſumendo depaſcit, aut male torquendo cruciatu atrociore conſumit, illud etiam nihilominus recenſentes, quod credulum vulgus non ſuo judicio ſed peregrinis utplurimum vivens rumoribus, per devia ſæpe & errorum abrupta convolvitur, & quaſi per tenebras alienis inſiſtens veſtigiis periculoſas & inexplicabiles ſuperſtitiones ingrediens, eo uſque paſſim labendo raptatur, donec ſuis una cum ducibus in æternæ mortis baratrum obruatur, cum ea ſit dignior, & officioſa magis frugalitas rei publicæ ac cura ſplendidior in regnante per quam pacis dulcedo humanis non tantum paratur corporibus, ſed ſalus & quies etiam animabus ad illius laudem & gloriam, per quem reges regnant & cujus ductu omnia præcepta feliciter finiuntur, & cujus cultus nonniſi pacis tempore religioſa devotione diſponitur, ad noſtræque & fidelium noſtrorum ac omnium vere & rite credentium animarum ſalutem, ad ſcrutandam grandis cauſæ ſcientiam & veri paſtoris notitiam conſequendam ſubſcripto ordine per omnia procedentes, & breviori quo poſſumus ſtilo reperta per nos in præmiſſis & fideliter declarata narrantes, ea omnibus Chriſti fidelibus præſentibus aperimus, & quod divinæ lucis veritas ſequi nos docuit in præmiſſis, ſinceris vobis affectibus indicamus. Dudum beatæ memoriæ domino Gregorio papa XI. ſicut domino placuit vita finito, & ejus obitu ſede Romana vacante, tam fama communi quam ſpecialium relatibus literarum claræ memoriæ domino Henrico regi Caſtellæ & Legionis genitori noſtro illuſtri tunc in humanis agenti nobiſque luculenter inſonuit, quod per Reverendiſſimos in Chriſto Patres S. R. E. cardinales in urbe tunc degentes, & ad quos ſummi pontificis ſpectabat electio, populi Romani Italicum petentis vel Romanum pontificem ſibi dari interveniente tumultu, de quo, levi quamvis murmure, erumpens tunc infamia ſuſurrabat, electus fuerat archiepiſcopus tunc Barenſis in papam, & per eos ſubſequenter inthronizatus, & demum ſolemniter coronatus. Poſt verò non longi temporis intervallum per literas dictorum cardinalium, qui, ut aſſerebant, ob illatas eis violentiam, coactionem, & metum, ac

A injurias a Romanis, cum cautela ſecedentes ab urbe, apud Anagniam primum, deinde vero apud Fundanam convenerant civitatem, idem dominus genitor noſter divæ recordationis accepit, quod poſt caritativæ & benignæ monitionis notitiam eidem Barenſi archiepiſcopo, ut dicebatur, a cardinalibus ipſis facta contra ipſum ejuſque electionem, ut allegabant, per impreſſionem violenter extortam in dicta civitate Anagniæ procedentes, quandam ſuam declarationem publicaverant in præmiſſis; poſt quam quidem declarationem ſubſequenter in dicta civitate Fundorum convenientes in unum, ut aſſerebant, Reverendiſſimum Patrem cardinalem Gebennenſem collegialiter & canonice in B ſummum pontificem elegerant. Ex quarum diverſitate rerum & novitate geſtorum dictus piæ memoriæ genitor noſter attonitus & perplexus, de ſuorum conſilio tutius æſtimavit in hoc ancipiti periculo ab utriuſque obedientia ſe ſubducens indifferenter habere quam ad alterum eorundem indiſcuſſo negotio improvide declinare; quamvis pro elicienda ex hac intricata ambiguitate veritate ad aliquos actus proceſſiſſet, quos fatali ſorte præventus ad optatum non perduxit effectum. At nos, qui ſicut eidem regno Deo auctore ſucceſſimus, ſic in iis, quæ ad ejus cultum & reverentiam diriguntur ſucceſſiſſe confidimus, quæ per eundem genitorem noC ſtrum laudabiliter fuerant inchoata ad Dei & eccleſiæ ſuæ laudem proſequi cupientes, in felicibus noſtræ coronationis initiis convocatis & congregatis regni noſtri prælatis, proceribus, & divinæ & humanæ legis doctoribus univerſis, de eorum deliberato conſilio paternæ indifferentiæ viam elegimus in præmiſſis, quo aduſque ipſe qui veritas eſt veritatem nobis propitius aperiret; pro qua ſuo munere diſcernenda, ipſo teſte, de cujus cauſa tractatur, non pepercimus laboribus & expenſis, ſcribendo principibus Chriſtianis necnon cardinalibus ceteriſque prælatis & aliis ſingularibus privatiſque perſonis, qui aut interfuerant præmiſſis, aut ſpecialem de eis D notitiam credebantur habere, eos per ſpeciales nuncios effuſis precibus & exhortando ut ſi quid in iis ambiguitatibus & dubiis certi eis forſitam conſtitiſſet, nobis communicare amica caritate placeret ad laudem Dei & ſalutem animarum populi chriſtiani, ceteraque operando, ſcrutando, inquirendò, per quæ optandum finem per ipſius veritatis callem pure & ſimpliciter gradientes poſſemus Deo dirigente contingere. Et ne quicquam de contingentibus videretur obmitti, eoque majorem proceſſus noſter efficaciam ſortiretur, quō principalium perſonarum aſſertionibus contingeret communire, ad utrumque dictorum electorum nuntios & ambaxiatores E noſtros duximus dirigendos, viros utique circumſpectos & fideles noſtros, ut ſciſcitarentur ab eis prudenter & diſcrete, & in eorum periculis animarum, in quantum fas erat ſuarum ſalva reverentia dignitatum, de veritate & falſitate geſtorum, & ſic de iis & omnibus dictarum electionum circumſtantiis ac juribus utriuſque ab ipſis & a quibuſcunque eis videretur, ac etiam ubicunque caute & diligenter inquirerent

& in-

& informari curarent quod per ea in ſcriptis per eos fideliter redigenda rei geſtæ veritatem nobis in poſterum aperirent. Qui quidem nuntii noſtri ad dictorum electorum ſe præſentiam conferentes, & eis injuncta diligenter & ſollicite adimplentes, exhibita eis & tradita omnia & ſingula pro parte dictorum electorum informationes & jura, necnon per eos Romæ & Avinioni a fide dignis etiam civibus Romanis & cuſtodibus conclavis ubique reperta, & in ſcriptis fideli etiam manu redacta, & ſpecialiter a reverendiſſimis patribus de Florentia & de Mediolano cardin. qui una cum aliis reverendiſſimis cardinalibus præmiſſis interfuerant, & indifferenti, ut dicebatur, ambiguitate ſuſpenſi ab utroque receſſerant, nobis exacta diligentia legaliter detulerunt. Cum quibus nuntiis noſtris præfatis fuerunt per dictum primum electum ad noſtram præſentiam deſtinati venerabilis pater Franciſcus Faventinnenſis epiſcopus decretorum, & Franciſcus de Sicleriis de Papia legum doctores, qui quendam caſum ſub nominis ſui bulla & certa alia ſcripta dictam cauſam tangentia ex parte ejus noſtræ manſuetudini tradiderunt. Interea autem dictorum de Florentia & Mediolanenſis cardinalium apud civitatem Niciæ audientes adventum, quorum ad nos, ut promiſerant, ſperabamus acceſſum, ad pleniorem informationem & inſtructionem ſuper præmiſſis habendam ab eis oraculo vivæ vocis miſimus ad eos venerabilem patrem & decretorum doctor. ac conſiliarium & collateralem noſtrum epiſcopum Zamorenſem cum certo numero galearum in decenti & debito apparatu, ut, ſi eis placeret, nobiſcum perſonaliter convenirent ad dandum ſcientiam ſalutis nobis & etiam regnis noſtris: qui ſe a promiſſo ad nos acceſſu certis rationibus excuſantes, informationes ſuas eidem epiſcopo Zamorenſi dederunt, quas ipſe nobis apud Metinam del campo Salamantinenſis dioeceſis fideliter reportavit, ubi tunc propter hoc convocatis & accerſitis regnorum noſtrorum prælatis, proceribus, doctoris, religioſis, & multis magnæ auctoritatis viris noſtra ſerenitas reſidebat, ubique pro parte ſecundi electi reverendiſſimus in Chriſto pater Petrus S. Mariæ in Coſmedin diaconus cardinalis dictus de Luna ex ſpeciali ſibi facta commiſſione convenerat, præſentibus quoque pro parte primi electi epiſcopo Faventinenſi ac magiſtro Franciſco præfatis, aliiſque pluribus pro parte utriuſque electorum aſſiſtentibus. Quibus omnibus & ſingulis ſic per nos ſollicita inveſtigatione collectis, quia ardui negotii magnitudo & aſſertorum hinc inde diverſitas maturum ordinem & repertorum productorumque hinc inde diſcuſſionem exactiſſimam requirebant, ſcrutatis prius per nos ſuper caſibus notis exhibitis pro parte dictorum electorum & ceteris circumſtantiis dictæ cauſæ ſecreto & ſigillatim ac medio juramento conſcientiis prædictorum cardinalis de Luna & epiſcopi Faventinenſis ac Franciſci, & demum in noſtri conſiſtorii ac conſilii noſtri præſentia ſuper præmiſſis & aliis nonnullis articulis per eos productis palam

A & publice interrogationibus & reſponſionibus a præfatis cardinale & epiſcopo ac Franciſco hinc inde prolatis, dictiſque & atteſtationibus prælatorum, doctorum, & aliorum fide dignorum, qui hujus rei credebantur habere notitiam, ſub ſacramenti religione & ea qua decuit ſolemnitate receptis, apertis, & publicatis; diſputationibuſque & collationibus alternatim inter partes prædictas in dicti noſtri conſilii præſentia continuatis diebus ſuper punctis ambiguis et toto proceſſu tam in facto quam in jure ſecutis, prout hæc et alia in proceſſu per nos et conſilium noſtrum habito latius continentur, et tandem omnibus et ſingulis dictum negotium tangentibus per memoratos prælatos B et religioſos et clericos ſeculares in theologia magiſtros, juris utriuſque doctores, et alios venerabiles et authenticos ac magnæ auctoritatis viros, totiuſque conſiſtorii noſtri judicium cum magna maturitate ac ſumma deliberatione diſcuſſis, omnium concordi et unanimi judicio declaratum extitit et concluſum & irrefragabiliter terminatum in eorum conſcientiis & periculis animarum, & ſub virtute per eos præſtiti juramenti dictum Bartholomæum primum electum olim Barenſem archiepiſcopum fuiſſe & eſſe apoſtolici culminis invaſorem & in apoſtolica ſede violenter intruſum, utpote electum per popularem tumultum & noto- C riam impreſſionem ipſis cardinalibus publice illatam per Romanos, ſecundum vero, videlicet reverendiſſimum in Chriſto Patrem dominum Robertum tunc cardinalem Gebennenſem fuiſſe & eſſe ſummum verum pontificem, & Chriſti vicarium, & Petri veriſſimum ſucceſſorem, Clementem VII. a Deo electum & gregis ſui indubitatum beatiſſimumque paſtorem, & eidem fore tanquam vero papæ ab omnibus obſequendum. Quorum conſilium in virtute altiſſimi læti deſideriis amplectentes, & divorum principum progenitorum noſtrum, quorum ſidei conſtantia & illibata devotio erga Deum & eccleſiam ſuam ſincera ſemper integritate reſ- D plenduit, toto mentis affectu & cordis puritate ſectantes, & Deo laudes & gratias referentes, qui nobis dedit ſui digni vicarii notitiam divina illuſtratione ſcrutari, peractis miſſarum ſolemniis & Chriſti nomine invocato, de prædictorum noſtrorum conſilio in eorum præſentia publice in conſpectu cleri & populi hac die & hora infraſcriptis præfatum Bartholomæum ſic, ut præfertur, in apoſtolica ſede damnabiliter intruſum reſpuentes & evitantes, ac ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum noſtrum dominum Clementem VII. præfatum in verum papam & Chriſti vicarium ac gregis Dominici directorem devote ſuſcipientes, & ejus obedien- E tiæ inhærentes, omnibus & ſingulis ſubditis & fidelibus noſtris, declaramus, indicamus, ac etiam publicamus præfatum Bartholomæum fuiſſe et eſſe, ſicut præfertur, per notoriam impreſſionem in apoſtolica ſede violenter intruſum; eumque non eſſe apoſtolicum ſed apoſtaticum nominandum, nec ei fore obediendum ac quomodolibet adhærendum, præfatumque ſanctiſſimum patrem dominum Clementem fuiſſe & eſſe verum pa-

Anno Christi 1380.

pem, Christi vicarium, et Petri verissimum successorem, eidemque devote et humiliter ut vero papæ esse parendum, ipsis omnibus et singulis subditis et fidelibus nostris, cujuscunque status, eminentiæ, seu conditionis existant, districte præcipiendo mandantes, quatenus sub divinæ animadversionis et indignationis nostræ poena hanc declarationem, denuntiationem, publicationem, et mandatum nostrum præfatum custodiant et totis affectibus studeant observare. De quibus omnibus et singulis ad perpetuam rei memoriam publica instrumenta mandavimus confici et majestatis nostræ bullæ plumbeæ munimine roborari. Præsentibus ad præmissa reverendissimo in Christo Patre Petro de Luna cardinale, nec non venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis regnorum nostrorum prælatis, ac etiam magnificis viris comitibus, baronibus et aliis innumerosis militibus et proceribus nostris, clericis quoque tam secularibus quam regularibus in diversis dignitatibus constitutis, magistris in theologia, et juris utriusque doctoribus, cleri insuper et populi ad hoc congregato et interveniente conventu, et multitudine copiosa. Faveat igitur nostris clementia æterna judiciis, et ita nostræ sinceræ devotionis dignetur acceptare primitias ut quod ad ejus gloriam et laudem ipso inspirante pura mente peregimus ad omnium fidelium animarum salutem proficere comprobemus, et sic ecclesiæ Dei et toti mundo resarciatur scissa concordia, ut per hoc ad gaudia pervenire mereamur æterna. Datum in civitate nostra Salamantina XIV. Kal. Junii, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, regnorum nostrorum anno secundo.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VII.

Ad Joannem Regem Castellæ.

Ex cod. Harlaeano Baluz. ib. pag. 853.

CLemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Joanni regi Castellæ, et Legionis illustri salutem et apostolicam benedictionem. Licet, fili carissime, tuæ celsitudini tam per nuntios, quos sæpe ad eam transmisimus, quam alias plene potuerit esse notum, quod dudum apostolica sede vacante per obitum felicis recordationis Gregorii papæ XI. prædecessoris nostri, qui in urbe decessit, Romanæ ecclesiæ cardinales, de quorum numero tunc eramus, Bartholomæum olim Barensem archiepiscopum per violentiam et impressionem Romani populi in apostolicam sedem intrudere coacti fuerunt; quia tamen dilecti filii Fernandus ordinis fratrum Minorum professor confessor tuus, Rodericus Bernardi audientiæ tuæ auditor, ac Alvarus Melendi legum doctor, ambaxiatores tui, quo pro præmissorum veritate præsertim ab illis ex eisdem cardinalibus, qui hic resident, inquirenda, huc novissime destinati, illa quæ circa cardinales eosdem, dum facienda per eos in urbe prædicta Romani pontificis immineret electio, per præfatum populum facta fuerunt, tibi mitti in scriptis postularunt instanter, nos totis desideriis affectantes, ut hujusmodi veritas cunctis Christi fidelibus patefiat, ac hujusmodi votis tuis satisfacere cupientes, ea quæ de violentia et impressione ac intrusione prædictis per nos et cardinales præfatos in civitate nostra Anagniæ deliberatione provida concordata nostrisque et eorundem cardinalium propriis subscripta manibus et roborata sigillis fuere, tuæ celsitudini per ambaxiatores eosdem duximus trasmittenda, ut per illa et informationes alias quas ambaxiatores prædicti a pluribus et fide dignis personis hic super præmissis recipere potuerunt, tua serenitas informata plenarie amplius de intrusione prædicta nullatenus possit aut debeat hæsitare. Datum Avinioni VII. Kal. junii, pontificatus nostri anno secundo.

COPIA LITTERÆ DOMINO NOSTRO

Papæ Clementi transmissæ super declaratione Hispaniæ, quæ applicuit Avenioni die penultima Maii.

Ex Mart. Anecd. II. p. 10

BEatissime pater. In primis gratias agentes Deo, sicut sui juris invicta celsitudo meretur, sanctitati vestræ notum facimus per præsentes, quod serenissimus rex Castellæ, ecclesiæ Dei devotus alumnus, vestræ beatitudinis filius, prædilectus, veritatis athleta, ac mirificus triumphator, ista die & hora pro tribunali sedens in suæ solio majestatis, erroris tenebris præfugatis, vexillis veritatis erectis, divina luce perfusus, cum indicibili solemnitate procedens recognovit vos verum, certum & indubitatum vicarium Jesu Christi, eccl. suæ sanctæ legitimum sponsum, gubernatorem naviculæ Petri & totius Christianitatis principem & monarcham, promittendo humiliter pro se suoque regno divo obedientiam præcipuam & devotam, draconem illum, & colubrum mortuosum, scilicet Bartholomæum invasorem esse apostolicæ sedis velut apostatam & antichristum, ab omnibus fidelibus repudiandum ac detestandum & fugiendum opere summo. Tanta B. P. fuit solemnitas, tantaque devotio, quum ardenti eloquio & fervente detestabantur iniquum in suis sermonibus labia dicti regis, ut stupefactionis & admirationis jaculo singulorum corda feriret, & in ore cunctorum Clementis nomen tam dulcisono modulo resonabat, adeo ut jubilus laudis eorum audiri poterat in excelsis. Ecce jam, Pater sancte, cuncta tuæ * dictorum sunt posita, jam subjacet tibi Hispania tota. Jam tua fides divaque potestas nescit occasum, illo pro te rogante, illo superno datore et lumen concedente, qui est interminabilis, et omnium vera lux, et luminum pater, a quo bona cuncta procedunt et derivata consistunt, qui B. vestram protegat, foveat et defendat prospere et longæve ecclesiæ suæ sanctæ. Hodie autem declaratione facta, anticardinalis Palatinus coram rege et omnibus prælatis

tis et baronibus regni juridice in manibus legati renuntiavit diabolo et pompis ejus, abiiciendo capellum, et insignia legationis quæ receperat ab intruso. Datum Salmanticæ die Dominica in festo B. Yvonis, quod fuit XIX. Maii.

Vestræ beatitudinis humiles creaturæ A. episcopus Pensaurensis et Bonifacius de A. Amanatis ac devotissimi nuncii.

LONDINENSE CONCILIUM

In causa VVicleffistarum

Anno 1382. *habitum*.

An. 1382. „ UNicum in causa Wicleffiana concilium Londini habitum affert, Labbeus; at duo saltem distinxisse oportet si acta omnia, quæ in eadem causa affert Wilkins, discutiantur. Aliud enim convenisse constat anno 1382. Junio mense; aliud vero Novembri mense. In priori illo auditi sunt & damnati Wicleffistæ quidam; in altero ad hæresim ejurandam admissi sunt, & hæresis prævia academiæ Oxoniensis censura, iterum damnata. Prioris concilii acta quædam ex Spelmanno dedit Labbeus; sed & plura omisit a Wilkins adjecta; alterius nulla. Utrique igitur succurrendum nunc mihi est. Post refutatas igitur erroneas impiorum assertiones, judicium hæretic. institutum narrant acta his verbis, quæ in Labbeo desiderantur.

„ Post absolutam de exordio concilii narrationem contextumque hæreticorum vel pravorum dogmatum catalogum, judicii de singulis hæreticis instituti tabula Labbeus exhibet. Cujus judicii initium die xx. junii constituit. Verum & ante eam diem aliæ ejusmodi hæreticorum interrogationes judiciales præcesserunt, quas hic profero ex Wilkins to. III. pag. 158.

Archiepiscopi Cantuar. mandatum episcopo London. direct. contra hæreticos.

Ex reg. Courtnus fol. 25. 6.

Willelmus, permissione divina archiepiscopus Cantuar. totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Roberto, Dei gratia episcopo London. salutem, & fraternam in D. charitatem. Ecclesiarum prælati circa gregis dominici sibi commissi custodiam eo vigilantius intendere debent, quo Lupos intrinsecus ovium vestimentis indutos, ad rapiendum & dispergendum oves noverint fraudulentius circuire. Sane frequenti clamore & divulgata fama, quod dolentes referimus, ad nostrum pervenit auditum, quod, licet secundum canonicas sanctiones nemo prohibitus, vel non missus, absque sedis apostolicæ vel episcopi loci auctoritate, sibi prædicationis officium usurpare debeat publice vel occulte; quidam tamen æternæ damnationis filii, in insaniam mentis producti, sub magnæ sanctitatis velamine auctoritatem sibi vendicant prædicandi, ac nonnullas propositiones et conclusiones infrascriptas hæretic. erroneas, atque falsas, ab ecclesia Dei damnatas, & determinationibus sanctæ ecclesiæ repugnantes, quæ statum totius ecclesiæ, nostræque provinciæ Cant. et tranquillitatem regni subvertere, et enervare nituntur, tam in ecclesiis, quam plateis, et quampluribus aliis locis prophanis dictæ nostræ provinciæ non verentur asserere, dogmatizare, ac generaliter et communiter publice prædicare; illis nonnullos Christi fideles inficientes, et a fide catholica, sine qua non est salus, facientes flebiliter deviare. Nos itaque attendentes, quod iam perniciosum malum, quod in plurimos serpere poterit, eorum animas lethali contagione necando, non debeamus, sicuti nec debemus, sub dissimulatione transire, ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, sed illud, quantum nobis ex alto permittitur, extirpare volentes, de quamplurimum fratrum et suffraganeorum nostrorum consilio et assensu, convocavimus plures sacræ theologiæ doctores, ac juris canonici et civilis professores, et alios clericos quam famosiores et peritiores de regno credidimus, et sanctius in fide catholica sentientes, ut super dictis conclusionibus vota sua dicerent et sentire. Verum quia præmissis conlusionibus et assertionibus in nostra, ac eorundem confratrum nostrum præsentia patenter expositis, et diligenter examinatis, finaliter est compertum, nostroque, et eorum omnium communicato consilio declaratum, quasdam conclusionum illarum hæreticas esse, quasdam vero erroneas atque determinationibus eccl. repugnantes, prout inferius describuntur; fraternitati vestræ committimus et mandamus, in virtute S. obedientiæ firmiter injungentes, quatenus omnibus et singulis fratribus nostris, coepiscopis ecclesiæ Cantuar. suffraganeis, cum ea celeritate, qua poteritis injungatis prout eis & eorum singulis & vobis injungimus; ut ipsorum singuli in ecclesiis suis et aliis suarum civitatis et dioecesis vosque vestra et cæteris vestræ civitatis et diæc. ecclesiis, moneant, et inhibeant, moneatis et inhibeatis, prout vos præsentium tenore monemus, primo, secundo, et tertio, ac districtius inhibemus, pro prima monitione unum diem, pro secunda alium diem, et pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem assignando, ne quis de cætero, cujuscunque status aut conditionis existat, hæreses seu errores prædict. vel eorum aliquem teneat, doceat, prædicet, seu defendat, aut aliquem prohibitum, non missum, vel alium, de cujus potestate non constiterit, ad prædicandum admittat, aut hæreses seu errores hujusmodi, vel eorum aliquem prædicantem audiat vel auscultet, seu ei faveat, vel adhæreat publice vel occulte; sed sta-

ANNO CHRISTI 1382.

tim, tanquam serpentem venenum pestiferum emittentem, fugiat et evitet; sub poena excommunicationis majoris, quam in omnes et, nostris monitionibus non parentes, singulos in hac parte rebelles, lapsis ipsis tribus diebus, pro monitione canonica assignatis, mora, culpa, et offensa suis præcedentibus, et id fieri merito exigentibus, ex nunc prout ex tunc, ferimus in hiis scriptis, et per singulos confratres et suffraganeos nostros in suis civitatibus et dioec. ac per vos in vestris civitate et dioec. quatenus ad eos, et ad vos pertinet, ex abundanti præcipimus fulminari. Dictos insuper confratres nostros omnes et singulos nostra ex parte per vos hortari volumus et mandamus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, et similiter vos hortamur, quod cum juxta sacrorum canonum instituta, quilibet eorumdem in suis civitat. et dioec. hæreticæ pravitatis inquisitor existat, ac vos in vestris similiter existatis, de hujusmodi præsumptoribus solicite et diligenter inquirant, et inquiratis, ac contra eos juxta officii sui debitum cum effectu procedant, et similiter procedatis, ad laudem et honorem nominis crucifixi, et salvationem fidei orthodoxæ. Dat. in manerio nostro de Ottford. penultimo die Maii, anno Domini MCCCLXXXII. et nostræ translationis primo.

Item, duodecimo die mensis junii, anno Domini supradicto, in camera fratrum prædicatorum memorat magister Robertus Rygge, cancellarius universitatis Oxon. & Thomas Brightvvell, sacræ paginæ professores, habentes eosdem diem & locum & præfixione dicti reverendissimi patris, domini Cantuar. archiepiscopi, comparuerunt personaliter coram eo præsentibus reverendo in Christo patre, domino Willelmo, Dei gratia Wynton. episcopo, ac quampluribus doctoribus & bacalariis theologiæ, juris canonici & civilis, quorum nomina inferius continentur. Et primo dictus cancellarius per dictum dominum Cantuar. archiepiscopum examinatus, quid super conclusionibus memoratis sentiret, asseruit publice, & declaravit quasdam conclusionum illarum hæreticas, & quasdam earum erroneas esse; prout alii doctores & clerici, ut præmittitur, declaraverunt; ac subsequenter præfatus Thomas Brightvell, qui super aliquibus conclusionum illarum primitus & pro tunc aliquantulum titubabat, super eisdem conclusionibus, per dictum dominum archiepiscopum diligenter examinatus, finaliter affirmabat & reputabat eas hæreticas & erroneas esse, prout præfatus cancellarius declaravit. Quidam bacalarius nomine.... super aliquibus conclusionum illarum titubans, finaliter asseruit se sentire super conclusionibus antedictis, sicut dicti cancellarius & Thomas sentiunt, & prout superius declararunt. Unde idem dominus Cant. volens hujusmodi hæresum & errorum periculis obviare, literas suas patentes tunc ibidem publice lectas, prædicto cancellario tradidit exequendas, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Willelmus permissione divina archiepiscopus Cant. totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo filio cancellario universitatis Oxon. Lincoln. dioc. salutem, gratiam, & benedictionem ecclesiarum prælati circa gregis dominici sibi commissi custodiam, &c. *ut supra in litera præcedenti usque ad*, prout inferius describuntur. Vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus in ecclesia beatæ Mariæ Oxon. diebus, in quibus solet ibidem prædicare de consuetudine, & in scholis dictæ universitatis diebus legibilibus, ipsas conclusiones hæreticas, & erroneas, & determinationi ecclesiæ repugnantes, sic, ut præmittitur, damnatas fuisse & esse; quas ex abundanti sic damnatas esse declaramus, clare, plane, & absque terminorum curiosa explicatione, tam in lingua vulgari, quam lingua latina, clero & populo publicetis, & faciatis per alios publicari. Inhibeatis insuper & canonice moneatis, ac inhiberi & moneri faciatis, prout nos, tenore præsentium, inhibemus & monemus, primo, secundo, & tertio, ac peremptorie; quod nullus de cætero hæreses vel errores prædict. aut eorum aliquem teneat, doceat, prædicet, vel defendat, in scholis, vel extra etiam innitendo sophisticæ cavillationi aut Johan. Wiscliff, Nicolaum Hereford, Philippum Rappyngdon, canonicum regularem, seu Johannem Afshton, vel Laurentium Bedeman, qui de hæresi vehementer & notorie sunt suspecti, vel quemcumque alium, sic suspectum vel defamatum, ad prædicand. admittat, audiat, vel auscultet, aut eis faveat publice vel occulte; sed statim, tanquam serpentem venenum pestiferum emittentem, fugiat & evitet. Et præterea dictos suspectos ab omni actu scholastico, donec suam in ea parte innocentiam coram nobis purgaverint, suspendimus, et sic per nos suspensos fuisse et esse, publice denuncient; ac de eorum fautoribus per omnes aulas universitatis prædictæ faciatis fideliter et diligenter inquiri; et cum de eorum nominibus et personis constiterit vobis, eos omnes et singulos ad abjurandos suos excessus hujusmodi per quascumque censuras ecclesiast. et alias poenas canon. compellatis, sub poena excom. majoris, quam in omnes et singulos in hac parte rebelles, et nostris monitionibus non parentes, culpa, dolo, seu offensa suis in hac parte exigentibus, tertia monitione præmissa, quam in hac parte canonicam reputamus, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, ferimus hiis scriptis; absolutionem omnium et singulorum, qui hujusmodi sententiam per nos latam, quod absit, incurrerint, nobis specialiter reservantes. Vosque cancellarie, per aspersionem sanguinis Jesu Christi hortamur, quod sic pro viribus laboretis in posterum, ut clerus et populus vobis subjecti, si qui sint a fide catholica deviantes, ab errore hujusmodi reducantur, ad laudem et honorem nominis crucifixi, et salvationem fidei orthodoxæ. Et quid in præmissis feceritis, ac de modo et forma processus vestri in hac parte, habendi, nos, cum pro parte nostra fueritis requisiti, clare et distincte certificetis literis vestris patentibus, habentibus hunc tenorem.

Dat. in manerio nostro de Lamheth, sub sigillo nostro privato, duodecimo die junii, anno

ANNO CHRISTI 1382.

anno Domini MCCCLXXXII. et nostræ translationis anno primo.

„ Postmodum eisdem die & loco, dictus „ dominus Cant. archiepiscopus cancella- „ rium supradictum monuit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum:

In Dei nomine, Amen. Cum nos Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, de consensu suffraganeorum nostrorum, nonnullos clericos seculares & regulares universitatis studii generalis Oxon. nostræ provinciæ Cant. ac alios sanctius in fide catholica sentientes, ad informand. nos de et super quibusdam conclusionibus hæreticis, et erroneis, in variis locis nostræ provinciæ, in subversionem status totius ecclesiæ, et dictæ nostræ provinciæ generaliter et communiter prædicatis, ac etiam publicatis, fecerimus convocari; habitaque super ipsis deliberatione plenaria, de nostro, suffraganeorum, et convocatorum eorum communicato consilio declaratum fuerit, quasdam ipsarum conclusionum hæreticas, quasdam vero erroneas, et determinationibus ecclesiæ notorie repugnantes, et ab ecclesia damnatas fuisse et esse, quas etiam ex abundanti sic damnatas esse declaramus; ac intellexerimus ex fide dignorum testimonio ac experientia facti, quod tu magister Robertus Rygge, cancellarius universitatis prædictæ, præmissis conclusionibus sic damnatis aliqualiter inclinasti etiam et inclinas, et quem in hac parte suspectum habemus, intendis hujusmodi clericos sic convocatos, et alios nobis in ea parte adhærentes vel faventes, sicut ipsos sic adhærere et favere oportuit, eo prætextu, per dolosas imaginationes tuas multipliciter de facto gravare; te magistrum Robertum, cancellarium prædictum monemus primo, secundo, et tertio ac peremptorie, quod præfatos clericos seculares vel regulares, aut eis præmissis faventes in actibus scholasticis, seu alias qualitercunque ea occasione non graves, impedias, vel molestes, judicialiter et extrajudicialiter, publice vel occulte, seu gravari, impediri, vel molestari facias aut procures, directe vel indirecte, per te vel alium, vel, quantum in te est, permittas ipsos sic gravari; quodque nullum permittas de cætero in universitate prædicta hæreses, seu errores prædictos, aut eorum aliquem tenere, docere, prædicare, vel defendere, in scholis aut extra; nec etiam Johannem Wycliff, Nicolaum Hereford, Philippum Rappynhdon, canonicum regularem, Johannem Asshton, vel Laurentium Bedeman, qui de hæresi vehementer et notorie sunt suspecti, vel quemcunque alium sic suspectum vel defamatum, ad prædicand. admittas, sed eos, quos ab omni actu scholastico, donec suam in hac parte purgaverint innocentiam coram nobis, suspendimus, sic per nos fuisse suspensos denuncies, sub poena excommunicationis majoris, quam in personam tuam, si monitionibus nostris hujusmodi non parueris cum effectu, culpa, dolo, seu offensa tuis in hac parte exigentibus, dicta monitione præmissa, quam in hac parte canonicam reputamus, exnunc pro extunc, et extunc pro exnunc, ferimus in hiis scriptis, absolutionem vero hujusmodi sententiæ excommunicationis, si quam te contigerit incurrere, quod absit, nobis specialiter reservantes.

Decimo octavo die mensis, et anni prædictorum, in camera fratrum prædicatorum prædict. coram dicto domino Cant. archiepiscopo præsentibus quamplurimis doctoribus et bacalariis sacræ theologiæ, juris canonici et civilis, quorum nomina inferius continentur, comparuerunt magister Nicolaus Hereford, et Philippus Rappyngdon, canonicus regularis, sacræ paginæ professores, et Joannes Asshton, bacalarius in theologia; et præstito per eosdem corporali juramento, tacto libro de dicendo sentire suum, super conclusionibus antedictis iidem Nicolaus et Philippus per dictum dominum archiepiscopum, inquisitorem hæreticæ pravitatis per totam suam provinciam in ea parte examinati, singillatim petierunt diem ad deliberand. super conclusionibus antedictis, et ad respondend. eisdem in scriptis, ac sibi copiam conclusionum hujusmodi ministrari; quam copiam iidem Nicolaus et Philippus tunc ibidem lectam publice receperunt. Dictus etiam magister Johannes Asshton similiter examinatus erat, et judicialiter monitus per dictum dominum Cant. virtute juramenti præstiti per eundem Johannem, quod super eisdem conclusionibus, subductis quibuscunque verbis et disputationibus sophisticalibus, plene et plane diceret votum suum et sentire. Interrogatus insuper per eundem dominum cant. an vellet habere diem ad plenius deliberand. super suis responsionibus faciend. sicut præfati Nicolaus et Philippus, ut præmittitur, habuerunt; dixit expresse, quod non; sed statim hujusmodi conclusionibus responderet. Dixit itaque pro finali responso ad omnes conclusiones hujusmodi, sub unico contextu, quod sentire suum est in ea parte subticere. Unde præfatus dominus Cant. reputans eundem Johan. in ea parte suspectum, eum monuit sub hac forma verborum: Te Johannem Asschon, quem super hæresi defamatum reputamus vehementer suspectum, monemus primo, secundo, et tertio, quod infra, provinciam nostram Cant. in futur. non prædices publice, vel occulte, absque nostra licentia speciali, sub poena excommunicationis majoris, quam in personam tuam, si monitionibus nostris hujusmodi non parueris, exnunc pro extunc, ferimus in hiis scriptis. Et subsequenter, quia idem Johan. interrogatus a dicto D. Cant. fatebatur se audivisse de publicatione mandati domini Cant. in quo inhibitum erat, ne quis prohibitus, vel non missus, de cætero prædicaret; idem dominus Cant. præfixit sibi diem Veneris prox. futur. videlicet 20. diem dicti mensis, post prandium, ad comparendum coram eo apud Lambeth, vel in eodem loco, ad proponendum quare non debeat pronunciari, incidisse in sententiam excommunicationis, per eum ea occasione in contravenientes latam; eo quod ipse post, et contra inhibitionem hujusmodi prædicavit; et ulterius ad proponendum quare non debeat pronunciari hæreticus; et pro tali

tali per totam dict. provinciam denunciari. Præfixit etiam idem dominus Cant. præfatis Nicolao et Philippo eosdem diem et locum ad respondendum peremptorie, et dicend. plene et plane sentire suum super conclusionibus memoratis, subductis verbis sophisticalibus et disputationibus, ut præfertur. Nomina vero magistrorum et aliorum præmissorum præmissis interessentium, de quibus supra fit mentio, sunt hæc:

Frater Thomas Bernewell, frater Willelmus Suyard, Willielmus Pyelkorth, bacal. theologiæ; frater Thomas Wnateleye sententiarius; frater Laurentius Grenham, lector sententiarum; frater Johanes Leigh sententiarius, frater Johannes Haket sententiarius; de ordine prædicator. London. frater Walterus Dysshe; frater Joannes Kynyngham; de ordine Carmel; frater Johannes Loveye; frater Thomas Aysheborune, Augusť. doctor.

Postea dicta die &c. *ut est in editis apud Labbeum*.

„ Judicium hoc hæreticorum eo perducit „ Labbeus ut auditos hæreticos seu de hæresi suspectos non vero damnatos constituat. Habeas igitur totam ejus rei prosecutionem ex tabulis a Wilkins productis.

Subsequenter die Veneris, dicto videlicet vicesimo septimo mensis junii, coram dicto reverendo patre domino Cant. archiepiscopo, in capella manerii sui de Orteford, Cantuar. dioec. pro tribunali sedente, comparuerunt prædicti magister Nicolaus, & Philippus, et Thomas Hilman; quibus idem dominus Cant. eo quod pro tunc sacræ paginæ ac juris canonici et civilis doctorum præsentiam et assistentiam non habebat, dictum negotium tangens, eosdem Nicolaum, Philippum, et Thomam in eodem statu, quo nunc fuerat, usque in diem martis prox. extunc sequent. videlicet primum diem mensis julii, anno Domini supradicto, continuavit; præfixitque dictis Nicolao et Philippo, ac Thomæ Hilman eundem diem, quod compareant coram eo, ubicunque infra suam provinciam Cant. ipsum tunc esse contigerit, ac idem faciend. quod prædicto vicesimo septimo die facturi fuissent, communiter vel divisim. — Quo die martis advenientе, præfatus dominus Cant. in domo capitulari ecclesiæ suæ Cant. ante horam nonam ejusdem diei pro tribunali sedens, præsentibus tunc ibidem, et sibi assistentibus, nonnullis sacræ theologiæ doctoribus quorum nomina inferius continentur, et aliis clericis in multitudine copiosa, prædictos Nicolaum, Philippum, et Thomam præconizatos, diutius expectatos, ac nullo modo comparentes, usque ad secundam horam post prandium ejusdem diei de gratia expectavit, et negotia supradicta in statu suo pristino usque ad horam et locum prædictos continuavit. — Qua quidem hora prædictus Cantuar. assistentibus sibi doctoribus, et clericis supradictis, inquisivit a prædicto magistro Hilman, tunc ibidem judicialiter comparente, quid de conclusionibus supradictis sentiretur. Qui super eis et earum sensibus aliquantulum titubans, finaliter ad omnes et singulas conclusiones easdem sibi tunc lectas et expositas, sic respondit. « Omnes et singulas conclusiones istas, per dominum meum Cant. „ modernum, una cum consilio cleri sui nuper damnatas hæreticas et erroneas reputo; prout idem dominus meus Cant. ac „ alii doctores theologiæ, ac juris canonici „ et civilis de communicato consilio reputarunt, et eas pro hæresibus et erroribus, ut præfertur, damnatas, quantum „ in me est, damno, protestans me contrarium illarum conclusionum velle tenere et affirmare, et in illa fide vivere, „ atque mori „. Dictos vero magistros Nicolaum, et Philippum, præconizatos, diutius expectatos, et nullo modo comparentes, idem dominus Cant. tunc ibidem pro tribunali sedens pronunciavit contumaces, et in poenam hujusmodi contumaciæ ipsos excommunicavit in scriptis, sub hac forma verborum:

Nos Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, ac per totam nostram provinciam Cantuar. inquisitor hæreticæ pravitatis, magistros Nicolaum Hereford, & Philippum Reppyngdon, sacræ paginæ professores, habentes hos diem & locum ex præfixione nostra, ad audiendum decretum nostrum in negotio hæreticæ pravitatis, præconizatos, diutius expectatos, & nullo modo comparentes, pronunciamus contumaces; & in poenam suæ hujusmodi contumaciæ ipsos, & eorum utrumque excommunicamus in hiis scriptis. Nomina doctorum, de quibus supra fit mentio inferius describuntur.

Magister Willelmus Blankpayne, Magister Willelmus Berton, seculares, Frater Robertus Yvori prior provinciæ Carmel. Frater Philippus Kynyngham, Frater Philippus Loveye, Carmelit. Frater Willelmus Barnewell, Frater Johannes Riddene, Minores, Frater Willelmus Bruscunbe, ordinis Prædicat. Frater Johannes Court, Ordinis August.	Magistri in Theologia.
Frater Stephanus Patingron, Frater Johannes Tompston, Frater Johannes Reppys, lector Carmelitæ.	Bacalarii in Theologia.

Apostoli dati ad quandam frivolam appellationem per magistros Nicolaum Hereford, & Philippum de Reppyngdon, canonicum regularem monasterii Beatæ Mariæ de pratis Leycestr. sacræ paginæ professores se dicentes, interpositam.

IN Dei nomine, Amen. Nos Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, to-

totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, quandam appellationem prætensam, cujus tenor inferius continetur, per magistros Nicolaum Hereford, & Philippum de Reppyngdon, canonicum regularem monasterii beatæ Mariæ de pratis Leycestr. Lincoln. dioec. professores sacræ paginæ se dicentes, & eorum quilibet, & nonnullis gravaminibus prætensis per nos eis et eorum cuilibet, ut asserunt, et asserit eorum quilibet, licet minus veraciter, illatis; ad sedem apostolicam et dominum nostrum papam interpositam, ad quam nos referimus et pro hic inserta habere volumus, in valvis ecclesiæ cathedrali London. nec non ecclesiæ beatæ Mariæ de arcubus London. publice appositam, et affixam, infra tempus juris dand. apostolos, notorie existentem frivolam, et ex frivolis falsisque ac falso fabricatis et confictis, malitiose conceptam, nec non errorem juris in se manifestum continentem, reputamus, et eam ideo refutamus, et eidem non deferimus, et hanc responsionem prædictis magistris Nicolao et Philippo, et eorum cuilibet damus loco apostolorum in valvis dictarum ecclesiarum locis aliis publice affigendam. In cujus dationis apostolorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponen. Dat. London. duodecimo die mensis Junii, anno Domini MCCCLXXXII. et nostræ translationis anno primo.

Mandatum ad denunciand. magistros Nic. Hereford, & Philip. Reppyngdon excommunicatos.

Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo filio cuicunque Verbum Dei apud crucem sancti Pauli London. hac instante die dominica prædicaturo, salutem, gratiam, et benedictionem. Cum nos magistris Nicolao Æreford, et Philippo Reppyngdon, canonico regulari monast. beatæ Mariæ Leycestr. sacræ theologiæ doctoribus, de hæretica pravitate vehementer suspectis, post quasdam responsiones minus plene et impertinenter, hæretice et erronee, per eosdem factas, ad nonnullas conclusiones hæreticas et erroneas in quampluribus locis dictæ nostræ provinciæ communiter et generaliter, ac publice prædicatas et doctas, coram nobis judicialiter comparentibus, præfixerimus certos competentes diem et locum, ad faciend. et recipiend. perentorie in ea parte, quod ipsius negotii qualitas suaderet; ipsosque propter ipsorum contumaciam, in non comparendo coram nobis eisdem die et loco judicialiter contractam, excommunicaverimus, justitia exigente, vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præfatos Nicolaum, & Philippum, eadem die dominica, cum major populi multitudo ad sermonem vestrum loco prædicto convenerit, cruce erecta, candelis accensis, ac in terram projectis, sic excommunicatos per nos fuisse, & esse, publice & solenniter denuncietis. Dat. in manerio nostro de Lambeth decimo tertio die mensis Julii, anno Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis primo.

Mandatum cancellar. univers. Oxon. direct. pro eodem.

Willelmus, permissione divina, &c. dilecto filio, magistro Roberto Rigge, cancellario universitatis Oxon. salutem, &c. Cum nos magistros Nicolaum Hereford, &c. ut supra usque exigente. Vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præfatos Nicolaum & Philippum, sic per nos fuisse & esse excommunicatos in ecclesia beatæ Mariæ & scholis universitatis Oxon. publice & solemniter denuncietis. Citetis insuper seu citari faciatis peremptorie præfatos Nicolaum & Philippum, quod compareant & eorum quilibet compareat coram nobis decimo quinto die a tempore citationis hujusmodi, ubicunque nos infra provinciam nostram Cant. tunc esse contingeт; ad vidend. & audiend. per nos procedi contra eosdem, & eorum quemlibet, super dictis conclusionibus hæreticis, & erroneis juxta formam retroactorum in hac parte habitorum, & negotii qualitatem. De die vero receptionis præsentium, ac citationis vestræ modo & forma ejusdem; & si dictos Nicolaum, & Philippum, vel eorum alterum personali citatione fuerint apprehensi. vel si latitaverint, quominus personali citatione apprehendi poterunt, aut eorum alter sic latitaverit, & de omni eo, quod in hac parte duxeritis faciend. nos citra festum S. Laurentii clare certificetis per literas vestras patentes, harum seriem continentes. Dat. in manerio nostro de Lamheth decimo tertio die mensis julii anno MCCCLXXXII. & nostræ translationis primo.

Archiepiscopi Cant. mandatum episcopo London ad denunciand. magistros N. Hereford, & Philipp. Reppygdon, excommunicatos per provinciam Cant.

Willelmus, &c. venerabili fratri nostro domino Roberto, Dei gratia episcopo London. salutem, & fraternam in Domino charitatem. Cum nos magistris Nicolao Hereford, & Philippo Reppyngdon, &c. „ prout superius continetur usque justitia exigente - „ Vobis committimus et mandamus, quatenus præfatum Nicolaum, et Philippum, sic per nos fuisse & esse excommunicatos, in ecclesiis et locis insignibus vestrarum civitat. et dioec. cum populi multitudo convenerit, denunciari publice faciatis. Citantes eosdem, citarive facientes peremptorie, si valeant apprehendi, quod compareant coram nobis aliquo competenti termino, per vos aut vestros auditores præfigendo eisdem, ubicunque nos infra provinciam nostram Cant. tunc esse contingeт; ad vidend. et audiend. per nos procedi contra eosdem, et eorum quemlibet, super dictis conclusionibus hæreticis et erroneis, juxta formam retroactorum in hac parte habitorum, et negotii qualitatem. Injungatis insuper auctoritate nostra omnibus et singulis suffraganeis nostris, nostræ Cant. provinciæ episcopis, et

ANNO CHRISTI 1382.

et confratribus, per literas vestras patentes, harum seriem continentes, quod ipsorum singuli eosdem Nicolaum, & Philippum, per suas civitates et dioec. faciant modo simili denunciari; quodque citent eosdem, seu citari faciant peremptorie, si poterunt apprehendi, quod compareant coram nobis aliquo termino competenti, eis per dictos confratres nostros, vel eorum aliquem præfigendo, ubicunque fuerunt infra provinciam nostrum prædict. ad faciendum, quod superius est expressum; et quod nos certificent, seu ille eorum certificet, qui ipsos, vel eorum aliquem citaverit, aut citari fecerit, citra terminum hujusmodi, literis suis patentibus, habentibus hunc tenorem. Vosque de toto processu vestro in hac parte habendo, nos citra festum exaltationis S. crucis prox. futur. certificetis per literas vestras patentes, harum seriem continentes. Dat. in manerio nostro de Otteford penultimo die mensis julii, anno Domini MCCCLXXXII. et nostræ translationis anno primo.

„ Postmodum vero ex his viris judicio „ damnatis quidam resipuerunt, cujus rei ex „ Anglicanis tabulis a Wilkins productis hæc „ damus gemina documenta.

Restitutio dom. Ph. Reppyngdon, canonici Leycestr. ad actus scolasticos, per archiep. Cant. facta.

Universis S. matris ecclesiæ filiis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Willelmus, permissione divina archiepiscopus Cant. totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino sempiternam. Nuper contra nonnullos in diversis locis nostræ provinciæ de hæretica pravitate suspectos, legitime procedentes, inter cæteros quendam dominum Philippum Reppyngdon, canonicum regularem domus Leycestr. dictæ nostræ provinciæ, simili modo suspectum, ab omni actu scholastico, donec innocentiam suam in ea parte purgaverit, duximus suspendendum. Ac postmodum propter suam manifestam contumaciam in non comparendo coram nobis certis die et loco, ad quos legitime extitit evocatus, contractam, eundem excommunicavimus, justitia exigente. Verum quia præfatum Philippum coram nobis in quorundam confratrum et suffraganeorum nostrorum, ac sacræ theologiæ, juris canonici, et civilis doctorum præsentia judicialiter comparentem, super sibi impositis suam innocentiam allegantem; quasdam etiam conclusiones hæreticas et erroneas alias per nos ac quamplures confratres et suffraganeos nostros, nec non sacræ theologiæ, juris canonici, et civilis doctores, aliosque clericos sanctius in fide catholica sentientes, utpote determinationibus ecclesiæ repugnantes, damnatas, damnasse finaliter, et super eisdem conclusionibus una nobiscum determinasse reperimus; eundem Philippum de pravitate hæretica non convictum, nec etiam condemnatum, ad actus scholasticos, et ad pristinum statum restituimus, et a dicta sententia excommunicationis absolvimus in debita forma juris. Quæ omnia ad vestræ universitatis notitiam deducimus per præsentes, sigilli nostri appensione munitas. Dat. in domo fratrum prædicatorum, convent. London. vicesimo tertio die mensis Octobris, an. D. MCCCLXXXII. et nostræ translationis anno secundo.

Restitutio magistri Jo. Asshton ad actus scholasticos, facta per archiepiscopum Cantuar.

Universis S. matris ecclesiæ filiis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino sempiternam. Licet nuper magister Johannes de Asshton, magister in artibus, et in sacra theologia scholaris, de hæretica pravitate vehementer suspectus, per fungentes officio inquisitoris hæreticæ pravitatis, fuisset ab omni actu scholastico, justitia exigente, rite suspensus, et propter suam manifestam contumaciam pariter et offensam coram nobis judicialiter contractas, eo quod certis conclusionibus quibusdam hæreticis, quibusdam vero erroneis, per sacrorum canonum instituta, et nos de quamplurium suffraganeorum nostrorum, ac aliorum sacræ theologiæ, juris canonici, et civilis doctorum, jurisque peritorum consilio et assensu damnatis, de quibus extitit graviter defamatus, respondere per nos monitus atque jussus, id facere noluit, sed contemptibiliter recusavit, pro hæretico et errante, ac ut hæreticus atque errans legitime condemnatus; quia tam idem Johannes ad cor reversus coram nobis in concilio prælatorum et cleri nostræ Cant. provinciæ, per nos Oxon. nuperrime celebrato, personaliter comparens omnem hæresim, et præcipue conclusiones prædictas publice anathematizavit, et etiam abjuravit, promisitque, tactis corporaliter sacrosanctis, præstito juramento, quod nunquam conclusiones illas, seu earum aliquam pro veris aut vera defenderet vel teneret; sed staret per omnia in ea parte determinationi ecclesiæ catholicæ, atque nostræ; quodque si aliquando contra præmissa aliquid sentire, vel prædicare præsumpserit, severitati canonum subjaceret, prout in forma abjurationis hujusmodi plenius continetur; ac a sententia excommunicationis, quam occasione præmissa incurrerat, a nobis petiit humiliter se absolvi, suoque statui pristino restitui atque famæ. Nos attendentes, quod S. mater ecclesia nulli claudit gremium redeunti, ipsum a dicta sententia absolvimus in forma juris, eumque ad actus scholasticos statumque pristinum reduximus atque famam; ac ad obstruend. ora loquentium iniqua, has literas testimoniales sibi concessimus, sigilli nostri munitione corroboratas. Dat. Oxon. vicesimo septimo die mensis novembris, anno Domini MCCCLXXXII. et nostræ translationis anno secundo.

CON-

In causa hæreticorum, qui in Anglia exorti erant, à Guillelmo de Coutenay Cantuariensi Archiepiscopo

Anno 1382. habitum.

An. 1382. ,, ANglicana concilia duo eodem anno ,, 1382. convocata fuisse in causa hæ- ,, resis Wicleffianæ in Anglia tunc exorien- ,, tis, superius in præfatione ad concilium ,, Londinense anni hujus animadverti. En ,, igitur illud, de quo præfatus sum alterum ,, Anglicanum concilium, de cujus convo- ,, catione hæc dantur ex tab. *Courteney* ,, fol. 33. a Wilkins to. III. pag. 182.

CONVOCATIO PRÆLATORUM ET CLERI CANTUAR. PROVINCIÆ

In ecclesia conventuali sanctæ Frideswvidæ Oxon. ad diem 18. mensis novembris facta.

QUo die post missam et alia sacra, certificatorium domini episc. London. legebatur, ac RRmus causas convocationis prædictæ exponebat, videl. quod pro quibusdam hæreticis, qui nuper in regno pullularunt, penitus extirpandis, pro delictis, et excessibus corrigendis, ac injuriis ecclesiæ sanctæ illatis reformandis, nec non pro aliquo competenti subsidio concedendo, ad vitanda, et repellenda pericula, quæ ecclesiæ, regi, et regno Angliæ notorie imminebant, ipsam convocationem ibidem fieri tunc decrevit.

Dein post varias continuationes XXIV. die mensis novembris, dominus Philippus Reppyngdon, canonicus regularis domus Leycestr. abjuravit omnes conclusiones hæreticas sub eo, qui sequitur tenore verborum. ,, In Dei nomine, Amen. Ego Philippus ,, Reppyngdon canonicus ecclesiæ beatæ Ma- ,, riæ de Pratis Leycestr. Lincoln. dioec. co- ,, gnoscens veram, catholicam, & apostoli- ,, cam fidem, anathematizo etiam; & abju- ,, ro omnem hæresim, & præcipue subscri- ,, ptas hæreses, & errores per sacrorum ca- ,, nonum instituta, & per vos, pater reve- ,, rendissime, damnatas & damnatos, repro- ,, batas, & reprobatos, de quibus hactenus ,, defamatus sum; easque, & eos, ac ipsa- ,, rum, & ipsorum auctores damno, & re- ,, probo, & confiteor esse catholice damna- ,, tas & damnatos. Et juro ad hæc sancta ,, Dei evangelia, quæ in manibus meis te- ,, neo, ac promitto, me nunquam quorum- ,, libet persuasionibus, vel alio modo quo- ,, cumque conclusiones subscriptas, vel ea- ,, rum aliquam pro veris aut vera defende- ,, re vel tenere; sed determinationi S. eccl. ,, cathol. atque vestræ in hac parte per o- ,, mnia velle stare, sto, & stabo, adhæreo & de ,, cætero adhærebo: insuper & eos, qui contra ,, hanc fidem veniunt cum dogmatibus & ,, sectatoribus suis æterno anathemate di- ,, gnos esse pronuncio: quod si ego ipse ali- ,, quando contra præmissa aliquid sentire, ,, aut prædicare præsumpsero, canonum se- ,, veritati subjaceam. Ego Philippus Reppyn- ,, gdon prædictus confessioni meis prædictis ,, propria manu mea sponte subscribo. In eadem forma verborum magister Johannes Ashton, presbyter, Wygorn. dioec. de hæresi convictus, adjuravit conclusiones prædictas. Alio die frater Petrus Stokes ordinis Carmelit. & alius frater de ordine Minorum, hæreseos accusavit, conclusiones contra eos propositas se exercitii, & doctrinæ causa tenuisse, non asseruisse, ajebant. Deinde Henricus Crompe, ordinis Cistercien. conclusionem contra eum propositam, si & quaternus per Urbanum papam V. erat damnata, se nolle tenere ad sancta Dei Evangelia juravit.

Postea convocatio hæc ab ecclesia conventuali Frideswide Oxon. ad domum capitularem fratrum prædicatorum London. ex auctoritate archiepiscopi etiam de consensu confratrum, & suffraganeorum nostrorum, tunc ibidem præsentium, ex certis, & legitimis causis, nos, & dictos confratres nostros moventibus, prorogabatur. Ibi die S. Hilarii per mandatum episc. London. & Winton archiepiscopi commissariorum primum convenerunt, ac aliud subsidium addiderunt illi in priori sessione concessæ, scil. medietatem decimæ de beneficiis ecclesiasticis Cant. provinciæ ad decimam taxatis, de quo reverendissimus domino regi per certificatorium significavit.

Ad patres in eam synodum coeuntes scriptam arbitror sequentem epistolam vulgatam Da VVilkins pag. 171. & una cum literis illis junctim transmissa est ad patres eosdem sententia contra Joannem VVicleffum ab academiis Oxoniensibus lata, quam, utpote ad acta hujus concilii pertinentem, statim recito.

Sententia VVillelmi cancellarii universitatis Oxon. contra VVickliff residentem in cathedra.

Willelmus de Berton cancellarius universitatis Oxon. omnibus dictæ universitatis filiis, ad quos præsens mandatum pervenerit, salutem, & mandatis nostris firmiter obedire.

Ad nostrum, non sine grandi displicentia, pervenit auditum, quod cum omnes hæresum inventores, defensores, seu fautores cum eorum pernitiosis dogmatibus sint per sacros canones sententia majoris excommunicationis damnabiliter involuti, & sic a cunctis catholicis rationabiliter evitandi; nonnulli tamen maligni spiritus repleti consilio, in insaniam mentis producti, molientesque tunicam Domini, scilicet sanctæ matris ecclesiæ scindere unitatem, quasdam hæreses, olim ab ecclesia solemniter condemnatas, iis die-

ANNO CHRISTI 1382.

diebus, proh dolor! innovant, & tam in ista universitate, quam extra, publice dogmatizant, duo inter alia documenta pestifera asserentes. Primo, in sacramento altaris substantiam panis materialis, & vini, quæ prius fuerunt ante consecrationem, post consecrationem realiter remanere. Secundo, quod execrabilius est auditu, in illo venerabili sacramento non esse corpus Christi, & sanguinem essentialiter, nec substantialiter, nec etiam corporaliter; sed figurative, seu tropice, sic quod Christus non sit ibi veraciter in sua propria præsentia corporali. Ex quibus documentis fides catholica periclitatur, devotio populi minoratur, & hæc universitas mater nostra non mediocriter defamatur. Nos igitur advertentes, quod assertiones hujusmodi per tempus se deteriores haberent, si diutius in hac universitate sic conniventibus oculis tolerentur, convocavimus plures sacræ Theologiæ doctores & juris canonici professores, quos peritiores credidimus; & præmissis assertionibus in eorum præsentia patenter expositis, ac diligenter discussis; tandem finaliter est compertum, & eorum judicio declaratum, ipsas esse erroneas, atque determinationibus ecclesiæ repugnantes, contradictoriasque earumdem esse veritates catholicas, & ex dictis sanctorum, & determinationibus ecclesiæ manifeste sequentes: videlicet quod per verba sacramentalia, a sacerdote rite prolata, panis, & vinum in altari in verum corpus Christi, & sanguinem transubstantiatur, seu substantialiter convertuntur; sic quod post consecrationem non remanent in venerabili sacramento panis materialis & vinum, quæ prius, secundum suas substantias, seu naturas, sed solum species eorumdem. Sub quibus speciebus verum corpus Christi, & sanguis realiter continentur, non solum figurative, seu tropice, sed essentialiter, substantialiter & corporaliter, sic quod Christus est ibi veraciter in sua propria præsentia corporali; hoc credendum, hoc docendum, hoc contra omnes contradicentes viriliter defendendum. Hortamur igitur in Domino, & auctoritate nostra monemus, primo, secundo, & tertio, ac districtius inhibemus, pro prima monitione assignando unum diem, pro secunda alium diem, & pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem: nequis de cætero, cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, præmissas duas assertiones erroneas, aut earum alteram in scholis, aut extra scholas in hac universitate publice teneat, doceat, seu defendat, sub poena incarcerationis, & suspensionis ab omni actu scholastico; ac etiam sub poena excommunicationis majoris, quam in omnes, & singulos in hac parte rebelles & nostris monitionibus non parentes, lapsis ipsis tribus diebus pro monitione canonica assignatis, mora, culpa, & offensa præcedentibus, & id fieri merito exigentibus, ferimus in his scriptis: quorum omnium absolutionem, & absolvendi potestatem, præterquam in mortis articulo nobis, successoribus nostris specialiter reservamus. Insuper, ut homines quamvis non propter timorem latæ sententiæ, saltem propter defectum audientiæ a talibus doctrinis illicitis retrahantur, & eorum opiniones erroneæ sopiantur; eadem auctoritate, qua prius, monemus primo, secundo, & tertio, ac districtius inhibemus, ne quis de cætero aliquem publice docentem, tenentem, seu defendentem præmissas duas assertiones erroneas aut earum alteram in scholis, vel extra scholas in hac universitate quovis modo audiat, vel auscultet; sed statim sic docentem, tanquam serpentem, venenum pestiferum emittentem, fugiat, & abscedat, sub poena excommunicationis majoris in omnes & singulos contravenientes non immerito fulminandæ, & sub poenis aliis superius annotatis.

Nomina autem doctorum, qui præsenti decreto specialiter affuerunt, & eidem unanimiter consenserunt sunt hæc.

Magister Johannes Lawndrynæ sacræ paginæ professor & secularis.

Magister Henricus Crompe, albus monachus.

Magister Johannes Chelsam de ordine prædicatorum.

Magister Willelmus Brustoumbe de eodem ordine.

Magister Johannes Shipton de ordine Augustinen.

Magister Johannes Tissington de ordine minorum.

Magister Johannes Lovey de ordine Carmelitarum.

Magister Johannes Welles monachus de Ramesey.

Magister Johannes Wolverton de ordine prædicatorum.

Magister Robertus Rygge sacræ paginæ professor & secularis.

Magister Johannes Mowbray doctor in utroque jure.

Magister Johannes Gascoigne doctor in decretis.

Convocatis igitur præfatis doctoribus, ut est dictum, & plena deliberatione habita de præmissis, ex omnium nostrorum unanimi consilio & assensu præsens mandatum emanare decrevimus. In quorum omnium, & singulorum testimonium sigillum officii nostri fecimus apponi.

Ista prædicta condemnatio publicata est publice in scholis Augustinensium ipso Johanne sedente in cathedra & determinante contrarium. Sed confusus est, ista audita condemnatione. Sed tamen dixit, quod nec cancellarius, nec aliquis de suis complicibus poterat suam sententiam infringere, se in hoc ostendens hæreticum pertinacem. Sed post ad suæ hæresis majorem manifestationem, & suæ pertinaciæ ostensionem, alias publice a condemnatione cancellarii, & judicio prædicto appellavit, non ad papam, vel episcopum, vel ordinarium ecclesiasticum, sed hæreticus adhærens seculari potestati in defensionem sui erroris, & hæresis appellavit ad regem Richardum, volens per hoc se protegere regali potestate, quod non puniretur, vel emendaretur ecclesiastica potestate. Et post appellationem advenit nobilis dominus dux egregius & miles strenuus sapiensque consiliarius dux Lan-

ca-

ANNO CHRISTI 1382.

castriæ sacræ ecclesiæ filius fidelis, prohibens magistro prædicto Johanni, quod de cætero non loqueretur de ista materia. Sed nec ipse obtemperans suo ordinario, cancellario, nec etiam strenuo domino, incepit confessionem quamdam facere, in qua continebatur omnis error pristinus, sed secretius sub velamine vario verborum, in qua dixit suum conceptum, & nisus est suam sententiam probare. Sed velut hæreticus pertinax refutavit omnes doctores de secundo millenario in materia de sacramento altaris, & dixit omnes illos errasse præter Berengarium, cujus opinio damnatur de consecratione dist. 2. *Ego Berengarius*; & ipsum, & suos complices dixit palam sathanam solutum & potestatem habere in Magistro sententiarum & in omnibus, qui fidem catholicam prædicaverunt.

Epistola XII. Judicum universitatis Oxon. ad synodum cleri Cantuariensis in S. Paulo super libris Johannis VVycliff.

Hæc forte epistola non quidem ad hanc synodum, sed ad præcedentem Londinensem referenda est.

Ex reg. Sudbury f. 76.

Reverendissimo in Christo patri, ac domino suo speciali domino Willelmo Dei gratia Cantuar. archiepiscopo totius Angliæ primati, & sedis apostolicæ legato aliisque venerabilibus patribus, & prælatis provinciæ Cantuar. universitas studii generalis Oxon. reverentias, & honores debitos, & devotos tam venerando coetui prælatorum, & ad defensionem percelebrem catholicæ fidei firmiter & feliciter adunari.

Præstantissime Pater & domine. Ab exordio nascentis ecclesiæ Dei, vineæ Sabaoth, quam cælestis agricola, Christus, Dei Filius, suique successores Apostoli in sacro suo sanguine plantaverat, hæretici, qui sub specie pietatis, virtutis, & gratiæ spiritu præsumptionis inflati mature suam ecclesiam Dei sponsam suffodere satagebant. Tales enim doctores doctissimos in honore præcellere contendentes, metaphorica Scripturarum eloquia insanis suis sensibus pertinaciter attrahere cupiunt, innitentes, ut plurimum nudo sensui literali; & sic postpositis, imo spretis mysticis sanctorum patrum dogmatibus, tanquam filii degeneres & perversa viperarum genimina, materna sua viscera degenerando corrodunt, & erumpunt. Tales enim, cum in suis astutis ingeniis plene superare non valeant, temporale secum brachium callide provocant, & pronis ad credendum illicita, quæ delectant, contra statum, & prælatos ecclesiæ, vetita quasi licita prædicant, ut sublatis aut concussis hostiliter fidei christianæ columnis, suos errores, & hæreses facilius introducant. Legimus de Arrio hæresiarcha, ut de cæteris taceamus, quod ipsius suadente consilio omnes prælati catholici regiminis in exilium missi sunt, vix tribus exceptis, qui, divino providente consilio, Arrianæ perversitatis erroribus viriliter obviaverunt. Unde & de eo testatur Hieronymus, *Arrius in Alexandria modica scintilla fuit, quia statim extinctus non fuerat, totum fere terrarum orbem ipsius flamma consumpsit.* Sed prætermissis extraneis, qui faciliter numerari non possunt, ut vicinius accedamus ad proprios: doctor quidam novellus, dictus Johannes Wycliff, non electus, sed infectus agricola vitis Christi, jam infra paucos annos pulcherrimum agrum vestræ Cantuar. provinciæ tot variis seminavit zizaniis, totque pestiferis plantavit erroribus, tot denique suæ sectæ procreavit hæredes, quod, sicuti probabiliter credimus, absque mordacibus sarculis, & censuris asperrimis explantari vix poterunt, et evelli. Ad quantum enim hæc secta novella nobiscum jam nuper invaluit, a vestra, sicut credimus, paternali memoria non recessit: nos tamen ista mala cura vigili ponderantes, vestræ prudentissimæ paternitatis auctoritate suffulti, vestrisque salutaribus, & votivis suadelis & monitis pro viribus obsequentes, per XII. electissimos nostros magistros, & doctores, multos libros & libellos aliosque tractatus & opuscula multa prælibati Johannis longa deliberatione perspeximus, ut multas conclusiones in eis, & quæ nobis videntur, signavimus, signatas excerpsimus, excerptas morose digessimus, & digestas censuimus sacræ doctrinæ contrarias, & per consequens reas igne. Sed cum apud plurimos nostra satis parva sentiatur auctoritas, easdem conclusiones simul & in unum redactas, vestro, pater inclyte, vestrorumque confratrum maturiori examini denuo recensendas offerimus; & per vos, si placeat, ulterius beatissimo patri nostro summo pontifici has iterum cupimus intimari. Scriptum est enim, quod funis triplex de difficile rumpitur: quod congruenter accipitur, si forte commissa nobis auctoritas pro funiculo computetur. Alias autem conclusiones erroneas non paucas, immo fere totidem quot sequuntur, de libello præfati Johannis extraximus, quas, cum non sint ejusdem aut multum cognatæ sententiæ cum his scriptis illas tanquam superfluas decrevimus hic omitti. Est enim tam auditori, quam lectori fastidium, & opus inutile eandem sæpe sententiam pueriliter inculcare; & præterea multas alias conclusiones in procedendo collegimus in sterili pugna verborum sustinere sophistice; illas ideo præcepimus extremæ condemnationis sententia fulminari. Rationes autem & causas damnationis conclusionum sequentium in præsentiarum omisimus, eo quod ipsarum falsitatem iis, qui sane sapiunt, cum antiquis doctoribus planam esse convincimus, nec vexare vos duximus pro insanis. Et nihilominus cum plurimæ sint, & longe ipsarum improbatio prolixior fastidium forte gignet inspectori.

Nomina XII. judicum Oxoniensis congregationis in superiori epistola prætactorum.

Magister Willelmus Ufford regens in claustro Carmelitarum.
Magister Thomas Claxton

ANNO CHRISTI 1382.

regens in clauſtro prædicatorum. Magiſter Johannes Wittenham de novo collegio. 4. Magiſter Joh. Langedon monachus eccl. Chriſti Cant. poſtea epiſcopus Roffenſis.	Doctores in Theologia.
5. Magiſter Rob. Gilbert. 6. Mag. Joh. Luk. 7. Mag. Rich. Cartisdale 8. Mag. Ric. Suedisham	Bacalarei in Theologia.
9. Mag. Ric. Fleming. poſt epiſcop. Lincoln. 10. Mag. Thom. Redbourne poſt epiſc. Meneven. 11. Mag. Rob. Rowdbery. 12. Mag. Richardus Grasdale	Studentes in Theologia.

SYNODUS STRIGONIENSIS

Sub Maria Hungariæ Regina & Demetrio archiepiſcopo

Anno 1382. *celebrata.*

An. 1382. Ex Peterffy Conc. Hungar. to. I. pag. 182.

„ JUS antiqua conſuetudine aſſertum Strigonienſi archiepiſcopo, ut ad Synodum ſuam omnem aliarum etiam dioeceſeon clerum vocaret, convellere nitebatur Valentinus Qunqueecclesienſis epiſcopus, S. R. E. Cardinalis tit. S. Sabinæ. Rem ferens iniquius Demetrius Strigonienſis archiepiſcopus ad Urbanum VI. querelas ſuas detulit, & ab eo literas impetravit, inhibentes Quinqueeccleſienſi, ne invitanti clerum Archiepiſcopo ulterius obſiſteret. Ita factum, ut ſynodus provincialis haberetur, cujus acta P. Peterffy in M. S. cod. collegii Academici ſocietatis Jeſu Tyrnaviæ ſe nactum teſtatur. Verum eadem omnino eſſe comperit cum actis ſynodis Strigonienſis, quæ ex vitiato codice manca vulgavit; tum & plane congruere deprehendit actis ſynodi Nitrienſis annis 1493. quæ e probato codice dedit integra. Hæc illum ratio perſuaſit, ut ſynodi hujus acta omitteret, eorumque loco daret præfationem, quæ una acta illa a reliquis diſcrepabant. Adjecit ſynopſim aliam decretorum e tabulis Zagrabienſibus derivatam: idem & mihi pariter uſurpo.

FRAGMENTUM PRÆFATIONIS IN ACTA CONCILII STRIGONIENSIS.

Sicut Doctor ſummus & egregius S. Auguſtinus teſtatur in libro de fide Chriſtiana: Catholicam eccleſiam per orbem diffuſam tribus modis exiſtere comprobatur; quidquid namque tenetur in illa, aut eſt authoritas ſcripturarum novi, & veteris teſtamenti, vel univerſalis Eccleſiæ traditio; aut inſtitutio propria & particularis exiſtit. Authoritate vero ſcripturarum totaliter gubernatur: & univerſali traditione nihilominus regitur ipſa tota; privatis vero conſtitutionibus & propriis informationibus pro locorum varietate regitur unaquaque. Ea propter nos, Demetrius, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus Strigonienſis, Aulæque regiæ concellarius, quæ ad informationem morum & eccleſiarum noſtræ Dioeceſis profectum, ac delictorum cohercitionem ſunt, prudentum participato conſilio, & conſenſu fratrum noſtrorum Dominorum de clero accedente, infraſcriptas conſtitutiones edimus, prout temporum varietate credimus expedire; ipſaſque in cleri notitiam ſcriptis præſentibus duximus deferendas, & in hac ſynodo publicandas: mandantes eaſdem, ſub poenis adjectis inviolabiliter obſervari, & ſuper illarum obſervatione omnes & ſingulas perſonas eccleſiaſticas, jure Dioeceſano, primo & ſecundo & tertio, ac peremptorie admonentes, poenaſque ſpirituales, ac quaſcunque alias inſertas ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc ipſo facto publicantes, & proferentes in his ſcriptis contra ipſarum temerarios transgreſſores; conſtitutionesque ipſas interpretandi, & declarandi, & edendi, ac minuendi, & contra ipſas diſpenſandi nobis noſtriſque ſucceſſoribus facultate plenarie reſervata.

SYNOPSIS ACTORUM EJUSDEM CONCILII EX TABULIS ZAGABRIENSIBUS.

Inter acta concilii illud memoria dignum quod archidiaconi, digeſto ordine numerum parochorum, animarumque eorum curæ ſubjectarum inire juſſi ſint; quem ſubinde ad Vicarium Generalem Strigonienſem deferrent. Epiſcopis (a) præterea canon ſtatutus, ut Abbatum, præpoſitorum, canonicorum, & beneficiatorum ſuæ Dioeceſis indiculum, annis ſingulis primati ſiſterent.

(a) Hinc diſcimu[s] conc. li[...] hoc pro[...]vinciale fuiſſe

Su-

ANNO CHRISTI 1383. 1388.

CAMERACENSE CONCILIUM

In causa schismatis Romani

Anno 1383. *habitum.*

1. 1383. " SUperius cum de concilio Medinæ Cæ" strensis agerem, indiculum documento" rum quorumdam in Colbertino codice de" scriptorum ex Baluzio dedi: Hæc inter " monumenta extare notavi sermonem fa" ctum *pro sedando schismate per Guidonem* " *cardinalem Pictavensem in synodo Camera*" *censi anno Domini MCCCLXXXIII. die* " *prima octobris pontificatus Clementis VII.* 1. sexto " *anno secundo.* (*a*). Habes hic concilium " collectoribus hucusque ignotum; cujus ta" men solum nomen superest, neque enim " tractatus ille Guidonis Pictavensis, de hoc " argumento quod legitur in Anecdotis " Martene to. II. pag. 1193. idem esse po" test cum oratione hac pro concilio habi" ta, cum Benedicti pontificis meminerit qui " pontifex nonnisi anno 1394. cepit. Inte" græ tamen orationis hujus defectum utcum" que supplent fragmenta ejus quædam apud " Baluzium in notis ad vitas paparum Ave" nionensium to. I. pag. 1106. occurrentia. " En unum.

Ad primam oppositionem seu objectionem de litteris respondeo &c. quod B. illas litteras petiit ab omnibus nobis. Responsum fuit ei, quod numquam de more sacrum collegium notificat per suas litteras electionem Romani pontificis principibus vel aliis, & sic se habet veritas. *Et paulo post*: Ipse tamen hoc non obstante cum omni instantia eas habere voluit; ad quem finem potes bene cogitare. *Et infra*: Imo etiam cum secundum stilum curiæ, quando collegium scribit, litteræ sigillantur solum sigillis trium prior. trium ordin. cum tunc actu duo priores essent Italici, videlicet Dominus Florentinus & de Ursinis, suspicans quod propter na- B tionem, de qua etiam erant, ipsorum testimonia reputarentur suspecta, petiit quod alii duo loco illorum sigillarent. Sed resistentibus Dominis Italicis, non potuit hoc obtinere, licet contristatus fuerit contra unum de Dominis. Satis propter evitandum omnem suspicionem & scandalum quod posset inde suscitari, litteras Domini concesserunt.

Nonne etiam illi adversarii Dei & ecclesiæ falsissima miracula confinxerunt ad simplicem populum magis seducendum? Nonne dixerunt publice, quod Dominus noster papa Clemens statim quando ab intruso recessit, habuit signum tahau impressum in facie, C & hoc multis regibus & principibus per suas litteras conscripserunt, de cujus contrario per aspectum sui vultus evidenter apparet? Nonne publicaverunt publice, quod in prima Missa quam celebravit, corpus Christi aufugit ab altari, cujus contrarium per duo milia testium ut ex testimoniis, qui in electione & coronatione ipsius præsentes fuerunt, manifestissime probaretur?

PANORMITANUM CONCILIUM

Provinciale

1388. *Anno* 1388. *habitum.*

COnstitutiones *factæ, & ordinatæ in concilio provinciali per Rev. in Christo patrem D. D. Ludovicum* (1) *Archiep. Panormitanum de consilio, & assensu Rev. D. Matthæi ep. Agrig.* (2) *Francisci quondam ep. Mazariensis,* (3) *& D. Ludovici de Guidicefacio in dicto concilio locumtenentis DD. Antonii* (4) *Melevitani, celebrato in urbe Panormo, cum consensu, & assensu sacræ regiæ* (5) *Majestatis die X. Novemb. XII. indictione An. Dom. MCCCLXXXVIII.*

Capitula de pertinentibus ad divinum cultum.

Excusum Panor- in libro quo in tis In primis ordinamus, quod omnes clerici beneficiati, infirmitate corporali non gravati, veniant ad omnes horas omni die: canonici vero in ecclesiis cathedralibus teneantur venire in omnibus diebus dominicis, & feriis duplicibus, & semiduplicibus ad missam & primas & secundas vesperas: ad matutinum vero in dictis diebus veniant, quando commode poterunt interesse, super quo eorum conscientiam oneramus: si quis vero ipsorum canonicorum defuerit prædictis diebus (in) aliqua dictarum horarum, videl. missæ & vesperarum, ipso facto sit privatus communia (*a*) unius mensis, & applicetur servientibus canonicis: cæteri vero clerici & sacerdotes inferiores, si defuerint die aliquo, seu hora, puniantur per eorum dioecesanos secundum quod eis secundum Deum videbitur expedire, plus vel minus secundum rationem defectus, & cogant ipsi dioecesani clericos in aliis ecclesiis sine cura beneficiatos servire ecclesiæ cathedrali secundum proportionem reddituum cujuscumque.

De redditibus canonicorum, & clericorum non servientium, in ecclesia expendendis, & distribuendis inter personas servientes.

Item statuimus, & ordinamus, quod redditus & proventus canonicorum, & clericorum non servientium, & residentium, saltem per tres partes anni, qui non fuerint actu in studio generali theologiæ, decretorum, seu legum, per dioecesanos ipsorum ex-

expendantur, & distribuantur inter personas idoneas, quæ servierint ecclesiæ in divinis officiis in supplementum dictorum non residentium, seu non servientium, ut jura canonica mandant, ita quod redditus canonicorum absentium præsentibus, & servientibus applicentur, si ibi fuerint canonici servientes: redditus vero aliorum clericorum non canonicorum, absentium aliis clericis servientibus tribuantur ad arbitrium ipsorum episcopi.

Capitula de pertinentibus ad honestatem, & vitam clericorum, quod clerici non teneant concubinam.

Item ut in omnia honeste, & secundum Deum fiant in clero totius nostræ provinciæ Panormitanæ, prohibemus universis, & singulis totius nostræ provinciæ clericis cujuscumque status, aut gradus existant, tenere concubinam seu fornicariam mulierem publice in domo propria, vel aliena: qui vero contrarium fecerit, a suo diæcesano a divinis officiis, & beneficiis ecclesiasticis suspendatur, taliter suspensus restitui non possit, nisi dumtaxat fornicaria muliere primitus a suo remota consortio, & injuncta pro delicto poenitentia salutari: qui vero sic suspensus a divinis præsumpserit divina & ecclesiastica ministrare sacra, aut divinis in ecclesia officiis interesse, tamquam irregularis effectus omnibus beneficiis ecclesiasticis expolietur, prout jura canonica mandant.

Quod clerici non intrent in tabernam in locis & terris, in quibus habitant, & de probibito ludo taxillorum.

Item prohibemus omnibus clericis, beneficiatis, seu in sacris ordinibus constitutis intrare tabernam ad comedendum in locis, & terris, in quibus faciunt residentiam, nec ludant ibi ad aleas, vel taxillos, aut inhoneste in nuptiis laicorum chorizent, sub poena unicæ unius persolvendæ dioecesano suo.

De probibita portatione armorum per clericos.

Item prohibemus omnibus clericis nostræ provinciæ arma portare poblice, vel occulte in terris, in quibus resident: quod si contrarium fecerint, per suum diocesanum ab officio, & beneficio suspendantur; & quibus hæc poena non competit, careant tertio moniti privilegio clericali.

Quomodo clerici habeant portare capillos, barbam, & coronam.

Item mandamus omnibus clericis nostræ provinciæ beneficiatis, & non beneficiatis, canonicis, rectoribus, & aliis quacumque dignitate fulgentibus, quod portent capillos usque ad aures tantum, & non infra aures, pertonsos, barbamque rasam, vel tonsam, & coronam portent in capite congruentem, magnam: qui vero contrarium fecerit in aliquo præmissorum, tertio monitus a suo dioecesano suspendatur ab administratione sacramentorum, & cui hæc poena non competit, tertio monitus careat privilegio clericali.

Confirmatio prædictorum capitulorum.

Caitula suprapofita sunt prædecessorum nostrorum scilicet Rev. Patris arch. Matthæi, (*b*) & Epis. Rogeri Mazar. & Agrig, quæ in nullo immutamus; sed ea de novo confirmamus ac varietate temporis suadente, modificamus, & addimus, & alia de novo facimus, prout licet, quia quæ de novo emergunt &c.

De habentibus duos canonicatus.

Capitulum prædecessorum nostrum quod incipit: *Item statuimus* &c. volumus penitus observari in canonicis unius Ecclesiæ tantum: in aliis vero canonicis duarum Ecclesiarum, si Metropolitanæ fuerint, & suffraneæ per tres partes anni serviant metropolitanæ, & per residuum suffraganeæ; ubi vero habuerint duos Canonicatus in Ecclesiis inferioribus metropolitanæ per dimidiam partem anni deserviant uni, & per aliam partem alteri.

Quod nemo retineat maritatam in domo sua.

Capitulum quod incipit: *Item quod omnia honeste*, & volumus penitus observari in non maritatis: in maritatis quidem volumus, quod si quis temeritate propria presumpserit in domo sua retinere, ab officio, & beneficio fore suspensus, quam volumus ipso facto incurrere, si post viginti dies a tempore publicationis præmissorum statutorum de domo propria non expulerit.

Quod canonici & clerici quotam eis contingentem habeant in distributionibus cotidianis secundum merita eorum.

Item quia secundum jura canonica qui altari servit de altari vivere debeat, qui ad onus eligitur, a mercede repelli non debeat, statuimus & ordinamus, ut tam Canonici, quam Clerici nostræ majoris ecclesiæ Panormitanæ Metropol., quam quarumcumque aliarum ecclesiarum nostræ Provinciæ secundum eorum meritorum exigentiam de distributionibus cotidianis quotam eis contingentem recipere debent, quod arbitrio eorum superioris relinquatur.

Quod nullus Clericus assumat Capellaniam, nec Missam sine licentia superioris.

Item quod nullus Sacerdos audeat assumere cappellaniam, nec missam de continuo vel ad certum tempus ut Cappellanus celebrare in aliquo loco exempto, nec in Collegio sæcularium sine expressa licentia sui superioris, & contrarium faciens, sit ipso facto a Divinis suspensus.

Quod

Quod quilibet beneficiatus saltem semel in hebdomada celebret, vel celebrari faciat in suo beneficio.

Item quod quilibet clericus beneficiatus saltem semel in hebdomada debeat per se, vel per alium in dicto beneficio, quantumcumque minimo, Missam celebrare, & in casu, quo stabiliter in dicto beneficio celebrare, vel celebrari facere non posset, prout est dictum, celebret, vel celebrari faciat in majori Ecclesia, vel Parochia, infra cujus limites extiterit prædictum beneficium. & si beneficium abundaverit in fructibus, pluries teneatur celebrare arbitrio superioris: & qui præmissa adimplere negligerit, privetur fructibus dicti beneficii, & contribuantur alicui idoneo Sacerdoti pro prædicta celebratione.

De recipiendis Ordinibus.

Item quod nullus ordinatus in minoribus ordinibus seu sacris debeat ad ordines prædictos recipi, nisi per eosdem ordinatos literæ eorum ordinationis in eorum testimonium ostendantur; & recipientes contra tenorem hujus constitutionis, arbitrio sui superioris puniantur.

De non percipiendis fructibus Ecclesiæ, nisi prius habitis literis Episcopalibus, & per executorem habeatur possessio.

Item quod nullus promotus per ordinarium ad aliquam dignitatem, canonicatum, vel beneficium cum cura, vel sine cura debeat se miscere, vel administrare, seu fructus Ecclesiæ ad quam est promotus, percipere, nisi prius habitis litteris episcopal:, & per exequutorem datum in suis litteris, habeat possessionem, & contrarium faciens ipso facto a dignitate, canonicatu, vel beneficio sit suspensus. Quod stante clerico per annum in habitu laicali non deferente tonsuram clericalem, beneficio privetur. Quod si quis clericus beneficiatus, quantumcumque de cætero monitus non fuerit, in habitu laicali per annum permanserit, vel tonsuram clericalem non detulerit, aut canonicas horas, seu officium divinum, & nocturnum Dominicæ dicere neglexerit, aut se sæcularium negotiis immiscuerit a divinis obsequiis se totaliter abstinendo, ipso facto, sit beneficio, vel beneficiis suis privatus, & Prælatus talia beneficia retinere possit, & valeat legitime conferre tamquam beneficia vacantia.

De non procurandis negotiis sæcularium per clericos sine licentia superioris.

Quod nullus clericus audeat, nec valeat sine licentia sui superioris negotia alicujus sæcularis procurare: quod si quis contrafecerit, ab officiis, & beneficiis suspendatur.

Quod nullus clericus vendat vinum manibus propriis.

Item nullus clericus publice in domu sua, vel aliena manibus propriis vinum vendat ad minutum, nec etiam volentibus bibere in eodem loco, per alium vendi facere audeat; & contrarium faciens ab officio, & beneficio suspendatur.

De prohibita conjuratione contra prælatum.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus, vel conditionis existat, faciat conjurationem, vel conventiculum, seu conspirationem per se, vel per alium facere præsumat contra eorum prælatum, vel ejus ecclesiam, vel aliam personam ecclesiasticam, quod ipsorum respiciat incommodum in persona, vel rebus sub poena excommunicationis, quam volumus ipso facto incurrere; nec per alium absolvi, quam per nostrum Metropolitanum.

De probibito exercitio mercantiarum, & emptionum vel venditionum ad tempus.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, debeat mercantias exercere, nec emere, vel vendere res aliquas ad tempus plusquam communiter valent, vel similiter valituras, & contrarium facienti actio in prædictis contractibus denegetur.

De modo indumentorum portandorum per clericos.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus debeat indumenta rubra, vel viridia apportare, nec cappucceos de scarlato, nec subtilares cum punta (*d*), nec corrigias de argento, nec annulos, nisi quibus ex dignitate competit, sub poena amissionis rei prohibitæ.

De exemptione clericorum.

Item quod nullus clericus, qui se exemptum existimaverit, privilegio exemptionis gaudere possit, nisi illud per ordinarium, vel ejus metropolitanum, sicut justum videbitur fuerit approbatum.

De non discedendo sine literis dimissoriis.

Item quod nullus clericus, cujuscumque gradus, status, vel conditionis existat, egrediatur extra regnum sine literis dimissoriis, sub poena privationis beneficiorum ipsorum: non beneficiati autem sui superioris arbitrio puniantur.

Quod nemo petat beneficium vacaturum, nisi corpus decedentis sit prius sepultum.

Item quod nullus clericus per se, vel per alium,

alium, nomine suo vel de sua scientia, & voluntate petat beneficium vacaturum, nisi prius corpus decedentis traditum fuerit sepulturæ; qui si beneficiatus extiterit, perdat fructus beneficiorum suorum per annum; si vero beneficiatus non fuerit, sit per sex menses a divinis suspensus.

De non impediendis redditibus alterius beneficialis.

Quod nullus clericus, cujuscumque status, vel conditionis existat, debeat occupare, seu occupari facere, vel impedire redditus vel proventus beneficii alterius beneficialis quocumque modo vel occasione sub poena privationis beneficiorum suorum; si beneficialis non fuerit, sui superioris arbitrio puniatur.

De non sepeliendis defunctis in cimiteriis religiosorum mendicantium sine permissione parochialis ecclesiæ.

Item constituimus, & ordinamus, quod cappellani, & ecclesiarum rectores non permittant Religiosos mendicantes quoquo modo funera, seu defunctos in eorum cimiterio sepelire sine permissione ecclesiæ parochialis, ac maxime pueros minores decedentes intra annum, consuetudine aliqua allegata in contrarium non obstante, sub poena arbitraria; & si dicti Religiosi contrarium facere præsumpserint, dicti cappellani recursum habeant ad ordinarios, qui debeant procedere contra tales Religiosos, prout erit juris opportunum.

Quod quando quis sepelitur in Ecclesia de jure non cimiteriata, tres partes ceræ acquirantur parochiali ecclesiæ.

Item quod si aliquis de disciplina elegerit sepeliri in ecclesia eorum non de jure cimiteriata, quod tres partes ceræ portatæ in funere, quomodocumque portentur, acquirantur ecclesiæ Parochiali, cujus defunctus extiterit Parochianus; reliqua vero pars attribuatur cappellano servienti ecclesiæ, in qua eliget sepeliri, reservato jure cathedralis ecclesiæ, jure, vel consuetudine introducto. Si quis huic constitutioni transgressor extiterit, sui superioris arbitrio puniatur.

De quarta parte legatorum ad pias causas episcopis acquirenda.

Item quod de omnibus legatis ad pias causas, quomodocumque, vel qualitercumque, & in quibusque casibus, factis, debeatur quarta episcopis, ubi jure, vel consuetudine solvitur, non obstante statuto, seu constitutione a quibuscumque cujuscumque gradus, status, & conditionis existant, quas volumus per illud capitulum irritari, & nullas censeri; & contrarium facientes, seu observantes arbitrio sui superioris puniantur.

De non donandis, & concedendis ad emphyteusim, vel ad longum tempus bonis ecclesiarum.

Item quod nullus clericus, seu rector alicujus ecclesiæ, & etiam abbas, seu abbatissa, audeat, nec debeat inconsulto suo prælato ad emphyteusim concedere bona suæ ecclesiæ, vel monasterii, nec etiam ad longum tempus scilicet quinquenninm locare; & contrarium faciens puniatur arbitrio sui superioris, & talis concessio sit de jure nulla.

De reparandis ecclesiis per beneficiales.

Item quod quilibet clericus, seu persona ecclesiastica debeat reparare ecclesias suas, & etiam reficere, ac earum bona secundum competunt facultates dictorum beneficiorum, nec permittere ipsas ad ruinam pervenire, & si ejus culpa seu negligentia aliquod prædium ruinam passum fuerit, per superiorem cogatur ad reficiendum tale prædium sui culpa dirutum, & alias ad arbitrium sui superioris puniatur.

Quod canonici in minoribus ordinibus constituti infra annum debeant ad sacros ordines promoveri.

Item quod nonnulli canonici tam in nostra Panormitana ecclesia, quam in aliis suffraganeis ecclesiæ nostræ in minoribus instituti ad sacros ordines promoveri contempserint, & sic per eosdem in nullo dictis ecclesiis deservitur; statuimus, ut de cætero unusquisque canonicus dictarum ecclesiarum infra annum, postquam possessionem sui canonicatus & præbendæ pacifice fuerit adeptus, debeat ad sacros ordines promoveri; & illi qui nunc in dictis ecclesiis in minoribus ordinibus sunt constituti, debeant post celebrationem præsentis capituli infra menses sex ad sacros ordines promoveri; alias si præmissa adimplere neglexerint, seu noluerint, ipso facto perdant fructus præbendæ suæ, quousque ad sacros ordines promoveantur.

De non revelando id quod in capitulo ordinatum & dictum fuerit.

Quod nullus canonicus quod in capitulo fuerit ordinatum, vel capitulariter dictum, audeat extra capitulum revelare: quod si quis contrafecerit, per hanc constitutionem decernimus, fructibus canonicatus per annum fore privatum; & qui denunciaverit illum revelantem secreta capituli, habeat tertiam partem dictorum fructuum, & credatur dicto denunciantis cum unico teste tantum.

Sequens concilium fiat secunda dominica mensis novemb. XIV. indictione anni proxime futuri.

Ludovicus Dei, & apostolicæ sedis gratia Panormitanus Archiepiscopus, licet immeritus, venerabilibus abbatibus, Prioribus, archipresbyteris, archidiaconis, canonicis, præpositis, & ecclesiarum rectoribus, necnon presbyteris, diaconis, subdiaconis, & aliis clericis universæ nostræ provinciæ salutem in

ANNO CHRISTI 1389. 1392.

in Domino, qui est salus simul vivorum, & mortuorum.

Cum virtutes nobis naturaliter ignotas ætas in tantum tenetur corrumpere, quod nisi fuisset scientia divinitus inspirata, non immerito homo sine privaretur Deifico; & quia propter hominum varias imaginationes dilucide ipsarum nodus nequit perfecte decidi, attendentes nos esse ex injuncto nobis officio adstrictos curis solitis maxime clericorum, & eorum scandala, in quantum possumus removere, quoniam ad hoc positi sumus, ut subjectorum corrigamus errores, & de ipsis in districto judicio tenemur reddere rationem; assistentibus nobis reverendis, & in Christo patribus suffraganeis episcopis Matthæo Agrigentino, & Francisco Magariensi, necnon & domino Ludovico Dejudicefacio, vicegerenti episcopi Melevitani, ac de eorum consilio congregata synodo, prout nobis jure injungitur, constitutiones juribus papalibus non dissonas, sed effectu consonas edere non omisimus; quas in provincia nostra per clericos in eadem existentes, ut supra, observari mandamus, poenis inferius adnotatis: mandamus Rev. suffraganeis nostris ut in suis synodis prædictas constitutiones debeant publicare, quas synodos ab isto die infra sex menses præcipimus celebrari.

Datum Panormi in nostro archiepiscopali Palatio anno domini 1388. X. mensis Nov. XII. indict.

ANNO CHRISTI 1389. 1392.

ANT. MONGITORIS V. CL.

NOTÆ.

C*onstitutiones* &c. *per Patrem Dominum Dominum Ludovicum Archiep.* &c.

Hoc concilium diu M. S. vagavit, ejusque meminere constitutiones Synodales cardinalis Jannettini ab Auria an. 1634. part. 3. cap. 10. pag. 106. Martini de Leon & Cardenas part. 3. cap. 7. pag. 118. & Jacobi de Palafox part. 2. cap. 7. pag. 129. Demum in lucem emisit P. Joannes Maria Amatus in libro inscripto de *Principe Templo Panormitano* edito Panormi anno 1728. lib. 13. cap. 2. a pag. 429. ad 436.

(1) *Ludovicum* &c. Ludovicus Bonitus Archiep. Panormitanus qui ecclesiæ Panormitanæ præfuit ab an. 1383. ad an. 1292. Ex Pirro in Not. eccl. Panorm. pag. 159. De eo plura in nostra Bibl. sect. 42. pag. 18.

(2) *Matthai episcopi Agrigent.* Matthæus Fugardus Panormitanus episcopus Agrigentinus. Pirrus in not. pag. 296.

(3) *F. Episcopus Mazariensis*. Franciscus de regno Ord. Prædicat. episcopus Mazariensis Pirrus in not. Magar. pag. 508.

(4) *A. Episcopi Melevitani*. F. Antonius episcopus Melitensis. Pirrus in not. eccl. Melit. pag 595.

(5) *Sacra Regia Majestatis*. Mariæ Siciliæ Reginæ. Ex eodem Pirro in Chronolog. regum Sic. pag. 79.

(a) § 1. *Ipso facto sit privatus communia &c. communia &c.* Distributio Choralis a præsentibus acquirenda.

(b) § *Capitula suprapposita &c. Archiep. Matthai*. Matthæus Ursinus archiep. Panormit. qui præcessit Ludovico Bonito ab an. 1371. ad an. 1380. Ex Pirro in not. eccl. Panorm. pag. 158.

(c) Rogerii Mazarien. &c. Rogerius a . . . . Ord. Min. episcopus Agrigentinus ab an. 1327. ad 1382. Pir. not. Mazar. pag. 508. Ex his colligitur aliud concilium coactum anno 1327. vel 1373. hoc enim in temporis spatio vacabat ecclesia Melinten. ideoque in hoc præcedenti Concilio episcop. Meliten. non interfuit.

(d) §. *Item quod nullus clericus &c. debeat indumenta rubea apportare &c. nec sutilares cum puncta &c.* Calceos acutos vetat Innocentius III. cap. 15. de vita, & honestate clericorum.

1389.

BONIFACIUS PAPA IX.

Sedit ab anno 1389. usque ad annum 1404.

ULTRAJECTENSE CONCILIUM

In quo cognita causa monachi cujusdam sacrilegi,

Anno 1392. habitum.

1392. „ MOnachus quidam scelestus episcopum „ se, nulla licet consecratione initiatum „ gerebat, idque muneris sibi apostolicarum „ literarum, quas ipse fabricaverat, autho„ ritate delatum jactabat. Fraude hac usus „ sacerdotes plures aliosque minores cleri„ cos sacris ordinibus consecraverat, donec „ tandem Florentius episcop. Ultrajectensis, „ cujus se suffraganeum dicebat, rem subo„ doratus, ad Romanum pontificem de„ tulit, eoque mandante reum detrusit in „ carcerem; tum septem adhibitis episcopis „ judicium solemne instituit. Judicium istud „ synodum appellat Raynaldus in continua„ tione Baronii ad annum 1391. quare lo„ cum hic suum meretur; totamque ejus hi„ storiam hanc exhibeo ex vetusto MSS. co„ dice Ultrajectino, vulgatam a Matthæo in „ Analectis to. 3. pag. 281. nov. edit.

Anno Domini CIↃ. CCC. XCII. ultima die septembris, quidam Jacopus ordinis fratrum minorum presbyter, de Ducatu Juliacensi oriundus, fuit in civitate Trajectensi super quoddam solarium in medio *Noede* de lignis erectum verbaliter & actualiter per modum infrascriptum degradatus pro eo, quod ipse sibi usurpando per quasdam literas confictas apostolicas, quas falsavit, titulum & nomen episcopi Lavacensis in dioecesi in suffraganeum episcopi Trajectensis assumptus, aliquamdiu & antea per decem annos in Trevirensi, Maguntinensi, & Ar-

ANNO CHRISTI 1392.

gentina dioecesibus ordines minores & majores cæteraque episcopalia celebrare & exercere præsumpsit. Post degradationem vero fuit relictus tamquam laicus Sculteto & Scabinis Trajectensibus ibi præsentibus, & eum in suum serio recipientibus. Et per eorum sententiam in eodem loco præsidente domino Florentio episcopo Trajectensi fuit idem Jacobus addictus ignis cremationi in cacabo prope dictum solarium inferius parato. Tandem tamen per gratiam fuit ereptus de cacabo, & capite in eodem loco truncatus.

Constitutis igitur domino Florentio prædicto aliisque sex episcopis subscriptis & singulis eorum indutis pontificalibus ac sedentibus in solario supradicto magister Arnoldus Po vice ac de mandato eorum in dictum Jacobum talem sententiam promulgavit.

In Dei nomine Amen. Florentius de Wevelichoven Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Trajectensis, nec non eadem gratia fratres Arnoldus episcopus capitoliadensis, Wenemarus episcopus Symboliensis, Hubertus episcopus Yppusensis, Bertoldus episcopus Lindienensis, Andreas episcopus Mysconiensis, & Jacobus Sareptensis conjudices in negotio infrascripto. Præsidente rationis imperio in animo judicantis sedet in examine veritatis pro tribunali justitia, & quasi rex in solio judicii rectitudo de cujus ore procedit gladius bis acutus. Cujus etiam aspectu terribili propriæ voluntatis dissipatur arbitrium. Noxius appetitus absque personarum delectu sub juris regula limitatur. Hæc enim fuit æterni prudentia judicis, de cujus vultu recta judicia pendent, ut judices constituerentur in orbe, qui justitiam diligant, filios hominum judicent, & pro modo culpæ feriant delinquentes. Sane cunctis inauditam seculis scelerum immanitatem tuam qui caput es scandali, & petra offensionis, non sine grandi cordis moestitia attendentes, & tuam infaustissimam temeritatis audaciam, quæ nimirum cœlum perturbat, & terram tremere facit, crebris suspiriosisque angustiis recensentes cogimur, ut contra te ad debitæ, quam meruisti animadversionis vindictam, exigente justitia, procedamus. Christi igitur nomine invocato pro tribunali & solum Deum præ oculis habentes, communicato nobis virorum prudentium & jurisperitorum consilio plurimorum, quia nobis per tuam confessionem & alias evidenter & legitime constat, quod tu literas apostolicas falsasti & titulum pontificalis apicis temerarie & fallaciter usurpare, & tibi ascribere, & perquam plurimis hominibus ordines minores & majores conferre, chrismata conficere, ecclesias, capellas & altaria consecrare & reconciliare, in frontibus confirmare, cæteraque pontifici duntaxat incumbentia exercere, sub falso & per te conficto episcopali titulo in Treverensi, Maguntinensi, Argentina, & Trajectensi dioecesibus, aliisque locis, per decem annorum curricula & ultra, quumque episcopus non esses, nec sis de facto, in tuæ & multarum grave periculum animarum, totius catholicæ & universalis ecclesiæ contemptum frontose & damnabiliter præsumpsisti. Licet etiam per diutina satis tempora nos Florentius episcopus Trajectensis, antedictus tibi spatium poenitendi in carceris nostri custodia reservato dudum piæ clementiæ motu duxerimus indulgendum, quatenus etiam altissimum, quem tam graviter tuis nefandis reatibus offendisti, placare studeres, & ipsius misericordiam devotis crebrisque precibus lacrimosis assequi posses, tu tamen nesciens ad cor reverti & pœnitentiæ agere dignos fructus, quamvis diutius exspectatos, indurato corde & obstinato animo tempora poenitudinis tibi per nos misericorditer, ut antefertur, indulta, quod dolenter referimus, usque in tempus præsens in tuæ salutis dispendium parvipendere nullatenus horruisti. Idcirco nos Florentius aliique coepiscopi superius nominati propter & ad actum præsentem convocati specialiter & præsentialiter congregati, secundum ea quæ vidimus, audivimus, & cognovimus, cognoscimus, atque scimus, te ad eumdem legitime citatum ab omnibus ecclesiasticis ordinibus & officio sacerdotali tamquam literarum Apostolicarum falsarium, sacramentorum ecclesiasticorum abusorem & hostem, animarum fidelium vastatorem, ac sacrorum canonum transgressorem perpetuo degradamus, deponimus & privamus, teque actualiter degradandum & demum degradatum curiæ sæculari relinquendum & legitime citra mortis periculum puniendum fore in his scriptis finaliter condemnamus.

Post prædictam sententiam in eum præsentem latam seorsim ducebatur degradandus, & vestimentis sacerdotalibus induebatur, & ferendo calice cum vino & patena cum hostia in manibus suis, ac si debuisset missam solempniter celebrare, reducebatur coram Episcopo Trajectensi, qui detrahendo sibi insignia sacerdotalia, videlicet calicem cum patena ac clafulam & stolam, utebatur his verbis: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia sacerdotalia, teque honore sacerdotali privamus*. Quo facto Episcopus in continenti in signum deletionis sacerdotalis cum vitro exunxit leviter citra sanguinis effusionem loca manuum, quæ fuerant inuncta, ducens tractum cum illo vitro a pollice dextro per indicem sinistrum. Deinde fecit secundum tractum a pollice sinistro per indicem dextrum, sicut moris, quum Episcopus aliquem in sacerdotem inungit. De hac rasione seu tonsione manuum notatur in tertia parte specul. tit. de accu. §. secundo loco verb. *degradandum*: Talis tamen rasio in decreto degradationis de pœnis lib. VI. non præcipitur, nec etiam prohibetur, sed dumtaxat fit mentio de rasione vel tonsione capitis ut not. ib. Jo. Andr. super verbo: *radatur*, in novella.

Quo completo, iterato secessit ad partem & induebatur habitu diaconali, scilicet dalmatica & stola pendente super humerum ejus sinistrum, ut moris est diaconum vestiri, & sic ferendo codice Evangeliorum in manibus suis repræsentabatur coram Episcopo prædicto, qui hæc sibi contrahendo dixit: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia diaconalia, teque honore diaconali privamus*. Post

ANNO CHRISTI 1394.

Post huc abiit iterato seorsum & induebatur tunica subdiaconali & manipulo in sinistro ejus brachio apposito, & ferendo in manibus suis codicem epistolarum reducebatur coram Episcopo, & tunc etiam sibi addebatur calix vacuus cum patena in manu, quia illum in collatione ordinis subdiaconalis de manu ordinatoris accepit. Quo facto Episcopus sibi hæc detrahendo præmisit hæc verba: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia subdiaconalia, teque honore subdiaconatus privamus*. Privatus supradictis insignibus, ut prius, secessit ad partem cingulum deponendo & albam exuendo, & indutus superpellicio clericali ferendo in manibus suis candelabrum cereo extincto & ampullam coram Episcopo fuit repræsentatus, & Episcopus ei abstulit candelabrum cum cereo & ampullam, & immediate post hoc exuit eum superpelliceo, quo induerat eum ordinator in collatione primæ tonsuræ, & pronuntiavit, in hæc verba: *Auctoritate* A *Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ac nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, ac exuimus te omni ordine & privilegio clericali*. Deinde Episcopus incepit cum forcipe tondere parumper capillos capitis sui. Et postea barbitonsor illud cum novacula perfecit; ita quod in eo nullum remanserit vestigium tonsuræ vel clericatus.

Postremo his peractis inducebatur habitu laicali, & relinquebatur judici seculari, ut in suum forum eum reciperet cum protestatione, quod poenam sanguinis ei non infligeret, quia hoc Episcopo petere non licet ut patet ex cap. *ne cleric. vel mon.* c. *sententiam*, & de crim. fals. c. *ad audientiam*. Ideo B supplicabant Domino Trajectensi, & ejus sculteto illi sex Episcopi prædicti aliique Prælati ibidem præsentes, quod citra mortis periculum dignarentur circa eum sententiam moderari juxta decretum *novimus* de verb. sign.

AD PARISIENSE CONCILIUM

Anno 1394. *seu melius* 1395.

ADDITIO.

An. 1395. „ANtequam tradam concilii hujus acta „fusiora, quam quæ hucusque exhibita „sunt in collectione Labbeana, juvat „hic nonnulla in antecessum notare. Concilium istud convenit anno primo pontificatus Benedicti XIII. coepitque die Purificationis B. M. V. II. Februarii, quæ omnia temporis argumenta præbent publicæ tabulæ de rebus in eo gestis scriptæ, „& inferius vulgandæ. Cum vero Benedictus coeperit anno 1394. septembri mense; qui post eam diem proxime successit, „Februarius mensis annum 1395. præfert, „eoque transferendum est concilium ex anno 1394. cui a Labbeo illigatur.

Concilium vero istud Labbeus dedit ex Spicilegio Dacherii acceptum haustumque ex „historia MS. Caroli VI. Francorum regis. „Meminit vero author historiæ illius *instrumenti* cujusdam de rebus tunc decretis manu regiorum tabellionum exarati, „ex quo sua desumpsisse testatur. Hoc ipsum instrumentum hic refertur ex Martene, cui addimus datas tunc legatis ad „pontificem destinatis jussiones a rege; quas „jussiones ex iis deductas constat, quæ in „concilio isto stabilita sunt. Omnia vero „habet Martene Vet. Mon. to. VII. pag. „437. & 438.

INSTRUMENTUM

Per quod dominus noster papa misit erga dominum nostrum regem episcopum Avinionensem & dominum Petrum Blavi ambassiatores suos, ut dictus dominus noster rex suos solemnes ad præfatum dominum nostrum papam mitteret ambassiatores.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod cum SS. in Christo pater & dominus noster, dominus Benedictus divina C providentia papa tredecimus, pontificatus sui anno primo, videlicet paulo post assumptionem suam ad summi pontificatus apicem, misisset, ut dicebatur, ambassiatores suos, nuncios speciales, scilicet reverendum in Christo patrem dominum episcopum Avinionensem, & dominum Petrum Blavi legum doctorem, ejusdem domini nostri papæ referendarios, ad serenissimum principem & dominum nostrum dominum Carolum Dei gratia Francorum regem; qui quidem ambassiatores seu nuncii ex parte ipsius domini nostri papæ requisierunt, ut dicitur, præfatum dominum nostrum regem, quatenus ipse vellet mittere suos solemnes nuncios ad eundem dominum nostrum papam, ad D finem, quod cum ipsius domini nostri regis bono consilio via inveniri, per quam cito posset in ecclesia pax & unio haberi, & schisma incessanter dolendum, quod jam per sexdecim annos & ultra duravit, sedari penitus & aboleri valeret; præfatusque dominus noster rex super hoc matura deliberatione præhabita, mandasset seu scripsisset archiepiscopis, episcopis, aliisque pluribus prælatis & personis aliis ecclesiasticis, magistris in theologia, doctoribus utriusque juris, litteratis, expertis & notabilibus sui regni, ut in festo Purificationis B. M. V. nuper præterito ad ipsum Parisius interessent, & cum ipsis negotio mature digesto, E posset suos ambassiatores instructos, prout negotii qualitas exigebat, ad eundem dominum nostrum summum pontificem destinare. Postmodumque idem dominus noster rex hujusmodi domini nostri pontificis laudabile propositum in mente revolvens, & illud ad effectum, ut citius fieri posset, & non sine magnis & sanctis deliberationibus & con-

& considerationibus deducere ferventer affectans, ordinaverit, quod prælati & plures alii tam de suo consilio, quam alii viri licentiati, valentes, famati, & scientifici Parisius existentes pendente termino seu die, ad quem alii erant mandati, congregarentur in palatio suo regio Parisius, ad conferendum super hujusmodi facto seu negotio diligenter, & quod spectabilis vir Arnaldus de Corbeya miles cancellarius suus Franciæ, & certi alii notabiles viri de consilio suo, quoties commode possent, ibidem interessent: ipsique prælati & alii plures, & quandoque dicto domino cancellario, & certis aliis de consilio ipsius domini nostri regis, ac nobis notariis publicis infra scriptis præsentibus, fuerunt congregati super hujusmodi materia, seu negotio conferendo, deliberando, & adjuvando, prout cuilibet melius & sanctius videbatur; nec non subsequenter die dicti festi purificationis & diebus subsequentibus usque ad præsentem diem decimam octavam mensis Februarii, in dictorum dominorum prælatorum & aliarum personarum in hujusmodi congregatione præsentium, quæ semper facta fuit in dicto palatio domini regis Parisius in camera sua viridi, fuerunt sicut de die in diem successive veniebant,

Reverendissimi patres & domini, domini patriarchæ Alexandrinus, Carcassonæ, & Jerosolymitanus, S. Pontii Thomeriarum ecclesiarum perpetui administratores.

Archiepiscopi

Lugdunensis.
Senonensis.
Remensis.
Rothomagensis.
Bituricensis.
Et Bisuntinus.

Dicti archiepiscopi Lugdunensis episcopi.

Eduensis.
Matisconensis.
Lingonensis.
Cabilonensis.

Dicti Senonensis archiepiscopi episcopi.

Parisiensis.
Carnotensis.
Aurelianensis.
Autissiodorensis.
Trecensis.
Meldensis.

Dicti archiepiscopi Remensis episcopi.

Cathalaunensis.
Tornacensis.
Morinensis.
Attrebatensis.
Noviomensis.
Laudunensis.
Suessionensis.

A *Dicti archiepiscopi Rotomagensis episcopi.*

Bajocensis.
Abrincensis.
Ebroicensis.
Lexoviensis.
Constantiensis.

Archiepiscopi Turonensis episcopi.

Cenomanensis.
Andegavensis.
Redonensis.
Nannetensis.
Mimatensis.
Aniciensis.

B *Archiepiscopi Bituricensis suffraganei. De provincia Burdegalensi.*

Pictavensis.
Malleacensis.
Lucionensis.
Condomiensis.
Petragoricensis.
Xantonensis.

De provincia Auxitana.

Aquensis.
Lectorensis.
C Conseranus.

De provincia Narbonensi.

Magalonensis.
Nemausensis.
Uticensis.

De provincia Tholosana.

Apamiensis.
Rivensis.

De provincia Viennensi.

D Valentinensis.
Gratianopolitanus.
Et Bethleem episcopi.

Nec non abbates.

Cisterciensis.
S. Dionysii.
S. Remigii.
S. Benigni Divionensis.
Montis S. Michaelis.
Resbacensis.
Fiscanensis.
De Lyra.
S. Victoris prope Parisios.
E S. Georgii prope Rothomagum.
Jumetensis.
S. Eligii Noviomensis, abbates.
Ac prior S. Martini de Campis.
Rothomagensis.
Andegavensis.
Remensis.
Et capellæ Divionensis decanus.
Magister Petrus *Dailly*.
Guillelmus de Gardino.

Ægi-

Ægidius de Campis.
Petrus *Plaoust*.
Johannes Brevis coxæ.
Fratres Michael *Piquier*, & quidam alter de ordine Minorum.
Johannes de Huffaria prior Augustinensium Parisiensium.
Petrus de Cornuo prior B. Mariæ de Carmelo Parisiensis.
Dominicus Herbolii de Aragonia dicti ordinis B. Mariæ, in sacra pagina & decretorum magistri & doctores.
Nec non magistri Radulfus de *Karadoc*.
Johannes de Matiscone.
Geraldus *Bagoul*.
Geraldus de Castro Morono & ejus socius, & Petrus Januti de studiis Aurelianensi, Tholosano, & Andegavensi, decretorum & legum doctores solemnes.
Jacobus *Cosson*.
Guillelmus de Cauteriis.
Robertus de Donis in curia parlamenti consiliarii regii.
Andreas Grangerii.
Johannes de *Melly*.
Radulfus de Ulmonte etiam in curia parlamenti causarum patroni.
Magistri Robertus de Freta.
Amelius de Brolio auditores sacri palatii apostolici.
Et Guillelmus Bonnaterii, licentiatus in legibus, socius domini episcopi Aniciensis.
Prior Carthusiensium Parisiensium.
Prior Cælestinorum Parisiensium.
Necnon Johannes Capitis Bituricensis.
Johannes Plaonis Agathensis.
Prior Prioratuum S. Columbæ de Savardino & de Volvento Castrens.
Guillelmus Muneti Abrincensis.
Jacobus de Mansaugia *Chido* Ambianensis.
Quidam alius Mimatensis; episcoporum vicarii & nuncii officialis Lugdunensis.

Bertrandus Geneste archidiaconus Constantiensis, & quidam religiosus Almannus de ordine Minorum, magistri viri litterati & D juris periti... & nostrum notariorum prædictorum, præstito ante omnia a singulis prænominatorum juramento de dando fidele consil. in hac materia dicto domino nostro regi, secundum eorum conscientias & discretiones, antequam fuerint requisita singulorum vota, fueritque materia repetitis vicibus solemniter discussa, & post hujusmodi discussionem opiniones petitæ, & per unumquemque, paucis exceptis, certa die, immo certis diebus, secundum quod materia ipsa repetebatur, sua opinio dicta fuisset. Hinc est quod in nostrum notariorum prædictorum præsentia, præfatis dominis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis perso- E nis supradictis, in camera viridi prædicta congregatis, & super materia seu negotio hujusmodi suam opinionem dicentibus, quia pro majori parte domini prædicti adhærebant opinioni unius dictorum dominorum, quæ erat in scriptis, & quædam alia opinio quæ per quemdam alium dominum tangebatur etiam in scriptis, fuit dictum quod ambæ opiniones sic in scriptis redactæ, alta voce & intel-

A ligibili legerentur; quibus lectis & intellectis, præfatus reverendissimus in Christo pater dominus patriarcha Alexandrinus ibidem præsidens requisivit omnes assistentes, quatenus ipsi per juramenta sua jam præstita, Deum solum habendo præ oculis, dicerent in hac parte quod conscientia sibi dictaret. Quo audito, ipsisque dominis sedentibus, & propter hoc congregatis & interrogatis super præmissis singulariter & sigillatim, fuerunt octoginta septem ex ipsis, qui unanimiter tenuerunt opinionem contentam in cedula super hoc tradita, cujus opinionis articulus, omissis causa brevitatis aliis in ipsa cedula contentis sequitur in hæc verba: concludendo & eligendo per modum opinionis & con- B silii solum, attenta deliberatione religiosorum ordinis Cartusiensis & Cælestinorum & universitatis Parisiensis, & quod necesse est ecclesiæ sanctæ Dei sub periculo desolationis ejusdem, istud detestandum schisma brevius quam fieri poterit extirpari, & ecclesiam uniri, nec viæ prætactæ aut aliæ quæ per scribentem imaginari valeant, sint sufficientes ad veram unionem, pacem firmam & concordiam animarum, præter viam cessionis utriusque partis, istam viam satis communem, quasi Sancti Spiritus eligit & regi consulit per nuncios solemnes domini regis domino Benedicto consulendam, ipsum & ejus collegium ad hanc omnibus bonis modis C cum honore & reverentia decentibus, exhortando, exponendo tamen domino nostro primitus alias vias prætactas causas, propter quas non approbantur de præsenti, & causas propter quas cessio utriusque videtur eligenda. Incasu vero quo sic dominus noster rex cum dominis de genere suo, & aliis de consilio suo sic deliberaverit, modus significandi & prosequendi posset esse talis, videlicet quod in consistorio publice nuncii regis regratiarentur domino nostro & cardinalibus de bonis intentionibus suis, et nunciis solemnibus per papam missis domino regi; significarentur etiam in genere bonam intentionem domini regis, diligen- D tiam per ipsum habitam circa materiam, convocando suos prælatos & alios notabiles viros, quorum & universitatis Parisiensis habuit consilium, & quod nuncii regis missi sunt ad papam, ad sciendum ipsius intentionem & viam per ipsum deliberatam, prout ipse se dicturum per suos nuncios regi significavit. Demum ad partem & secrete nuncii regis loqui poterunt cum domino nostro, relinquentes ejus arbitrio, si primo voluerit eis viam per ipsum deliberatam aperire, vel audire viam ex parte regis consulendam, & quicumque primus viam aperiat, si sunt concordes in nomine Domini. Si vero clare pateat nuncii regis, vel quod eligere vel- E let viam compromissi, seu concilii generalis, istas vias impugnent, secundum suas instructiones, per media prætacta & alia satis communia; sed si via per papam exponenda foret alias de tribus prætactis concilii, compromissi vel cessionis, revocaretur in dubium, an esset melior vel æque bona, quod est incredibile seu multum difficile. Tunc super hoc rex esset consulendus, & ejus beneplacitum expectandum. Præterea si do-

dominus noster elegerit viam concilii vel compromissi, aut unam aliam viam quam cessionis, quæ non videtur ita fructuosa, sicut renuntiatio, post discussionem materiæ & inductionem aliquorum dominorum cardinalium, qui plus ad factum aspiciuntur, exponerent nuncii regis domino nostro Benedicto semper cum reverentia & honore, quod ex quo melior & brevior via quam cessionis non referretur regi, crederent quod rex viam sibi consultam per omnes vias & modos rationabiles & honestos sibi consultos & consulendos, usque ad effectum finalem penes reges & principes & subditos utriusque partis prosequeretur, si melior & brevior reperiri non posset.

Item, fuerunt viginti duo, qui in toto tenore dictæ cedulæ non bene concordabant cum præfatis octoginta septem, quorum unus tradidit unæ cedulam manu sua scriptam: qua lecta, eidem cedulæ decem & novem ex ipsis viginti duobus potius quam primæ suprascriptæ adhærebant. Duo vero alii ex ipsis viginti duobus, ambo episcopi, dixerunt expresse, quod dictæ secundæ nullatenus adhærebant, cujus cedulæ tenor sequitur.

(a) Hanc cedulam per manus episcopi Xantonensis traditam in consilio alibi legimus in eodem MS. *Martene*.

(*a*) Ad principale quæsitum, quo quæritur quid regi, principi & domino nostro consulo per eum domino nostro papæ consulendum pro breviori, honestiori, & faciliori modo unionis habendæ in universa Dei ecclesia, Deus cujus causa agitur, judicet scribentem; si aliter loquatur quam credit, & sentiat, negotio de quo agitur profuturum. Est igitur iste modus secundum eum, qui in pauco, aut nullo differt a modo aliorum saltem effectualiter. Sed quia ducendi sunt non trahendi, a quorum voluntate principaliter hoc dependet, est eis mos gerendus, præsertim cum nihil de specialibus obmittitur. Mittantur ergo solemnes ambaxiatores ex parte regis domino nostro, & si sit possibile, domini patrui, aut alter ex eis, quoniam illis fas erit magis negotium accelerare, & illis verisimiliter dominus noster se effusius aperiet, & cum illi sint viri litterati & timentes Deum, habentesque rectum zelum causæ hujus, qui secum deferant, tacitis nominibus opinantium, effectualiter quæcunque hic gesta; fiatque in consistorio publico propositio stans in general. terminis regratiatoria, exhortatoria & oblatoria auxilii & favoris, postmodumque ad partem coram illis, de quibus domino nostro placuerit, petatur ab eo apertio viæ seu viarum, quas in hac materia dominus noster, ut asseritur, dicit se habere: quibus per eum apertis, si conveniat in via grata ambaxiatoribus regis secundum instructiones illis datas, benedictus Deus, tunc ad executionem illius, absque hoc, quod per hæc verba ultra hic redire oporteat, incipiat manum apponere juxta ea, in quibus ibidem invicem concordabunt. Sin autem, quod non opiner, viam dominus non aperiret, vel saltem non factibilem aut nimis longam, vel aliter cum regiis ambaxiatoribus & litteris per eos portatis non conveniret, tunc aperirent domino nostro omnia hic tacta, & vias exprimendo, quæ via habet plures sequaces, contando omnes vias in mundo, totum sine expressione personarum; & convenientia cujuslibet viæ, & inconvenientia etiam exprimendo in quo resedit universitas, & in quo major pars hujus concilii. Et si dominus noster reduceretur cum ambaxiatoribus, bene quidem, aliter tunc per D. card. quæ tanguntur, & alios de quibus videretur, honestiori tamen & secretiori modo quo esset possibile, & in terminis concilii, seclusa omni etiam artasione causativa sibi tangi facerent, etiamsi opus esset, addendo quod dominus noster ad viam brevem & factibilem se disponeret, quia rex erat propositi non ultra in hoc dissidio schismatis remanere; & si tunc non haberetur optatus finis, de cujus contrario credo esse certus, redirent ambassiatores ad regem, qui per convocationem secundam concilii, vel alias, ut materia exigit, provideret. Hoc tamen non admitto, quod si dominus noster offerret viam factibilem & bonam, licet non illam de qua essent ambassiatores per regem onerati, quod antequam redirent, hoc nunciarent regi & ejus expectarent responsum, an videretur, an via per dominum nostrum aperta, licet esset alia, regi esset accepta, qui in via rationabili decenter dominum nostrum papam præsertim in hac materia sequi deberet.

Quibus sic actis, prædicta die decima octava Februarii, præfati domini prælati & personæ accesserunt ad præsentiam prædicti domini nostri regis, in domo sua S. Pauli Parisius existentis, in camera parlamenti bassa, ubi ipso domino nostro rege sedendo in solio suo regio, assistentibus sibi dominis ducibus Bituricensi & Burgundiæ patruis, Aurelianensi germano Barbonii avunculo, comite Augi constabulario, dicto *Baucicaut* marescallo, domino Johanne de Vienna admiraldo, Guichardo Dalphini magistro balistariorum, multisque comitibus, baronibus, militibus, cambellanis & personis aliis de consilio dicti domini regis, præfatus dominus, dominus Patriarcha Alexandrinus in præsentia omnium prædictorum alte & intelligibiliter retulit regi omnia supradicta. Qua relatione sic facta, ante & post ac pluries prædictus dominus patriarcha de omnibus prædictis, dum modo prædicto fierent & dicerentur, petiit a nobis notariis prædictis fieri publicum instrumentum unum vel plura, ad opus ipsius & omnium quorum interest vel interesse poterit in futurum, & etiam præfatus dominus noster rex petiit sibi fieri de hujusmodi relatione publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc Parisius, anno, diebus, locis, & præsentibus quibus supra.

Et ego Johannes de Bordis in utroque jure Baccalaureus archidiaconus Parisiensis, publicus auctoritate apostolica notarius, congregationibus, discussionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dictum dominum patriarcham Alexandriæ dicto domino nostro regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præsenti instrumento suprascripto continetur, præsens fui, exinde ipsum instrumentum aliena manu scriptum signo meo manuali signavi, & in eo me subscripsi, & hic rogatus & requisitus in testimonium præmissorum. *Bordes*.

Et

Anno Christi 1395.

Et ego Gunterus Colli domini nostri regis secretarius, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, congregationibus, discussionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dominum patriarcham Alexandrinum dicto domino regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præsenti instrumento suprascripto continetur, fui præsens, & ob hoc ipsum instrumentum alia manu scriptum signo meo secretariatus manu mea signavi, & me subscripsi hic super hoc requisitus & rogatus in testimonium præmissorum. *Gontier*.

INSTRUCTION BAILLEE PAR LE ROY NOTRE

Scire à messeigneurs les ducs de Berry, de Bourgogne, & d'Orleans, & autres ses conseillers & serviteurs, lesquelx il envoye presentement devers notre saint Pere pour le fait de la paix & union de l'eglise universelle.

x Mast. et. Mon. VII. p. 17. x MS. Bi. regiæ.

PRemierement sera recitè que le schisme de l'erreur qui est en l'eglise a moult longuement durè par l'espace d'environ dix-sept ans, & que moult de grands perils des ames, maux & inconveniens en grant leison de nostre foy chrestienne s'en sont ensuis, & se pourroient ensuis, si nostre mere sainte eglise n'estoit ramenee à vraye union.

II.

Item, que notre saint pere le pape Clement du tempus du roy Charles, que Dieu pardoint, & depuis à envoyè plusieurs fois ses messagers solemnels devant luy, & aussy devers le roy nostre sire qui est à present, en leur priant, que eux voulissent mettre en peine, & travailler à oster le schisme, e mettre sainte eglise en paix; & que eux y ont grandement labourrè par devers les autres rois, princes, & seigneurs de la chrestientè, neantmoins dure encore ce schisme, et est moult enracinè; & que plus dureroit ou temps à venir, de tant plus seroit il difficile à appaisier, & si bievrement remede n'y etoit mis, il seroit grand peril, qu'il fut perpetuel que Dieu ne vueille, ainsy que est la division de l'eglise Grecque & de l'eglise Latine.

III.

Item, que le roy a tousiour respondu & fait respondre aux messages, qui sont devenus par devers luy de par nostre saint pere Clement, & de par nostre saint pere qui est à present, comme il est en veritè, que c'est le fait du monde qu'il a plus à coeur, que de mettre paix & union en sainte eglise, en suivant les voyes de ses predecesseurs, & qu'il y veut exposer sa personne, les seigneurs de son lignage, sa chevance, & y faire tout ce qu'il pourra.

IV.

Item, que il est asses tost apres la creation de nostre saint pere Benoist, il envoya devers le roy ses messages solemnels, monsieur l'evesque d'Avignon, son mareschal, & messire Pierre Blau, qui dirent au roy entre les autres choses, que nostredit saint pere avoit acceptè cet estat & son election, principalement pourtant faire en son temps, au plaisir de Dieu, que le schisme cessat, & que l'eglise fut en paix, & qu'il estoit tout pret sans aucun delay d'entendre à l'union de l'eglise par toutes voyes possibles & honestes, qui seroient avisèes, & qu'il avoit toute sa fiance au roy & à nosseigneurs ses onces & freres, plus qu'en autres princes de la chrestientè; & supplioit au roy, qu'il luy pleust envoyer ses messages solemnels par devers luy, & par eux luy faire scavoir son intention sur cette matiere, & qu'ils fussent de telle auctoritè, & si prouchain de lui, & tellement instruits, que quand ils seroient par dela, notre saint pere par le bon avis & deliberation d'eux & des seigneurs cardinaux du college pust conclure en cette matiere, sans qu'il fallust les messages retourner par devers le roy.

V.

Item, que asses tost apres le roy en sa presence fist respondre ausdits messages, qu'il se vouloit exposer & travailler en ce fait, comme dessus est dit, & qu'il envoyroit volontier ses messages pardevers nostre dit saint pere pour la maniere qu il avoit requis, & que quand monsieur de Bourgogne son oncle és marches de Bretagne seroit retourné, il auroit avis quiex messagers il envoyroit devers le pape, & aussi sur ce qu'il les chargeroit pour lui dire.

VI.

Item, que pourceque cette matiere est la plus grande qui pust estre, & que le roy & nosdits seigneurs l'ont tant à cuer que plus ne peuvent, & que sur ce le roy vouloit avoir & bon & grand conseil, & a mandè les prelats de son royaume, plusieurs abbez, prieurs, maistres en theologie, doceurs, deputez des etudes de Paris, d'Orleans, d'Angers, & de Toulouse, & plusieurs religieux des ordres de Chartreux, des Celestins, des Mandians, & autres sages hommes, et aussi a voulu avoir la deliberation de l'université de Paris, et ainsy la fait sçavoir à nostre sant pere.

VII.

Item, qui environ la journée assignée aux prelats peur venir devers le roy, qui fust à la Chandeleur, nostre saint pere envoya derechef ses messages pardevers le roy, les dessusdits evesque d'Avignon, et Messire Perre Blau, et l'evesque de Tirason, lesquiex ont encore supplié moult instamment au roy qu'il luy plust avancer l'allée de ses messages pardevers le pape; et outre que le pape pour la sedation du schisme avit avisé une bonne voye et brieve, qui

ANNO CHRISTI 1395.

qui feroit plaisante au roy, et à tout le monde, et laquelle il diroit aut messages du roy, quand is feroient pardevant luy, et non à autres personnes.

VIII.

Item, que ces assemblées et consultations qui ont esté faites du commandement du roy, tant par les prelats et autres, qui ont esté avec eux, comme dist est, et aussi quant au fait principal par l'université de Paris, aussy comme le roy sceut par le rapport que luy a esté fait, plusierus voyes ont este touchées et ouvertes par maniere d'avis & d'opinion tant seulement, non pas par maniere de determination, mais pour donner conseil au roy, a ce que le roy peust chargier ses messages pour faire exposer par eux son intention et advis au pape, ainsy qu'il l'a requis.

IX.

Tous ont deliberé, que pour avoir la grace du saint Esprit en la protestation et bonne conclusion de ce fait, est necessité d'avoir recours à Dieu par devotes oraisons, messages, predications, processions, aumosnes, et autres oeuvres precises, * combien qu'il ne suffise pas. Mais avec ce faut proceder à querir et elire la plus convenable et plus brieve voye pour mettre paix en sainte eglise.

* f. pieuses ou precieuses.

Prima via facti.

X.

Entre les voyes qui ont esté ouvertes a esté touchié de la voye de fait, c'est à sçavoir que l'intrus, ses anticardinaux, et tous ceux qui tiennent sa partie et son obeissance fussent contraints par la puissance du roy à venir à la verité, et à l'obeissance de notredit saint pere pape Benoist, lequel le roy, les seigneurs, le clergé, et le peuple de son royaume tiennent fermement et sans doute estre vray pape et vicaire de notre Sauveur JESUS CHRIST, et que és temps passez plusieurs des roys predecesseurs du roy nostre sire ont bouté hors du saint siege de Rome les intrus, et remis le vray pape en son siege, et contraint par une voye de fait les rebelles luy obeir, que ce seroit l'honneur du roy de le faire par cette maniere.

XI.

Responsio viæ facti.

Neantmoins il semble aux dessus dits, que cette voye n'est point à conseiller au roy, à nostre saint pere; car elle seroit tres perilleuse, et avec les guerres que le roy a de present, il prendroit guerre à toutes les autres nations, qui sont de l'obeissance de l'intrus. Pourquoi d'incoveniens se pourroient ensuir, que c'est sans nombre, et si pourroit aucun pour nos pechez par la puissance de nostre Seigneur, et pour nous punir, que nostre saint pere, qui a bonne et vraye justice, succomberoit, et que l'intrus obtiendroit; & supposé que par la voye de fait et de guerre l'intrus et tous ses anticardinaux fussent morts ou pris, & que nostre saint peré Benoist fust par le roy mis en son siege a Rome, ne seroit pas pour ce le schisme osté, ny l'eglise en union. Car ja pour ce les nations d'Allemagne, d'Angleterre & d'Italie d'Hongrie & autres, ne croiroient ja en nostre saint pere Benoist: mais diroient que a tort, par force & contre raison occuperoit l'eglise, & seroit le schisme plus fort qu'il n'est de present, & n'est pas pareil le schisme qui est en l'eglise aux schismes qui ont esté du temps passé. Car lors il etoit clair & evident, que l'un etoit intrus, combien qu'il fut soutenu de fait par aucun seigneur; mais à present combien que la partie de l'intrus soit fausse, toutesfois est-elle grandement colorée & fondée sur diverses ecritures & raisons, & soutenue par plus grand nombre de clercs notables, qu'il n'en a en l'obeissance de nostre saint pere Benoist; & si est certain que au commencement du schisme les deux clercs furent eleus par tout le college des cardinaux, ce qui n'est pas escrit.

XII.

Secunda via est reductionis.

Une autre voye qui a esté touschiée esdittes assemblées, est de reduction, c'est à sçavoir, que par bonnes exhortations & demonstrations de la justice de nostre saint pere Benoist, par messages & escritures, les roys, princes & seigneurs, le clergé & le peuple de l'obeissance de l'intrus fussent ramenés à la verité & obeissance de nostre saint pere Benoist, laquelle voye fut commence au temps de nostre saint pere Clement, par laquelle plusieurs roys & royaumes vindrent à son obeissance, comme ce royaume, les roys de Castille, d'Aragon, de Navare, d'Ecosse, & leurs sujets, & sembleroit que si le roy procedoit encore & y perseveroit, qu'il y pourroit bien profiter.

XIII.

Repulsio ejusdem.

Cette voye ne semble pas possible, ny à conseiller au pape, pour ce que le schisme est trop fort enraciné, & a duré trop longuement, & que durant icelui les intrus de Rome ont pourveu de fait tous les prelats, presque tous & autres gens d'eglise, qui tiennent obeissance de l'intrus, & sont aussi fort obstinez les roys, princes, prelats, les clercs & laïs de son obeissance, & leur erreur, comme les roys & autres seigneurs, les clercs & les laïs de l'obeissance de nostre saint pere Benoist, sont fermes & constans en sa bonne justice, & qui plus est à present les nations estranges, Anglois, Allemands & autres sont tellement obstinez, que eux ne voudroient point ouïr la verité de

de noſtredit ſaint pere par meſſages, ny par lettres, auſſi peu comme le roy & ceux qui tiennent la verité de noſtredit ſaint pere Benoiſt voudroient oüir l'iniquité.

XIV.

Et outre ſuppoſé que l'intrus de Rome & tous ſes anticardinaux par exhortations ou autrement ſe declaraſſent à l'obeiſſance de noſtredit ſaint pere Benoiſt, qui n'eſt pas à croire que jamais ſe puſt faire, ja pour ce les nations deſſus nommées d'Allemans, d'Anglois & autres n'obeiront à noſtre ſaint pere Benoiſt, mais feroient par elections de leurs prelats un nouvel intrus, comme ſi noſtredit ſaint pere Benoiſt & tous ſes cardinaux ſe declaroient à l'obeiſſance de l'intrus de Rome, ja pour ce les roys, les princes, les prélats & le peuple de ſon obeiſſance ne croiroient audit intrus, ni ne lui obeiroient.

XV.

Tres viæ contentæ in epiſtola univerſitatis Pariſienſis.

Item, és aſſemblés qui ont eſté faites dernierement ſur cette matiere, ont eſté reptiſes, les trois voyes autrefois ouvertes par l'univerſité de Paris, contenant en une epiſtre, qui par elle fut baillée au roy depuis la ſaint Jean dernierement paſſée, de concile general, de compromis, et de ceſſion.

XVI.

Via concilii generalis.

Quant à la voye de concile general, il ſembleroit que ce fut la plus raiſonnable de droit, car és faits concernans la foy ou l'eſtat de l'univerſelle egliſe, comme eſt le ſchiſme, le pape eſt ſujet au concile, & en peut le concile juger & determiner. Si le jugement étoit donné par le concile general, chacun y obeiroit, & ſi eſt à croire que la ſentence ſeroit juſte & raiſonnable, & que Dieu ne ſouffriroit qu'en ce fait qui touche la foy, le concile general erraſt; & ſuppoſé qu'il erraſt, chacun en ſeroit excusé en ſa conſcience, en obeiſſant en la ſentence, & dient aucunes ecritures anciennes que autrefois a ainſy eſté fait.

XVII.

Reprobatio quo ad præſens propter prolixitatem.

Cette voye quant à preſent ne ſemble point à conſeiller pour pluſieurs raiſons, l'une que pour la diviſion de l'egliſe, ou concile n'y aroit point de chef, ou il y en aroit deux pour les deux obeiſſances, l'un noſtre ſaint pere Benoiſt, & l'autre intrus, qui ſeroient contraires enſemble, & ſi l'en vouloit aſſembler les prelats & clercs notables de la chreſtienté, ce ſeroit trop difficile de les aſſembler, & ſi ſont ceux de la partie de l'intrus en plus grand nombre la moitié, ou les deux parts, & ſi faudroit appeller & ouir les deux parties en leur fait & raiſons, ceux qui tiennent la uraye obeiſſance de noſtredit ſaint pere ſoutiendroient ſa juſtice, ceux de l'obeiſſance de l'intrus ſoutiendroient la ſienne; & dient aucuns qu'il y auroit des faits contraires, ſi n'y auroit point de fin: & s'il avenoit que ſentence fut donnée, il pourroit avenir qu'elle ſeroit pour l'intrus, ce non obſtant ceux de l'obeiſſance du pape Benoiſt; ou pourroit avenir qu'il ſeroit adjugié, que l'un ny autre n'y aroit point de droit, ſi demouroit l'egliſe en grand erreur & ſans chief, & outre par la ſentence du concile qui ſeroit donnée pour l'un d'eux, il n'auroit pas droit acquis en la dignité de pape, s'il n'y avoit droit paravant, & tousjours pourroient dire ceux qui paravant n'y croyoient pas, qu'ils ne ſeroient point appaiſiez de leur conſciences; & ſi noſtre ſaint pere eliſoit celle voye du concile, l'intrus pourroit dire, qu'il repute tous les prelats, clercs, & autres de l'obeiſſance de noſtredit ſaint pere excommuniez, ſchiſmatiques, privez de tous eſtats, & qu'ils ne devroient avoir voix au concile, & les tiendroit pour ſuſpects; & pareillement pourroit dire noſtre ſaint pere de ceux de l'obeiſſance de l'intrus.

XVIII.

Item, qui eſt fort à noter en toutes les voyes ouvertes en cette matiere. Il eſt à croire qu'il y faudra garder egalité, & l'honneur de chacune des parties, & des roys, princes, & autres ſeigneurs, qui ont tenu l'un & l'autre obeiſſance, & s'il eſtoit determiné par le concile pour l'intrus, il s'enſuivroit que le roy, & tous ceux qui ont tenu l'obeiſſance de noſtre ſaint pere Clement euſſent erré, qui ſeroit grand reproche au roy. Car il n'eſt pas trouvé que aucun de ſes predeceſſeurs erraſt oncques au fait de la foy; & s'il eſtoit ſententié pous pape Benoiſt, les autres nations ſe tiendroient pareillement injuriées, & pour ce n'eſt-il point a croire que jamais le concile en oſaſt ou puſt determiner.

XIX.

Via compromiſſi continens in ſe ceſſionem videtur eligenda, quia mitior quam concilii generalis, & non tam præciſa, quam via ceſſionis.

La voye de compromis, c'eſt à ſcavoir que les deux parties du conſentement de leurs colleges ſe ſoumiſſent en arbitrage ou ordonnance d'aucunes bonnes perſonnes qu'ils eliroient, leſquels euſſent puiſſance de mettre paix en l'egliſe par toutes voyes que ils pourroient adviſer, & par la voye de ceſſion, ſi bon leur ſembloit, & que dés maintenant chacun renoncaſt à ſon droit, s'il eſtoit ordonné par les arbitres, que ainſy deuſt eſtre fait, ſemble de premiere face bien

ANNO CHRISTI 1395.

bien amiable & raisonnable. Car à cette voye les parties devroient estre assez enclines, pour ce qu'elle n'est pas si rigoureuse que la voye du concile general, & n'est pas si dure, ny si precise, comme seroit la voye de renonciation ouvrir de prime face, & si seroit bien brieve si les parties la vouloient consentir.

XX.

Non videtur consulenda propter rationes tactas in reprobatione concilii generalis.

Neantmoins à la partie la plus grande de ceux qui ont esté ensembles, cette voye ne semble pas à conseiller. Car il semble à plusieurs, que la dignité de pape, qui est chose pure spirituelle du vicaire de Jesus-Christ, ayant puissance de lier & absoudre, & qui à la cure des ames de tous chrestiens, ne peut cheoir en compromis ou arbitrage, ne en paction, comme convenances ou obligations quelconques; & si auroit tres grande difficulté à elire les arbitres: chacun eliroit personnes à luy favorables, & ne se pourroient les arbitres accorder; car chacun voudroit soutenir se partie, & s'en ensuivroit les inconveniens dessus touchiez en la voye de concile general. Car il faudroit appeller les parties, ouir leurs faits & raisons, & ne pourroit la sentence des arbitres attribuer droit à celuy qui ne l'auroit paravant. Et si l'une des parties obtenoit sentence des arbitres, les roys, princes & autres de l'obeissance de la partie adverse, ne croiroient point en celuy qui auroit sentence pour soy, & ne luy obeiroient point, pourquoy tousiours tenroient le schisme, & ne seroient point les consciences appaisiées.

XXI.

Ad idem non videtur consulenda, quia ex quo oporteret per compromissum frustra essent arbitri, & sic esset circuitus.

Item, si le compromis enclouoit en soy la voye de cession, qui seroit de necessité, comme dist est, il n'est point à croire que les parties le voulsissent consentir, & si seroit un circuit superflus de faire compromis, puisqu'il faudroit venir à cession, & est à presumer que chacunes des parties, s'il le falloit faire, aimeroit mieux & deliberalment & de sa franche volonté, que par ordonnance des arbitres, & que ce seroit plus grand merite à Dieu, & plus grand honneur au monde. Et disent aucuns, que si en faisant le compromis, chacunes des parties renonçoit à son droit, si les arbitres l'ordonnoient, cette renonciation ne seroit pas valable, & que la renonciation devroit estre simple, pure & absolue, ainsy comme l'acceptation; & aussi la sentence des arbitres ne pourroit estre executée, car elle ne causeroit point d'action fors de la peine, si elle y estoit apposée, & si n'y auroit point de souverain, qui en fit droit ny execution.

XXII.

Ad idem non videtur consulenda, quia orirentur disputationes.

Item, supposé que cette voye de compromis & de cession par condition se pust soustenir, & que les arbitres peussent jugier du droit des parties, ou de la cession, toutesfois plusieurs le pourroient ramener en doute, mesmement ceux de la partie de l'intrus, & semble pour le bien de la paix & d'union, que l'on ne doit point conseiller par quelconque voye la discussion du droit des parties, qui seroit impossible, ny voye quelconque qui chiet en doute ou disputations; mais doit estre conseillée la voye plus claire, plus brieve, plus egale, tant d'un costé comme d'autre, & par laquelle les cuers & les consciences soient du tout appaisiées.

XXIII.

Per omnia referent papæ, quæ facta & dicta fuerint.

Aucuns ont touchié que sans conseiller par maniere ou d'opinion aucune voye particuliere, toutes les voyes qui ont esté ouvertes en ces assemblées, les raisons pour les fonder, & les doutes au contraire, fussent rapportées à nostre saint pere, afin qu'il eust bon avis & consideration sur tout avec nos seigneurs les cardinaux, & que l'on s'en rapportast à sa discretion, qu'il eust la meilleure des voyes qui auroient esté ouvertes, ou autre meilleure, si elle avoit esté avisée, & que ce seroit plus garder son honneur, qui doit bien estre gardé en cette maniere, & qu'il en seroit plus enclin à condescendre à toute bonne voye, & que l'on ne pourroit plus dire, qu'il ait este reduit à elire aucune voye particuliere, mais l'auroit esleu de son mouvement mesmement: car, comme dit est, les derniers messages du pape ont dit au roy, que le pape advisé un tres bonne voye, qu'il dira aux messages du roy, quand ils seront pardevers luy.

XXIV.

Ce non obstant, il a semblé que ceux qui ont esté mandez par le roy pour cette cause, & qui ont fait serment de le loyaument conseiller, luy doient conseiller la voye qui leur semble la meilleure, la plus brieve, la plus appuissante, & que autrement eux ne se acquitteroient pas bien envers luy, ne le roy envers le pape & l'eglise mesmement. Car de toutes les voyes qui ont esté touchées, il n'y en a aucune, qui leur semble convenable quant a present à la plus grande partie de trop loing de ceux qui ont esté ensemble, fors celle qui cy aprés sera declarée, si seroit contre leur conscience de conseiller au roy les autres

ANNO CHRISTI 1395.

tres pour les faire monftrer au pape en general, fi un ne luy difoit toute la verité du confeil; c'eft à fçavoir qu'elles ont bien efté ouvertes, mais elles ne femblent pas fouffifantes, & les caufes pourquoy. Et outre, le roy pour neant auroit mandé fes prelats, fe il ne fçavoit leurs advis de la meilleure voye, mefmement que il y a plus de demy an que par l'epitre deffus ditte baillée par l'univerfité de Paris, les voyes ont efté ouvertes, & les raifons fervans à icelles; laquelle epitre eft toute notoire. Et avec ce fi le pape demandoit aux meffages du roy laquelle de toutes les voyes fembleroit au roy la meilleure, & ils n'en difoient l'advis du roy, le pape pourroit differer jufqu'à temps qu'il euft fçeu fur le certain l'intention du roy, & conviendroit retourner ou renvoyer devers le roy, qui feroit grand delay, en grand dommage de la befoigne, qui requiert celerité, mefmement pour eviter le peril des ames & des confciences, qui eft fi miferable, que de damnation, fi Dieu n'y pourvoit.

XXV.

Quod non eft verifimile, quod papa fciat aliam viam ceffionis æque bonam & brevem.

Et ne doit mouvoir ce que le pape doit une bonne, &c. car s'il la dit meilleure que celle qui eft confeillée au roy, qui n'eft pas bien à croire Benoift, & s'il ne la dit meilleure, les meffages du roy doivent eftre inftruits fur le certain de la voye qui femble au roy la meilleure, afin que la conclufion y foit prife par delà par l'ordonnance de noftre faint pere; tellement qu'il ne faille point retourner pardevers le roix, qui eft ce que noftre faint pere a fait-equerir, fi n'eft au cas qui cy aprés fera declare.

XXVI.

Quod confulendum fit papæ, quod eligat viam ceffionis, tamquam meliorem & breviorem, &c.

Item, que aprés que toutes les voyes que ceux, qui ont efté affemblez par plufieurs journées pour cette matiere ont pû advifer, ont efté grandement ouvertes & debattues, confideré que ce doulereux fchifme a trop dure, & qu'il eft chofe neceffaire à l'eglife, que brievement il prenne fin, autrement il feroit taillé d'eftre perpetuel; ils ont efte d'opinion plus des trois parts de confeiller au roy, qu'il confeille & exhorte noftredit faint pere par les meffagers qui feront envoyez devers luy, eflire la voye de renonciation, pourveu que l'intrus de de Rome pareillement renonce, & non autrement, & que aucune autre voye ne leur femble fouffifante pour plufieurs raifons.

XXVII.

La premiere: car de toutes les autres voyes qui ont efté touchées s'enfuivroient grands inconveniens, & ne feroit pas le fchifme appaifié, ne fainte eglife en paix, comme deffus eft dit; & par la voye de renonciation ceffent tous inconveniens, & s'en peut brievement enfuir la vray paix de l'eglife, l'appaifement des coeurs & des confciences, egalité gardée, & tous efclandex oftez; à cette voye fe defcendent continuellement, comment meu du S. Efprit, ceux qui longuement y ont penfe, comme l'univerfité de Paris, les religieux deffusditis & autres perfonnes devotes, les clercs, theologiens & decretiftes.

XXVIII.

La feconde, car aucuns qui fentent de l'intention de l'intrus & de fes anticardinaux, & auffi des rois & princes de fon obéiffance, difent qu'ils font enclins à la voye de renonciation de chacune des parties, & non à autre, & ne doivent point douter ni differer les parties à renoncer chacun à fon droit pour la paix de fainte églife, qui autrement ne fe peut faire, mais y font tenus; car le bon pafteur doit expofer fon ame & fa vie pour la paix & confervation de fes fujets, defquiex il a le gouvernement, & doit plus vouloir renoncer à fon eftat, que fouffrir la defolation de fa dignite pour efchiver l'efclandre de la Chreftienté, qui autrement ne peut étré appaifié. Et fi comme les prelats fujets de notre faint pere font tenus de droit renoncer à leurs prelatures pour efchiver l'efclande de leur pueple, par plus forte raifon tant noftredit faint pere comme l'intrus, font tenus de renoncier à leurs eftats pour la vraye union de la Chreftienté, & celle voye doivent confeiller tous les fujets de l'une obeïffance & de l'autre. Car eux doivent avoir plus de regard à la réintegration & confervation de la dignité du pape, & à l'honneur de fainte églife, que à l'honneur ou eftat de l'une partie ni de l'autre, comme perfonnes prives, attendu que les fujets ne font tenus à la perfonne du pape, fors que pour raifon de fa dignité.

XXIX.

La tierce, fi eft que l'on dit affez communement, que vivant notre faint pere Clement, noftre faint pere qui eft à prefent, lors cardinal de la Lune, etoit de cette opinion, & que apres fon retours de la legation qu'il fit en France, il le dit à noftredit faint pere en la prefence des cardinaux, qu'il n'y avoit point d'autre voye fouffifante, que la ceffion; depuis le trefpas de noftredit faint pere Clement, quand nos feigneurs les cardinaux furent affemblez ou conclave pour faire leur election, chacun d'eux promit jura, fi comme l'on dit communement, que s'il avenoit qu'il fût elû, il metroit peine a la paix et union de l'eglife par toutes voyes qui fur ce lui feroient confeillees, jufqu'à renonciation inclufe. Et depuis que noftredit faint pere fuft elû, il l'a auffi dit à plufieurs perfonnes, et l'a efcrit à plufieurs de fes amis tant en

ANNO CHRISTI 1395.

en France comme ailleurs, et dient aucuns qui sont venus d'Avignon de nouvel, qu'il a preschie publiquement, et qu'il perseve-re en ce saint propos sans variation aucu-ne, en demontrant sa prudomie, et que ce qu'il disoit etant cardinal, procedoit de vraye entention.

XXX.

La quarte, que combien que les assem-blees dessusdites aucuns en bien petit nom-bre ayent fait doute de conseiller simple-ment la voye de renonciation, & ayent tou-chie de faire ouvrir à nostre saint pere tou-tes les voyes advisees, sans en elire aucune, & aucuns d'eux & tres-peu ayent ete en-clins à la voye du concile general, ou du compromis, toutesfois ont eux declarez com-me tous, que leur intention etoit que le concile ou les arbitres ordonnassent finable-ment, que chacune des parties renoncât, & que à cette voye falloit'il venir, & que les parties fissent leurs devoir & grande cha-rite, s'ils offrissent cette voye de leur mou-vement sans induction, & par consequent tous tiennent que c'est la meilleure & la plus brieve. Pourquoi s'ensuit, que sans au-cun circuit, elle est conseillee au roy, & que le roy doit chargier ses messages de la conseiller à nostre saint pere par la forme & maniere qui sera cy-apres declaree. Car le delai peut être cause de la perdition des ames sans nombre, & pourroit avenir, que l'une des parties mourroit, ou autres em-pêchemens surviendroient, que l'en ne pust voir à present.

Quod domini nec alii nuncii regis non faciant supplicationem papæ.

XXXI.

Soient bien recors les ambassadeurs du roy & chacun d'eux, quand il seront en Avignon, du serment qu'ils ont fait, quand ils se char-gerent de cette legation, qui est telle qu'ils ont promis & jure solemnellement, que eux ne feront ni feront faire aucune supplication ou requeste pour eux, ni pour quelconque cause ou besogne que ce soit par voye di-recte ou oblique, à nostredit saint pere, aux cardinaux, ni à autres, jusques à temps que le fait principal de l'eglise, pour lequel ils sont envoyez par-delà, soit expedie; telle-ment qu'ils aient response sur ce qu'ils au-ront expose au pape.

XXXII.

De juramento facto per quemlibet car-dinalium in introitu conclavis.

Item, pour ce qu'il etoit tout commun à Paris & ailleurs, que avant l'election de nostredit saint pere, luy & tous les autres cardinaux de son college firent serment so-lemnel chacun par soy, contenant que s'il avenoit qu'il fût elû, il laboureroit a l'uni-on de l'eglise par le conseil du college & du roy par toutes voyes, jusqu'à renoncia-tion incluse, avec aucuns autres points, & que du serment fût fait instrument; le roy pour estre mieux advise, des avant la jour-nee de la Chandeleur, ecrit bien affectueu-sement a nostredit saint pere, & a plusieurs des cardinaux, que la cedule qui fut fai-te sur ledit serment lui fût envoyee, ou au moins une copie collationnee a l'original & instrumentee, & sembloit au roy & a nos-seigneurs ausquiex en fut parle, que le pa-pe le deust ainsi faire, & y envoya le roy en une cedule enclose dedans ces lettres la forme telle que aucuns disoient être du ser-ment dessusdit.

XXXIII.

Quomodo papa rescripsit dictam schedu-lam esse confectam, &c. sed fatetur plura secreta fuisse dicta, quæ pan-det nunciis regiis.

Item, que apres assez grand delay, & que le chevaucheur eut demoure quatorze jours en Avignon, nostre saint pere a re-scrit par ses bulles au roy, que ladite cedule enclose es lettres du roy etoit feinte, non contenant verite; mais il estoit uray que avant l'entree du conclave & depuis l'is-sue, plusieurs choses avoient este traictees, & purparlees, & misers par ecrit, qui eto-ient à tenir secretes pour l'utilite de la be-soigne, & que aux messages que le roy en-voyroit par delà, le pape communiqueroit tantes choses comme secretes qu elles fuis-sent, sans rien celer de son entention, en priant au roy qu'il avançât ses messages, qui fuissent tels que le pape leur peust tout ouvrir, & que le roy connoitroit que le pa-pe ne l'a pas fait pour delayer.

XXXIV.

Quod domini habeant supplicare papam, quod tradat eis in scriptis quæ fu-erint dicta & promissa in introitu conclavis & in exitu.

Item, semble expedient que lesditis am-bassadeurs, quand eux parleront à part à nostredit saint pere, comme cy apres sera dit, lui requierent de par le roy lesdites es-critures faites au conclave par nostre saint pere & le college, pour tout voir & con-siderer, & mieux entendre la matiere, ainsi comme nostredit saint pere a ecrit au roy.

XXXV.

Item, ont aucuns advisie, que avec les ambassadeurs du roy voisent en Avignon les deputez de l'universite de Paris des quatre facultez, pour temoigner leur opinion, ou pour la soutenir, si mestier est, & repondre aux grands clercs qui sont en cour de Ro-me, si eux la vouloient impugner, ou con-seiller autre voye qui ne fust meilleure ou plus brieve.

XXXVI.

ANNO CHRISTI 1395.

XXXVI.

Quæ dicentur in publico.

Quand les meſſagers du roy ſeront devers noſtre ſaint pere, il pourront expoſer en public en conſiſtoire, comment le pape a envoye ſes meſſagers ſolemnel par deux fois devers le roy, la creance qu'ils luy ont dite, & les reſponſes en general que le roy leur faites, & mercieront le pape de ce que ainſi a envoye devers le roy, & de ce qu'il lui a fait dire, & expoſeront la grande affection du roy a la paix de l'egliſe, & qu'il veut aidier, conforter & conſeiller de toute ſa puiſſance; & que pour cette cauſe a fait aſſembler les prelats & plusieurs du clergie de ſon royaume, & y a envoye tels ſeigneurs de ſon ſang, ſi grands & ſi prouchains de lui, comme ſes oncles & ſon frere.

XXXVII

Quod papa primo aperiat viam, quam dicit ſe habere æque bonam, &c. & ſi nolit, aperiat ſibi ceſſionis viam.

Item, que apres ce que les ambaſſadeurs du roy auront porte en public & en general a noſtredit ſaint pere, eux lui diront qu'ils deſirent à parler a lui ſecretement & a part en preſence de pou de gens, tels qu'il lui plaira: quand ils ſeront à part, lui pourront dire qu'il a fait ſçavoir par ſes meſſagers, qu'il a adviſie une tres-bonne voye & brieve pour l'union de l'egliſe, laquelle il ouvriroit aux ambaſſadeurs du roy, quand ils ſeroient pardevers lui, pourveu qu'ils fuſſent ſeigneurs de telle autrite & ſi prochains du roy, qu'il leur puſt tout dire ainſi comme a la perſonne du roy; & que s'il lui plît ouvrir la voye, les meſſagers du roy l'oiront volontiers, & que pour cette cauſe le roy y a envoye tels ſeigneurs comme dit eſt. Si ſupplieront au pape, qu'il leur ouvre la bonne voye qu'il a adviſee; et toutefois ſi noſtre ſaint pere vouloit ourir premierement l'avis du roy & de ſon conſeil, ſi en ſoit fait a ſon plaiſir, combien qu'il ſemble qu'il vaudroit mieux, que le pape s'ouvrît le premier.

XXXVIII.

Si ambæ eſſent viæ & eadem quomodo practicarentur.

Item, s'il avenoit par la grace de Dieu, que la voye adviſée par le pape, & celle qui eſt conſeillée au roy fuſſent tout une, c'eſt-à-ſçavoir, la ceſſion des deux parties, benoit ſoit noſtre Seigneur, & lors ſeroit traitée de la maniere de la pourſuite de l'exécution d'icelle voye, & de l'election d'un ſeul chief en ſainte egliſe, comme cy-après ſera touchié; & ſi noſtredit ſaint pere avoit meilleure voye, & plus brieve clairement, que la voye de renonciation, & qu'il n'y eût point de doute, laquelle choſe ceux qui ont eſte aſſemblez pour cette matiere ne peuvent imaginer, ſi les ambaſſadeurs du roy n'en faiſoient point de doute, ils l'accepteroient, & avec noſtredit ſaint pere & le college aviſeroient enſemble comment elle ſeroit executee. Et ſi noſtredit ſaint pere éliſoit la voye du concile general & du compromis, ou aucune des autres voyes deſſus recitées, ou aucune autre voye, qui n'ait point eſté ouverte pardeça, qui ne fuſt pas ſi bonne, ſi brieve, ny ſi appaiſante, comme la voye de renonciation, les ambaſſadeurs du roy la debattront & expoſeront tout au long la maniere par laquelle le roy a procedé en cette matiere; & diront les cauſes & les raiſons pour leſquelles la voye que noſtre ſaint pere éliroit, puiſque ce ne ſeroit la renonciation ou autre meilleure & plus brieve, ne ſeroit pas ſouſiſante, en gardant tousjours l'honneur & la reverence, qui eſt à garder à notre ſaint pere, & l'exhorteront par toutes bonnes paroles, & par le moyen d'aucun de nos ſeigneurs les cardinaux, qui ſont de cette opinion, comme de condeſcendre à la voye de ceſſion. Et ſi finablement ne vouloit condeſcendre, ni ouvrir meilleure voye & plus brieve, lui pourront, à telle reverence comme dit eſt, les ambaſſadeurs du roy dire qu'ils croyent que puiſque notre ſaint pere nommera meilleure voye, le roy voudra perſeverer & pourchacier de mettre à effet par toutes manieres raiſonnables & honneſtes la voye qui lui aura ete conſeillee pardevers les roys, princes, prelats & autres, tant de l'une obeiſſance comme de l'autre, ainſi comme il y eſt tenu, & ainſi ſont tous bons Chreſtiens, & que noſtredit ſaint pere & les cardinaux y ſont encore plus tenus que nul autre. Et en ce cas faudroit retourner les ambaſſadeurs du roy pardevers luy, & auroit le roy nouvel conſeil ſur ce qu'il auroit à faire au ſurplus.

XXXIX.

Modus practicandi viam ceſſionis.

Item, ès aſſemblees qui ont eſte faites ſur cette matiere du commandement du roy, comme dit eſt, a eſte ouvert par les clercs, theologiens & canoniſtes, la forme par laquelle de droit divin & canonique, ſi l'egliſe de l'une obeiſſance & de l'autre perſeveroit à la voye de renonciation, elle pourroit eſtre raiſonnablement executee par l'aide des roys, princes & ſeigneurs d'une partie & d'autre; toutefois pour la bonne eſperance que l'on doit avoir, que noſtredit ſaint pere conſentira liberalement la meilleure voye, il n'eſt pas expedient de preſent d'en plus avant ouvrir, ſe Dieu plaiſt, il ne ſera ja neceſſite.

XL.

Item, ſi noſtredit ſaint pere ouvroit aucune autre voye, que l'une de celles qui ſont cy-deſſus touchees, & que les ambaſſadeurs

ANNO CHRISTI 1395.

deurs du roy fiſſent doute ſi elle ſeroit meilleure & plus brieve, ou auſſi bonne que la voye de ceſſion, & ne leur apparuſt pas clairement qu'elle ne fuſt point ſouffiſante, eux ne l'accepteroient ni refuſeroient, mais la feroient ſçavoir au roy par leurs lettres ou par l'un d'eux ſelon leur diſcretion, pour en avoir la deliberation du roy.

XLI.

S'il plaiſoit à noſtre Seigneur que notre ſaint pere ouvrit la voye de renonciation, telle que deſſus eſt touchiee, & que luy & les cardinaux vouiſiſſent traitier avec les ambaſſadeurs du roy de la maniere de la proſecution, il ſemble qu'il ſeroit expedient que haſtivement noſtredit ſaint pere & le roy ſignifiaſſent cette voye qui ainſi ſeroit adviſee, aux roys, princes, & ſeigneurs notables de ſon obeiſſance, pour avoir leur conſeil & leur conſentement ſur la maniere de la pourſuir, afin qu'ils en fuiſſent mieux content, & que ceux aidaſſent à l'execution, & ne puſſent pas dire que le pape & le roy vouiſiſſent proceder en cette matiere de leur autorite, ſans l'avis des autres roys & princes de leur partie. Et ſi ſeroit la voye elue par eutr'eux de trop plus grande autorite pardevers les autres roys & princes de la partie adverſe, que ſi elle n'eſtoit elue, fors par le roy & le pape ſeulement.

XLII.

Item, que au cas deſſusdit du conſentement de noſtredit ſaint pere, pour abreger l'execution de cette voye, eſt adviſe par aucuns de noſdits ſeigneurs qui vont devers le pape, tantoſt apres ſon conſentement, l'eſcrivent aux roys de Caſtelie, d'Arragon & de Navarre, en leur priant de par le roy & de par eux, que ſur le bon & ſaint propos de noſtre ſaint pere de renoncier, &c. chacun d'eux ait avis & bonne deliberation, & a ce ſe veuillent conſentir, & leur deliberation le plus haſtivement que faire le pourront ſignifier par leurs meſſages, ou au moins par leurs lettres contenant le fait tout clairement au roy, afin qu'il en puiſſe certifier les autres roys, princes & ſeigneurs de la Chreſtiente.

XLIII.

Item, que obtenu le conſentement des roy & grands ſeigneurs de cette obeiſſance a la voye de renonciation, elle ſeroit à ſignifier aux roys, princes & grands ſeigneurs de la partie adverſe es citez d'Italie, pour eux induire par les cauſes & raiſons deſſusdites & autres, a conſentir cette bonne voye, & à induire l'intrus de Rome & ſes anticardinaux à la conſentir; & eſt à preſumer que autant ils deſirent la paix & l'union de l'egliſe, comme font ceux de l'obeiſſance de noſtre ſaint pere Benoiſt, & qu'ils induiront leur intrus & ſon college par toutes manieres à conſentir cette voye; & pourront eſtre adviſez les roys & ſeigneurs de ſa partie, que s'il ne la vouloit conſentir, eux le doivent reputer comme fauteur & auteur du ſchiſme de l'egliſe, & monſtreroit evidemment, qu'il n'auroit point de droit au ſaint ſiege de Rome, & lui devroient ſouſtraire toute obeiſſance, & y pourroient eſtre mis autres remedes de droit.

XLIV.

Item, ſelon ce que les faits ſe diſpoſeront en la proſecution de la matiere, le roy en pourroit eſcrire à l'intrus, & à aucuns de ſes anticardinaux, en reprenant les lettres dudit intrus par lui envoyees au roy, par leſquelles il exhorte & induit le roy par pluſieurs belles cauſes & raiſons, à mettre peine à l'union de l'egliſe, & le reprend de ce qu'il a tant attendu, & ſemble qu'il innue, que le roy devroit eſtre principal moyen d'appaiſer ce ſchiſme, ſi auroit le roy bonne matiere de luy ecrire la diligence qu'il y a miſe, & la voye qui ſera adviſee pour avoir paix, & de le ſommer & requerir, qu'il veuille condeſcendre, & que s'il ne le vouloit ainſi faire, il montreroit qu'il n'auroit point bonne intention à la paix de l'egliſe.

XLV.

Item, diſent aucuns que le roy devroit eſcrire plus eſpecialement à l'anticardinal Reatin de cette matiere; car c'eſt celui que l'on dit avoir plus grande affection à l'extirpation du ſchiſme. Il eſt un grand clerc, il eſt bien puiſſant, il ne craint point l'intrus, & que ſi le roy & aucuns autres ſeigneurs le veulent ſoutenir, il pourra faire du bien aſſez.

XLVI.

Et pour ce que aucuns ont touchie que le roy devroit requerir aux autres roys & princes de la partie adverſe, qu'ils s'aſſemblaſſent en aucun lieu, & que le roy envoyeroit devers eux pour eux ſignifier la voye qui ſeroit adviſee par noſtredit ſaint pere, & lui & les autres ſeigneurs de ſon obeiſſance; ou qu'ils envoyaſſent leurs meſſagers devers le roy, auſquiex la voye deſſusdite ſeroit expoſee, pour icelle rapporter à leurs ſeigneurs; il ſemble qu'il ne ſeroit pas expedient de faire ainſi: car il n'eſt pas à croire que ſi legierement les autres roys & princes aſſemblaſſent ſans aucune certainete: & ſuppoſe qu'ils s'aſſemblaſſent, ne voudroient ils rien deliberer, ni repondre en ſi haute matiere ſans avoir le conſeil de leurs prelats, clercs & autres, & pour les aſſembler et ouir, les convendroit retourner en leur pays, et paſſeroit le temps avant que le roy puſt eſtre certifie de leur entention; et ſi ne ſouffiroit pas que leſdits roys et princes envoyaſſent leur meſſages devers le roy, pour ſçavoir la voye qu'il auroit adviſee pour la paix de l'egliſe; car trop plus ſurement le roy feroit ſçavoir par ſes meſſages cette voye aux roys et princes; que par leurs meſſages meſmement, qu'en la declaration de la voye qui ſe-

ANNO CHRISTI 1395.

sera elue, et en l'impugnation des autres voyes, et en l'execution de tout le fait sont a exposer moult de difficultez, qui ne sont pas à commettre à gens estrangers.

XLVII.

Item, si à l'execution des roys, princes, seigneurs, et sujets de l'intrus, il condescendoit à la voye de cession, il semble qu'il faudroit que les parties et leurs colleges s'approchassent es marches des deux obeissances, et que nostre saint pere Benoist et ses cardinaux se transportassent en aucune cite en bonne ville de son obeissance es partie de Piemont, comme pourroit estre la cite d'Ast, ou autre voisine, et que l'intrus et ses anticardinaux se transportassent en aucune cite prochaine à une journee ou à deux, et que aucuns grands seigneurs, tant de l'une obeissance comme de l'autre, accompagnez des prelats, chevaliers et de bons clercs se transportassent au pays en tel lieu qu'il seroit advise, pour tenir les deux parties, et leur colleges en leur franchise et liberte, et pour traiter et accorder entr' elles de plusieurs grandes difficultez, qui seront à traittier avant les renonciations des deux parties par especial sur la matiere de l'election d'un nouvel successeur paisible, qui ne fut pas rappelle en doute.

XLVIII.

Et est moult à noter en celle matiere, que toutes les difficultez soient appointees avant la renonciation. Car autrement l'eglise demourroit sans chief et sans pasteur, et seroit aussy grand inconvenient ou plus, que celuy qui est à present.

XLIX.

Item, si les parties ou aucunes d'icelles avant quelles s'approchassent, comme dit est, requeroient que les points et difficultez qui seroient à traittier et accorder entr' elles pour avoir paix fussent traittiees et accordees par procureur d'une partie et d'autres, et qu'elles souffrissent de leur bailler plain pouvoir a cette voye, ne seroit point souffisant ne convenable, tant pour doute des revocations des procureurs, pour ce qu'ils pourroient avoir instructions à part, qu'ils n'oseroient passer; mais est de necessite que les parties et les colleges s'approchent au plus pres que faire se pourra, pour abbregier la conclusion, et si pouvoit survenir plusieurs doutes, que les procureurs ne pourront accorder, et s'il les falloit retourner devers les parties, ce seroit trop grand delay; et si est à presumer, que si les parties sont bien approuchees, comme dit est, jamais ne s'en partiront sans accord.

L.

Item, il semble que avant le renontiation faudra ordonner que tous soient absous d'une partie et d'autre, et soient faites dispensations d'irregularitez, et d'autres vices, et tous les proces, sentences et fulminations d'une partie et d'autre rappellees et mises au neant, que tous les prelats et beneficiers d'une partie et d'autre demeurent en leurs estats, et leur soient leurs benefices confirmez ou conferez de nouvel, et pareillement des cardinaux tant d'un coste comme d'autre; et pource qu'il y a plusieurs eveschiez en division, desquiex l'une partie est obtenue par un qui a titre de l'intrus, pourroit estre ordonne, que celui qui est receu par l'eglise cathedrale et par le chapitre seroit repute possesseur, et auroit le tout, et l'autre seroit aucunement recompense. Et quant aux autres benefices, le possesseur ou de la plus grande partie obtiendroit. Et aussy pour ce que lesdits cardinaux du college de nostre saint pere obtiennent aucuns des titres anciens, qui sont à Rome pour les cardinaux, et que les anticardinaux et l'intrus en occupent une grande partie, il seroit pourveu selon la discretion des parties et de leurs colleges, et de ceux qui seroient avec eux assemblez pour celle cause, et pour ce estre advisie devers nostre saint pere.

LI.

Pource qu'il pourroit y avoir grand peril de confirmer ou de conferer de nouvel les estats des anticardinaux, des prelats, et benefices de la partie adverse, et de rappeller les proces faits contr' eux avant les renonciations, ou cas que l'une des parties trepasseroit, ou que l'intrus en venant contre sa promesse, ne voudroit renoncier; semble que apres les points traittiez et accordez, et iceux mis par ecrit, la conclusion se devroit faire tout ensemble confirmer, et assurer les estats d'une partie et d'autre, et renoncier les deux parties.

LII.

Item, encore avant lesdites renonciations devroit l'en traittier et accorder sur la maniere de l'election de nouvel successeur, quand les renonciations seroient faites; et semble à plusieurs, qu'il seroit expedient pour cette fois, que les parties du consentement des colleges ordonnassent certaines bonnes personnes en nombre non pair, qui ne fussent pas desdits colleges, lesquelles eussent puissance d'eslire pour celle fois apres les renonciations faites; car ceux des colleges sont principaux parties, et comme ennemis, et tres haineux ensemble, et est à douter que ceux ne fussent pas sitost bien appaifiez, et que pour les haines et envies d'entr'eux, la grace de Dieu n'y ouvrast point, et pourroit estre ordonne pour abregier, que il souffisit à celui qui seroit esleu d'avoir la plus grande partie des voix des compromissaires, lesquiex compromissaires feroient tres fort serment de l'oyaument proceder à l'election d'aucun du college, ou de dehors, ou de nostre saint pere, ou de l'intrus, si l'un d'eux avoit plus de voix sans faveur, ou haine, sans aucune acceptation de personne. Et si les colleges ne pou-

ANNO CHRISTI 1395.

pouvoient estre induits a cette forme, qui attendu le grand nombre des personnes desdits colleges, et les divers nations dont ils sont, qu'ils esleussent certain nombre de personnes de chacun college, comme six ou sept, qui eussent puissance par maniere de compromis d'eslire, et souffisse que l'esleu ait la plus grande partie des voix, comme dit est. Et en outre si à cette seconde forme les deux colleges ne pouvoient estre d'accord, que au fort tous ceux des deux colleges procedassent à l'eslection, & fussent mis au conclave sans en partir, & contraints par la forme de droit.

LIII.

Item, que tous les points dessus dicts, & autres difficultez non porveues, qui pourront survenir, traittiees & accordees, les parties & les colleges s'assembleront en une meme cite ou bonne ville, & la seroient mis à execution les points qui auroient este traittiez, tant de confirmations, reconciliations, renonciations, comme de l'eslection du nouvel successeur.

LIV.

Responsiones ad dubia & objectionem, quæ posset fieri contra modum prat-ticandi.

S'ensuivent les responses à plusieurs doutes faites per aucuns sur la forme de proceder par la maniere que dessus est recitee. Car aucuns disent, que si le roy par la deliberation de son conseil des prelats & de l'universite de Paris, veut induire nostre S. pere Benoist à renoncer, ce sera fortifier le schisme, la puissance & l'autorite de la partie adverse, & de ceux de son obeissance, qui diront malitieusement, que le roy ne l'a fait que pource qu'il doute du droit de nostredit saint pere; & pareillement si notredit saint pere le consent, l'on dira que c'est pource qu'il se defie de son droit. Et outre pourroit aucun dire que ou temps du pape Clement, qui estoit du lignage du roy & de nos seigneurs, le roy n'eusse pas soufert, que l'on eust parle de ceste voye de cession, & que pource que nostredit saint pere Benoist n'est pas de son lignage ny de son royaume, il n'a pas si grande affection à lui, & le veut induire à renoncer, &c. L'en peut ainsy respondre, que cette voye procede originaument de nostredit saint pere, laquelle comme saint homme, vertueux & de grande conscience a fait exposer au roy son intention par la maniere dessus dite, en requerant qu'il y avisast toutes les bonnes voyes possibles pour la paix de l'eglise, & que pourceque le roy est conseille, que si nostre saint pere n'a advisie aucune voye meilleure & plus brieve, que celle de la cession, il lui doit conseiller cette voye comme meilleure & plus brieve, en esperance ferme que les roys, princes, & obeissant de l'intrus tiendront cette opinion, parquoy le schisme ne sera pas confirme, mais extirpe.

LV.

Quant à l'autre de ce que nostre saint pere Clement estoit du lignage du roy, & cestui non, &c. Il est asses clair, que ce n'est point la cause, & que le roy, & tous ceux de son royaume tiennent aussy fermement pour vray pape nostre saint pere le pape Benoist, que eux firent oncques pape Clement, & autant luy voudroient obeir. Et que au temps dudit pape Clement, il luy sembloit que le schisme pourroit prendre fin pour ramener à son obeissance les roys, royaumes & pays qui n'y estoient pas; & q'il est vray que le schisme a tant dure, & est si fort enracine, que cette voye est impossible; & sçait certainement nostre saint pere le pape Benoist, qui a n'agueres este legat en France, qu'il est ainsi. Car par deux annees il a este à Boulogne, & pardevers les oncles du roy d'Angleterre, & autres grands seigneurs de son conseil, & a escrit & envoye plusieurs fois en Angleterre, & mis toute la peine, qu'il a pu d'estre ouy en Angleterre, pour monstrer la bonne justice de notre saint pere Clement, à quoi finablement apres plusieurs dilations & journees, qui sur ce luy ont este mises, il n'y a pû estre ouy ni receu, & luy ont respondu les Anglois, qu'il estoient bien informez de la verite & du fait de l'eglise, & qu'ils n'en recevroient point d'autres informations. Et pource que nostredit saint pere sçait certainement qu'il faut proceder par autre voye, il s'est offert comme saint prud'homme à toutes autres voyes à luy possibles qui luy seront conseillees; & s'il ne trouve meilleure, ny plus brieve que la cession, le roy par la deliberation de son conseil & de son college la lui doit conseiller.

LVI.

A cette matiere tant necessaire, & qui requiert si grant celerite, nous ne devons point avoir regard aux paroles des haineux ou envieux, mais à l'effect & bien de la besoigne; & si est certain qu'il n'y a quelconque voye a parvenir a la paix de l'eglise, qu'il n'y ait assez de doute & de difficultez, de grands labours & missions, toutefois si faut-il une fois commencier, ou jamais n'en seroit fin, & prendre la voye ou il y a moins de difficulte, par la bonne deliberation de nostredit saint pere, & du college de la poursuir diligemment & au mieux que faire se pourra, en esperance que la conduise & mette a bonne fin.

LVII.

A ce que disent aucuns, que s'il est ordonne que les deux colleges eslisent ensemble, nous aurons pape Italien, & sera le roy prive d'avoir pape de son royaume, & de la cour de Rome estant en Avignon, & faudra que la cour s'envoise à Rome, ou en Italie, & en tres grand dommage du roy & de son royaume, & que les Romains & Ita-

ANNO CHRISTI 1395.

& Italiens veue l'impreffion & violence que eux deux firent apres la mort du pape Gregoire, qui deuffent eftre privez de cet honneur & de la cour, en auront l'honneur & le profit, veu qu'il y aura plus de la moitie, ou le tiers d'Italiens à faire l'election, que d'aucunes des autres nations; peut eft refpondu que l'en ne doit point avoir regart aux nations, ny aux lignages; mais qu'il y ait bonne perfonne, & qu'il voudroit trop miex, fans nulle comparaifon, qu'il y euft un bon prud' homme Italien qui fuft pape, que plus demourer en cefte perilleufe divifion; & feroit moult difficile d'exclure les cardinaux Italiens de leur voix à l'election, s'ils ne le confentoient, & fi aucuns font mention d'en debourer les Italiens, ou aucuns d'eux, ils s'efforcent d'en debouter ceux des autres nations.

LVIII.

Aucuns ont touchie que l'election fe fit par les anciens cardinaux, qui eftoient du temps du pape Gregoire, des eftats defquiex n'eft d'aucun doute; fur quoy pourra eftre traittie quand les parties et les colleges feront enfemble, et y foit advife felon la difcretion de noftre faint per, et du college. Toutes fois il eft fort à douter, que les autres qui font nouveaux, tant d'un cofte comme d'autre, ne les voudroient point confentir. Car il leur fembleroit que ce feuft de leur honneur et de leur eftat. Attendu qu'ils fe reputent de telle auctorite, et d'avoir auffy bien leur voix en l'eflection, comme font les anciens cardinaux; et mefment ceux de la partie de l'intrus ne le confentiroient point, pource que lur cofte n'en ce nuls des anciens, et fi reputent les anciens autant leur adverfaire ou plus affez que les nouviaux. Car ce font ceux qui procederent à l'eflection de noftre faint pere Clement, et pourroit eftre occafion de mettre divifion entre les colleges; et nous devons tendre à fin d'union, et querir tous les bons moyens a ce convenables, refequer toutes difficultez, qui pourrorient eftre caufe de debats ou de difcords.

LIX.

D'autre part aucuns ont trop fait doute, que fi noftre faint pere eflifoit la voye de compromis, ou autre voye qui luy femblaft auffy bonne ou meilleure que la voye de ceffion, il y pourroit prendre deplaifance, et s'en pourroit troubler, et s'il ne l'acceptoit, une divifion s'en pourroit enfuivre en ce royaume contre noftre faint pere, etc. Il femble que ce doute n'eft point de luy, et que aucuns ne doyent croire qu'elle puft avenir, car noftre faint pere eft plus tenu à pourchacier la paix de l'eglife, que nul autre, et à ce s'eft offert, comme deffus eft dit, et y perfevere comme fes meffages afferment; fi eft à prefumer, qu'il fe confentira par le confeil du roy à la ceffion, s'il n'a advife meilleure voye, et fi par le confeiller loyaument pour l'union de l'eglife, il prenoit deplaifance, et que parce s'en enfuiffent aucuns inconveniens, que Dieu ne veuille, la charge n'en feroit point au roy, ny à fon oncle, mais à ceux qui auroient empefchie ou voulu differer le bon propos de noftredit faint pere.

LX

Item, foyent advertis nosdits feigneurs ambaffadeurs du roy, que fi noftre faint pere, ou aucuns des cardinaux ou autres de la cour s'efforçoient de donner charge ou blafme à aucun des prelats, ou de ceux du confeil du roy et de l'univerfite, ou des clercs qui ont efte aux affembles, tenues fur cette matiere, en leur impofant qu'ils euffent efte trop durs ou trop rigoureux, et que ceux n'euffent point garde l'honneur et la reverence qu'ils doivent au pape et au college, ainfy comme deja aucuns ont voulu dire, lesdits ambaffadeurs les excufcent, et deffendent que lesdites affemblees ont efte faites du commandement du roy, pour donner plus feurement confeil au pape fur ce qu'il avoit requis, et que le roy et nofdits feigneurs tiennent fermement, que ceux qui ont delibere la voye que le roy confeille au pape pour l'union de l'eglife, l'ont bien et loyaument confeille felon leurs confciences, et qu'il deplairoit au roy, fi aucun pour cette caufe vouloit donner charge a ceux qui ont donne ce confeil.

LXI.

Item, il plaift au roy, et auffi de fa grace l'accorde a fes prelats, que fur ce que eux ont à faire aucunes requeftes à noftredit faint pere touchant les libertez, franchifes & droits de leurs eglifes, qui font de la fondation, & garde du roy, defquels il eft protecteur & deffenfeur, nofdits feigneurs ambaffadeurs du roy foyent inftruits des dites requeftes, par ceux qui feront envoyez par les prelats pour cette caufe devers noftre faint pere, & en fuppliant de par le roy & de par eux, & en priant au college, pourveu toutesfois que le fait principal de l'union de l'eglife foit premierement conclu et appointie.

LXII.

Item, qu'ils refcrivent fouvent au roy tout ce qu'il pourront befoigner, & luy faffent fçavoir de leurs eftats, de celuy de la cour de Rome, et des nouvelles de par delà.

LXII.

S'*enfuit les ecritures que nos feigneurs feront porter.*

Premierement les deus epiftres de l'univerfite, l'une addreffante au pape, et l'autre au roy.

Item, les lettres envoyees au roy par l'intrus.

ANNO CHRISTI 1396.

Item, s' il y a aucunes lettres notables envoyees par aucuns des roys ou princes de l' obeiſſance de l' intrus, ſoyent priſes et portees.

Item, les bulles de noſtre ſaint pere deſquels deſſus eſt faite mention, par leſquels il eſcrit, qu' il monſtrera aux meſſages du roy tout traittie a ſa creation touchant l' union de l' egliſe, et auſſy la cedule que le roy envoya querir devers le pape, pour ſçavoir quelle difference il y a entre icelle cedule, & ce qui fut fait à l' entree et iſſue du conclave.

Item, ſoit porte in inſtrument public, qui contiendra, que es aſſemblees qui ont eſte faites du commandement du roy par les prelats & autres clercs notables, ont eſte cent & neuf perſonnes, deſquelles les quatrevingit & un ont eſte tous d' une opinion, & les autres vingtdeux y ont mis une petite difference, combien qu' en effet & en ſubſtance la concluſion ſoit toute une, ſi comme par les cedules, qui ſeront encorporees audit inſtrument, pourra apparoir.

CONCILIUM PROVINCIALE ARBOGENSE

habitum anno MCCCXCVI.

Ex MS. bib. pub. Upſal. n. 19. t. dedit Benzelius in Diar. Vazſtem.

NOverint univerſi quorum intereſt, ſive intereſſe poterit quomodolibet in futurum: quod conſtitutis nobis Henrico D. G. archiepiſcopo Upſalenſi, Kanuto Lincopenſi, Torſtano Scarenſi, Tordone Strengenenſi, Nicolao Aroſienſi & Hemingo Wexionenſi, eadem gratia eccleſiarum epiſcopis & conſilium provinciale celebrantibus in eccleſia Petri & Pauli apoſtolorum; dioceſeos Aroſienſis oppidi Arbogis, anno Domini MCCCXC. ſexto, dominica *letare*, propoſita fuerunt coram nobis per procuratores eccleſiarum cathedralium, & aliarum inferiorum eccleſiarum teſtes ſynodales, multa & ardua negotia moderno tempore a jure & bono quam diverſimode exorbitantia, quorum aliqua in Dei offenſam, animarum periculum & gravamen ſimplicium non eſt dubium redundare. Et idcirco diſpendiis, et effrenatæ cupidini, et malitiæ hominum, qui plus ſolito noſtris temporibus invaleſcunt, quantum nobis ex alto conceſſum fuerit, viam præcludere cupientes, hujus venerabilis provincialis approbatione concilii ſtatuimus, & per totam provinciam noſtram volumus, et mandamus inviolabiliter obſervari.

Primo videlicet, quod temporibus a jure prohibitis nullus presbyterorum, ſub poena privationis officii ſui ſacerdotalis nuptias ſolepnizare ac celebrare, ſeu benedicere audeat. Alioquin ſi ſecus egerit poſtmodum celebrandum dominica ut prius ipſo facto notam irregularitatis incurrit, a qua non poterit citra ſedem apoſtolicam liberari, adempta epiſcopis provinciæ Upſalenſis et eorum cuilibet poteſtate licentiam dandi cuilibet hujuſmodi nuptias in dictis temporibus vel eorum aliquo de cetero celebrandi.

locus corruptus

Prohibemus etiam ſub interminatione maledictionis æternæ, ne quis laicorum, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus exiſtat, ſe in facie eccleſiæ, ad aliquas ſeptimanas, ſeu dies, ante dicta tempora a jure prohibita, cum deſponſata ſua benedici faciat ad finem quod poſtmodum expenſas, ſeu ſolempnitates nuptiarum cum carnis copula in ipſis prohibitis temporibus peragat quoquo jure; et ſi innotuerit ipſis presbyteris, quod tali intentione, ut prædicitur, ſe petierint benedici, eorum matrimonia nullatenus benedicat, quia tempora illa ad hæc a ſacris canonibus inſtituta noſcuntur, ut homo a carnis illecebris, et ſeculi voluptatibus abſtineat, ut divinis contemplationibus et laudibus liberius vacet.

Item quod in anno biſſextili duo dies inter feſtum S. Petri ad cathedram et feſtum S. Matthiæ hactenus per totam provinciam uniformiter habeantur.

Item qui Dominica die homicidium perpetraverit, eodem die a carnibus; qui vero ſexta feria a piſcibus; qui autem die ſabbathi a lacticiniis eiſdem diebus perpetuo abſtinebit. De et ſuper quo per aliquem epiſcopum non poterit nec debeat diſpenſari.

Item quod piratæ, raptores, incendiarii, viarum publicarum inſidiatores et aggreſſores violenti, pauperis civitatis *hoſpitatores*, eccleſiarum et cymiteriorum effractores, et alii immunitatis eccleſiæ violatores ſine requiſitione et ſpeciali licentia epiſcoporum, aut ſuorum officialium in ſpiritualibus in eccleſiis, et earum cymeteriis, cum deceſſerint, non poterint ſepeliri, niſi juris ſervato moderamine quod ſequitur: Videlicet ſi ablata reſtituerint, vel ante mortem emendandi firmam et plenam cautionem præſtiterint, cum habuerint unde ſatisfaciant. Si vero malitia ſua durarint uſque ad mortem et poenitentiam humiliter poſtulaverint, nec habuerint unde ſatisfaciant, vel ſecuritatem emendandi præſtent, poenitentia, et ſacramentum corporis Chriſti non eis negetur. Sed nullus presbyterorum vel clericorum ipſorum eleemoſinas vel dona recipere vel ipſorum ſepulturis intereſſe præſumat, nec funera eorum benedicere, nec ſuper quidquam legere audeat; ſed ea, quantum ad ſacramentale officium, derelicta dimittat penitus et abjecta. Si qui vero presbyterorum vel clericorum contra hoc facere præſumpſerit, officio et beneficio ſuo privetur.

f. directores

Item feſtum ſanctæ Birgittæ patronæ noſtræ, ſeptima die menſis Octobris ſolemniter celebretur.

Item presbyteri alienæ dioeceſis, & præſertim de extraneis partibus venientes, abſque ordinarii vel officialis ſui in ſpiritualibus requiſitione & ſpeciali licentia, ad divinorum celebrationem nullatenus admittantur, quia inventum eſt pluries quod tales peregrini, immo vagabundi clerici, interdum ſunt homicidæ vel apoſtatæ, interdum infames, & nec ordinati & alia irregularita-

ANNO CHRISTI 1395.

tatis nota resperfi, fe per falfas literas & commendatitias excufantes, et ideo quicumque curatorum, vel præbendatorum tales vagabundos ad divinorum celebrationem admiferit, & de hoc convictus fuerit, loci ordinario ad unam marcham puri obnoxius erit.

Item nullus epifcoporum, aut aliorum inferiorum prælatorum jurisdictionem fuam cuiquam laicorum præfumat committere, quanquam ad inventionis ingenium, quia hoc vergit ad enervationem libertatis ecclefiafticæ, & grave periculum animarum.

Item ftatuta Dn. Sabinenfis cardinalis, & copias ex omnibus ftatutis provincialibus volumus, & in virtute obedientiæ mandamus quod quælibet ecclefia cathedralis habeat & ea in fynodo epifcopus & capitulum coram congregatione clericorum fuorum annis fingulis, fecundum temporis & A negotiorum imminentium qualitatem, conjunctim & divifim publice legi, & pro viribus fuis inconcuffe faciant obfervari. Quæ etiam ftatuta ut quilibet Præpofitus ruralis totius provinciæ diligenter confcripta habeat, ut femel & pluries coram curatis & clericis in contrata præpofituræ fuæ legat feu legi faciat, omni anno.

ANNO CHRISTI 1396.

Item ne originalia privilegiorum libertatis ecclefiafticæ per frequentem motionem maculentur, deturpentur, feu alias per figillorum ruptionem deftruantur, mandamus ut quælibet ecclefia cathedralis fpeciale regiftrum eorumdem privilegiorum habeat, de quibus copiæ eorumdem recipi poterunt quoties fuerit opportunum. Data, intimata & B publice lecta fuerunt præfentis paginæ ftatuta, anno, die & loco fupradictis, fub figillis noftris.

LONDINENSE CONCILIUM

In quo VVicleffi errores damnati,

Anno 1396. habitum.

A. 1396. „ CONcilium iftud, quanquam Labbeum non latuit; pauca tamen novit „ ex multis. Id enim ille fcivit quæ ex Val- C „ finghamo didicit; nempe Wicleffi errores Patrum illorum fententia damnationem fubiiffe. Dogmatum vero Wicleffi, „ quæ Patres difcufferunt, indiculum exhibet acceptum ex tractatu MS. magiftri „ Windefordi Ord. Min. Nec aliud quidquam Labbeus. Igitur cum pauca fint & „ manca quæ fcripta ille dedit; ex tabulis „ Arundel. fol. 44. a Wilkins exhibitis ex „ integro reproducendum eft. Attamen nec „ tabulæ iftæ funt integræ, quare de caufæ exitu nihil ex illis refcimus; quarum „ defectum fupplet utcumque Valfinghamus „ & Windefordus, quorum teftimonio difcimus dogmata illa hæretici condignam cen- D „ furam a Patribus tuliffe.

CONVOCATIO PRÆLATORUM ET CLERI CANT.

Provinciæ 19. die menfis Februarii in ecclefia S. Pauli London.

Ex reg. Arundel. fol. 44. q. Ex Wilk. t. I. p. 227.

IN hoc concilio provinciali medietas decimæ domino regi conceffa eft; & 20. die menfis prædicti coram domino archiepifcopo cæterifque epifcopis & prælatis comparuerunt perfonaliter quamplures juris canonici & civilis doctores univerfitatis Oxon. & ibidem ipforum & aliorum ejufdem univerfitatis & facultatis bacalariorum. ac fcholarium procurator legitime, ut afferuit, conftitutus, quædam gravamina præfatis doctoribus, per cancellarium prædictæ univerfitatis, ut fuggerebatur, illata, ipfi cancellario tunc ibidem propofuit, & inde fibi per dom. petiit de opportuno remedio provideri. Quæ quidem gravamina in hæc verba fequuntur.

Articuli dati pro univerfitate Oxon. contra cancellarium ejufdem.

In Dei nomine, Amen. Infrafcripta gravamina, exceffus, & defectus proponit & exponit procurator difcretorum virorum doctorum, bacalar. & fcholarium facultatis juris canonici, civilis, univerfitatis Oxon. Cantuar. provinciæ, & ecclefiæ Cant. metropoliticæ immediate fubjectæ, & procuratorio nomine pro eifdem in quodam negotio reformationis, declarationis, interpretationis quorundam dictæ univerfitatis ftatutorum & confuetudinum prætenforum, & aliorum gravaminum inferius deductorum, quod coram honorabiliffimo in Chrifto patre & domino noftro, domino Thoma, Cant. archiepifcopo, totius Angliæ primate, & apoftolicæ fedis legato, dictæ univerfitatis ordinario fuperiori immediato, vertitur & verti fperatur. Quæ quidem gravamina & exceffus per dictæ univerfitatis cancellarium, procuratores, & alios eorundem cancellarii, & procuratorum nomine modernis temporibus plus folito diverfis ipfius facultatis perfonis, doctoribus, bacalariis, & fcholaribus, occafione & prætextu ftatutorum & confuetudinum prætenf. ante dict. funt illata injufte & facta; ac etiam de & fuper eifdem gravaminibus, idem procurator articulos infrafcriptos, dat, facit, ponit, & proponit conjunctim & divifim; re- E fervat eidem facultati, quod eidem liceat ad eofdem addere; ipfofque interpretari & declarare, alios infuper articulos, fi oporteat, de novo dare, & præfentes reformare.

Inprimis exponit, & proponit idem procurator & procuratorio nomine, quo fupra, quod jam tarde & in ultimis diebus difcretus & religiofus vir, frater Nicol. Faux, monachus monafterii Glafton. ordinis S. Benedicti, Bathon. & Wellen. dioecef. S. T. D.

ac honorabilis in Christo viri & magistri, mag. Tho. Hendyman, S. etiam theol. doct: universitatis antedictæ cancellarii commissarium se prætendens, quandam schedulam privatam in manibus suis tenens, nullatenus bulla apostolica, sigilloque autentico, aut cujuscunque notarii publici signo subscriptioneve munitam, aut aliunde de exemptione prætens. infrascript. fide qualitercumque facta in domo congregationis dictæ universitatis, coram multitudine magistrorum regentium inhibi congregatorum, ipsam universitatem, cancellariumque doctores, magistros, & scholares hujusmodi ejusdem, ab omni jurisdictione, dominio, & potestate quorumcunque archiepiscoporum etiam apostolicæ sedis legatorum episcop. & aliorum ordinariorum quorumcunque inferiorum auctoritate quarumdam literarum apostolicarum prætens. quarum tenor in schedula ipsa, ut asseruit, continebatur, fuisse, & esse exemptos, & sedi apostolicæ immediate subjectos, omisso juris ordine in ea parte requisito, pronunciavit per decretum & declaravit, in jurisdictionis præfati domini nostri archiep. & dictæ universitatis, superioris ordinariorum, ut præfertur, immediate, quatenus in eodem fratre Nicolao commissario prætenso fuit, enervationem manifestam.

Item. Cum in ipsa universitate agitur aut tangitur de renunciatione literarum apostolicarum prætensarum, quarum vigore pronunciatio & declaratio, de quibus præfertur per ipsum fratrem Nicolaum monachum extiterant in hac parte quomodolibet vel faciend. nihilominus cancellarius & procuratores moderni, ac cæteri eis in hac parte adhærentes firmiter, cum non sit verum, asserunt; quod non renunciatio hujusmodi eis aut dictæ universitati immediate est in aliquo præjudicativa, pro eo & ex eo, quod ipsa universitas ante literarum ipsarum prætensarum impetrationem, cancellarius, magistrique & scholares ejusdem, de consuetudine, ut præfertur, præscripta juxta modum pronunciationis & declarationis antedictarum, fuerunt exempti totaliter, & ut præfertur, subjecti. In qua quidem exemptione, vigore & virtute consuetudinis hujusmodi adhuc, ut satagunt, persistunt, non obstante, quod inter cætera per ipsum expedita & habita, bonæ memoriæ ven. in Christo pater et dominus, dom. Willelmus, quondam Cant. archiepiscopus, dum in rebus ageret humanis, ipsam universitatem tam in capite, quam in membris, per se et suos, quamplura gravamina ibidem revocando, crimina corrigendo, diversos excessus reformando, nonnullasque personas dictæ universitatis ab actibus scholasticis diversimode suspendendo, sua auctoritate metropolitica actualiter visitavit; adeo, quod a domini nostri archiepiscopi dictæ universitatis ordinarii superioris immediati audientiam vel curiam suam Cant. a certis gravaminibus spiritualibus, per cancellarium modernum, et aliis diversis ipsarum facultatum personis oppressis illat. appellare volentibus, occasione et prætextu consuetudinis prætensæ, præfatus idem cancellarius diversimode impedit injuste; in ipsarum personarum sic oppressarum præjudicium et gravamen.

Item tertio. Inter cætera dictæ universitatis statuta cavetur, quod nullus ad lecturam extraordinariam decretalium in ipsa universitate debeat admitti, nisi jura civilia per triennium, inter cætera juramenta per ipsum admittend. præstand. se juret audivisse, cum viri religiosi, et qui ordine sacerdotum sunt constituti, adeo existunt multipliciter impediti, lecturam quoad ipsam, etiam etsi aliunde omni habilitate in ea parte requisita, laudabiliter vigeant, immediate valeant admitti.

Item quarto. Inter dictæ universitatis etiam statuta continetur, quod licentiatus ad lecturam, de qua præfertur, nullus admittatur, nisi decretales se juret complete,, audivisse, etc. Nunquid iste terminus ,, complete debet ita stricte intelligi, sc. pro quolibet verbo cujusque capituli libri decretalium prout ipse cancellarius, & cæteri dictæ universitatis magistri regentes in artibus intelligunt, vel in quantum humana fragilitas patitur, sufficiat audientia libri hujusmodi, quod placeat dominationi vestræ pastorali interpretari, declarare, vel aliunde in hac parte statuere & providere, prout eidem videbitur expedire.

Item quinto. Cum aliquis in quacunque facultate sit graduandus, ipse pro tempore assumptionis gradus hujusmodi, de observando statuta, privilegia, & consuetudines ipsius universitatis, corporali astringitur juramento; tamen ipsa statuta, privilegia, consuetudines, & libertates, seu eorundem tenor, nullatenus in puplicam notitiam deducuntur, seu quadantenus publicantur, aut programmatizantur, sed penes certas personas, libros ipsorum statutorum, privilegiorum, consuetudinum, & libertatum clanculo conservantes, & penes quos libros diversitas, quin etiam adversitas & contrarietates in tenore & serie dictorum librorum reperiuntur; adeo quod ipsis sit juratis ardua eo prætextu intricatio, & eisdem perjuria ignota, pro libito voluntatis libros ipsos conservantium dietim imponuntur, in dictæ universitatis quamplurime perturbationem manifestam.

Item sexto. Inter cætera dictæ universitatis statuta prætensa, expresse continetur, quod LL. doctores ad cancellariatus officium nullatenus assumi valeant, &c. De inferioribus gradibus scholasticis, viz. doctoribus medicinæ, magistris in artibus, & grammatica in nullo in ea parte facta est mentio, quod non obstantibus hujusmodi statutis, doctor LL. qui pro tempore fuerit, ad officium hujusmodi assumi valeat, dum tamen rite eligatur.

Item septimo. Quod doctores legum, qui pro tempore fuerint, ad locum & sedile in superiore loco & summitate cujusdam formulæ, a retro, & immediate cathedræ, ubi cancellarius dictæ universitatis, qui pro tempore fuerit, in sermonibus infrascriptis sedere solet, collocatum pariter & situatum, eorumdemque loci & sedilis possessionem juris, & quasi, quæ ante diem dominicam primam Adventus Domini prox. præteritam in temporibus, dum sermo Dei in ec-

ANNO CHRISTI 1396.

ecclesia B. M. V. ipsius universitatis proponitur, jure & nomine gradus doctoralis hujusmodi pacifice ab antiquo obtinuerunt, effectualiter restituantur, & cancellarius modernus dicto die dominico, tempore propositionis verbi Dei hujusmodi, ac dum sacra mysteria ibidem agebantur, coram cleri dictæ universitatis congregatione, quendam providum virum LL. doctorem in ipsis loco & sedili incumbentem & sedentem, in habituque & tonsura clericalibus & doctoralibus notorie ibidem incedentem, ac aliunde juxta juris formam juri parere volentem per vestes inhumaniter protrahendo, & ipsas dilacerando, absque aliquo juris ordine in ea parte præhabito, a loco & sedili hujusmodi violenter expulit, sicque ipsum doctorem in præmissis sacrilege spoliavit, & adhuc detinet spoliatum injuste in gradus doctoralis antedicti præjudicium & gravamen.

Quare probatis in hac parte de jure probandis, petit idem procurator nomine, quo supra, pronunciationem & declarationem per ipsum fratrem Nicolaum, commissarium prætensum, temere factas, malas, invalidas, & inefficaces, viribusque, & effectu carere, carereque debere, ac pro jurisdictione vestra metropolitica, & exercitio ejusdem pronunciari finaliter & diffinitive & declarari; ac per declarationis & interpretationis vestrarum remedium, quoad difficultatem & impossibilitatem observationis statutorum & consuetudinum, de quibus præfertur, providere; ipsumque doctorem ad locum & sedile, de quibus, ut præfertur, spoliatus extitit, possessioni juris & quasi restituendum pariter & reducendum fore, ac sic realiter restitui effectualiter & reduci. Ulterius in præmissis & ea concernentibus, & præserrim in quantum peccatum inducunt, & scandalum generare noscuntur, per paternitatem vestram fieri, statui, & decerni, quod juris ordo dictaverit, ipsiusque qualitas in se exigit & natura: vestrum officium pastorale in præmissis humiliter implorando ad aliquam probationem superfluam nullatenus se astringens, juris beneficio in omnibus semper salvo.

Super quibus quidem gravaminibus dominus consuluit cum præfatis rever. patribus episcopis & prælatis ac clero, & aliis doctoribus ibidem præsentibus, ac demum dixit se velle, finito primitus provinciali concilio, & habita deliberatione matura super eisdem gravaminibus, de debito remedio providere. Postea vero quia quidam magistri ac bacalarii in artibus universitatis prædictæ, quoddam absurdum exemptionis privilegium, nomine totius dictæ universitatis, ne delinquentium in ipsa per aliquem ordinarium vel metropolitanum crimina corrigantur aut debite puniantur excessus, a Romana curia jam tarde subdole impetrarunt; præfati doctores, ac bacalarii juris canonici & civilis præfatæ universitatis, in multitudine copiosa, in dicta domo capitulari coram domino pro tribunali sedente, & suis coepiscopis ac prælatis hujusmodi personaliter pro seipsis comparentes, & ven. vir mag. Michael Cergeaux, V. J. doctor, om-

A nium juris canonici & civilis doctorum, bacalariorum, & scholarium prædictæ universitatis, ad infrascripta, inter cætera, ut asseruit, procurator legitime constitutus, & nomine procuratorio eorumdem, præfatæ exemptionis privilegio renunciavit oraculo vivæ vocis. Quam renunciationem dominus admisit publice tunc ibidem, cancellario dictæ universitatis inibi tunc præsente. Et quia idem cancellarius nitebatur, ut apparuit, dictæ exemptionis privilegio communiri, officio sui cancellariatus cum strepitu coram domino, episcopis, & prælatis prædictis ex abrupto renunciavit, & a præfato concilio cum verbis contumeliosis recessit.

B Unde dominus eum ad diem crastinum mandavit per suum juratum nuncium ad eandem domum capitularem, super præmissis articulis tractaturum, ad judicium personaliter evocari.

No. de conclusionibus damnatæ memoriæ Johannis VVicliff.

Subsequenter vero denunciatum extitit domino a nonnullis doctoribus, bacalariis, & scholaribus universitatis prædictæ, quod quidam theologi & magistri ac bacalarii in artibus ejusdem universitatis, qui plures opiniones hæreticas & erroneas scriptas in quibusdam libris sive libellis triologiis &

C supplemento eorum, quos libros sive libellos ac supplementum quidam magister Jo. Wicliff, ut timeo in mala hora natus, dudum, ut dicitur, compilavit, tenent, dogmatizant, ac publice & expresse prædicant & affirmant. Quæ quidem opiniones ex libris sive libellis ac supplemento ejusdem extractæ sequuntur in hæc verba.

In primis, quod manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, & non desinit esse panis. Hæresis (est) loquendo de pane naturali.

II.

D Item, quod sicut Johannes fuit figuraliter Helias, & non personaliter; sic panis est figuraliter corpus Christi, & non naturaliter corpus Christi. Et quod absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio " Hoc est corpus meum, " sicut illa in verbis Christi, " Johannes ipse est Helias. " Hæresis est.

III.

Item, quod in capitulo, " Ego Berengarius, " curia Romana determinavit, quod sacramentum Eucharistiæ est naturaliter verus panis. Error est consimiliter loquendo

E de pane.

IV.

Item, quod definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes, non fore salvandos, sunt in hoc præsumptuosi & stolidi. Error est.

V.

ANNO CHRISTI 1396.

V.

Item, quod collatio sacramenti confirmationis non est episcopis reservata. Error est.

VI.

Item, quod tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus; nec fuit tempore apostolorum distinctio papæ, patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum; sed sufficit, quod sint presbyteri & diacones, secundum fidem scripturæ; quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus adinvenit. Error est.

VII.

Item, quod antiqui, qui ex cupiditate temporalium, ex spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet desperent de prole, copulantur adinvicem, non vere matrimonialiter copulantur. Hæresis est.

VIII.

Item, quod causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinatæ. Hæresis est contra S. scripturam.

IX.

Item, quod hæc verba, " Accipiam te in uxorem, " eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba, " Ego accipiam te in uxorem, " & quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro, " Accipiam te in uxorem; " & post cum alia per hæc verba de præsenti, " Accipio te in uxorem, " non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti. Error est.

X.

Item, quod isti duodecim sunt procuratores antichristi, & discipuli antichristi, papæ, cardinales, patriarchæ, archipræsules, episcopi, archidiaconi, officiales, & decani, monachi, & canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo, & quæstores. Hæresis est.

XI.

Item, quod numer. XVIII. Deuteronom. XVIII. Ezech. XLIV. præcipitur simpliciter negative, quod nec sacerdotes Aaronici, nec Levitæ habeant partem hæreditatis cum tribubus aliis, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus. Hæresis contra S. Scripturam.

XII.

Item, quod non est major hæreticus vel antichristus, quam ille clericus, qui docet quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ dotari in possessionibus temporalibus; & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici, qui hoc docent. Error est.

XIII.

Item, quod non solum possunt domini temporales auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente; non solum hoc eis licet, sed debent hoc facere sub poena damnationis æternæ. Hæresis est, si universaliter intelligatur.

XIV.

Item, si corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christus & ejus apostoli promulgationem ejus non tacuissent. Hæresis est.

XV.

Item, quod quicunque est humilior ecclesiæ servus & in amore Christi quoad suam ecclesiam amabilior, ille est in ecclesia militante major, & proximus Christi vicarius. Error est sapiens hæresim.

XVI.

Item, quo ad verum seculare dominium requiritur justitia dominantis; sic quod nullus in peccato mortali, est dominus alicujus rei. Hæresis contra S. Scripturam.

XVII.

Item, quod omnia, quæ eveniunt absolute, necessario eveniunt. Hæresis est.

XVIII.

Item, quod quidquid papa vel cardinales sui sciunt ex S. Scriptura deducere clare, illud duntaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum; & quidquid ultra præsumpserint, sit tanquam hæreticum contemnendum. Hæresis est.

Super quibus opinionibus iidem doctores, bacalarii, & scholares juris canonici & civilis, in multitudine copiosa inibi congregati, per provinciale concilium, in sustentationem fidei catholicæ certam declarationem fieri petiverunt & supplicarunt humiliter, de optimo christianæ fidei defensionis præsidio subveniri. Unde memoratus dominus archiepiscopus, habito tractatu cum dictis confratribus, coepiscopis suis, super prædictis conclusionibus sive opinionibus, demum continuavit convocationem suam usque ad diem crastinum tunc sequentem.

Cætera in registro desunt, spatio ad scribendum relicto.

LON-

LONDINENSE CONCILIUM

In quo decreta celebratio festorum S. David, Ceddæ, VVenefridæ, & S. Thomæ martyris

Anno 1398. habitum.

n. 1398. „ DE hoc concil. nihil superest præter decretum de celebratione festorum SS. „ David, Ceddæ, Wenefridæ, & S. Tho„ mæ martyris expressum in constitutione „ Rogerii Cantuariensis archiepiscopi.

Literæ archiep. Cantuar. pro celebratione festorum S. David, Ceddæ, Vvenefridæ, & S. Thomæ martyris.

Robertus, permissione divina Londonensis episcopus, dilecto in Christo filio archidiacono nostro London. salutem, & benedictionem. Literas reverendissimi in Christo Patris & domini, dom. Rogeri, Dei gratia Cant. archiepiscopi, totius Angliæ primatis, & apostolicæ sedis legati, nuper recepimus, tenorem qui sequitur verborum continentes:

Rogerus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, vener. fratri nostro C domino Roberto, Dei gratia London. episcopo, salutem & fraternam in Domino charitatem. Splendor paternæ gloriæ, qui sua ineffabili mundum illuminat claritate, pia fidelium vota de ipsius clementissima majestate sperantium benigno tunc favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum meritis, & precibus adjuvatur. Nos cupientes ipsos Christi fideles præcipue infra nostram provinciam commorantes Domino reddere acceptabiles, & bonorum operum sateres, in ultima convocatione cleri provinciæ nostræ Cant. secundo die mensis Martii, in ecclesia vestra Cathred. S. P. London. celebrata, de consensu vestro, aliorumque D confratrum & suffraganeorum nostrorum, ac cleri prædicti, festivitates subscriptas viz. S. David episcopi & confessoris, cal. martii, cujus corpus & reliquiæ in Meneven. ac S. Ceddæ episcopi & confessoris; 6. non. Martii, cujus corpus & reliquiæ in Lich. ecclesiis, necnon S. Wenefridæ virginis, in non. Novemb. cujus corpus & reliquiæ in ecclesia conventuali monasterii S. Thomæ mart. extra muros villæ Salopiæ. Cou. & Lich. dioec. ac provinciæ nostræ Cant. recondun-tur, et etiam continentur, per universas ecclesias nostræ Cent. provinciæ, quamlibet viz. dictarum festivitatum, cum 9. lect. onibus, & cæteris omnibus ad officium SS. de E quibus præmittitur, singulariter pertinentibus, de communi in locis, ubi proprium servitium de sanctis hujusmodi non habetur, ordinavimus & statuimus, annis singulis, perpetuis temporibus, a clero dictæ nostræ provinciæ devotius celebrari, diebusque prænotatis, ut præfertur, debito devotionis obsequio dicend. de eisdem, ac festa sanctorum hujusmodi sub diebus & mensibus prænotatis, in aliquo cujuslibet ecclesiæ dictæ nostræ Cant. provinciæ calendario intitulari pariter & signari. Et licet universos & singulos in regnis cœlestibus constitutos, studiis honorare solicitis, & sonoris efferre præconiis debeamus, gloriosissimum tamen episcopum & martyrem S. Thomam, nostrum & ecB clesiæ nostræ, quæ omnium ecclesiarum dictæ nostræ provinciæ caput existit, & magistra, patronum, qui pro ecclesiastica libertate sanguinem suum pretiosum fudisse dignoscitur, ejus meritis et passione tota provincia nostra Cant. illustratur, ac universalis decoratur ecclesia, summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis et spiritualibus congruit honoribus venerari. Hacque consideratione præhabita, nos in convocatione prædicta, vestro et aliorum, de quibus præfertur, concurrente consilio pariter et assensu, commemorationem præfati gloriosi martyris S. Thomæ, ubique infra nostram provinciam semel qualibet hebdomada, viz. die martis, si convenienter id fieri poterit, alioquin alia die hebdomadæ, qua convenientius poterit, sub regula commemorationis festi loci ordinavimus etiam et statuimus debere perpetuis futuris temporibus, ad ecclesiæ nostræ et dicti martyris honorem et gloriam, laudabiliter observari. Quocirca fraternitati vestræ committimus et mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmissa omnia et singula in civitate et dioec. vestris publicetis, et executioni debitæ demandetis; ipsaque omnibus et singulis suffraganeis nostris et confratribus in suis civitatibus et dioec. publicanda, et executioni debitæ demandanda quantocyus transmittatis.

Cæterum omnium in convocatione prædicta a nobis, nostrisque confratribus et suffraganeis, ac clero nostræ provinciæ Cant. prædictæ ob sedis apostolicæ et sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Bonifacii, divina providentia papæ IX. reverentiam pariter et honorem, ad ipsiusque domini nostri papæ requisitionem et exhortationem suis literis bullatis, et in dicta convocatione publice exhibitis, et prælectis, de congrue subventionis auxilio, venerabili et religioso viro domino Nicolao, abbati monasterii S. Sylvestri de Nonantula, ordinis S. Benedicti Mictiv. dioecefeos, ipsius domini nostri papæ referendario, ejusque et dictæ sedis nuncio ad regnum Angliæ, pro magnis et arduis Romanæ ecclesiæ negotiis provincialiter destinato, pro suis et familiæ suæ necessariis liberaliter impendendis gratiose concessum extiterat, quod de universis beneficiis ecclesiasticis dictæ nostræ provinciæ Cantuar. taxatis ad decimam, et ad decimam solvere consuetis, sibi de singulis libris singuli denarii solverentur, in suarum expensarum et erogationum, quas in prosequendo supradictæ sedis negotia ecclesiæ Anglicanæ, ac universalis ecclesiæ utilitatem notorie concernentia, gratantius effundebat, aliqualem recompensationem. Vestræ

Marginal note: fuit Wilk. t. I. p. 234. ex reg. Arundel. Sta-ford. A. f. 15. & MS. Bodlei fu-r D. I. n. 43.

ANNO CHRISTI 1398.

ſtræ igitur fraternitati committimus et mandamus, quatenus eiſdem confratribus noſtris et ſuffraganeis omnibus et ſingulis auctoritate noſtra in hac parte injungatis, ut eorum quilibet, quatenus ſe ſuaſque civitatem et dioec. concernit de ſingulis libris omnium beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcunque, tam exemptorum, quam non exemptorum, ſingulos denarios, ut præmittitur, citra feſtum Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ proxime futurum, colligi fideliter faciat et levari; quam quidem pecuniam ſic receptam et levatam, una cum portione ipſum ſuffraganeum noſtrum quemcunque concernente, dilectos in Chriſto filiis, magiſtris Johanni Lynton, curiæ noſtræ Cant. regiſtrario, ac domino Richardo Depedene, rectori eccleſiæ beatæ Mariæ de arcubus London. noſtræ immediatæ jurisdictionis receptoribus in hac parte per nos deputatis London. in hoſpitio dictæ curiæ noſtri regiſtrarii, quod ibidem inhabitat, citra feſtum tranſlationis S. Thomæ martyris proxime futurum, perſolvi integre faciat et ſatisfieri de eadem, voſque pro veſtris civitate & dioeceſi conſimiliter faciatis, ut præfertur. Ad quæ omnia & ſingula facienda vobis & eis, quatenus quemlibet veſtrum concernit, vices noſtras committimus, cum coercitionis canonicæ poteſtate; vobiſque injungimus eisdemque noſtris confratribus, ut quid & quantum in veſtris ſuis civitatibus & dioeceſi contigerit & debuerit colligi & levari, nos citra dictum feſtum tranſlationis S. Thomæ, ubicunque in noſtris civitate & dioeceſi vel provincia Cantuar. tunc fuerimus, diſtincte per veſtras & eorum literas patentes, harum ſeriem ac ſolventium & non ſolventium nomina continentes, certificetis, & certificent, injungatis; & quid facere duxeritis in præmiſſis, nos citra feſtum S. Georgii martyris proxime futurum reddatis certiores per veſtras patentes literas, harum ſeriem continentes. Datum in manerio noſtro de Croydon 8. die dicti menſis Martii, Anno Domini MCCCXCVII. & noſtræ conſecrationis anno primo.

Quarum quidem literarum auctoritate & vigore tibi firmiter injungentes committimus

A & mandamus, quatenus præmiſſa omnia & ſingula SS. David & Ceddæ epiſcoporum & confeſſorum, & S. Wenefridæ virginis prædictorum feſtivitates, ut præfertur, celebrandas, necnon feſta SS. hujuſmodi calendario intitulanda & ſignanda, dictique glorioſiſſimi epiſcopi & martyris S. Thomæ commemorationem obſervantia concernentia, & in eiſdem literis plenius expreſſata, in archidiaconatu London. prædicto, ſecundum vim, formam, tenorem, & effectum earundem literarum publices, & executioni debitæ demandes plenarie vice noſtra. Præmiſſa quoque et alia omnia & ſingula in præfatis literis contenta, tibi literarum ſerie intimamus; tibi ipſarum auctoritate mandantes,
B ut tu, quatenus archidiaconatum prædictum concernit, de ſingulis libris omnium beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcunque, tam exemptorum, quam non exemptorum, ſingulos denarios, ut præmittitur, citra feſtum nativitatis S. Johannis Baptiſtæ prox. futurum, colligi fideliter facias & levari; quam quidem pecuniam, ſic receptam et levatam domino Johanni Wijkes, rectore eccleſiæ parochialis de Orſete, noſtrarum collationis et dioeceſeos receptori in hac parte, ac commiſſario noſtro per nos ſpecialiter deputato, in eccleſia noſtra cathedrali London. citra diem penultimum menſis junii proxime nunc futurum, perſolvi integre
C facias et ſatisfieri de eadem. Tibi inſuper auctoritate, qua ſupra, mandamus, ut quid et quantum in dicto archidiaconatu London. contigerit et debuerit colligi et levari, nos ſeu dictum noſtrum commiſſarium citra dictam penultimam diem dicti menſis Junii in dicta eccleſia cathedrali diſtincte et aperte certifices per literas tuas patentes, harum ſeriem et ſolventium et non ſolventium nomina continentes. Ad quæ omnia et ſingula facienda, exercenda, et expedienda, tibi vices noſtras committimus, cum cujuſlibet coercitionis canonicæ poteſtate. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum in mane-
D rio noſtro de Stebbentuſthe die 15. menſis Aprilis A. D. MCCCXCVIII. et noſtræ conſecrationis anno XVII.

LON-

LONDINENSIS SYNODUS

In causa jurium Cleri Anglicani

Anno 1399. *habita*.

ADMONITIO COLLECTORIS.

" Convocationes cleri Anglicani crebrius " per hos annos repetitas ne in synodorum numerum referam, prohibuit, et " indictio a Rege prius, dein a Cantuariensi " archiepiscopo contra synodorum morem " præstita; et causa, cum coetus istos habitos constet pro decernendo regi vel archiepiscopo, vel in cleri indigentias opportuno pecuniarum subsidio. Id vero " parum vel nihil conducere ad res conciliares augendas arbitratus sum. Accedebat et Labbei exemplum, qui persimiles " cleri Anglicani convocationes omittendas " censuit. Cum vero ea, quam hic dandam " suscipio, Anglicani cleri convocatio ecclesiastici aliquid offerat ultra decimarum " vel multarum collectionem, et ab Harpsfeldio in hist. eccl. Angl. sæc. XIV. cap. IX. " pag. 618. synodi nomine appelletur; hæc " proinde causa subest, cur a me inter concilia recenseretur. Acta hujus eruit Wilkins ex reg. Arundel. I. fol. 51. ex quo " huc transfero.

Postea peracta sacra & post lectionem certificatorii episcopi London. quia dominus comes Westmorlandiæ & dominus Thomas Herpyngham, fuerunt dicto domino comiti Northumbriæ associati ex parte dicti domini regis, de & super certa materia, dicto domino archiepiscopo Cantuar. cæterisque prælatis & clero dictæ suæ provinciæ Cantuar. exponenda, dictus dominus archiepiscopus una cum suffraganeis, necnon aliis prælatis & clero suis, per nonnulla tempora adventum eorum expectabant; & tandem dicti domini comes Westmorlandiæ, & Thomas Herpyngham sic diutius expectati, in capellam prædictam venerunt. Et statim comes Northumbriæ voluntatem dicti domini regis & causam adventus eorum dictis domino archiepiscopo, necnon suffraganeis & aliis prælatis & clero prædictæ provinciæ exponebat; dicens, quod ipse & socii sui prædicti, non missi fuerint ad illum finem, sicut cæteri nuncii a progenitoribus & prædecessoribus dicti domini regis ante hæc tempora dictis domino & clero mittebantur, videlicet pro exactione pecuniarum; sed ex parte regis expresse dixit, non fuit intentionis neque voluntatis dicti domini regis de cætero aliquam exactionem pecuniarum in regno suo facere, nec eisdem imponere, nisi magna necessitate guerrarum, & inevitabili necessitate ingruente; sed supplicavit eisdem dominis & clero affectione, qua potuit, quatenus dictum dominum nostrum regem in orationibus suis de cætero, necnon in eventum guerrarum & hujusmodi, quod absit, habere dignentur, specialius recommendatum; certificans eisdem dominis prælatis, & clero, quod ipse dominus noster rex omnes libertates ecclesiæ sustineret, necnon hæreses, errores, & hæreticos destrueret juxta posse. Quibus sic per dictum dominum comitem Northumbriæ dictis & expositis, dictus dominus archiepiscopus ex parte prælatorum & totius cleri, domino nostro regi pro sua magna benevolentia gratiarum actiones reddebat multiformes; & statim & incontinenti his expeditis, dictus dominus archiepiscopus continuavit, convocationem suam hujusmodi usque in crastinum, inter octavam horam & nonam, viz. octavam diem ejusdem mensis in domo capitulari ejusdem ecclesiæ. Et medio tempore mandavit alia certificatoria & procuratoria prælatorum, & cleri antedicti recipi per cancellarium suum & causarum suarum audientiam.

Qua hora dicti diei crastini adveniente, coram domino in domo capitulari prædicta comparuerunt personaliter reverendi in Christo patres, & domini, domini London Winton. Lincoln. Norwic. Elien. Exon. Saresburien. Hereford. Landaven. Wigor. Lich. Assaven. Roffen. Bangor. Cicestr. Menev. episcopi, & dominus prior ecclesiæ Cant. abbas Glaston. abbas Gloucestr. & alii abbates quamplures, necnon aliorum absentium, viz. episcopi Bathon. & prælatorum ac cleri provinciæ antedictæ procuratores. Et exposita ibidem per dominum causa convocationis hujusmodi, tractabant ipse dominus, & reverendi patres, episcopi antedicti, per se de negotiis omnibus ecclesiæ; aliis prælatis & procuratoribus cleri seorsim separatis. Et quia videbatur præfato domino archiepiscopo, & aliis episcopis dictæ suæ Cant. provinciæ satis difficile omnes prælatos & procuratores cleri in unum congregare, ad concipiendum articulos ex parte cleri proponendos, propter hoc deputavit quinque personas, viz. magistrum Thomam Stowe, archidiaconum London. magistros Thomam Southam, Johannem Helmer, Johannem Maydenheth, & Will. Stukle ad concipiend. articulos ex parte prælatorum & cleri, super quibus prætendunt ecclesiam & se gravatos. Et tandem dominus continuavit convocationem suam hujusmodi usque ad diem sabbati, viz. diem undecimum ejusdem mensis, inter horam octavam & horam nonam.

Quibus die & hora venientibus rever. domino & dictis episcopis, necnon aliis prælatis & procuratoribus dicti cleri ad dictam domum capitularem; & quia tunc videbatur domino quod articuli, de & super quibus ipsimet inter se essent tractaturi, non possent commode inter ædes publicari, ideo dictis prælatis & procuratoribus, in eadem domo capitulari dimissis, dictus dominus una cum suffraganeis suis accessit ad capellam B. Mariæ ejusdem ecclesiæ, ubi & in quo loco mag. Joh. Where, decanus ecclesiæ Here-for-

ANNO CHRISTI 1399.

forden. dictos articulos, de mandato dicti domini archiepiscopi, palam & aperte allegebat. Quibus sic perlectis & plenius intellectis, & quia in dictis articulis continebantur certa gravamina, per sedem apostolicam merito reformanda; visum fuit satis honestum & expediens dictis domino archiepiscopo & suffraganeis provinciæ suæ Cant. prædictæ mittere pro collectore domini nostri papæ, tunc in civitate existente, ad consulendum cum eo de & super præmissis in dictis articulis contentis, & ita de facto miserunt. Quo veniente, & plenius de proposito dictorum dominorum consulto, ipse ex parte domini papæ, nec non ex parte sui ipsius, dictis dominis archiepiscopo & episcopis pro eorum benevolentia gratiarum reddebat actiones; dicens expresse, quod fuisset & est satis honestum & expediens ecclesiæ Anglicanæ, quod dominus noster rex, una cum dictis domino archiepiscopo & epscopis, scriberet domino nostro papæ pro reformatione eorundem; & ipsemet fideliter promisit se velle scribere domino nostro papæ, necnon laborare pro reformatione præmissorum in omnibus juxta posse. Et statim postea dictus dominus archiepiscopus misit pro cæteris prælatis & procuratoribus cleri dictæ suæ Cant. provinciæ, quod venirent de dicta domo capitulari ad dictam capellam B. Mariæ coram eo, & dictis suffraganeis suis, gravamina, si quæ haberent, de & super quibus prætendebant se gravatos, ac reformanda, si quæ scirent in provincia Cant. posituri.

Quibus ad dictam capellam venientibus; surrexit quidam venerabilis vir magister Joh. Maydenheth, & nomine cleri provinciæ antedictæ certos articulos ex parte cleri provinc. antedictæ conceptos, & quamplura gravamina continentes, publice perlegebat, prout in eisdem articulis plenius continebatur; super quibus supplicavit humiliter & devote ex parte cleri prædicti, dictis dominis archiepiscopo & episcopis de remedio sibi per eosdem in hac parte provideri opportuno. Et quia dicti domini archiepiscopus & episcopi deberent circa ardua negotia, & præcipue circa coronationem dicti domini nostri regis fiendam 13. die ejusdem mensis, multipliciter præpediri, dictus dominus archiepiscopus continuavit convocationem suam hujusmodi usque ad diem veneris, viz. 16. diem ejusdem mensis, in domo capitulari prædicta. Et quia articuli neque ex parte prælatorum, neque ex parte cleri fuerunt omnes pleni seu deliberati, mandavit idem reverend. pater, quod interim procuratores cleri deliberarent, & articulos plenos illo termino, si voluerint, proponerent. Adveniente vero dicto die, idem mag. Joh. Maydenheth alios articulos quamplures ex parte cleri prædicti eisdem archiepiscopo & episcopis publice exponebat; quorum vero omnium & singulorum articulorum prædictorum tenores sequuntur, & sunt tales.

Articuli porrecti in convocatione.

In primis conqueruntur prælati, & clerus provinciæ Cant. antedictæ, quod cum per procuratoria & alia instrumenta sub nominibus confictis & fabricatis concepta, soleant permutationes, divortia, & alii actus judiciales de facto expediri; quatenus ordinetur, quod concipientes & concipi facientes procuratoria & instrumenta hujusmodi, nomen unius alteri imponentes, seu sibi assumentes scienter & dolose, sint ipso facto majoris excommunicationis sententia innodati; & nihilominus, si beneficiati fuerint, suis priventur beneficiis. Et notarii præmissorum conscii, officio tabellionatus perpetuo priventur. Et quod nullus tabellio vel utens sigillo auctentico signet aut sigillet aliquod procuratorium seu instrumentum nomine alicujus, nisi constituentis seu instrumentum confici requirentis; nominisque & cognominis ejusdem in procuratorio seu instrumento expressator. certam & indubitatam habeat notitiam; & quod facientes in contrarium poenam incurrant antedictam.

II.

Item, quod constitutiones editæ contra capellanos parochiales & stipendiarios super eorum salariis percipiendis, & juramento fidelitatis rectoribus & vicariis præstando, cum poenæ adjectione moneantur, ac executioni debitæ ubique infra provinciam demandentur.

III.

Item, quod locorum ordinarii, & alii prælati, ac eorum ministri, pro suis literis & sigillis in institutionibus, inquisitionibus, inductionibus, & commissionibus, & permutationibus expediendis, testamentorum insinuationibus, & literis dimissoriis, & ordinum barbitonsoribus, & aliis ad eorum officium pertinentibus, feoda percipiant moderata, & quod taxetur summa in præmissis, quam excedere non debeant, aut valeant quovismodo.

IV.

Item, quod cum religiosi & alii ecclesiarum patroni in presentationibus ad beneficia sui patronatus, pro sigillo & aliis feodis a præsentatis pecuniam excessive, quandoque ad summam IV. vel V. marcarum, ac juramenta illicita præsertim a vicariis super portione sua minime augmentand. vel pensione indebita omnino solvenda extorqueant ab eisdem; quatenus ordinetur, quod præsentantes hujusmodi jure careant præsentandi ea vice, jusque ipsorum ad loci dioecesanum ipso facto devolvatur, ac præsentati prædicti inhabiles fiant ad quodcunque beneficium ecclesiasticum obtinendum, prout de jure communi existunt.

V.

Item, quod religiosi etiam exempti, & quicunque alii habentes ecclesias appropriatas, pensiones, & portiones, teneantur comparere per se aut procuratores sufficientes con-

ANNO CHRISTI 1399.

constitutos, coram ecclesiarum hujusmodi ordinariis, per ipsos licite vocatos, & mandata ipsorum canonica, & alia onera quæcunque, ratione ecclesiasticarum portionum & pensionum suarum hujusmodi, ut alii rectores seculares subire. Et quod ad hoc compelli valeant & arctari per sequestrationem fructuum, ecclesiasticarum portionum & pensionum prædictarum.

VI.

Item declaretur de denario B. Petri, pane benedicto, & oblationibus pentecostalibus, an debeant solvi ab occupatoribus terrarum ad tenementa quondam ædificata ex nunc collapsa, vel etiam non inhabitata pertinentium, præsertim cum singulæ parochiæ ad certam quotam antiquitus sint taxatæ, & de sic tenentibus consueverant levari.

VII.

Item, quod ministri episcoporum seu archidiaconorum non onerent subditos eorundem, præterquam in visitationibus ordinariis eorundem semel in anno, capitula eorum secundum communem cursum celebranda tenendis.

VIII.

Item, quod pro adulterio recidivo, publico & notorio, seu alio crimine graviore notorio poena corporalis publica omnino ab eisdem sit facta.

IX.

Item, quod domini nostri episcopi dispensent absque difficultate cum rectoribus ecclesiarum suarum dioec. habilibus, docilibus, & proficere volentibus, & licentiam concedant transeundi ad studium generale, ad aliquod tempus rationabile.

X.

Item, quod curati quicunque in studio generali proficere non valentes, & alii non residentes, ad ipsorum curas per dominos episcopos revocentur; nec de cætero cum eisdem seu aliis in futuro de non residendo dispensetur, nisi ex causis veris & legitime probatis.

XI.

Item, quod domini nostri episcopi causas beneficiales & matrimoniales non committant, nisi personis jurisperitis & discretis, & sibi notis.

XII.

Item, quod domini nostri episcopi personas ignotas ad beneficia curata vacantia præsentatas, per procuratores non admittant; sed personæ hujusmodi personaliter ad episcopos suos accedant, examen pro beneficiis hujusmodi, si ea velint suscipere, subituri ab iisdem.

A

XIII.

Item; quod domini nostri episcopi in suis synodis episcopalibus dominorum Ottonis & Ottoboni contra concubinarios & violatores libertatis ecclesiæ, ac bonæ memoriæ domini Joh. Stratford contra ultimarum voluntatum ac juris ecclesiastici exercitii impeditores constitutiones factas, distincte faciant perlegi & exponi in vulgari.

XVI.

Item, quod propter fictiones & fraudes varias in permutationibus beneficiorum e- B xercitas, nullatenus expediantur, nisi institutiones duorum beneficiorum permutandorum realiter tunc exhibeant. Et si partes permutare volentes hinc inde sub pœna pecuniaria vel juramento, ea occasione, obligaverint, nullo modo expediantur.

XV.

Item, quod dicti domini nostri episcopi seu archidiaconi jurisdictionem aliquam spiritualem non dimittant ad firmam, nec in correctionibus aut jurisdictionibus aliis spiritualibus faciend. suorum subditorum clericum conjugatum, vel religiosum, seu biga- C mum substituant, aut scribam deputent quovis modo.

XVI.

Item, quod fiat statutum pœnale, & provinciale, quod quicunque beneficiorum ecclesiasticorum patroni sive ecclesiastici, sive seculares, de cætero primas vel secundas vacantias, sub colore alienationis juris patronatus, non concedant; sed quod concessiones hujusmodi factas caute studeant revocare.

XVII.

D

Item, quod domini nostri episcopi bullas quæstorum diligenter examinent, antequam literas suas pro ipsorum receptione concedant; & quod capellanos non beneficiatos ad prædicandum non admittant.

XVIII.

Item, quod domini nostri episcopi abbatibus & prioribus, & aliis religiosis quibuscunque sibi subditis, inhibeant sub pœnis & censuris, ne pro pensionibus ecclesiasticis eis debitis, clericos trahant ad forum seculare per breve " De detentione annui red- E ditus; sed pro pensionibus hujusmodi, jus suum in foro ecclesiastico prosequantur, sub pœna amissionis pensionis antedictæ vel alia condigna.

XIX.

Item, quod domini nostri episcopi notarios publicos & tabelliones titulum creationis faciant eis exhibere, quorum nomi-

Anno Christi 1399.

mina in qualibet diœcesi registrentur, & non exhibentes ab officio notari suspendant & denuncient. A

XX.

Item, quod cum commissarii episcoporum dictæ provinciæ ad probanda testamenta defunctorum deputati, nullis ex bonis hujusmodi defunctorum confectis inventariis per eos visis, aut fideli computo exinde reddito, coram eis executoribus testamentorum hujusmodi, ex pacto expresse inito, pro certa summa, & multoties nimium excessiva, ne bonis ipsorum defunctorum, quæ in pios usus pro salute animarum suarum converti deberent, præfatis commissariis soluta, concedant acquietancias generales de & super hujusmodi executorum administrationibus in ea parte; qui quidem abusus eisdem executoribus audaciam præbet de bonis propriis hujusmodi testatorum eorum animas nequiter defraudare. Quod acquietanciæ hujusmodi ante computum redditum non concedantur, & contrafacientes juramento ipsorum acquietanciam recipientium super hoc convicti, quod ea occasione receperunt, restituant partibus hoc solventibus, & tantumdem ordinario immediate superiori solvere insuper teneantur. B

XXI.

Item, quod cum administratio bonorum ab intestato decedentium de consuetudine ecclesiæ Anglicanæ ad episcopos seu alios ordinarios pertinere dignoscatur, committant dicti episcopi, seu alii ordinarii administrationem bonorum hujusmodi consanguineis proximioribus dicti defuncti, si ad hoc habiles inveniantur. Alioquin aliis personis idoneis sine difficultate quacunque, ut in pios usus pro animabus dictorum defunctorum bona hujusmodi expendantur, & non convertantur in usus dictorum ordinariorum, ut antea fieri consuevit, reservata dictis ordinariis audiend. computum super administratione hujusmodi potestate, congruis loco & tempore tantummodo. C D

XXII.

Item, quod ipsi domini episcopi apostatas per dictam provinciam regulari habitu temere dimisso secularibus vestibus indutos, per mundum vagantes, quorum aliqui sunt officiales archidiaconorum, aliqui capellani in ecclesiis parochialibus divina celebrantes, per quorum præterea excommunicatorum præsentiam, inficiuntur populi christiani, negligunt ad statutum debitum revocare, & facere pro commissis canonice puniri. Quare supplicatur, quod hujusmodi apostatæ ad claustra sua quantocyus revocentur; et si in sæculo vagati fuerint, supplicetur domino regi, ut quisquis dioecesanus in sua dioecesi potestatem habeat hujusmodi apostatas capiendi, et carceribus mancipandi. E

XXIII.

Item, quod capellani religiosi cujuscunque ordinis in habitu ordinis sui incedere de cætero compellantur; et si in sæculari habitu inventi fuerint, a celebratione divinorum ipso facto sint suspensi.

XXIV.

Item, quod de cætero non admittantur presbyteri stipendiarii transeuntes ab una dioecesi ad aliam, sine litteris commendatitiis; & quod nullus ordinarius de cætero aliquem admittat sine prædictis literis.

XXV.

Item, quod in quampluribus locis dictæ provinciæ rectores et alii beneficiati non permittuntur suas decimas, ad ipsorum ecclesias debitas abducere et asportari de locis, de quibus proveniunt, nisi omnibus diebus dominicis et festivis ballivos, præpositos, carectarios, et alios ministros dominicos, et alios parochianos locorum hujusmodi toto tempore autumnali pascant et convivant; chirothecas pecunias et alia donaria eis donant, contra ecclesiasticam libertatem.

XXVI.

Item, quod bona hospitalium dictæ provinciæ non in usus pauperum et lepra infectorum, ad quorum et etiam capellanorum ibidem missas et alia divina celebraturorum sustentationes, ac ædificiorum hospitalium hujusmodi reparationes erant antiquitus pie fundata, sed in aliis voluptatibus et comessationibus, ut vulgo; proh dolor! scitur, indebite expenduntur; adeoque nedum hujusmodi capellanis & pauperibus nimia infligatur miseria, sed ipsorum numerus ex dictorum hospitalium fundationibus sustentandus, multipliciter minoratur. Supplicatur quatenus Clementina "Quia " contingit super hiis " de cætero observatur.

XXVII.

Item, quod festum S. Georgii martyris, qui totius militiæ Anglicanæ spiritualis est patronus, & penes quem in artibus armorum præ cæteris sanctis habetur devotius & confidentius memoria, instauretur per totam Angliam festive ac solemniter ferianda, & colenda, sicut cæteræ nationes suorum patronorum festa colunt.

XXVIII.

Item, paternitati vestræ reverendissimæ humillime supplicant oratores vestri devotissimi vestrarum universitatum scholarum Oxon. & Cantebrig. provinciæ vestræ Cant. magistri regentes & non regentes, ac cæteri scholares, quod cum dictæ universitates ex illustrium regum ac procerum,

rum, aliorumque nobilium fidelium regni Angliæ piis eleemosynis erant antiquitus fundatæ, ut in eisdem debite insistentes divinæ legi, ac ecclesiasticæ aliisque scientiis liberalibus, per quas tota militans hic etiam regi militia gubernari, & virtutes ad hujusmodi regni stabilitatem introduci queant & exerceri, ad dignitates tam electivas, quam alias, aliaque beneficia ecclesiastica dicti regni una cum suis clero atque populo proinde gubernanda promoverentur sufficienti doctrina eruditi, quas quidem promotiones ex provisionibus apostolicæ sedis, retroactis temporibus, præ aliis indisciplinat. gratiose fuerunt assecuti, dictaque gratia solito præfatis scholaribus copiose concessa per quoddam statutum tempore domini regis Edvvardi III. apud Carlile anno regni sui XXIV & apud Westmonast. anno XIII. regni regis Richardi secundi nuper in parliamento Anglicano editum contra provisores, fuerat penitus adempta, quamvis jam antea ipsum statutum fore noscitur aliquatenus mitigatum, propter quod præfatarum universitatum scholarium numerus, nunc ad secularia redeuntium, multipliciter minoratur, & ipsas universitates non ambigitur penitus destruendas infra breve, nisi celerius congruum in hac parte remedium apponatur; quatenus penes excellentissimum & christianissimum principem dominum nostrum, dominum Henricum, Dei gratia regem Angliæ quartum, qui ad sacrosanctæ ecclesiæ libertates conservandas, & catholicæ fidei exaltationem devotissimum & specialissimum, ut speratur, gerit zelum, condignis precibus & exhortationibus taliter instare velitis, charitatis ac præmissorum intuitu, ut dicti scholares modernis, sicut antiquis domini Henrici III. quondam regis Angliæ, aliisque elapsis temporibus satis notis, dignitates & beneficia prælibata, ex indulto eis dictæ apostolicæ sedis privilegio supradicto, non obstante statuto, licite valeant assequi, & eis gaudere, aut alterius remedii opportuno suffragio per vestram discretissimam paternitatem benignius apponend. ad Dei laudem & salutis animarum continuum incrementum.

XXIX.

Item, cum clericis laici oppido sunt infesti, ipsisque laicis quam religiosis disponendi de rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quibus obsequend. manet necessitas non auctoritas imperandi, suis finibus non contenti, nitantur (ut asseritur) in vetitum ad illicita sua frena relaxare, & per Lollardos (ut dicitur) informati intendant contra prælatos & alios viros ecclesiasticos in præsenti parliamento novas constitutiones seu statuta facere, edere, & introducere, contra ecclesiæ libertatem, quæ non constitutiones sed potius distractiones, imo destructiones merito dici possunt. Quare supplicat clerus provinciæ antedictæ humillime vobis reverendissimo in Christo patri, ac domino suo, dom. Thomæ, Dei gratia archiepiscopo Cant. antedicto, vestrisque suffraganeis prædictis, quatenus velitis in præmissis sic resistere, ut ecclesia Anglicana sua libertate solita in præmissis & aliis antiquitus observatis, pacifice gaudere valeat in futurum.

XXX.

Item, non concedantur commissiones ad inquirendum, ubi rex præsentat ad ecclesiam plenam, quousque titulus regius per breve de "Quare impedit" sit discussus, & patroni titulus enervatus; & si committi debeat, committatur in pleno consistorio episcopi ad inquirend. vocati ad hoc incumbente licite, vel archiepiscopi in curia de arcubus, si per appellationem ad eum causa hujusmodi devolvatur, ut sic processus incumbentis pateat, & aliter processus factus sit ipso jure nullus.

XXXI.

Item, supplicat clerus antedictus, quod cum locorum ordinarii, qui causas beneficiales, & alias certis commissariis, ut creditur, ignorantibus, subornatis, suspectis, & corruptis committunt decidendas; qui commissarii recepta commissione hujusmodi, assumptis sibi uno ordinario notario & duobus falsis testibus, prætendentes partem ad hoc vocatam, cum non sit, causas hujusmodi, absente parte & non vocata, in locis latebrosis vel coemeteriis ecclesiarum & aliis privatis consimilibus & horis suspectis soli per se sedentes, decidunt & terminant, ac suas ferunt sententias, aliquando privationis, excommunicationis, vel interdicti alias poenas imponunt, juris ordine in aliquibus minime observato. Et quod processus hujusmodi ipso jure sit nullus. Et si commissarius presbyter sit vel beneficiatus, a celebratione divinorum & perceptione fructuum beneficii, si quod obtineat, ipso facto sit suspensus. Et si clericus, non presbyter, nec beneficiatus existit, per idem tempus inhabilis sit ad quodcunque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Et notarius, in præmissis actorum scriba sit perpetuo privatus.

XXXII.

Item, quod compellantur abbates, & priores, & personæ aliæ religiosæ ad exhibend. & inveniend. decanos rurales & solvend. & contribuend. procuratoribus cleri in ipsius cleri convocationibus provincialibus & synodalibus, & aliis cleri oneribus pro ecclesiis sibi impropriatis in decanatibus illis, in quibus consistunt hujusmodi ecclesiæ eis appropriatæ, una cum clero ipso; maxime cum ab eisdem ecclesiis ante appropriationem earundem onera hujusmodi debebantur, & fieri consueverunt. Quæ onera sic subite de facto differunt & recusant religiosi ipsi, in cleri ipsius præjudicium non modicum & gravamen. Quodque recusantium & differentium onera hujusmodi sic subire, fructus, reditus, & proventus ecclesiarum hujusmodi, pro quibus ipsa onera subire noluerunt, ipso facto per unum annum maneant sequestrati, ac locorum episcopo or-

ANNO CHRISTI 1399.

ordinario, & clero ipsi de eisdem fructibus pro oneribus ipsis anno ipso supportand. disponendi libera sit facultas, nisi ubi vicarii in beneficiis hujusmodi intitulati ex compositione vel consuetudine ad præfata onera consueverunt eligi & compelli.

XXXIII.

Item supplicant paternitati vestræ rever. prælati & clerus vestræ Cant. provinciæ, quatenus subscripta gravamina eis per curias vestras Cant. illata & inferri consueta, reformare & emendare velitis intuitu charitatis.

XXXIV.

Inprimis, quum aliquis in eorum curiis prætendit, se licet falso, gravatum, statim accedit ad curiam de arcubus, asserens se a prætenso gravamine appellasse, &, licet nulla appellatione ostensa, obtinet inhibitionem sæpissime, causa frustrandi judicium, & impediendi inter partes justitiam ministrari.

XXXV.

Item, cum agitur super contemptu, licet ad satis sinistram suggestionem contra aliquem qualecunque genus probationis producitur contra sic super contemptu accusatum, sive sit instrumentum, sive quodcunque aliud probationis adminiculum in quantumcunque reprobabile, quamvis contra quam, &c. petat terminum ad dicendum contra, secundum juris exigentiam, hoc tamen prætextu constitutionum curiæ non habebit (authoritatem.)

XXXVI.

Item, cum producitur contra aliquem aliquod monimentum, idem producens calumniose procurat illud productum statim copiari; & in registrario recuperat originale pro pecunia, quia sæpius fabricatum et confictum, ne ille, contra quem producitur, possit illud prædictum per juridicam examinationem in aliquo reprobare.

XXXVII.

Item, cum aliquis citatur ad dictam curiam super prætenso contemptu; non habebit ibidem advocatum, procuratorem, vel aliquem consiliarium de juratis curiæ.

XXXVIII.

Item, cum quis litigat in eadem curia in tuitorio, et sentit se gravatum aliquo gravamine, advocatus nec procurator audebit appellare in quantumcumque gravamen sit notorium.

XXXIX.

Item, cum emanat inhibitio ab eadem curia ad partes cujuscunque, licet ille, cui inhibetur, petit a mandatariis copiam hujusmodi inhibitionis, vel legi tenorem mandati, hoc facere sæpissime recusant, sed tantum ostendunt sigilla, litera tamen clausa prætensa inhibitionis; et hoc maxime ad frustrandum judicium et impediendam justitiam inter partes.

XL.

Item, hujusmodi mandatarii sæpissime inhibent absque aliqua citatione, ut sic per calumniam proteletur negotium.

XLI.

Item, quum aliquis citatur super prætenso contemptu, quamvis ad remotiorem partem provinciæ Cant. et propter timorem contemptus comparet die et loco in citatorio assignato, et hoc non sine magnis laboribus et expensis; tamen sic citare procurans, licet temere, sive non comparuerit sive comparuerit, et defecerit in probationibus, non condemnabitur in expensis; et sic contra juris æquitatem pœna temere litigantium nullatenus habet locum.

XLII.

Item, quem per aliquem suffraganeum ejusdem provinciæ vel ejus auctoritate proceditur contra aliquem " ex officio " ad correctionem animæ, ubi inhibitio non deberet quovismodo concedi, idem sic corrigend. asserens, causam contra se ad instantiam partis agitari, licet omnino conficte, impetrat inhibitionem, quod sive sit, ut suggestum est, sive alias, non procedatur in causa ad fovendum materiam delinquend. et, ut experientia docet, etiam permanend. damnantur in peccatis.

XLIII.

Item, quanquam obtenta dimissione ad eandem curiam ut procedatur in causa, non obstante inhibitione alias emanata, iterum inhibetur per eandem antiquam inhibitionem, mutatis tamen anno, mense, & die per rasuram, & oportet, ut dicitur, obedire.

XLIV.

In primis, supplicant humiliter & devote prælati, et clerus prædicti, quatenus omnia privilegia, libertates et jura, et specialiter in magna charta, et in statuto " Circumspecte agatis " contenta, ipsis prælatis et clero, ac præcessoribus, et prædecessoribus, ecclesiisque et beneficiis ecclesiasticis eorundem, necnon universitatibus clericorum per nobiles progenitores domini regis dudum concessa et confirmata, dignetur idem dominus rex pro se et hæredibus suis gratiose et sufficienter ratificare et confirmare; ac super ratificatione et confirmatione hujusmodi literas suas libere et sine fine concedere, et fieri facere cum effectu.

XLV.

XLV.

Item, supplicant iidem prælati et clerus domino regi prædicto; quatenus literas patentes domini Edwardi, regis Angliæ a conquestu secundi, apud Eboracum 23. die mensis Novemb. anno regni sui X. prælatis et clero dicti regni concessas, in quibus articuli prælatorum et cleri prædicti super gravaminibus eis illatis, et cæteræ responsiones ad eosdem articulos per eundem regem et concilium suum datæ, plenius continentur, prout in rotulis cancellariæ reperire poterit de recordo, ratificare, approbare, et confirmare dignetur de sua gratia speciali.

XLVI.

Item, cum temporalia alicujus prælati seisita fuerint in manum regis, aut iidem prælati per bona et catalla sua distringi debeant ex aliqua causa de mandato regis, vigore brevis sui, ministri regis decimas et alia emolumenta ecclesiarum mensæ episcopali appropriatarum in hac parte nequiter violando, sument; unde regiæ benignitati complaceat gratiose concedere, quod ministri sui de dictis spiritual. de cætero se nullatenus intromittant.

XLVII.

Item, cum viri ecclesiastici beneficiati per processum in curia regis fuerint, aut per bona et catalla sua debeant ex quacumque causa astringi, ministri regis in utroque casu decimas et oblationes, et alia emolumenta quæcunque, ad beneficia eorum spectantia, quanquam in solo ecclesiastico, et quanquam de manibus sacerdotum, utpote bona et catalla temporalia, capere et distringere non verentur, libertatem ecclesiasticam in hac (parte damnabiliter) infringendo. Supplicant igitur dicti prælati et clerus, quod rex dignetur concedere, quod ministri sui de cætero libertatem suam hujusmodi non attemptent (destruere).

XLVIII.

Item in causa perjurii et defamationis, quum in foro ecclesiastico agitur duntaxat ad pœnam canonicam imponendam. Si generalis prohibitio regia judici porrigitur, quamvis judex ille constare faciat sub sigillo suo in cancellaria regis de hujusmodi causa, et quod procedatur tantummodo ad pœnam canonicam ea occasione infligendam consultatio regia denegatur. Unde perjurium incurrentibus et defamantibus grave imminet periculum morum, cum perjurium et defamatio hujusmodi sic perpetuo maneant impunita. Quare supplicant iidem prælati et clerus, ut rex dignetur gratiose concedere, quod in hiis casibus poterit consultatio emanare.

XLIX.

Item, nonnulli timentes sibi, seu etiam conjecturantes, quod in foro ecclesiastico ad instantiam partium, vel ex officio debeant conveniri, antequam ad judicium evocentur, impetrant prohibitiones regias in genere, quas judicibus porrigunt, ut eosdem metu contemptus a futuris eorum processibus faciant abstinere, unde consultationes reportare non poterunt, pro eo, quod in ea parte ostendere nequeunt articulum, vel libellum. Cum autem prohibitionis hujusmodi causa judices ecclesiastici in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, ad instantiam partium deinde criminosi & in suarum animarum interitum remanent incorrecti; quare regiæ benignitati complaceat gratiose concedere, quod si regia prohibitio sic emanet, possit judex ecclesiasticus impetrantem hujusmodi tam ad instantiam partis, quam ex officio, coram eo facere conveniri. Et postquam judex sub sigillo suo constare fecerit in cancellaria de hujusmodi citatione, & quod contineat materiam ad forum ecclesiasticum duntaxat spectantem, extunc vel regia consultatio concedatur, aut possit idem judex in ea parte procedere, prohibitione hujusmodi non obstante.

L.

Item contra judicem ecclesiasticum in causa mere spirituali ad instantiam partium procedentem, breve regium, " Attachias " nuncupat. aliquoties impetratur, et demandatur executioni, antequam emanet prohibitio regia superinde; unde supplicant dicti prælati et clerus dictus domino nostro regi, quatenus concedere gratiose dignetur, ut ante impetrationem prohibitionis regiæ dictum breve de " Attachias " nullatenus concedatur.

LI.

Item, si fructus et proventus ecclesiarum alienigenis appropriatarum, pro eo, quod ecclesiis ipsis non faciunt debite deserviri, per ordinarios locorum sequestrari contigerit, prohibitio regia contra ordinarios illos emanat, sed consultatio omnino denegatur eisdem. Et sic impediuntur, quominus in ea parte valeant de aliquo remedio providere, sicque ecclesiæ memoratæ debitis defraudentur obsequiis, in grave periculum animarum. Placeat igitur domino nostro regi concedere, quod in illo casu consultatio regia concedatur.

LII.

Item, si perpetui vicarii ecclesiarum parochialium, de patronatu regis ratione prioratuum alienigenarum in manu sua existentium, pro augmentatione portionum suarum exilium in foro ecclesiastico prosequuntur, statim prohibitiones regiæ ad impediend. prosecutiones hujusmodi porriguntur; et ex-

in-

ANNO CHRISTI 1399.

inde consultationes vicariis sic prosequentibus denegantur omnino. Cujus prætextu hujusmodi vicariæ propter exilitatem earum quam sæpius deferuntur, et sic ecclesiæ illæ divinis officiis penitus defraudantur. Unde supplicant dicti prælati et clerus, quatenus regiæ benignitati complaceat gratiose concedere, quod in ea parte consultatio regia valeat emanare.

LIII.

Item, quod cum quamplures cantariæ infra regnum fundatæ et dotatæ fuerint in testamentis, et etiam inter vivos, necnon certi reditus ad inventionem luminarium, vel alium pium usum ecclesiæ, vel pauperum, quæ prætextu non capacitatis nova subtilitate adinventa sunt destructæ, ac sic verisimiliter plures destrui continget in futurum; quod cantariæ ipsæ et reditus hujusmodi, juxta pias voluntates defunctorum, ac alias ordinationes fundatorum in ea parte factas, restaurentur, et debite conserventur, defectibus prædictis non obstantibus. Illis tamen cantariis, terris, et tenementis, reditibus, et servitiis, ac advocationibus ecclesiarum prædictarum cantariis in dictis testamentis legatis, quæ reges Angliæ claræ memoriæ Edwardus I. Edwardus II. Edwardus III. seu aliquis eorum seisierunt seu seisivit in manus suas, per ministros suos, tanquam sibi foris facta, virtute, cujusdam statuti " De terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis " editi, et quæ prædicti reges seu aliquis eorum per chartas suas dederunt sive dederit aliquibus domibus religiosis, de fundatione dictorum regum seu alicujus ipsorum in perpetuam eleemosynam, sive ecclesiis cathedr. sive collegiatis duntaxat exceptis. Ita quod dictæ contrariæ per dictos reges seu aliquem ipsorum, sic, ut præmittitur, dat. et concessæ dictis religiosis domibus, sive ecclesiis cathed. seu collegiatis, juxta tenorem dictarum chartarum regiarum firmæ et salvæ semper permaneant in perpetuum, quacunque ordinatione in contrarium edita non obstante.

LIV.

Item, pro eo, quod prioratus alienigenæ, et alia beneficia ecclesiastica, per alienigenas inimicos ab olim possessa, per laicos occupantur et traduntur eis ad firmam; religiosis exclusis in prioratibus illis, et ecclesiis eis appropriatis cultus divinus subtrahitur, et domus prioratuum eorundem, ac ecclesiæ illæ minantur ruinam; quare videtur expediens, quod prioratibus illis et aliis beneficiis ecclesiasticis per locorum ordinarios ad præsentationem regis seu patronum de religiosis viris ejusdem ordinis Anglicis provideatur, et aliis clericis secularibus reservata regi portione sive apporto superioribus domibus extra regnum solvi antiquitus consueto: ita quod solitus numerus religiosorum et secularium clericorum, qui in prioratibus illis altissimo famulari, ac alia onera eis incumbentia supportare valeant, imposterum habeatur.

LV.

Item, quamvis de consuetudine regni Angliæ clerici in omnibus casibus, præterquam in casu proditionis, si fuerint indictati, et in curia sæculari convicti, gaudere debeant privilegio clericali, et episcopali carceri mancipari; contingit tamen interdum, quod clerici ac etiam presbyteri pro depopulatione agrorum et insidiatione viarum malitiose, etiamsi inde penitus immunes fuerint, indictantur, et cum superinde in judicio sæculari convicti fuerint, non episcopali carceri committuntur, ut privilegium clericale deposcit, sed ut laici suspenduntur, contra consuetudinem regni et ecclesiasticam libertatem. Placeat igitur domino nostro regi gratiose concedere, quod dictum privilegium et consuetudo regni prædicta in posterum observetur.

LVI.

Item domini temporales et eorum officiales inhibent tenentibus suis sub gravibus poenis pecuniariis, quod ad citationes ordinariorum in aliqua causa, etiam correctionis animæ extra locum dominii sui non veniant, aut compareant coram ordinariis antedictis. Unde regiæ celsitudini supplicatur, quatenus per brevia sua dominis temporalibus districte prohibeatur, ne quicquam contra libertatem hujusmodi attemptare præsumant.

LVII.

Item abbates et priores, exempti et non exempti, impetrant a rege per literas patentes exemptiones, quod non sint deputati collectores decimarum, domino regi per clerum Angliæ concessarum, in præjudicium domini regis, ac tam ordinariorum, quam aliorum Angliæ prælatorum: placeat igitur eidem domino nostro regi concedere, quod tales exemptiones revocentur, et quod de cætero non concedantur.

LVIII.

Item conqueruntur prælati et clerus prædicti, quod viri ecclesiastici beneficiati et alii tam in ecclesiis cathedr. quam aliis quibuscunque, ac in earum coemeteriis, etiam dum sacris et divinis officiis intendunt, necnon indifferenter in locis aliis, dum sacramentum eucharistiæ ad infirmos deferunt, præsertim sub colore cujusdam validi clamoris " Houthese " vulgariter nuncupat. super et contra eos malitiose facti, arrestantur, et ab ipsis ecclesiis seu coemeteriis et locis extrahuntur, et vinculati ducuntur in carcerem, contra ecclesiasticam libertatem. Quare placeat domino regi concedere, quod in casibus prædictis viri ecclesiastici nullo modo arrestentur, seu capiantur.

LIX.

Item specialiter conqueruntur dicti prælati et clerus, quod viri ecclesiastici ad simplicem suggestionem cujuscunque etiam falsissimam per ministros, marescallos domini re-

ANNO CHRISTI 1399.

regis, totiens quotiens sic suggeritur, rapiuntur, et singulis vicibus, quibus sic capti fuerint, nomine feodi dimidiam marcam solvere compelluntur, ubi laici unum grossum in casu hujusmodi tantum solvunt, quodque sic viri ecclesiastici non plus solvere compellantur, quam laici.

LX.

Item conqueruntur prælati et clerus memorati, quod vicecomites et eschaetores regii ad monasteria etiam ex pura et perpetua eleemosyna per reges et regni proceres fundata etiam cum suis uxoribus in numero hominum et equorum nimium excessive annuatim venientes, ipsa monasteria et beneficiatos in sumptibus et alias nimis onerant et gravant, et nihilominus magnas pecuniarum summas indebite exigunt et extorquent. Placeat igitur domino nostro regi per sua brevia prohibere, et facere proclamari, quod ab hujusmodi gravaminibus imposterum desistant, sub poena per dominum regem, et suum concilium limitanda.

LXI.

Item conqueruntur sæpedicti prælati et clerus quod provisores et emptores pro domo domini regis et aliorum procerum et magnatum, ut dicitur, deputati, beneficia et loca ecclesiastica, contra voluntatem eorum, ad quos pertinent, seu loca tenentia eorundem, ingrediuntur et occupant, habitantesque ibidem et inventos arcent et expellunt, ac bona quæcunque inibi inventa capiunt, dissipant, et abducunt carigia et bona aliorum virorum ecclesiasticorum, in præjudicium et ecclesiasticæ libertatis læsionem. Placeat domino regi prohibere, et facere proclamari, quod a præmissis abstineant in futurum, sub poena per ipsum regem et suum concilium limitanda.

LXII.

Item petunt prælati et clerus præfati, quod ubi de pensione ab una ecclesia seu beneficio ecclesiastico alteri ecclesiæ seu beneficio hujusmodi debita causa coram judice ecclesiarum ventilatur, regia prohibitio minime concedatur; et si emanaverit, consultatio regia plenarie concedatur, ac de hujusmodi causa pensionis cognoscat, & eam terminet judex ecclesiasticus, & minime secularis, præsertim cum sic debeat & consueverit fieri etiam ab antiquo.

LXIII.

Item cum causæ ad forum & cognitionem ecclesiasticam spectantes, ad forum secula-

A re trahuntur, ac cognitio judicum ecclesiasticorum in causis hujusmodi per prohibitiones regias illicite impediatur, sicque jurisdictionem ecclesiasticam impedient; sint majoris excommunicationis sententia, ipso facto damnati, involuti; quod obtenta consultatione regis in causis memoratis, libere valeant judices ecclesiastici taliter delinquentes publice excommunicatos denunciare, ac alias pro hujusmodi commisso, canonice punire; & contra præmissa, breve " Attachias " nuncupat. nullatenus concedatur.

(De hac convocatione prælatorum & cleri provinciæ Cantuar. quam Harpsfeld. Hist. eccl. Angl. sec. XV. C. IX. p. 618. synodum
B Cantuariensem vocat, ita loquitur:)

" Quam synodum prior et capitulum, ut appellant, Cantuariense, absente in exilio Thoma, indixerat: ad quam Henricus rex comites Northumbriæ & Westmerlandiæ misit, non ut pecuniam aliquam a clero, sed ut preces pro ipsius & regni salute postularet: qui profitebantur, nolle regem in pecuniis tribuendis eos premere, nisi summa reipubl. necessitas eas extorqueret; a quibus tamen postea solvendis nunquam cessatum est, sive id propter causam commemoratam, sive propter regis avaritiam acciderit.

Contestabantur vero commemorati comites, nolle regem cleri privilegia atque im-
C munitatem, imminuere, & diligentem positurum operam quo hæreses, quæ jam in immensum succreverant, exscinderentur. Eadem & in comitiis regni, quæ tum habebantur, promisit. In quibus regem Arundellius obtestatus est, ut provisiones abrogaret, per quas fiebat, ut docti & pii viri in academiis rerum victusque inopia premerentur, studiaque deserere cogerentur, cum opima interim beneficia indoctis & ambitiosis accrescerent. Pollicitus est rex se eam rem ad curiam suam revocaturum. Questus est in hac synodo clerus, quod valde premeretur tum a ministris regiis, tum a Romano pontifice. Et quæstor quidem ponti-
D ficius venit ad synodum eam ob causam, voluitque ut clerus ea de re literas ad summum pontificem mitteret. Postulatum est inter alia, ut dies divo Georgio martyri sacer, celebris & festus per totam Angliam ageretur, utque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temere atque inconsulte in pauperum fraudem profunderentur; ne episcopi causas, quæ sacerdotium & matrimonium respicerent, cuiquam nisi doctis & jurisperitis crederent, ne iis, qui in adulterium reciderent, quive gravius aliquod peccatum, quodque publice notum esset, pecuniaria aliqua, sed corporea solum poena coerceretur. " Hæc ille.
E

ANNO CHRISTI 1400. 1401.

CONCILIUM IN VAZSTENENSE MONASTERIO IN SVECIA

Ab Henrico Upsalensi archiepiscopo

Anno 1400. *habitum.*

An. 1400. Benzel. in Diar. Vazsten. ad an. 1440

CONcilii hujus brevis mentio fit in Diario Vazstanensis S. Birgittæ monasterii; postquam enim ibi consecratas fuisse virgines quasdam sacras narravit author additque ritum hunc celebrasse Danielem archiepiscopum Upsalensem cum Straengianensi, Arosiensi, & Vexionensi episcopis, rege pariter Erico cum regina Margarita adsistentibus; tum prosequitur. *Tunc habebant ibi concilium quasi generale in Vazsten. traxerunt enim ibi moram a festo S. Martini usque ad diem conceptionis Beatæ Virginis, quamvis aliqui eorum cum rege antea paucis diebus recesserunt. Tunc rex Ericus plenariam potestatem accepit super regnum, quia quasi prius ad legittimam ætatem non pervenerat. Et ad illud tempus, sicut & postea per reginam Margaretam Valdemari regis Daciæ filiam ista tria regna regebantur.*

LONDINENSE CONCILIUM

Pro hæreticis quibusdam puniendis reducendisve,

Anno 1400. *stylo veteri, novo vero* 1401. *habitum.*

An. 1441. Apud Vvilk. t. III.

PErlecto mandato domini archiepiscopi Cant. & certificato domini episcopi London. ac examinatis procuratoriis, compa-ruerunt 29. die mensis Januarii in domo capitulari S. Pauli coram dicto reverendo patre domino Thoma Cant. archiepiscopo, reverendi patres London. Lincoln. Elien. Hereforden. Exon. Sarum, Meneven. Assaven. Bangor. Roffen. & Landaven. episcopi, ac absentium episcoporum procuratores, nonnullique decani, & priores ecclesiarum cathedralium; archidiaconi etiam, abbates, & priores, ac alii prælati exempti & non exempti, ac procuratores capitulorum ecclesiarum cathedralium & cleri provinciæ antedictæ ad hoc vocati; quibus omnibus & singulis in eadem domo capitulari tunc præsentibus, dictus reverendissimus pater causas & negotia celebrationis sui concilii provincialis (convocationis cleri vulgariter nuncupati) viz. pro defectibus ejusdem provinciæ tam in clero quam in populo juxta juris exigentiam canonice reformandis; & præsertim ad inquirendum de & super erroribus & hæresibus nonnullorum presbyterorum, clericorum, & laicorum, qui suas privatas conventiculas & congregationes in locis privatis & absconditis infra dictam provinciam Cant. prout asserebatur, faciunt; ac inhibi suas prædicationes & disputationes sapientes hæreses & errores, etiam super sacramento altaris faciunt & disceptant, in periculum animarum suarum, ac aliorum Christianorum perniciosum ac perversum exemplum, & fidei orthodoxæ præjudicium non modicum & gravamen: sub quorum prætextu corda simplicium poterunt de facili hæsitare de fide, immo damnabiliter cadere in errorem, ac fidei Christianæ fundamentum in eorum mentibus vacillare; taliter intimavit, & pro parte, ut dixit, exposuit tunc ibidem. Et facta hujusmodi negotiorum expositione, incontinenti eisdem die & loco, coram dicto rever. C patre, & concilio suo provinciali prædicto, honorabiles viri dominus Henricus Percy, comes Northumbriæ, & Thomas Herpyngham, camerarius excellentissimi principis domini Henrici IV. regis Angliæ & Franciæ, & Thomas Northobury, domicellus, ex parte dicti regis, ac nonnullorum procerum & nobilium regni Angliæ, in parliamento ipsius regis apud Westmon. tunc specialiter missi, præsentiam suam de licentia dicti rever. patris exhibuerunt, & personaliter steterunt & intimarunt eidem rever. patri, & confratribus suis, ac toti congregationi prælatorum & cleri hujusmodi tunc præsentium, inter cætera, de hæresibus & erro-D ribus sic modo generali, in dicto regno Angliæ in fidei catholicæ destructionem & Christianorum confusionem non modicam, nisi citius succurratur, per nonnullos tam clericos, ut dixerunt, quam laicos, doctis, prædicatis, & tentis ac conventiculis privatis in ea parte factis; supplicantes, quatenus ad destructionem hujusmodi errorum & hæresium, sic pullulantium, ne deterius inde contingat, per dictum dom. archiepiscopum, ac alios prælatos & clerum remedium congruum juxta juris exigentiam apponeretur; & delinquentes hujusmodi secundum ipsorum demerita canonice & publice puniantur; & promiserunt in ea parte, si necesse fuerit, regiam protectionem & defensionem in E omnibus favorabiliter inclinatam. Commendaverunt etiam ipsum dominum regem & statum suum, ipsorum prælatorum & cleri piis orationum suffragiis, ac defensionem & salvationem regni sui, ipsorum necessario in dicta convocatione concedendo subsidio oppurtune, supportandas. Ac deinde dictus rever. pater dom. archiepiscopus supradictus, habito aliquali tractatu cum confratribus suis, præfatis nunciis suis missis respondebat, dicens: Ego & confratres mei, ac totus clerus hic præsens regraciamus domino nostro regi, de bono zelo, quem erga nos in

in singulis ecclesiæ Anglicanæ utilitatem & honestatem concernentibus, & præsertim circa fidei orthodoxæ defensionem hucusque exhibuit, ut etiam exhibebit, ut speramus, in futurum; & quantum ad præmissa, nobis ex parte ipsius domini nostri regis intimata, habito inde consilio nostro in communi super eisdem & aliis, annuente Altissimo, remedium debitum, quatenus in nobis est, apponere curabimus & apponemus cum effectu.

Ac subsequenter quasi incontinenti, dictus rever. pater dom. archiepiscopus, quia ipsum et confratres suos, ut dixit, circa parliamentum prædictum necessario impediri contingeret, hujusmodi concilium provinciale et convocationem cleri cum singulis emergentibus et dependentibus usque in diem sabbati prox. post festum S. Scholasticæ virginis prox. futurum, continuavit tunc ibidem.

Adveniente vero dicto die sabbati, vid. 12. die mensis Februarii, dictus rever. pater dom. archiepiscopus Cant. in præsentia concilii sui provincialis, in dicta domo capitulari congregati, contra quendam dominum Will. Savvtre, alias dict. Chatrys, capellanum prætensum, personaliter tunc ibidem de mandato domin. comparentem, objecit, quod idem dominus Will. nonnullas conclusiones hæreticas et erroneas coram vener. patre domino Henrico, Dei gratia Norvvicen. episcopo, quondam renunciavit et abjuravit, ac post et citra abjurationem hujusmodi easdem conclusiones seu etiam consimiles fidei orthodoxæ repugnantes tenuit, docuit, et prædicavit publice et occulte, in animæ suæ grave periculum, et aliorum exemplum perniciosum; ac deinde hujusmodi conclusiones per ipsum dominum Willelmum citra renunciationem prædictam tentas et prædicatas, ut dicebatur, tunc ibidem in quadam schedula descriptas, eidem domino Willelmo veraciter de verbo ad verbum per mag. Robertum Hallum, dicti reverendissimi patris cancellarium, perlegi fecit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

Articuli objecti VVillelmo Savvtre.

Dominus Will. Chatrys, alias dictus Sawtre, capellanus parochialis S. Sythe virginis London. tenet conclusiones subscriptas publice et occulte.

I.

In primis, quod non vult adorare crucem, in qua Christus passus est, sed solum Christum passum in cruce.

II.

Item, quod magis vellet adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam.

III.

Item, quod vult magis honorare corpora sanctorum, quam veram crucem Christi; in qua Christus pependit; hoc dato, quod vera crux esset coram eo.

IV.

Item, quod vult potius adorare hominem vere confessum et contritum, quam crucem Christi.

V.

Item, quod tenetur magis adorare hominem, quem scit prædestinatum, quam aliquem angelum Dei.

VI.

Item, quod si aliquis voverit visitare limina apostolorum Petri et Pauli, vel peregre proficisci ad tumbam S. Thomæ vel alibi, pro beneficio temporali obtinendo, non tenetur votum hujusmodi implere, sed potest expensas voti distribuere in eleemosynas pauperum.

VII.

Item, quod quilibet presbyter et etiam diaconus magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere horas canonicas.

VIII.

Item, quod post prolationem verborum sacramentalium corporis Christi, remanet panis ejusdem naturæ sicut ante, nec desinit esse panis.

Quibus quidem conclusionibus sive articulis sic perlectis, dictus rever. pater petiit per dictum dominum Willelmum responderi. Idem vero Will. petiit copiam hujusmodi articulorum sive conclusionum, & terminum competentem ad respondendum eisdem. Et tunc præfatus dominus archiepiscopus copiam hujusmodi articulorum sive conclusionum eidem domino Willelmo tradi mandavit, & liberari fecit ibidem, ac diem Jovis prox. futurum ad deliberandum & respondendum eidem assignavit.

Quo quidem die Jovis adveniente, mag. Nicolaus Rissheton, causarum & negotiorum audientiæ præfati rever. patris domini archiepiscopi auditor, prædictam convocationem cum suis emergentibus, dependentibus, & connexis usque in diem crastinum ad horam octavam ante prandium, de mandato ipsius rever. patris in parliamento Westmon. tunc existentis, continuavit: Adveniente vero die crastina, vid. die veneris, in domo capitulari prædicta, præfatus dominus Will. Sawtre coram prædicto rever. patre et concilio suo provinciali, tunc ibidem congregato, personaliter comparens, quandam schedulam, responsiones ad certos articulos sive conclusiones, alias sibi, ut præmittitur, per ipsum reverendum patrem objectos & liberatos, in se continentem, exhibuit, et eidem domino archiepiscopo pro responsione sua in ea parte, ut dixit, tradidit sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

Respon. VV. Savvtre ad articulos.

Ego Vvillelmus Savvtre, presbyter indignus, dico & respondeo, quod non volo nec intendo crucem, in qua Christus passus est, adorare, sed solum Christum passum in cruce, sic intelligendo, quod nolo crucem materialem, propter grossam materiam corporalem adorare; volo tamen ipsam adorare, tanquam signum recordativum et memoriale passionis Christi, adoratione vicaria. Et volo magis adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam, quantum ad materiam in se. Volo etiam magis honorare corpora sanctorum, quam veram crucem Christi, in qua Christus pependit, hoc dato, quod vera crux esset coram me, quantum ad materiam in se. Item, volo potius adorare hominem vere confessum et contritum, quam crucem, in qua Christus pependit, quantum ad materiam corporalem. Et etiam teneor et volo magis adorare hominem, quem scio prædestinatum, vere confessum et contritum, quam angelum Dei; quantum ad hoc quod homo est ejusdem naturæ cum humanitate Christi, non sic angelus beatus; volo tamen adorare utrumque conformiter voluntati divinæ. Item, quod si aliquis vovit visitare limina apostolorum Petri et Pauli, vel peregre proficisci ad tubam S. Thomæ, vel alibi, pro beneficio temporali obtinendo; non tenetur votum hujusmodi implere simpliciter, de necessitate salutis æternæ; sed potest expensas distribuere in eleemosynas pauperum, ex consilio sui superioris prudenti, ut suppono. Item, dico, quod diaconus et quilibet presbyter magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere horas canonicas, secundum primam ordinationem ecclesiæ. Item de sacramento altaris interrogatus, dico, quod, post prolationem verborum sacramentalium corporis Christi remanet panis, quem frangimus, et panis cum corpore Christi, nec desinit esse panis simpliciter, sed remanet sanctus, verus, et panis vitæ; et credo illud esse verum corpus Christi post prolationem verborum sacramentalium.

Quibus responsionibus per venerabilem virum magnum Robortum Hallum, cancellarium domini tunc ibidem perlectis, dictus rever. pater dom. Thomas, Cant. archiepiscopus, quæsivit a dicto domino Vvillelmo, utrum ipse præfatos hæreses et errores sibi, ut præmittitur, objectos alias coram reverendo patre domino Henrico, episcopo Norwicensi abjurasset, seu tales conclusiones sive articulos revocasset, vel renunciasset eisdem? qui dixit et affirmavit quod non. Et consequenrer immediate omissis omnibus aliis articulis, conclusionibus, et responsionibus suprascriptis, dictus rever. pater dom. archiepiscopus interrogavit eundem dominum Vvill. Savvetre specialiter super sacramento altaris: primo, vid. utrum in sacramento altaris, post prolationem verborum sacramentalium remanet verus panis materialis, vel non? Ad quam quidem interrogationem idem dominus Vville. quasi vacillando, respondit dicens, se illud nescire; dixit tamen quod ibi est verus panis, quia panis vitæ, qui de cœlo descendit. Deinde dominus interrogavit ipsum Vvillelmum, utrum in sacramento altaris post verba sacramentalia a presbytero rite prolata, remanet idem panis, qui ante, vel non? Et ad ipsam quæstionem prædictus Vvillelmus quasi consimiliter respondebat, sicut prius, dicens, quod ibidem fuit panis sanctus, panis verus, & panis vitæ, qui &c. Postea vero dictus rever. pater quæsivit ab eodem, utrum ille panis materialis ante consecrationem post verba sacramentalia a presbytero rite prolata trasmutatur a natura panis in verum corpus Christi? Ad quam quæstionem dictus domnus Vvill. dixit, se hanc materiam nescire. Et nunc idem rever. pater dom. archiepiscopus assignavit eidem domino Willelmo terminum ad deliberandum & plenius respondendum in crastino; & convocationem hujusmodi in crastinum etiam continuavit tunc ibidem.

Quo quidem crastino, vid. 19. die mensis Februarii adveniente, præfatus rever. pater dominus archiepiscopus Cant. in dicta domo capitulari S. Pauli London. coram concilio suo provinciali, tunc ibidem congregato, præfatum dominum Vvillelmum Sarwetre pariter tunc præsentem, de et super sacramento altaris specialiter, sicut ante, interrogavit, & examinavit; idemque dominus Vvill. quasi consimiliter, sicut prius, respondebat. Et deinde inter cætera rever. pater petiit ab eodem Vvill. si ille panis materialis super altari post verba sacramentalia a presbytero rite prolata, transubstantiatur in verum corpus Christi? Et idem dixit, se non intelligere. Postea dominus interrogavit, numquid ille panis materialis, albus, & rotundus ad sacramentum corporis Christi super altare aptus & dispositus, concurrentibus omnibus & singulis, quæ requiruntur, virtute verborum sacramentalium a presbytero rite prolatorum, transubstantiatur in verum corpus Christi, & desinit esse panis simpliciter. Dictus vero dominus Vvill. ad hujusmodi interrogationem, quasi deridendo, respondit dicens, se hoc nescire. Ac consequenter dominus interrogavit ipsum Vvillelmum utrum vellet stare determinationi ecclesiæ, quæ ponit, quod in sacramento altaris post consecrationem a presbytero rite factam, non remanet idem panis in natura, qui ante, sed desinit esse panis simpliciter?

Ad ipsam interrogationem dictus dominus Will. dixit, quod vellet stare determinationi ecclesiæ, ubi talis determinatio non esset divinæ voluntati contraria. Et tunc interrogatus finaliter, quid sentiret de & super sacramento altaris, dixit & asseruit; quod post consecrationem a presbytero rite factam, remanet verus panis, & idem panis, qui ante. Et ista examinatio super sacramento altaris duravit ab hora octava ipsius diei, usque ad horam XI. vel circiter, adeo quod interim præfatus Will. aliter noluit respondere, nec super sacramento altaris informationem catholicam recipere, juxta institutionem ecclesiæ & fidei Christianæ. Unde præfatus rever. pater dom. Thomas Cant. ar-

ANNO CHRISTI 1401.

archiepiſcopus, de conſilio & aſſenſu totius concilii ſui tunc præſentis, ſententiam ſuam ſcriptis per honorabilem virum mag. Rob. Hallum, organum vocis ſuæ, contra eundem dom. Will. Sawtre præſentem perſonaliter, & errores ſuos & hæreſes revocare recuſantem, ſed eoſdem pertinaciter defendentem, tulit & promulgavit ſub eo, qui ſequitur, tenore verborum.

Pronunciatio dom. Vvill. Savvtre pro hæretico.

„ In Dei nomine, Amen. Nos Thomas, „ perm. div. Cant. archiepiſcopus, totius „ Angliæ primas, & apoſtolicæ ſedis legatus, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli, ac eccleſiæ ſacroſanctæ & noſtra, pro tribunali ſedentes, „ & habentes præ oculis ſolum Deum, de „ confratrum & ſuffraganeorum noſtrorum „ in præſenti concilio provinciali nobis aſſiſtentium, & totius cleri conſilio & aſſenſu per hanc noſtram ſententiam definitivam te, Willelmum Sawtre, alias Chatrys, capellanum prætenſum, coram nobis perſonaliter comparentem, in & ſuper crimine hæreſis judicialiter & legitime convictum, hæreticum, & tamquam „ hæreticum, puniendum, pronunciamus, „ decernimus, & declaramus in hiis ſcriptis. Qua quidem ſententia ſic lecta præfatus rever. pater dom. archiepiſcopus „ Cant. continuavit hujuſmodi provinciale „ concilium uſque in diem Mercurii tunc „ proxime futurum.

Ipſo vero die Mercurii vid. 23. die dicti menſis Februar. adveniente, ven. pater dominus Henricus, epiſcopus Norvvicen. juxta mandatum ejuſdem domini archiepiſcopi Cant. quendam proceſſum, ipſius ſigillo ſigillatum & clauſum, per quendam familiarem ſuum in concilio hujuſmodi præſentem, prædicto domino Will. Savvtre præſentavit, & fidem hujuſmodi ſigillo per teſtes fide dignos impoſuit. Cujus tenor ſequitur, et eſt talis.

Memorandum, quod die ultima menſis Aprilis, A. D. MCCCXCIX. indict. VII. pontificatus domini Bonifacii papæ IX. anno X. in camera infra manerium rever. patris & domini, dom. Henrici, Norvvicenſis epiſcopi, apud Southelmham, ubi cuſtoditur regiſtrum dicti patris ante horam nonam dicti diei, & poſt horam nonam ejuſdem diei, in quadam capella infra dictum manerium ſituata, ac primo die menſis Maii extunc proxime ſequent. in præfata camera dominus Willelmus Chatrys, capellanus parochialis eccleſiæ S. Margaretæ villæ Lenum & Tylnus, comparuit coram reverendo patre Henr. epiſcopo Norvvicenſi, præſentibus magiſtris Johrde Derlyngton, archidiacono Norvvic. decretorum doctore, fratre Waltero Dyſſe, & Joh. Rykynghale, ſacræ paginæ profeſſoribus, ac Vvillelmo Carleton, V. J. doctore, necnon Vvill. Fryſeby, & Hugone Brydham, notariis publicis, & publice aſſeruit, & tenuit concluſiones infraſcriptas.

I.

In primis dicit, quod non vult crucem, in qua Chriſtus paſſus eſt, adorare; ſed Chriſtum ſolum paſſum in cruce.

II.

Item dicit, quod vult magis adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam.

III.

Item dicit, quod vult magis honorare corpora ſanctorum, quam veram crucem Chriſti, in qua Chriſtus pependit, hoc dato, quod vera crux eſſet coram eo.

IV.

Item dicit, quod diaconus & quilibet presbyter, magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere matutinas, & alias horas canonicas.

V.

Item dicit, ſe multis diebus omiſiſſe matutinas, & alias horas canonicas, exiſtentem in ſanitate, propter diverſas occupationes, vid. audiendo confeſſiones, & inſiſtendo aliis precibus, ac propter ſtudium, & illis diebus miſſas celebraſſe; & dicit ulterius, quod presbyter taliter occupatus in confeſſionibus, orationibus, ſeu ſtudio, non tenetur dicere matutinas, & alias horas canonicas.

VI.

Item dicit, quod ſi aliquis vovit peregre proficiſci ad tumbam S. Thomæ Cant. vel alibi pro aliquo beneficio temporali obtinendo, ut puta pro liberatione infirmitatis vel ſalvatione bonorum temporalium, vel hujuſmodi; non tenetur implere illud votum; ſed expenſas voti diſtribuere in eleemoſynas pauperum.

VII.

Item dicit, quod ſæpius mutavit talia vota auctoritate ſacerdotali ſine auctoritate diœceſani.

VIII.

Item dicit, quod poſt prolationem verborum ſacramentalium corporis Chriſti remanet panis ejuſdem naturæ, quæ fuit prius, cum corpore Chriſti, nec deſinit eſſe panis.

IX.

Item dicit, quod vult potius adorare hominem vere confeſſum & contritum, quam crucem, in qua Chriſtus pependit.

Item

X.

Item dicit, quod vult & tenetur magis adorare hominem vere confessum & contritum, quam aliquem angelum Dei. Præmissa omnia & singula dicit præfatus Vvillelmus, ut asserit, cum matura deliberatione.

Postmodum vero die 30. mensis Maii, A. D. indictione, & pontificatus prædictis, in præfata capella infra manerium dicti rever. patris Henrici, Norvvicen. episcopi, situat. apud Southelmham, supradictus dom. Vvillelmus revocavit dictas conclusiones omnes & singulas, & renunciavit eisdem; errores suos & hæreses hujusmodi corrigendo, & abjuravit, tactis sacrosanctis evangeliis, coram præfato rever. patre Henrico, Norvvic. episcopo, dictas conclusiones omnes & singulas; & ulterius juravit, quod de cætero conclusiones prædictas nunquam prædicaret, assereret, seu teneret, palam vel occulte; & quod pronunciaret juxta assignationem dicti rever. patris conclusiones prædictas fore erroneas & hæreses, &c. ut infra declaratur in ecclesiis parochialibus de Ldnum & Tylney, & in aliis locis, ad arbitrium dicti patris in præmissis, præsentibus discretis viris mag. Nicolao Rissheton, auditore palatii apostolici in curia Romana, fratre Vvill. Disse, & Joh. Rykynghale, doctoribus in theologia, Vvill. Carleton, V. J. doctore, Vvill. Fryffeby, Hugone Brydham, & Gregorio Strode, notariis publicis & aliis quampluribus.

Responsio ad præmissa.

I.

In primis quantum ad primam conclusionem, quod non vult adorare crucem, &c. fatetur se erraffe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

II.

Item quantum ad secundum articulum, quod vult magis adorare regem temporalem, &c. fatetur se erraffe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

III.

Item quantum ad III. articulum, quod vult magis honorare corpora sanctorum &c. fatetur se erraffe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

IV.

Item quantum ad IV. articulum, quod diaconus & quilibet presbyter &c. fatetur se erraffe & articulum fore erroneum, & submittit se.

V.

Item quantum ad V. articulum, quod dicit se omisisse matutinas &c. fatetur se erraffe & deliquisse, & submittit se.

VI.

Item quantum ad VI. articulum, quod si aliquis peregre proficisci &c. dicit, quod quis magis tenetur implere votum; & fatetur se erraffe, & articulum fore erroneum & submittit se.

VII.

Item quantum ad VII. articulum, quod sæpius mutavit vota &c. fatetur se erraffe, & submittit se.

VIII.

Item quantum ad VIII. articulum, quod post prolationem verborum sacramental. &c. fatetur quod hæresis est; et dicit quod ille panis transubstantiatur in corpus Christi post prolationem verborum sacramentalium, et desinit esse panis ejusdem naturæ.

IX.

Item quantum ad IX. articulum, quod vult potius adorare hominem &c. fatetur se erraffe, et articulum fore erroneum, ac submittit se.

X.

Item quantum ad X. articulum, quod vult potius adorare hominem, quam angelum Dei etc. fatetur se erraffe, et articulum fore erroneum, et submittit se.

Subsequente vero die 25. mensis Maii, anno supradicto, in coemeterio capellæ S. Jacobi, infra villam Lenum, prædictus Vvillelmus, coram præfato rev. patre, ac clero et populo dictæ villæ Lenum circumstantibus, publice declaravit in lingua materna conclusiones supradictas fore erroneas, et hæreses, prout in quadam schedula continebatur. Et postmodum die 26. mensis maii, A. D. supradicto, in ecclesia hospitalis S. Johannis dictæ villæ Lenum, supradictus dom. Vvillelmus, coram dicto rever. patre pro tribunali sedente, juravit tactis sacrosanctis evangeliis, quod nunquam de cætero prædicaret, palam vel publice, conclusiones supradictas, nec confessiones aliquorum subditorum suorum dictæ Norvvic. dioec. audiret infra dictam dioec. sine licentia speciali dicti rever. patris, etc. Præsentibus rever. in Christo patre, fratre Johanne, Smernien. archiepiscopo, ac magistris Joh. Rykinghale, sacræ paginæ professore, Vvill. Carleton, utriusque juris doctore, ac Thoma Bulton, official. libertatis villæ Lenum supradictæ, et aliis quamplurimis, &c.

Tenor schedulæ supradictæ.

I.

„ I sey that this article is fals and erro-
„ neye, and by fals information y held it,
„ the whiche y renounse and aske foryeve-
the-

ANNO CHRISTI 1401.

„ therof, and ſey that it is a precious re-
„ lyke, and that J ſchall holde it, whyle
„ that y live: and that J ſwere here.

II.

I ſey that this article is fals and erro-
„ neye, and by fals information y held it,
„ the whiche J renounſe and aske foryeve-
„ nes ther of, and ſey that it is a precious
„ relyke, and that J ſchall holde it, vvhyle
„ that y live: and that J ſvvere here.

III.

„ J ſey that this article is fals and er-
„ roneye, and by fals information y held
„ it, the vvhiche Jrenounſe and aſke forye-
venes ther sof, and ſey that is a precious
„ relyke, and that J ſchall holde it, vvhyle
„ that y live: and that J ſvvere here.

IV.

„ J Knovv vvelle that J erred vvronful-
„ lyche by fals information, for J vvote vvel-
„ le, that a deken or a preſte is more hol-
„ de to ſeye his matynes and his oures,
„ than to preche for ther to he is bunden
„ by ryght vvher for y ſubmitte me, " ut
„ ſupra ".

V.

Tochant that article J Knovve vvelle,
„ that y erred by fals information, vvher
„ for Jaske foryevenes.

VI.

„ J ſey that opinion is fals and erroneye,
„ and by ſals information y helde it fora
„ mansholden to holde his avvove.

VII.

To this article y ſey that y dyd it by au-
„ torite of preſtehode, vvher thorovve y
„ Knovveleche vvelle, that y have gylt and
„ treſpaſſed; vvher for y bubmitte me to
„ God, and to holy chyrche, and to ſovve
„ fader, ſvveryng that y ſchalle never hal-
„ de it more.

VIII.

„ J ſey that J held it by fals and vvrong
„ information, but novv. J Knovve vvelle,
„ that it is ereſye, and that brede as no-
„ ne that the vvord of the ſacrament is ſey-
„ de, it is no longer brede materiall, but
„ that it is turned in to verry Cryſtes body:
„ and that y ſvvere here.

IX.

„ J ſey, that it is fals and erroneye, &c.
„ ut ſupra.

X.

„ J ſey as J ſeyde, ut ſupra.

Et ſubſequenter dicto 23. die menſis Feb. A. D. MCCCC. in domo capitulari S. Pauli London antedicta, præfatus reverendiſſimus pater dom. Thomas, Dei gratia, Cant. archiepiſcopus, in convocatione ſua prælatorum & cleri & concilio hujuſmodi, tunc præſentium, ſupraſcriptum proceſſum dom. Norvvicen. epiſcopi palam & publice coram dicto dom. Vvill. Sawtre, alias Chatrys, perlegi fecit; ac deinde interrogavit eundem dom. Vvill. utrum ipſe plene intellexerit & noverit hujuſmodi proceſſum, & contenta in eodem; & dixit, quod ſcit. Ac inſuper interrogatus, ſi quid vellet, aut ſciret dicere, vel opponere contra proceſſum; & reſpondit, quod non. Et poſtea incontinenti dictus rever. pater Thomas, archiep. Cant. interrogavit eundem dom. Vvill. ac eidem impoſuit, prout ab aliis pluribus etiam fuit impoſitum, quod poſtquam ipſe diverſos errores & hæreſes coram ven. patre epiſcopo Norwic. judicialiter revocaſſet & abjuraſſet, tunc inter cæteros errores & hæreſes per ipſum doctos, tentos, & prædicatos, tenuit & publice prædicavit, quod in ſacramento altaris, poſt conſecrationem a presbytero rite factam, remanet verus panis materialis; quam hæreſim, prout alias hæreſes & errores, etiam coram præfato dom. epiſcopo Norvvic. abjuravit. Ad quæ præfatus Vvillelmus reſpondit, & quaſi ridendo ſive deridendo præmiſſa negavit, & ignoravit, ut dixit; publice tamen aſſeruit, quod prædictam tenuit & docuit poſt datam dicti proceſſus facti per epiſcopum Norvvic. prout tenebat etiam in eodem concilio. Et finaliter fuit petitum ab eodem domino Vvillelmo, quare non debuit pronunciari relapſus, nec aliquam cauſam allegavit. Unde præfatus dom. archiepiſcopus Cant. de conſilio & aſſenſu totius concilii, præſertim cum conſilio & aſſenſu vener. patrum dominorum epiſcoporum, necnon priorum, decanorum, & archidiaconorum, & aliorum vener. doctorum, & clericorum pro tunc ibidem præſentium in concilio, ſupradictum dom. Vvill. Savvtre, alias dictum Chatrys, presbyterum, in hæreſim relapſum, ac propter ipſius incorrigibilitatem ad ejus degradationem & actualem depoſitionem procedendum fore duxit per ſententiam ſuam definitivam in ſcriptis latam, cujus tenor ſequitur in hæc verba:

„ Chriſti nomine invocato, nos Thomas,
„ Dei gratia archiepiſcopus Cant. legatus
„ ſedis apoſtolicæ, ac primas totius An-
„ gliæ, te Vvill. Savvtre, alias dictum Cha-
„ trys, presbyterum, ſuper hæreſi per nos
„ de conſilio & aſſenſu omnium & ſingulo-
„ rum confratrum noſtrorum, & totius cle-
„ ri per noſtram ſententiam definitivam in
„ ſcriptis latam, convictum & condemna-
„ tum fuiſſe & eſſe in hæreſim relapſum,
„ ac ad depoſitionem & degradationem juxta
„ canonicas ſanctiones procedendum fore de-
„ cernimus & declaramus in hiis ſcriptis.

Et dicto die mercurii ad ulteriora in eodem provinciali concilio non fuit proceſſum, ſed fuit continuatum cum omnibus dependenti-

ti-

ANNO CHRISTI 1401.

tibus usque in diem veneris prox. tunc futurum.

Quo die veneris adveniente, mag. Nicol. Risheton de mandato domini tunc in parliamento occupati, ut dixit, concilium sive convocationem hujusmodi cum suis incidentibus, emergent. dependent. & connex. usque in crastinum, vid. diem sabbati tunc prox. sequentem, continuavit. Ipsa vero die sabbati, viz. 24. die dicti mensis Februar. præfatus rever. pater dominus Thomas, Cant. archiepiscopus, in sede episcopali præfatæ ecclesiæ S. Pauli London. constitutus, & pontificalibus solemniter indutus, ascitis & sibi in hac parte assistentibus, vener. patribus dominis London. Lincoln. Hereforden. Exon. Meneven. & Roffen. episcopis supradictis, præfatum dom. Vvil. Savvtre vestimentis sacerdotalibus indutum, coram se in eadem sede præsentari & comparere in conspectu populi mandavit & fecit. Ac deinde quasi totum processum factum contra eundem dominum Vvill. in lingua materna Anglicana toti clero & populo in multitudine copiosa coram ipso congregato exposuit, & publice declaravit. Quibus sic factis antedictam sententiam de relapsu alias contra ipsum dominum Will. ut præmittur, latam ex abundanti recitavit, & perlegit tunc ibidem. Et quia ipsum Vvill. in ea parte adhuc conteri vel poenitere non videbat, ad ipsius degradationem & actualem depositionem processit sub forma, quæ sequitur.

„ In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. Nos Thomas, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, te Vvill. Savvtre, alias Chatrys, capellanum prætensum, in habitu & apparatu sacerdotali indutum, hæreticum, & in hæresim relapsum, per nostram sententiam definitivam condemnatum de consilio, assensu, & auctoritate, ac conclusione etiam omnium confratrum nostrorum coepiscoporum, & prælatorum, ac totius cleri concilii nostri provincialis, ab ordine sacerdotali degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis ab ordine sacerdotali propter incorrigibilitatem tuam, tibi patenam & calicem auferimus, ac omni potestate missam celebrandi te privamus; necnon te casula exuimus, vestemque sacerdotalem tibi auferimus, ac te omni & omnimodo honore sacerdotali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus antedictus, auctoritate consilio, & assensu, quibus supra, te Vvillelmum antedictum, diaconum prætensum, in habitu & apparatu diaconali indutum, librum evangeliorum habentem in manibus, hæreticum & relapsum per sententiam, ut præfertur, condemnatum, ab ordine diaconali degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis hujusmodi evangeliorum & stolam tibi auferimus, ac te potestate legendi evangelium, ac omni & omnimodo honore diaconali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus, auctoritate, consilio, et assensu, quibus supra, te Will. præfatum, subdiaconum prætensum, in habitu & vestimento subdiaconali indutum, hæreticum, & relapsum per sententiam, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine subdiaconali degradamus & deponimus. & in signum degradationis & actualis depositionis, tibi albam & manipulum auferimus, ac te omni & omnimodo honore subdiaconali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus antedictus, auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te Will. prædictum, acolitum prætensum, in habitu acolitatus indutum, hæreticum & relapsum per sententiam nostram, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine acolitatus degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis, tibi ceroferarium & urceolum auferimus, ac te omni & omnimodo honore acolitatus privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus, auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te Vvill. prædictum, exorcistam prætensum, in habitu exorcistæ indutum, hæreticum & relapsum per nostram sententiam, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine exorcistæ degradamus & deponimus: & in signum degradationis, & actualis depositionis hujusmodi, tibi librum exorcismorum auferimus, ac te omni & omnimodo honore exorcistæ privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus, auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te Vvill. antedictum, lectorem prætensum, in habitu lectoris indutum, hæreticum & relapsum per nostram sententiam, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine lectoris degradamus & deponimus: & in signum degradationis, & actualis depositionis hujusmodi, tibi codicem divinarum lectionum auferimus, ac te omni & omnimodo honore lectoris privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus, auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te Vvill. Savvtre antedictum, ostiarium prætensum, in habitu ostiarii & superpelliceo indutum, hæreticum & relapsum per nostram sententiam definitivam, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine ostiarii degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis hujusmodi, ex causis præmissis tibi claves ecclesiæ & superpelliceum auferimus, ac omni & omnimodo honore & commodo ostiarii te privamus; nec non te Vvill. Savvtre, alias dictum Chatrys, auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii, & Spiritus S. ac nostra et auctoritate, consilio, et assensu totius concilii nostri provincialis suprascripti, ab ordinibus, beneficiis, & privilegiis, & habitu & foro ecclesiasticis propter tuam pertinaciam & incorrigibilitatem, curia seculari constabularii & marescalli regni Angliæ coram nobis hic personaliter præsente, degradamus & deponimus, ac omnibus & singulis honoribus & in-

ANNO CHRISTI 1401.

„ & insigniis clericalibus quibuscunque exui-
„ mus & privamus in hiis scriptis. Nec non
„ in signum degradationis & depositionis a-
„ ctualium, coronam & tonsuram clerica-
„ lem in nostra præsentia fecimus abradi,
„ & ad instar laici secularis penitus dele-
„ ri, ac capiti ejusdem Vvillelmi, tanquam
„ laici secularis, capitium stragulatum ap-
„ poni; rogantes eandem curiam, quatenus
„ favorabilirer ipsum Vvillelmum velit ha-
„ bere recommissum.

Qua quidem degradatione & depositionis solennitate per dictum rever. patrem, ut præmittitur, peracta, continuatum fuit concilium provinciale supradictum usque in diem lunæ tunc proxime futurum. Et ipso die lunæ, vid. ultimo die ejusdem mensis feb. in domo capitulari antedicta, comparuit personaliter coram dicto reverendissimo patre dom. Joh. Purney, capellanus, ut asseruit, Lincoln. dioec. de & supra diversis hæresibus & erroribus infamatus, & accusatus. Cui idem rever. pater in præsentia concilii sui, quosdam articulos inferius descriptos, errores, & hæreses in se continentes, objecit; & de credentia, manu tenentia, & doctrina eorundem hæresium & errorum, fidei catholicæ, & determinationi ecclesiæ repugnantium, imposuit, & super eisdem ipsum interogavit, & diligenter examinavit. Et quia ipsum rever. patrem circa ardua & urgentia negotia, nedum statum & utilitatem ecclesiæ & etiam totius regni Angliæ, in parliamento, ad tempus necessarium occupari contingeret, ut dixit; ad audiendum dominum Johannem, ac articulos hujusmodi, & omnes hæreses & errores per ipsum scriptos, tentos, doctos, vel qualitercumque prædicatos examinand. & cum consilio sacræ theologiæ professorum, & decretorum doctorum, & aliorum juris peritorum ipsius convocationis, discutiend. & plene determinand. vener. patres dominos Richardum Bangor, & Joh. Roffen. episcopos assignavit, & loco suo substituit, ac eisdem vices suas commisit in ea parte; tunc ibidem, ac insuper hujusmodi concilium sive convocationem usque in crastinum continuavit, & sic de diebus in dies usque in diem sabbati, & deinde etiam in omnem eventum usque ad diem lunæ proxime tunc futurum. Ipso siquidem die sabbati supradicto vid. 5. die mensis Martii A. Domini MCCCC. in domo capitulari prædicta, coram præfatis vener. patribus dominis Bangor. & Roffen. episcopis; magistris Joh. Barnet, Roberto Hallum, Nicol. Riffheton, & aliis doctoribus & clericis quampluribus, dictus dominus Joh. Purney, capellanus, recognovit errores suos & hæreses, quos antea scripsit, tenuit, & docuit, ut dixit, & ipsos omnes & singulos ac alios universos anathematizavit in perpetuum & abjuravit; ac correctioni, arbitrio, & informationi dicti domini archiepiscopi, cum suo concilio se humiliter & sponte submisit; nec non tactis sacrosanctis Dei evangeliis juravit & pronunciavit, prout in quadam papyri schedula, tunc ibidem exhibita, expresse continebatur. Et consequenter die crastina, vid. die dominica proximæ sequenti, apud crucem S. Pauli London. idem dominus Johannes Purney, in præsentia dominorum London. episcopi, & comitis Warvveici, ac dictorum magistrorum Rob. Hallum, Nic. Riffheton, Joh. Barnet, & aliorum dictorum & clericorum nonnullorum, ac totius populi ibidem propter sermonem congregat. eandem schedulam, & contenta ejusdem, de mandato & arbitrio dicti rever. patris domini archiepiscopi Cantuar. cum concilio suo, publice & aperte in lingua materna Anglicana exposuit, & veraciter declaravit, ac suos hæreses & errores pristinos abjuravit, anathematizavit, & ad sancta Dei evangelia juravit, promisit, & se obligavit juxta formam & effectum hujus, schedula, cujus tenor de verbo ad verbum, cum signo & subscriptione ipsius Johannis, sequitur, & est talis:

„ In Dei nomine, Amen. Ego Joh. Purney, presbyter indignus, Lincol. dioe. nuper suspectus, infamatus, accusatus, & manifeste convictus, coram rever. in Christo patre ac domino, dom. Thoma, div. prov. Cant. archiepiscopo, totius Angliæ primate, & apostolicæ sedis legato, præsente suo provinciali concilio, super credentia, doctrina, & manutenentia quorundam errorum & hæresium, repugnantium orthodoxæ fidei, ac determinationi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ in quibus, humiliter, non vi nec metu inductus, sed pure, sponte, & libere me submisi, & in præsenti submitto correctioni & arbitrio & informationi rever. patris & domini supradicti, cum suo conclio, modo veritatem fidei catholicæ, & meos hæreses & errores pristinos recognoscens, hic personaliter constitutus, omnem penitus hæresin in, & præcipue de qua sum infamatus hactenus, vel convictus, anathematizo in perpetuum, & abjuro, & veritatem catholicam dictis hæresibus & erroribus repugnantem corde firmiter credo, & ore fideliter confiteor per ordinem, qui sequitur, in hiis scriptis.

„ Prima hæresis, quam tenui, scripsi, & docui, fuit ista quod in sacramento altaris post sui consecrationem non est nec esse potest accidens aliquod sine subjecto; sed ibi remanet veraciter eadem substantia, & natura panis visibilis & corruptibilis, & idem vinum similiter, quæ ante consecrationem in altari ponuntur, sacerdotis ministerio consecranda. Sicut cum paganus vel infidelis aliquis baptizatur, convertitur spiritualiter in membrum Christi per gratiam, & adhuc remanet idem homo, qui prius, in propria substantia & natura. Contra quam hæresin credo & fateor istam esse catholicam veritatem, quod in eodem vener. sacramento altaris, post ejus consecrationem, non remanet eadem substantia, vel natura panis, aut vini, quæ antea ponitur in altari; sed tota substantia & natura panis ejusdem in totam substantiam corporis Christi, & totum illud vinum in sanguinem ejus, non figurative, sed veraciter convertuntur: ita quod sola forma sensibilis et similitudo eorundem panis et vini remanet ibidem in eorum accidentibus, absque subje-

ANNO CHRISTI 1401.

ſto aliquo eorundem, et in illa forma panis et vini eſt verum corpus Chriſti et ſanguis, ita realiter atque veraciter in ſua propria ſubſtantia et natura, ſicut fuit in utero virginis, et pependit in cruce, jacuit in ſepulcro, et reſidet nunc in cælo.

„ Secunda hæreſis, quam tenui, ſcripſi, et docui, fuit iſta: quod vocalis confeſſio ſeu privata poenitentia eſt quædam auriculatio deſtruens evangelii libertatem, noviter introducta per papam et clerum, ad intricandas hominum conſcientias in peccato, ad detrahendum eorum animas in infernum. Contra quam hæreſin credo et fateor, iſtam eſſe catholicam veritatem; quod vocalis confeſſio non deſtruit, ſed promovet evangelii libertatem, nec introducta eſt ad intricandum, ſed potius ad deliberandum hominum conſcientias a peccato.

„ Tertia hæreſis, quam tenui, ſcripſi, et docui, fuit iſta, quod omnis homo ſanctus et prædeſtinatus ad vitam æternam, etiamſi ſit laicus, eſt verus presbyter et ſacerdos ordinatus a Deo ad miniſtrandum omnia ſacramenta neceſſaria hominibus ad ſalutem, licet nullus alius epiſcopus unquam ei manus imponat, ſicut et primogeniti ſub lege naturæ facti ſunt ſacerdotes a Deo; et ſicut Moyſes ipſe fuit ſacerdos, priuſquam Aaron, perficiens ceremonias legis antiquæ, ſacerdotio fungeretur. Omnis vero ſanctus presbyter vel ſacerdos Dei veraciter eſt epiſcopus, et prælatus, atque curatus fidelium. Et quicunque eſt magis humilis, et melius implet officium ſacerdotis, ille verus eſt papa ſecundum ordinationem divinam, licet quis ille ſit, mundo penitus ignoretur. Contra quam hæreſim credo et fateor, iſtam eſſe catholicam veritatem, quod nemo, quantumcunque prædeſtinatus vel ſanctus, ordinatur papa, epiſcopus, vel ſacerdos a Deo ad miniſtrandum eccleſiæ ſacramenta, niſi per miniſterium conſecrationis, electionis, vel inſtitutionis humanæ, cooperante divina virtute, canonice fuerit ordinatus.

„ Quarta hæreſis, quam tenui, ſcripſi, et docui, fuit iſta, quod quia prælati quidam ſeu clerici male vivunt contra doctrinam et exemplum Chriſti, et apoſtolorum ipſius; ideo illi, qui ſic vivunt, non habent claves regni cælorum, ſed claves inferni; nec aliquis Chriſtianus plus appreciari debet eorum cenſuras, quam ſibilum ſerpentinum. Imo ſi papa forſitan interdiceret regnum noſtrum, non poteſt nobis nocere, ſed magis prodeſſe, cum per hoc alleviati eſſemus ab ejus legibus obſervandis, et a divinis officiis juxta morem eccleſiæ celebrandis. Contra quam hæreſim credo et fateor, iſtam eſſe catholicam veritatem, quod prælati eccleſiæ quantumlibet male vivant, dum ab eccleſia tolerantur, habent nihilominus veram cæleſtium clavium poteſtatem, adverſus quam portæ non prævalent infernales; eorumque cenſuræ, licet quoque ſint forſitan irrationabiles aut injuſtæ, cum reverentia tamen ſunt humiliter metuendæ, ne ſuis contemptoribus inferant nocumentum.

„ Quinta hæreſis, quam tenui, ſcripſi, docui, fuit iſta, quod quicunque recipit officium ſacerdotis, etiamſi curam non habuerit animarum ſibi per morem eccleſiæ delegatam, nedum poteſt; immo debet evangelium populo Dei libere prædicare; alias enim eſt latro excommunicatus a Deo, et ab eccleſia ſacroſancta. Contra quam hæreſin credo et fateor iſtam eſſe catholicam veritatem, quod non licet alicui ſarerdoti, quantumcumque ſcienti vel ſancto, prædicare verbum evangelii populo, niſi ad hoc miſſus fuerit a prælato, vel ab eccleſia militante vel evidenti miraculo ſe a Deo miſſum docuerit, vel ab eccleſia triumphante.

Sexta hæreſis, quam tenui, ſcripſi, et docui, fuit iſta, quod ſi quis juramentum vel votum emiſerit ad ſervandam perpetuam caſtitatem, vel aliud quicquam pro Domino faciendum, ad quod forte Deus non acceptat eum, dando ei gratiam perficiendi ſuum propoſitum, illud votum ſeu juramentum eſt irrationabile, ac etiam indiſcretum, nec aliquis prælatus eum poteſt compellere ad iſtud ſervandum, niſi contraveniat ordinationi divinæ; ſed debet eum committere Spiritui S. et propriæ conſcientiæ gubernandum; quia talis, qui non implebit votum ſeu juramentum ſuum, de facto non poteſt finaliter adimplere. Contra quam hæreſim credo et fateor, iſtam eſſe catholicam veritatem, quod licet quis juramentum ſeu votum emiſerit ad aliquod bonum opus pro Domino faciendum, et illud forte poſtea non habuerit gratiam adimplendi ſibi datam a Deo, ſi tamen aliud non obſiſtat, hujuſmodi votum ſeu juramentum eſt rationabile et acceptum a Deo, pro tempore quo per ipſum emittitur, et ipſe poteſt illud ſervare per gratiam, quam habere poteſt a Deo, ſi velit ſe ipſum ad eam recipiendam diſponere congruenter, et ſic poteſt a prælato compelli ad illud ſervandum per gratiam Dei cum aliis mediis opportunis.

„ Septima hæreſis, quam tenui, ſcripſi, et docui, fuit iſta, quod Innocentius papa tertius et ſexcenti epiſcopi cum aliis mille prælatis et toto reſiduo cleri, qui cum eodem papa determinaverunt concorditer in concilio generali *Lugdun.* (*a*) quod in ſacramento altaris poſt converſionem panis et vini in Chriſti corpus et ſanguinem, accidentia eorundem panis et vini remanent ibi, ſine aliquo ſubjecto proprio eorundem; et qui ſtatuerunt ibidem, quod omnes Chriſtifideles deberent ſemel in anno confiteri omnia peccata ſua proprio ſacerdoti, et recipere hoc venerabile ſacramentum altaris in Paſchate; et qui multas alias leges condiderunt ibidem, omnes illi fuerunt in hoc ſtulti et fatui, hæretici et blaſphemi, ac ſeductores populi Chriſtiani. Quare nec eſt credendum determinationibus eorundem, vel ſucceſſorum ſuorum, nec eſt obediendum eorum legibus, aut ſtatutis, niſi fundentur expreſſe

(a) late

" presse in sacra scriptura, vel in ratione, cui non poterit obviari; et quia hoc defuit in eorum decretis et decretalibus, et aliis libris juris eorum, ideo deberent omnes ut libri hæreticorum pro suis erroribus concremari. Contra quam hæresim credo & fateor, istam esse catholicam veritatem, quod omnes Christi fideles debent fideliter credere & humiliter obedire prædictis determinationibus, & constitutionibus, & aliis universis ejusdem Innocentii III. cum prædicto concilio generali, cæterorumque successorum suorum per consilium Romanæ ecclesiæ cum clero eidem subjecto, communiter approbatis; & libros hujusmodi juris canonici, tanquam ecclesiasticam disciplinam, & doctrinam catholicam continentes, in congrua reverentia conservare. In omnibus igitur supradictis articulis hic ad sancta Dei evangelia juro, per S. Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum, vivum, & verum; quod ego Johannes Purney prædictus, hanc eandem fidem veraciter credo & teneo, quam superius ex traditione dicti reverendi patris & domini mei, dom. archiepiscopi Cant. & sui provincialis concilii, ore proprio sum confessus; omnesque prædictos errores & hæreses, quos hactenus tenui, scripsi, vel docui, & alios universos, non vi nec metu inductus, sed pure, sponte, ac libere tam corde, quam ore diffiteor in perpetuum, & abjuro. Nec non omnes illos & singulos, qui præmissos errores & hæreses, vel aliquem eorundem animo pertinaci tenent, vel docent, sive defendunt, velut hæreticos æterno anathemate dignos pronuncio, & nisi resipiscant, igne perpetuo pro sua perfidia merito conflagrandos; meipsum quoque, si unquam (quod absit) inposterum aliquid contra meam confessionem præsentem corde vel ore, clam vel palam, tenere vel docere præsumpsero, ex nunc, prout extunc, me sponte submitto & obligo legibus & prælatis ecclesiæ, condigno supplicio rigide puniendum. Et ego Johannes supradictus, in veritatem & testimonium præmissorum, manu mea propria hic me subscribo, & signum crucis appono ✠.

Adveniente vero die Lunæ suprascripto, in dicta domo capitulari præfatus rever. pater dom. Thomas Cant. archiepiscopus, habito primitus quodam tractatu cum suis confratribus, prælatis, & clero super diversis negotiis, utilitatem ecclesiæ & regni Angliæ concernentibus, convocationem suam sive concilium provinciale hujusmodi usque in crastinum continuavit. Quo quidem crastino, vid. 8. die mensis Martii, A. D. supradicto, coram eodem rever. patre domino Thoma, Cant. archiepisc. Roberto London. Joh. Herefordēn. Ric. Bangor. & Joh. Roffen. episcopis, ac aliis prælatis, & clero dicti concilii in dicta domo capitulari, de & super diversis negotiis tractantibus dom. Rob. Bowelond, presbyter, ac rector ecclesiæ S. Antonini London, de incestu & gravi incontinentia cum quadam domina Alicia Wodelowe, sanctimoniali prioratus de Nunneton, Coventr. & Lich. dioec. expressa professa, alias in visitatione metropolitica dicti rever. patris in ipso prioratu exercita, detectus & delatus, personaliter comparuit, ac culpam suam & reatum de crimine antedicto sibi imposito humiliter & sponte recognoscens, submisit se gratiæ, correctioni, punitioni, & reformationi dicti rever. patris; & juravit de stando mandatis ecclesiæ, tactis sacrosanctis Dei evangeliis; ac etiam omnem errorem & hæresin tacitam vel expressam, pure, sponte, & libere, non vi, nec metu inductus, abjuravit, anathematizavit, & eisdem corde & animo abrenunciavit in perpetuum tunc ibidem. Et subsequenter die dominica proxime tunc futura ad crucem S. Pauli London. coram omni populo ad sermonem ibidem congregato, quandam schedulam papyri, formam & effectum confessionis & submissionis hujusmodi in scriptis plenius continentem, per ipsum rever. patrem cum concilio suo eidem Roberto traditam, publice & aperte in lingua materna exposuit, declaravit, & propalavit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

" Venerabiles domini. Intelligetis, quod tempore nondum diu elapso, in ecclesia B. Mariæ de arcubus London. rever. in Christo pater & dominus, dom. Thomas, Dei gratia archiepiscopus Cant. primas totius Angliæ, & legatus apostolicæ sedis, pro tribunali sedens, publice in præsentia quamplurimorum & diversorum venerabilium virorum imposuit mihi Rob. Bowelond, presbytero licet indigno, ac rectori ecclesiæ parochialis S. Antonini London. qui jam hic sum præsens coram vobis, quod inter cætera fuit publice detentum & delatum eidem domino archiepiscopo in visitatione sua metropolitica, quam nuper exercuit in civit. & dioec. Coventr. & Lich. apud quendam prioratum monialium ejusdem dioec. vulgariter nuncupat. *Nunneton*, quod ego idem Robertus Bowelond, infra dictum prioratum quondam per vices diversas faciens moram, quandam sanctimonialem ejusdem prioratus, expresse professam, vocatam domina Alicia Wodelowe, sub quadam specie fictæ sanctitatis, instinctu diabolico, nequiter ad actum carnalem sollicitavi; & tandem eandem sanctimonialem sæpius carnaliter cognovi, & impregnavi eandem: quod quidem crimen, sic, ut prædicitur, mihi impositum, tunc magna cum instantia negavi, ad hoc instigatus per consilium certarum personarum, quas non exprimo ad præsens, de quo jam graviter me poenitet. Quare dictus rever. pater dom. archiepiscopus Cant. volens ad convincend. me de crimine antedicto producere certas probationes, ad promotionem venerabilis viri mag. Rob. Hallum, sui cancellarii, assignavit certum terminum competentem ad comparendum in dicto prioratu, ad videndum probationes hujusmodi produci, & postea, veniente ipso termino, coram ven. & religioso viro patre Philippo Reppyngdon, abbate monasterii Leycestr. quem in hac materia ele-

ANNO CHRISTI 1401.

„ elegi in judicem meum, & coram commissario præfati domini archiepiscopi, per eum legitime deputato, quamplures & diversi testes, & aliæ evidentiæ sufficientes erant producti. Quibus quidem testibus per eundem abbatem, in præsentia notarii, & aliorum testium fide dignorum debite admissis, juratis, & examinatis in forma juris, ac consequenter ipsorum testium dictis & depositionibus, aliisque evidentiis supradictis publicatis, ac per quamplures & diversos dominos episcopos, doctores, & clericos alios ad hoc deputatos, per dominum archiepiscopum antedictum visis, intellectis, & sufficienter rimatis, atque discussis, manifeste compertum erat, nedum dictum crimen, sed etiam aliud pejus & magis horribile, quam exprimo ad præsens, in materia antedicta, contra me fuisse & esse sufficienter probatum. Unde ego idem Robertus Bovvelond superius nominatus, pure, & sponte, absque metu quocunque, recognoscens me reum, & culpabilem, prout in rei veritate fui, & sum, de crimine antedicto, coram dicto domino archiepiscopo in præsentia suorum venerab. confratrum dominorum episcoporum Londo. Hereford. Roffen & Bangor. ac aliorum quamplurium, & diversorum magistrorum S. Theologiæ doctorum, atque legum aliorumque clericorum confessus fui, & convictus de crimine mentionato, submisi me gratiæ ejusdem domini archiepiscopi, humiliter & devote supplicans ejus dominationi, ut dignaretur habere de me misero peccatore misericordiam & pietatem in hoc casu. Et ideo vobis omnibus vener. dominis hic præsentibus, ego Robertus Bovvelond superius sæpe recitatus, de mea propria, bona, & libera voluntate notifico, & publico, quod prædictus rever. pater dominus archiepiscopus Cant. nunquam imposuit mihi crimen antedictum ex malitia aliquali, nec ullo falso modo, sed ex veritate et bono zelo, ad canonicam correctionem animæ meæ, et debitam castigationem corporis mei, ut nunc satis intelligo, et sentio in effectu; quibus quidem correctioni et castigationi fui et sum paratus, et offero me paratum obedire, prout mereor, et teneor per legem Dei, et ejus S. ecclesiæ.

Et suprascripto die 8. Martis in dicta domo capitulari, idem rever. pater dominus archiepiscopus antedictus præfatum concilium, & negotia ejusdem non expedita, usque in crastinum, & ipso crastino usque in diem veneris prox. tunc futurum, in loco hujusmodi continuavit. Adveniente vero eodem die veneris vid. 11. die mensis Martii prædicti, in præfata domo capitulari, dictus rever. pater, & confratres sui, ac alii prælati & clerus Cant. provinciæ concesserunt domino regi unam decimam, & medietatem unius decimæ, juxta formam cujusdam schedulæ in ea parte factæ, cujus tenor sequitur in hæc verba:

Concessio Cleri.

„ Clerus Cant. provinciæ concedit domino nostro regi unam decimam cum dimidia solvend. tribus terminis per æquales portiones; vid. unam medietatem in festo S. Trinitatis, & secundam medietatem in festo S. Andreæ apostoli prox. futuro, tertiam vero medietatem in festo nativitatis S. Joh. Baptistæ, tunc prox. sequente persolvend. de beneficiis taxatis, & ad decimam solvere consuetis (exceptis hospitalariis, & pauperibus monialibus, ac eorum beneficiis; & super hoc stetur discretioni & certificatorio ordinarii, infra cujus diœcesin loca prædicta sita existunt) ita quod non oneretur clerus interim impositione, subsidio, vel onere aliunde, & quod ad levandam dictam primam medietatem citra festum Paschæ non scribatur, nec exerceant collectores censuras ante lapsum dictorum terminorum, nec utantur in locis non exemptis circa levationem prædictam regia potestate, excepto brevi de " significavit," sicut hactenus extitit usitatum.

Qua schedula coram eodem reverendissimo patre, & suis suffraganeis in dicta domo capitulari tunc ibidem præsentibus & consedentibus, ex parte dicti cleri perlecta; idem rever. pater archiepiscopus supradictus eisdem die & loco suam convocationem hujusmodi laudabiliter consummavit.

ADMONITIO COLLECTORIS

De synodis Gallicanis & Anglicanis hujus, & sequentium sæculorum.

HOc & sequentibus sæculis Cleri frequentes coitiones in Gallia & in Britannicis insulis factæ sunt; quæ cum ex episcopis regni constiterint, reipsa concilia erant provincialia, idque interdum nominis non semel obtinuerunt. Cum tamen earum sæpe causa fuerit largitio pecuniarum a clero decreta, ut egenti regis ærario subveniretur, nec frequenter aliud maximi momenti ad fidem moresque pertinens in illis discuteretur; non iniquo animo laturos lectores meos spero, si illis omissis, omnem operam collocem in digerendis afferendisque conciliis, que instituto meo aptiora, eorumque studiis conducibiliora judicavero. Si qui fuerint, qui id pariter eruditionis genus negligendum sibi nequaquam duxerint, adeant pro Anglicanis Wilkins; pro Gallicis collectionem actorum & documentorum ad res Cleri Gallicani spectantium voll. 12. in fol.

IN-

INNOCENTIUS PAPA VII.

Sedit ab anno 1404. usque ad 1406.

AD CONCILIUM PARISIENSE

Anno 1404. habitum

In causa schismats pontificii

ADDITIO.

PRÆMONITIO COLLECTORIS.

An. 1404. apud Mart. Ampl. Coll. t. II. pag. 1398.

„ SAnctiones quasdam Parisiensis Concilii pro optimo ecclesiæ regimine constitutas quan-
„ diu in tanta pontificum Romanorum ambiguitate utrique æmulo obsequium dene-
„ garetur in Galliis, Cossartius ex Dacherii Spicilegio descripsit. Harum persimiles e MS.
„ Cod. Gemmeticensi vulgavit Martene to. II. pag. 1398. quas licet in concilio anno 1404.
„ lectas ferat titulus illis adscriptus; ad concilium tamen anni 1408. spectare constat, tum
„ ex anno eodem in una quadam ex illis sanctionibus signato; cum etiam quod earum
„ nonnullæ inter probationes ecclesiæ Gallicanæ jam vulgatæ annum 1408. exhibent. Por-
„ ro omnia ea capita legum ferendarum patribus pro concilio proposita sunt; sed non
„ omnia æque admissa; nam alia probarunt omnino; alia cum præscripta limitatione; id-
„ que adjecta singulis brevi nota indicarunt.

QUÆDAM DELIBERAMENTA PER CONCILIUM ECCLESIÆ GALLICANÆ PARISIUS

Durante substractione servanda circa quatuor. Primo circa absolutionem peccatorum reservatorum. Secundo circa dispensationes fiendas. Tertio circa ministrationem justitiæ in appellationibus & aliis. Quarto circa distributionem beneficiorum ecclesiasticorum.

Avvisamenta super modo regiminis ecclesiæ Gallicanæ durante neutralitate, deliberata & conclusa per concilium dictæ ecclesiæ XXII. Octobris anno MCCCC. quarto.

ET primo quantum ad peccata et sententias a jure latas, quorum aut quarum absolutio est sedi apostolicæ reservata, absolvere potest pœnitentiarius sedis apostolicæ in foro conscientiæ tam exemtos quam non exemtos.

Item si absolvendus in casibus supradictis nunc vel in posterum habeat impedimentum perpetuum aut temporale, vel forte supervenirer causa propter quam non deberet ad dictum poenitentiarum habens recursus, talis si fuerit non exemtus, per proprium episcopum poterit absolvi, cum injunctione quod quamcito commode poterit, conspectui illius ad quem est absolutio reservata repræsentet, &c. Si autem fuerit exemtus qui ex privilegio vel alias habeat superiorem in eum potestatem episcopalem exercentem, per illum: si autem non habuerit, per episcopum ordinarium absolvi poterit in forma supradicta. *Transivit per concilium in forma.*

Item, si fuerit sententia excommunicationis a papa lata, auditore, vel delegato, aut subdelegato sedis apostolicæ, propter cujus absolutionem esset ad excommunicatorem habendus recursus: sive exemtus, sive non exemtus, hoc tempore durante, per loci ordinarium potestatem episcopalem habentem absolvi poterit in foro conscientiæ, ut in articulo præcedenti, cum sit impedimentum quominus ab excommunicatore absolvi valeat juxta caput. *Eos qui*. de sent. excommunicationis lib. VI. ibi *sive hominis*. In foro vero contentioso fiet absolutio per ordinarium quoad non exemtos, per judices de quibus infra dicetur, vocata parte, ubi de jure fieri debet. *Transivit in forma.*

De dispensationibus fiendis.

Item, si super defectu ætatis quoad ordines sacros citra episcopatum, et quoad dignitates et beneficia curata, citra tamen majores dignitates post episcopalem in cathedralibus, aut principaliores in ecclesiis collegiatis, in quo etiam tenent aliqui doctores, quod episcopi pro necessitate valeant dispensare, dispensent episcopi cum graduatis et nobilibus de duobus annis tantummodo, ubi secundum Deum et justitiam, causæ cognitione præmissa viderint expedire. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, super defectu natalium quoad ordines sacros, dignitates, et beneficia curata, dispenset poenitentiarius in casibus, in quibus dispensare consuevit. Alias si non posset, satis tolerandum videtur quod episcopus pro utilitate ecclesiæ cum nobilibus et graduatis dispensare valeat, causæ cognitione præmissa, et capituli sui vel majoris partis adhibito consensu, majoribus tamen dignitatibus post episcopalem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis exclusis. *Ad jus commune remittit.*

Item super irregularitate propter violationem censuræ ecclesiasticæ, dum tamen non fuerit ex contemtu, si sit casus super quo poenitentiarius sedis apostolicæ consueverit jure suo dispensare, ad eum habeatur recursus. Si vero non possit haberi, vel si cau-

causa superveniret propter quam non esset dictus poenitentiarius adeundus dispensent episcopi, et cum episcopis et etiam cum exemtis dispensent superiores potestatem episcopalem habentes in absolvendo, nisi fuerit scienter facta violatio censuræ interdicti generalis, quo casu dispensandus adhuc poterit expectare. *Transivit in forma.*

Item, super irregularitate quæ propter crimen, quod etiam post poenitentiam impedit executionem officii, ut in homicida, simoniaco in ordine, et similibus, vel propter mutilationem membri, vel judicium sanguinis incurretur. Si sit casus in quo poenitentiarius prædictus posset jure suo dispensare, ad eum super hoc recurratur, alias expectet dispensandus. *Transivit in forma.*

Item, quoad impedimenta matrimonii usque ad quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis: si poenitentiarius sedis apostolicæ in hoc consueverit et valeat jure suo dispensare; ad eum recurratur. Si autem magna reipublicæ utilitas exegerit forte cum aliquo rege vel principe dispensandum super hoc; tum causæ cognitione præmissa, concilium provinciale, citra tamen casus lege divina prohibitos, valeat despensare, et etiam de quarto gradu cum illis quibus viderit dispensandum. *Transivit in forma.*

Item, circa impedimenta matrimonii provenientia propter cognationem spiritualem, videtur satis tolerabile hoc tempore durante quod concilium provinciale cum magnis nobilibus inter susceptum et filium suscipientis valeat dispensare. *Transivit in forma.*

Item, de impedimento proveniente propter publicæ honestatis justitiam, satis tolerandum videtur, quod concilium provinciale valeat dispensare in tertio et quarto gradu. *Transivit in forma.*

Item quoad illa quæ concernunt episcopos et majores, sicut electiones episcoporum per suos archiepiscopos, vel, sede Metropolitanæ possunt de jure confirmari: sic electiones archiepiscoporum per suum primatem, si habeant, alias si non habeant, aut dubitetur qui sit ille, per suffraganeos provinciæ congregatos poterunt confirmari, et etiam approbari, juris solemnitate servata: ad quos etiam dicti archiepiscopi consecratio indubitanter noscitur pertinere: sed pallii receptionem expectabit sic promotus, nisi sit aliquis a quo possit recipere pallium. *Transivit in forma.*

Item, quoad defectus qui concernunt personas episcoporum vel promovendorum ad dignitates episcopales vel majores, si assumendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ordine defectum, attento quod infra breve suppleri valeat hujusmodi defectus, et quod aliqui doctores tenuerunt etiam per alium quam per papam posse super hoc dispensari, satis tolerandum videtur, quod hoc tempore durante per superiorem immediatum valeat super hoc dispensari. *Ad jus commune remittit concilium.*

Item, si promovendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ætate defectum, cum tali nullatenus dispensetur, nisi forte sit talis persona quæ sit in sacris, & in ætate sacerdotali constituta, & regem in secundo aut tertio gradu consanguinitatis attingat: quo casu poterit cum tali per concilium ecclesiæ Gallicanæ, aut per provinciale concilium loci pro ecclesiæ utilitate & causæ cognitione præmissa, dispensari. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, si aliquæ dispensationes super pluralitate beneficiorum, defectu natalium, vel ætatis, vel super impedimento matrimonii contrahendi, aut alias per Petrum de Luna ante tempus publicationis neutralitatis reperiuntur cum aliquibus esse factæ, etiamsi tunc vel modo nondum suum sint sortitæ effectum, auctoritate hujus concilii ratæ maneant, & per ordinarios locorum vel executores datos ad dictas dispensationes exequendas valeant secundum suum tenorem auctoritate hujus concilii executioni debitæ demandari, dum tamen non sint personæ, quæ de fautoria schismatis comperiantur esse culpabiles. *Transivit per concilium in forma.*

Item, die XXV. Octobris dicti anni CCCCVIII. dictum concilium voluit & ordinavit, quod quæcumque dispensationes super quibuscumque materiis vel aliis concessæ per dictum Petrum de Luna, ante tamen datam illarum nefandarum litterarum, dum tamen per ipsas subtractioni alias factæ aut conditionibus positis in restitutione vel neutralitate præsentialiter currenti præjudicium non afferant, valeant & teneant, & ipsis uti & gaudere possint dispensati, auctoritate tamen hujus concilii & non alias, etiamsi super hoc literæ non fuerint confectæ, dum tamen valeant probari per testes aut alias legitima documenta. *Transivit.*

De ministratione justitiæ.

Primo archiepiscopi teneantur quolibet anno certo tempore advisando per se, vel, si fuerint legitime impediti, per alium celebrare concilium provinciale in tali loco suæ provinciæ: quo reperiri valeat sufficiens copia peritorum, in quo etiam ipsi & suffraganei ac eorum quilibet, cessante legitimo impedimento, in suis propriis personis teneantur interesse, & perstare, ac negotiis expediendis efficaciter intendere. Et similiter si qui sint, qui ad hoc consueverint vocari & debent de consuetudine, vel alias eisdem conciliis interesse. *Transivit.*

Item, si propter legitimum impedimentum de quo se excusare tenebuntur, non possent in sua propria persona eisdem conciliis interesse, eo casu idoneos & litteratos viros cum potestate sufficienti ad eadem concilia pro se suis propriis expensis mittere teneantur, qui ea possint & valeant facere & expedire, quæ ipsi facere possent & deberent, si præsentialiter interessent. *Transivit in forma.*

Item, si domini archiepiscopi vel episcopi hoc non adimpleverint, puniantur poena juris. *Transivit in forma,*

Item, si aliquis archiepiscopus renuerit vel distulerit concilium provinciale convocare, episcopus inter suffraganeos decanus, vel habens aliam præeminentiam inter eos præsens

sens in provincia, vel si in provincia non sit talis aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione possit & teneatur concilium convocare, & in eo præsidere sub pœna juris. *Transivit in forma.*

Item, in isto præsenti concilio ecclesiæ Gallicanæ ordinabitur de tempore & loco pro primo provinciali concilio celebrando in qualibet provincia, & in dicto primo concilio provinciali ordinabitur de sequenti & sic deinceps. *Remittitur pro anno præsenti propter concilium generale.*

Item, quodlibet concilium provinciale durabit per mensem ad minus: ante cujus lapsum non poterunt concilium celebrantes sine magna & urgente causa recedere, nisi prius negotia ibi tractanda fuerint expedita. *Transivit in forma.*

Item, quia in dicto provinciali concilio comparentes, etiamsi fuerint numero minores illorum qui debent concilium celebrare: nihilominus dictum concilium celebrare & statuere statuenda in eo possint & valeant, aliorum absentia non obstante. *Transivit in forma.*

Item, quod in dictis conciliis provincialibus fient debitæ correctiones & reformationes, &c. quæ juris sunt; & si quis conqueratur de archiepiscopo ibidem, de hoc statim sine alia citatione auctoritate hujus concilii cognoscatur, & judicetur, prout majori parti fiendum videbitur. Si vero contra episcopum agatur, terminabitur, concilium provinciale quasi loco papæ poterit diffinire. *Remitti ad jus commune.*

Item, de cætero celebrentur capitula generalia monachorum Ordinis S. Benedicti & canonicorum regularium, secundum juris formam & statuta concilii generalis, et sanctorum patrum, ad quod per suos ordinarios viriliter astringantur tam exemti quam non exemti, prout in jure noscitur esse cautum. *Transivit in forma.*

Item, in præsenti concilio ex nunc deputentur præsidentes pro singulis provinciis, qui prima concilia seu capitula generalia monachorum nigrorum, et canonicorum regularium valeant convocare & eis præsidere, et cetera peragere ad hæc necessaria ac etiam opportuna. *Transivit in forma.*

Item quia difficile est aliquibus propter temporis malitiam, viarum discrimina et locorum distantiam, limitationem provinciarum secundum ordinationem bonæ memoriæ domini papæ Benedicti XII. qui communiter duas provincias, ut Rotomagensem et Turonensem in unum conjunxit, de præsenti observare, dispensetur et permittatur, quod quælibet provincia vulgari opinione, et reputatione, sic reputata, si velit, hoc tempore durante per se hujusmodi capitula, ac secundum formam juris valeat celebrare. *Transivit in forma.*

Item, fiant appellationes per media et gradatim coram ordinariis, prout infra declaratur, nisi sit consuetudo in contrarium, aliter factæ non valeant, utpote de archidiacono ad episcopum, de episcopo ad archiepiscopum, de archiepiscopo ad primatem, si quem habeat, etiam ad seipsum ut primatem, si archiepiscopus fuerit et primas; et de archiepiscopo primatem non habente vel ubi est dubium an habeat primatem, vel qui sit ille, ad concilium provinciale, et a primate ut primate ad concilium provinciale suæ provinciæ, et si causa exordium haberet coram archiepiscopo superiorem non habente, vel propter appellationem primo loco ad eum interpositam, procederetur in causa coram eo: Et si forte ab eo ad concilium provinciale contingeret appellari, cum eo casu possit iterum appellari, concilium dabit commissarium vel commissarios ad cognoscendum et diffiniendum de causa a quorum commissariorum sententia si fuerit appellandum, ad concilium item poterit appellari. Quod rursum ubi opus erit, poterit dare commissarium aut commissarios pro finali terminatione negotii, vel per se terminare et sententiam executionis facere demandari; dum tamen fuerint tres sententiæ conformes, et duæ appellationes, vel altera sententiarum in rem transiverit judicatam. *Transivit in forma.*

Item, si contigerit appellari a judice superiorem non habente, vel de quo sit dubium an habeat, si per judicem a quo appellans fuerat excommunicatus, propter periculum animarum, quod immineret expectando concilium provinciale, decanus episcoporum, vel antiquior creatione præsens in provincia poterit talem excommunicatum absolvere ad cautelam, in forma juris parte vocata. *Transivit in forma.*

Item, si a vices gerente alicujus conservatoris habentis conservatoriam perpetuam auctoritate apostolica dati fuerit appellandum, ad dictum conservatorem poterit appellari, qui etiam, si placet, causam appellationis alicui committere poterit, a quo etiam, si sit opus, poterit ad dictum conservatorem iterum appellari, & iterum per eum alteri committi: & si conservator per se cognoscat de causa, & ab eo fuerit appellandum ad concilium provinciale loci, loco sedis apostolicæ, poterit appellari: quod concilium etiam dare poterit commissarios, & procedere sic & taliter quod habeantur tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, prout in superioribus fuit dictum. *Transivit de conservatoriis perpetuis concessis ante datam nefandarum litterarum.*

Item, in conciliis provincialibus, quando ibi fuerit procedendum, procedatur, quantum commode fieri poterit summarie & de plano. *Transivit in forma.*

Item, si causa inchoata in uno concilio provinciali non possit ibidem totaliter expediri, dabuntur a præsidente cum deliberatione majoris partis commissarius vel commissarii, qui cognoscent & procedent in causa juris ordine servato, & secundum formam juris vel alias a concilio præfigendam. *Transivit in forma.*

Item, commissarius vel commissarii cum eos vel eum contigerit propter causam sibi commissam extra domicilium proficisci, habebunt a partibus expensas arbitrio concilii provincialis moderandas: et si non proficiscantur, ad instar emolumenti sigilli ordinarii, sint sui sigilli emolumento contenti. *Transivit prout de jure.*

Item,

ANNO CHRISTI 1404.

Item, appellatione interpofita ad concilium provinciale, tenebitur appellans citationem impetrare, & facere exequi infra duos menfes a tempore appellationis interjectæ numerandos, alias pro deferta habeatur. Sic tamen quod appellatus a die conceffionis apoftoli habeat unum menfem ad comparendum in provinciali concilio, quam citationem impetrabit a decano epifcoporum feu habente præeminentiam inter eos; vel fi non fit talis in provincia, vel dubitetur qui fit ille, ab antiquiore creatione ut fupra, vel committendo feu committendis qui ad hoc in primo provinciali concilio poterunt deputari. *Tranfivit in forma.*

Item, quod appellationi ad fedem apoftolicam intejectæ non deferatur; et talis appellatio auctoritate hujus concilii ecclefiæ Gallicanæ, hoc tempore durante, declaretur effe nulla. *Tranfivit in forma.*

Item, quod omnia et fingula fupradicta et fequentia auctoritate hujus concilii ordinentur et ftatuantur, et perpetuam obtineant roboris firmitatem. *Tranfivit in forma.*

Item, fic provideatur et fiat, quod ab forum fæculare de prædictis nullo modo caufæ cognitio tranfmittatur, fed potius executio, cum brachium fæculare fuerit invocandum. *Tranfivit in forma.*

Item, de litigiis in curia Romana coram auditoribus vel aliis, aut in partibus coram executoribus vel judicibus delegatis pendentibus indecifis, fi altera partium hoc requirat, coram judice ordinario procedatur in eo ftatu, in quo lis pendebat, nifi fuerit ab eo appellatum: quo cafu ad proximum fuperiorem recurratur. Et fi fuerit appellandum ad proximum fuperiorem appelletur, ficut fupra dictum eft in articulis loquentibus de appellationibus. *Tranfivit in forma.*

Item, fi aliqua partium non habeat jura feu munimenta fua, et velit a notariis feu aliis quibufcunque ea detinentibus recuperare, detinentes per judicem caufæ ea tradere compellantur, et in fubfidium invocabitur brachium fæculare. Si vero munimenta neceffa diligenter fuper hoc adhibita, de quo legitime conftet, haberi non poffint, a proceffu coram judice fuperfedeatur, donec potuerint haberi. *Tranfivit in forma.*

Item, quia forfan multæ fententiæ definitivæ et interlocutoriæ fuerunt latæ in curia Romana, antequam neutralitas in dicta curia effet nota; quod hujufmodi fententiæ quarum proceffus erant inchoati ante datam nefandarum illarum litterarum latæ, etiam infra menfem a die publicationis neutralitatis computandum, auctoritate hujus concilii, et non alias valeant, per ordinarios aut alias executionis demandentur, dum tamen fubtrationi alias factæ, et conditionibus appofitis in reftitutione ac neutralitati præfenti nullatenus præjudicetur. *Tranfivit in forma.*

Item, quod monafterii feu abbates exempti, pendente neutralitate, electi, poffint et teneantur confirmationes et benedictiones fuas recipere a dioecefanis epifcopis, fine præjudicio exemptionum fuarum pro futuro tempore, et quod hoc expreffe ponatur in litteris fuper hoc conficiendis, nifi confirmationem et benedictionem ex privilegio eis conceffo ab aliis recipere poffint. *Tranfivit in forma.*

Item, poftea fuit deliberatum, quod in caufis procedatur fecundum difpofitionem juris communis, non fecundum regulas cancellariæ, nifi fint conformes juri communi. *Tranfivit in forma.*

Ifti articuli fequentes pro exemptis fuerunt conclufi &c. ut in Spicilegii to. 6. pag. 166.

Circa modum in providendis beneficiis & circa diftributionem eorumdem.

Primo circa electiones, poftulationes, & collationes, fiant ut jura volunt, omni abufu fæcularium vel magnorum & oppreffionibus quibufcunque ceffantibus, & factæ de pro[...]ore vel ratum habente talia fieri non val[...], nec confirmentur. Et fi contra electum vel poftulatum talia opponantur, fuperior cognofcat. *Tranfivit in forma.*

Item, fi de electione archiepifcopi fuperiorem non habentis, vel quando eft dubium an electione primatis agatur; concilium provinciale cognofcat, & fi fit opus confirmet, ad quod fuffraganeos & alios convocare tenebitur decanus epifcoporum, feu habens præminentiam inter eos: vel fi non fit talis, aut dubitetur quis fit ille, antiquior creatione præfens in provincia, nifi inter quatuor menfes debeat fequi concilium ordinatum: ita tamen quod contra electum vel poftulatum non currat tempus juris. *Tranfivit in forma.*

Item, in cafu videlicet, quod de confirmatione archiepifcopi primatem non habentis, vel ubi dubium eft an habeat fuperiorem, vel qui fit ille, vel quando de confirmatione primatis agitur, decanus epifcoporum, five habens præeminentiam inter eos, vel fi non fit talis, vel dubiterur qui fit ille, antiquior creatione faciat proceffum et edicta, & referat ad fæpedictum provinciale concilium, in quo dictus decanus, vel habens, &c. vel antiquior creatione præfens in provincia præfidebit, & dictum concilium cofirmabit vel infirmabit, prout de jure.

Item, collationes & inftitutiones aliorum quorumcumque beneficiorum fiant per ordinarios ad quos de jure vel confuetudine pertinere nofcuntur, perfonis tamen idoneis. *Tranfivit in forma.*

Item, ficut fæculares nominabuntur in rotulo univerfitatis, fic etiam regulares feu religiofi nominentur, ut eis de beneficiis regularibus debeat provideri. Quantum ad religiofos recurratur ad abbates vel fuperiofes & provideant auctoritate concilii, aut concilium providebit, fi non provideant. *Tranfivit in forma.*

Item, dignitates, perfonatus, & adminiftrationes aliaque beneficia quæcumque electiva, tam in cathedralibus quam in collegiatis ecclefiis dimittantur electoribus, qui ad eas feu ea viros idoneos eligere teneantur. *Tranfivit in forma.*

Item, ad evitandum fraudes & ambitiones aliquorum, qui poffent diverfis rotulis di-

ANNO CHRISTI 1404.

diversorum studiorum aut dominorum, vel unius studii seu unius principis imponi, & per hoc occupare multa loca personarum idonearum, rationabile est quemlibet unico rotulo dumtaxat inscribi. Quod si aliquis de facto diversis imponeretur rotulis, talis infra mensem a tempore nominationis habeat se ad unum illorum rotulorum determinare, non habiturus regressum ad alterum; quod si non, & scienter, sit ipso facto privatus ambabus nominationibus. *Concilium relinquit communi dispositioni collatorum.*

Si vero alicui nominato provideatur per ordinarium, seu jure ordinario, vel alias de aliquo beneficio incompatibili, tunc per assecutionem beneficii incompatibilis alias quam causa permutationis, suæ nominationi renunciasse censetur quoad incompatibile beneficium ejus virtute assequendi. *De jure est.*

Item, & quod dictæ nominationes, fiant cum decreto, ita quod collatio seu præsentatio & quidquid contra præmissa aut aliquod vel aliqua ex eis fuerit factum, non valeant. Primo sint ipso facto nulla omnia quæcumque fuerint in contrarium attentata. *Transivit in forma.*

Item, quod in nominationibus fiendis fiat mentio per nominandos de beneficiis obtentis, & de numero ac valore ipsorum in portatis, alias nominatio censeatur subreptitia. *Transivit in forma.*

Item, quod si nominati beneficia sub nominatione sua cedentia non acceptent, vel declarent infra mensem a tempore notitiæ vacationis in loco, se ea nolle habere: patroni seu collatores ex tunc poterunt libere præsentare & conferre. *Transivit in forma.*

Item, quod non provideantur nisi neutralibus, nec illis de quibus erit dubium, donec sint declarati neutrales. *Transivit in forma.*

Item, quod non nominetur habens beneficia valentia CCCC. libras Turonenses in portatis: & si contrarium fiat, nominatio, collatio, & quidquid in contrarium factum fuerit, sint ipso facto nulla, nisi fuerit nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico, vel civili, aut in medicina licentiatus, aut in theologia bacalarius formatus, aut de magistris requestarum regis clericis, aut eleemosynarius, medicus, aut primus cappellanus regis, reginæ, domini Delphini & dominorum ducum. *Remittitur ad collatores.*

Videtur etiam quod non deberent nominari habentes tres præbendas in ecclesiis cathedralibus nisi sic quod per assecutionem alicujus beneficii virtute suæ nominationis unam de tribus præbendis dimittere tenerentur infra mensem, nisi forte esset nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico, &c. ut in articulo præcedenti. *Remittitur ad collatores.*

Item, si qui post obtentam nominationem deprehendantur alteri contendentium obedientiam præstitisse vel præstare, ipsa nominatione a beneficiis virtute nominationis hujusmodi obtentis privati sint ipso jure, & contra præstantes obedientiam hujusmodi fiant processus auctoritate hujus concilii, prout durius fieri poterit. *Transivit in forma.*

Item, quod permutationes beneficiorum per Petrum de Luna ante tempus publicationis litteræ, &c. debite factæ & etiam receptæ, & quæ quoad possessionem non sunt sortitæ suum effectum, possint & debeant auctoritate hujus concilii ad effectum perduci per ordinarios, dum tamen non sint fautores dicti Petri de Luna, & consentiant partes juxta opinionem aliquorum. *Transivit in forma.*

Item, si qui ante tempus datæ litterarum ipsarum Petri de Luna gratias expectativas habuerint in rotulis universitatum aut alias, quorum bullæ & processus facti fuerint ante tempus dictum, & post datam ipsarum litterarum, ante tamen neutralitatem virtute antedictarum litterarum beneficia acceptaverint, & sibi provideri fecerint, si competitorem habeant, coram ordinariis super talibus habeatur recursus, qui authoritate hujus concilii cognoscere habeant, & fiat partibus justitia. *Transivit in forma.*

Item, si contingat aliquos sua beneficia coram ordinariis permutare, collationes hujusmodi non computentur in turno collatoris sive patroni, cum non sit liberum nominatis talia beneficia causa permutationis vacantia acceptare, nec collatoribus sit liberum aliis quam permutantibus ea conferre. *Transivit in forma.*

Item, fiat articulus quod si unus nominatorum nolit beneficium vacans acceptare, alius post eum ad eamdem collationem nominatus illud expectare valeat, dum tamen infra mensem super hoc suam declaret voluntatem, & in uno articulo superius fuit dictum. *Transivit in forma.*

Item, ad tollendas fraudes quas collatores facere possent, procurando quod unus nominatorum unum modicum beneficium vacans acceptaret, ut forte dare posset in turno suo unum grossum & pingue beneficium, quod in proximo vacare speraretur, advisetur de remedio, puta quod beneficium de tali modico valore videlicet centum solidorum non computetur in turno, nec impediat, quin nominandus beneficium proxime vacans valeat acceptare, vel alias advisetur super hoc sibi sit opus. *Provideant collatores.*

Item, quod nominatus & quicumque alius non possit aut debeat prælatum & collatores molestare de sibi conferendo beneficium in turno prælati, & quod si per se vel alium preces importunas super hoc apud regem vel dominos impetraverit, vel statim quod ad ejus notitiam venerit, ab hujusmodi precibus non destiterit cum effectu, cadat a jure nominationis suæ, & ad sequentem nominatum jus suæ nominationis ipso facto transferat. *Transivit in forma.*

Item, quoad capitula, ubi hebdomadarii conferre habent vel præsentare in terminis suis ipsis nominatis, in locis assignatis conferat aut præsentet capitulum nominato, reservando subsequens beneficium illi qui erat in turno suo. *Transivit in forma.*

ANNO CHRISTI 1406. 1407.

HAMMEBURGENSE CONCILIUM

Anno 1406. habitum.

An. 1406. Error iste perniciosus per hæc tempora inter fideles gliscebat, quicunque veste monastica Minoritarum fratrum amictus ex hac vita decederet, illum certa salus æterna ut maneret. Quin nec diutius purgatorii cruciatibus torquendum illum asserebant nonnulli; cum S. Franciscus semel quotannis e coelo dilapsus id committeret, ut inde ereptus addictus sibi cliens in paradisum se remigrantem sequeretur. Id vero Minoribus fratribus nonnullis exprobratum fuisse in concilio provinciali Hamburgensi anno 1406. asserit Hermannus Cornerus in Chronico ad an. 1359. his verbis: *Temporibus meis, me præsente in provinciali synodo in urbe Hammeburgensi celebrata an. Dom. MCCCCVI. per D. Johannem de Slamestorp archiepiscopum Bremensem, & dominos Johannem & Dulmen Lubicensem, Rodolfum natu ducem de Mekeleoburg Swertnensem, & Dithlevum Parkentin Razeburgensem comprovinciales episcopos præfatus dominus Johannes episcopus Lubicensis doctor utriusque juris Parisiensis, vir multum solennis & pater religiosorum, hunc errorem in publico consistorio, ipsis fratribus Minoribus ibidem præsentibus objecit coram tota Bremensi provincia tanquam per dictos fratres publice prædicatum in urbe Lubicensi.*

Extat in Eccardi Corp. Hist. t. II. p. 1101.

GREGORIUS PAPA XII.

Sedit ab anno 1406. usque ad 1415.

PARISIENSE CONCILIUM

Pro concedenda singulis, ad quos de jure spectat, beneficiorum conferendorum potestate tempore schismatis,

Anno 1407. habitum.

An. 1407. „ IN Gallicano anni 1398. concilio decreta fuerat subtractio obedientiæ ab utroque pontifice, Petro scilicet de Luna, & Urbano VI. Verum anno demum 1403. negata a Gallis Petro obedientia restituta est, spondente Petro se ultro eam dignitatem abdicaturum, si æmulus vel cessisset vel decessisset. Defuit fides dictis; quare anno tandem 1407. iterum Petri de Luna in Galliis potestas suspensa est. Tum processum ad permittendum singulis ecclesiis Gallicanæ ditionis jus eligendi præsules, & præsulibus beneficiorum conferendorum potestatem integram, omni ea in re Petro de Luna authoritate adempta. Concilii hujus acta seu decreta plura damus ex Martene Anecdot. to. II. pag. 1307. Verum his concilii decretis executionem tantisper suspendit Galliæ rex, ut ex hic datis constat.

COPIA INSTRUMENTI

De deliberatione prælatorum Parisius congregatorum anno CCCCVI. stilo veteri, novo 1407. super facto collationis beneficiorum in regno.

Ex Mart. loc. cit. Eruit ex MS. cod. Gemmeticens. & ex MS. S. Laurentii Leodien.

IN nomine Domini Amen. Omnibus præsens instrumentum inspecturis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem domini millesimo quadringentesimo sexto, indictione decima quinta, mensis vero januarii die quarta pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Benedicti divina providentia papæ XIII. anno decimo tertio, in conspectu & præsentia illustrissimorum principum dominorum regis Siciliæ, Bituricensis, Burgundiæ et Borbonii ducum; comitis Nivernensis et aliorum dominorum de C sanguine regis, nec non cancellarii Franciæ, & multorum regis domini nostri consiliariorum, sedenti præsenti concilio reverendissimorum patrum dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, conventualium, deputatorum solemnium, venerandarum universitatum studiorum Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis et Montis-pessulani, procuratarum tam metropolitanarum quam cathedralium ecclesiarum & aliorum prælatorum ac virorum ecclesiasticorum absentium regni Fanciæ & Delphinatus Viennensis, prælatos & clerum seu ecclesiam hujus regni & Delphinatus merito, ut dicebatur facientium & repræsentantium, per dictum dominum regem super D facto & materia unionis S. Matris Ecclesiæ ac super bono statu & regimine ecclesiastico dictorum regni & Delphinatus ecclesiæ Parisius vocatorum, in aula alta, super Secanam domus seu regalis palatii congregatorum solemniter celebrato, & ibi in dicto silentio intelligentes attente ad ea quæ pro libertatibus ecclesiæ dictorum regni & Delphinatus incumberent ordinanda, retulit publice reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus Simon miseratione divina patriarcha Alexandrinus, ea quæ per prælatos & alios viros ecclesiasticos mandatos in eodem concilio certis diebus proxi præteritis circa dictas libertates quoad electio- E nes, prælaturarum & dignitatum dispositiones, collationes & præsentationes beneficiorum videbantur facienda, ordinanda et exequenda, sicut per circumscriptum virum magistrum Johannem Juvenalis in parlamen- to

ANNO CHRISTI 1407.

to regium advocatum ad instantiam procuratoris regii extiterat paucis ab hinc diebus in eodem concilio requisitum et caritative exhortatum. Inter quos autem dominos prælatos & alios viros ecclesiasticos, dum de hac materia diebus ipsis mature et cum multis multorum jurium allegationibus ageretur; post varias utrinque disceptationes et discussiones factas et habitas apparuit et apparebat evidenter majorem partem in decuplo hujus opinionis extitisse, quod ecclesia Gallicana ad suas antiquas libertates reduceretur, et ordinarii ad quos de jure vel consuetudine spectat, haberent in hujusmodi regno et Delphinatu de beneficiis ecclesiasticis conferendo et præsentando disponere et ordinare. Quodque promotiones prælaturarum, et aliarum dignitatum per electionem canonicam secundum quod jura scripta volunt fierent et effectum sortirentur. Sed aliqui uno, alii alio volebant modo, et consulebant provideri. Et quamquam omnes indifferenter ecclesiam Gallicanam dicerent sua de vere libertate gaudere, eamque nimis oppressam & gravatam confiterentur: tamen aliqui, sed numero pauci, consulebant quod usque ad celebrationem generalis concilii ecclesiæ differretur: alii certe numero pauciores dicto domino nostro papæ supplicandum, ipsumque prius summandum super hoc esse dicebant & deliberabant. Sed major pars, ut dictum est, in decuplo in opinione tendebat, quod per regem dominum nostrum ad supplicationem & requestam dictorum prælatorum & aliorum virorum ecclasiasticorum modo prætacto provideretur: attento quod ipse rex dominus noster in sua sacra coronatione juraverat solemniter ecclesiam prædictam in sua libertate tenere & conservare: attento insuper quod dominus noster papa prædictus de faciendo præmissa sufficienter requisitus est & summatus, quod se facturum & concilium generale celebraturum promisit, in quo generali concilio, si fuisset, ut promiserat, celebratam, de libertatibus prædictis, & aliis ecclesiasticis negotiis ordinatum extitisset. Attento denique quod occasione hujusmodi dispositionum beneficiorum impeditur pax desiderata & unio, & præsens schisma horrendum antiquatur, continuatur, & altius radicatur. Et sicut aliqui deliberando proponebant tantis malis, tantis scandalis, tantis denique extorsionibus, summo studio, summaque diligentia attentis præmissis obviandum erat: in quibus agendis & exequendis, ut dicebant, non fieret domino nostro papa prædicto aliqualis injuria, injustitia aut molestia: immo ordinariis quod suum est redderetur, & pie fundatorum ecclesiarum intentiones servarentur. Demum quia de limitatione circa præmissa adhibenda inter aliquos deliberantes quæstio versabatur, idcirco ut res prius securior, salubrior, & majoris roboris & firmitatis ac sine scrupulo & reprehensione existeret, fuit per probatissimos, & solemnissimos viros, ut dicebat idem dominus patriarcha, quædam advisata & confecta cedula, quam ipse in eodem concilio publice & intelligenter legi fecit in hæc verba: "Super reductione ecclesiæ Gallicanæ ad libertatem; quantum ad electiones prælatorum & collationes beneficiorum per ordinarios & alios ad quos spectat de jure vel consuetudine, & præsentatione patronorum, videtur regi consulendum & per ipsum ordinandum, quod stante schismate papa nulla beneficia conferat in isto regno & Delphinatu Wiennensi, nec prælaturas aut dignitates: immo fiant prælati per electiones in forma juris: & in ordine Cisterciensi, & aliis religionibus exemtis modo quo est in dictis religionibus fieri solitum; & beneficia conferantur per ordinarios & illos ad quos spectat de jure & consuetudine. Et ista reductio intelligitur fore perpetua, etiam schismate cessante, beneficiis illorum exceptis qui in curia morientur: dum tamen per generale concilium ecclesiæ aliter non fuerit ordinatum, cujus ordinationi se submittit dictorum regni ac Delphinatus ecclesia". Qua quidem lecta cedula, auditaque publice & intellecta, die quarta qua supra, petiit iterato Dominus reverendissimus pater dominus patriarcha fideliter per ipsos dominos prælatos & ceteros viros ecclesiasticos, tunc grandi numero & solemniter congregatos, deliberari an consulendum regi domino nostro supplicandumque & requirendum esset, quatenus ecclesiam suorum regni & Delphinatus in libertate sua, quemadmodum in dicta continetur cedula, teneret & conservaret. Qui quidem domini prælati et ceteri mandati congregati super hoc deliberare requisiti, omnes indifferentes, singulariter et successive, unus post alium paucissimis tamen discrepantibus, dixerunt et responderunt contenta in ipsa cedula, attentis multis juribus, causis, et rationibus, sæpissime per varios in eodem concilio allegatis et ostensis rationabilia esse, justa, necessaria, et æqua, et per ipsos regi domino nostro consulenda, et per eundem facienda et exequenda et ad plenum effectum deducenda: cui consulunt, et humiliter ac devote supplicant et requirunt, supplicareque, consulere, et requirere volunt de facto et intendunt, ut præmissa faciat, ordinet et exequatur, seu ordinari et exequi faciat competenter, et eo modo quo superius expressum est. Quippe super hoc suas patentes litteras omnibus concedere, quibus opus erit, dignetur pro præmissis. De et super quibus omnibus et singulis præmissis præfatus dominus patriarcha, et alii quamplures ibidem existentes petierunt a nobis notariis publicis subscriptis publicum fieri instrumentum, unum vel plura. Acta fuerunt hæc Parisius in aula prædicta, anno, indictione, mense, die, et pontificatu prædictis, præsentibus reverendissimis in Christo patribus dominis Remensi, Bituricensi, Turonensi, Senonensi, Rotomagensi, et Tolosano archiepiscopis; Lexoviensi, Laudunensi, Belvacensi, Abrincensi, Xantonensi, Aurelianensi, Noviomensi, Nannetensi, Eboracensi, Morinensi, Petracoricensi, Trovanensi, Meldensi, Ruthinensi, Lombericensi, Termensi, Eduensi, Nivernensi, Catalaunensi, Cabilonensi, et Caturcensi episcopis; S. Benigni de

ANNO CHRISTI 1407.

de Divione, Lingonensis, Cistercienfis, Cabilonensis, Clare vallis, Lingonensis, Montis S. Michaelis Abrincensis, S. Maxentii Pictaviensis dioecesum, de Gemmeticis, Sanctorum Remigii Remensis, Petri in Valleja Carnotensis, Germani de Pratis, et victoris prope Parisius abbatibus, decanis Remensi et Rotomagensi, dominis Guillelmo Bofratia, Joanne de Masticone, Gerardo Bagouli; Joanne de Tegula, tam in jure canonico, quam civili doctoribus, Joanne *Mauchon*, et Joanne Luqueti, sacræ theologiæ professoribus, necnon Gaufrido de *Pompadox* et Rampnulpho de Perusia, regiis consiliariis, cum quamplurimis aliis prælatis et viris ecclesiasticis testibus ad præmissa vocatis et rogatis.

Sequitur additio seu declaratio, quæ postmodum facta fuit per prælatos & consilium prædictum super materia dicti instrumenti: super qua declaratione etiam factum fuit publicum instrumentum, in quo clausula continens dictam declarationem ponitur, prout infra scribitur, de verbo ad verbum, & est talis, & est ad finem suprascripti instrumenti immediate adjungenda.

Verum quia dicebatur inter aliquos, quod attento quod circa hoc concilium principaliter intendebat, quod ecclesia regis & Delfinatus prædictorum reduceretur, conservaretur & manuteneretur in sua libertate & observantia antiqua, nec erat intentionis quod fieret aliqua nova ordinatio super istis, quodque si forte aliqua ordinatio facienda, fieri per regem principaliter non deberet, convenientius videbatur quod in serie prædicti instrumenti non ponerentur ista verba, per regem ordinandum, & similia in dicto instrumento contenta, quæ formam novæ ordinationis sonare videbantur. Dicebatur ulterius inter multos quod verba super prædicta reductione ad libertatem exprimentia deliberationem dicti concilii, quæ in dicto instrumento continentur, erant luculentius declaranda sive mutanda: quare ab omnibus ibidem existentibus petebat & requirebat idem dominus Patriarcha, quod super istis suas intentiones plenius et planius declararent et deliberarent. Super quibus dicti domini archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, deputati, et procuratores antedicti super deliberatione præmissorum deliberare requisiti, prout supra singulariter, sigillatim, successive, voce alta et intelligibili in dicti concilii præsentia suas intentiones declarando et in hoc stando dixerunt, declaraverunt, et publice responderunt, ita quod omnium deliberantium voce, numero, et personis veraciter comparatis et numeraliter computatis, apparere potuit omnibus, et nobis notariis apparuit evidenter dictos dominos archiepiscopos, episcopos, abbates, deputatos et procuratores omnes pro majori parte decuplo opinionis publice extitisse & existere, quod bonum est, conveniens, rationabile et honestum, sicut per multas rationes et jura ibidem fuit diversis et pluribus diebus ostensum, et suas intentiones circa hoc declarando dicebant ita esse faciendum, declarabantque et determinabant, declarant determinant, quod de cetero ecclesia Gallicana, et Delphinatus universaliter et particulariter in se et suis membris reducatur, teneatur, et regatur secundum suam libertatem et observantiam antiquam, quantum ad hoc quod de cetero, sicut volunt statuta conciliorum generalium, et decreta sanctorum patrum, fiant prælati per electiones capitulorum, conventuum, et collegiorum; et confirmationes per illos ad quos de jure, privilegio, aut consuetudine spectat; et similiter præsentationes per patronos, cessantibus in retectis omnino, ac non obstantibus quibuscumque et quorumcumque reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut gratiis, etiam cum decreti appositione ex parte papæ vel ejus auctoritate factis aut fiendis, seu concessis aut concedendis; quousque per concilium generale canonice celebrandum aliud fuerit ordinatum. Ad cujus concilii ordinationem dicta ecclesia Gallicana et Delphinatus se submittit, volueruntque supplicare et instanter requirere, supplicantque domino nostro regi, et instanter requirunt, quatenus ecclesiam prædictam suorum regis et Delphinatus in hujusmodi reductione, observantia antiqua, et libertate manutenere, quantum in ipso est, velit et dignetur, ac etiam defendere et tueri, et super hoc litteras suas opportunas et patentes concedere cuique petenti. Et ista sunt quæ circa hoc deliberaverunt prælati et clerus antedictus ceteris in dicto instrumento expressatis in suo robore duraturis, de & super quibus omnibus & singulis præfatus reverendissimus in Christo pater ac dominus, dominus Symon miseratione divina patriarcha Alexandrinus, & quamplures alii prælati & viri ecclesiastici petierunt a nobis notariis publicis subscriptis fieri unum vel plura publicum seu publica instrumenta. Acta fuerunt hæc in aula, &c. Anno MCCCCVI. die XII. Januarii.

DECLARATIO ET CONCLUSIO

Habita per prælatos super facto unionis Ecclesiæ in concilio Parisius congregato, anno CCCCVI.

SEquuntur illa, quæ per prælatos & alios viros doctissimos ecclesiam regni Franciæ & Delphinatus facientes & merito repræsentantes, auctoritate regia Parisius ad proxime lapsum omnium sanctorum festum super facto unionis sanctæ matris ecclesiæ convocatos, solemniter pro extirpatione præsentis nefandissimique schismatis, deliberata sunt & conclusa.

I.

Et primo regratiabantur Deo & Beatæ Virgini Mariæ, totique curiæ supernorum de bona dispositione, in qua videntur esse illi qui se dicunt cardinales in Roma et præsident inter eos, prout ex tenore instrumenti confecti per eos dicitur apparere.

II.

Item, videtur quod dominus Benedictus ex

ANNO CHRISTI 1407.

ex nunc pure, fimpliciter, clare & fine ambiguitate verborum per bullas & alias in forma publica debet offerre viam ceffionis & renunciationis, & eam effectualiter adimplere.

III.

Item, quod ambobus renunciantibus de fecuritate ftatus et redituum amplitudine providendum eft.

IV.

Item, quod pro renunciatione ifta actuali facienda, et celebranda electione indubitati fummi omnium fidelium pontificis, dominus Benedictus & domini cardinales debent fe actualiter et fine dilatione præparare ad conveniendum, quam primum fieri poterit, cum adverfario et anticardinalibus de Roma in certo loco ad ipfam renunciationem et futuri pontificis electionem effectualiter pratticandas.

V.

Item, licet dominus Benedictus viam ceffionis pro pace ecclefiæ confequenda ufque ad præfens non fatis clare obtulerit, vel oblatam et juratam minus diligenter extiterit profequutus, propter quod Univerfitas Parifienfis et nonnulli alii de obedientia fua eumdem reputarunt fchifmaticum et de hærefi vehementer fufpectum: fi tamen ipfe dominus Benedictus faniori fpiritu provocatus ipfam ceffionem modo præmiffo obtulerit, et oblatam perduxerit ad effectum, fic quod defiderata unio in Dei ecclefia confequatur; hoc cafu idem dominus Benedictus de recufatione vel negligentia fupradictis habetur & habebitur fufficienter excufatus.

VI.

Item, fi, quod abfit, idem dominus Benedictus in profundum malorum veniens ceffionem pure & fimpliciter differat offerre, & effectualiter adimplere, in hoc cafu reputant eum dicti prælati folemniter congregati membrum putridum, horribile, & præcifum ab ecclefia fancta Dei, fchifmaticumque, & pertinacem, & de hærefi vehementer fufpectum, & ex nunc pro ex tunc ab ejus obedientia dicunt effe recedendum, & recedunt. Quo cafu, nulla majori dilatione expectata, debent & poffunt cardinales cum illis de Roma perfonaliter convenire, & ceffione adimpleta per eum qui fe Gregorium nominat, ad electionem unici & indubitati pontificis cum anticardinalibus partis adverfæ procedere & paci fidelium falubriter providere.

VII.

Item, in cafu præmiffo fi cardinales cum domino Benedicto voluerint remanere, eo cafu fic adhærentes, tamquam fautores pravitatis fchifmaticæ ab ecclefia & dignitate ftatuum funt abjecti, fuifque funt beneficiis in regno & ubique ipfo jure privati, & ipforum beneficia per ordinarios conferenda, jufque eligendi ad alios dominos cardinales, qui in veritate & juftitia nobifcum remanferint, devolutum.

VIII.

Si autem diabolo procurante contingeret omnes dominos cardinales domino Benedicto cafu præmiffo adhærere, & per hoc recufare, & differre conventionem cum illis de Roma; eo cafu conveniendi effent regnorum hujus obedientiæ vel majoris ipfius partis nuncii fpecialiter deputati, qui fufficientibus auctoritate & poteftate fungerentur, quique ecclefiam hujus obedientiæ fufficienter repræfentare valerent, poffentque pro obedientia noftra & regnorum ecclefiis cum illis de Roma tractare & concordare de electione unius fummi pontificis, & omnia facere quæ ad unionem ecclefiæ erunt opportuna & neceffaria, effetque fic electo a cunctis fidelibus obedientia facienda tamquam vicario Jefu Chrifti.

IX.

Item, eodem cafu, etfi de aliis regnis non convenirent nuncii, effet nihilominus in eorum contumaciam ad pacem ecclefiæ per deputatos ecclefiæ Gallicanæ cum illis de Roma modo præmiffo actualiter procedendum. De & fuper quibus omnibus & fingulis, &c. Actum anno CCCCVI. die XXI. Januarii.

LITERA FACIENS MENTIONEM

De ordinatione regia & ecclefiæ Gallicanæ fuper collatione beneficiorum, cujus executio prorogatur.

CHarles par la grace de Dieu roy de France, à tous ceulx qui ces Lettres verront, falut.

Avecques raifon naturelle les anciennes efcriptures nos enfeignant qu'il n'eft mie feulement expedient, mais eft chofe mult neceffaire, que ce que aulcunes fois eft ordonne par la prudence de ceulx qui governent les policies, fuppofe que telles ordinances foient faites par gran et meure deliberation felon la difpofition des temps, qui lors convient foit fouventesfois en autres formes. Car felon la fentence des anciens, il loyt au faige de mirer fon confeil et la deliberation qu'il a prinfe en aucunes befoignes, ou delayer l'execution d'icelle, felon ce que le temps le requiert, et foy ordonner, conduire et difpofer felon la qualite d'iceulx. Et porce combien bu'en l'an MCCCC. et VI. deren paffeit, nos en enfivvant les manires de nos predeceffeurs roys de France, confiderant la gran aufliction que par l'efpauze de pres de XXX. ans a foutenu noftre mere fainte eglife, por occafion de ce doloreux et deteftable fchifme, qui par ledit temps y a efteit et encore eft; et defirant de tout noftre cure icelui fchifme eftre ofte et extirpe; confiderant auffi

que

ANNO CHRISTI 1407.

que non obstant les grans et diligentes poursuites, que por extirpeir et faire cesseir le schisme dessusdit, avions et avons faites, depuis qu'il pleut a Dieu que nos eumes le gouvernement de nostre royaume jusques alors, envoyant pour ce par plusieurs fois nos messages solemnes, tant devers nostre saint pere le pape et son saint college, et devers son advesaire de Rome, et ceulx qui de par lui se dient cardinaulx, comme devers plusieurs roys, princeps et aultres seigneurs et communiteiz de nescience et concevoyez aucune conclusion fructifieuse ne s'en estoit encores ensuite; et por la grande et tres-finguliere affection que tosjours avons eue & avons de mineir a bonne fin ceste poursuite, eussent este assemblez par nostre ordinance et mandement en ceste nostre ville de Paris les prelats, c'est-à-sçavoir les archevesques, evesques & abbez de nostredit royame & de nostre Daulphine de Vienne, nostre chir & ame fils l'universite de l'estude de nostre ditte ville, & plusieurs aultres universitez des estudes aveucques plusieurs aultres grans clercs & notables personnes, tant des englise de nos royame & Daulphine dessusdit, comme aultres, que adviseir & delibereir par quele manire nostre ditte mere sainte eglise poroit plus briefvement estre reduite a union, en laquelle congregation & assemble, ou furent moult sovent nostre tres-chir & ame ainsne fils le duc de Guienne, & nos tres-chir & tres-amez cousins & oncles le roy de Sicile & les dues de Berry, de Bourgoigne, & de Bourbonnois, & plusieurs aultres de nostre sang & lignage, eût este delibere entre aultres choses pour ce que à l'exhortation desdits prelauls & univesitez lors assemblees, comme dit est, en la sale de nostre palais a Paris, assise sur la riviere de Seine, nostre Procureur general adjoint avecques eulx, furent dittes & proposees par nostre advocat aucunes, & regardant la conservation des droits, franchises & libertez desdites englises de nostre royame & Daulphine, & des persones d'icelles, et concluons que sur ce fut pourveu de remede convenable, que lesdits prelauts, universitez et aultres personnes avisasent quele remede y fieroit bon à mettre, et qu'ils orent avise et delibere et conclus ensemble, que quant les englises cathedraulx, collegiaulx, & conventuaulx, comme aultres benefices electifs, tant reguliers comme seculiers vacqueront, il fût pourvû de lors en avant, si comme les statuts des conciles generales & les decrets des saints peres le veulent, par election des chapitres, convens et colleges, de personnes idones et convenables; aux aultrus benefices, par presentations, collation et institution de ceulx à qui de droit commun, privilege ou coutumes il appartient, cessans et rejettes du tout, et non-obstant quelesconques reservations generales et especiaulx, prohibitions et defenses quelxconques graces et expectations faites et à faire, et octroyees ou à octroyer par le pape ou par son autorite, par interposition de droit ou aultrement; et que ladite eglise de nostre royame et Daulphine dessusdits, et les personnes d'icelle demeurent en leur libertels et franchises, selon les constitutions desdits conciles generaulx et la disposition du droit commun, jusqu'ad ce que par concile general canoniquement chelebre aultre chose fuit sur ce ordonnee, à l'ordonnance duquel conseil ils se soubmettoient; lesquels deliberations et conclusion ainsi prinse entr' eux et à nous rapporteis, ils nous supplierent moult instamment que nós les voussions avoir agreables et confirmeir, et en icelles les conserver et maintenir, et osteir tous empeschemens qui seroient faites a contraire. A laquelle supplication, eue premierement sur icelle grant et meure deliberation avec plusieurs princeps de nostredit sang et notables personnes, tant desdits prelauts comme de nostredit conseil, nous condescendimes lors por certaines causes et considerations, qui ad ce nous meuvent, plus à plain contenue en certaines nos lettres sur ce faites, donnees le XVIII. jours de Fevrier oudit an MCCCCVI. deren passe; lesquel toutevoyes tant pour ce que ou temps dessusdit nous vindrent novelles, que nostre saint pere et sondit advesaire se disposoient à mettre union en nostredite mere sainte eglise, comme pour ce oyes lesdites novelles, nos ordonnames certaine grande ambassade estre envoyee tant de par nos, comme de pars lesdits prelaus et universite devers nostre saint pere et son adversaire dessusdit, pour les exhorter à ladite union, nos ne voulsimes mies lors estre publiees, ne mises à execution, afin que par ce nostredit saint pere et sondit adversaire ne fussent en aucune maniere irrites, et aussi que par ce ne venist empeschement en fait dessusdit, mains por ce et pour aultres causes qui ad ce nous meuvent, voulsismes ladite execution d'icelle estre differee. Et depuis a la requeste de nostreditte fille, qui fort nous pressoit de avoir nos lettres dessusdittes, elles furent mises par nostre ordinance es mains de nostre ame et feal chevalie, conseiller et chambellan Johan de Montagu vidame de Lannoys, et grant maistre de nostre osteil, lequel par nostre vouloir et commandement promit à nostredite fille l'universite, que dedans le premier dimanche de caresme lors ensuivant, qui est ce jourd'buy, ainsi comme en nos aultres lettres sur ce faites est contenu, il bailroit icelles lettres à nostredite fille pour les faire publier, et estre executees selon leur formu et teneur, de par laquelle nostre fille audit jourduy nos a este molt instamment requis, que nous lui vueillons faire bailler les lettres dessusdites, mains consideré que si comme nous avons este et sommes pleinement et deuëment informes, tant par plusieurs lettres adjettans à nous et à nosdit cusins et oncles, tant de par nostredit saint pere et son saint college, et aussi de plusieurs cardinauls, particulierement et semblablemente de par nosdits messaiges, qui encore sont de par-delà pour cette cause, et aussi de par nostre ame et feal conseiller, chevalier et chamblan Johan le Meingre dit Boucicaut, mareschal de France, et gouverneur de par nos de nos cite et seignorie de Gennes, comme par la relation de plusieurs notables personnes venans

ANNO CHRISTI 1408.

nans de par-delà, nostredit saint pere est tres-bonne disposition et fait mult grant diligenche par toutes voyes et manires advisees par sondit saint college, et ad ce convenable et necessaire de mettre union en sainte eglise, et mesment par la voye de cession, et que semblablement sondit adversaire est assez ad ce dispose, comme l'on dit, et que ledit saint college et plusieurs desdits cardinaulx, nosdits messaiges, et aussi ledit marichal et gouverneur nos exhortent à moult grand istance par les escritures et messaiges, que acunes novellite ne soit faite par-deçà contre nostredit saint pere l'eglise de Rome, car ce seroit por empescheir ou rompre le fait de ladite union, et sieroit en avanture qu'il ne se peust en brief reparer. Sçavoir faisons, que ces choses considerees, et eue sur ce tres-grande et meure deliberation en nostre conseil pour ce par plusieurs assemble et tenu, ouquel ont este ainsne fils le duc de Guyenne, et nosdits cousins, et oncles, le roy de Sicile, et les ducs de Berry, et de Bourgoigne, et avec eulx nostre tres-cher et tresame fils le duc de Bretaigne, plusieurs aultres de nostredit conseil, et aussi plusieurs prelauts, chevaliers et autres personnes saiges et notables de nostredit conseil, avons delibere et ordenne, ordenons et deliberons par ces presentes, pour le plus expedient et pour le bien et avenement de ladite union de nostredite mere sainte eglise, et pour plusieurs aultres causes raisonnables, qui ad ce nous meuvent, que combien que nosdites lettres ayent este baillees a nostredite fille, selon l'octroy qui leur en avoit este fait; neaumoins la publication et execution d'icelles soit suspendue, et icelle par la deliberation dessusdite suspendons de nostre certaine science et auctorite royale par ces presentes, jusqu'à la fête de l'ascension prochain venant, et defendons à tous nos justiciers et officiers, tant de nostredit royame, comme de nostredit Dalphinè, sur quanque ils se povent meffaire envers nous, que suppose que pendant ledit terme de l'ascension, ils ou aucuns d'eulx fussent requis de par nostredite fille ou aucuns des supposts d'icelle, ou aultre quelxconques, de publier ou de faire publier lesdites lettres, ou les choses contenues en icelles, ils ne obtemperent en aulcune maniere, et semblablement et sur semblables peines deffendons a tous prelauts, gens d'eglise, et

A seculiers, et aultres nos subgiez de nostre royame et Dalphinè dessusdit, de quelque preeminence ou auctoritè qu'ils fussent, que suppose que nostredite fille ou aucuns desdits supposts d'icelle ou d'aultres se efforçassent de rublier ou faire publier nos lettres dessusdites pendant le temps dessusdit... forcloent toute audience, ne ne les oyent en ce en aucune maniere. Et oultre par la deliberation dessusdite, volons et nos plaist, que durant ledit temps jusqu'à ladite feste de l'ascension, nostredit saint pere puisse pourvoir aux eglises et benefices d'iceulx nos royame et Daulphinè, quelxques ils soyent, qui ont vacquè jusqu'à ores, et vacqueront durant ledit temps, ainsi comme il

B lui plaira, comme il a accoustumè, nonobstant nosdites aultres lettres et lesdites deliberations et conclusions prinses par lesdits prelauts et aultres personnes oudit conseil, et par nos confermèes et ratifièes, comme dessus est dit, et toutes les aultres choses contenues en icelles nos lettres, lesquelles nos avons et voulons et determinons avoir por exprimèes en ces presentes, et lesquelles nos ne voulons avoir ne sortir aucun effet jusqu'au temps dessusdit. Si donnons en mandement et enjoignons expressement par ces mesmes presentes à vous amès et feaulx gens tenant nostre present parlement, que icelles nos presentes lettres facent pu-

C bliet en nostre cour de nostredit parlement incontinent que elles leur seront presentèes; et semblablement mandons et envoyons comme dessus à prevost de Paris, et à tous nos aultres justiciers et officiers de nostredit royame et Daulphinè, ou à leurs litenans, et à chacun d'eulx, que nos presentes lettres dessusdites facent lire et publier solemnement par tous leurs lieux accoûtumez à faire cris en leur juridictions, et tous ceulx qu'ils trouveront non obeïr à nos volontes et ordenance et deliberation dessusdites, ilz punissent, c'est-àsçavoir les prelaux et gens d'eglise, quelxque ils soient, par prinse et explectement de leur temporel et aultre-

D ment, comme a nous desobeissans, ains comme à cas appartiendra, et les autres si rigureusement et tellement que ce soit exemple à tous aultres. En tesmoins de ce, nous avons fait mettre à ces lettres nostre seel. Donnè a Paris le IV. jour de Mars, l'an de grace MCCCC. et sept. et le XXVIII. de nostre regne.

LONDINENSE CONCILIUM

Ab archiepiscopo Burdegalensi in causa tollendi schismatis,

Anno 1408. *habitum.*

1408. ert lk. t. ad can.

FRanciscus Hugotionius archiepiscopus Burdegalensis & S. R. E. cardinalis, adornata cum sociis a Gregorio XII. pontifice secessione, ut reges & principes ad conjunctionem ecclesiæ in concilio Pisas indicto procurandam sollicitaret, venit in Gallias prius; dein in Britanniam, cujus in urbe principe, Londini videlicet, concilium habuit, de quo hæc tradit continuator MS. *Eulogium* in Bibliot. Cotton. apud Vvilkins: *Post paucos vero dies* (sc. post adventum ejus Londinum, & post synodum Oxoniensem) *archiepiscopus Burdigalensis, tanquam legatus, convocavit concilium episcoporum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & cleri, in præsentia regis faciens collationem, accepit pro themate.*

Anno Christi 1408. *te*. Verbum ad te, o princeps &c. *& notabiliter causam ecclesiæ peroravit. Cui conclusionaliter responsum est, quod Anglici promiserunt suam assistentiam ecclesiæ Romanæ ad ejus unionem, &c.* Anno Christi 1408.

AD OXONIENSE CONCILIUM

A Thoma de Arundel Cantuariensi archiepiscopo

Anno 1408. habitum

ADDITIO.

An. 1408. „ Latas in concilio Oxoniensi, dein in „ altero Londinensi constitutiones Tho„ mas Cantuariensis archiepiscop. vel statim „ vel per varios succedentes annos pro da„ ta occasione seu confirmavit seu exposuit, „ vel intra arctiores limites restrinxit; has „ ejus sanctiones, velut ad priora illa statuta „ appendices, hic exhibeo ex Wilkins to. III. „ pag. 323.

Monitio generalis ut observentur constitutiones domini archiep.

Ex reg. Arundel. II. in an. Thomas, &c. dilectis in Christo filiis, cancellario universitatis Oxon. ejusve commissario vel locumtenenti, ac XII. personis, nostra & nostræ provinciæ concilii auctoritate ad discussionem & damnationem errorum & hæresum in dicta universitate electis, seu saltem majori et saniori parti earumdem, salutem, etc.

Licet in nostris constitutionibus provincialibus, nostra & nostri concilii provinciæ auctoritate, contra errores & hæreses, ac tentores & defensores earundem canonice editis, & per dictam universitatem, nec non & per provinciam nostram Cant. debite publicatis, inter cætera contineatur expresse « quod magistri; &c. quodque &c. prout in quinta & sexta divisione illarum constitutionum plenius continetur, nonnulli tamen dictæ universitatis, quos notorie hortari noscuntur constitutiones præfatæ, qui tanquam generatio prava & exasperans, gaudent super iniquitate & contradictione in civitate; præfatis constitutionibus, saltem in præmissis, contravenire præsumunt, & velut infideles filii merito irritandi in gente stulta, ad non modicam contradictionem & scandalum in universitate prædicta ipsas constitutiones observare negligunt & contemnunt. Volentes igitur dictas nostras constitutiones, ac singula contenta in eisdem, exequi, ut tenemur, vobis committimus & mandamus firmiter, &c. quatenus moneatis, &c. publice & in genere præfatos degeneres & ingratos filios, omnes & singulos, ac eis cohærentes & faventes, quos nos etiam tenore, &c. quod præfatas constitutiones nostras & singula contenta in eisdem, sub poena excommunicationis majoris observent, & sic in omnibus observare studeant, ut deberent. Et si quos tanta agitaverit cervicosa præsumptio, quod hujusmodi vestris, quin verius nostris, monitionibus parere contempserint, ipsos citetis seu, &c. quod compareant, &c. ubicumque, causas rationabiles, si quas pro se habeant, quare nominatim & in specie excommunicari, & nihilominus juxta formam ipsarum constitutionum puniri non debeant in forma juris proposituri, ulteriusque facturi, recepturi & subituri, quod in hac parte, &c. Dat. apud Forde mense decemb. Domini, & translat. nostræ annis supradictis.

Pro executione novellarum constitutionum citatio.

Thomas, &c. dilectis in Christo filiis, cancellario universitatis Exon. ejusve locumtenenti, sive commissario; necnon magistris Richardo Courtenay, & Richardo Talbot, aliisque universis & singulis zelatoribus fidei Christianæ per universitatem Oxon. ac nostram provinciam Cant. ubilibet constitutis salutem, &c. Fide digna relatione, sed non sine gravi admiratione & displicentia pridem audivimus, quod quidam Johannes Keyby, Johannes Luk, Rowlandus Bwys, & Robertus Burton, magistri artium, quin potius errorum discipuli, quodammodo converfi in arcum pravum, intenderunt rem amaram contra nostras provinciales constitutiones ad detestationem errorum & hæresum, & pro firmitate S. matris ecclesiæ & determinatione ejusdem nuper editas, exacuentes ut gladium linguas suas, ipsis constitutionibus nostris provincialibus, immo & in pluribus determinationi S. matris ecclesiæ, tam publice quam occulte contraveniunt, & velut de conventu malignantium exeuntes alios ad consimile præcipitium secum trahunt, ac eis contra constitutiones præfatas agentibus, favent publice & adhærent. Volentes idcirco dictas nostras constitutiones exequi, ut tenemur, & ipsorum delinquentium temeritatem debita coercitione punire, vobis communiter & divisim committimus, &c. quatenus citetis seu, &c. præfatos, &c. quod compareant, &c. 15. die, &c. ubicunque de & super præmissis & ea concernentibus contra fidem nostram catholicam, & nostras constitutiones præfatas per eosdem attentatis, & contra eosdem obiiciend. & probandis de justitia personaliter responsuri, facturique ulterius, &c. quod justitia suadebit. Et quid feceritis in præmissis &c. Dat. ut supra. Ibidem

Archiepiscopi Cant. declaratio provincialis constitutionis editæ.

Thomas, permissione divina, &c. Universis & singulis venerabilibus fratribus nostris provinciæ Cant. suffraganeis, salutem, & fra- Ex reg. Arund. II. f. 1

ANNO CHRISTI 1408.

& fraternam in Domino charitatem, ac omnibus & singulis rectoribus, vicariis, & aliis, quorum interest, quibuscumque, per nostram Cant. provinciam ubilibet constitutis, salutem, gratiam, & benedictionem. Ex fideli relatione in præsenti prælatorum & cleri convocatione nobis facta concepimus, quod sunt nonnulli nostræ Cant. provinciæ subditi & subjecti, qui constitutionem nostram provincialem, juris communis executivam, contra officium prædicandi temere usurpantes nuper editam, sinistre interpretari nituntur, ac ipsius prætextu fratres quatuor ordinum mendicantium; nisi quatenus literas ordinariorum secum deferant, A ab eodem prædicandi officio omnino excludere prætendunt, & contra mentem ipsius statuti manifestam. Nos igitur ipsis exclusionibus via juris & justitiæ obviare volentes, vobis conjunctim & divisim committimus & mandamus, quatenus universos & singulos fratres dictorum quatuor ordinum, videlicet, Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Augustinensium, cum ad loca vestra venerint, verbum Dei prædicaturi, more solito & antiquo admittatis, dicta constitutione nostra, cum eos non prohibeat prout nec debuit, in aliquo non obstante. Dat. Londonii decimo die mensis Martii, annis supradictis.

AD REMENSE CONCILIUM

Anno 1408. *habitum*

ADDITIO.

Remensis concilii vix meminit Labbei editor Venetus to. XV. pag. 1103. *Nobile additamentum exhibent opera Gersonis, inter quæ legas sequentem sermonem ab eodem Gersonio tunc dictum.*

SERMO FACTUS IN CONCILIO REMENSI

Anno Domini 1408.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 698. *Colbert.* 99. *&* 1972. *& Navarricum unum.*

1408. [...]. ope. Ger. pag. edit. in.

BOnus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Originaliter *Joan. XVII.* & recitative in evangelio Dominicæ currentis præsentialiter lecto. Animadverte nunc, o bone pastor, o reverendissime pater Sanctæ Sedis hujus Remensis antistes, animadverte tu, qui animam tuam habes pro ovibus tuis dare, non venalem habere, non præjudicialiter retinere. *Leva* nunc *in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati venerunt tibi*. Isaiæ XLIX. 18. obedientes sunt, non *sicut oves errantes, sed conversi* sunt ad te *Pastorem, & episcopum animarum* suarum, I. *Pet.* II. 25. secundum verba primi pa- D storis Petri in epistola ejusdem Dominicæ currentis. Interrogentur, qui & quales ipsi sunt. Respondere convenit eis ex sententia illud Gen. XLVII. 3. *Pastores ovium sumus.* Conveniat, & o utinam, illud alterum de evangelio cuilibet eorumdem: *Ego sum Pastor bonus*, qualis *animam suam dat pro ovibus suis*. Pro illis, inquam, ovibus, quæ propheticum illud canunt Deo; *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ*. Ps. LXXVIII. 13. Miretur igitur, & affluat, & dilatetur cor tuum, cum videas tu, bone pastor, coadjutores tuos, consodales, duces gregis tui, ipsosque rationales quosdam pascuæ tuæ, hoc est, provinciæ tuæ Remensis, arietes. Quid- E ni miretur in hac die, & affluat, & dilatetur cor tuum, cum promiserit summus pastor noster dicens: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum?* Matth. XVIII. 20. Grandis promissio, viri patres & fratres, & omni consolatione plenissima. Hæc nempe celeberrima congregatio, hæc tua convocatio sanctissima, o bone Pastor, nunquid in nomine Jesu facta esse vere putanda est? Putanda est profecto; fit enim ad extirpationem vitiorum, & virtutum plantationem. Fit ad evulsionem schismatum, & pulcherrimæ pacis radicationem. Fit denique ad fortem custodiam gregis Dominici, ne male dispersum, ne vagabundum, per deserta negligentiæ rapiat, dissipet, perdat, devoret ipsum lupus ille vorax infernalis; quin potius visitatus crebro colligatur sub unius ovilis tectum, quod est Fides Christiana: illic protectione sollicita foveatur. Ecce ergo Dominus noster Jesus Christus in medio nostrum est, viri Patres & Fratres. Intendite, quæ dico; Dominus in medio nostrum est; quid aspicitis, quid stupetis? Ita est, credite, non mihi, sed pollicenti, qui mentiri non potest: *Ego* (inquit) *in medio eorum sum*. Matth. XVIII. 20. Et quis ego? Qui loquitur, *Dominus fortis, & potens*, Ps. XXIII. 8. Ipse est *Pastor bonus qui animam suam* dedit *pro ovibus suis*. O certe pulchra, o felix hæc, & Deo grata societas, in cujus medio Dominus ille est, cui Angeli serviunt, cui sol & luna famulantur. Nemo jam desperet, nemo trepidet ex aspectu, vel occursu tot luporum rapacium, insidiantium quotidie gregi Christi; confidat potius unusquisque in verbo Elisæi: *Plures nobiscum sunt quam cum illis*. 4. Reg. VI. 16. Adest quippe Deus, adsunt & ministri ejus millia millium, & deces centena millia; Dan. VII. 10. quod si tales pro nobis, *quis contra nos?* Rom. VIII. 31, Ades & tu pulcherrima, non dicam, Pales, quam pastorum deam Gentilitas fabulatur, sed summa veri Pastoris Mater Virgo misericordiæ, Virgo benedicta, ades plane, nam ubi Mater, si non ubi

ubi filius invenitur. Adimus ergo nunc te cum fiducia, quæ thronus es gratiæ, Mater misericordiæ, ut *gratiam & misericordiam inveniamus in auxilio opportuno*, Hebr. IV. 16. quod ut assequamur, præsentemus illud Angelicum; *Ave gratia plena Dominus tecum*, &c.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Fiat hoc, fiat: Congratulor tibi, o bone pastor, congaudeo, & glorior in Domino; quoniam video, vident & ceteri omnes hic præsentes studium tuum, zelum tuum, quo ad imitationem veri Pastoris quæris per hoc sacratissimum concilium dare animam tuam pro ovibus tuis. Et qualem animam? Animam sane quæ triplici virtute prædita est. Habet itaque anima tua, sicut & reliquæ de humana specie, vim triplicem, habet vim rationalem respectu veri, vim irascibilem respectu ardui, vim concupiscibilem respectu boni. Itaque *bonus pastor dat* hanc totam *animam pro ovibus suis*. Fiat hoc igitur, fiat, quia: *Tempus faciendi Domine*, loquitur Propheta ad Dominum. Quare *tempus faciendi*; quia *dissipaverunt Legem tuam*. Ps. CXVIII. 126. Qualem Legem? Legem evangelicam, naturalem, & canonicam. Quibus modis? Innumeris & pessimis. Propterea convenit nunc ecclesia magna, ecclesia totius hujus Remensis provinciæ cogitare quid facerent. Et bene quid facerent, quia *tempus faciendi*, tempus ponendi manus ad opus, & ad aratrum; alioquin quid proderit novas veteribus superaddere sanctiones, si non veteres fiant, nec novæ? Apponatur manus ori necesse est, hoc est, operatio locationi sit; *vox quidem vox Jacob, manus autem manus sint Esau*. Gen. XXVII. 22. Evitetur improprium quod vulgari proverbio melius sonat: *dictum optimum est, sed quærite quis hoc aget*. Illud insuper, quod objectum fuisse Platoni Seneca refert: *Aliter loqueris, aliter vivis*. Denique satis fuit mordax in Pastores responsio feminæ cujusdam devotæ. Hæc redibat de sermone quodam cum turba multa. Interrogatur ab obvio quodam, si sermo factus esset; nequaquam, inquit. Porro dum interrogans miraretur, suæque reversionis cum hominum hac copia causam requireret, ex quo non erat sermo factus; subintulit ipsa: *Sermo utique dictus est, sed non factus. Dicunt enim, & non faciunt*. Matth. XXIII. 3.

Fiat igitur ab uno quoque pastore, quod proponit Dominus: det *animam suam pro ovibus suis*. Illam itaque animam, quæ imago est beatæ Trinitatis, secundum triplicem vim prænominatam. Relucet nimirum in sua vi rationali sapientia, seu veritas, quæ appropriatur Filio. Relucet in irascibili potentia, seu strenuitas, quæ appropriatur Patri. Relucet in concupiscibili benevolentia, seu bonitas, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Hanc, o bone Pastor, totam animam, non unicam suæ virtutis portionem, curaveris dare pro ovibus tuis, triplici sedulitate pascendis. Nec enim æstimo te latere, quemadmodum olim primo Pastori Petro ter interrogato, terque respondenti, bonus Pastor Christus ter subintulit dicens: *Pasce oves meas; pasce agnos meos*. Joan. XXI. 16. 17. Et rursus: *si diligis me, pasce oves meas*; pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio, pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ. Prædicatio docta fundatur in Fide quoad vim rationabilem. Conversatio S. roboratur in spe quoad vim irascibilem Subventio pia consummatur in Charit. quoad vim concupiscibilem. Quisquis hoc modo paverit oves suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est Pastoris boni, implens sententiam suam comprehensam in verbis thematis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*; Joan. X. 11. Sic enim repellit ab ovibus suis rationalibus tres turmas Chaldæorum, interficere quærentium greges cum pueris, juxta figuram in principio Job positam. Sic arcet, sic reprimit tria luporum spiritualium genera sævissima ab ovibus Christi, lupum carnem, lupum mundum, lupum diabolum. Fides appropriate reprimit mundum. Quæ est *hæc victoria, quæ vincit mundum? Fides nostra*. I. Joan. V. 4. Spes coercet, & configit carnem, dum agit, *ut nostra conversatio sit in cœlis*. Philipp. III. 20. non carnalis Charitas demum fugat diabolum, quia sola dividit inter filios regni, & perditionis, Dei scilicet, & diaboli. His itaque prælocutis tam pro fundamento quasi solido dicendorum, quam ut posito ordine lucido confusio fastidiosa, & memoriæ inimica vitetur. Pergamus consequenter juxta hanc tripartitam animæ tuæ virtutem, o beate Pastor, & exequamur tres in hac nostra qualicumque exhortatione partitiones principales sub ternario considerationum in unoquoque partitionis articulo, quatenus ædificium nostrum tanquam triangulari triplicitate subnixum, fortiori stabilitate sufistat. Erit prima partitio, de pabulo doctæ prædicationis. Erit secunda, de pabulo sanctæ conversationis. Erit tertia de pabulo piæ subventionis. Fiat, fiat.

Exequentes igitur primæ partitionis structuram collocemus in ea primam considerationem, quæ talis est.

Consideratio prima.

Pascere oves pabulo prædicationis, dando animam quoad vim rationalem pro eis, est officium de necessitate annexum pastorali dignitati. dura pro quibusdam, sed verissima sententia: Proba: perspicuum certe est, politiam ecclesiasticam a Christo legislatore sapientissimo perfecte constitutam esse, quippe ille est, de quo Moyses cecinit: *Dei perfecta sunt opera*. Deut. XXXII. 4. Sed ad hujus institutionis perfectionem exigitur nutritio spiritualis pro vita animarum conservanda, quemadmodum in politia terrena necessarius est corporalis cibus; alioquin sine pabulo convenienti, sicut illa temporalis, sic & illa spiritualis vita suo modo deficeret, nec esset communitas per se sufficiens. Ad hoc respicit dictum vetus a Christo renovatum: *Non in solo pane vivit homo*, &c. Luc. IV. 4. Oportuit igitur ordinare ministratores aliquos pabuli hujus spiritualis pro rationalibus ovibus gregis Christi, ne perirent, qui hoc agere, et possent ex officii auctoritate, et deberent ex superioris obligatione. Tales vero, quales alios convenientius

tius accipimus, quam Prælatos? Hos ideo *Pastores* appellat crebro scriptura tam veteris, quam novi testamenti, increpans eos qui non oves, sed se pascunt. Unde nec puduit Deum ad hujus rusticanum humilitatis exemplum sese dejicere: *Ego sum Pastor bonus*, &c. Joan. X. 11. Hinc Malachias cap. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent*. Propterea enim *dedit* Deus *ipsis regiones Gentium, & labores populorum, ut custodiant justificationes ejus, & Legem ejus exquirant*, Ps. CIV. 44. 45. et *sint parati*, juxta quod vult Petrus: Omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in eis est, Fide et Spe. 1. *Pet.* III. 15. Hinc Paulus ad Timotheum, et ad Titum, et alibi pluries, vult Episcopum doctorem esse, et potentem *instruere in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Tit. 1. 9. Hoc officium prædicationis ita prætulit, quasi de reliquis nulla sibi cura videretur. Unde et dixit: *Non misit me Christus baptizare, sed prædicare*. 1. Cor. 1. 17. Conformis est ad hoc Apost. responsio dicentium: *Non est æquum nos relinquere verbum & ministrare mensis*, etc. Act. VI. 2. Quanto magis, existimas, hoc dixissent de aliis operibus minus sanctis, minus spiritualibus, atque piis? Sed, ô mores! ô tempora! ludibrium nunc apud quosdam ex Prælatis, vel probrosum aliquod artificium suaque indignum dignitate, prædicatio, vel publica ad populum exhortatio judicatur. Est, inquiunt, hoc officium, vel Mendicantium vel pauperum Theologorum. Adeo nihil sapit quæ Dei sunt animalis homo, adeo qui de terra est, nihil nisi de terra loqui potest. Sed dicunt: prædicamus gregi nostro per substitutos, prædicamus per tales qui se libenter ad hoc opus ingerunt; et hoc nonne satis est? Nonne multiplicatio fit sermonum tanta, quod in nauseam transit audientium? Agimus utique alia grandia et ardua, dum jurisdictionem nostram, dum temporalitatem vigilanter protegimus; spiritualia enim sine temporalibus diu esse non possunt. Sed respondeant velim: primo quid decentius atque salubrius, aut quod accessorium Prælatus per se ipsum exerceat, et principale per substitutos, vel e contra? Si enim illud oportuit facere, scilicet prædicare, et aliud non omittere, scilicet jurisdictionem defendere; sit executor principaliorum ipse qui principalis est habendus; quia etsi Prædicatio possit per substitutum fieri, quanto magis id, quod minus est, temporalium defensio? Advertas proinde quam pauci sunt sermones in tam multis, multis inquam, numero, sed perfectionis laude rarissimis. Quare? Quia adulteratur verbum Dei atque corrumpitur, dum vel quæstus æstimatur pietas, vel dum miscentur errorum mala semina, vel inutilia, sterilaque narrationum frivolarum zizania superseminantur. Ita profecto cura vigilantior apud quosdam ex prælatis habetur in eligendis mercenariis pro cultura agrorum suorum, quam habeant in electione bonorum prædicatorum pro cultura spirituali animarum. Denique quia solum temporalium defensionem, vel administrationem attendunt; nil mirandum si consequenter censeant procuratores & advoca-

A tos, vel prudentes aliquos de sæculo, in cautelis et traditionibus humanis præferendos esse viris quantumlibet in sacra doctrina et spirituali conversatione pollentibus: nam secundum præstitutionem finis, de conferentibus ad finem judicamus. Addamus ad priora, quod officio cuilibet cuilibet Hierarchico tantum annexa est prædicationis obligatio, quantum plus vel minus approximaverit pastorali dignitati, quemadmodum sunt archipresbyteratus, curæ parochiales, archidiaconatus, decanatus & similes. Unde spectat ad curatos cognoscere summatim, & in quodam generali præcepta legis cum quadam explanatione grossa, articulos similiter fidei nostræ, traditio-
B nem quoque Sacramentorum, distinctionem peccatorum ac eorum quæ sunt reservata a non reservatis, institutiones festorum, & si qua sunt similia. Pertinet autem ultra hæc ad prælatos, scire rationem subtiliter ac particulariter reddere adversus hæreticos protervos de prædictis. Denique cum beneficium detur propter officium (officium, inquam, non tantum in horis dicendis, sed tantumdem vel amplius, in concernentibus de propinquo vitam, & pasturam gregis Dominici) dijudicent apud se hi, qui prædicationis officium sibi maxime debitum vel nesciunt vel omittunt, vel deteriori sacrilegio spernunt, & irrident. Dijudicent, oro,
C si beneficium tale rite, justeque recipiunt aut retinent, non minus quam si negligerent ecclesiasticum in horis dicendis officium. Dijudicent an fructus beneficiorum suos faciant & similia, qualia non est meum nunc definire, quamvis æmula curiositas vehementer exposceret difficillimum in hac re judicium; sed abeat aliorsum in toto hoc nostræ exhortationis excursu, & quod fieri debere monstratum est, fiat, fiat.

Consideratio Secunda.

D *Pascere oves pabulo prædicationis*, dando animam rationalem pro eis; sicut est officium magnæ dignitatis, ac pietatis; sic grandis in eo difficultas invenitur. Si *pietas*, juxta apostolicam vocem, *valet ad omnia*; 1. Tim. IV. 8. quæ major altera, quæ dignior pietas excogitari possit, quam quæ liberat animam a morte perpetua, quæ protegit eam, ne lupis infernalibus pateat in devorationem; quæ tandem ducit & perducit, ubi *ingredietur & egredietur & pascua inveniet*? Joan. X. 9. Huic officio quæ vel qualis altera misericors largitio valebit æquari? Si magnum est pascere carnem protinus morituram, ut interim vivat; animam in æternum victuram, quam pretiosum est pascere
E ne pereat? Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; Thren. IV. 4. si ad carnem referas; sed durior in immensum, si de spiritu sermo fiat. Accipite quomodo concluserit Jacobus epistolam suam: *Fratres*, inquit, *si quis ex vobis erraverit a veritate & convertat quis eum; scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a mor-* *te*,

Anno Christi 1408.

te, & operit multitudinem peccatorum. Jacob. V. 20. Porro difficultatem curæ pastoralis pastores sancti, quales Gregorius *in suo pastorali*, & Chrysostomus *in alio* similiter *pastorali suo* ad Basilium diligenter aperuerunt, assignantes præcipuam difficultatis rationem ex prædicatione verbi Dei. Tanta quippe in ovibus pascendis pabulo prædicationis varietas, & velut contrarietas accidit, ut quod unam nutrit, maceret alteram, aut mactet.

Poscentes vario multum diversa palato.

Culpaverit aliquis avaros; prodigus inde sumet argumenta suæ profusionis iniquæ. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacior, sordidiorque efficietur. Sic est invenire in omni vitiorum extremitate, nisi cautissima sollicitudine sic arguat unum vitium, quod alterum similiter inculpetur. Hoc autem semper & solerter agere per gladium verbi Dei secantem a dextris & a sinistris, ut medium virtuosi itineris liberum pateat ad incedendum viam regiam mandatorum Dei, tam arduum puto; prædicatorem quoque tam prudentem & vigilem exigere sentis, ut vix possit unus ex millibus inveniri. Adde, quod auditorum quidam hebetes sunt, quibus pene nihil potest quantacunque prolixitas decies repetita inculcare. Alii prævolant ingenio, confestimque fit apud eos omnis morositas onerosa. Quam paucissimos insuper videbis auditores qui fideliter & diligenter attendant ea quæ dicuntur, qui non ea quæ audierint, sed quæ audire putaverint trahant ad sua desideria fovenda potius quam eradicanda, seu moderanda. Vertitur eis verbum Dei in proverbium & fabulam, trahuntque illud ad omnem partem contradictionis, sicut de sono campanarum agunt pueri. Sicut etiam in fabulis de lupo syllabizante narratur, qui audiens *pa et ter*, dijunxit ex his *Agnel*. Quare? quia sic in imagine sua versabatur. Tales denique ea quæ male intellexerint pejus interpretantur, & pessime deferunt ad ceteros, invidia vel stultitia stimulati: gerunt similitudinem cribri vel colatorii lactis; effluit ab eis quicquid purum susceperant; purgamenta sola, ut festucæ, sordes et paleæ retinentur. Exigitur ergo ad officium prædicationis ingenium velox, solers, atque versatile, velut in non prospecto tempore, a a dextris, a sinistris, ante, retro, sursum, et deorsum. Exigitur eloquentia torrens et vehemens, suadibilis et suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato et arescat. Nec minus temperatam esse convenit, ne nimis effluat semen generativum filiorum Dei, et sordescens inutile fiat ad generationem. Exigitur cognitio scripturarum sacrarum cum ceteris omnibus quæ ad mores spectant. Inde est illa, dum pastor consecratur, interrogatio: *Scis utrumque testamentum*? Quorum aliqui, qua conscientia respondeant, *Scio*; ipsi viderint. Exigitur multiplex experientia actuum humanorum, et conditionis annotatio eorum qui docendi sunt. Exigitur exemplaris vita, et conversatio irreprehensibilis, *in medio nationis pravæ*, Philip. II. 15. aliena ab omni crimine, præsertim ab avaritia & luxuria, quæ maxime sunt contraria famæ: alioquin plus destruit exemplo, quam ædificet verbo. Vox operum fortius sonat quam verborum. Exigitur denique gustatio spiritus per contemplationem; alioquin ceteros accendere ad æternorum desideria qua fronte præsumpserit, si frigidus in se totus & algidus remanserit? Vide nunc si officium prædicationis existimaveris leve, passimque omnibus imponendum. Nihilominus ipsum quod tantæ pietatis & difficultatis ostensum est, fiat, fiat.

Consideratio Tertia.

Pascere oves auctoritative pabulo prædicationis, dando animam rationalem pro eis, est officium quod nulli fas est exercere, nisi misso; nec mitti quispiam debet, nisi idoneus & probatus. Primam partem brevibus verbis absolvit Apostolus: *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, nisi mittantur*? Rom. X. 15. Confunderetur enim penitus ecclesiastica hierarchia, si cuilibet indifferenter autoritativum prædicationis officium laxaretur. Patuit in Turelupinis & aliis idiotis, quos hæc audacia fefellit, & in varios traduxit errores. Autoritativum vigilanter diximus, quia fraternam correctionem, secretam scilicet, aut amicabilem, quæ ædificare, non scandalizare præsumit, lex christiana, cujus finis est charitas, concedit omnibus, dum ait: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Matt. XVIII. 15. Sic enim dicit sapiens, mandasse Deum *cuilibet de proximo suo*. Eccli. XVIII. 12. Et nihil humanum putabat Comicus senex a se alienum: nullus enim peccat, quin noceat universis, tanquam si membrum corporis vel pars exercitus spiritualis depereat. Fit autem missio ad prædicandum solemniter, vel per Deum immediate, quæ tamen probari debet apud recipientes; vel per miraculum, vel per prophetiam, vel aliud sufficiens tale signum. Aut fit per Deum mediante superiorum auctoritate, quibus impositum est hujus auctoritatis vinculum: fit rursus nonnunquam missio talis ex ipsa necessitatis lege, quando non aliter posset Fidei seu morum veritas inviolata servari. Ubi verum est illud: *Pasce famem morientem; si non pavisti, occidisti*. Porro nullum debere mitti, qui non fuerit idoneus & probatus, docent artes ceteræ, quas exercere non præsumit ignarus ipsarum. Sicut ex Horatio sumpsit Hieronymus:

Quod Medicorum est,
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Removet Apostolus ab officio prædicationis mulieres: *Mulierem*, inquit, *docere non permitto*. 1. Tim. II. 12. Investigemus rationem, & invenimus multos ex viris prohibitos. Spectat nimirum ad pastoralem doctorem constantia, spectat prudentia, spectat pudicitia, ut sit in eo facultas, veritas & bonitas. Constantia dat, ne succumbat adversis, ne cedat convitiis vel injuriis, ne rumoribus falsis & indignis, vel inflетur ad gloriam,

riam, vel contabescat ad ignominiam. *Neque enim gladiator* (sicut dicit Chrysostomus) *plus habere debet animam in manibus*, hoc est, eam ultro morti dare, *quam prædicator*. At vero quis nesciat mulierem imbecillem esse, fragilem, inconstantem; sic pueri, vel adolescentes, pueros dico, vel ætate, vel moribus; sic omnes quærentes *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*. Philipp. II. 21. Cedunt namque ad primam injuriæ, vel contumeliæ personalis, seu jacturæ temporalis suspicionem, tanquam arundines vento mundani timoris agitatæ. Prudentia dat pastorali doctori ut nec fallere velit, nec falli leviter possit. Sed audi quid de judicio mulierum dixit Aristoteles; quoniam *instabile est invalidum*. Sic apud Comicum dicuntur mulieres prope sicut pueri levi sententia. Quod viderat egregius Poeta dicens:

Varium, & mutabile semper
Femina.

Quot autem inveniuntur inter viros, quorum judicia circa agibilia & credibilia, vel nullum est, vel obscurum, timidum & incertum, vel erroneum? quia nec ipsos erudivit lex Dei, nec regularis bene vivendi disciplina perdocuit? Solidum idcirco nequeunt aliis circa scrupulosas quæstiones suas dare consilium, tanquam interrogatio fiat eis de ignotis, nec expertis. Continentia denique dat pastorali doctori, ut nec in se lubricitatem admittat; nec ad illam auditores alliciat. At vero mulieris vox, facies, gestus quasi tedæ sulphuribus illitæ, audientes & spectantes adurunt faciliter, & in pravam desideriorum carnalium flammam accendunt. Sic virorum aliqui muliebriter fracti sine nervis disciplinæ, plus eloquio & gestibus effluunt in lasciviam, ipsamque provocant, nutriunt & augent, quam extinguant.

Festinabam in ipsa meditatione mea pergere post hanc triplicem primæ partitionis considerationem ad aggressum secundæ partitionis; locuturus de pabulo sanctæ conversationis; tum ecce visa est astitisse industriosa sedulitas, affirmans non satis esse, si deducantur in medium defectus existentes circa pabulum Dominici gregis, nisi pariter invenirentur provisiones, & hoc tanto efficacius quanto particularius: universalia enim parum, sed singularia multum docent. At ego dum has provisiones ab eadem industriosa sedulitate perquirerem; (cito enim secum sensi) enumeravit plurimas hic & in posterioribus, quarum paucas ante conspectum convocationis hujus celeberrimæ rememorari jussit, repetens crebro: fiat, fiat.

Provisio prima. Fiat in primis juxta præmissa executio decretalis illius, quæ in omni metropolitana ecclesia Scholam theologiæ constituit. Nec videtur Schola mendicantium satis esse. Expediret amplius, ut hæc institutio (cujus quotationem, sicut & aliarum, dominis Juristis linquo) extenderetur ad ecclesias cathedrales & alias collegiatas notabiles, sic quod una præbenda esset ad officium hoc salutiferum specialiter & irrevocabiliter applicata. Quemadmodum dominus noster Benedictus, procurante Præceptore meo inclyto domino Cameracensi constituerat; sed nescio quo pacto tam sanctum opus e mediis (ut dicitur) manibus elapsum est. Concedebatur ut legentes & studentes perciperent certis diebus & horis distributiones quotidianas, hac ratione qua intendentes temporalibus ecclesiæ commodis sine ulla contradictione recipiunt. Expediret insuper, ut monasteria notabilia non carerent viris docentibus suos religiosos, etiam ab adolescentia, meditari in lege Domini die ac nocte. Alioquin postmodum in ipso otio suo, quod contemplationi deditum esse convenit, qualiter exercebuntur ad divina? Tenenda denique esset decretalis prohibens ipsos audire leges, vel Physicam, artes scilicet practicis negotiis accommodas: Nam apud eos quæ scientia magis, quam Theologia deberet vel doceri, vel cognosci?

Provisio secunda. Fiat amplius apud ipsos qui se prædicationibus exponunt, examinatio prius circa generalia nostræ fidei, & circa præcepta & mores; ut cognoscatur si talia prædicare noverint, & ad ea principaliter prædicanda, seclusis fabulis anilibus & ludicris, compellantur. Arceatur insuper tam generalis licentia apud quosdam religiosos, qui protinus ut aliquis sciverit duo verba proferre volubilitate linguæ, inthronizant eum in cathedra prædicandi. Instruantur denique, non detrahere superioribus absentibus in subditorum præsentia: nam hoc agere quid proficit, nisi ad subversionem auditorum, apud quos inde nutritur rebellio, murmur, odium, impatientia, contumacia, protervia, & detractionis libido; cujus signum est, quia extollunt se detractores hujusmodi, quasi soli sint, qui veritatem audeant palam dicere. Doceatur populus e contra obedire Præpositis suis, *etiam dyscolis* I. Pet. II. 18. ostendendo, quod *Dominus regnare facit* malos, & *hypocritas propter peccata populi*, Job. XXXIV. 30. & in eorum gravem poenam. Sic habeat prædicator linguam, & linguam; Linguam pro subditis, & linguam pro dominis, & prælatis.

Provisio tertia. Fiat rursus provisio sufficiens curis parochialibus, ut sibi possint de pabulo prædicationis providere, sicut institutio prior, habuerat quæ apud multos adhuc observatur, ubi mendicantes non abundant. Sic etiam in qualibet parochia cura specialis juxta sacros canones, de instructione parvulorum, præsertim in morum disciplina secundum primitiva nostræ religionis rudimenta. Ecclesiæ siquidem reformatio (sicut quidam ait) debet inchoari a parvulis, quoniam ejus deformatio venit ab eis prave, & nequiter institutis. Quamobrem fiat, sicut prætactum est, provisio sufficiens aliqua pro magistris; fiat pro prædicatoribus idoneis, si sint sæculares, de præbendis; si mendicantes, aliunde per prælatos, & curatos, quatenus ad pietatem magis quam ad quæstum suam valeant prædicationem ordinare. Itaque si procuratoribus, si advocatis, si aliis practicantibus assignantur sedulo pensiones certæ, & magnæ, quamvis aliunde lucrentur; qualiter non absurdum erit, non magis

hoc

hoc fieri pro laborantibus gratis ad ſpiritalem ovium dominicarum nutritionem, dum exercent officium quod de neceſſitate monſtravimus annexum eſſe paſtorali dignitati? Sed improperando dicunt nonnulli prælatorum: Cur, inquiunt, vos theologi, maxime doctorati non prædicatis? Cur *ſtatis* in ſtudio, vel in cameris *tota die otioſi?* Cur talentum ſcientiæ vobis collatum retinetis? Accipiant ſic loquentes veram hanc pro multis reſponſionem. *Nemo nos conduxit*, Matt. XX. 6. 7. neque licentia magiſtralis in theologia dat obligationem prædicandi, ſed oſtendit idoneitatem quam exercere non tenentur, niſi velint, vel aliunde mittantur cum mercede ſua. Addo, quod plus ſollicitudinis, & temporis apponet aliquis prædicator verbi Dei in uno ſermone rite componendo, retinendo, & pronunciando, quam advocatus unus per multos dies patrocinando. Cur ergo ſua mercede cariturus eſt, recipienda ab illo cujus debitum exercet officium, & non ſolum a populo? Hoc igitur fiat, fiat quod audacius introduxi; quia me ſentio ab omni ſpecie quæſtus alienum, cum ſatis jam habeam, Dei dono, de bonis eccleſiæ, ut ponam ſine ſumptu alieno evangelium.

Proviſio quarta. Fiat poſtremo quoad hoc publicatio quorumdam Tractatulorum compoſitorum, vel componendorum, vel qui jam forte compilati ſunt, in quibus generalis tenor noſtræ fidei, & præceptorum, & ſacramentorum cum ſimilibus contineantur, quatenus in eis ſacerd. & curati ſimpliciores legere poſſint, & inſtrui quid ipſi ſcire, quid alios docere debeant, docere, inquam, etiam per ſcripturam talem, ſi non aliter cognoverint. Compelli quoque poterunt talia ſuis expenſis exemplaria ſibi comparare, quemadmodum fit de ſtatutis humanis ſynodalibus pro cura temporalium; & hoc niſi forſan aliunde charitas abundans prælatorum indigentiæ pauperiorum ſubvenire voluerit. Hic inſeri potuiſſet de lectionibus ſacris legendis ad menſam eccleſiaſticorum, & præſertim prælatorum. Item de cohibendis quæſtoribus iſtis laxantibus linguas ſuas ad falſitates, & ineptias. Sed hæc interim ſufficiant de proviſionibus circa primam partitionem, & ſuas conſiderationes ita commemoratas.

Secunda partitio principalis.

Audiſtis, præſtantiſſimi viri, patres, & fratres, quemadmodum diximus aliqua de paſcendis ovibus pabulo prædicationis doctæ, dando animam propriam ſecundum portionem, vel vim rationalem pro eis; nec ſum neſcius quanto plus plura, & altiora dici potuerant, ſed ſupplebit imperfectum meum ditiſſima veſtræ ſapientiæ magnitudo. Nunc priuſquam convertatur oratio ad alium modum paſcendi oves, ſecundum portionem iraſcibilem animæ, & hoc exemplo ſanctæ converſationis, dicatur id quod obtigit mihi in ipſa meditatione, mea, dum circa hoc eloqui recogitarem, duce, vel comite induſtrioſa ſedulitate. Circumvolvebam oculos meæ conſiderationis per ovilia varia eccleſiæ militantis. Illic aſpexi veros paſtores habitantes in caſulis, & portatilibus tabernaculis, ſcientes hic ſe non habere civitatem manentem, ſed debere futuram inquirere. Illic ſimiliter viſæ ſunt oves rationales gregis Chriſti ſignatæ omnes ſigno *Thau* de ſanguine agni. Sed heu pericula, heu ſeductores, heu mille nocendi artes, mille movendi diſcrimina! quælibet ovis ſuos patitur hoſtes, ſuas inſidias, ſua certamina. Hanc vepres, ſpinæ, ſenteſque dilacerant; hanc æſtus urens; hanc bruma rigens diſcraſſiant; hæc infixa eſt in limo profundi, hæc ex altis rupibus præceps ruit; adhæret huic veterna ſcabies, alteri contagioſa ſocietas morbum affricat, ſicque faſcinatio morbidarum tranſit in teneriores agniculos. Denique quid ovibus miſeris erit tutum, quando (juxta proverbium Græcum) *Lupi funguntur officio Paſtorum*? Vel certe paſtores converſi ſunt in lupos, qui non parcunt ovibus. An non lupus tyrannus rapax, qui lanam & lac ovium, immo carnes & oſſa, per violentam exactionem ſurripit, caſſat, & opprimit? An non lupus tyrannus fallax, qui lanam & lac ovium, carnes & oſſa, per aſtutiam procurationum, & advocationum ſubripit, caſſat & deiicit? An non demum lupus tyrannus vorax, qui lanam & lac ovium, carnes & oſſa, per gulam & luxuriam ſurripit, caſſat, & inficit? Et ubi jam, obſecro, tales lupos rapaces, fallaces & voraces non poteris invenire, qui rapiunt, qui fallunt, qui devorant? Rapiunt cavillando, fallunt litigando, devorant luxuriando. Audiamus ex Ezechiele veterem ſummi paſtoris querimoniam: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia;* Ezech. XXXIV. 3. 4. & reliqua in hanc ſententiam. Juxta quæ, pro complemento noſtræ hujus ſecundæ partitionis, induco tres conſiderationes cum duodecim proviſionibus, quas induſtrioſa ſedulitas recenſuit.

Conſideratio prima.

Bonus paſtor nequit animam dare pro ovibus ſecundum vim iraſcibilem, niſi prius ſtuduerit ejicere tyrannidem rapacem, quæ eſt lupus avaritiæ. Inſtituens itaque Paulus verum Paſtorem docuit, *Hoſpitalem eſſe debere, & non turpis lucri cupidum*. Tit. I. 7. Sed quomodo daret hoſpitibus ſua, qui tollere ſatagit aliena, quique raptoribus alienis non obſiſtit? Videatur ergo quid admonet hoc loco induſtrioſa ſedulitas.

Proviſio prima. Fiat, inquit, reformatio hoſpitalium: hoc eſt enim de cura paſtoris; fiat hæc reformatio tam in temporali, quam in ſpirituali regimine, ne illic cura pauperum negligatur, præſertim ad ſalutem animarum ſuarum in patientia, & poenitentia congruis, & in ſacramentorum ſuſceptione, qualis fructus eſt in hoſpitalium fundatione principaliter intentus. Expediret quoque

que fic fieri in quolibet hofpitali qualiter obfervatur Parifiis uniformiter fatis ad decretalem, de advocandis prius Medicis animarum, quam corporum. Illic confeftim ut aliquis ægrotus quæritur introduci, prius intra januam confitetur & abfolvitur. Erit infuper providendum apud profeffos, & profeffas, in hujusmodi Religionibus, ficut etiam fieri convenit in aliis omnibus, quatenus tria vota fua cuftodiant, obedientiæ, paupertatis, & caftitatis. Nam inveniuntur ibi appropriationes manifeftæ, ficut apud feculares; fed eos exterrere debuerat mors Ananiæ, & Saphiræ. Quid infuper fibi volunt tot difcurfiones eorum per domos fæcularium? Et, ò utinam nulla fint monafteria mulierum quæ facta funt proftibula meretricum! & prohibeat adhuc deteriora Deus.

Provifio fecunda. Fiat amplius provifio contra tyrannides varias, & oppreffiones miferabiles & indignas pauperis populi, maxime ejus qui fubditus eft ecclefiis, & hoc per prædones domefticos, per familiares inimicos, fub umbra fæcularium dominorum. Has oppreffiones videre facilius eft in rebus, quam exponere fermonibus. Quod fi non moventur Paftores ex atrocitate rerum providere: qualis erit fermo meus, qui jacentes eos, & torpentes, valeat excitare? Moveat eos recogitata & lecta conftans autoritas Ambrofii, ut cui fuccedunt in fimili dignitate, fuccedant in pari conftantiæ ftabilis inflexibilitate. Videant Paftores, ne odiofi mores fui foetentes coram Deo, & hominibus, dent hanc caufam gravaminis pauperis fui gregis.

Tertia provifio. Fiat ulterior provifio, ne pauperibus fua bona auferantur, vel detineantur. Hæc funt ea bona quæ viris ecclefiafticis fuperfunt ultra fimplicem victum, & veftitum, juxta decentiam fui ftatus in ecclefiæ republica. Notiffima eft hoc loco, fed duriffima Bernardi, atque Hieronymi fententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriofam profufionem non dubitaverunt facrilegium, immo omni facrilegio, & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant ecclefiaftici, ne forte ob hoc, jufto Dei judicio, proveniant rapinæ ejus, & conculcationes indignæ, & jurisdictionum fuarum ufurpationes; quia quandoque *quod non habet Chriftus, tollit Fifcus*, & quod fubtrahitur egeno, rapit prædo. Hoc enim eft veteris proverbii fententia, quod *abdita vulpium fiunt rapinæ luporum. Ut qui prædatus fuerit, prædetur, & ipfe.*

Hic infuper providendum erit de celeri Teftamentorum complemento, non impedimento, per eos qui accelerare debuerant; ecclefiafticos Curiales loquor, per quos abufus incredibiles fieri memorantur, ita ut nec fidelis inveniatur in teftamento hujus vel illius.

Quarta provifio. Fiat demum provifio circa ecclefias verfas in diffipationem, quarum primitus extitit magnifica fundatio, quatenus in eis fervitores affignentur juxta facultatem redituum, vel cum aliis uniantur, aut ex toto caffentur, ne fint hujusmodi beneficia depauperata, plus in fcandalum & opprobrium, quam in Dei laudem, & populi ædificationem, ficut in Prioratibus nonnullis experiuntur. His itaque fubvenire fundationibus antiquis fanctius effet, atque falubrius, quam fundare novas ecclefiolas, volendo fibi facere nomen. Supra modum convenit occurrere tantæ tamque foedæ & abjectæ paupertati, immo mendicitati curatorum in locis plurimis, qui tamen pofiti funt in Ordine effentiali, & Hierarchico ecclefiæ militantis, tanquam minores prælati, & difcipulorum fucceffores, quibus tamen nulla ob egeftatem fuam reverentia, vel obedientia datur a fubjectis ovibus; quia nec inveniuntur viri fufficientes, qui talibus parochiis fic in egeftatem verfis, velint perfonaliter defervire: quodque adduntur eis frequenter a paftoribus craffis, vel officiariis fuis, ipfis volentibus, onera oneribus, citationes, angariæ, taliationes; ita ut liberior fit jam laicorum, quam ecclefiafticorum talium conditio, nec jam ut populus, fic facerdos Ifaiæ XXIV. 2. fed liberior, & honeftior populus, quam facerdos. Quod fi tales defervientes parochiis fint tantummodo vicarii religioforum, vel canonicorum, vel per proprios curatos fubftituti, cogantur ipfi principales de fufficienti vitæ fuftentatione provifionem affignare, vel de quadraginta, vel de quinquaginta libris annuatim; ne aliis in penuria laborantibus ipfi in otio totum diripiant; fiat hoc, fiat.

Confideratio fecunda.

Bonus paftor nequit animam fuam dare pro ovibus fuis fecundum vim irafcibilem, fi retinet, vel in fe, vel in fuis tyrannidem deceptricem, quæ eft lupus fallaciæ. Jubet Apoftolus: *epifcopus*, qui Paftor eft, *fit domui fuæ bene præpofitus*. 1. Timot. III. 4. Aliter enim, ficut idem arguit, *qua ratione diligentiam habebit ecclefiæ Dei*, ℣. 5. qui regere propriam nefcit Domum? Domus autem prælati curia eft habens miniftros, familiares, & officiatos, pro reddendo unicuique bona & fimplici fide, quod fuum eft, non ad fpoliationem, fed correctionem: non ad corruptionem, fed ædificationem; non ad multiplicandum lites fuper lites, fed ad compendiofum pacis ftabilimentum. Sicut autem charitas incipit a fe, fic & reformatio debet inchoari, ut primo fiat judicium a domo prælati, ficut fit in univerfo a domo Dei, ne præterea contingat obiici prælato; *Medice cura te ipfum*. Luc. IV. 23. Et illud apoftoli: *Qui prædicas non furandum, furaris*. Rom. II. 21. immo & facrilegium facis:

Prima provifio. Quocirca fuadet induftriofa fedulitas, ut fiat efficax, non verbalis provifio contra aftutiffimam illam, immo fæpe apertam tyrannidem promotorum, & procuratorum, in angariis, & citationibus; quæ omnia cum injuftiffime comperti fuerint commififfe, gratis abfcedunt a querela, nec jam gratis, qui recipiunt expenfas ab innocentibus abfolutis, deque calumniis perverfiffimis, de diffamationibus præterea crudeliffime impofitis ipfi mercedem quæ eis male vertatur, recipiunt. *C' eft le droit de la porte*

te Bodet. Est hoc, precor, æquitas? Nonne claudicat hæc disceptatio? Esset nonne justius, ut hujusmodi procuratores perciperent stipendia laboris sui a dominis suis, vel prælatis, qui deberent subditis dare justitiam, quam ab innocentibus sic vexatis? *Væ qui condunt leges iniquas*; ait Dominus per Isaiam Cap. X. 1. 2. *& scribentes justitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*. Notetur hic juramentum, quale debitum est præstari per Advocatos, per Promotores, per Notarios, per Procuratores, præsertim ut nihil agant, vel foveant quod injustum esse, vel crediderint ab initio, vel postmodum compererint.

Secunda provisio. Fiat insuper abbreviatio tam dispendiosarum litium, moderatio tot excommunication. tam a jure, quam ab homine fulminatarum. Et hoc nonnunquam pro defendenda, seu recuperanda re modica parum utili, vel profana; cum tamen baculus iste primitus fuerit institutus a Christo tanquam durissimum, summumque supplicium, quo nolentes ecclesiam audire, plecti deberent. *Quod si ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Matth. XVIII. 19. Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum qui, ut muscam abigeret a fronte proximi, ictu securis excerebravit eum. Itaque temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens, per respectum ad æternam salutem, quam auferunt aliquando percussiones istæ per excommunicationes gravissimas, quæ ut in aliquem ceciderint, vix abiici possint, trahentibus de una in aliam lupis Curiæ rapacibus.

Tertia provisio. Fiat amplius observatio decretalium prohibentium ne detur aliquod omnino in spiritualium administratione; aut saltem adhibeatur moderatio tam in collationibus ordinum, quam beneficiorum, in approbationibus Sacerdotum officiare debentium, in sigillationibus quoque, & multis similibus, plus ad quæstum (sicut dicunt aliqui) quam ad spiritualem profectum superimpositis. Exequantur saltem ista tali modo, quod *ab omni specie mala* simoniaci scandali semet abstineant. 1. Thess. V. 22.

Quarta provisio. Fiat ulterius correctio subditorum, secundum qualitatem delictorum, & plus ad emendationem suam, & timorem aliorum; quam ad pecuniarum exactionem, quæ gregem simplicem scandalizat frequentius, quam ædificat; quod si delicti qualitas exigat imponere pœnam pecuniariam, exponatur illa in pios usus manifeste, ne plus ad avaritiam pastorum, quam subditorum correctionem exacta videatur. Addimus hic incidenter de juramentis terribilibus exactis per officiales, & alios curiales officiarios, dum examinant aliquem criminosum super dicenda veritate; quibus tamen juramentis deferre nolunt, seu credere: qualia etiam violatum iri fore probabilius, quam oppositum suspicantur. Hic nonne laqueus est manifestæ, aut crudelissimæ perditionis animarum? Cum insuper dicat Apostolus quod omnis controversiæ finis est juramentum. Hebr. VI. 16.

Consideratio tertia.

Bonus Pastor nescit dare animam suam pro ovibus suis, si in se, vel in suis tyrannidem voracem nutrit, quæ est lupus gulæ, atque luxuriæ. Sobrium quidem, nec multo vino deditum, nec præterea bigamum, jubet apostolus episcopum institui, Tim. III. 2. Tit. I. J. prohibens ex consequenti crapulosas comessationes, potus ad æqualia, meretricationes sordidas, dare symbola, frequentare tabernas, quasi non eis domus sint ad comedendum, aut velut histrionum more nullibi pejus habeant, quam in domo; & quæ illic detractiones, bone Deus, quales gouliardiæ, quanta in vitam hominum bene viventium, & sobriorum derisio, qui risus, lusus, & gestus indecori, usque ad scandalum vilissimorum mancipiorum, vel muliercularum, sibi ministrantium? Sciunt, qui viderunt.

Prima provisio. Qua in re consulit industriosa sedulitas, ut fiat primo restrictio frugalis tantæ varietatis, & multiplicitatis ferculorum sumptuosissimorum in eadem mensa, usque ad nauseam, & prodigam vastationem earum rerum, ex quibus multi ventres pauperum pasci possent. Sileamus hic de ægritudinibus inde nascentibus, de hebetudine mentis, de subversione rationis, de occasione rapacitatis, de temporis, quod pretiosissimum est, consumptione. Consideretur iniquitas illa, qualis quantaque est apud ecclesiasticos viventes ex laboribus, & oblationibus pauperum, qui ita luxuriantur, quasi gratis obvenerint sibi, quasi præterea ad nihil aliud nati fuerint: diligentius quoque pascuntur apud eos, & carius aliquando canes, quam pauperes. Nec ista dicuntur, ut laudetur in prælatis personis ecclesiasticis, sordida tenacitas honestati hospitalitatique contraria; sed adsit frugalitas liberalis, quæ non secundum inanem jactantiam, aut opinionem prodigorum, sed secundum conscientiæ virtuosæ judicium mensuretur. Utrum vero, pensata temporum modernorum qualitate, sit expedientius prælatos splendere in ornatibus exterioribus, vel ducere vitam pauperum, Christo & Apostolis conformem in nuditate, aut vilitate vestium, alio loco deductum est.

Secunda provisio. Fiat amplius honesta restrictio talis pompæ in multitudine onerosa, & incomposita, tot servitorum, tot equorum, & mulorum consumentium opes sine mensura, sine fructu. Adde quod enutrit homines istos comatulos, & adolescentes lascivos otiositas pessima doctrix. Nam *multa mala docuit otiositas* ait sapiens *Eccli.* XXXIII. 29. cui pessimæ comites ebrietas, & crapula conjunguntur. Ad quid aliud isti tunc student, nisi vel insidiari alienæ pudicitiæ, prodigi suæ, vel lusibus illiberalibus occupari? Hinc illa adinventio deformissima habituum variorum, hinc juramenta blasphemiæ, & similia, hinc lusus taxillorum, & similium prohibiti, hinc omnia denique tollentia morum honestatem. Subditi vero cæteri quid faciunt, nisi quod viderint familiam sui pastoris facientem? imitantur certe & li-

libenter: aut qua fronte juberet pastor crapulam, & luxuriam a subditis ejici, qui assidue coram oculis, & in penetralibus suis illa intuetur, & gaudet exerceri? Proverbium est: *Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccli. X. 2. Et: *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Tertia provisio. Fiat observatio jejuniorum ab ecclesia statutorum constantior apud divites & potentes, præsertim ecclesiasticos, apud quos; proh dolor! versa sunt jam velut in derisum, cum soli fere pauperes, atque rusticani jejunent, quibus vix est panis cibarius relictus ad saturitatem sufficiens.

Quarta provisio. Fiat inquisitio diligens, & cauta super peccatis enormissimis, qualia commemorat apostolus in principio epistolæ ad Romanos, quibus corrupit, heu! *omnis caro viam suam.* Gen. VI. 12. plus quam Sodoma, et Gomorra; & hoc sine differentia sexus, aut ordinis, aut gradus, aut generis, aut ætatis, aut religionis sacræ, aut matrimonialis vinculi, aut affinitatis spiritualis, aut partium corporis honestarum. Credite fodientibus parietem per districtam inquisitionem in foro poenitentiali, qui habentes obstetricandi scientiam, educunt colubrum tortuosum, & vident abominationes pessimas, quæ fiunt. Credite, inquam, quia providendum esset omnino cum effectu, et discretione, contra tantam familiaritatem in cubilibus, & alibi, quam exercent parentes utrique cum utraque progenie, et affines affinibus in adolescientia, senesque cum junioribus tam in religione, quam in scholis & alibi. Dubitaverim prorsus, si non deteriores mores trahunt aliquando pueri, & puellæ hac occasione in parentum domiciliis, & religionum, et scholarum contuberniis, quam facturi erant in prostibulis lenonum, vel meretricum. Et hæc interim dicta sint de secunda partitione principali: operibus dicta firmentur. Fiat, fiat.

Tertia partitio principalis.

Tandem reliquum est pro complemento susceptæ commonitionis aliquid dicere pro tertia, & ultima partitione de pascendis ovibus pabulo charitativæ subventionis, dando animam quoad vim concupiscibilem pro eis. Et quidem non invenio pabulum charitatis & gratiæ melius, efficaciusve tradi posse gregi Christi, quam per debitam collationem sacramentorum. Illic quippe gratia confertur in suscipiente, virtute operis operati, hoc est, ultra, vel supra meritum suscipientis, in virtute meriti Christi instituentis sacramentum, & illud spirituali privilegio ditantis, ut inde opus privilegiatum nominetur. Concedet præterea ut minister sacramentorum tunc maxime se disponat ad gratiam, dum eam suo ministerio studet apud subditas oves transfundere. Alioquin juxta probabilem, sed formidabilem quorundam doctorum sententiam, ipse novo se peccati laqueo stringit.

Proposueram vero, velut in antecedentibus, ita & hic reducere tertiam hanc partitionem ad tres considerationes principales, ostensurus in prima de pabulo salutaris gratiæ per sacramentum baptismi, confirmationis, & eucharistiæ. Baptismus enim generat, confirmatio roborat, eucharistia complementum præstat. In secunda de pabulo salutaris gratiæ per sacramentum poenitentiæ, quod lapsos reparat, mortuosque vivificat. In tertia de pabulo salutaris gratiæ per reliquum triplex sacramentum, scilicet ordinis, matrimonii, & extremæ unctionis. Sed præoccupavit industriosa sedulitas brevitatem diligens, & allegans sufficere, si provisiones idoneæ saltem aliquæ usque ad duodenarium numerentur.

Provisio prima. Quamobrem dic, inquit, ut fiat primo diligens examinatio illorum qui ministraturi sunt sacramenta, ne forte sint ignorantes formam necessario requisitam in collatione hujus, vel illius sacramenti, ac proinde nihil agant, seu conferant. Expertum est crebro, multos ex confessoribus per ignorantiam culpabilem formæ sacramentalis non veram dare sacramentalem absolutionem. Sic obstetrices, aut laici baptizare quandoque putantes parvulos, de quorum morte dubitant, non vere baptizant, quia forma debita & a Christo instituta non utuntur. Sic inventi sunt quidam ex prælatis nonnunquam errasse in collatione ordinis ex defectu, vel formæ, vel materiæ, vel intentionis debitæ, ita ut suppleri, vel de novo fieri necesse fuerit ea quæ prius acta credebantur.

Provisio secunda. Fiat administratio sacramentorum omnium, sicut Apostolus jubet, de omnibus honeste & secundum ordinem, non jocis, & scurrilitatibus, quæ ad rem non pertinent. Errant hic fatui, & fatuæ in baptismo parvulorum, in celebratione matrimoniorum cum ululatibus impudicis, & foedis irrisionibus. In auditione autem missarum cum quanta irreverentia & indecentia, videre quotidie est ad oculum. Nonne tangitur altare per laicos incompositos, comitatos canibus mingentibus ad pallas altaris? Quid de viris ecclesiasticis tempore ministerii sui in ecclesia, & in choro; quas ibi garrulitates non videbis, velut in foro muliercularum, & rerum venalium est; quas distractiones, quos risus, quos clamores, prohibente nemine ex superioribus; nam & superiores culpa par involvit? Quid demum de ritibus impiis illorum, quos Deus omnipotens vel corrigat, vel male perdat, qui nedum blasphemias, & insanias falsas exercere, immo defendere non verentur etiam in ecclesiis nobilioribus & hora missæ, quas pallians sub nomine fatuorum adversus quas alias conscripsimus.

Provisio tertia. Fiat collatio confirmationis sacramentalis frequentior per dioecesim, quia etsi non semper necessitatis sit ut actualiter suscipiatur, est tamen necessitatis ne contemnatur.

Provisio quarta. Fiat auditio missarum totalis diligentius a subditis, præsertim diebus dominicis, & festivis, & in suis parochiis. Versatur enim in hoc principaliter præceptum de observatione sabbati; nec excusatur omittens a violatione, cessante causa legitima. Provideatur hic, ne insistant mercaturis, & operibus servilibus tempore illo.

ANNO CHRISTI 1408.

Item de recedentibus statim post aspersionem aquæ benedictæ, vel dominici corporis elevationem. Quid insuper de multitudine præceptiva tot festorum, quæ vel non observantur, & ita peccatur; vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur, vel pessimæ otiositati, qua nesciunt rurales bene uti, janua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumptuosissimæ, choreæ plenæ peccatis, & insaniis, & carminibus blasphemis, immo & per inquisitorem damnandis; dissolutiones quoque luxuriosæ, & ad breve verbum, subingreditur malum omne; ita ut, quod pro honore Dei, & pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam ejus, & salutis detrimentum.

Provisio quinta. Fiat in unaquaque dioecesi diligens electio confessorum idoneorum pro sacramento saluberrimo poenitentiæ digne ministrando. In hoc principalissima, & fere tota residet utilitas pro pabulo gregis Dominici. Nam per sacramentum hoc poenitentiæ reducuntur oves errantes, sanantur ægrotæ, pascuntur famelicæ, præsertim si confessor probus, si continens, si doctus, atque sollicitus affuerit. Alioquin si sollicitat ad malum, si ad quæstum solum mendicat, si negligenter, ignoranterque super confitentium transgressionibus inquirat, si per ebrietatem, aut iracundiam sigillum inviolandum quomodolibet effregerit, aut si demum blandiens obstinatis neque deserere peccata volentibus, eos absolvere tentaverit. Væ, væ, simplicibus ovibus Christi a talibus sacerdotibus, qui non jam *mercenarii*, Joannes X. 12. sed *rapaces lupi* Matth. VII. 15. vocandi sunt, quam longius abigendi.

Provisio sexta. Fiat confessio coram oculis omnium in patenti loco, ne subintroeat lupus rapax, in angulis suadens agere quæ turpe est etiam cogitare. Væ aliter agentibus, & sub familiaritatis specie in angulis, vel camerulis res ignominia plenas exercentibus, easque deteriore sacrilegio sub devotionis specie palliantibus, excusantibusque.

Provisio septima. Fiat reservatio casuum, seu peccatorum, moderatior. Providendum est saltem, quod nullus casus judicetur reservatus, quoad juvenes minores quatuordecim annis, quia nec habet ætas illa perfectum usum rationis, nec faciliter resistit tentationibus suis, vel malitiis alienis, nec audet leviter coram personis extraneis, & authenticis comparere; quantominus de pudendis, & verendis confiteri. Consulendum est insuper verecundiæ, & famæ mulierum, ne in suspicionem veniant maritorum, vel parentum, si crebro, si palam, si de longinquo ad poenitentiarios mittentur. Expedit denique, faciliter & cito relinquere potestatem super occultis casibus ipsis curatis, & ordinariis; non enim de publicis loquimur peccatis: relinquatur etiam omnibus quos bona fide constiterit velle, & scire proficere animabus, non ad quæstum, vel subversionem. Tales quippe diligenter inquirendi essent, inducendi, & rogandi, immo conducendi; quanto magis dum se ultro, & gratis offerunt, admittendi. Poenitentiam itaque dicet Hieronymus, *secundam post naufragium tabulam*, quam amplificare, & dilatare plus expedit, quam ut nimia arctatio sua nequeat illos recipere, qui allici, immo velut impelli debuerant. Qua super re extat quædam epistola longior ad pastoralem dignitatem.

Provisio octava. Fiat examinatio diligentior clericorum ad sacros ordines se offerentium, præsertim in vita, & moribus, de spe insuper continentiam quam vovent observandi, & ut Latinam linguam competenter intelligant, cum his quæ sacerdotale requirit officium. Alioquin consultius esset pauciores, sed electiores constituere, quam laxare passim per ovilia Domini tales sine disciplina, sine eruditione, sine continentia, nihil a dissipatoribus lupis differentes. Hic de concubinariis, & de suscipiendo, vel non suscipiendo sacramenta ab eis; de tolerando quoque eos, vel abjiciendo; de corripiendo insuper eos per superiores, non pro quæstu annuali eos confovendo, multa se offerrent tractanda, quæ alio loco disputata sunt. Hic præterea de non ordinandis ante ætatem legitimam, dispensatione non habita, caute agendum est, quia peccant ordinans, & ordinandus: nec datur executio, immo nec ordo quandoque, si prælatus tales per expressum ordinare non intendat; est enim essentiale in collatione cujusvis sacramenti, conferentis intentio.

Provisio nona. Fiat matrimonialis conjunctio cum omni solemnitate, & bannis, neque in domibus profanis, sed in ecclesiis, ne incidat in illud improperium Apostoli: *Ecclesiam Dei contemnitis*? 1. Cor. XI. 22. Moneantur quoque diligenter per suos confessores ut infra limites maritalis licentiæ sese contineant, ne abutantur inhonestius & execrabilius seipsis, quam meretricantes in prostibulis.

Provisio decima. Fiat collatio diligens Extremæ unctionis, dum adhuc patiens sentitur compos mentis, quatenus admonitio salubris de salute propria, pia quoque ad hoc sacramentum devotio sibi proficiat; aliter quam si pressus ægritudine animus nihil attenderet. Est quidem hoc sacramentum reiterabile, est etiam necessitatis, ut non contemnatur; quamvis non ut continuo, vel semper suscipiatur. Hic de ægrotantibus specialiter in domibus hospitalium, deque sepeliendis eis cum pietate, dum illic forte ignoti moriuntur esset attendendum.

Provisio undecima. Fiat frequentior, utiliorque visitatio per totam dioecesim, vel provinciam, spargendo ubique bonum semen verbum Dei, etiam si fieri commode potest, præsente prælato principali, prout jura volunt, ut circumeat parochiam. Hic est cardo totius reformationis ecclesiasticæ. Hæc virtus omnis hujus, aut similis concilii provincialis. Quemadmodum enim vetere proverbio dicitur: *Oculus Domini impinguat equum*. Sic præsentis pastoris autoritas nutrit, & pascit gregem suum. Ita tamen, si providus, & compositus in se, & familia sua pastor fuerit, & sagax; non lupus, non latro rapax. Hoc modo visitare nonne esset da-

dare pondus autoritatis, & honoris, verbo Dei, quod nunc per inertiam, vel omissionem, ne dicamus vilipensionem prælatorum, versum est apud subditas oves in opprobrium quoddam, & fabulam. Quare? quia videt populus solos mendicantes, & pauperes apud eos contemptibiles prædicare verbum, nec adesse prælatos, ut vel sua illud honorent præsentia.

Visitando denique exerceretur inquisitionis officium, perquirendo de doctrinis variis, & peregrinis, clam, vel palam seminatis, de sortilegiis, & superstitionibus, de blasphemiis, & contumeliis, & gravaminibus plebis per exactores curiales, vel alios; de excommunicationibus quoque justis, vel injustis, & citationibus, vel angariis. Exerceretur proinde sacramentum confessionis fructuose, & misericorditer, tam pro casibus reservatis, quam pro quibusdam criminibus, quæ parochiani celant quandoque propriis curatis, & aliquando non sine justa ratione. Concernit quoque hic visitationis modus archidiaconos, ne plus ad quæstum, & subversionem, quam ad pietatem, & ædificationem sua visitatio judicetur executa. Et ne si velut cattus abigens quidem mures a caseis, ipsos vero plus devorans. Hoc præterea respicit celebrationem annuam conciliorum provincialium, quia secundum verba juris, nihil pene sic mores disciplinatos ab ecclesia expellit, quam negligentia sacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. Deinde, ne quis diceret, quod sufficientes contra omnem prævaricationem constitutæ sunt leges a prioribus, subditur; quod ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia debent condemnari, & velut repullulantia malis radicibus germina crebrius amputari, præsertim per visitationem, quæ est quædam applicatio legum ad operationem, & sua vivificatio, quæ aliter mortuæ sunt, vel languescunt.

Provisio duodecima. Fiat ad extremum reductio pulchræ pacis, tam turpiter exulantis, ad habitaculum totius ecclesiæ, & hoc per implorationem divinæ misericordiæ, per morum correctionem qui nos sua perversitate a nobis, Deoque separant; per concilii generalis (si ita visum fuerat) celebrationem, in quo generales per christianitatem errores passim sparsi venirent hoc generali remedio corrigendi.

Pergebat hoc loco industriosa sedulitas velle plura, particulariaque super ipso schismate pestifero terminando differere, ut de subtractione, de neutralitate, de beneficiorum ad ordinarios revocatione; sed modestia repressit dicens: hic neque locum esse, neque tempus; jam quoque dandus est, ait, multiloquio tuo finis. Parui modestiæ, & sub exhortatorio quodam epilogo concludere taliter institui.

Bonus Pastor, ut audivit vestra devotio præclarissima, viri patres & fratres; *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. X. 11. dixit Christus pastor ille, qui fecit quod docuit. *Nam coepit facere*, post *docere*, Act. I. 1. ut qui potens erat prius opere, post sermone, prius coram Deo, dehinc coram populo, dedit animam suam pro ovibus suis in prædicatione, in operatione, in sacramentorum per mortem ejus vivificatione. Fiat hoc similiter a vobis. *Attendite* prius *vobis*, dehinc *universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Act. XX. 28. Quamobrem inveniatur apud unumquemque vestrum, conformiter ad præmissam triplicitatem, & sacram evangelii lectionem, triplex conditio. Vocet unusquisque oves suas proprio nomine, & hoc prædicatione, & familiari exhortatione, vadat ante eas & hoc exemplari conversatione & sollicita directione. Defendat, & adjuvet eas, & hoc in sacramentorum religiosa ministratione. Sic associabunt eum sedula turba, canes latrantes in voce prædicationis. Sic audient vocem ejus oves, & sequentur, quia præcedet eas in gressibus operationis. Sic demum cognoscet singulas ex nomine, attendens diligenter vultum pecoris, in sacramentorum, præsertim confessionis exhibitione. Sic pascet eas tripliciter. Pascet verbo, pascet exemplo, pascet subsidio. Et hoc per seipsum, quod utique sanctius efficaciusque est; vel per idoneos visitatores substitutos: adjuvante Deo, & omnia confirmante, qui est pastor bonus, & Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen, *Finis*.

PARISIENSE CONCILIUM

In quo destinantur patres ad Pisanum concilium mittendi,

Anno 1408. *habitum*.

MS. ...d. Tau...ensi, ex ...o. plura Conc. ...anum ...ctantia ...cepi.

IN nomine Domini. Amen. Tenore hujus publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem 1408. indict. 2. mensis vero Novembris die 6. ab electione Petri de Luna, quondam in papam electi, qui Benedictus XIII. nuncupatur, anno 15. congregatis pariter & convenientibus in aula alta supra Secanam regalis palacii Parisiensis RR. in Christo PP. D. patriarcha Alexandrino, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, & universitatum & ecclesiarum metropolitanarum cathedralium nec non quorumdam aliorum prælatorum & virorum ecclesiasticorum regni Franciæ & Delphinatus Viennensis absentium procuratoribus, & deputatis, ecclesiam Gallicanam facientibus & repræsentantibus, auctoritate & mandato christianissimi principis & mandato Caroli Dei gratia Francorum regis super facto, materia & prosecutione desideratissimæ unionis & pacis sanctæ matris ecclesiæ, & aliis Gallicanæ debitum regimen & statum bonum concernentibus, ad primam diem mensis Augusti novissime lapsi, Parisius convocatis cum continuatione dierum, usquequo super omnibus in delibera-

ANNO CHRISTI 1408.

tione proponendis receptæ & factæ essent certæ & finales conclusiones, prout pro notione hujusmodi nobis notariis infrascriptis fuit facta fides; & relatione facta per organum egregii magnifici & potentis DD. de Corbeya militis & cancellarii Franciæ, hac die præsidentis nomine regio in dicto consilio per reverendum in Christo patrem & DD. Simonem miseratione divina patriarcham Alexandrinum aliis diebus in dicti cancellarii absentis in præfato consilio præsidentem & regem constitutum; inter plura alia extitit relatum specialiter & expositum in effectum, quod RR. in Christo PP. S. R. E. Card. mature deliberaverunt generale consilium utriusque partis & obedientiæ, quæ Angelo Corario qui Gregorius, & Petro de Luna qui Benedictus nuncupatur, & eorum prædecessoribus adhæserunt in civitate Pisana ad 25. Martii proxime futuri, Deo dirigente, pro pace & unione sanctæ matris ecclesiæ assequenda in unum fore celebrandum, ordinaverunt et requisierunt omnes et singulos archiepiscopos, episcopos nec non ecclesiarum metropolitanarum & cathedralium capitula & abbates exemptos & non; quatenus ipsi & eorum singuli per se vel per alium sufficientem; universitates vero & capitula unum vel plures de ipsis aut personam idoneam vadant & mittant; requirunt etiam regem quod velit mittere & facere quod prælati regni sui & alii prænominati vadant seu mittant, ut patet per eorum patentes literas. Quorum DD. cardinalium sanctum et laudabile propositum præfati RR. PP. dictum consilium ecclesiæ Gallicanæ celebrantes, matura deliberatione præhabita, laudant & approbant, & sunt concordes & parati dictam pacem ecclesiæ & unionem prosequi modo advisato, scilicet cessionis vel ejectionis, & ipsi hujusmodi convocationem generalis consilii ratam et gratam habentes, videntesque expediens congruum et opportunum ac necessarium pro acceleratione dictæ unionis et extirpatione præsentis horrendi schismatis existere, ut ad locum diemque præfixos præfati DD. qui per dictos DD. cardinales illic accedere requirerentur, monentur et exhortantur ibidem personaliter conveniant, aut saltem quod viri solemnes et electi tam prælati quam alii in notabili et grandi numero ex parte hujusmodi regni et delphinatus transmittant; et ideo ordinarunt, concluserunt, concorditer et determinaverunt de qualibet provincia dictorum regni et delphinatus cæteros (certos) prælatos et alios viros egregios ad prosecutionem unionis propicios et idoneos transmittere, qui per prædictas provincias singulariter et solemniter congregatas fuerint electi, nominati, et ordinati, et in suo communi consilio ecclesiæ Gallicanæ viribus et diebus sepæ repetitis nomina prædictorum lecta et sunt hæc.

Sequuntur nomina eorum qui ex parte provinciarum fuerunt electi pro concilio generali die VI. Novembris in præsentia domini canellarii Franciæ.

PRO REMENSI PROVINCIA.

episcopi.

Belvacensis.
Laudunensis.
Tornacensis.
Atrebatensis.

Abbates doctores.

Sancti Eligii Noviomensis.
Sancti Chrispini.

Priores conventuales.

De Chrispeyo.
De Aubatis-villa.

Omnes notabiles graduati.

Magister Johannes *Moramie* pro ecclesia Remensi.
Magister Petrus Canthon pro ecclesia *Remensi canonicus ecclesiæ Catalaunensis.*
Decanus S. Audomari pro ecclesia Morinensi.
Magister Joannes *Carrecon canonicus Cameracensis* pro ecclesia Cameracensi.
Et ducet quilibet episcopus secum, si voluerit, unum vel duos canonicos de ecclesia sua, et suas lucrabuntur cotidianas distributiones legatione durante.

PROVINCIA ROTHOMAGENSIS.

episcopi doctores.

Lexoviensis.
Ebroicensis.
Constantiensis.

Abbates doctores.

Montis sancti Michaelis.
De Gemmetico.
Sancti Petri supra Divam.

Doctores.

Magister Hugo de Remiasiæ sacræ Theologiæ professor decanus ecclesiæ Rothomagensis & magister Robertus de Quesneyo.
Henricus de Calvomonte archidiaconus ecclesiæ Ebroicensis.
Magister *Isambertus* Martelli thesaurarius sacræ capellæ palatii Parisiensis.
Magister Ur. nus de *Calevande sacræ theologiæ professor pœnitentiarius Constantiensis.*

Li-

Anno Christi 1408.

Licentiati in utroque jure.

Magister Adam de *Blandribosco*.
Magister Henricus de Calvo-monte.
Magister Guillelmus Despuis.

PROVINCIA SENONENSIS.

Archiepiscopus Senonensis.

Episcopi.

Nivernensis.
Trecensis.
Meldensis.

Abbates doctores.

Sanctæ Genovefæ Parisiensis.
Tironiensis.
Sancti Benedicti supra Ligerim.
Sancti Maximini Aurelianensis.

Doctores in theologia & jure.

Provincialis Franciæ ordinis minorum.
Magister Joannes Cortecuisse.
Joannes Luqueti.
Guido de Albiaco.
Radulphus de Albiaco, et de Matiscone.
Joannes Bremxors.
Guillelmus Pulchrinepotis sacræ theologiæ professor.
Rodulphus de Refugio doctor in jure.
Joannes Grimonelli sacræ theologiæ professor minister provinciæ Franciæ ordinis minorum.

PROVINCIA BITURICENSIS.

Archiepiscopus Bituricensis.
Unus de ejus ecclesia.
Episcopus Albiensis.
Unus de ejus ecclesia scilicet magister Joannes *Dulat*.
Et Michael de Albis *pro sua ecclesia Lemovicensi*.
Episcopus Ruthenensis.
Episcopus Lemovicensis.
Magister Gaufridus *de Paucia*.
Episcopus Tutelensis.
Præpositus de Bellomonte.
Episcopus Caturcensis.
Abbas de Burgo Dei.
Abbas de Conches.
Abbas S. Augustini et Casæ Dei.
D. Petrus *Porilon pro Mimacensi ecclesia*.

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Episcopi quilibet cum uno graduato.
Episcopus Eduensis et Cabilonensis.

Abbates doctores in theologia, & jure.

Cluniacensis pro diocesi Matisconensi.
De Vezeliaco.
Molismensis.
Sancti Sequani.
Monasterii S. Joannis de Reomo.

De Castellione.
Petrus de *Montevoto* Lugdunensis.
H. de Savoisi Lingonensis ecclesiarum decani.
Joannes Guioti doctor jure canonicus Eduensis.
Hugole *Fairrè* licentiatus in decretis, canonicus Cabilonensis.
Gaufridus de sancto Amore cantor Matisconensis licentiatus in utroque.

PROVINCIA BURDEGALENSIS.

Archiepiscopus Burdegalensis. — Deest.
Episcopus Petracolicensis. — Deest.
Xantonensis.
Agennensis.
Lucionensis.
Abbas S. Maxentii.
Decanus Pictavensis. — Deest.
Decanus Xantonensis.
Et magister Elias de Serre.

PROVINCIA VIENNENSIS.

Archiepiscopus Viennensis cum *sex aliis quorum tunc non fuerunt expressa nomina.*

PROVINCIA AUSSITANA.

Episcopi.

Vasatensis. — Deest.
Tarbiensis.
Convenarum.
Lectorensis.
Abbas *Chaumorræ*.
Præpositus S. Justini in ecclesia Auxitana.

PROVINCIA NARBONENSIS.

Archiepiscopus Narbonensis.

Episcopi.

Carcassonensis.
Uticensis.
Nemausensis.
Lodovensis.
Aniciensis. (a)
Et ipse Patriarcha Alexandrinus perpetuus administrator ecclesiæ Carcassonensis.

Abbates.

Sancti *Eligii*. — Deest.
Sancti Tiberii.
Crassensis.
Aniane.
Fintinus Conratii, vel Petrus Astreboni.
Joannes Fayditi vel Joannes de Borno.
Prior de Verina.
D. Guillelmus Benedicti vel Sacrista Carcassonensis.
Gaufridus de Pompadorio.

PROVINCIA THOLOSANA.

Archiepiscopus Tholosanus.

Episcopi.

Mi-

Margin notes (left): . Blan-ribos. — sunt. — De La-est. — De Pe-ia. — Poulen. sunt re-ua. — est. Virgi-censis.

Margin notes (right): M. De Moncejaco decanus Lugdunensis licentiatus in decretis. M. Hugo Fabri. — M. Quinque Cætera desunt. M. Chimorræ. — (a) Mart. addit. Licet non sit de provincia. — M. S. Ægidii.

ANNO CHRISTI 1408.

Mirapicensis.
Lombariensis.
Apamiarum.
Rivensis.
Electus *Vencensis*.
Duo doctores.
Et duo doctores pro universitate Tholosana.

M. *Vauren. sis.*

PROVINCIA TURONENSIS.

Archiepiscopus Turonensis.

Episcopi.

Dolensis.
Nannetensis vel *Renensis*, & Trecorensis. (*b*)

M. Redonensis.
(b) Mart. addit: *Maclovien sis.*

Abbates.

De Nucariis.
Sancti *Fregii*.
Sancti Albini.
Raymundus *Pernuia*.
Decanus *Turonensis*.
J. *Tenglan.*
Alanus de Mella.
Thomas *Giron*.
Andreas *Ascotin*.
Willelmus *Maleigendre doctores ac provincialibus provinciæ Turoneæ de ordine minorum*.
Decem abbates de ordine Cisterciensi.
Item pro monasterio majoris monasterii.
Pro ordine Cluniacensi, & pro ordine Præmonstratensi aliqui per eos nominandi.
Item pro universitatibus Parisiensi, Tholosana, Andegavensi, Aurelianensi, & Montis Pessulani deputandi et *non* nominandi per easdem universitates.

M. *S. Sergii.* M. *de Parucia.* M. *Cenomanensis.* M. *de Tegula.* M. *de Vico.* M. *Girou.* M. *Cotini.* M. *Dictus Maugendre* M. *Provincialis Turonensis ordinis fratrum prædicatorum.* Huc usque Martene cætera ex eodem MS. Cod. prosequemur.

Quibus nominibus lectis per notarium publicum in dicto concilio, idem D. Patriarcha dixit in effectu quæ sequuntur, videlicet quod dictum concilium Ecclesiæ Gallicanæ certam potestatem dedit & dat prænominatis RR. PP. Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, nec non aliis notabilibus viris literatis & eorum majori parti, ac etiam parti illorum majori qui in dicto concilio voluerunt & potuerunt comparere, videlicet plenariam potestatem & mandatum generale ac speciale comparendi in dicto concilio loco & die prædictis, ac etiam aliis diebus & locis continuat. pro & nomine archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, capituli metropolitanarum cathedralium Ecclesiarum, & cleri & populi totius Gallicanæ Ecclesiæ seu regni Franciæ & Delphinatus Viennensis. Ibi per eos repræsentandi, deliberandi consulendi, consentiendi, dicendi, faciendi, procurandi, & concludendi omnia & singula quæ fuerint utilia, expedientia, necessaria, seu quomodolibet opportuna ad extirpationem schismatis et unionis & partem (sic) Dei Ecclesia, Deo duce, reducendi, etiamsi contendentes propter factum schismatis aut hæresis vel eorum fidei oppositione dejiciendi fuerint, seu dejectis declarandi aut denunciandi, vel eorum alter, et ad omnia & singula dicenda, facienda, et exercenda nomine quo supra, quæ ad electionem unici et indubitati pastoris seu reverendi pontificis expedientia, convenientia, & utilia, necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint; nec non ad prosequenda, concludenda, deliberanda, & ordinanda omnia & singula opportuna et utilia pro reformatione universalis Ecclesiæ, et maxime illa quæ concernunt bonum statum & canonicum regimen ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ seu regnum Franciæ & Delphinatus Viennensis, prout eorum constitutis videbitur faciendum. Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda, facienda, & procuranda quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi similia sint, quæ mandatum exigunt magis speciale: promittentes bona fide se ratum & gratum perpetuo habituros quidquid per eos aut majorem partem eorum, qui in dicto concilio comparuerunt, aut dictum gestum procuratum seu conclusum fuerit in præmissis. Dixit &c. præfatus Reverendissimus P. D. Patriarcha Alexandrinus quod dictum sacrum concilium Gallicanum volebat & intendebat quod præmissis seu eorum aliquo non obstantibus, sine tamen dictorum præmissorum aut alicujus ipsorum præjudicio, omnes & singuli alii incolæ regni Franciæ & Delphinatus Viennensis ad dictum concilium Pisanum vocati possint ibidem, si velint, personaliter interesse, vel procuratorem specialem mittere; quare petebat idem D. Patriarcha a D. cancellario Franciæ quatenus pro & nomine regis omnia & singula præmissa laudaret, & rata haberet, & literas opportunas & utiles super præmissis expediret, secundum commissionem super hoc a D. N. rege datam. Qui dominus cancellarius benigne omnia præmissa concessit; quæ omnia & singula eidem sacro concilio grata fuerunt nullo contradicente, de & super omnibus & singulis præfatus & Reverendissimus P. D. Patriarcha Alexandrinus, & plures alii petierunt a me notario publico infrascripto & pluribus aliis notariis ibidem pro tunc existentibus sibi fieri & tradi publicum instrumentum seu publica instrumenta unum vel plura. Acta fuerunt hæc Parisius in dicta aula regalis palacii supra Secanam, indictione, mense, & die, & ab electione prædictis, præsentibus VV. & circumspectis viris magistris Joanne Trelon, Joanne Luqueti, Joanne Brenstone, Martiano de Mormia, Ursino de Talenande, Henrico de Uragella, Arnulpho de Fonte ministro provinciæ Burgundiæ ordinis minorum sacræ Theologiæ professoribus, Petro Canthen, Joanne Saltzeto, Nicolao Gohe in legibus & decretis licentiati, Joanne Petro in artibus & medicina mag. & Nicola de S. Clario mag. in artibus & baccalario in decretis & pluribus aliis in maxima multitudine testibus ad præmissa vocatis.

Actis pariter concilii hujus adjicienda sunt ea quæ dedimus ad Parisiense anni 1404. ut ibi monuimus.

AD

AD CONCILIUM ARAGONIENSE SEU PERPINIANENSE

A Petro de Luna, seu Benedicto XIII.

Anno 1409. celebratum

ADDITIO.

„ PRæter ea quæ Labbeus de concilio Perpiniani celebrato congessit, hæc adde „ comperta ex epist. archiep. Narbon. de„ sumpta ex MS. Cod. Dom. Chavelin dedit„ que P. Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 915. „ ex quo etiam omnium primam damus bul„ lam indictionis concilii a Benedicto pro„ mulgatam.

BENEDICTI XIII. LITTERÆ,

Quibus concilium ad Perpinianum indicit in festo Omnium-sanctorum celebrandum.

[Mart. t. Mon. VII. p. 781.] BEnedictus, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo... & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, & ceteris ecclesiarum prælatis exemtis & non exemtis per...... provinciam constitutis S. & A. B.

I.

Cœlestis altitudo consilii, firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam ecclesiam, ad cujus regimen sumus, licet insufficientes, assumti, supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens in apostolicæ confessionis fortitudine fundamentum, ut nec procella turbinis, nec prævalere possit adversus eam spiritus tempestatis. Unde ipsa universalis mater ecclesia sacrosancta usque ad consummationem sæculi manentem secum retinet Salvatorem; ideo juxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur, ut pro nulla rerum varietate vel temporum, ab unitate suæ fidei, pietatis, & veritatis propositi separetur. Licet enim per mundanæ malignitatis cursum in varia discrimina inciderit, & persecutiones innumeras pertulerit ac labores, numquam tamen eam gratia divina deseruit, quominus robur ejus in qualibet tentatione proficeret, & inde spei suæ gaudium obtineret, unde recepit fidei fundamentum. In hac enim fidei soliditate firmati, nos apostolorum principis successores, Christi, licet insufficientibus meritis, suscepimus vicariam, in ipso Domino Jesu Christo figentes ancoram spei nostræ, ut licet propter intrusionem nonnullorum, qui inconsutilem Dominicæ vestis unitatem scindere satagentes, ecclesiam ipsam variis turbationibus & persecutionum turbinibus vexaverunt, nos dolore tristitiaque afflixerint: speramus tamen indubie, quod statum ejusdem ecclesiæ in unitate spiritus pacis vinculo conservabit ipse, qui non solum eam verborum expressione, sed & sui pretiosi sanguinis effusione fundavit, ut post vespertinos fletus, gemitus & lamenta, quos emittere cogunt mala & discrimina, quæ execrandi schismatis, proh dolor! importuna duratio in Christiano populo introduxit, quæ libet flere potius quam narrare, lætitia matutina succedat; ipsaque ecclesia velut columba pulcherrima ipsius lætificata gemitibus, sine ruga prorsus & macula candoris sui pulchritudinem retineat illibata.

II.

Dudum siquidem, cum post nostræ assumtionis primordia, ad procurandum scissæ Dominicæ vestis reintegrationem, & senescentis schismatis eradicandam, Deo auctore, perniciem, anxios labores nostræ sollicitudinis subiisset instantia, frequens nos turbatio impetiit, & difficultatum undique ingruentium tempestas involvit, & tandem inter varios & periculosos eventus nos reperimus interceptos, & multos per annos notorio impedimento detenti, non potuimus in actum procedere, quem fervido pro bono Christianitatis gerebamus in pectore. Cum autem placuit illi qui solo sermone * restaurat universa, ut solutis vinculis detentionis nostræ, in libertatem clausos limites aperiret, ad repetendam inchoati laboris sarcinam oculos direximus nostræ mentis, & de fratrum nostrorum consilio ad Perrinum de Tomacellis in apostolica sede intrusum, solemnes nuncios duximus destinandos: qui dicti Perrini præsentiam adeuntes, nonnullas vias ad unitatem ecclesiæ breviter consequendam utiles & accommodas eidem Perrino in præsentia suorum anticardinalium, & multorum aliorum, nostra pro parte publice obtulerunt, ipsum pro parte nostra iteratis vicibus requirentes, quatenus alteram de dictis viis acceptaret, aut aperiret, aliquam, si quam vellet, qui paratos nos offerebant viam rationabilem, si offerretur, acceptare, per quam vera unio in Dei ecclesia haberetur, pro qua breviter & canonice consequenda, statui papali cedere & mortem etiam corporalem subire, si expediret, nostræ intentionis esse proposuerunt expresse. Qui quidem Perrinus aliquam ex viis oblatis acceptare, aut aliam aperire penitus recusavit, omnemque viam pacis abjiciens, dictis nunciis nunciavit * ut a præsentia sua & curia recederent sine mora. Quo infra biduum post dictæ negationis tam ferale responsum miserabiliter vita functo, & nostris nunciis sub salvo conductu captis & demum certa pecuniæ quantitate redemtis, quidam Cosmatus de Solmona in ipsius intrusionis vitium per anticardinales dicti Perrini superstites subrogatus, male adeptam præsidentiam retinere ge-

* al. nutu

* al. mandavit

ANNO CHRISTI 1409.

gestiens, quamquam per dictos nuncios nostros litteris & internunciis multis vicibus requisitus, nec salvum-conductum concedere, nec eos ad suam præsentiam venire permisit: quin immo etiam cum ob hanc causam ad has partes Italicas nos transtulissemus, ut commodius possemus de hujusmodi desiderata secum unione tractare, licet ante suam intrusionem se daturum operam, ut felix hujus rei exitus haberetur, cum aliis anticardinalibus voto & juramento se astrinxisset, nihilominus nobiscum tractare renuit, & dilationibus interpositis, hanc Dei causam duxit per varias illusiones penitus in neglectum. Et tandem dicto ultionis mucrone perculsus, a die suæ intrusionis vix exacto biennio, clausit miserabiliter dies suos.

III.

Quo defuncto, præfati anticardinales satis celeriter processerunt ad intrudendum Angelum dictum Corrario, qui se facit Gregorium appellari, qui postea nobis & fratribus nostris S. R. E. cardinalibus tunc Massiliæ degentibus per suas litteras indicavit, se votis & juramento astrictum ad dandam pacem in Dei ecclesia per viam cessionis, & ad illam se totis affectibus aspirare, eam nobis offerendo. Quibus per nos summo cum gaudio perceptis, ex istis principiis credentes indubie virum istum secundum cor nostrum, veris caritatis affectibus ad tam pii operis consummationem velle procedere cum effectu, directis sibi nostris apicibus, datis Massiliæ apud S. Victorem II. calendas februarii, pontificatus nostri annno XIII. viam mutuæ cessionis pure, libere & simpliciter fiendæ obtulimus. Pro quorum celeri executione, cum nunciis dicti Angeli plena ad hoc potestate suffultis, concordatum extitit & conventum, ut nos cum nostro, & Angelus cum suo prætenso collegiis certis terminis præfixis ad personam conveniremus in civitate Saonæ, ubi nos etiam terminos ipsos præveniendo cum dicto collegio nostro personaliter affuimus.

IV.

Idem autem Angelus dicta pacta & promissa observare contemnens, nec in primo termino, nec in secundo comparere curavit, sed post ultimum terminum lapsum, per suos ambassiatores quibusdam frivolis rationibus declinando Saonam, & ad alia diffugia se convertens, nos inter cetera requisivit, ut pro bono unionis ad hunc locum Portus-Veneris versus urbem situm in confinibus territorii Januensis, a Saona per nonaginta milliaria distantem nos transferre vellemus, offerens se ad locum de Petra-sancta Lucanæ dioecesis, eo casu venturum, ut ex vicinitate locorum facilior ad exsecutionem agendorum pateret facultas. Et licet opinio de ipso prius concepta nos alias, prout manifeste cernitur, fefellisset, tamen ne tantum bonum imperfectum remaneret, dictæ requisitioni annuentes, etiam ante terminum concordatum cum dicto nostro collegio venimus ad hunc locum. Dictus autem Angelus ad locum de Petra-sancta per suos oratores, ut præfertur, oblatum, penitus venire recusavit.

V.

Post diversas nunciorum nostrorum instantias, tribus mensibus interim fere lapsis, se ad Lucanam contulit civitatem. Cujus adventu percepto, statim nostros solemnes nuncios ad ipsum Angelum de dictorum fratrum nostrorum consilio cum plena potestate destinavimus iterato, qui juxta eis commissa, publice ex parte nostra requisierunt eumdem, quatenus ad unionem ecclesiæ per viam mutuæ cessionis, prout hinc inde oblatum fuerat, diligenter & sollicite vellet intendere: exhortantes eumdem, ut de his quæ pro promissorum consummatione, & unionis conclusione necessario agenda erant, cum ipsis nunciis concordare, eorumque executionem accelerare placeret: offerentes nos ad præmissorum executionem, pro unione assequenda, pure, libere, efficaciter, & semotis frustratoriis dilationibus, processuros. Quibus nunciis idem Angelus conclusive respondit, se solum de loco, in quo ambo personaliter conveniremus velle tractare, & quod de aliis necessariis ad unionem perficiendam tractare in dicto loco & non alibi proponebat. Et licet dicti nuncii nostri multis rationibus responderent * prætactum per eos ordinem fore utiliorem & breviorem, quodque illis concordatis de loco executionis præmissorum, possent facilius & securius postea concordare: videntes tamen dictum Angelum in præmissa responsione firmatum, ad tractatum primitus de loco conventionis supradicto, ut idem Angelus volebat, condescenderunt.

* al. perderent

VI.

Super qua materia dicti nuncii nostri ultra loca Januæ, Saonæ, & alia nonnulla alias oblata, quædam civitati Lucanæ propinqua, secura & habilia obtulerunt, cum illis securitatibus, de quibus Massiliæ inter partes pactum fuerat & conventum, aliis necessariis & opportunis superadditis, si expediret. Obtulerunt insuper limites obedientiæ nostræ, ut ipsius Angeli, inter hunc locum Portus-Veneris & civitatem Lucanam constitutos, in quibus tamen limitibus dictus Angelus meliora & securiora loca habere dinoscitur. Quæ oblatio etiam per sæculares quantumcumque discordes de pace tractantes, vix aut numquam consuevit refutari; quæ omnia dictus Angelus frivole declinavit.

VII.

Demum vero oratores Venetorum hæc videntes, suo & plurium aliorum regnum, principum, & communitatum, nunciorum nomine, pro eadem conventione quædam loca habilia & idonea nominarunt in obedientia dicti Angeli, & sub dominio domini Lucani consistentia, & nuncii nostri liberaliter acceptarunt; sed etiam illa idem Angelus refutavit, quamquam ut patet per instrumentum

ANNO CHRISTI 1409.

tum publicum, ad omnem locum idoneum infra Italiam in sua obedientia constitutum se venturum alias obtulisset. Cumque videremus dictum Angelum a rationis tramite deviantem, ne causa Dei ulterioris dilationis incommoda pateretur, oblationi dicti Angeli per suos oratores factæ novissimæ, per quam se venturum Pisas a Luca per decem milliaria distantem obtulerat, si nos Liburnum per LX. ab hoc loco remotum veniremus, duximus annuendum, ut exinde, considerata vicinitate locorum, quæ per nos & ipsum pro executione viæ cessionis hinc inde oblatæ, & prosecutione unius concordanda erant, concordarentur, & tandem feliciter complerentur. Sed dictus Angelus, quamvis per nostros nuncios suos anticardinales & dictos oratores fuisset sæpe & sæpius requisitus, quod juxta oblata per eum ad Pisanam veniret civitatem, quam nuncii Florentinorum ad hoc potestatem habentes offerebant, venire finaliter recusavit, & omni spe tractandi ulterius de hac materia sublata, dataque repulsa, nostros nuncios ulteriori salvo-conductu, cujus terminus penitus instabat, denegato, a sua obedientia repulit, vacuosque remisit, prout de præmissis omnibus & singulis constat per publica & authentica documenta; & tandem suis anticardinalibus ne cum ipsis nunciis nostris et regis Franciæ ambassiatoribus loquerentur, et ne se invicem congregarent, nec civitatem Lucanam sine ipsius licentia speciali exirent, sub magnis poenis prohibendo interdixit, et satis cito ad nonnullorum anticardinalium creationem, non obstantibus propriis voto & juramento, processit. Anticardinales vero præmissa considerantes, & ipsius Angelum ad bonum unionis ex præmissis & aliis indispositum attendentes, ab eo recesserunt, seque adpræfatam civitatem Pisanam transtulerunt.

VIII.

Verum, quod referre piget & exprimimus cum dolore, considerantes quod humani generis inimico, pacis æmulo procurante, a dicto Angelo obtinere nequivimus super materia unionis alium effectum. Et propter nonnulla etiam contra personam nostram, statum & honorem sedis apostolicæ atque nostrum, ut fide dignis relatibus accepimus, innovata & attentata, hic deinceps absque personali periculo nostro & nostrorum moram trahere non valemus, nolentes Deum tentare, imminente periculo, de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium consilio & eorum frequenti instantia pulsati, deliberavimus recedere, & nos cum collegio nostro hoc turbationis tempore reponere in securo. Sed ne videremur, sicuti nec intendimus quacumque adversitate intercedente, hujusmodi prosecutionem unionis dimittere sic neglectam, de dicto fratrum nostrorum consilio deliberavimus nuncios nostros plena potestate suffultos hic dimittere, qui tam cum dicto Angelo; si vellet ad cor reverti, quam cum suis prætensis cardinalibus possent ad effectum oblatorum procedere efficaciter in agendis. Quia tamen impedientibus ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri regis Francorum illustris, in his partibus moram trahentibus, salvus conductus dictis nunciis nostris necessarius obtineri non potuit, licet non credamus hoc de dicti regis voluntate & conscientia processisse, eosdem nuncios dimittere nequivimus ob prædictæ securitatis defectum.

IX.

Præmissis itaque in animo sæpius recensitis, ad tanta discrimina revelanda dirigentes aciem nostræ mentis, levamus oculos nostros ad Deum, unde provenire nobis auxilium & humiliter petimus & devote speramus. Et quia in his adhibere remedium licet ad nos ex officii debito pertineat, interest tamen generaliter fidelium omnium nos cum eisdem fratribus nostris aliisque viris prudentibus frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatibus instantia exigit, de ipsorum fratrum consilio, generale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis longævæ observationis nos instruit, juxta sacrorum canonum instituta celebrandum in loco Perpiniani Elnensis dioecesis, decrevimus convocandum, ut in eo tam circa præmissa & ea quæ exstirpationem præsentis schismatis & unionis accelerationem concernunt, quam circa alia quæ salutem respiciunt animarum & ecclesiæ statum pacificum & tranquillum, illa, Deo auctore, inveniatur provisio, per quam, eradicato schismate, roborata fide, sedatis discordiis, pace firmata, ac ejusdem sanctæ matris ecclesiæ ac Christianæ religionis statu debite reparato, tollat scissuras, nobisque remedia aperiat, idem ipse qui novit, & facultatem tribuat sicut potest, quod in præmissis, juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possumus ad sui nominis laudem & gloriam sempiternam, & in præsenti ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani. Verum licet prosecutio tanti propositi majori tempore indigeret, tamen ex quibusdam urgentibus causis, præsertim acceleratione præfatæ unionis, conceptum terminum perstringentes, ut brevius feliciusque negotium hujusmodi, auctore Domino, optatum sortiatur effectum, festum Omnium Sanctorum proxime futurum ad id duximus deputandum.

X.

Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos fratres archiepiscopi, episcopi, & dilecti filii electi, & abbates exemti & non exemti, quos etiam in vim præstiti juramenti requirimus, & ceteri ecclesiarum prælati, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis ac tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremtorie assignamus, in præfato loco Perpignani, vos nostro conspectui personaliter præsentetis, ad ea quæ in dicto concilio tractanda occurrent, solers &o-

Anno Christi 1409.

& operosum studium impensuri. Capitula vero ecclesiarum omnium tam cathedralium quam aliarum & conventus monasteriorum, quibus per vos archiepiscopum & episcopos cum omni celeritate volumus id mandari, ad idem concilium viros idoneos pro se mittant, quibus ad omnia, quæ in dicto concilio statuentur, fient & ordinabuntur ac fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica et autentica documenta, non obstantibus quibuscumque privilegiis seu indulgentiis quibusvis personis, ordini, dignitati, seu collegio, sub quacumque verborum forma vel expressione ab apostolica sede concessis, per quæ possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Circa personarum vero et evictionum numerum tali moderamine observato, ut nullus pomposus aut inanis gloriæ quæsitor, sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quod ecclesiæ sibi commisse nequaquam onerosus existat. Non est tamen nostræ intentionis per hæc ab iis quæ per nos super cessione et unione dicto Angelo per litteras nostras oblata sunt recedere, aut illa quovismodo suspendere seu prorogare: quin immo illa intendimus interim et continue efficaciter, quantum in nobis fuerit, prosequi & exequi toto posse. Datum apud Portum-Veneris Januensis diœcesis XVII. calendas Julii, pontificatus nostri anno XIV.

EPISTOLA FRANCISCI

Archiepiscopi Narbonensis, ad cardinales,

De deliberatis in concilio Perpiniani.

Ex eodem pag. 915. Ex MS. Illustr. D. Chauvel.

Reverendissimis in Christo patribus & dominis meis, præcipuis dominis G. Penestrinensi, N. Albanensi J. Ostiensi, P. Aniciensi, P. de Thureyo, A. de Salutiis, & P. S. Angeli S. R. E. cardinalibus.

Reverendissimi patres & domini mei præcipui, debita recommendatione præmissa. Per relationem domini Boqueranni decretorum doctoris legentis Avenione, & pro parte universitatis studii apud Perpinianum missi ad concilium, juxta mandatum apostolicum eis factum, qui Dominica proxime præterita de dicto concilio rediit, percepi quod post proposita ea super quibus per ipsum concilium deliberari petebatur, de quibus paternitates vestræ reverendissimæ per magistrum Johannem Guyardi informatæ, ut teneo, ad plenum fuerunt, advisatum fuit post aliquas consultationes, quod pro faciliori agendorum expeditione eligerentur ex omni multitudine viri LX. boni testimonii, quorum deliberationi staret totum concilium. Deinde quia difficulter illi convenire poterant, segniusque expedirent negotia, pluries fuit numerus ipse a XXX. redactus; sed & iterum post aliquot dies etiam ipsi XXX. fuerunt ad X. dumtaxat restricti, videlicet reverendissimos patres dominos Tholosanum et de Chalanco cardinales, dominos patriarcham Antiochensem, archiepiscopos Cæsaraugustensem, & Tarraconensem, cancellarium regis Castellæ, episcopos Valentiæ, Mimatensem, & Condomensem, ac generalem fratrum prædicatorum. Et isti omnes post sua multiplicia tenta consilia, et cum quibus voluerunt, collatione habita, remanserunt in his conclusionibus, videlicet quod contra regem et regales processus dudum facti non aggravarentur. Secundo, quod via cessionis pro pace ecclesiæ alias acceptata et oblata executioni demandetur. Tertio, quod pro ipsa executione fienda, papa, si debitas et sufficientes securitates habere possit, Pisis se transferat. Quarto, quod non habitis dictis securitatibus, personas idoneas cum plena et irrevocabili potestate cedendi, alio cedente, illuc mittat. Et hæc deliberatio de voluntate totius concilii debebat heri, quæ fuit III. hujus mensis, dici et in scriptis dari papæ omnibus præsentibus qui ad concilium mandati fuerunt. Hæc eadem in effectu etiam mihi dixerunt die Lunæ proxime præterita dominus Johannes de Belloforti legum doctor, et Franciscus Ruffini, redeuntes de Perpiniano, cum bullis promotionis domini Johannis Bertrandi ad ecclesiam Gebennensem. An autem ita se res habeat ignoro; sed relata et a quibus significo. Cum autem alia supervenerint, illico scribam paternitatibus vestris reverendis, quas conservare dignetur benedictus Filius Virginis feliciter in longævum. Scriptum in Villa-nova die IV. Januarii.

Vester totus Franciscus archiepiscopus Narbonensis Romanæ ecclesiæ camerarius.

EPISTOLA BENEDICTI XIII.

Ad Petrum cardinalem S. Susannæ.

Mandat ut accedat ad dictum Perpiniani concilium.

Ex eod. pag. 8.. Ex MS. Laure.. Leodie.. & Illu.. D. Ch..

Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio P. tituli sanctæ Susannæ presbytero cardinali S. et A. B.

Nuper tempore nostri recessus de portu-Veneris, sicut ad tuam devenisse notitiam non ambigimus, de fratrum nostrorum consilio, generale concilium apud Perpinianum Elnensis dioecesis, in festo Omnium-sanctorum proxime futuro celebrandum duximus auctoritate apostolica convocandum, nostras super hoc archiepiscopis, episcopis, electis, et aliis ecclesiarum prælatis, ceterisque qui ad concilium evocari consueverunt, litteras in forma debita nostra sub bulla dirigendo. Et licet consuetudo non habeat, quod venerabiles fratres nostri cardinales ad concilium per litteras evocentur, cum a latere summi pontificis, cujus honorabilia sunt membra, elongari non debeant, sed quod ei assistant experientia doceat et necessitas id expostcat. Tamen quia tua et aliorum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assistentia in tanto negotio carere nolumus nec debemus, pro tanto circumspectioni tuæ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus omni excusatione seposita, terminum etiam præveniendo præfatum, ut tecum et aliis fratribus nostris de agendis in dicto concilio

cilio deliberare possimus, te nostro conspectui in dicto loco Perpiniani studeas præsentare, in hoc taliter te habendo, quod cum honore ecclesiæ ad bonum unionis prospere cuncta succedant, gratumque Deo et nobis occurrat quod egeris in præmissis. Datum apud Cocumliberum Elnensis dioecesis idibus julii, pontificatus nostri anno XIV.

Jo. Pinchon.

Sub eodem tenore scribit Nicolao Albanensi episcopo in codice Chauveliniano.

COPIA CEDULARUM IN CONCILIO

Perpiniani traditarum per dominum papam Benedictum XIII.

eodem . 128. MS. II- r. Abb. elin.

CUm per sereniffimum dominum Sigismundum regem Romanorum fuerit supplicatum domino nostro papæ Benedicto XIII. quod ipse qui propter antiquitatem & scientiam & negotiorum experientiam debet præ ceteris ista scire, velit viam vel vias aperire per quam vel per quas possit in Dei ecclesia breviter unio haberi; prædictus dominus noster papa, respondet quod ad providendum saluti animarum, & ad obviandum erroribus & schismatibus, qui sunt & oriri possunt, via securior & salubrior est viæ justitiæ, quam ipse semper obtulit & offert, quæ faciliter videri potest. Si tamen præfatus dominus rex & alii ad prædictam viam condescendere nolunt; sed in via renunciationis persistunt, dominus noster respondet, quod amoto obstaculo Pisano, sicut continebatur in schedula tradita per episcopum Zamorensem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratus erat propter Dei servitium & ipsius ecclesiæ unionem renunciare papatui, proviso tamen prius sufficienter, quod reges & principes Christianitatis assumendo seu eligendo in posterum ad papatum tamquam vero Christi vicario obediant, & quod futura electio fiat canonice, & in loco securo statim post ejus renunciationem, super quorum practica placet domino nostro aliquas personas assignare, quæ simul cum aliquibus per dictum regem Romanorum assignandis præmissa videant & concordent. F. Rouvera.

Tenor vero cedulæ oblatæ per episcopum Zamorensem, de qua supra fit mentio, sequitur & est talis.

I.

Nos talis & talis, &c. ambasciatores et nuncii missi per concilium nunc residens Constantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes potestatem ad infra scripta, prout constat de eadem per instrumentum publicum tenoris sequentis. (*Inseratur.*) Anhelantes ad unionem ecclesiæ pervenire, reducentesque ad memoriam processum, acta, eventamenta, sententias et pronunciationes dudum Pisis contra dominum Petrum de Luna in sua obedientia Benedictum XIII. nominatum, cardinales et principes et alios sibi obedientes et adhærentes factos, facta et latas anno a nativitate Domini MCCCCIX. et inter cetera sententiam seu pronunciationem anno prædicto, die tali, mensis talis promulgatam, tenoris et continentiæ subsequentis. (*Inseratur.*) nomine supradicto dicimus, recognoscimus, annuntiamus, & declaramus prædictos processus, acta, eventamenta, et sententias, seu pronunciationes, nullos et nulla fuisse, et esse, et ad majorem cautelam, si et in quantum indigent, cassamus et annulamus, et pro cassis et nullis haberi volumus et habemus.

II.

Post hæc dominus noster papa super habenda practica et exsecutione dictæ viæ cessionis, quæ tota eidem domino regi Romanorum acceptabilis videbatur, certas assignavit personas ad tractandum et concordandum cum personis aliis per dictum regem Romanorum assignatis, et tandem habitis inter dictas personas aliquibus prolocutionibus, cum personæ hinc inde deputatæ super præmissis non concordarent, ne plus debito negotium differretur, idem dominus noster papa super dicta via cessionis eidem regi Romanorum cum una cedula XXVI. Octobris anni supradicti exhibita, practicas duas aperuit et obtulit tenoris sequentis.

III.

Sequitur practica super via renunciationis aperta per dominum nostrum papam Benedictum, ad instantiam illustrissimi principis domini Sigismundi Romanorum regis, cum protestatione quam semper fecit idem dominus noster papa, quod nullam aliam viam vel practicam intendit excludere, per quam possit schisma tolli, et ecclesia debite uniri, videlicet quod dominus noster papa Benedictus cessione per ipsum facta, eligat hac vice Romanum pontificem; quæ quidem via rationem habere videtur. Nam totum fundamentum quod prætenditur ad justificandum viam cessionis est propter dubietatem. Si dubietas est, ex consequenti insurgit dubietas circa jus eligendi papam, videlicet quæ sint illæ personæ ad quas, cessione per dictum dominum facta, pertineat potestas eligendi summum pontificem. Nunc est, sic, quod penes dominum nostrum videtur esse jus eligendi summum pontificem. Quæ quidem juris certitudo non redditur dubia vel incerta ex dubio juris aliorum. Nusquam enim factum est, quod actio alicujus alias certa reddatur dubia ex dubia replicatione adversarii. Quod autem apud dominum nostrum, cessione facta, resideat certum jus eligendi papam probatur, quia jus cardinalatus indubii, quod habuit tempore indubii papæ secundum adversariorum opinionem, apud ipsum residere videtur post dictam cessionem papatus, et hoc sive dicamus, quod cardinalis assumtus in papam non amittit ipso jure jus cardinalatus, cum ipsum non potuerint ligare aliqua jura positiva facientia vacare priora beneficia, per consecrationem pontificis; sive dicamus quod po-

posito quod ipso jure vacasset cardinalatus: quia tamen propter prætensum dubium papatus petitur via cessionis, post factam cessionem papatus, recuperat dignitatem pristinam cardinalatus. Et prædicta multa juri et rationi consona, ut apparet, per jura et opiniones, quæ si audire placuerit, poterunt explicari et ad propositum applicari. Et ista videtur brevis et utilis ad consequendam veram unionem ecclesiæ, et per quam tolluntur multa dubia et pericula, quæ in aliis practicis oriri possent.

IV.

Si tamen practica supradicta non placet, dominus noster ad ostendendum sincerum affectum, quem semper gessit et gerit ad pacem ecclesiæ consequendam, aperit cum protestationibus supradictis, practicam sequentem, quod de consensu præfati domini nostri papæ, domini cardinales compromittant de electione futura, quæ post cessionem domini nostri imminet fienda, in certos compromissarios, in numero de quo concordabitur. Qui quidem compromissarii potestatem habeant faciendi omnes vel eorum major pars dictam electionem, et consimiliter illi domini qui in alia obedientia se cardinales faciunt nominari, in personas alias compromittant, dantes eisdem consimilem potestatem cum approbatione congregationis Constantiensis. Qui quidem compromissarii tam isti quam illi ponantur in loco securo et sub tuta et fideli custodia, de qua fuerit concordatum, inclusi quilibet ad partem suam: disposito quod deliberatio utrorumque compromissarior. concurrat ad unam et eamdem personam assumendam ad papatum. Postea vero dicti compromissarii, videlicet utrique ad partem suam & per se ante actum electionis faciat scribi instrumentis authenticis deliberationem per se habitam de eligenda illa persona. In qua quidem deliberatione concurrant vota omnium vel majoris partis compromissariorum cujuslibet prædictarum duarum partium, & per aliquas medias personas utrique parti notificari faciant instrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromissarii alterius partis eligant personam concordatam antequam fiat cessio, & postea fiat cessio; qua cessione facta, statim eligant compromissarii prædictorum cardinalium domini nostri papæ dictam personam concordatam. Statim post hæc fiat præsentatio utriusque electionis separatim, tamen ipsi electo. Qui quidem electus acceptet papatum; & exinde pro vero Romano pontifice habeatur. Et ad hoc ut prædicti compromissarii non possint negotium dilatare, servetur in eis restrictio contenta, in capite *Ubi majus periculum* §. *Verum* de elect. lib. VI. Hoc addito, quod cum ipsi electores juxta tenorem dicti c. & §. pervenerint ad victum panis & vini, & aquæ tantum, ut in dicto §. continetur, & sic perseveraverint per decem dies quod non elegerint papam, ex tunc non ministretur eis nisi panis & aqua. F. Rovera.

V.

Post quarum practicarum apertionem & oblationem, nihil circa eas pro parte dicti regis Romanorum, nec pro parte eorum, qui asserebant se esse missos a dicta congregatione Constantiensi, fuit dictum vel propositum dicto domino nostro papæ, nec personis ad hoc per eum deputatis, sed obtinentes ab eo diem certam, videlicet XXX. prædicti mensis Octobris, ad proponendum aliqua quæ se velle proponere asserebant, certi ex dictis prætensis nunciis dictæ congregationis pro parte ejus; & certi alii pro parte dicti regis Romanorum, in præsentia ejusdem domini nostri papæ die prædicta palam assistente multitudine gentium copiosa, præmissis aliquibus præfationibus dominum nostrum papam prædictum monuerunt, rogaverunt, & requisierunt, quod suo juri papatus renunciare & cedere dignaretur, quibus pro parte ejusdem domini nostri papæ fuit ibidem responsum, quod ob salutem fidelium animarum, & ad evitandos errores, & ut vera unio in ecclesia sequeretur, opportebat ipsum debite providere; & quod nisi sic fieret, non satisfaceret Dei servitio, bono universalis ecclesiæ, oblationibus per se hactenus factis de via renunciationis, quæ modum & finem unionis habent annexos, neque sacris canonibus, per quos via renunciationis suis casibus ideo commendatur, quia fit ob finem boni, quod sequitur ex eadem, nec debito sui officii, cum providere super hoc ad eum spectet ex jure & prærogativa apostolicæ sedis: immo ad hoc compellunt ipsum divina jura pariter & humana, fuitque subjunctum in dicta responsione, quod dominus noster papa, ut bonus pastor, ad satisfaciendum supradictis, post oblationem quam fecit dicto serenissimo regi Romanorum de via cessionis papatus, prout in præinserta cedula continetur, duas super ea obtulit practicas, ad providendum quod per alteram unio universalis ecclesiæ habeatur, & non veniant majora schismata vel errores, de quibus verisimiliter dubitatur. Tandem pro parte domini nostri papæ fuerunt rogati, hortati, moniti & instantissime requisiti supradicti nuncii dictæ congregationis & præfatus serenissimus rex Romanorum in personis eorum, qui ibi erant nomine suo, quatenus præfatas practicas, vel alteram earum acceptarent, vel causas dicerent, aut dubia moverent cur acceptandæ non essent. Nam paratum se exhibebat & promotum dictis eorum satisfacere & dubia declarare; & si aliqua essent in dictis practicis rationabiliter corrigenda, emendanda, addenda, vel mutanda, illa volebat & se offerebat corrigere, emendare, addere, mutare. Qui quidem prætensi tam nuncii dictæ congregationis quam missi per dictum serenissimum regem Romanorum, nihil de suis vel dominorum eos mittentium intentionibus & conceptis super dictis practicis vel materia unionis ecclesiæ dicere vel aperire volentes, reiteratis sibi pro parte domini nostri papæ monitionibus, rogationibus, exhortationibus

ANNO CHRISTI 1409.

bus & requiſitionibus antedictis, ab ejus præſentia receſſerunt.

VI.

Et pro breviori expeditione dicti negotii ob Dei ſervitium & animarum ſalutem, placet eidem domino noſtro deſignando numerum compromiſſariorum, de quibus ſit mentio in practica per ipſum oblata, ad hoc condeſcendere, videlicet quod compromiſſarii de ſuo conſenſu per dominos cardinales eligendi ſint ſex, eligendi autem per illos dominos qui in alia obedientia ſe cardinales faciunt nominari, ſi de totidem pars alia non contentetur, ſint octo vel decem, aut ſi voluerint XII. Propterea volens idem dominus noſter ad deſignationem loci venire, de quo ſecundum dictam practicam eſt concordandum, offert locum & loca idonea infra ſuam obedientiam aſſignare cum ſufficientibus ſecuritatibus. Quæ loca ſi pars alia acceptare noluerit, licet multis attentis, ea non debeat refutare, nihilominus tamen placet eidem domino noſtro condeſcendere ad acceptandum Maſſiliam cum S. Victore, Niciam cum Villafranca, vel Saonam, non obſtante quod ſint in alia obedientia conſtitutæ; dum tamen de ſufficientibus ſecuritatibus ſit proviſum. F. Rovera.

VII.

Verum quia ad dicti domini noſtri auditum pervenit, quod aliqui ei inſidiantes & æmuli ex ejus verbis ſive ſcriptis pravos ſenſus & alienas extorquentes ſententias, linguaſque ſuas acuentes in malum, aſſeruerunt quod aliqui dicta ſeu ſcripta domini noſtri papæ a veritate & doctrina fidei catholicæ deviant, dubitetque an ſereniſſimus rex Aragonum aſſeverationem prædictam audiverit, idcirco, ut alias, dominus noſter papa proteſtatur expreſſe, quod ſi aliqua talia, quod abſit, umquam verbo vel ſcriptis dixerit, vel in futurum dicere ipſum contingeret, illa caſſat, revocat, & annullat, & vult pro caſſis revocatis & annullatis haberi, ipſamque ſacroſanctæ eccleſiæ determinationi ſubmittit, offertque ſe paratum, ſi ſibi intimentur ſeu deſignentur illa quæ prætenduntur, ſeu in poſterum prætenderentur a veritate & doctrina fidei catholicæ deviare, ſi tamen talia dixit, ſeu in poſterum per eum dici contingeret, quod non putat, mentem ſuam ſuper ipſis taliter declarare, quod evidenter apparebit, & revera ſic eſt intentionis ſuæ, non fuiſſe nec eſſe deviare a recta fide ſeu catholica veritate.

VIII.

Dominus noſter papa Benedictus XIII. pro habenda & conſequenda unione in Dei eccleſia obtulit primo in Perpigniano viam juſtitiæ, quam viam vel aliam rationabilem nunquam excluſit, nec intendit excludere. Ubi vero non acceptaretur via juſtitiæ, ſed in via renunciationis perſiſteretur, dominus noſter, amoto per prius obſtaculo Piſano, ſicut continetur, in cedula tradita per epiſcopum Zamorenſem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratum ſe obtulit propter Dei ſervitium, & ipſius eccleſiæ unionem renunciare papatui, proviſo per prius ſufficienter, quod reges & principes Chriſtianitatis aſſumendo ſeu eligendo in poſterum ad papatum tamquam Chriſti vero vicario obedirent, & quod futura electio fieret canonice in loco ſecuro ſtatim poſt ejus renunciationem.

IX.

Tenor vero cedulæ oblatæ per epiſcopum Zamorenſem, de qua ſupra ſit mentio, eſt iſte qui ſequitur. Nos talis & talis ambaſiatores & nuncii miſſi per concilium nunc reſidens Conſtantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes poteſtatem ad infra ſcripta, prout conſtat de eadem per inſtrumentum publicum tenoris ſequentis (*Inſeratur*) anhelantes, ad unionem eccleſiæ, &c. *ut ſupra*.

X.

Et prædictam renuntiationem idem dominus noſter obtulit cum una de ſequentibus practicis, videlicet quod idem dominus noſter papa ceſſione facta, eligeret hac vice Romanum pontificem. Nam ubi prætenditur per partem alteram dubietas papatus, etiam inſurgit dubietas cardinalatus, ſed ipſe ſolus poteſt dici ſecundum utramque partem indubius cardinalis, ſcilicet a ſanctæ memoriæ domino Gregorio indubitato papa factus. Igitur ad eum ſpectat electio.

XI.

Si tamen practica ſupradicta non placeret, obtulit aliam, videlicet quod de conſenſu præfati domini noſtri papæ domini cardinales compromitterent de electione futura, quæ poſt ceſſionem domini noſtri immineret fienda, in certos compromiſſarios numero ſex, qui quidem compromiſſarii poteſtatem haberent faciendi omnes, vel eorum major pars, dictam electionem; & conſimiliter illi domini, qui in alia obedientia cardinales ſe faciunt nominari, in perſonas alias compromitterent, dantes eis conſimilem poteſtatem, cum approbatione congregationis Conſtantiæ, & quod perſonæ illæ in quas ipſi ſic nominati cardinales compromitterent, ſi de totidem pars alia non contentaretur, ſint octo, vel decem, aut ſi voluerint duodecim. Qui quidem compromiſſarii tam iſti quam illi ponerentur in loco ſecuro, & ſub tuta & fideli cuſtodia, de qua foret concordatum, incluſi quilibet ad partem ſuam, diſpoſito quod deliberatio utrorumque compromiſſariorum concurreret ad unam & eamdem perſonam aſſumendam ad papatum. Poſtea vero dicti compromiſſarii, videlicet utrique ad partem ſuam & per ſe actum electionis facerent ſcribi in inſtrumentis authenticis, deliberationem per ſe habitam de eligenda illa perſona, in qua quidem deliberatione concurrerent vota omnium vel majoris partis compromiſſariorum cujuſlibet prædi-

dictarum duarum partium, & per aliquas medias personas utrique parti notificari instrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromissarii alterius partis eligerent personam concordatam antequam fieret cessio, & postea fieret cessio. Qua cessione facta, statim eligerent compromissarii prædictorum cardinalium domini nostri papæ dictam personam concordatam, & statim post hæc eodem tempore fieret præsentatio utriusque electionis separatim, tamen ipsi electo; qui quidem electus acceptaret papatum, & exinde pro vero Romano pontifice haberetur. Et ad hoc ut compromissarii non possent negotium dilatare, servaretur in eis restrictio contenta in cap. *Ubi majus periculum*, §. *Verum*, de elect. lib. VI. hoc addito, quod cum ipsi electores juxta tenorem dicti paragraphi pervenissent ad victum panis & aquæ * tantum, ut in dicto cap. continetur, & si perseverassent per X. dies, quod non elegissent papam, ex tunc non ministraretur eis nisi panis & aqua; offerens idem dominus noster locum & loca idonea infra suam obedientiam assignare cum sufficientibus securitatibus: quæ loca si pars alia acceptare nollet, licet multis attentis ea non deberet refutare, nihilominus tamen placebat eidem domino nostro condescendere ad acceptandam Massiliam cum S. Victore, Niciam cum Villa-franca, vel Saonam, non obstante quod sint in obedientia alia constitutæ, dum tamen sufficientibus securitatibus esset provisum.

* in edit. leg. *vini & aquæ*

XII.

Post quarum practicarum apertionem & oblationem, nihil circa eas pro parte prætensi regis Romanorum, nec pro parte eorum qui asserebant se esse missos a dicta congregatione Constantiæ fuit dictum vel propositum dicto domino nostro papæ, sed ruptis tractatibus de Perpiniano recesserunt. Deinde fecerunt tractatus suos cum rege Aragonum, qui seductus, ut credit, malis personis & sinistris informationibus, fecit fieri requisitiones dicto domino nostro valde injustas, & tendentes ad evidens periculum ecclesiæ in effectu, continentes quod papa statim renuntiaret, & quod postea fieret electio per illos ad quos expectaret; & in altera requisitionum continebatur, quod renuntiaret, & quod dicta electio fieret per concilium generale, ad quod, ut dicebatur, expectabat, quod apud intelligentes interpretabantur, hoc nihil aliud velle dicere, nisi quod papa dimitteret papatum, & deinde negotium disponeretur ad voluntatem & sub potestate dicti asserti imperatoris, sive sequeretur unio, sive non. Quibus requisitionibus pauca respondit, se ad requisita non posse condescendere sine offensione Dei. Et demum habuit recedere a Perpiniano, & ponere se in castro Paniscolæ, ad quod prohibiti sunt prælati per dominum regem venire, & alia eventamenta sunt facta satis inhonesta & valde impedientia prosecutionem unionis. Quibus omnibus non obstantibus, dictus dominus noster papa deliberavit, quod si aliqua supradictarum practicarum illi de parte adversa non acceptent, ipse dominus noster papa ad magis exonerandam conscientiam suam, & ut Deus & mundus cognoscant, quod non stetit, nec stat per eum, quin unio vera in ecclesia Dei habeatur, & Deus in extremo judicio requirat de manibus illorum qui turbarunt seu impedierunt, & turbant seu impediunt pacem ecclesiæ, est paratus renuntiare juri suo verissimo, quod habet in papatu, si illi qui in parte alia dicunt se cardinales, & alii de congregatione Constantiæ acceptaverint, & efficaciter ad executionem, quantum ad eos exspectabit, deduxerint practicam sequentem.

XIII.

Et per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & etiam approbante suo sacro concilio, quod continuatur ubicumque ipse est, eligantur certæ personæ, & per illos dominos, qui in alia parte dicunt se cardinales cum consensu dictæ congregationis eligantur totidem personæ, vel plures, si plures voluerint, quæ omnes personæ sic electæ habeant convenire in loco uno securo, & intrare conclave sub tuta & fideli custodia, quas personas dominus noster papa de plenitudine potestatis, tollendo processus & sententias, quantum ad actum electionis requiratur, habilitabit meliori modo & forma quibus poterit, in quantum claves ecclesiæ se extendunt, quibus omnibus per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & approbatione sui concilii, datur potestas eligendi summum pontificem post cessionem dicti domini nostri papæ, sic quod illud quod omnes vel major pars personarum cujuslibet partis faciet, sit firmum & validum; & si personæ electæ per illos de parte adversa acceptaverint, simpliciter potestatem per dominum nostrum papam eis, ut supra continetur, concessam, procedant omnes simul facta cessione dicti domini nostri, quæ tunc fieri habeat & non ante, quando prædictæ personæ omnes erunt clausæ, in conclavi sub sufficienti custodia, & juraverint & alias se obligaverint procedere fideliter cum effectu in negotio, prout fuerit concordatum. Si autem dictæ personæ alterius partis acceptaverint potestatem pro se & in quantum, quod tunc personæ istius partis protestentur publice vel secrete, quod in quantum dictæ personæ alterius partis innitantur potestati catholicæ, in tantum cum ipsis intendunt procedere, & simul eligere: in quantum autem innituntur potestati non veræ, non intendunt cum ipsis eligere, sed tantum suæ veræ potestati inniti, & secundum illam procedere & eligere verum papam.

XIV.

Et ut negotium acceleretur, dominus noster papa, si detur per illos ad quos expectabit modus, quod secure possint ire, stare, & redire, dabit plenam potestatem certis

tis-personis Deum timentibus, quæ accedant statim habitis securitatibus ad dictam congregationem Constantiæ, vel ad alium locum, si in alio loco fuerint personæ habentes potestatem a dictis assertis cardinalibus, & a dicta congregatione, quod personæ per dominum nostrum papam mittendæ vel major pars eorum, possint concordare de uno vel duobus locis inferius designandis, pro expeditione prædictorum, & de securitatibus & custodia fideli conclavis, de numero personarum, quæ eligere habent, & de modo conclavis ac de tempore conventionis & inclusionis, necnon de securitatibus sufficientibus pro domino nostro papa & suis, si personaliter vellet in dicto loco esse, & si nollet aut esset infirmitate impeditus, pro suo vel suis procuratoribus: quæ omnia per dictas personas concordata & obligata dominus noster papa, quantum ad eum spectabit, adimplebit.

Loca de quibus poterunt concordare sunt sequentia: Massilia cum monasterio S. Victoris, Niciacum loco & porta de Villafranc, locus de Monacho, cum aliquo alio propinquo, Sapona, Pisæ, cum Liburno civitas Vitula cum aliquo alio loco propinquo.

„ Actis concilii hujus Perpinianensis, Benedicti epistolam statim subdendam adjicio, authoritate Taurinensis codicis persuasus. Quo enim loco Martenis (qui primus illam vulgavit) codex legit: *In sacro generali concilio* (Perpinianensi) *quod celebravimus*; codex ille a me Taurini consultus, habet: *quod celebramus*. Ex quo haud inani conjectura deducas, epistolam hanc esse synodicam, adeoque & ab actis concilii nequaquam sejungendam. Damus ergo ex Martene Vet. Mon. tom. VII. pag. 981. adnotatis ad latus pagellæ ex Taurinensi cod. variantibus.

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Ad Cardinales.

Eos & omnes qui adversus eum procedebant excommunicat, & beneficiis ac dignitatibus privat.

[Dedit] [Ma]rt. Vet. [Mo]n. to. [VI]I pag. [98]1. ex [MS]S. Cod. [D.] Chau-[vel]in. nos [ex] MS. [Co]d. Tau-[rin]. variantes [adji]cimus. [(a)] MS. *Si [tyr]anni [saev]iunt, [eccle]siam &c.* [(b)] *Ante [præ]missa [(c)] Spes [in]concussibilis.*

BEnedictus, &c. venerabilibus fratribus G. Penestrinensi, N. Albanensi, Jo. Ostiensi, & P. Tusculanensi episcopis, ac dilectis filiis P. tituli S. Susannæ presbytero, Amedeo S. Mariæ-novæ, & P. S. Angeli diaconis cardinalibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Si adversus ecclesiam catholicam hæretici garriunt, si tyranni, (*a*) si eam perfidi persequuntur, hæc velut ante prævisa (*b*) fidelium mentium muniunt non concutiunt fundamentum. E Habent enim ut plurimum tentationum hujusmodi experimenta proventum, in quibus invalescit fidei nostræ robur, probata fidelium caritas fructibus meritorum foecundatur uberius, & spiritus inconfusibilis (*c*) continuis ducitur profectibus ad coronam. Sed si videat sponsa Christi infestos sibi fieri, in quibus speraverat homines pacis suæ, qui comedunt panes suos; si propugnatores suos in bello defensionis A quod adversus integritatis (*d*) suæ persecutores instruit, non solum desertores effici, verum etiam transfugas, (*e*) non immerito veteris querelæ verba resumens piis ad fideles Christicolas suspiriis ingemiscens, quod adversus eum pugnent filii degeneres, quibus improperans, ab eis quos enutriverat beneficiis & exaltaverat honoribus, proclamat se contemni. Videmus siquidem, vigente hoc turbine impacati temporis, & debemus (*f*) in hac lucta, quam pro salute Christiani populi experimur, nonnullos quos ecclesia deberet habere pro muro, tamquam solutas vel depulsas macerias non constare, quosdam cum mercenariis declinare, alios latere cum furibus, plures dissimulare B cum fictis, & filios, qui juvasse debuerant, in matris parricidium conspirasse, quos tamen paternæ dilectionis affectu optamus a tam horrendo lapsu retrahere, ut non cogamur eos pro demeritis justo damnare judicio; sed dum extat locus veniæ, ipsos volumus (*g*) ad paterni favoris gremium & semitam reducere veritatis.

Apostolicis ergo monitis, o filii, aures, quæsumus, intentas adhibete, ac filialis accommodate promtitudinis intellectum, nec videantur dura & amara quæ scribimus; sed ipsa animos vestros, considerato scribentis affectu, molliant, & in salutiferæ monitionis consideratione dulcescant. Nuper siqui- C dem litteras vestras recepimus, quarum repetita series sub celato verborum sacrorum velamine, quædam, cum pace loquendo, aliter quam se veritas habeat, expressa; nonnulla juris; alia vero facti errores plurimos continebant. Scripsistis etenim vos prosequi de mandato nostro concilii generalis viam, cujus convocationem ad vos & illos, quos vobis participes adjunxistis, asseritis pertinere, per verba tumentia nos ad causam, ut scribitis, provocantes. Unde post multa quibus in aliis nostris litteris brevi satis epilogo comprehensa respondimus, pro nunc solum nos ad illa convertimus, quæ videmini comminando subjungere, quod D nisi vestris monitis & requisitionibus annuamus, contra nos ad electionem, immo verius intrusionem antipapæ novi, & infelicissimi procedetis.

Verum quia vobis jam per nostras præfatas litteras veritatem gestæ rei continentes, intimavimus nostræ intentionis propositum, & quæ pro felici agendorum ad consequendam, concedente Domino, veram ecclesiæ unionem in sacro generali concilio, quod celebravimus (*h*) de fratrum nostrorum consilio, & eodem supplicante & approbante concilio, per nos conclusa sunt publicavimus, & prædictos juris & facti in vestris litteris contentos errores deteximus satis clare, ac per nostros solemnes nuncios, quos ad vos & ad partes ipsas destinamus, plena super agendorum executione potestate suffultos, qui solum pro recessu salvos-conductus præstolantur, iterum ad scripta per vos nostra responsa dirigimus. Unde ulteriora verba pro nunc depromere non curamus, sed solum providere circa illa, quæ in confusione ecclesiæ & totius Christianitatis redundantia, si fierent, quod absit, earumdem

(*d*) *Prosperitatis*
(*e*) *Transfugas mansores.*
(*f*) *Dolemus.*
(*g*) *Valeamus.*
(*h*) *Celebramus.*

ANNO CHRISTI 1409.

dem litterarum artifex maturius discussisset, ne producta fuissent in lucem, quæ confinxit ejusdem artificis invectiva, nec de vobis videtur id esse verisimiliter præsumendum. Nonne esset mirabilis, immo & miserabilis in personis tam gravibus inauditæ præsumtionis audacia, quæ propriæ salutis prodiga, & in ejus detrimentum armata, obedientiæ, quæ victimis est præstantior, semitis relegatis, viros tam doctos & tam excellentes ab ecclesia & in ecclesia sublimatos, sic efficeret abusuros scientia, sic pro tantis beneficiis receptis ingratos redderet, sic in malorum profundum impelleret finaliter descensuros, ut ipsi inconsutilem Domini tunicam, cui crucifixorum manus pepercerunt, ecclesiæ videlicet unitatem tam inhoneste scindere, tam turpiter, tam impie, & tam infideliter obstinata elatione (*a*) attentarent iterum discerpere, quod non valent. Hoc enim non esset unire ecclesiam, sed pro gravi desolatione fidelium & magno præsagio & prænuncio antichristi, manifestæ in templo Dei abominationis idolum infideli præsumtione & damnata insolentia collocare, & nedum suo schismata (*b*) & hæreses libenter, ut vestro parceremus pudori, silentio tegeremus.

(a) Electione.

(b) Nedum subschismata, & hæreses; sed quandam novam sectam introducere, fidei catholicæ aversantem. Hæc autem libenter &c.

Sed quia, (*c*) ut præmittitur, per diversa mundi climata destinastis, nos volentes Dei populum nobis creditum a tam periculosis erroribus præservare, licet jam per constitutiones apostolicas in jure clausas, & alias a nobis contra talia attentantes editas salubriter sit provisum, etiam pro Christianæ fidei tuitione contra vos & alios talia attentantes in virtute Altissimi assurgentes, de fratrum nostrorum consilio & præfati (*d*) sacri collegii supplici requisitione pulsati, ipso etiam approbante, circumspectionem vestram paternis monitis & salutaribus requisitionibus exhortamur in Domino, quatenus ut vestræ dignitatis professioni (*e*) conformes nobis & nunciis, quos, ut præmittitur, destinamus, assistatis consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis, ad veram unionem ecclesiæ debitæ prosequendam, vosque insuper & vestrum quemlibet sub debito fidelitatis, quo nobis & ecclesiæ Romanæ astricti estis, requirimus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus a prædicto nefando intrusionis, quam vos electionem dicitis, proposito penitus desistatis; & nihilominus ne processum quemcumque, seu declarationem aliquam, cum nullo jure eam facere possitis, super prædictis vel ea concernentibus seu alias contra nos facere præsumatis seu attentetis; ne ad electionem vel postulationem, provisionem, seu verius intrusionem cujuscumque in apostolica sede procedatis, vel super hoc vota vel prænominationes (*f*) ullas detis, aut faciatis; & ne de eligendo, vel potius intrudendo aliquem in papatu, cum quacumque vel quibuscumque persona vel personis colloquium vel tractatum aut deliberationem ullo modo habeatis aut faciatis, nec ad aliquod papatorium (*g*) pro dicta postulatione, electione, seu verius intrusione facienda verbo vel scriptura vel alias qualitercumque cum prædictis, quos vobis, ut prædicitur, participes adjunxistis, aut aliis quibuscumque, vel sine eis, universaliter vel sigillatim (*b*) procedatur, vobis de certa scientia & expresse auctoritate apostolica districtius inhibemus, decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate vel potius temeritate scienter vel ignoranter hactenus attentatum fuit, vel imposterum contigerit attentari.

(c) Ad Hæc

(d) Præfati concilii.

(e) Professio novam rem conformet nobis de nunciis.

(f) Monitiones.

(g) Præparatorium.

(b) Singulariter.

Quod si nostris spretis monitis, requisitionibus, vel mandatis, vos culpabiles seu contumaces reddideritis in prædictis, ad processuum declarationem contra nos vel intrusionem hujusmodi, quam vos electionem dicitis, procedentes, ut tam execrabilis præsumptionis audacia, sicut est juri consonum, in suæ temeritatis initio, virga correctionis, & justitiæ conteratur; volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod in ipso inchoationis exordio statim cum ad tam damnatæ perfidiæ processus declarationis contra nos seu electionis, immo verius intrusionis actum seu executionis, conventionis, & prolationis ...... (*i*) .... præsumpseritis, prosilire, etiam ante consumationem hujusmodi prolationis vel actus privationis, depositionis, excommunicationis, & alias infrascriptas pœnas & sententias vos incurrere ipso facto. Vos enim & vestrum quemlibet & alios quoscumque vobiscum & sine vobis ad talia procedentes vobisque assistentes, & dantes auxilium, consilium vel favorem, cujuscumque status, gradus, præeminentiæ, dignitatis seu conditionis existant, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, aut alia quacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis sententia, a qua nullus possit nisi in mortis articulo, præterquam a nobis vel successoribus nostris canonice intrantibus, absolutionis beneficium obtinere, innodamus & ab omni cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus dignitate, honore, statu, & commodo, ac titulo & executione ordinum deponimus & depositos esse decernimus, judicamusque schismaticos & blasphemos, ac vos & eos omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus & prælaturis perpetue privamus, ac reddimus inhabiles ad habenda; omnemque personam præsentem & futuram, cujuscumque fuerit præeminentiæ, aut status, seu dignitatis, ecclesiastici seu mundani, quæ scienter & deliberate, vos vel vestrum aliquem pro cardinalibus habuerit, aut tenuerit, aut ad cardinalatum admiserit, (*k*) aut in pontificem Romanum elegerit, nominaverit, assumpserit, vel receperit, seu dederit in his vel ad hæc consilium, auxilium vel favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, a qua absque licentia Romani pontificis non possit absolvi nec per apostolicæ sedis majorem pœnitentiarium, aut quemcumque alium eadem sede vacante, præterquam in mortis articulo, ut est dictum, eumque prælatione, dignitate, statu & honore ecclesiasticis omnino privamus. Nihilominus omnes, qui vobis & aliis prædictis in schismate & rebellione persistentibus favorem vel auxilium præbuerint, excommunicationis sententia innodantes. Alia

(i) prolationis i... tium.

(k) Seu (...) totum ve... strum au... alicujus vestrum aut suffr... gium in lectione Romani pontifice admiseri aut.

ANNO CHRISTI 1409.

Alia autem circa præmissa per nos facta in nostris processibus & litteris bulla nostra munitis contenta, ac nostra constitutione perpetuo valitura ratificamus & approbamus, confirmamus, & etiam innodamus, eademque de novo facimus de fratrum consilio prædictorum; & ut tanta malitia non inveniat successorem, & punitæ transgressionis exemplar retrahat alios ab offensa, ac in oblivione veritas veniens non vagetur incerta, statuimus & etiam decernimus, ut & ipsa inviolabiliter observentur, & similes excessus & culpæ pœnis similibus puniantur, non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, indulgentiis, ac immunitatibus apostolicis a nobis vel prædecessoribus nostris Romanis pontificibus editis & concessis quibuscumque & qualitercumque & sub quacumque forma, A vel expressione verborum, etiamsi de illis & totis eorum tenoribus de verbo ad verbum specialis & expressa esset mentio facienda, & quamcumque clausulam derogatoriam contineant, quam & quas de nostra certa scientia & plenitudine potestatis tenore præsentium revocamus, in quantum possent prædictorum effectum suspendere impedire, vel sibi in aliquo derogare, seu in aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici, suspendi, seu privari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi ac eorum personis & locis, nominibus propriis, ordinibus seu dignitatibus mentionem & aliis contrariis B quibuscumque. Datum Perpiniani Elnensis dioecesis III. Martii, pontificatus nostri anno XV.

CONCILIUM AQUENSE

Trium Provinciarum pro designandis viris ad Pisanum concilium mittendis

Anno 1409. celebratum.

IN nomine Domini Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini 1409. die 22. Januarii Indict. 2. Noverint universi & singuli C præsens publicum instrumentum inspecturi, quod cum Reverendissimi in Christo PP. DD. DD. Aquen. Arelaten. & Ebredunen. Archiep. juxta mandatum literatorium factum per RR. in Christo PP. & DD. S. R. E. Card. in Civitate Pisana præsentialiter commorantes, consilium generale totius cleri dictarum trium provinciarum in præsenti civitate Aquensi convocari & coordinari fecissent, pro ambassiat. sive legatis mittendis sive dictam civit. Pisanam ad consilium generale cleri totius fidei christianæ per DD. cardin. utriusque collegii ordinatum & convocatum pro extirpatione tam pestiferi schismatis, quod, proh dolor, tandiu viguit, & adhuc D viget in ecclesia Sancta Dei, ad excitandum mentes fidelium christianorum, & pro tanto evidenti bono & utilitate totius Fidei catholicæ, & pro unione sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ fœliciter consequenda & recuperanda, & in instanti mensis Martii in eadem civitate Pisana proxime celebrando; hinc est quod congregato consilio totius cleri dictarum trium provinciarum, avidi tam salutare opus, tamquam utile & necessarium toti fidei Christianæ cum debito effectu conclusioni demandare, tractantes in et super hujusmodi salutifera materia, & ut operam, quantum in eis fuerit, in ea tribuant efficacem; omnes unanimes E & concordes, nemine discrepante, nominarunt, elegerunt, ordinaverunt, & constituerunt earum & dictarum singularum trium provinciarum ambassiatores, vicarios, sindicos, & procuratores RR. in Christo PP. & DD. Joannem episcopum Vapincensem, Paulum episcopum Massiliensem, Nicolaum episcopum Sistaricensem, Bernardum episcopum Dignensem, Ægidium Jumenis electum Foroliensem (Forojuliensem) & Joannem abbatem S. Victoris Massiliensem; necnon venerabiles & circumspectos viros Dominos Guillelmum Brum vicarium & officialem Arelatensem, Honoratum Boneti priorem de Gollono, Joannem de Salhonis vicarium, Dragunnam licentiatum in utroque jure, & Ludovicum Cymram legum doctorem canonicum Aquensem, ibidem præsentes, & omnes hujusmodi vicariatus & sindicatus & procurationes in se sponte suscipientem, & eorum quamlibet in solidum ad comparendum & se præsentandum coram præfatis DD. cardinalibus, & in atque coram consilio prælatorum in dicta civitate congregando, aut aliis, ad quos spectaret, & cum eis tractandi, declarandi, judicandi, terminadi, faciendi, peragendi & concludendi, tractataque, declarata, judicata, & terminata concludendi, videndi, & petendi; & eisdem tractatibus terminatis & conclusis auctoritatem præbere pariter & consensum, & alias faciendum, dicendum, tractandum, judicandum, & concludendum, quæ in præmissis, & quolibet præmissorum erunt necessaria & etiam opportuna, & quæ ipsimet DD. possent & valerent, si in præmissis præsentes personaliter interessent, & quæ merita causarum ipsarum postulabunt & requirent, etiamsi mandatum magis exigerunt speciale dantes & concedentes præfati DD. de consilio dictis DD. ambassiatoribus vicariis seu procuratoribus & eorum cuilibet circa præmissa & quodlibet præmissorum tam conjunctim quam divisim plenam liberam & firmam potestatem licentiam & mandatum speciale promittentes dicti DD. constituentes mihi notario infrascripto ut publicæ personæ stipulandi & recipiendi vice & nomine omnium singulorum, quorum interest & interesse poterit quomodolibet in futurum se gratum & firmum perpetuo habiturum omne id & quidquid per dictos DD. ambassiatores vicarios, seu procuratores aut eorum alterum actum dictum declaratum ju-

dicatum creatum gestum terminatum aut conclusum fuerit. Habita solemni stipulatione rem ratam haberi & judicio sisti & judicatum solvi cum omnibus & singulis opportunis. Eosque DD. ambassiatores & vicarios ab omni onere satis dandi relevando sub obligatione omnium bonorum dictorum DD. de consilio Ecclesiarum earum præsentium & futurorum, & sub omni juris & facti, quod hujusmodi negotium impediret, quomodolibet vel differri, & ibi ne æqualiter contrarietur renunciatione pariter & cautela. De quibus omnibus universis & singulis dicti DD. de consilio petierunt sibi & dictis DD. ambssiatoribus fieri publicum instrumentum & per me notarium publicum. Acta fuerunt hæc omnia et singula in domo capitulari Ecclesiæ cathedralis Aquensis videlicet in refectorio ubi dictum consilium est solitum teneri, præsentibus venerabilibus viris DD. Raimundo de Virduno canonico Aquensi, Thoma Vergavil de Novocastro viceoffic. Sallon. Arelatensis diœcesis, et Remondo Fancmatoris perpetuo beneficiario in Ecclesia Forojuliensi testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

SEQUUNTUR

Aliquæ propositiones utiles ad extinctionem præfati schismatis per viam concilii generalis.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 909. Ex MS. S. Laurentii Leodiens. & Chauv.

1. IN unitate capitis Christi plene & perfecte consistit unitas corporis mystici totius ecclesiæ Christianæ, juxta illud Apostoli: *Christus est caput ecclesiæ*, et illud: *Omnes unum corpus sumus in Christo*.

2. Licet papa, in quantum Christi vicarius, quodammodo dici possit caput ecclesiæ, tamen ecclesiæ unitas non necessario dependet aut originatur ab unitate papæ. Patet ex prima, et etiam quia nullo existente papa, semper ecclesia remanet una, juxta illud Canticorum: *Una est columba mea*, et juxta illud symboli: *Unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam*.

3. A Christo capite, ejus corpus mysticum, quod est ecclesia, originaliter et immediate potestatem habet et auctoritatem, ut ad suam unitatem conservandam rite valeat seipsam aut generale concilium ipsam repræsentans congregare. Patet ex illo verbo Christi: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum sum.* Ubi advertendum est, quod non dicit *in nomine Petri* vel *in nomine papæ*, sed *in nomine meo*, dans intelligere, quod ubicumque et a quocumque aggregentur fideles, dum tamen hoc fiat in nomine suo, hoc est in Christi fide, et pro ecclesiæ suæ salute, ipse assistit eis tamquam infallibilis director et rector.

4. Non solum auctoritate Christi, sed etiam communi jure naturali, præmissam auctoritatem sive potestatem habet corpus mysticum ecclesiæ Dei. Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni et destructioni; et si sit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra, omnesque vires suas ad conservandum suam unitatem, et repellendum suam divisionem. Similique modo quodlibet corpus civile seu civilis communitas, vel politia rite ordinata, adeoque corpus spirituale seu mysticum ecclesiæ Christianæ, quod ordinatissime compositum est, propter quod ecclesiastica politia in Canticis describitur *velut castrorum acies ordinata*, simili modo uti poterit ad suam unitatem conservandam et quamlibet schismaticam divisionem repellendam, tamquam suæ ordinatissimæ compositionis destructivam.

5. Præmissa auctoritate et auctoritativa potestate usa fuit ecclesia primitiva. Patet, quia in Actibus apostolorum quatuor leguntur concilia generalia congregata, et non habetur quod auctoritate Petri fuerint convocata, sed communi consensu ecclesiæ, et in uno Jerosolymis celebrato non Petrus, sed Jacobus illius loci episcopus legitur præfuisse, et sententiam protulisse.

6. Post incrementa nascentis ecclesiæ primitivæ, præmissa auctoritas et potestas congregandi generalia concilia, rationabiliter limitata fuit et restricta; sic scilicet quod sine auctoritate papæ nulli liceret concilia hujusmodi congregare. Patet ex juribus communibus, quæ habentur in decretis et decretalibus; et ratio fuit, ut honoraretur sedes apostolica, et obviaretur hæreticis et schismaticis, qui quandoque ad libitum per potentiam principum sæcularium concilia vocari et congregari procurabant ad suorum errorum fulcimentum.

7. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit quin prædicta auctoritativa potestas semper absolute remaneat in ipsa universali ecclesia. Patet, quia jura positiva non possunt ab ecclesia absolute tollere illam potestatem, quæ ei competit divino et naturali jure.

8. Non obstante limitatione & restrictione præmissa, in certis casibus ecclesia sine auctoritate papæ potest generale concilium celebrare. Patet ex prædicta, & etiam quia quod est in favorem ecclesiæ introductum, non est in ejus damnum & grave periculum observandum. Sed prædicta limitatio seu restrictio, quæ in favorem ecclesiæ jure positivo legitur introducta, ut dictum est, posset in certis casibus eidem gravissime præjudicare, & specialiter possunt tres casus assignari. Primus est, si vacante sede occurreret hæresis vel alia ecclesiæ persecutio, cui esset per generale concilium obviandum. Secundus est, si in casu necessitatis vel manifestæ utilitatis vocandi concilium papa esset furiosus, vel hæreticus, vel alias ad hoc inutilis aut insufficiens, vel si super hoc requisitus concilium vocare recusaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius, si plures essent contendentes de papatu, ita quod nulli eorum tota obediret ecclesia, nec ad alicujus eorum aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti schismate. In his ergo & similibus casibus clare patet ex præmissis, quod absque auctoritate papæ posset & deberet ecclesia generale concilium celebrare.

9. Jura positiva, quæ communiter dicunt quod absque auctoritate papæ non est fas generale concilium congregari, debent civiliter in-

ANNO CHRISTI 1409.

intelligi; scilicet quando est unicus papa concorditer ab ecclesia receptus, ad congregandum hujusmodi concilium, evidente utilitate idoneus & apparatus. Patet ex prædictis, & ex doctrina Aristotelis in Ethicis, ubi loquitur de epicheia.

10. Pro sedando præsenti schismate absque papæ auctoritate, immo ipso contradicente, potest auctoritate universalis ecclesiæ generale concilium congregari, & non solum per dominos cardinales convocari, sed etiam in casu per quoscumque fideles, qui vel auctoritativa potestate, vel caritativa monitione scirent, si possent, ad exsecutionem tanti boni cooperari. Patet ex præmissis, & etiam quia in tanta necessitate omnes fideles, & specialiter majores & potentiores debent ecclesiæ succurrere, & malis ejus tam evidentibus celerius occurrere. Possent autem ad præmissa rationes & auctoritates tam divini quam humani juris indici; sed bene affectatis ista sufficiunt, & in fundamento prædicto possent sæpe ædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter respicientes concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto, quia ita clare sequuntur ex præmissis, ut eas non sit necessarium bene intelligentibus amplius declarare. In civitate Aquensi prima Januarii anno MCCCCIX. per episcopum Cameracensem.

Fuerunt ordinata quæ sequuntur in Francia.

d. pag. 2. MS-S. urentii od.

PRimo, quod prælati utantur libertatibus sibi competentibus.

2. Item, quod non curetur de reservationibus factis per dominum Benedictum.

3. Item, quod ad beneficia electiva eligant capitula seu illi ad quos seu ad quæ spectat eligere.

4. Item, quod collativa conferant ordinarii.

5. Item, quod ordinarii suppleant negligentias exemtorum suæ dioecesis, si non habeant alium superiorem a papa.

6. Item, durante hoc tempore, delegati papales non procedant etiam in causis cœptis.

7. Item, quod causæ coeptæ coram delegatis papalibus continuentur coram ordinariis a quibus non fuit appellatum; in statu in quo erant coram delegatis prædictis.

8. Item, quod causæ pendentes coram delegatis papalibus non continuentur coram ordinariis, a quibus fuerat appellatum, sed coram superioribus ipsorum.

9. Item, quod deficientibus superioribus, ut quod fuerat appellatum ab archiepiscopo non habente primatem, continuabitur causa, ut supra, in concilio provinciali.

10. Item, quod adveniente casu prædicto, concilium provinciale committat seu deleget causam, ut sic in superioritatibus remaneat, in tali casu semper penes ipsum concilium, & sic semper appellabitur ad ipsum concilium.

11. Item quod de appellantibus interpositis ad papam omisso medio, cognoscent illi ad quos debuerat appellari, ut si omisso medio supra archiepiscopo fuerat appellatum ad papam, de ista causa cognoscet archiepiscopus omissus, ad quem debuerat appellari.

12. Item, quod pendente hoc tempore, appellatio interponenda ab archiepiscopo ad papam, ut quia archiepiscopus non habet alium superiorem, interponatur ad concilium provinciale.

13. Item, quod concilium provinciale ad quod est appellatum, committat ut est dictum supra.

14. Item, quod de causis exemtorum non habentium alium superiorem a papa, cognoscent ordinarii, quia alias cognovissent, nisi exemtio obstitisset.

15. Item, quod a prælatis exemtis appellabitur ad illum, ad quem appellaretur, si non fuisset exemtus.

16. Item, quod electiones exemtorum confirmabunt ordinarii superiores, qui confirmarent, si non fuissent exemti.

17. Item, quod concilia provincialia teneantur.

18. Item, quod ipsa concilia provincialia mandabit archiepiscopus, vel ipso absente de causis episcoporum illius Provinciæ, si sit alias antiquior episcopus promotione illius provinciæ, mandabit ipsum concilium.

19. Item, quod concilia provincialia monachorum teneantur de triennio ad triennium, prout jura volunt.

20. Item, est ordinatum quod in concilio generali agatur, de tribus: primo & principaliter de unione sanctæ matris ecclesiæ; secundo, de libertatibus ecclesiæ recuperandis; tertio, de unione ecclesiæ orientalis, hoc est Græcorum, & occidentalis, hoc est nostræ.

21. Item, quod pendente hoc tempore, pro absolutionibus habendis in casibus reservatis, adeatur major poenitentiarius; et si est casus de quo non possit absolvere, absolvat ordinarius propter pericula animarum, prout fecisset, si reservatio non obstitisset.

22. Item, fuit ordinatum quod de qualibet provincia vadant ad minus XII. personæ notabiles.

23. Item, de provincia Narbonensi sunt ordinati pro eundo ad concilium dominus archiepiscopus Narbonensis, dominus patriarcha Alexandrinus, qui tenet in commendam ecclesiam Carcassonensem suffraganeam ecclesiæ Narbonensis, et domini episcopi Uticensis, Nemausensis et Lodevensis, suffraganei ecclesiæ Narbonensis, et tres abbates, scilicet de Crassa, Anianæ et S. Ægidii.

24. Item pro ecclesia metropolitana et tota provincia vadunt alii numero quinque, vel sex solemnes viri graduati.

25. Ordinatum est quod dominus archiepiscopus habeat in qualibet die quatuor francos pro expensis, dominus patriarcha propter dignitatem suam recipiat qualibet die alios quatuor francos pro expensis, et quilibet dominorum episcoporum recipiant pro die tres francos, et quilibet abbatum recipiat duos francos pro die, et quilibet aliorum recipiat pro die XX. solidos Parisienses, qui valent XXV. solidos Turonenses.

26. Item, ordinatum est, quod quælibet provincia provideat suis, hoc est illis quos mittet.

ANNO CHRISTI 1409.

27. Item, ordinatum eſt quod in iſtis expenſis, contribuant omnes habentes beneficia in provincia, etiamſi ſint Cœleſtini, vel Carthuſienſes, vel Hoſpitalarii, ſeu alii quicumque, et etiam omnes gaudentes privilegio clericali.

28. Eſt ordinatum, quod contribuendo in dictis expenſis ſint exemti tantum domini cardinales, cum ſint in concilio.

29. Item, domini Ciſtercienſes, quia dominus abbas Ciſtercienſis ſe obtulit, acceſſurus ad concilium expenſis ordinis Ciſtercienſis cum XII. abbatibus graduatis notabilibus ſui ordinis.

30. Item, eximuntur etiam clerici a contribuendo pro bonis temporalibus quæ habent, pro quibus contribuunt cum laicis in collectis ſeu tallis.

31. Item, eſt ordinatum quod expenſæ prædictæ dividantur et leventur per dioeceſim, et quod quilibet dominus epiſcopus levet in ſua dioeceſi partem contingentem ſuam, et quod imploret brachium contra nolentes ſolvere ratam ipſos contingentem.

32. Item, eſt ordinatum quod in civitate Piſana quælibet provincia ſtet per ſe ſimul et non ſeparatim, nec mixtim cum alia.

33. Item, eſt apunctuatum quod quælibet provinciæ mittant bona hora pro habendo alogiamentum, pro omnibus ſuis, ſimiliter præparetur, quod ibi ſit magna multitudo gentium.

34. Item, aliqui prælati proponunt illuc mittere proviſiones, quia dubitatur de cariſtia.

35. Fuit concluſum et arreſtatum in concilio generali cleri trium provinciarum, videlicet Arelatenſis, Aquenſis et Ebredunenſis celebrato Aquis de menſe Januario, per dominos prælatos et totum clerum, qui convenerunt ibidem, quod ſupraſcripta capitula ſerventur et teneantur quantum eos tangit, in tribus provinciis antedictis, conformando ſe concilio et eccleſiæ Gallicanæ.

Datum in Tarraſcone per me F. epiſcopum Cameracenſem X. Januarii.

Ibid. pag. 916. Ex MS. Illuſtr. D. Chauvel.

(a) Hæ propoſitiones datæ ſunt Aquis an. 1409. Januarii prima die, easque deſcriptas ex MS. S. Laurentii Leodienſ. modo edidimus. *Martene.*

PRæſuppoſitis decem propoſitionibus (*a*) quibus ſtabilire viſus ſum concilium generale in civitate Piſana proxime congregandum, in eis fundari poſſe videntur aliæ propoſitiones quæ ſequuntur.

1. Duo domini contendentes de papatu dictum concilium tenentur approbare & ratificare, & quantum in eis eſt validare.

2. Dicti contendentes tenentur in præmiſſo concilio per ſe aut procuratores, vel nuncios idoneos & ſufficienter fundatos ad ea tractanda quæ expedient unioni eccleſiæ, comparere.

Patent dictæ duæ propoſitiones, quia cum occaſione dictorum duorum contendentium perſeveret ſchiſma tamdiu inveteratum, ipſi præ ceteris Chriſtianis principaliter tenentur ad ea quæ faciunt ad extirpationem ſchiſmatis prædicti; & ad accelerationem unionis eccleſiæ, cujuſmodi ſunt præmiſſa.

Nec in hac parte obviare debet utilitati publicæ univerſalis eccleſiæ, particularis ſubtractio vel neutralitas eis facta in aliquibus partibus, regnis ſive provinciis ſuæ obedientiæ, quam aliqui objiciunt, quia juxta communem jurium ſententiam ſeu regulam, expoliatis epiſcopis reſtitutio danda antequam ullum crimen eis objici poſſit, quodque induciæ poſt reſtitutionem præſtandæ ſunt antequam ad concilium convocentur. Hoc enim non obſtat. Nam in multis caſibus fallit regula de reſtitutione ſpoliatorum. Falluntur etiam qui textus jurium more Judaico nimis litteraliter intelligendo, hic applicare conantur, contra illud Apoſtoli: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

3. Utilius videretur pro acceleratione unionis prædictæ dictos contendentes per procuratores aut nuncios, quam per ſeipſos perſonaliter dicto concilio comparere. Patet ex difficultatibus jam expertis ſuper conventione perſonali, & etiam quia multa generalia concilia in majoribus cauſis fidei leguntur celebrata ſine præſentia papæ perſonali.

4. Dicti contendentes tenentur in præmiſſo concilio ad finem unionis eccleſiæ viam ceſſionis efficaciter offerre. Patet ex promiſſionibus, juramentis, votis, & bullis eorum, ubique divulgatis, & etiam ex communi conſenſu fere omnium fidelium in hanc ſententiam concordantium.

5. Si dicti concordantes ad præmiſſa facienda ſufficienter evocati & moniti, ea facere obſtinanter recuſent aut negligant, dictum concilium licite contra eos procedere poterit, tamquam contra principales fautores ſchiſmatis, & de hæreſi ſuſpectos, ac Chriſtianæ politiæ illuſores. Patet ex præmiſſis. Videtur tamen ad majorem cautelam expedire, eos ad præmiſſa facienda evocari & moneri, non ſolum ex parte cardinalium, ſed etiam auctoritate totius eccleſiæ ſeu generalis concilii eam repræſentantis.

6. In caſu præmiſſo prædictum concilium licite poſſet, rejectis dictis contendentibus, ad novam electionem ſummi pontificis procedere, ſeu procedendum eſſe decernere. Patet ex præmiſſis. Et notanter dixi dictum concilium hoc poſſe, propter aliqua dubia, quæ poſſent in hac parte moveri circa poteſtatem cardinalium, prout alibi tetigi.

7. In caſu præmiſſo, quamvis liceret, tamen non eſt clarum, an expediret ad dictam novam electionem procedere. Patet, quia ſecundum doctrinam Apoſtoli, quam verbo & exemplo docuit, multa licent quæ non expediunt. Ideo in hoc caſu quamvis liceret dictam electionem facere, tamen forte non expediret, niſi clare pateret, quod tali electioni tota Chriſtianitas adhæreret, vel ſaltem talis aut tanta portio, quæ ſufficeret adhærentiam ſeu obedientiam dictorum contendentium tollere, & ſchiſma penitus extirpare; alioquin hoc eſſet antiquo ſchiſmati novum ſuperaddere; & ſic eſſet error forte perículoſior & pejor priore. Si autem ad tollendum hujuſmodi erroris periculum dicta electio aliquamdiu differretur, magna opus eſſet prudentia, ad dictam generalem adhærentiam interim procurandam, & ad unionem eccleſiæ tandem per novam electionem faciendam, ſuper qua re ad præſens loqui non præſumo.

8. In

ANNO CHRISTI 1409. 8. In casu quo fieret electio nova antequam clare appareret de adhærentia prædicta, saltim ad obviandum errori præmisso, providendum esset, quod noviter eligendus arctaretur ad viam cessionis; si eo cedente alii duo offerrent se cessuros. Patet quia hoc schisma totaliter posset tolli, & alias posset irreparabiliter confirmari. Per hoc etiam ostenderetur, dictam electionem non ex carnali, sed ex spirituali affectione processisse. Unde merito possent fideles ad talis electionis adhærentiam facilius & ferventius inclinari.

9. In casu præmisso, non obstante processu contra dictos duos contendentes, ad eos tamen reducendum in viam veritatis, præfigendus esset eis terminus, infra quem, si vellent efficaciter exsequi viam cessionis, provideretur eis de honesto statu & securo auctoritate concilii generalis. Patet quia etiam non debet claudere gremium redeunti, & etiam quia talis provisio posset esse occasio citioris terminationis schismatis.

10. Si uno dictorum contendentium indicta contumacia remanente, alter ad ea ad quæ tenetur, ut præfertur, in dicto concilio efficaciter se offerret, illo rejecto, videretur iste merito auctoritate ecclesiæ in papam assumendus. Patet, quia prima facie videtur, quod quis probabiliter se reputans verum papam, non teneatur cedere, nisi quando ex sua cessione sequitur exterminatio schismatis & conclusio unionis: quæ tamen non sequeretur in casu isto ex cessione istius. Quare rationabilius videretur, quod iste in papam assumeretur, quam quod unus tertius sibi invito subrogaretur, maxime quia dignum & justum est, eum ex tam sancto opere præmium reportare. Hoc etiam dicere, est utrumque dictorum contendentium ad debitum suum exsequendum suaviter excitare: quod omnino expedit, attenta hujus materiæ prolixitate; & hæc brevitatis causa sine allegationibus dicta sunt absque temeraria assertione.

AD PISANUM CONCILIUM UNIVERSALE

Pro tollendo schismate

Anno 1409. habitum

COLLECTORIS PRÆFATIO.

1409. QUO ad nostram ætatem propius accedunt concilia, eo magis documentorum e publicis petita tabulis copia ditantur, qua rerum in iis gestarum narratio locupletior fit, & magis asserta fides. Cum enim minorem temporis injuriam senserint archiva, quo res nobis propinquiores condunt, eo fideliora sunt in creditis sibi olim tabulis servandis, reddendisque. Hujusmodi assertionis meæ nullum proferrem testimonium certius supra Concilium istud Pisanum, quod ingenti documentorum satellitio decoratum ad nos pervenit. Cossartius adjecit non modica. Hardtius quædam; alia de Chastenet in supplem. ad novam hist. Conc. Constant. Super hos demum omnes de Concilio hoc egregie meruerunt PP. Martene & Durand, qui in Anecdotis primum documenta in eam rem dederunt quidem pauca; at in tomo VII. Veterum Monumentorum tam multa vulgarunt, ut Pisano huic Concilio accessionem his quæ hucusque edita sunt, triplo majorem fecerint. Mihi pariter documenta in eam rem perquirenti eventus non infelix respondit; nam & ex codicibus Felini Sandæi, canonistæ ætate sua celebris, in bibliotheca Canonicorum majoris ecclesiæ Lucanæ servatis, quædam extraxi antehac nuspiam vulgata; de quibus suo loco. Alia pariter investiganti mihi suffecit MS. codex bibliothecæ Regiæ Universitatis Taurinensis, quem permissione Caroli Emmanuelis Sardiniæ regis; principis literarum bono nati, mecum communicavit vir eruditissimus, mihique in primis amicissimus Josephus Pasini meritissimus bibliothecæ illius curator. Ex Martenianis hisce, meis, Ughellianis nonnullis, Anglicanisque ex Wilkins petitis compingitur ingens hæc, quam adornandam suscipio, ad Concilium Pisanum additio, in qua quid rei præstiterim Lectoribus meis hic paucis exponere opportunum judicavi.

Documenta ad Pisanum Concilium illustrandum daturus Martene, rem altius exorditur; ab ipso nempe Clementis VII. obitu, cum de reddenda ecclesiæ pace cogitari serius coepit, adnitente in primis Carolo VI. Galliarum rege; item regibus Castellæ, Navarræ, Angliæ. Tunc instituta ad Benedictum XIII. Clementis successorem legatio, quam regii sanguinis principes obierunt, petitura, nomine regis sui, ut quam optimam Galliarum præsules censuerant in rem præsentem, abdicationem pontificatus in gratiam pacis admitteret. Monita legatis data habes apud eumdem Martene Vet. Monum. to. VII. pag. 437. Gestorum a legatis documenta e publicis descripta tabulis sunt ibid. pag. 466. sicut & actorum totius legationis narrationem historicam legas ibi pag. 479. & deinceps. Multæ dehinc succedunt literæ a Cardinalibus factionis Benedicti ad Galliarum regem, aliosque datæ, quibus significant perseverare se in voluntate pontificem suadendi ut pontificatum dimitteret ad pacem ecclesiæ. Nihil impetratum. Nec ea res magis serio agebatur a Bonifacio IX. ad quem jussu regis Anglorum missus Robertus heremicola, qui & a Benedicto legatione ad eundem fungebatur. Acta legationis hujus referuntur ibid. pag. 597. atque anno 1397. a Martene assignatur. Ita per plures annos inter varias tractationes, ludificationes, legationes inanes res extracta est. Quarum tractationum, ludificationum &c. acta varia suppeditat opus idem pag. 997.

997. & Anecd. to. II. pag. 1140. Inter hæc rex Galliæ ſpontaneam pontificatus abdicationem, ab æmulo utroque præſtandam, quam ipſe urgebat, ab utroque refugi intelligens, ab utriuſque pontificis imperio receſſit; quod in Gallicano concilio anni 1390. decretum eſt; eaque ſanctione edita, multa dehinc alia pro eccleſiæ acephalæ regimine ſtatuta ſunt legenda Vet. Mon. pag. 593. Seceſſionem hanc ab obſequio Benedicti principes alii, & privatæ eccleſiæ plures imitatæ ſunt; quarum rerum acta, & documenta ſuppeditat Vet. Mon. to. VII. pag. 601. 602. 610. Cardinales pariter Benedicti ab obedientia pontificis ſui receſſerunt per literas vulgatas a Baluzio in collect. Actor. ad vitas Papar. Avenion. to. II. pag. 1131. Idem exemplum ſequutus eſt Enricus Caſtellæ & Legionis rex, patentibus ea de re literis expeditis ibid. pag. 613.

Secundum hæc Benedictus papa in urbe, ædibuſque ſuis Avenioni obſideri cœpit; tunc variæ utrinque tractationes inſtitutæ. Martinus Aragoniæ rex Avenionem ſe contulit, ibique de componendo pontifice cum rege Galliarum tractavit. Quid cum Pontifice convenerit refert charta, quæ extat Vet. Mon. pag. 630. Miſſa tunc legatio Aragoniorum Lutetiam acceptas a rege Galliæ pacis ejuſdem conditiones ſcripto exaratas legendaſque ibid. pag. 638. retulit ad Benedictum, qui tandem conditiones illas pacis ſe C acceptururn ſpopondit, cujus ſponſionis publicum documentum habemus ibid. pag. 636. Ita demum ſoluta, ſeu relaxata obſidio; tuitionis chartæ in gratiam Benedicti oblatæ, atque ab Avenionenſibus productæ ibid. pag. 649. &c. Verum cum ad proponenda ſingula illa pacis ineundæ capita proceſſum eſſet, pontifex ambigue mentem ſuam expreſſit. Natæ inde variæ chartarum miſſitationes, quas chartas profert pag. 662. &c. Obſidio, latior quidem, adhuc tamen non ſoluta. Interim legati Caſtellæ & Aragon. non ceſſabant, ultro citroque reg. & pontif. convenientes, plenam abſolutamque pacem conciliandam tentare; quæ ab illis reſponſa acceperint, hæc ex publicis tabulis habes ibid. D 669. &c. Ita abſolutus annus 1399. Reliqui tunc ſuccedentes extracti ſunt in conſultationibus proponendis, in reſtitutione eccleſiarum in obſequium Benedicti molienda. Extant ibid. pag. 675. epiſcopi Lamorenſis regis Caſtellæ legati ad ea quæ coram rege propoſita fuerunt de concilio celebrando animadverſiones. Demum Benedicti proſtrata factio erigi paulatim coepit, nam Ludovicus II. rex Jeruſalem & Siciliæ rediit ad obſequium literis datis anno 1402. & recitatis Anecdot. to. II. pag. 1263. Item ſequenti anno cardinales Benedicti cum ſuo Pontifice concordarunt; cujus foederis acta publica repetas ex Anecdot. to. II. pag. 1266. Concordavit paulo poſt & Galliarum rex literis expeditis, vulgatiſque Vet. Mon. t. VII. pag. 677. &c. Secundum hæc Pontifex omnes illatas ſibi injurias remiſit, bulla ibi pag. 681. producta; quam dein aliæ ſubſequutæ ſunt bullæ pro extinctione ſchiſmatis multa pollicentes, ut de generali concilio habendo, de pace quacumque tandem ratio- A ne componenda. Vide ibid. pag. 682. &c. Id vero conſilii ſe olim habuiſſe, & nunc pariter menti ſedere pandit literis anno 1405. datis, quibus geſta a ſe omnia ea in re apud æmulos pontifices late perſequitur ibid. pag. 686. Præcedenti anno Bonifacio IX. decedenti ſubſtitutus fuerat Innocentius VII. cum antea cardinales in conclavi omni ſeſe religione obſtrinxiſſent operam ſe poſituros ſollicitam in eccleſiæ conjunctionem. Formulam, in quam jurarunt, ſuppetit Anec. to. II. pag. 1275. Quid tunc facto opus eſſet, ut quæ offerebatur potiundæ pacis ratio iniretur, regi Galliarum, & ore, & ſcripto iidem cardinales panderunt exhibita ſcheda ibid. pag. 1278. vulgata. Sequutæ dein literæ B Joannis ducis Bituricenſis ad Innocentium, & Innocentii ad eundem, quarum illæ ceſſionis viam urgebant, iſtæ paratum ad omnia pontificem exhibebant. Vet. Mon. to. VII. pag. 698. &c. Vertente anno nempe 1406. obiit Innocentius, cui Gregorius XII. ſuffectus eſt, qui in ipſo ſtatim electionis ſuæ limine conſueta jurisjurandi religione ſeſe obligavit, qua & poſt electionem ſe iterum devinxit. Formulam utramque dat Antonius de Butrio in conſultatione ad concilium Piſanum data, & a me primum hic vulganda. Continuo ea de re expeditæ ſunt a cardinalibus literæ ad Colonienſem academiam, quæ aliis a ſe datis ad Cardin. Leodienſem, ad novum electum, & ad Cardd. reſpondit gaudere ſe de aſſumptione pontificis, a quo pax optata jure ſperanda eſſet. Anecdot. pag. 1280. &c. Miſſæ ſunt pariter a Cardinalibus de electione a ſe præſtita literæ ad Rupertum Romanorum regem Vet. Mon. pag. 725. miſſæ & ad cardinales Benedicti a Gregorio ipſo pontifice, rogante ut pro ſchiſmate extirpando ſecum laborent ibid. pag. 726. Scripſit & ad eoſdem cardinales ea de cauſa cardinalis Avinionenſis ibid. pag. 723. Ita & Aquilejenſis ad Pariſienſem univerſitatem; Leodicenſis ad eamdem Anec. pag. 1288. &c. Ad regem Galliæ Gregorius; a quo & ad archiepiſcopum Magdeburgenſem & ad univerſos Chriſtifideles. Vet. Mon. pag. 727. Alias ibi pariter legas literas Benedicti XIII. ad cardinales Gregorii, ejuſdem ad regem Francorum, ad Ludovicum ducem Aurelianenſem, quibus omnibus ſignificat offerenti omnem operam Gregorio in pacem eccleſiæ, ſe pariter ad omnia paratum reſpondiſſe. Vet. Mon. pag. 735.

Succedenti anno Pariſienſis univerſitas gravari ſe in multis ſentiens a Benedicto die VI. Jan. anni 1407. ſententiam appellationis ad generale concilium pronunciavit. Habes illam Anec. pag. 1295. Gregorius interim legationem direxit ad Benedictum, ut de re E præſenti cum illo conveniret. Legationis patentes literas legas Vet. Mon. pag. 737. ubi & literæ ea de re a Gregorio ad Carolum Francorum regem, & ad cardinales Benedicti, ad Benedictum ejuſque cardinales iterum ibid. pag. 743. &c.

Anno eodem 1407. pacta quædam inter legatos Gregorii & Benedictum XIII. Maſſiliæ conventa, ac ſubſcripta ſunt, quæ habes Anec. pag. 1314. ſicut & legationis hu-

hujus acta dantur Vet. Mon. pag. 730. Est ibi pariter consultatio episcopi Roffensis per epistolam directam Romam ad Gregorium de cessione utriusque contendentis &c.

Inter pacta utrinque constituta unum erat, idemque potissimum, ut Saonam, quæ Genuensis ditionis urbs est, ambo æmuli convenirent; qua de re expeditæ sunt securitatis literæ pro Gregorio a Buccicaldo, qui Gallorum nomine Genuensis ditionis præfecturam gerebat; habentur vero illæ Anec. pag. 1322. Deprecabatur Gregorius pro loci ad conveniendum designati mutatione, cujusmodi deprecationis plures extant ejus literæ, & chartæ Anec. pag. 1344. 1347. Vet. Mon. pag. 759. &c. Interea Gallorum legatio nobilis ad utrumque æmulum deputatur, expeditis ad selectos viros patentibus literis ac de rebus tractandis monitis adjectis Anec. pag. 1344. 1347. Conqueritur de hac legatione Gregorius datis ad Benedictum literis, Vet. Mon. pag. 767. Quid vero Benedictus, quid Gregorius legatis hisce responderint narrant chartæ Anec. pag. 1363. 1367. unde & discimus quæ Gregorius reposuerit legatis Benedicti ad se missis. Legitur ibi pariter responsio Cardinalium Gregorii, quos legati illi compellarunt pag. 1375. Dum hæc agerentur, Benedictus Massiliæ agens Cardinales aliquot suos Avenione morantes consuluit, quid sentirent de mutatione loci a Gregorio exacta; reposuerunt illi Pisanam Urbem admitti tuto posse. Literas dat Anec. pag. 1378. Pervenerunt interea legati Gregorii, alium a Saona destinari locum postulantes: instare se pactis, & conventis dixit Benedictus, nec permissurum, ut nova interim tractatio instituereretur, cujus verba scriptis excepta a tabellionibus legas ibid. pag. 1386.

Ita rebus sese habentibus pervenit Saonam Benedictus, ubi agebat die VII. Novembris anni 1407. qua die signatur charta illi Saonæ agenti oblata de triplici ratione schismatis tollendi, quam habes Ane. pag. 1365. Audita ibi legatio a Gregorio missa, cujus acta proferuntur Anec. pag. 1386. Audita & alia a rege Castellæ quæ post Benedictum ad Gregorium Senis agentem venit, rediitque ad Benedictum: frustra omnia (Anec. pag. 1389)

Tandem Lucam venit Gregorius, ibique de novis cardinalibus renunciandis mentem suam prodidit. Obstitere Cardinales, obtendentes exasperari his posse Benedictum, eoque novo impedimento pacis optatæ exitum retardari. His obstaculis minime prohibitus Gregorius cardinales reipsa dixit; intelligenique indignatus cardinales seniores secessionem meditari, vetuit, ne ex urbe recederent. Pontificis jussione neglecta ex illis aliqui aufugerunt Pisas. Ab hoc cardinalium recessu exordium sumam actorum, quæ Pisano concilio præmittenda duxi. Nam hinc potissimum duci prima velut stamina coeperunt quibus tela hæc ordiretur. Est vero notior reliqua concilii historia quam hic repeti ex integro debeat. Sunt tamen quædam tangenda in gratiam actorum, quæ hic subjunguntur.

Fuga dilapsi cardinales Gregorii, primo omnium Pisis residentes provocationem ad futurum pontificem & ad concilium ab iis, in quibus se a pontifice gravatos querebantur, interposuerunt. Datæ literæ etiam ad omnes circumquaque Christianæ Reipublicæ principes, quibus secessionis suæ consilium approbant, mentemque habere se versam ad pacem ecclesiæ procurandam testantur. Extant illæ apud Labbeum to. XV. pag. 1275. Vene. edit. Secundum hæc cardinales illi Liburnum concesserunt cum cardinalibus nonnullis aversæ factionis acturi, assentiente primum Benedicto, dein repugnante, imo & datis ad eosdem cardinales suos literis vetante ne cum Gallicanis legatis agerent, communicarentque illis scriptam syngrapham testem sententiæ suæ de procuranda ecclesiæ pace per utriusque cessionem. Inhibitionem hanc pontificis dat appendix ad Labbeum ibid. pag. 1289. Tunc ab utroque collegio de habendo concilio tractatio coepta, eaque de re multa utrinque conventa sunt a nobis hic relata ex Martene. Hinc pariter literæ plures circumquaque expediuntur, aliæ quidem ab utroque collegio, aliæ ab alterutro; legendæ apud Labbeum tum inter acta concilii Pisani, cum in ejus appendice.

Interea cardinalium utrumque simul junctum collegium spopondit Deo teste, vovitque nunquam se recessurum a via cessionis, ejusque executioni concilium celebrandum statuit. Hanc ego sponsionem diei XXIX. Junii assignandam olim quidem censui, quod ita ferant omnes MSS. codices, e quibus eruta est a multis; nunc vero chronicas hasce notas mendosas suspicatus sic emendo; *die XXX.* seu *die penultima maii;* ita enim legerunt cardinales illi, qui die V. octobris hanc ipsam sponsionis syngrapham recognoverunt, cujus recognitionis suæ publicum testem voluerunt esse scriptum quoddam vulgatum dein ex Chastenet in appendice Veneta Labbei pag. 1346. Quamvis dein, & in posterioribus hisce tabulis sponsio illa iterum recitata diem *penultimam Junii* ut in vulgatis fert. Priorem lectionem signantem diem *penultimam maii* optimam esse idcirco reputo, quod concilii Pisani indictionem omnino posteriorem esse judicem sponsioni, qua se cardinales voti religione obstrinxerunt ad concilium habendum. Indictio vero concilii in literis cardinalium Gregorii signatur die XIV. junii; quamvis et ibi pariter inesse mendum suspicor ita reformandum *die XXIV.* junii: nam ex literis adjunctis bullæ huic de indictione concilii, discimus *post* illam cardinalium deliberationem utrumque pontificem peculiare concilium suum denunciasse, Gregorium Aquilejam vel Ravennam, alterum vero Perpinianum. Perpinianense enim concilium indixit Benedictus die XV. Junii. Ita ergo rem totam compono. Die penultima maii cardinales jurati voverunt concilium; reipsa vero indictum est a cardinalibus Gregorii die XIV. junii, statimque die

XV.

ANNO CHRISTI 1409.

XV. Benedictus Perpinianense concilium denunciavit.

Die XXIX. cardinales Gregorii literas destinant ad regem Gallorum, quarum apographum miserunt ad universitatem Parisiensem, eamque demereri sibi officio et causæ suæ afferta justitia student; ac paulo post, prima scilicet Julii, exemptos se ab omni pontificis subjectione pronunciant. Extant literæ apud Labb. pag. 1291. &c.

Secundum hæc Gregorius ab impactis criminibus se purgat litteris patentibus apud Labb. pag. 1295. Quatriduo vero post concilium a se habendum sive in Ravennatensi sive in Aquilejensi tractu denunciat, cujus indictionis literas dat Labbeus ad concilium Aquilejense. Nihilotamensecius suo insistentes consilio cardinales concilium Pisis futurum iterum dixerunt; qua de re cardin. Benedicti ad Benedictum; cardinales Gregorii ad Carolum Francorum regem literas dederunt. Harum istæ hic extant ex Martene, illæ apud Labbeum pag. 1124. Succedunt aliæ ad alios principes, tum & regiam Galliæ familiam, hic etiam excudendæ. Tunc auditas censeo legationes Venetorum & Florentinorum, sicut & aliam Senensium ad cardinales. Actum in illis de rebus cum Gregorio componendis, & re infecta reditum. Gesta prioris legationis hic supplentur ex Martene Anec. to. II. pag. 1411. posterioris dat Labbeus pag. 1308. ubi & refutationes legas. Gregorii bullæ pro concilio suo indicendo opposuerunt cardinales literas, quibus evincere conati sunt, omni illum facultate ad habendum oecumenicum concilium destitui. Dat illas Labb. pag. 1206. signanturque die XVI. Julii; quam pariter diem præferunt literæ eorundem cardinalium Gregorii ad Brunsuicensem & Luneburgensem duces concilio per legatos suos ut adsint rogantes (apud Labbe pag. 1312.)

Ut Pisas venirent cardinales Benedicti facultatem sibi a Florentinis, quibus urbs illa parebat, quærendam sumpserunt. Rescripserunt Florentini moram quidem in ditione Florentina se illis permittere non conventum cum cardinalibus alterius collegii, nec nisi transitum per urbes Pisarum, & Florentiæ; habes has literas hic ex Martene Vet. Mon. to. VII. pag. 819. signanturque die XXI. Julii. Eodem circiter tempore directam arbitror epistolam quatuor cardinalium ad Benedictum, quem de rebus a se gestis pro ecclesiæ conjunctione faciunt certiorem. Hic datur ex Martene.

Hac ipsa die XXI. julii Genuenses neutrum pontificem se deinceps observaturos palam profitentur ut ex tabulis, hic exhibitis ex Anecdotis Martene.

Reliquum inde temporis usque ad concilium extractum est in augenda cardinalium Pisanorum factione; afferenda futuri concilii authoritate, quam æmuli pontifices convellere nitebantur; ac demum principum favore aucupando. Hinc ad eorum coitionem socii accesserunt cardinales quatuor, de quorum adhæsione publicum extat documentum hic ex Martene relatum, signatumque die XXX. augusti. Attexuntur iis literæ aliæ de accessione Henrici episcopi Tusculani ferentes diem XIV. septembris; tum & aliæ pro Landulpho card. Barensi datæ V. Octobris; ac denique aliæ diei XI. octobris pro Joanne cardinali Astensi.

Paulo ante eam diem augusti, nimirum XXIX. ejusdem mensis Pisani cardinales, tanquam proprio jure agentes, literis expeditis Marchiæ Anconitanæ, & ducatus Spoletini præfecturam Petro tituli XII. Apost. card. committunt. Habes literas hic ex Martene.

Die VIII. septembris Hungariæ regem, ut episcopos regni sui ad concilium mittat per literas sollicitant. Ex Martene hic. Quin & aliis ea die scriptis Græcorum imperatorem ad id incitant. Hic ex Martene.

Diem XXIV. septembris præferunt aliæ cardinalium Benedicti literæ, quibus eum ut ad Pisanum concilium venire tandem consentiat sollicitant. Sunt in Labb. pag. 1167. His vero respondit Benedictus aliis literis signatis die IX. octobris oblatam ecclesiæ pacem his conditionibus recusans. Ibid. pag. 1171.

Nec Benedictum tantummodo, sed adhærentes Gregorio cardinales suis literis accersendos Pisani cardinales censuerunt; idque ut efficacius præstent justitiam causæ multis exaggerant. Literas dat Labbeus signatas die XI. octobris, iisque succedit datum a Gregorianis, & aliud ab ipso Gregorio responsum pag. 1306.

Interim Benedictus acceptam injuriam (ut interpretabatur) ab universitate Parisiensi & a legatis Gallicis in Italiam (quos omnes olim obsequentes, tunc imperium suum detrectantes sentiebat) decoquere non valens, diem illis dixit coram se intra dies LX. ad causam suam defendendam. Damus literas ex Martene, præferuntque diem XII. Kal. novembris. Sed tantum abfuerunt a metu Galli, ut die VI. novembris viros e suo coetu amplissimos Pisano concilio adfuturos designaverint. Legas hic catalogum, ex Martene, sed auctiorem ex MS. cod. Taurinensi.

Quanquam tamen eo utrinque processerat discordia, spes adhuc supererat quædam componendæ pacis cum Gegorio, & cardinalibus; cui tentandæ Sigismundus Hungariæ rex legatos suos miserat. Meminit legationis illius epistola Senonis Venetorum ducis ad cardinales hic legenda ex Martene data die IX. Novembris; per quos pariter dies cardinales regem Franciæ sollicitarunt, ut ad conventum in Germania mox habendum legatos suos mitteret. Literas a Martene acceptas hic reddimus. Legationis hujus exitus ignoratur, quanquam infelicem extitisse eventus demonstrat. Major hinc animus crescit Pisanis, nec eo despondérunt quod acceperint a rege Aragoniæ literas datas die XIV. novembris, nunciantes nullos missurum se viros delectos ad concilium, eo quod Perpinianensi concilio adfuturos legatos destinasset. Literæ sunt hic ex Martene. Vicissim rex Romanorum Wincislaus omnem illis favorem spopondit literis signatis die XXIV. Novembris. Ex Martene hic. Gregorius vero deseri se magis magisque intelligens, cardinales, ut redirent intra mensem, patentibus literis datis Arimini XIX.

XIX. Kal. Januarii vocavit; detrectantesque parere, dignitatibus omnibus aliis literis die XIX. Kal. Februarii anni 1409. multavit. Extant utræque literæ in Labbeo pag. 1318.

Sequenti anno 1409. Florentini facultatem fecerunt Benedicto, & cardinalibus factionis suæ, si forte interesse voluissent concilio, ut ad urbem Pisarum veniret; cujus facultatis expeditæ literæ signatæ die XIII. januarii; atque per hos dies conventum habuerunt frequentem de Gregorio deserendo consultantes. Ad conventum istum pertinentia omnia attuli, cum de conventu hoc agerem. Eodem exemplo Wenceslaus Romanorum rex ab obsequio Gregorii recessit. Profero literas ex Martene signatas die XXII. januarii. Ita Gregorii res accisæ; nec feliciores Benedicti, ad quem per hos ipsos dies cardinales factionis olim suæ literas dederunt signatas Pisis die XXV. januarii.

His omnibus frustra tentatis; in suo quæque pars consilio perseveravit. Cardinales literis circumquaque scriptis favorem sibi quærebant. Extat hic ex Martene eorum epistola ad Senenses de hoc argumento data die XI. Februarii; sicut & alia ad Florentinos ejusdem diei. Denique Benedictus die III. id. martii cardinales suos rebelles solemni ritu diris devovet, eamque sententiam illis intimat per epistolam eadem die signatam, quam hic edo ex Martene.

Concilium erat in limine; quare tunc discussa credo varia de ejus authoritate, de potestate quæ cardinalibus inest concilia in eo rerum articulo cogendi; auditus & Carolus Malatesta Arimini princeps, qui id enitebatur ut in gratiam Gregorii mutaretur locus habendi Concilii; erat etiam in promptu consultatio universitatis Bononiensis, & aliæ nonnullæ, quas omnes hic damus ex Mart. Vet. Mon. to. VII. & Anec. to. II. Addimus ad rei complementum inedita quædam fragmenta, scilicet quoddam Antonii de Burrio juris utriusque consultissimi ex MS. Lucensi codice acceptum. Porro consultatio ista alia plane est ab ea quæ legitur inter consilia Jurisconsulti hujus excusa num. CCCXIX. & apud Bzovium ad an. 1407. recurrit. Posteriorem hanc lucubrationem, utpote ejusdem fere argumenti cum hac nostra, cum nec novitatis gratiam habeat, omittendam hic censui.

His omnibus diligenter paratis processum est ad concilium, cujus historia in actis ex Martene afferendis diligenter & fuse describitur. Addere tamen hic juvat ea, quæ Petrus Ancharanus, jurisconsultorum ætate sua facile princeps, respondit concilii nomine legatis Ruperti Romanorum regis postulantibus concilii illius abrogationem, & alterius alibi celebrandi indictionem. Hanc ego orationem in sessione concilii VII. peroratam primus evulgo, quamvis alii ante me se dedisse blanditi sunt. Qua de re in præfatione ad eamdem orationem egi. Suppetunt hic pariter postulationes Caroli de Malatestis Ariminensis domini, cum responsis concilii ex Martene.

AD CONCILIUM PISANUM

ACTA PRÆVIA.

COPIA APPELLATIONIS

Interpositæ per cardinales illius de Roma papæ suo, postquam ipsi ab eo recedentes, venerunt de Luca apud civitatem Pisanam.

Affert Mart. Anecd. to. II. p. 1394.

IN Christi nomine. Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima, die dominico, trigesima mensis maji, hora tertiarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia papæ XII. anno secundo, in civitate Pisarum, in archiepiscopali palatio, videlicet in camera, in qua infrascriptus reverendissimus dominus Antonius episcopus Penestrinensis præsentialiter residebat, præsentibus ibidem magnifico & egregio viro Johanne quondam domini Francisci de Ursinis, Laurentio Amballi de Stepha & Necis, Valeriano de Fregia, paribus de Urbe, regionis Transtiberim, domino Bartholomæo Johannis de Monte Guvatio, domino Angelo Fuscis canonico Lateranensi & Lopo Ginisalvi canonico Laviacentii, & aliis quampluribus testibus ad hoc specialiter vocatis & rogatis.

Cum hoc sit, quod pridie, videlicet die Veneris quarta præsentis mensis Maii, hora tertiarum, vel quasi, præfatus dominus noster dominus Gregorius papa XII. infra scriptis & aliis reverendissimis dominis cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ tunc residentibus in civitate Lucana, certa mandata fecerit, de quibus infra fit mentio, ipsique infra descripti domini cardinales, quamvis prædicta mandata crederent, reputarent; immo tenentur fuisse & esse nulla & omnino invalida de jure, & in quantum forent aliqua, quod non credunt, vellent & cuperent appellare, & contra ea appellationis remedio se tueri, quod ad sublevationem gravatorum & oppressorum dignoscitur institutum; quia tamen eis facultas appellandi non affuit, propter justissimum metum qui cadere poterat in constantem, ut seriosius infra patet: idcirco prælibati domini cardinales, quorum, ut præfertur, nomina describuntur inferius, nunc consistentes in civitate Pisana & loco eis tuto, ac in quo omnis metus cessare dignoscitur, quam primum potuerunt opportunitate captata, ad præservationem juris sui, cum copiam personalem prælibati domini nostri papæ non haberent, nec etiam hic personaliter existentem, coram reverendis in Christo patribus dominis Thoma episcopo Carliolienti & Bartholomeo episcopo Alariensi, Bernahardo S. Michaelis de Podio Boniti ordinis S. Benedicti Florentinensis dioecesis, Guillelmo was-mo-

ANNO CHRISTI 1409.

monasterii ejusdem ordinis Londoniensis, et Valdassaro S. Michaelis de Passignano ordinis Vallis umbrosæ Fesulantis dioecesis, monasteriorum abbatibus, tamquam coram venerabilibus & honestis personis in dicto loco personaliter existentibus & sedentibus, infra scriptam appellationem infra scriptis legi fecerunt, ac ipsam interposuerunt & interponunt, ac apostolos petierunt & petunt, omni via & forma quibus melius & efficacius de jure possunt & debent: cujus quidem appellationis de verbo ad verbum tenor sequitur & est talis.

Coram sanctitate &c. reliqua habet Labbeus pag. 1395.

In fine hæc adduntur quæ desunt in Labbe.

Super qua appellatione cardinales antedicti apostolos instanter, instantius, instantissime petunt sibi tradi & exhiberi debere, protestantes quod hac eorum appellatione pendente nihil contra ipsos & in eorum præjudicium debeat quomodolibet attentari. Et quia in civitate Lucana eis non licebat sine maximo & eminenti suarum personarum periculo talem appellationem interponere & intimare: ideo ex tali justo metu distulerunt donec ad locum tutum devenerunt. Quare protestantur nec ex lapsu temporis præjudicium eis fiat. Quam quidem appellationem prædicti domini episcopi & abbates, coram quibus, ut præfertur, interposita fuit omnimoda via & forma quibus melius de jure potuerunt, & prout admiserunt, pariter & admittunt; super quibus etiam omnibus & singulis prælibatis domini cardinales petierunt a nobis notariis infra scriptis fieri & confici unum vel plura publica instrumenta ad dictamen si expediret sapientis. Actum in civitate Pisarum anno, mense, ac indictione, pontificatu, & loco quibus supra, ac præsentibus testibus suprascriptis.

SEQUUNTUR QUÆ FUERUNT AVISATA

Per dominos cardinales utriusque collegii, qui in Liburno convenerunt super facto unionis procurandæ.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 775. qui tamen & eadem monita ex alio MS. cod. iterum exhibet p. 795. Nos alterum ex altero emendavimus.

Primo cum evidenter constat de continuata pertinacia ac indispositione domini Gregorii ad omnem unionis habendæ, quod ulterius non est de necessitate requirendus; quia si requireretur, per dilationes vel per verbalem responsionem, quam non haberet in mente, impediret remedia, quæ sunt excogitata pro unione habenda.

2. Item, attenta dispositione utriusque contendentis de papatu, & recessu, est avisatum pro utili unione habenda, quod ecclesia debet congregari per collegia cardinalium; ita quod quodlibet collegium convocet prælatos suæ partis; quia in tali casu, juxta communes opiniones, ecclesia congregata est judex.

3. Item, quod congregentur ista concilia per cardinales ad festum purificationis Beatæ Mariæ prox. futurum, et in uno loco, si possibile fuerit, convocentur ambæ partes; alias in duobus locis propinquis, adeo ut facilius possit haberi accessus de uno ad alium.

4. Item, quod convocentur archiepiscopi, episcopi, abbates & capitula ecclesiarum cathedralium ac universitates studiorum.

5. Item, videtur aliquibus quod sint vocanda capita quatuor ordinum mendicantium, Coelestinorum & Carthusiensium.

6. Item, quod prædicta *incontinenter* (*a*) regibus & principibus, (*nuncientur b*) & requirantur de auxilio, et quod mittant solemnes suos deputatos; et quod faciant quantum in eis fuerit, quod prælati et alii vocati veniant ad concilium; et quod dent securitates in terris suis, omnibus venientibus ad dictum concilium; et quod non patiantur eos impediri per contendentes de papatu seu alterum ipsorum.

7. Item, quod dum vocabuntur prælati, et prædicta intimabuntur principibus, et quodlibet collegium prædicta intimet suo papæ, et requirat, quod in loco et termino intersit, et quod vocationi, quantum in eo fuerit, opem ferat; cum intimatione quod concilium seu ecclesia congregata disponet de extirpatione schismatis et unione habenda, ipsius absentia non obstante; et dum vocabitur in littera vocationis offerentur sibi debitæ securitates et libertates in veniendo, stando, et redeundo.

8. Item, est intentio quod quælibet pars in concilio disponat suum papam ad viam cessionis juratam, etc. et si disponi non possit, vel sit contumax, abjiciatur per concilium seu ecclesiam congregatam, tamquam schismaticus notorius, criminosus de enormibus, incorrigibilis, ecclesiam scandalisans et ut hæreticus.

9. Item, post renunciationem amborum, si ad hoc induci possunt, vel post abjectionem amborum cardinales utriusque collegii, æquato et pari numero hinc inde convenientes in unum, et facientes unum collegium, ad electionem procedant unici pastoris.

10. Item, est intentio quod licet a principio concilia teneantur divisim, tamen post quam deliberaverint, conveniant in uno loco simul in vinculo caritatis et pacis, et communicent quæ deliberaverint, et ex post fiat electio, ut superius est dictum.

11. Item, modus tenendi concilium in qualibet parte videtur esse talis, quod unus cardinalis proponet mala schismatis ipsius diuturnitate, et quæ sunt jurata et promissa per contendentes de via cessionis approbata ab omnibus fidelibus, et si potest haberi pax; et in casu absentiæ vel contradictionis petatur consilium (*c*) advocatis prælatis et aliis super illorum dejectione, secundum Deum et dispositiones canonum et *alia* (*d*) observata in Romana ecclesia.

12. Item, quod ex post cardinales qui censebuntur esse ibi pro Romana ecclesia, requirent vota et consilia singulorum prælatorum et aliorum vocatorum, et in scriptis redigantur eorum dicta, et ultimo cardinales dicant opiniones suas et vota sua et omnia ista fiant, et dicantur sine contradictione vocum, et quiete ac libere; taliter quod appareat, quod non voluntarie, Spiritu S. dictante omnia fiant.

13. Item, quod habitis vocibus et opinionibus ejus cardinalium, nomine totius concilii hujusmodi et ecclesiæ congregatæ pronunciet, declaret, vel statuat quæ fuerunt

(a) Deest
(b Intimentur.
(c) Pax
(d) Alia

Anno Christi 1409.

erunt per totum concilium deliberata, seu per majorem partem ipsius, quia sic fiebat olim in conciliis sanctorum patrum, in quibus dicebatur communiter *statuit S. synodus*, vel *S. concilium*, *&c.*

14. Item, quod in eodem concilio fiat, et ordinetur quod omnes qui fuerint vocati, etiam seculares, promittant observare quæ fuerint decreta & ordinata in concilio, & quod contradictores rebelles, etiam si (*a*) fuerit, rejectus a papatu, compescantur auctoritate concilii, per seculares etiam (*b*) alias potestates.

15. Item circa præmissa videntur præmittenda aliqua dubia quæ possunt occurrere, ad hoc ut eis respondeatur, & satisfiat si *fuerint* (*c*).

16. Primo quia forsan dicetur ab aliquibus, quod cardinales non potuerunt vocare concilium, sed potius quilibet qui gerit se pro papa, in parte sua, & hoc videtur habere colorem per §. V. *Huic etiam* XVIII. di. (*d*).

17. Item, posset fieri aliud dubium, si papa in concilio peteret, se restitui propter subtractiones, & neutralitates sibi factas. Talis petitio videretur habere colorem per §. *Item Symmachus* II. q. VII.

18. Item, posset moveri dubium, si papa compareret in concilio, vel peteret subtractos vel neutrales repelli a concilio, tamquam vocem non habentes: videtur hæc petitio etiam habere colorem per dictum §. *Huic etiam* XVII. di.

19. Item, posset fieri dubium quod licet papatu, non tamen propter negligentiam schismatis; quia licet schisma quandoque transeat in hæresim, non tamen reperitur jure cautum de negligentia schismatis extirpandi.

20. Item, si dicatur quod papa sit notorie pervicax (*e*) & fractor voti & scandalizans ecclesiam, ac incorrigibilis, & sic possit abiici juxta glos. cap. *Si papa* XL. di. illa glossa simpliciter posita non est vera, & reprehenditur a nonnullis.

21. Item, videtur per modum avisamenti, quod si contingat ante congregationem concilii, alterum de contendentibus decedere, illa pars, cujus papa decederet, non procederet ad novam electionem, sed expectetur concilium & ejus deliberatio.

22. Item, si ambo contendentes moriantur isto intermedio tempore, quanto citius fieri potest collegia conveniant ad deliberandum quid eo casu erit faciendum.

(*a*) Ad. *papa* (*b*) *Et ca-* (*c*) *Si fie-* (*d*) XVII. (*e*) Perju-

LITERÆ CARDINALIUM GREGORII AD PETRUM

De Portugario Aquilejensem patriarcham exauthoratum.

Affert P. de Rubeis Mon. eccl. Aqui. cap. CV. pag. 1003.

Reverende pater amice noster carissime, salutem. Cum Pisis venimus, uti conveniens visum fuit, litteras nostras super occurrentibus in Dei ecclesia, scriptas die XIV. mensis proxime decursi paternitati vestræ direximus; quarum copiam inclusam præsentibus, fido nuncio occurrente, destinare decrevimus, ne deficiat, quin illarum continentia ad notitiam vestram deveniat; considerantes, inter alios Christianorum prælatos, ad vos non mediocriter pertinere, emergentia in eadem ecclesia cognoscere, & pro ipsius honore & statu assistere, & favere. Videmus clare, & quotidie palpamus apertius, D. Gregorium, cujus culpandos detestandosque modos jam insinuavimus, sua vota, juramenta, & promissiones parvipendentem, & non ad sanctissimam ecclesiæ unionem conficiendam, uti assumptus extitit, dispositum; sed ad ipsius contrarium potius, et schisma foventem, per nuda & inania verba cunctos christicolas ludificantem, et in diutinis angustiis et tenebris retinentem. Hujus perniciosi morbi salubris medicina et necessaria hæc sola est, ut sibi universaliter obedientia subtrahatur; ad quam subtrahendam unusquisque tenetur pro peccati mortalis evitatione; cum sine eo esse non possit, qui obediendo favet schisma foventi, unde tot animarum et corporum pericula oriuntur; ut qui solum cupiditate et ambitione rerum corporalium tractus, Dei metu ad sua vota, promissiones, et juramenta non movetur implenda, coarctatione temporali compellatur invitus, ne secum in perditionem dominicum gregem trahat. Quamobrem charitatem vestram affectuose hortamur et precamur, ut in cunctis partibus vestris eidem .... omnem obedientiam subtrahatis: et ad similiter faciendum principes, prælatos, et alios dominos exhortari curetis; sperantes indubie, quod per cunctos libentibus fiet animis, cum modos moresque ejus jam detectos omnes merito detestentur, et horreant. Hac enim via intra breve temporis spatium Romanæ ecclesiæ tamdiu distractæ et laceratæ, pestifero extirpato schismate, restituetur unitas, et cunctis Christi fidelibus pax optata. Et ut noscatis bene inchoatam per nos ecclesiæ causam succedere, heri hic in Liburnio nos omnes cum sex de dominis de collegio partis alterius, ac aliquibus aliis remanentibus plenariam habentibus potestatem, in Dei nomine maxima cum caritate convenimus; et dominum de Flisco, associato per totam provinciam D. Petro de Luna (*Benedicto XIII.*) qui die XV. mensis hujus de Portu Veneris discedens Perpinianum in Cathalonia profectus est, rediturum speramus: sumusque unanimes ad effectum sacratissimæ unionis præfatæ, quam nullis cedendo laboribus, incommodis, et periculis etiam mortem præseferentibus, constantissime prosecuturi

ANNO CHRISTI 1409.

turi ſumus, quouſque viis debitis, canonicis, et neceſſariis ad ſalubrem et votivum exitum deducatur; illam, eo præſtante qui poteſt, antequam multum temporis labatur, videre in ea eccleſia ipſa ſperantes. Veſtram reverentiam hortantes ac precantes, ut in ſanctiſſimo hoc opere nobiſcum aſſiſtere placeat favoribus opportunis; et noſtra negotia, et familiarium noſtrorum, aliorumque ſanctiſſimam unionem ſequentium, ſuper beneficiis noſtris et eorum in veſtris partibus conſiſtentibus, et eorum fructibus, redditibus, et proventibus ſuſcipere favorabiliter recommiſſa, ut indubia ſpe tenemur. Inſuper audivimus diſplicenter, Rev. Patrem D. Antonium eiſcopum Bononienſem D. Gregorii camerarium, ad privationem veſtram ob non ſoluta communia & minuta ſervitia prorupiſſe. Quo etſi intuitu veſtro movemur, tamen plus (a) debemus ob ſedis apoſtolicæ reverentiam quod tanta poſſit levitate notari: quod ad veſtram, & nonnullorum aliorum prælatorum privationes ex abrupto injuſte, & animoſe proceſſerit, et D. Gregorius ipſe, ſuos mores in omnibus ſequens, de privatorum eccleſiis ſuis provideat, cum quibus oppreſſam & laceratam eccleſiam, ut facit, valeat retinere. Nos enim privationem hujuſmodi veſtram, tanquam injuſtiſſimam, nullam fore tenentes, vos hortamur ut boni ſitis animi; & dicta innovatione non obſtante, ad eccleſiæ veſtræ patriarchalis negotia, ut antea, intendatis; pro unione eccleſiæ, ut ſupra ſcripſimus, & tenemini, animo virili agemus. Nam infra non multum temporis jam eccleſiæ Romanæ ſacratiſſimam unionem in lucem venturam ſperamus, qua exorbitantia & injuſta ad debitam limam juſtitiæ reducentur: nec vobis noſtri juſti favores deerint. Et ſuper his jam opportune omnibus prælatis, univerſitatibus, & nobilibus patriæ Fori julii ſcripſimus. Valete. Dat. Liburni ſub trium priorum noſtrorum ſigillis, die XXXIII. junii, prima indictione, MCCCCVIII.

(a) Subintell ge *moveri debemus*. In alio Apographo, *dolemus*.

EPISTOLA CARDINALIUM GREGORII XII.

ad Carolum regem Francorum.

Duobus de papatu contendentibus, vias pacis recuſantibus, concilium generale cum cardinalibus alterius obedientiæ celebrandum proponunt, pro quo regis favorem aliorumque principum deprecantur.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 788.

CHriſtianiſſimo principi ac ſereniſſimo domino, domino Karolo Dei gratia Francorum regi, toti veſtri miſeratione divina epiſcopi, presbyteri & diaconi, S. R. E. cardinales, in loco veſtro de Lyburno ſub veſtra regia protectione exiſtentes, recommendationem debitam & devotam, in his quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, regiam opem ferre.

Tranſire ſilentio aut tacere officio admodum nolumus, immo nequaquam poſſumus aut debemus, ne nos ipſi, quorum quotidiana inſtantia, teſte Apoſtolo, eſt & eſſe debet ſollicitudo omnium eccleſiarum, qui etiam jure levitico ſummi Sacerdotis coadjutores exiſtimus deputati, tam patentis erroris, cui univerſale damnum & præcipitium totius reipublicæ ſubjacet, non tantum ſimulatores conniventes, quantum ſocii participes videamur. Quoniam ut ipſa res per ſe notoria eſt, & a continuis malis in pejus ſemper excreſcentibus manifeſta, quantum eccleſia Dei a primordio hujus nefandiſſimi ſchiſmatis uſque in hos dies, cum ingenti animarum interitu, proh dolor! ſit attrita, oſtendit ruinæ immenſurabilis quantitas, docet excidium, reſtantis partis informitas, & deficientis, immo ruentis jam fidei magnitudo: ut non ſit dare in hoc ſacro myſtico corpore particulam, quam ab imo uſque ad verticem hic livor edax, hæc peſtis horrenda non carpſerit. Traxit nos, fatemur, Chriſtianiſſime principum, in cujus ſacratiſſimo conſpectu tam volentes, quam neceſſarii verba diffundimus, zelus domus Dei, cui vota noſtra ſacravimus; caritas innoxii populi, cui ſollicitudines noſtras iſta hora in tam eminenti caſu præſertim debemus, (non (b) abſque incommodis & periculis partes Italicas tranſalpinare, terras adire extraneas, & nos infra limites alterius obedientiæ, in tam diſcriminoſo tempore collocare: putantes aliquando divino fieri auxilio, non obſtantibus jam multorum defeſſis ætatibus, quibus quidam forſitan indulſiſſent, in bona patientia & continuatione certaminis, hanc unitatem noſtris deſideriis adæquare. Sed quia nos eos, hoc ipſi reſpiciunt, libenter pro more relinquimus. Nam de hoc non quærimus laudem, ſed intentum; non famam, ſed effectum. Patet namque ſatis ex rerum experientia, quantum per nos actum ſit, ut ad finem hujus extirpandi diſſidii de campo orthodoxæ fidei obnixis remediis venerimus. Conſtat proinde toti fere orbi terrarum, poſthabitis negotiorum ſingulorum progreſſibus, poſt varios diverſoſque labores,) quod hi domini, qui hodie de papatu contendunt, quamquam alterutrum ad convicinos terminos pervenerint, concordare de dando pacem eccleſiæ per viam ceſſionis, quæ tamquam expedientior ceteris antecellit animarum cladibus viſa eſt, nunc ex defectu loci, qui nullatenus, cum per procuratorem & alias fieri ceſſio valeat, neceſſarius viſus fuit; nunc ex aliis occaſionibus pro cauſis, utinam abſque mutua colluſione inter eos, nequeunt. Conſtat inſuper, quod ex quo contendentes ipſi, tractatu pacis & unionis omnino dimiſſo, a locis in quibus de præſenti fuerant, aliorſum ad loca valde diſtantia ſe transferunt, finis ad quem tendebamus de manibus penitus evaneſcit; & ſic materia ipſa, qua nulla ſanctior eſt, per ſummam rerum deſperationem eo fortior incaleſcit, quo propius ad culmen victoriæ poſita, deducta eſt perverſo ingenio in deriſum (c) unde veriſimillimum videtur, quod per hoc ipſum ſchiſma roboretur, quin immo in-

per

(b) Anſulis incluſa deſiderantur in cod. Chauveliano; ſed poſt hæc verba *præſertim debemus*, ſic legit: *Conſtat, ſereniſſime princeps, quod hi domini qui hodie de papatu contendunt, &c.*

(c) *In codice illuſtriſſimi domini Chauvelin ſequentia hic adduntur:* Conſiderate namque, princeps

ANNO CHRISTI 1409.

perpetuitatem irrepat, tamquam usus qui plerumque convertitur in naturam. Quamobrem ex debito conscienciarum remorsi, dirigentes ad tam exitiabile vulnus nostræ compassionis intuitum, deliberavimus, summa rerum opportunitate suadente, immo & necessitate nos cogente, quemadmodum qui levioribus non proderint, manus ad fortiora mittere, & cum reverendissimis patribus dominis alterius collegii conveni-re, quorum opinionibus atque votis una cum nostris plene concurrentibus, tamquam novo uno spiritu inspiratis, ipsi nobiscum & nos secum pro ultimo remedio securim ad radicem posuimus, generale videlicet concilium per suam obedientiam quilibet convocantes, ut infra festum Annunciationis in civitate Pisana, veluti loco alias per præfatos contendentes tamquam accommodo acceptato, ad retrudendum hanc monstriferam belluam in antrum mortiferum, per amborum contendentium cessionem, & in casu contradictionis, diffugii, vel contumaciæ, per debitam & canonicam ordinationem ecclesiæ congregatæ, prout per exemplar litterarum convocationis prælatorum, nec non litterarum, quas specialiter domino nostro papæ scribimus, præsentibus interclusum, si placet, videbitis contineri. Ad nos enim & eos, stantibus rebus prout sunt, hujusmodi convocationem non est dubium pertinere, maxime cum finis & consideratio hujus sacri concilii, ut scilicet ibidem ambo renuncient, cum intentione horum dominorum contendentium non concordet. Nunc autem, princeps sacratissime, cum ad dirigendam hujusmodi exsecutionis congeriem, summe expediat, cunctorum bonorum virorum, & signanter principum, terræ juvamen atque præsidium pro bono negotii invocare; licet res ipsa sancta per se cunctos invitet, ad serenitatem tamen vestram peculiari quadam spe & singulariori consideratione confugimus, tamquam ad illum, qui imitando continue clarissima progenitorum vestrorum exempla, quibus cetera nostri sæculi cedunt, & quorum consiliis D & potentiis schismata multa fuerunt quadam laurea, immo speciali privilegio confutata, cum hoc totum maxime a vestra serenitate dependeat, dignemini huic honestissimo operi, sicut firmiter credimus, non deesse, sed humeris vestris ad fortiora potentibus, hoc ipsum fomentis regalibus adjuvare, & ad locum præfatum, ubi dicto tempore, Dei gratia favente, erimus, regales nuncios, qui nobis in hoc vice regia salutare concilium tribuant, destinare. Etiam similiter dignemini efficere, signanter cum regibus Castellæ, Arragoniæ, Siciliæ, Na-A varræ, Scotiæ, (*a*) Bohemiæ, & Hungariæ, ac aliis principibus sanguine aut alias confoederatione excellentiæ vestræ conjunctis, quatenus solemniter ibi mittant, nec non prælatos suos & alios convocandos, quibus etiam extense scribimus, omnino venire disponant, ut dispositio vestra tanto cunctis sit gratior ac etiam foecundior, quanto regalis consilii ac prælatorum fuerit provida & salubri deliberatione concepta. Dignantes insuper prælatos regni vestri, quibus scribimus, & ad eos ob hanc causam destinamus, de vestra innata caritate, qua ad finem tanti negotii serenitas ipsa a tenera ætate pia devotione flagravit, regalibus mandatis restringere, quod præfatis lo-B co & tempore debeant infallibiliter convenire, ut causa tam pia & ad finem proclivis reperiat, divinis faventibus auspiciis, quod requirit. Ceterum, amantissime princeps, attendat vestra regalis providentia vigilanter, ac etiam provideat, præfatosque reges & principes reddat cautos, ne per istos, qui monstrum in Dei ecclesia nutrire non verentur, & taliter Petri cathedram ambiunt (*b*) impudenter, nec non & eis adhærentes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærentes, huic sancto operi tam quam Deo grato impedimenta præbeantur, nunc falsis dogmatibus, nunc mendosis prædicationibus, nunc iniquis & injustis pro-C cessibus, & (*c*) constitutionibus temerariis, sine fratrum consilio, cum præcipitatione virtutum noverca editis. Credimus enim, quod de facto obices multiplices, quantum poterunt, interponent. Nos tamen de Deo & demum vestro regali præsidio confisi, omnibus his spretis, ad concepta intrepide procedemus; nec propter hoc tacebimus, aut etiam quiescemus, donec egrediatur ut splendor justus ejus. Scriptum Liburnii Pisanensis dioecesis, &c.

(a) Codex Chauvelinianus omisso *Bohemiæ & Hungariæ*, addit *atque Cypri*.

(b) *al.* detinent in divisione manifeste,

(c) *al.* aut alias quovis quæsito colore.

EPISTOLA CARDINALIUM

Ad Carolum regem Navarræ.

Ejusdem argumenti.

SEreniſſimo principi & domino, domino Karolo Dei gratia regi Navarræ, miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi, S. R. E. cardinales salutem in eo per quem reges regnant, & ecclesiæ desolatæ spiritum compassionis impendere.

Certi sumus, princeps excellentissime, vestram devotionem non latere, progressum his diebus duorum contendentium de papatu, neque ignorare quibus ostentationibus, quibus palliationibus, quibusve operibus, ad quem

ceps amantissime, quod dum fracto penitus & omisso unionis tractatu, ambo contendentes volentes taliter se ab invicem per longissima terrarum spatia separare, dominus Benedictus publicavit in suo recessu a Portu-Veneris, in loco Perpiniani cum illis suæ obedientiæ in proximo festo Omniumsanctorum concilium celebrare. Alter vero vocatus Gregorius similiter in suo recessu de Luca, sub sua bulla in proximo festo Pentecostes in patriarchatu Aquilegiensi se idem facturum mandavit. Quis credat vero possibile, quod per concilium Perpiniani, ubi nulli aderunt, nisi pauci affectionem inordinatam domini Benedicti sequentes, pax utriusque obedientiæ in universali ecclesia tribuatur? Idemque fore censendum de concilio dom. Gregorii prælibati. Nonne hæc clarissime demonstrant, præfatos contendentes ad nihil aliud intendere, nisi ut per hoc ipsum roboretur schisma, quin immo in perpetuitatem irrepat? Quamobrem ex debito, &c.

ANNO CHRISTI 1409.

quem exitum causa unionis ecclesiæ sanctæ Dei, ab eisdem contendentibus finaliter sit perducta: immo quod non sine dolore revolvimus, nisi de remedio citissimo occurratur, prope in exitium coartata. Nos autem, quorum quotidiana instantia, teste apostolo, est & esse debet sollicitudo omnium ecclesiarum, velut illi qui jure levitico summi sacerdotis coadjutores existimus deputati; quorum maxime in hac rerum vertigine & supremo animarum periculo interest potissime, contendentibus nedum tepescentibus, immo hoc pestiferum schisma causantibus, rebus tam gravibus obviare. Considerantes quod ex quo ipsi contendentes, sub ludibriosa occasione difficultates locorum, fracto penitus & omisso unionis tractatu, voluerunt se taliter ab invicem per longissima terrarum spatia separare. Dominus Benedictus in suo recessu a Portu-Veneris publicavit se in loco Perpiniani, in proximo festo Omnium sanctorum, ad schisma fortius confirmandum, ut multis videtur, suum concilium celebrare. Alter vero vocatus Gregorius, similiter in suo recessu de Luca, in proximo Festo Pentecosten in provincia Aquilegiensi se idem facturum mandavit, quamvis nedum ipsi, sed omnes clarissime deprehendant, quod per concilium Perpiniani est impossibile, quod pax utriusque obedientiæ in universali ecclesia tribuatur. Idemque censendum de concilio Gregorii prælibati. Quibus nos cognoscentes manifeste, quod secundum progressum contendentium prædictorum finis ipse ad quem tendimus, de manibus penitus evanescit, & materia ipsa, qua nulla sanctior, per summam rerum desperationem eo fortius incalescet, * quo propius ad culmen victoriæ posita deducta est perverso ingenio in derisum. Quamobrem, princeps serenissime, ex debito conscientiarum nostrarum remorsi, dirigentes ad tam exitiabile vulnus nostræ compassionis intuitum, deliberamus summa rerum opportunitate suadente, immo & necessitate cogente manus ad fortiora injicere, & cum reverendissimis patribus domini alterius collegii convenire. Quorum opinionibus atque votis una cum nostris concurrentibus, in unum tamquam ex uno spiritu inspiratis, ipsi nobiscum & nos secum pro ultimo remedio securim ad radicem posuimus, generale videlicet concilium per suam obedientiam quilibet ad eumdem locum eumdemque terminum convocantes, videlicet XXV. die martii proxime futuri in civitate Pisana, ad retrudendam hanc monstruosam belluam in antrum mortiferum per amborum contendentium cessionem; & in casu contradictionis, diffugii, aut contumaciæ, per debitam & per canonicam ordinationem ecclesiæ congregatæ, prout per copiam quam vobis mittimus litterarum convocationis prælatorum, hec non per litteras, quas specialiter domino Benedicto scribimus, si placet, videbitis contineri. Nunc autem, princeps optime, cum ad dirigendam hujusmodi executionis congeriem summe expediat, regum terræ juvamen atque præsidium pro tam sacro negotio invocare, licet res ipsa sancta per se cunctos invitet; qui

* *al.* evanescet.

reges, teste B. Isidoro, debent cognoscere se de hoc debere reddere rationem, propter ecclesiam quam Christo tuendam suscipiunt, vestram serenitatem, de qua specialiter confidimus, requirimus & hortamur per viscera misericordiæ domini Jesu Christi, dignemini huic sanctissimo operi non deesse, sed hoc ipsum fomentis regalibus adjuvare, & ad locum præfatum, ubi dicto tempore, favente divina gratia, erimus, regales nuncios, qui nobis in hoc vice regia salutare consilium & auxilium tribuant, destinare velitis. Insuper prælatos regni vestri, quibus scribimus, regalibus mandatis restringere, quod præfatis loco & tempore debeant infallibiliter convenire, ut dispositio nostra tanto cunctis sit gratior ac etiam foecundior, quanto regalis consilii ac etiam prælatorum fuerit provida & salubri deliberatione concepta. Ceterum, amantissime princeps, attendat vestra regalis providentia vigilanter, ac etiam provideat, ne per istos qui monstrum in Dei ecclesia nutrire non verentur, & taliter Petri cathedram in divisione detinent manifeste, nec non & eis adhærentes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærentes, huic sancto operi tamquam Deo grato impedimenta præbeantur, nunc falsis dogmatibus, nunc mendosis prædicationibus, nunc iniquis & injustis & nullis processibus, aut alias quovis quæsito colore. Credimus enim, quod de facto obices multiplices, quantum poterunt, interponent: nos tamen de Deo & vestro regali præsidio confisi, omnibus eis spretis, ad concepta intrepide procedemus, nec propter hoc tacebimus, aut quiescemus, donec egrediatur ut splendor justus ejus. Datum in loco Liburni Pisanensis dioecesis sub nostrorum trium priorum sigillis die XIV. julii anno domini MCCCCVIII.

EPISTOLA CARDINALIUM REGIS CASTELLÆ

Et legionis.

Ejusdem argumenti.

SErenissimo principi & domino, domino (*a*) Jo. Dei gratia regi Castellæ & Legionis, miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, salutem in eo per quem reges regnant & unanimes in domo domini ambulare. (*b*).

Hæc est domus domini, princeps inclytissime, cujus decorem cum propheta divi principis, vestri avus & genitor, tam pie, tam catholice dilexerunt. Hæc est domus domini, pro cujus integritate, ne per geminos sponsos monstruosa in duobus capitibus macularetur infamia fideliter dimicarunt. Hæc est unica, quæ teste Hieronymo, claves accepit, & extra quam non est salus, & pro tanto præmisimus, princeps excellentissime. Certi enim sumus devotionem vestram, &c. *ut supra.*

Ibid. p 793.
(a) Johan hujus minis qui ann 1406. H rico III regi Ca stellæ & Legioni successi
(b) Ejus tenoris epist. di cta Ma no Ara num reg in codic illustri mi dom Chauve

EO-

EORUNDEM REGINÆ CASTELLÆ.

Ejusdem argumenti.

Serenissimæ principissæ & dominæ, dominæ Catharinæ Dei gratia Castellæ & Legionis reginæ, miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales, salutem in eo cui servire regnare est.

Considerantes devotionis & pietatis constantiam, quam inclytæ recordationis progenitores vestri; ac etiam serenissimi principis domini Johannis Dei gratia Castellæ & Legionis regis illustrissimi nati vestri, circa Deum, fidem catholicam, & ecclesiam omni tempore habuisse noscuntur; ad vos & ipsum recurrentes, pro reparatione ac succursu communis matris nostræ, sanctæ universalis ecclesiæ, lustris sex jam peractis in tam lamentabili ruina prostratæ, nunc eidem in inclytissimo nato vestro scribimus per has litteras nostras subsequentis tenoris: *serenissimo Principi*, &c. assumta ergo de vestra erga Deum devotione fiducia, celsitudinem vestram rogamus, requirimus & hortamur in domino Jesu Christo, quatenus nunc intueri dignemini quod tempus advenit, in quo filio gloriosæ Virginis serviatis pro his, quæ vobis ipse tribuit, videlicet per inclytum natum vestrum, ac etiam progenitorum vestrorum excitata exemplo, sponsæ Christi in hoc articulo studeatis consilium & auxilium impertiri. Ita quod Jesus Christus qui pro redemtione vestra proprium sanguinem fundere & in crucis patibulo mortem subire dignatus est, qui hoc tempore vos disposuit experiri... vobis post temporalis palatii gloriam æternæ vitæ dignetur ob hoc indulgere coronam. Datum, &c. *ut supra*.

EORUNDEM INFANTI CASTELLÆ.

Ejusdem argumenti.

Illustri principi domino F. infanti Castellæ, &c. miseratione divina, &c. salutem & ecclesiæ sponsæ Christi sacro-sanctæ matri nostræ, proh dolor! taliter fluctuanti succursum celerem impendere.

Recolentes piam devotionem, qua pia regia et excellentissima domus Castellæ, a qua vestram trahitis originem, sacro-sanctam ecclesiam beneficiis foverit, variisque obsequiis extiterit prosecuta, merito confidimus, quod in tam gravi necessitate eam nullatenus derelinquet. Ideo serenissimo principi, et domino, domino Johanni Dei gratia Castellæ et Legionis regi nepoti vestro, cum grandi fiducia duximus præsentialiter * scribendum sub tenore sequenti *Serenissimo principi*, etc. Cum itaque princeps inclytissime, videatis ex præmissis tantam ecclesiæ imminere ruinam, paratamque pacem, si regalis potentia modo debito, ut petimus, manus suas effectualiter interponat; vestram excellentiam, quam Deus tot viribus insignivit, tantamque ei potentiam contulit, in hac parte requirimus et hortamur per viscera misericordiæ Jesu Christi, et vos ad hoc opus sacratissimum non deesse, sed totaliter assistere, quod ecclesia merito gaudeat talem filium habuisse. Datum.

EORUMDEM DUCI BITURICENSI.

Illustrissimo principi et domino, domino J. regis Francorum filio duci Bituricensi et Alverniæ, comitique Pictaviæ miseratione divina, &c. salutem in eo, cui servire regnare est, & dispersiones Israelis congregare. Ib. p. 795.

Scandalosa ecclesiæ dispersio, princeps inclyte, ac horrendum inter christianos dissidium his diebus satis innotuit evidenter, quantum malignatus est inimicus in sancto. Certi enim sumus devotionem vestram non latere, &c.

Ejusdem sunt tenoris epistolæ scriptæ ad Ludovicum ducem Borbonii, & illustri principi domino Roberto filio quondam regis Scotiæ, duci Albaniæ, cum epistola ad regem Navarræ in codice Chauvelintano.

COPIA LITTERARUM DIRECTARUM

Principibus per dominos cardinales de parte Gregorii.

Subtracta Gregorio obedientia, orant ut ad concilium Pisanum oratores suos suæque ditionis prælatos mittant.

Miseratione divina, &c. illustri & excellenti domino, salutem in Domino sempiternam, & paratum promtumque animum ad sacratissimæ ecclesiæ unitatis effectum habere, & pro ea firmiter & efficaciter operari. Ib. p. 810.

Principum, ducum, marchionum, aliorumque dominorum & magistratuum quorumcumque, dignitatibus & officiis quibuscumque pollentium proprium est judicium & justitiam facere, & de manu calumniantium vi oppressos eripere, & a civitate pro viribus injurias propulsare, quibus juxta beati Petri sententiam, tamquam a Deo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum obediendum est. Ut igitur in eos qui utrimque injurias inferunt missi sublimatique sunt, quanto majore & justissima indignatione pro Christi immaculata sponsa, a qua in Spiritu regenerati ejusque lacte educati, & grandævi in fide firmati, apertis paradisi foribus, vitam qua primi homines sorde peccati privabantur, consequi merentur æternam, contra illos infimæ pravæque conditionis homines tenentur exsurgere, qui corpus Christi mysticum, hoc est Dei ecclesiam & tunicam Domini inconsutilem dividunt, qui Christi vineam exterminant, & consultant ut nefandissimis momentanearum rerum ambitionibus pravisque cupiditatibus suis satisfacere valeant, omni pudore & Dei metu sublato, non curantes Dominici gregis animas secum in æternam perditionem conducere, & cunctorum Christi fidelium pacem & quietem turbare. Sane novistis, non ambigimus, cum toti sit Christianorum orbi notissimum, quot Petri navicula continuis fluctibus agitata, per XXX. annorum curricula, & quantas passa fuit tem-

ANNO CHRISTI 1409.

tempestates, ad extremum fere deducta naufragium, quæ ejus flebili omissa historia, nimium fidelibus cognita, ut ad unitatem dignitatemque pristinas tandem reduceretur, & pax desideratissima in Christiano populo pullularet, sanctæ memoriæ domino Innocentio papa VII. sublato de medio, dominus Gregorius ut ipsius ecclesiæ unionem efficeret, per puræ & simplicis renuntiationis & cessionis viam ante & post ejus assumtionem votam, juratam, pluriesque promissam, domino Petro de Luna parte ex altera Benedicto nominato, qui se similiter obligaverat, cedente vel decedente, in publico instrumento, scripturis & solemnibus, & eorum bullis & nostris litteris (sparsis per orbem luce clarius est, quod ad apicem fuit summi apostolatus assumtus. Et qualiter ambo de papatu contendentes, Deo vota sua reddiderint, juramenta servaverint, & præmissa adimpleverint, vestram caritatem latere non credimus, cum jam omnibus possit esse notissimum & rei exitus demonstravit. Nam per tractus inanes, frivolasque & superfluas disceptationes, altercationes, & varietates anno & mensibus consumtis, hucusque populum Christianum illudendo, colludendoque invicem, denique occasionibus captatis inanibus, a præfatæ unionis, ut præfertur, promissæ, juratæ & votæ tractatibus, tam impudenter quam turpiter discesserunt, Christi grege mercenariorum more inter lupos exposito: & de unione ipsa totaliter desperato. Ac nos, quibus post papam salutis populi Christiani major zelus & onus incumbit, videntes nobis ab eodem Gregorio suis injustis & turpibus mandatis ora obserari, ne de unione ipsa ulterius verbum faceremus, in vitas libertatemque nostras evidentius imminere pericula, ut conscientiarum nostrarum exonerationi & præfatæ unioni, de qua poterat alias totaliter desperari, consuleremus, ab eo non ad unionem ipsam, sed ad schisma fovendum, bonaque ecclesiæ dissipandum, suosque contra Deum & justitiam promovendum & sublimandum intendente; momentanearum rerum cupiditate pravaque ambitione tracto, cœlestium & æternorum penitus oblito, & supradictam cessionis viam a se tamquam justam sanctamque totiens acceptatam & promissam, diabolicam palam asserente, & declinante tamquam a nutrice schismatis antiquati, quod de jure hæresim sapere minime dubitatur, cum deliberatione, ut pluribus scriptionibus jam sumus testati, discessimus. Nosque cum reverendissimis dominis dominis de collegio partis alterius junximus & univimus, pro pace et unitate danda populo Christiano, viamque congregationis concilii generalis utriusque obedientiæ ad civitatem Pisarum, diemque XXV. proximi mensis Martii celeberrimum festo Annunciationis gloriosæ Virginis Mariæ, a qua cunctorum salus et redemtio inchoavit, unde, Deo favente, cujus res agitur, omni errore et schismate evulso, unio in ipsa ecclesia subsequetur, elegimus secundum sacrorum canonum instituta et ecclesiæ laudabilem consuetudinem in talibus observatam; quæ omnia latius litterarum, quas ad obedientiæ nostræ prælatos, eos ad concilium ipsum convocantes dirigimus, tenoribus, et oratorum nostrorum abunde de cunctis expedientibus instructorum vivis relatibus luculentius poterit excellentia vestra percipere. Expergiscimini igitur, quoniam tempus est jam a somno surgere, et nobiscum una exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Erigite ecclesiam matrem vestram, et nobilitatem spiritus vindicate, nobisque in hac Dei causa assistite et favete, oratoresque vestros solemnes mittite, et prælatos dominii vestri, quos ducimus convocandos ad veniendum inducite, ac, si opus esset, quod minime remur, ut teneamini, modis debitis astringatis, ut tempore debito in eodem concilio legitime et instructi veniant, ad tam pium et sanctissimum opus feliciter consummandum, quæ per aspersionem pretiosissimi sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ut a tot modo liberetur angustiis, sancta mater ecclesia nobiscum una a vobis instantissimis precibus postulat et requirit, sicuti omnino caritatem vestram pure et libere facturam speramus. Nam ad ipsum concilium venientes, aut ei faventes, dominus Gregorius tamquam inimicus homo continuo tentare non desinit, coloribus, fictionibus et mendaciis solitis, ubique disseminare zizania in ecclesiasticæ unitatis disturbium, ut ipsam ecclesiam ita laceratam et oppressam valeat retinere. Suis non potest afficere sententiis, vel mutare, cum per solemnia concilia collegiorum, magistrorum sacræ theologiæ, jurisque canonici et civilis, conclusum et determinatum existat, ipsis contendentibus de papatu tamquam antiquati schismatis nutritoribus obediendum non esse; sed eis omnem obedientiam subtrahendam, et de eorum sententiis seu censuris et aliis non curandum, vel de juribus sedi apostolicæ respondendum, ut in nostris litteris, quas per orbem dirigimus plenius continetur. Deus omnipotens excellentiam vestram diu et felici in statu infinita sua benignitate conservet. Datum in castro seu loco Liburnii Pisanensis dioecesis.

COPIA LITTERARUM DIRECTARUM

Ad universitates studiorum per dominos cardinales de parte Gregorii.

Ib. p.

Miseratione divina, etc. Quamvis sacrosancta mater ecclesia omni tempore viris litteratis et scientiarum floribus insignitis permaxime noscitur indigere, præsertim tamen his turbationum temporibus, quibus vacillat fides, dominatur avaritia, exquiritur ambitio, affectatur carnalitas, spernitur votum, jurisjurandi intemerata religio violatur, contemnitur caritas, excitantur mortifera odia, extollitur dominandi libido, conculcatur humilitas, unitas et concordia respuitur, scissura et horrenda divisio præoptatur, promovetur ignorantia, refutatur scientia, quæritur irrogari injuria, damnatur justitia, stolidorum ministrorum et juvenum consiliis regitur orbis, virorum litteratorum et senum salubris doctrina penitus confutatur, creditur fabulis et noxiis perver-

versorum plus quam sacris evangeliis et expositionibus sanctorum doctorum, mendaciis et hypocrisiis frequenter insistitur, per quod venenose et fraudulenter veritas obumbratur, omnibusque excogitabilibus mundi vitiis inseruntur, ut orthodoxa mater ecclesia sine qualibet ruga aut macula a Domino sublimata, ipsorum nefariis ausibus deturpetur; ex quibus electus Christi populus pretiosissimo suo sanguine summa caritate redemtus, a via veritatis seducitur, hæresibus involvitur, horrendis criminibus implicatur, scissuris et divisionibus dire affligitur, cædibus et bellis cruentis subjicitur, fame, pestilentiis et omnium poenarum genere multifarie trucidatur. His enim crebrescentibus malis per singulos, viri scientiarum virtute pollentes talentum sibi a Deo traditum non debent in terra fodere, nec lucernam ardentem sub modio abscondere, sed supra candelabrum, ut omnibus qui in domo Domini sunt luceat, collocare, arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia et doctrina, murum firmissimum suis doctrinis et saluberrimis exemplis et informationibus in domo Dei se opponendo conscendentibus ex adverso. Sane novistis non ambigimus, &c. *ut in præcedenti usque ibi.* Expergiscimini igitur, quoniam jam tempus est a somno surgere, & vobiscum una exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Erigite ecclesiam matrem vestram, & quasi in extrema necessitate nunc positam adjuvate, nobisque in hac Dei causa vestris consiliis & doctrinis apud universum populum Christianum succurrite, verbisque et opere assistite et favete. Alios quoque de valentioribus magistris & doctoribus universitatis vestræ scientia præpollentes, Deumque timentes ad concilium ipsum, per nos, ut præmittitur, convocatum, quorum consiliis uti valeamus, transmittite; inducendo reges, prælatos & principes, quos similiter per nostras litteras convocamus, ut mittant, veniant tempore & loco prædictis ad præfatum concilium nostrum, pro tam pio et sanctissimo opere consummando, quæ per aspersionem pretiosissimi, &c. *usque in finem, ut in præcedenti.*

RESPONSIO PER DOMINOS CARDINALES

Obedientiæ Gregorii data ambaxiatoribus Venetorum & Florentinorum ad capitula tradita in scriptis per nobiles viros dominum Rossum Marino ambaxiatorem illustris ducalis dominii Venetorum, & dominum Bartholomæum de Poplenchis legum doctorem ambaxiatorem magnificæ civitatis Florentinorum, quæ sequuntur in hac forma, videlicet.

HÆc est brevis nota eorum quæ dicuntur coram R. papa & dominis dominis cardinalibus, &c. per dominum Rossum Marino ambaxiatorem illustris ducalis dominii Venetorum, & dominum Bartholomæum de Poplenchis doctorem, ambaxiatorem magnificæ communitatis Florenciæ.

Et primo quod dominus papa Gregorius notificavit per nuncium apostolicum præfato dominio Venetorum publicasse concilium A generale in exarchatu Ravennatensi vel patriarchatu Aquilegiensi in festo Pentecostes proximo, requirens præfatam illustrem dominationem Venetorum de consilio & favore, et etiam de uno loco dicti dominii Venetorum, in quo dictum concilium posset congregari.

Et similiter pro parte dictorum dominorum cardinalium scriptum fuit et notificatum per eorum litteras præfato illustri dominio, quod publicaverant concilium generale tenendum per eorum collegium in annunciatione B. M. Virginis de mense Martii proxime futura, rogantes et exhortantes præfatum dominium, ut operaretur juxta posB se quod dominus papa Gregorius veniret ad illum concilium, vel mitteret procuratorem suum ad solvendum debitum suum.

Unde consideratis prædictis visum fuit præfato dominio Venetorum, quod si tenerentur dicta duo concilia separatim, erit materia novi schismatis potius quam effectus unionis; et ideo deliberavit per proprium oratorem respondere tam domino papæ quam præfato collegio, et insuper notificare idem præfato communi Florentiæ, et requirere magnificos dominos civitatis Florentiæ ut vellent concurrere in eodem negotio, et transmittere oratorem proprium super hoc ad præfatum dominum papam et collegium C dominorum cardinalium. Qui domini Florentini audita expositione ambaxiatæ factæ per oratorem præfati domini Venetorum, annuerunt requisitioni per eos factæ, et concorditer transmiserunt oratorem suum ad dominum papam, qui ambo ambaxiatores supradicti exposuimus præfato domino papæ infrascripta videlicet.

Quod placeret sanctitati suæ velle operari pro posse quod concilium tenendum per eum et per dictos dominos cardinales sit unum et idem, tam respectu loci quam temporis, et non diversa; quia sic agendo erit unum generale concilium, et dabitur pax ecclesiæ, alias est periculum inducendi noD vum schisma.

Respondit dominus papa, quod totis viribus intendebat ad unionem ecclesiæ, et hac de causa indixerat concilium suum, et quod concilium tenendum per eum erat verum concilium generale, et debebat præcedere tam ratione primitatis, quia primo indixerat concilium quam dicti domini cardinales, quam ratione potestatis, quia ad solum papam spectat convocare concilium, quam etiam ratione ordinis, quia ipse caput & & alii membra; & pro vera unione erat paratus dimittere omnem injuriam sibi factam, & accipere & amplecti suos cardinales ad gratiam, & quod possunt gaudere E suis beneficiis, prout primo gaudebant ante suum discessum, & similiter recipere quemcumque venire volentem ad dictum concilium.

Hac responsione habita, nos ambaxiatores suprascripti replicavimus prout nobis fuit visum expediens. Et venimus ad præsentias reverendissimarum paternitatum vestrarum dominorum nostrorum cardinalium, & exposuimus illud idem quod diximus domi-

mino papæ Gregorio, ſcilicet & vobis placeat velle quod ſit unum generale concilium, ut eccleſia ſancta Dei habeat quietem & pacem.

Reſpondent domini cardinales de collegio Italico de voluntate & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum cardinalium alterius collegii, olim nunc per Dei gratiam uniti ad proſequendam & perficiendam cum adjutorio Spiritus S. fidelium Chriſtianorum extirpationem inveterati deteſtandique ſchiſmatis, & dandum pacem & unitatem, quantum in eis eſt, diviſæ & laceratæ eccleſiæ.

Et primo, quia dictum dominum Venetorum audita requiſitione & precibus dominorum cardinalium deliberavit per proprium oratorem reſpondere dictis dominis, & requirere magnificum commune Florentiæ, ut vellet concurrere in eodem negotio, & mittere oratorem proprium tam ad ipſos dominos unicum & indubitatum collegium facientes, quam ad dominum Gregorium: quod realiter adimpleverunt, de quibus tam dicto ducali dominio, quam dictæ magnificæ communitati Florentiæ, omnes domini gratias referunt, & rogant quod velint in proſecutione tam pii & ſancti operis uſque ad finem firmiter & conſtanter perſiſtere, cum domini ſint parati quidquid rationabiliter poſſunt & debent uſque ad mortem veraciter adimplere; & gaudent de præſentia veſtrorum dominorum ambaxiatorum, quos ſciunt viros notabiles & prudentes & affectatos ad bonum unionis eccleſiæ.

Et antequam ad petitorum per vos reſponſionem perveniant, atque ad frivolarum domini Gregorii rationum ſolutionem; aliqua intendunt pro veritatis manifeſtatione & vos mitttentium atque veſtra ſummaria informatione præmittere. Dicunt igitur præfati domini, ad hoc ut rerum geſtarum plenius veritas innoteſcat, & cum magna & ſincera fide notificant, quod ex quo ipſi perpenderunt dominum Gregorium & Benedictum de papatu ultra quam expediret contendentes, nolle venire ad viam mutuæ ceſſionis per eos oblatæ, juratæ, & voto multiplici roboratæ, ac ab omnibus Chriſti fidelibus approbatæ nec non in loco ſeu loca concordare, in quo ſeu quibus fieret partium conventio pro pace eccleſiæ danda per viam antedictam & electionem unici veri & indubitati paſtoris: quodque duo contendentes ſe invicem ſeparabant, & transferebant ad loca valde remota, taliter ut de cætero, quantum ex facto ipſorum colligi poterat, de pace eccleſiæ & extirpatione ſchiſmatis nulla ſpes haberetur: ipſi domini cardinales cum reverendiſſimis in Chriſto patribus dominis cardinalibus alterius partis ſe congregaverunt, & caritate ſincera convenientes in unum communi aſſenſu, & concordi per Dei gratiam ad invicem deliberatione fore neceſſarium perſpexerunt, & ordinaverunt, & ut concilium generale utriuſque partis & obedientiæ congregaretur in uno loco & termino: ad quod concilium vocarentur & provocarentur prædicti duo de papatu contendentes, & eccleſiam in ſchiſmate in magnam Dei offenſam tenentes. Non æſtimantes ita de facili ſaltim propter ſimplices & vulgares aliter eccleſiam poſſe uniri & ſchiſma extirpari, attentis ipſorum duorum contendentium indiſpoſitionibus, diſcordiis & ſubterfugiis illicitis & damnatis, ad hoc ut præſente & approbante concilio renunciarent mutuo, alias provideret eccleſia & concilium prout foret ſecundum Deum, divinas & canonicas ſanctiones, merito providendum.

Et cum ipſi duo contendentes ſciverunt concordiam, deliberationem, & ordinationem ipſorum dominorum cardinalium ad invicem unitorum, non contenti quod ex ipſorum diſcordiis & ſeparatione mutua pax eccleſiæ erat evidenter, quantum ad eos pertinet, impedita: immo volentes impedimento perpetuo pacem eccleſiæ in deſperationem ponere & concilium generale utriuſque obedientiæ impedire, quadam mutua colluſione, ut veriſimiliter apparet, ad invicem habita, deliberaverunt ſua particularia trahere concilia, immo potius conciliabula, in locis longa diſtantia ſeparatis, terminis variis ac diverſis: videlicet Benedictus in feſto Omnium SS. proxime futuro in loco Perpiniani Elnenſis dioeceſis regni Aragoniæ, & dominus Gregorius in feſto Pentecoſtes tunc futuro in Ravennatenſi, ſeu Aquilegienſi patriarchatu, per quæ concilia ſic tenenda diviſim particularia ſeu ipſorum alterum ſchiſma nullo modo extirpari valeret, nec optata haberi unio: immo potius impedimenta præſtari, cum nec in ipſorum conciliorum altero, nec in utroque haberet eccleſia generaliter convenire, maxime quia cum plures ſint ab obedientia & communione ipſorum duorum contendentium ſubtracti noviter, ſeu neutrales effecti, ipſi ad eorum vocationem nullatenus venirent, ſeu in eorum conciliis intereſſent, neque illa quæ in ipſis conciliis erant deliberata, ſeu eorum altero, aliquatenus acceptarent.

Item, dicunt quod ipſi domini cardinales ad invicem ſic uniti cum aliis dominis cardinalibus in prædicta deliberatione perſeverantes, de generali concilio utriuſque obedientiæ congregando in uno loco & termino, per quod poteſt evidenter ſchiſma extirpari et unio haberi, ſubterfugiis ipſorum contendentium vel alterius non obſtantibus, ordinaverunt concorditer, quod in hac civitate Piſana nominata, & alias oblata pro loco habili & idoneo ad mutuam partium conventionem per ipſos dominos Gregorium & Benedictum teneatur generale concilium utriuſque partis convocandum in certo modo per ipſos dominos cardinales ad invicem unitos, ad XXV. Martii prox. futuri ad fines & effectus prædictos, cum inſinuatione et ſolemni requiſitione facienda & hodie facta in Senis, ipſis domino Gregorio et Benedicto, ut ipſi concilio generali utriuſque partis velut viæ ordinariæ in cauſa duorum contendentium de papatu præbere habeant conſenſum et opem, et quod ipſi duo contendentes in ipſo concilio interſint, debitum ſuum facturi, et alias ut concordatum extitit, exhibituri. In quo caſu honorabuntur,

et

ANNO CHRISTI 1409.

et securi manebunt, ut decet et convenit, exhibitis sufficientibus et honestis provisionibus, et super materia et via sic mature digesta et concordata direxerunt de omni communi assensu et deliberatione eorum patentes litteras et clausulas prælatis, regibus et principibus, et aliis quampluribus viris ecclesiasticis eorum partis et obedientiæ, notificantes pariter notificationem prædictam et vocantes ad prædictum utriusque partis et obedientiæ concilium in loco et termino antedictis. Ex quo, operante Spiritus Sancti gratia, effectum est quod omnes prælati, reges, et principes et alii fideles, ad quos de hac via pervenit veridica relatio, illam approbant et extollunt, eamque parati sunt prosequi, illique præstare consilium, auxilium, et favorem.

Item, dicunt quod super prædicta via ordinaria mature & sanctissime deliberata & conclusa domini cardinales partis alterius de communi deliberatione eorum litteras clausas & patentes direxerunt Benedicto, per quas eidem notificant prædictam deliberationem, & requirunt quod prædicto concilio generali utriusque obedientiæ præstet auxilium & opem, licet & superabundanti & ad majorem cautelam, & quod in ipso concilio personaliter intersit debitum suum exhibiturus, & speratur a multis quod in prædictis non contradicet, sed potius suum præstabit assensum, cum huic viæ velut ordinariæ & necessariæ contradicere non possit, nisi inimicus Dei & ecclesiæ ab illius unitate & fide præcisus, & factus suis ambitionibus & erroribus alienus.

Item, dicunt & notificant quod quamvis hæc notoria sint, & manifesta ipsis ambaxiatoribus, quod his diebus proxime elapsis, ipsi domini cardinales de consensu & communi deliberatione dominorum cardinalium alterius partis ad dominum Gregorium destinaverunt reverendissimos in Christo patres DD. Aquilegensem & Mediolanensem vulgariter nuncupatos S. R. E. cardinales, ad sibi notificandum præmissa, faciendo eidem pares & similes requisitiones, quas alii domini cardinales destinaverunt & fecerunt Benedicto, & alias etiam ad ostendendum per quam viam ambulare deberet secundum evangelii veritatem, dicta & gesta sanctorum patrum alias in Romana ecclesia utiliter observata: quos nullatenus videre voluit, & minus per se vel alium audire, licet per plures dies ejus præsentiam præstolati fuerint, existentes in civitate Senarum, in qua tunc residebat ipse dominus Gregorius, sicut & residet de præsenti, nec profuit humilis instantia opportune et importune magnificorum priorum et capitanei populi et multorum aliorum venerabilium civium civitatis Senarum, prout vobis venerabilibus oratoribus plene constat, quia præsentes eratis in Senis, ostendens per hoc idem dominus Gregorius suæ indurationis ad turbandam pacem ecclesiæ pertinaciam, adeo notorie & evidenter quod nulla valet tergiversatione palliari, seu quovis alio quæsito colore vel velamine excusari.

Istis igitur summarie præmissis, ad responsionem vestræ ambaxiatæ veniendo respondetur pro parte prædictorum dominorum, quod prudente & circumspecto oculo considerantes ipsi domini cardinales quod concilium generale totius universalis ecclesiæ tam de jure quam de facto, quod factum in isto casu per multum considerandum existit, potest lacessitam ecclesiam reintegrare, & extirpato damnabili schismate, dare pacem populo christiano; hoc deliberaverunt, illud procuraverunt, & pensantes quod nulla partium de per se sola hoc potest, nec de jure, nec de facto, ut inferius ostendetur, sed quod necesse erat ambas partes concurrere, quia juxta Augustinum de Civitate Dei, concordia seu pax & unio est convenientia partium ad invicem discordantium: quod ad sensum percipimus evidenter, Spiritus S. gratia operante, cui operationes unionis & pacis specialiter attribuuntur, ipsi domini se unierunt unione indissolubili in vinculo caritatis & pacis, cum reverendissimis dominis alterius collegii cardinalium pro reintegratione facienda, exitiali præfato schismate extirpando a populo Christiano, ut sic a seipsis incipiendo possent decentius postea unitatem ponere in ecclesia S. Dei, per convocationem concilii generalis: quæ ad eos dominos sic unitos de jure spectare minime in dubium vertitur sapientibus, & aliquantulum prout nunc expedit inferius patefiet. Quapropter ut operatio intentioni concordaret, dicti domini se omnes tam de eorum collegio quam de altero olim diviso, nunc per Dei gratiam unito convocata est tota ecclesia, videlicet obedientia ipsorum per istos dominos, & obedientia eorum per ipsos dominos præfati collegii in unum locum, videlicet locum Pisarum, & liberaliter & cum caritate eis traditum a magnifica communitate Florentiæ, & in unum diem, videlicet XXV. Martii prox. futuri. Nec immerito dictum locum elegerunt communiter & concorditer: nam commoditatibus ejus omissis, quas habet accommodas utrique obedientiæ, ille locus est qui ab ipsis duobus contendentibus vel alterutro ipsorum recusari non potest, qui ab ambobus oblatus cum justificationibus atque per ipsos de ejus voluntate & mandato per solemnem ambaxiatam extitit, constetque quod talis locus pro concilio generali eligi deberet, qui rationabiliter a nullo ipsorum duorum contendentium valeret recusari, cum ipsi duo contendentes ad dictum locum sint evocandi, prout & evocati sunt. Hæc fuit voluntas ipsorum dominorum cardinalium. Hæc est & erit cum ipsius adjutorio, in cujus laude & nomine quæcumque peracta sunt, fecerunt; optime namque cognoscunt quod concilia particularia, quæ potius conciliabula merito appellantur, nedum quod schisma possint auferre, immo illa unionis inimicus adjuvet; ut schisma confirmet, & ut hidra capita pullulet pluriora.

Et ut nihil irresponsum remaneat, dicunt prædicti domini, quod si prædictus Gregorius vellet venire ad hoc S. concilium, prout de jure tenetur secundum Deum & bonam conscientiam, & prout requisitus istis diebus extitit in Senis, ipsum recipient cum cari-

Anno Christi 1409.

caritate & honorificentia debita, & contentantur quod idem dominus Gregorius vocet sibi obedientes, dum tamen ad hunc locum Pisarum & ad eundem diem sicut ipsi domini cardinales. Et si sic fiat, prout optant & sperant, vestris magnificis favoribus intercedentibus, proculdubio unio & pax in ecclesia Dei subsequentur ad laudem Dei, in cujus finem omnia vota nostra tendere debent, atque ad communem utilitatem christianorum, quam præferre debemus privatæ: quæ omnia nobis concedat qui facit in domo Domini unanimes habitare cum consensu, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Restat respondere ad rationes prænominati domini Gregorii, quibus nititur asserere & persuadere, quod ad ipsum spectet hujusmodi convocatio concilii. Primo quod hoc, salva pace, aliter se habet verum. Nam rei veritas ita se habet, quod cum circa principium mensis junii nuper elapsi in Liburno ambo collegia convenerunt, S. Spiritu illustrante corda eorum, subito & repente, simul unita & conjuncta ad effectum prosequendæ unionis fuerunt, deliberaveruntque & concluserunt simul & conjunctim prosequi unionem, dimissis eorum capitibus velut omnino indispositis ad illam, & concluserunt generale concilium convocare, quia de cætero non videbatur alia via, per quam posset ad unionem ecclesiæ sanctius & securius perveniri. Istud fuit publicum & notorium & potissime in Portu Veneris & in Luca. Quod audiens Benedictus circa medium dicti mensis junii publicavit & indixit velle concilium apud Perpinianum convocare in proximo festo omnium sanctorum, credens quod per hoc convocatio sacri collegii frustraretur effectu, & statim post idem Benedictus istud per suas litteras intimavit eidem domino Gregorio huc existenti in Luca. Idem vero dominus Gregorius in mense julii sequente concilium indixit se celebraturum in exarchatu Ravennensi vel patriarchatu Aquilegiensi, & per consequens non solum fuit præventus per collegium, sed etiam per Benedictum: immo attenta alternatione vocationis factæ per dominum Gregorium, nulla convocatio potest intelligi adhuc facta aut indicta.

Secundo etsi sic verum esset quod hic non potest habere locum præventio; in quem enim nulla est jurisdictio, non potest exercitium præventionis cadere; sed jurisdictio, congregandi concilium in isto casu non potest cadere in eum, ut statim succincte dicetur, posito etiam quod esset verus papa, in hoc casu stantibus terminis. Ergo hic non potest habere locum præventio: immo omnia attentata per ipsum in impedimentum concilii generalis, ad quod tendunt ipsi domini cardinales, tamquam facta in defectum jurisdictionis sunt ipso jure nulla.

Ad secundam rationem, & per consequens ad tertiam ipsius domini Gregorii, quæ effectualiter idem sunt, dum dicit quod ad ipsum tamquam papam, & demum ad ipsum tamquam caput, &c. sic breviter respondetur, quod jura dicentia quod ad Romanum pontificem congregatio concilii spe- A ctet, quibus se innititur, tamquam ea certitudinaliter legens, non potest in isto casu sibi vindicare locum, duabus pro nunc principaliter rationibus, primo quia jura illa loquuntur de unico indubitato Romano pontifice ab universali ecclesia pacifice recepto, licet eidem tractu temporis quæstio aliqua moveatur, non tamen de titulo papatus, ut etiam statim tangetur. Cum igitur neuter ex contendentibus videlicet domini Gregorius & Benedictus, posito quod esset unus ipsorum Romanus pontifex, neuter eorum est indubitatus, unicus, & non levi dubitatione, immo nimis difficili & involuta tam juris quam facti, quod utinam non esset. Rite igitur concluditur, quod nullus ex prædi- B ctis duobus contendentibus auctoritate jurium prædictorum de convocatione concilii loquentium in Romanum pontificem possunt sibi congregandi potestatem vindicare.

Secunda ratio est, posito quod isto casu dubio sibi vindicaret locum, alio tamen respectu in isto casu locum habere non posset. Nam quia hic agitur de titulo papatus inter duos contendentes, non potest reperiri in jure quod ad ipsum Romanum pontificem, quamvis verum, dubitatum tamen, spectet congregatio concilii, immo reperitur contrarium, ut in suo loco & tempore ostendetur, & ubi dominus Gregorius se dicit caput, cardinales autem membra, C advertat ne nutriendo hoc schisma, prout facit, fovendoque ipsum, factus sit minor quocunque catholico.

Tertia ratio est, videlicet carentia finis ad quem omnia tendere debent. Videatur effectus ipsius concilii. Ipse convocat concilium suum in Ravenna vel Aquilegio, & ut magis ostendat magnam prudentiam sui concilii, alternavit Capuæ vel Ephesi, ut sint bene certi qui habent convenire quo vadant. Ponamus igitur concilium congregatum in quo erunt pauciores quam credat. Benedictus convocat aliud in Perpiniano, ad quod etiam ibunt qui volent, sed scimus quod pauci. Quis erit effectus isto- D rum conciliorum? nullus habebit forte quintam sed decimam partem ecclesiæ. Quilibet judicabit de jure suo. Benedictus, approbante concilio, judicabit se papam. Idem dominus Gregorius. Erit ne istud concilium? erit judicium? erit sententia? determinationi Benedicti stabit dominus Gregorius vel e contra? Certe non. Frustra ergo aliquis vel ambo dictorum duorum contendentium de papatu sic concilia congregant, cum bono & suo careant fine propter quem congregari debet concilium.

Convocatio autem per dominos cardinales utriusque uniti & unici collegii per quam congregabitur tota catholica universalis ec- E clesia utriusque obedientiæ, tamquam facta per illos ad quos in isto casu solos & principaliter pertinet, ut suo loco & tempore lucidius ostendetur, & per determinationem dictæ universalis ecclesiæ congregatæ, Spiritus S. gratia coadjuvante, & extirpabitur mucrone dictæ ecclesiæ schisma pestiferum, & ad unitatem & pacem orthoxorum fidelium, regum & principum, & notabilium comitatuum, maxime Venetorum & Floren-

ti-

Anno Christi 1409.

tinorum, ac totius populi Christiani favoribus justis & rationabilibus & debita assistentia concurrentibus, ad ipsarum magnificarum comitatum meritum animarum, & gloriam sempiternam votive & feliciter deducetur.

Ea propter deprecantur affectuose, quantum possunt, ipsi domini cardinales insignes comitatus Venetorum & Florentinorum & vos ipsarum ambaxiatores & oratores notabiles, quatenus ipsæ & vos velitis prædicta earum nominibus omnia significare domino Gregorio, & procurare cum illo ut ad ipsum concilium in hac Pisana civitate celebrandum venire velit in termino antedicto, prout de veritate juris nedum humani, sed & divini censetur esse astrictus, debitum suum exhibiturus: in quo si venerit, honorabitur, ut decet & convenit. Alias si hoc recusaverit, necessitate fidei hoc exposcente, providebit concilium generale et ecclesia prout et secundum Deum & divinas & canonicas sanctiones fuerit providendum, subterfugiis non obstantibus illorum qui ecclesiam in schismate damnabiliter tenere conantur. Et si dominus Gregorius vel sui aliqua prætendunt, quam præmissa superius narrata, in quantum in facto & jure consistunt, ipsi domini cardinales offerunt se paratos ostendere, quod præmissa vera sunt, & de jure procedunt, & illa defendere in concilio generali. Et ultra, si aliqua rationabilia, & factibilia, tendentia ad accelerationem desideratæ unionis videntur posse & debere fieri ipsis insignibus comitatibus & dominis Venetorum & Florentinorum, ipsi domini cardinales sunt parati illa audire & admittere semper in quantum ad bonum, & accelerationem pacis poterunt pertinere.

Die Veneris quinta Octobris hora vesperorum vel quasi, indict. prima MCCCCVIII. assignata, tradita, & præsentata fuit similis responsio, facta prius collatione per me Angelum notarium infra scriptum per reverendos in Christo patres & dominos, dominos H. Tusculanum, & A. Penestrinum episcopos; A. Laudensem, C. Melitensem. J. de Ursinis presbyteros, R. de Branchaciis, L. Barrensi, A. de Salutis, O. de Columpna, P. de S. Angelo antiquiorem, & P. de S. Angelo juniorem, S. R. E. diaconos cardinales, nobilibus & egregiis viris domino Rosso Marino ambaxiatori illustris ducalis dominii Venetorum, & domino B. de Populenchiis oratori magnificæ comitatis Florentinorum coram dictis dominis Pisis existentibus in camera residentis domini Aquilegiensis, ipsaque responsione de verbo ad verbum lecta, audita, & collationata, dictus dominus B. pro se & præfato domino Rosso recepit; præsentibus ibidem R. in Christo Patre domino episcopo Meldensi &c.

SALVUS CONDUCTUS FLORENTINORUM

Limitatus.

...rt ...t. Vet. ...n. to. ...pag. ex Liu... Leod.

NOs priores artium & vexillifer justitiæ populi et communitatis Florentiæ tenore præsentium damus et concedimus liberam et plenam licentiam atque salvum-conductum universis et singulis in Christo patribus reverendissimis et dominis dominis episcopis, presbyteris, & diaconis cardinalibus, & collegio cardinalium, quod collegium apud quosdam Gallicum nuncupatur, veniendi ad quæcumque loca, sive illa sint civitates, castra, villæ, ecclesiæ, vel monasteria sita intra fines nostræ jurisdictionis, semel, & pluries, & totiens quotiens voluerint, separatim, & conjunctim, & ibidem standi indeque discedendi, atque ad ea redeundi, cum omni eorum comitiva famulis, equis, mulis, jumentis, arnensibus, ac rebus omnibus libere, licite, secure, non obstantibus quibuscumque rationibus vel causis aut impedimentis, quæ dici vel excogitari aliquo modo possint, ita quod præsens licentia & salvus-conductus plenissimam obtineat securitatem, & omni prorsus dubitatione & cavillatione careat: mandantes insuper omnibus & singulis rectoribus & officialibus nostris, sub quibuscumque nominibus et vocabulis, subditis atque gentibus armorum, quatenus dictis reverendissimis dominis cardinalibus et cuilibet ipsorum cum omni eorum comitativa, sociis, famulis, equis, jumentis, navigiis, arnensibus, ac rebus omnibus in eundo, accedendo, stando, transeundo, discedendo, & redeundo dent & præstent accessum, transitum & iter liberum atque securum, sine aliquo impedimento, molestia, vel notivitate in personis vel bonis ipsorum vel alicujus eorum modo aliquo inferenda, & sine ulla solutione pedagii, oneris vel gabellæ; & quod prædicta omnia observent & observari faciant pure, libere & bona fide, omni exceptione & cavillatione remotis. Cum his tamen salvis & exceptis, quod præfati, reverendissimi domini cardinales non possint sine nostra licentia ad civitates Florentiæ & Pisarum venire, & in eis moram ducere. Volumus tamen quod possint & eis liceat conjunctim & divisim per dictam civitatem Pisarum transitum facere, & in ipsa die uno aut duobus et non ultra stare: aliam insuper justis rationibus, & causis limitationem addentes quod nequeat ipsorum collegium cum collegio aliorum reverendissimorum in Christo patrum & dominorum se convenire in locis ditioni subjectis; sed in eorum stet electione separatim & aliter quam collegialiter se convenire cum præfato collegio Romano, si voluerint: quam eorum conventionem nolumus quod a quoquam in nostris finibus impediri possit, in tantum quod præsens securitas ad aliquos cives vel subditos nostros, qui in eorum comitiva essent pro aliquibus condemnationibus aut bannis pecuniariis aut personatibus nullatenus extendatur. Datum Florentiæ pie XXI. Julii, indictione prima, MCCCCVIII.

Facta est collatio cum originali.

LIT.

ANNO CHRISTI 1409.

LITTERA AD DOM. BENEDICTUM

Per quatuor cardinales.

Ib. p. 818. Ex MS D. Chauvel.

SAnctissime ac clementissime domine, supplici & humili recommendatione præmissa. Etsi usque in præsens veritatem eorum, quæ per nos et alios cardinales pro nunc ab isto loco absentes, prosecuta & gesta fuere cum dominis in parte alia cardinalibus nominatis, pro schismatis extirpatione & unitate in Dei ecclesia reducenda, vestræ sanctitati non insinuaverimus, supplicamus in admirationem seu in interpretationem aliam non deduci, cum tantum Dei negotium involutiones & intricationes multiplices habuerit, quæ brevi tempore abjici non potuerunt seu repelli. In hac tamen materia reperimus præfatos dominos in alia parte dominos cardinales nominatos, unanimes in omni virtuosa actione constantes, prosequentes solum quæ habent divina mandata et canonicæ sanctiones; in quo sic eis assistit Spiritus-sancti gratia, ut major pars prælatorum, regum, et principum, et notabilium communitatum suæ partis et obedientiæ cum eis conveniat & concordet. Ex quo Gregorius nominatus est nedum appellatus; immo, a servitioribus laicis pro majori parte derelictus, sic quod videtur quæ pacis sunt quærere et cessionem offerre. Ex quo verisimiliter speramus de pace ecclesiæ, nisi per partem nostram prosecutio hujusmodi sanctæ viæ tam verisimiliter præparatæ quomodolibt impediatur, quod absit, et minime credimus, cum de voluntate sanctitatis vestræ dictam prosecutionem assumsimus. Alia particularia per nos gesta et tractata, et etiam quæ in futurum facienda videntur, curabimus, Deo auxiliante, sanctitati vestræ infra breves dies per solemnes personas insinuare; et credimus quod erunt talia, quæ sanctitati vestræ grata erunt et accepta, ac omni populo christiano, et etiam tunc explicari faciemus nostram et absentium intentionem super materia concilii, quod intenditis in festo Omnium-sanctorum in loco Perpiniani tenere, et utrum tale particulare concilium in ultimis quasi terræ finibus, et multum a parte adversa distantibus celebraturum, possit ad unitatem dandam ecclesiæ pertinere, dubitatur a multis. Sanctitatem vestram conservet Altissimus feliciter & longæve cum effectu optatæ unionis. Scriptum Pisis.

Vestri humiles oratores. (G. Penestrinensis) (N. Albanensis) (P. Tusculanensis) (P. S. Angeli) cardinales

LITTERA JANUENSIUM DE NEUTRALITATE

Seu de non obediendo alteri contendentium de papatu.

Affert Mart. Anecd. to. II p. 1408. Ex MS. Gemmetic.

UNiversis has visuris pateat, quod nos Johannes le Maingre, dictus Boucicquavult marescallus Franciæ, locum tenens regius et Januensium gubernator pro serenissimo rege Francorum domino Januæ, consilium Ancianorum, et officium provisionis civitatis Januæ, optantes summopere videre in Dei ecclesia sanctissima unionem, receptis quanta decet reverentia, et diligenter inspectis litteris patentibus, regiis, et aliis clausis per eundem serenissimum et supremum dominum nostrum devotioni nostræ directis, datis Parisius die XII. Januarii proxime elapsi, continentibus se non sine maturo et tantæ rei convenienti consilio viam neutralitatis in prosecutione sancti præsentisque operis unionis ecclesiæ amplecti, decrevisse in festo Ascensionis Dominicæ proxime lapso, ut denegatio obedientiæ utrique contendentium de papatu afferat Christi fidelibus tandem perpetuam et salutiferam ecclesiæ ipsius unionem; nec minus causas urgentes motusque laudabiles, qui pietatem regis ad viam ipsam eligendam decernendamque impulerunt. Et auditis his quæ super hoc venerabilis dominus magister Petrus *Plaout* orator regius novis eloquenter exposuit, exhortando nos pro parte regia sicut et per dictas clausas litteras exhortamur, quod viam ipsam neutralitatis tamquam præparatoriam et aptissimam dictæ unioni similiter amplecti vellemus continuo ut super hac tam grandi re mature deliberare possemus, doctores melioresque cives cum principalibus cleri Januensis coram nobis congregari fecimus, et re ipsa illis pandita, datoque cogitandi aliquo dierum spatio tandem cum ipsorum civium ac cleri concordi consilio et deliberatione matura, in Dei nomine viam ipsam neutralitatis amplecti, regia imitando laudanda vestigia, et tenere decernimus, sperantes in Christi Salvatoris nostri misericordia, quod via ipsa sicut ab animarum nostrorum sinceritate procedit, ita erit salutifera toti Christiano populo, horrendum schisma conteret; pacem tantis expectatam desideriis, jamdiu ab ecclesia exultante restituet, et pariet ecclesiasticam unionem. Mandamus omnibus et singulis regis subditis nostro subjectis regimini, quatenus dictam neutralitatis viam, neutri in papatu contendentium obediendo, amplectantur et teneant. In quorum omnium testimonium et fidem præsentes litteras fieri fecimus, sigillique nostri impressione muniri. Dat. Januæ an. D. MCCCCVIII. die 21. Julii.

ADHÆSIO ALIORUM CARDINALIUM

Ad prædictum votum & juramentum.

Affert Mart. V. Mon., to. VII. p. 803. Ex MS. co. S. Laur.

MIseratione divina nos Angelus tituli S. Potentianæ, dictus Laudensis, Petrus tituli XII. apostolorum dictus Mediolanensis, Johannes S. Crucis in Jerusalem dictus Ravennatensis presbyteri, & Balthazar S. Eustachii diaconus dictus Bononiensis S. R. E. cardinales, manibus nostris propriis infrascripti, existentes in ecclesia majori Pisana collegialiter cum reverendissimis in Christo patribus aliis dominis cardinalibus utriusque collegii Pisis commorantibus; attendentes proinde & considerantes, ut novit fere populus universus, ærumnas graves omnibus de-

ANNO CHRISTI 1409.

deflendas christicolis, lamentabilemque scissuram, quibus Dei ecclesia opprimitur, ob nimiam ambitionem retinendi principatum ecclesiae. Duobus enim super eo ambitione certantibus *, orti sunt errores mortiferi, & corda diffidentia inter eos, quos in vera fide Christi caritas propagavit. Etiam insurrexere inter populos Christianos fremitus guerrarum, in gentes rancores, & odia, quos ipsa ecclesia debet sopire. Secutae sunt nedum etiam exhaeredationes, immo etiam multorum, proh dolor! strages, multaeque proditiones animarum. Sane pridie penultima mensis junii, anno infrascripto, in loco Liburnii, Pisanensis dioecesis, reverendissimi in Christo patres & domini, domini episcopi, presbyteri & diaconi cardinales utriusque collegii, ibi collegialiter existentes, mutuo & unanimi assensu, gratia spiritus sancti inspirati, convenerunt ad invicem, concordarunt, & promiserunt fide plenaria, juramento & voto irrevocabili firmaverunt, attenta indispositione notoria dictorum duorum contendentium de papatu, super unione sanctae matris ecclesiae providere, prout & quemadmodum in quibusdam litteris infrascriptis seu instrumentis publicis eorumdem dominorum cardinalium manibus propriis subscriptis & sigillis sigillatis, & coram nobis de verbo ad verbum perlectis, plene & seriose continetur. Quarum litterarum seu instrumentorum tenor sequitur sub his verbis: *Miseratione Divina*, &c. Quibus omnibus & singulis contentis in dictis litteris nobis, sic de verbo ad verbum perlectis, ac matura deliberatione consideratis, videntesque sanctas opiniones & affectiones eorumdem dominorum cardinalium, eisdem adhaerentes, & eas prosequi omnimode volentes, ipsa omnia & singula contenta in dictis litteris, ut supra scribuntur, promittimus Deo, B. Mariae Virgini ejus matri, B. Petro & Paulo, quorum sanguine fundata ecclesia damnatis ambitionibus vilescit, ecclesiae, omnibus sanctis, & Christi fidelibus plena fide, juramento & voto irrevocabili confirmamus prosequi, tenere, & inviolabiliter observare absque aliqua interruptione, nihil addito, nihil remoto, prout in dictis litteris & instrumentis seriose & in praesenti instrumento de verbo ad verbum continetur; salvo tamen quod in ultimo capitulo dictarum litterarum seu instrumentorum, quod sic incipit: *Est autem nostra intentio*, &c. omnes & singuli domini cardinales praefati, et nos cum ipsis voluimus et volumus, quod in fine illius capituli post illa verba: *Ac concordi omnium nostrum assensu*, ponatur, *Vel duarum partium omnium nostrum*; quam etiam additionem ratam et gratam habemus, et eam bona fide promittimus observare. De quibus omnibus et singulis praemissis, nos dicti cardinales suprascripti et quilibet nostrum, requisivimus et voluimus per notarios infrascriptos unum vel plura, publicum seu publica confici originalia instrumenta. In quorum omnium fidem, et testimonium praemissorum praesentes litteras, seu praesens publicum instrumentum, manibus nostris propriis subscriptas, alias subscriptum, sigillorum nostrorum mandavimus appensionibus muniri. Acta sunt haec in ecclesia majori Pisana praedicta, sub anno a nativitate domini MCCCCVIII. die trigesima mensis Augusti, indictione I. praesentibus reverendis patribus dominis Petro Meldensi, Branda Placentino episcopis, Johanne abbate S. Justinae de Padua, dominis Nicolao de Robertis de Tripoli milite, et Roberto de Quesneyo decretorum doctore canonico Rotomagensi, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

* al. trahentibus.

Deinde ego Henricus eadem miseratione episcopus Tusculanus, dictus Neapolitanus, praefatae sacrosanctae R. E. cardinalis, in sacristia ecclesiae B. Martini Pisanensis, ubi dicti domini cardinales erant collegialiter congregati, videlicet die veneris quarta decima mensis Septembris, anno supradicto, dictis litteris seu instrumentis originalibus, de quibus superius est facta mentio, per me visis, et coram me de verbo ad verbum in mei praesentia perlectis, attentis sanctis propositis, affectionibus et voluntatibus aliorum dominorum cardinalium praedictorum, volens eorum sequi intentionem, voluntatem et dispositionem, ac totis viribus corde et animo prosequi; ex mea pura et libera voluntate, juravi, vovi et promisi solemniter omnia et singula contenta in eisdem litteris seu instrumentis, prosequi, tenere, et inviolabiliter observare, prout, et quemadmodum ipsi domini cardinales singulariter promiserunt, et in dictis litteris seu instrumentis seriose continetur: ratam etiam et gratam habens additionem praedictam ubi legitur, *vel duarum partium omnium nostrorum*. De quibus etiam omnibus et singulis volui, ut praefertur, fieri unum vel plura instrumenta per notarios infra scriptos, et hic me propria manu subscripsi et sigillum meum apponi feci in testimonium praemissorum. Actum loco, die, anno, et indictione praedictis, praesentibus praenominatis dominis Petro episcopo Meldensi, et Roberto * de Quesneio doctore, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

* al. Huberto.

Ego Henricus episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis dictus Neapolitanus, praedictis omnibus et singulis interfui et assensum praebui, promisi, juravi, et in testimonium praemissorum me propria manu subscripsi et sigillum meum apponi feci.

Ego Angelus tituli S. Potentianae presbyter cardinalis, Laudensis nuncupatus, omnibus supra scriptis et singulis interfui, consensum praestiti, promisi et juravi ac vovi, et in praemissorum testimonium me propria manu subscripsi, et meum sigillum apponi feci.

Et ego Guillelmus Souleti presbyter, Malleacensis dioecesis oriundus, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, praedictorum reverendissimorum in Christo patrum et dominorum, dominorum cardinalium in civitate Pisana, locis praedictis, congregationi, promissionibus, juramentis, et votis ac omnibus et singulis aliis praemissis, dum, sic, ut praemittitur, per dictos dominos cardinales agerentur, dicerentur, promitterentur et fierent, una cum infrascriptis te-

ANNO CHRISTI 1409.

testibus et aliis notariis præsens fui eaque sic fieri vidi et audivi, et in notam recepi cum ipsis notariis, meque subscripsi, et hoc præsens publicum instrumentum ex præmissis confectum, alterius manu idonea fideliter scriptum, aliis negotiis præpeditus, signo meo solito signavi requisitus et rogatus, et verba in fine scripta, videlicet: *dominorum cardinalium utriusque collegii absentium nobis adhærere volentium in hac parte; nec non generosus & potens miles dominus Nicolaus de Robertis de Tripoli procurator, & procuratorio nomine reverendissimorum in Christo patrum* remitti & legi debent in XXV. linea ab inferiori parte numerando, ut signatum est, & omissa non fuerunt ibi scribere vitio, sed errore.

Et ego Gaspar quondam Theodorici *Schulbempflug* de *Bassinbexin* clericus Warmiensis dioecesis, publicus apostolica & imperiali auctoritate, notarius, &c.

Et ego Jacobus de *Brenbant* * clericus de Insula Tornacensis dioecesis, publicus apostolica, &c.

*al. de Bribant.

ADHÆSIO LANDULFI

Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ib. p. 806.

Miseratione divina ego Landulphus tituli S. Nicolai in carcere Tulliano, dictus Barrensis, sacrosanctæ R. E. diaconus cardinalis, in sacristia basilicæ B. Martini Pisanensis, ubi reverendissimi in Christo patres & domini episcopi, presbyteri & diaconi cardinales utriusque collegii erant collegialiter congregati, videlicet die quinta mensis Octobris, anno a nativit. Dom. MCCCCVIII. litteris seu instrumentis originalibus, quarum seu quorum copiis præsentes sunt annexæ, per me visis & de verbo ad verbum coram me perlectis, attendens & considerans sanctum propositum sanctasque affectiones & voluntates dominorum cardinalium, volens toto affectu & animo eorum sequi intentionem, voluntatem & dispositionem, & eisdem dominis cardinalibus adhærere, ex mea pura et libera voluntate juravi, vovi, et promisi solemniter omnia et singula contenta in eisdem litteris seu instrumento prosequi, tenere et inviolabiliter observare, prout, et quemadmodum ipsi domini cardinales singulariter promiserunt, juraverunt et voverunt, et in eisdem litteris seu instrumentis seriose continetur. De quibus omnibus et singulis præmissis ego Landulphus cardinalis, requisivi et volui per notarios infrascriptos unum vel plura, publicum vel publica confici originalia instrumenta. In quorum omnium fidem et testimonium præmissorum præsentes litteras seu præsens publicum instrumentum, manu propria subscriptas, alias subscriptum, sigilli mei mandavi appensione muniri. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, et loco prædictis, indictione 1. præsentibus reverendis in Christo patribus P. Meldensi, Jacobo Laudensi episcopis, et S. Angelo de Viterbio secretario domini cardinalis Aquilegiensis, testibus ad præmissa vocatis et rogatis.

Ego Landulphus S. Nicolai in carcere Tulliano, S. R. E. diaconus cardinalis Barrensis, prædictis omnibus et singulis interfui, et assensum præbui, promisi, juravi et vovi, in testimonium præmissorum me propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Et ego Guillelmus Souleti presbyter, Malleacensis dioecesis oriundus, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, prædictorum reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum cardinalium in civitate Pisanensi loco prædicto, congregationi, promissionibus, juramentis et votis, ac omnibus aliis et singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, per dictum dominum cardinalem agerentur, dicerentur, promitterentur, et fierent una cum prænominatis testibus et aliis notariis infrascriptis, præsens fui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in notam recepi cum ipsis notariis, meque hic subscripsi, et præsens publicum instrumentum ex præmissis confectum, alterius manu idonea fideliter scriptum, aliis negotiis præpeditus, signo meo solito signavi requisitus et rogatus.

Et ego Vevantius quondam Raynaldi de confratriobus de Sarvano Cameracensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius et judex ordinarius in loco civitatis Pisarum &c.

Et ego Jacobus *de Brenbant* * clericus de Insula, Tornacensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, &c.

* al. Bribant.

ADHÆSIO CARDINALIS OSTIENSIS.

Ib. p. 80[illegible]

Miseratione divina ego Johannes Ostiensis episcopus, sacrosanctæ R. E. cardinalis in sacristia S. Martini Pisarum, ubi reverendissimi in Christo patres domini episcopi, presbyteri et diaconi cardinales utriusque collegii erant collegialiter congregati, videlicet die XI. mensis Octobris, anno a nativitate Domini MCCCCVIII. litteris seu instrumentis originalibus, quarum seu quorum copiis præsentes sunt annexæ, per me visis & de verbo ad verbum coram me perlectis, attendens, & considerans sanctum propositum sanctasque affectiones & voluntates dictorum dominorum cardinalium, volens toto affectu & animo eorum sequi intentionem, voluntatem & dispositionem, & eisdem dominis cardinalibus adhærere, ex mea pura & libera voluntate juravi, vovi & promisi solemniter omnia & singula quæ in eisdem litteris seu instrumentis seriose continentur. De quibus omnibus & singulis prædictis ego Johannes cardinalis requisivi & volui per notarios infrascriptos, unum vel plura, publicum vel publica confici originalia instrumenta. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras seu præsens instrumentum manu propria subscriptas, alias subscriptum, sigilli mei mandavi appensione muniri. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, & loco prædictis, indictione prima, præsentibus reverendo in Christo patre domino Petro episcopo Meldensi, & domino Roberto de Quesneyo decretorum doctore & canonico Rotomagensi, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Se-

ANNO CHRISTI 1409.

Sequuntur in codice illustrissimi domini Chauvelin litteræ neutralitatis factæ per dominos cardinales alterius partis, tunc scilicet domino Gregorio adhærentes, quales editæ sunt in Spicilegii tom. 6. pag. 192. in cujus fine hæc in ms. codice leguntur: Originali supradicto sigilla sua imprimi fecerunt, Aquilegiensis, Melitensis, de Brancachiis cardinales.

LITTERÆ UTRIUSQUE COLLEGII

Cardinalium, quibus Petrus tituli XII. apostolorum cardinalis Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti administrator creatur.

p. 858. MIseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. utriusque collegii cardinales per Dei gratiam jam uniti, reverendissimo in Christo patri & domino domino P. miseratione divina XII. apostolorum S. R. E. presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, salutem.

Summo unanimiter cordis cupientes desiderio sanctæ Romanæ ecclesiæ jam quampluribus tam in spiritualibus quam temporalibus subjectæ periculis, quantum in nobis fuerit, statui providere; ac considerantes quod ipsa ecclesia in provincia Marchiæ Anconitanæ, necnon in ducatu Spoletensi ad eamdem ecclesiam pleno jure pertinentibus; propter alienationes & occupationes nonnullarum civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum bonorum provinciarum et ducatus eorumdem multipliciter in suo statu destituta sit, et oculatim, nisi de remedio provideatur opportuno, funditus destituetur; quodque per vestræ circumspectionis industriam et studium fructuosum hujusmodi civitates, terræ, castra, et bona, gratia vobis assistente divina, facilius recuperari, et manuteneri, ac regi possunt et defendi. Nos, ad quos id ad præsens pertinere dinoscitur, animadvertentes, quod pro nunc super hoc utilius provideri nequeat, matura super hoc deliberatione præhabita, vos omni forma et jure, quibus melius et efficacius possumus et debemus, nomine dictæ ecclesiæ, ad recuperandum per vos vel alium seu alios, civitates, terras, castra et bona supradicta, eaque pro statu, honore, et utilitate ejusdem ecclesiæ manutenere regendum et etiam defendendum, necnon conventiones, compositiones et pacta quæcumque, de quibus vobis videbitur, cum eorumdem civitatum, terrarum, castrorum et bonorum detentoribus et occupatoribus, seu alias de jure vel de facto, aut alias quocumque colore seu titulo possidentibus ineundum et faciendum, ipsisque detentoribus et occupatoribus et possidentibus, si expedierit, hujusmodi civitates, terras, castra et bona, seu eorum aliqua in vicariatu in forma consueta concedendum, et eos ad servitia ecclesiæ prædictæ cum aliis armorum gentibus pro eadem ecclesia militantibus conducendum, ac etiam ad absolvendum omnes et singulos detentores, occupatores, et possidentes hujusmodi ab omnibus et singulis pœnis, bannis, et aliis condemnationibus tam temporalibus quam perpetuis quibuscumque in eos auctoritate sedis apostolicæ vel ejus officialium quacumque ratione vel causa latis, eosque, si necesse fuerit, ad statum, ac dignitates, honores, jura, et privilegia præsentia, etiamsi eorum absolutio, restitutio, et integratio hujusmodi Romano pontifici dumtaxat reservata fuerit, restituendum, reintegrandum tenore præsentium constituimus, ordinamus et etiam deputamus; plenam et liberam vobis ad hoc ac omnia et singula alia, quæ circa ea dictæ ecclesiæ necessaria, utilia, vel alias quomodolibet opportuna fuerint, potestatem et licentiam tribuendo, promittentes tam sub dictæ ecclesiæ, quam cujuslibet nostrum hypotheca, et obligatione bonorum prædicta, omnia et singula, et quæ, ut præfertur, circa per vos vel alium seu alios vestri nomine facta fuerint, firmiter et inviolabiliter observare, et facere, quantum in nobis fuerit, observari; et quod quamquam nos, Altissimo concedente, conclave pro proximo futuro summo pontifice eligendo intraverimus, ante omnia quilibet nostrum jurabit, vovebit, et promittet, quod ille qui ex nobis ad summi apostolatus apicem assumtus fuerit, ea omnia et singula approbabit, ratificabit, ac auctoritate apostolica in forma meliori confirmabit, vel per primum summum pontificem, si forsan non ex nobis, sed extra collegium nostrum aliquis assumtus fuerit, procurabimus eadem auctoritate confirmari, nec umquam consentiemus, quod per aliquem Romanum pontificem revocentur aut annihilentur quoquo modo. Die XXIX. Augusti, indictione prima, MCCCCVIII.

LITTERA AD REGEM UNGARIÆ.

Desperata per contendentes de papatu ecclesiæ unione, concilium se generale Pisas indixisse significant, pro quo favorem regium implorant, rogantque ut regni sui prælatos ad illud mittat.

SErenissimo principi & domino, domino Sigismundo Dei gratia Ungariæ regi, &c. miseratione divina episcopi, presbyteri, diaconi S. R. E. cardinales salutem, & ad ea quæ unitatem fidelium & pacem ecclesiæ concernunt, regiam opem ferre. Ib. p. 860.

Quantis dudum exulcerata doloribus, quantis fuerit lacessita & conquassata flagitiis sacrosancta Dei ecclesia, mater fidelium, unica Christi sponsa, deploranda vulnerum acerbitas, quibus læsa vexatur & premitur, universo jam orbi manifestissime demonstravit: quorum culpa vel verius sævitia tantæ pestis occasio creverit, & extensis perniciosis radicibus dietim eo fortius & periculosius confirmetur, cum jam orbis noverit, vestra serenitas non ignorat. Ex quibus apud serenitatem vestram non longa scripturarum pagina principaliter opus esse censemus. Cum enim, illustrissime princeps, sancta mater ecclesia jam triginta annorum spatio lacera & afflicta per manus duorum nunc certatim contendentium de papatu, qui promissionibus, juramentis & votis astricti, in eamdem sententiam pari concurrere videbantur affectu, pacis & uni-

unitatis statum debitum assequi videretur, maxime cum eorum multiplicitate litteræ tantæ sinceritatis nunciæ diversorum principum, comitatuum & populorum oculos fatigassent; heu! quod dolenter referimus, tantum potuit cæca & misera temporalis ambitio, ut omni fidei religione supernique judicis metu positis in neglectum, tractatus prosequendæ unionis ecclesiæ per utrumque contendentium in ludibrium versus sit, ecclesia fluctuans certiori naufragio exposita, & oves dominicæ, sine duce, sine auxilio, in luporum faucibus linquerentur. Quis umquam eorum actus tam scelestos, tam improbos credidisset, cum eorum vita præcedens tam exemplarem conscientiam & sanctimoniam prodidisset? Quis ulterius eis credet, qui fidem non tenuerunt hominibus, & votum Deo exhibitum tam perperam violarunt? Quid tamdem expectare potest ecclesia, nisi continuum dissidium & ruinam in moribus, cum tam pestilens tamque horribile monstrum deleatur e terris? Quo fit ut eadem mater ecclesia, patefactis vulneribus, filiorum imploret auxilium, pulset & excitet corda fidelium, & cunctorum quos fidei zelus & fervor catholicæ religionis accendit, præsidium obtestetur. Primum ad serenitatem vestram confugiens, ut matri desolatæ porrigatis dexteram, ac nutricem prostratam erigendo, quantum in vobis fuerit, & ab improborum impressionibus liberetis, exemplo prædecessorum vestræ regiæ majestatis, qui nullis umquam laboribus, impensis, aut periculis, nedum indefessis studiis, ad eam protegendam & ampliandam quomodolibet pepercerunt. Nos autem eamdem tantis obnoxiam calamitatibus intuentes, & plane experti nullum ulterius restare remedium, quo posset eadem ecclesia per manus ipsorum pacis & unitatis pulcritudinem obtinere, dictis contendentibus in reprobum sensum datis, cum annum & ultra in procurando loco conventionis utriusque, & difficultatibus inextricabilibus consumsissent, tamdem nullo in orbe loco eorum affectibus satisfaciente reperto, et cessionis via tam solemniter promissa et jurata effectualiter per eos, proh dolor! reprobata, ut promissiones, juramenta et vota nostra, sicut tenemur, viriliter impleremus, dimissis utrimque capitibus de papatu certantibus, sanctam et legitimam in Dei nomine quæsivimus unitatem, et de duobus collegiis hactenus divisis et sparsis, in unicum collegium cum sinceritate et caritate regressi, hanc Dei causam, eo administrante, sumus amplexi, depositis totis sensibus, studiis, ac viribus nostris, eam usque ad consecutionem unionis tam sanctæ tamque desiderabilis promovere, et ut salubrius necessitati ecclesiæ ejusque futuro statui valeat irrefragabiliter provideri, generale concilium universalis ecclesiæ per speciales litteras evocamus, ut nobiscum in festo Annunciationis gloriosæ Virginis Mariæ proxime futuro in hac Pisana civitate conveniat. Sperantes tunc tandem tanta nobis unitatis sinceritate et commoditate desuper præparata, vestraque majestate nobis et ecclesiæ piæ matri suæ præstante præsidium, exaltationem Catholicæ fidei, salutem animarum Christi fidelium, et regii culminis vestri laudem et gloriam perpetuam obtinere. Quis igitur nunc temporis non aperiet eidem ecclesiæ viscera caritatis? quis non provocabitur ex intimis: quis non accendetur ad iram, ut a tam infestæ tyrannidis servitio liberetur? Absit enim ut a tam salutari nostri Redemtoris obsequio quisquis se retrahat. Absit ut relinquat arma rubigini. Absit ut animum neget victoriæ, cum non desit victoribus corona per gratiam et meritum in præsenti, et per gloriæ præmium in futuro. Quare vestram regiam majestatem, in cuius fortitudine dexteræ plurimum salus pendet ecclesiæ, totis præcordiis obsecramus, ut ferventem zelum, quem ad unitatem et statum gentis ecclesiæ vestrorum exemplo majorum, qui primum regii diadematis decus et debitum reputarunt ecclesiam defensare, dignetur feliciter prosequi, et clypeum defensionis ejusdem potenter arripere, ad ipsum generale concilium solemniter legationem, ut tantum decet principem, in tempore transmittendo, quo possit ipsa mater ecclesia, vestræ majestatis assistente præsidio, tam feliciter informari, et super inde prælatos regni vestri, ad quos hujusmodi vocationis litteræ diriguntur, regiis suasionibus exhortari, quando etiam ubi opus existeret, ne quis a tanto bono se retrahat, modis debitis coercere, ut ad hujusmodi sacræ convocationis præsentiam studeant festinare. Nos enim sanctum vestræ majestatis affectum et effectum celerem in tabulis memoriæ, vita superstite, retinere dispositi, quæcumque regii culminis vestri decus et exaltationem concernunt, libenter offerimus promtis et sinceris animis promovere. Super quibus omnibus reverendum in Christo patrem dominum archiepiscopum Solacaniensem, de intentione nostra plenissime informatum, ad ejusdem serenitatis præsentiam destinamus, cujus relatibus tamquam nostris placeat indubiam dare fidem. Datum Pisis die VIII. Septembris anno, etc.

LITTERA AD IMPERATOREM ROMEORUM.

Orant ut oratores suos ad concilium Pisense mittat.

SErenissimo Principi et domino, domino Manueli Palæologo Romeorum imperatori et decertatori, miseratione divina episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales salutem, & ad ea quæ ad pacem sunt Jerusalem unanimiter aspirare. Ib. p. 8

Quam grata sit summo Creatori nostro unitas, multis & variis ipsius operibus, atque sacræ scripturæ exemplis & auctoritatibus edocemur, præcipue dum ipsa unitas sit ab homine primo, omnes per propagationem processerunt. Sicque etiam in ipsius nascentis ecclesiæ exordio videmus, in cujus institutione ad commendandam unitatem, uni Petro Redemtor noster commisit ecclesiam, licet omnibus apostolis parem dederit potestatem, quæ quidem unitas ecclesiæ in multorum filiorum suorum per dilectionem conventione, in sacramentorum Christi communione

Anno Christi 1409.

munione, in membrorum ad caput conjunctione consistit: extra quam gratiam Dei habere non possumus, quæ proprie est donum catholicæ unitatis; nec remissionem peccatorum, nec vitam spiritualem; ita ut sacramentorum perceptio nihil prosit, miraculorum operatio nulla sit, ipsa etiam martyrii susceptio sit inutilis, & peccatorum remissio haberi non possit: unde non multitudinem, sed unitatem..... Unde Christiani scindentes unitatem ecclesiæ, infideles merito reputantur, & paganis æquales, qui veluti schismatici ecclesiam Dei lacerant, & inde scissam Dei tunicam per frusta discerpunt. Quibus quam graves a Deo poenæ inflictæ & institutæ sint, in novo & veteri ostenditur testamento, & sanctorum patrum multiplicibus instruuntur institutis. Hæc itaque, serenissime domine, diligentius recensentes, & attendentes quanta perfidia, quantoque scelere contendentium de papatu jam longissimo spatio ecclesia sponsa Christi mater nostra divisa permanserit, & quantum in eis est etiam in posterum permaneret, nisi per nos & alios fideles prævia gratia & inspiratione superna de optimo provideretur remedio: Nos utriusque collegii cardinales, quorum quotidiana instantia, teste Apostolo, esse debet, & est sollicitudo omnium ecclesiarum, qui etiam jure Levitico summi sacerdotis coadjutores existimus; ne tam patentis erroris, cui universale damnum & præcipitium totius reipublicæ subjacet, non tantum simulatores conniventes, sed etiam socii & participes videamur, in unum nos univimus unitatis propositum, abjecta et postposita utriusque contendentium ambitione improba et damnata, per viam juridicam et legitimam dare pacem ecclesiæ; videlicet per convocationem generalis concilii, in quo visis et cognitis promissionibus, juramentis et votis tam solemnibus totiens repetitis utriusque ipsorum, statuatur quod debitum fuerit, et pax reddatur ecclesiæ, et unitas reviresčat, ad Dei laudem, orthodoxæ fidei augmentum, et honorem nominis Christiani: quam quidem convocationem concilii fieri ordinamus in civitate Pisana in die Annunciationis beatæ gloriosæ Virginis Mariæ; ad quem terminum et locum per litteras et oratores nostros universaliter requiri facimus patriarchas, archiepiscopos, episcopos, aliosque prælatos ecclesiæ ubilibet constitutos, ut veniant, nec non reges et principes, dominos et communitates, ut solemnes ambaxiatores mittant, sicut in nostris litteris hujusmodi convocationis plenius continetur, quarum copiam tradi fecimus reverendo in Christo patri archiepiscopo Solacaniensi exhibitori præsentium, per quem progressus negotiorum, quæ hactenus occurrerunt, nostrumque propositum serenitati vestræ latius referuntur, quam cum sciamus summo desiderio concupiscere pacem ecclesiæ et concordiam populi Christiani, sicut celsitudinem vestram decet, rogamus et obsecramus, ut, si fieri possit, solemnes oratores serenitas vestra transmittat, qui dictis loco et termino adsint, et quæ agenda sunt videant: quos quidem acceptissimos habebimus et libenter videbimus; offerentes nos ad ea quæ status et honoris vestri amplitudinem concernunt. Datum Pisis, *ut supra*.

Concilior. Supplem. Tom. III.

EPISTOLA MICHAELIS STENONIS

Ducis Venetiarum ad cardinales.

Missum a rege Hungariæ Guillelmum de Prata ad reconciliandos cum papa cardinales scribit, nec posse interim eorum litteris responderi.

Reverendissimis in Christo patribus dominis episcopis, presbyteris & diaconis permissione divina sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus. Ib. p. 885.

Reverendissimi patres. Recepimus, & diligenter intelleximus litteras vestras datas Pisis XXXVIII. mensis Octobris proxime elapsi, continentes ut nobis placeat mandare officialibus & subditis nostris, ut in omnibus terris & locis nostris reverenter tractentur, & honorentur duo reverendissimi cardinales nominati in vestris litteris, quos destinatis ad diversas mundi partes pro bono unionis ecclesiæ sanctæ Dei. Ad quas respondemus, quod his diebus proxime elapsis fuit ad præsentiam nostram egregius ac spectabilis dominus Guillermus de Prata comes de Porcillis, orator serenissimi domini Sigismundi illustris regis Hungariæ significans nobis quod ad curiam proficiscitur, procuraturus nomine dicti regis reconciliationem vestrarum reverendarum paternitatum cum summo pontifice, & reducere utramque partem ad unum concilium congregandum. Rogavit, ut nobis placeret mandare nostro oratori ibidem existenti dicta de causa, quod sit secum ad quærendum & procurandum prædicta, asserens quod de brevi accessuri sunt etiam oratores partium H. Bohemiæ & Alemanniæ. Qui oratori regio respondimus nos esse contentos complacere requisitioni regiæ; & sic præcepimus observari per oratorem nostrum prædictum. Et præterea nobis non videtur, quod cum honore nostro possimus pro præsenti dare responsum requisitioni contentæ in dictis vestris litteris, donec informati erimus de his quæ sequentur per accessum dicti oratoris domini regis Hungariæ ad partes prædictas. Datum in nostro ducali palatio die IX. mensis Novembris indictione II. MCCCCVIII.

Michael Steno, Dei gratia dux Venetiarum.

COMMONITORIUM PRO CONVOCATIONE

Concilii Pisani.

Authore Gersone Canc. Parisiensi.

Debent ecclesiæ succurrere. Malis ejus tam evidentibus celerius occurrere. Possent autem ad præmissa rationes & autoritates tam divini quam humani juris adjici: verum assertive ista sufficiunt, & in fundamento prædicto possent superædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter re- Gersonis operum to. II. p. 121.

ANNO CHRISTI 1409.

respicientes concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto; quia ita clare sequuntur, ex præmissis; ut eas non sit necessarium bene intelligentibus amplius declarare.

Nota, esse legem quæ regulat ecclesiam.
(Divinam ab Evangelio.
(Naturalem a principiis naturæ.
(Canonicam a pontificibus & ecclesia, per Spiritum eis largè datum.
(Civilem a legibus pro vita civili & politica.

Difficultant aliqui concilium.

Primo: quia solus papa potest convocare concilium 17. *dist.* Et quod ista duo collegia faciunt unum sine autoritate.

Secundo: quia quilibet spoliatus debet restitui 2. p. causa 3. q. 1. c. 1.

Tertio: quia ab accusatione videntur inimici repellendi, 2. causa. 3. q. 5. & similiter excommunicati.

Quarto: quia oportet clare probare hæresim vel schisma, & quod quilibet desierit esse Papa, 2. causa 23. q. 1. & in fine de schismaticis.

Quinto: quia isti non sunt schismatici, ex quo non separant se a membris suis, causa 23. q. 5. c. *Non vos*, & per definitionem Tho.

Sexto: Benedictus, nisi alius non ejiciatur, non tenetur cedere, causa 7. q. 1. *periculosum*, nec possunt cogi, ut dixit epistola Anglicana.

Septimo: schisma non potest dici evasisse in hæresim, nec sufficiunt crimina notoria; immo glo. d. 40. c. *Si papa*. Hoc dicere, reprobatur, & profertur glo. quæ dicit *quod oportet papam errantem contra articulos fidei*.

Octavo: quomodo procedendum per accusationem, vel inquisitionem vel denunciationem.

Nono: si habeant sequaces quid fiet?

Decimo: quid si allegant 1. d. 93. obedientiam autem inferiores ordines inferioribus debent c. 1. n. 2.

Undecimo: quid justificabit oblationes suas, & injustificabit substractiones & neutralitates libertatum curiæ Romanæ.

Duodecimo: quilibet dicet: *inimici nostri sunt judices*.

Videatur tractatus propositi Vairnensis & tres considerationes suæ.

Item tractatus magistri Henrici de Hassia.

Notetur, quod ecclesia potest novam legem condere, & abrogare pro tempore & necessitate jam factas.

Notetur factum Scipionis. Allegavi & fundavi pridem in sermone circumcisionis Tarasconæ.

Item littera neutralitatis in Latino justificat totum processum.

Videtur primo declinanda omnis controversia, quod erit possibile.

Etiam credere deberent &c. Ergo contendentes qui nihil mali egissent.

Secundo: recurrendum ad epikejam, & finem legis, qui est pax; alioquin esset brutalitas & lethalis error.

Tertio: supponendum, quod ecclesia potest sibi legem condere & interpretari; quia propter eam datæ sunt.

Quarto: non videtur procedendum ad excommunicationem aliorum, nisi videatur finis possibilis; sed per admonitiones.

Quinto fidentur securitates quantum erit possibile.

Sexto: qualiter restitutio est contra Deum & impossibilis et ridicula.

Septimo: qualiter ex voto et scandalo tenentur cedere; justificatur neutralitas.

Octavo: videatur quod nihil ex odio actum est; sed pro amore Christi et ecclesiæ, cui maxime quilibet obligatur. &c.

Nono: fiat statim post electionem reformatio generalis ecclesiæ; notentur avisata.

Decimo: fiant orationes & morum correctio, quod est præcipuum.

PROPOSITIO FACTA

Ab eodem domino Joanne Gersonio doctore & cancellario Parisiensi, coram Anglicis Parisios euntibus ad sacrum concilium Pisis; & hoc ex parte Universitatis Parisiensis, Anno Domini 1408.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 698. *& Colbert.* 99. *&* 5972.

CONgratulatur vestræ devotioni, vestro zelo ferventi, vestræ laboriosæ, sed laudabilissimæ Legationi. Congratulatur et applauditi o reverendissimi & præclarissimi patres, o doctissimi & sapientes viri & fratres in Christi dilectione charissimi. Congratulatur, inquam, & congaudet amatrix & admiratrix & cultrix bonorum omnium Parisiensis universitas. Itaque non æmulatur nec gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quidni congaudeat igitur super veritate, quam, ut soletis, amplectimini, & complexam retinetis, retentam ad effectum deducere totis studiorum nervis conamini? Est autem modo congratulationis nostræ spiritualis thema satis accommodum verbum Osee propheticum: Osee cap. 1. 11. *Congratulabuntur* (in vulgata habetur *congregabuntur*) *filii Israel, & filii Juda pariter*. Itaque libet exclamare: *ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, Ps. CXXXII. I. convenire scilicet & congregare ad unum concilium. Nam *in concilio justorum & congregatione magna opera Domini*, Ps. CX. 1. 2. Et hoc est concilium sacrum & venerandum, ad quod legati pergitis, quod Pisis, Deo duce & auctore celebrabitur; utinam felici prout optandum & sperandum est adventu. Ait quippe veritas, quod: *omne regnum in se divisum desolabitur*, Marc. XII. 25. & e contrario unitum in se regnum manet. Quod vidit Salustius: *concordia*, inquit, *parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur*. Cur ergo non bene sperabitur, dum adunatur ecclesia, dum convocatur coetus, dum conveniunt seniores? Videte de verbo hoc, præsertim cum teneamus certissimam Christi promissionem dicentis: *Ubi duo vel tres*, &c. Matt. XVIII. 20. Audivimus præterea lætanter & gaudenter, quod *congregabuntur*, &c. Ibid.

At

At vero ne prolixior vel evagatior sermo tædio sit vel oneri; coarctemus si placet totam dicendorum materiam, totamque deductionem thematis ad quatuor sententias sumptas ex themate, ex verbis ipsi protinus appositas, & videamus quid in illis loquitur Deus; quia loquetur pacem in plebem suam. Postquam enim dixit Dominus per Osee c. I. II. *Congregabuntur filii Israel & filii Juda pariter*: pro prima sententia mox subjunxit: *& ponent sibi caput unum*, ecce secundam sententiam: *& ascendent de terra*, ecce tertiam; *quia magnus dies Israel*, ecce quartam. Incipientes ergo prosequamur, et invenimus puto, causas quatuor sufficientes, quare congregabuntur filii Israel, et filii Juda pariter: ipsi enim qui sunt populus unus Dei, foeda nunc divisione, proh nefas! dispersi sunt, velut olim in figura sub Roboam et Jeroboam contigisse meminit Scriptura 3. *Regum* 17. Et est tanquam materialis aliqua ratio et confusa hujusmodi concilii celebrandi. Invenimus præterea causam finalem luculenter expressam in altera sententia. *Et ponent*, inquit, *sibimet caput unum*. Denique tangitur causa dispositiva, et velut efficiens celebrationis hujus concilii, dum dicitur in altera sententia, quod *ascendent de terra*, et quid igitur terra mystice, nisi terrenus affectus? Quid igitur ascendere de terra, nisi de terrenis affectibus, quibus oppressi sunt hactenus multi, ad spiritualas et divinas affectiones se potenter erigere, et erigendo salubriter ascendere? tanquam audiret quilibet de excelso clamantem Deum. *Exurge qui dormis*, Ps. XLIII. 23. et rursus: *Surgite postquam sederitis*, Ps. CXXVI. 2. Habemus præterea causam quodammodo formalem, et ad justam celebrationem concilii vivifice præparantem, quæ forma est semen Dei vivum & efficax; semen Spiritus S., habens virtutem formativam & reformativam totius unitatis, totius ecclesiæ corporis, in una fide & spe & charitate sub uno Deo & Domino per omnem juncturam, secundum deductionem apostoli *ad Ephes.* 4. Quod notatur in hoc verbo Jesrahel, quod interpretatum sonat idem quod semen Dei, vel seminavit Deus. Et quale semen istud? Plane illud de quo alibi propheticus sermo dicit: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus*: Isaiæ I. 9. Gratias tibi Deus Israel; quoniam accepit nunc dies magnus Israel, magnus scilicet dies seminis Dei, quod habet in se artem & virtutem vivificam, qua mysticum corpus ecclesiæ se vivificare potest & unire salubriter, in cujus efficacia & virtute congregabuntur filii Israel & Juda pariter. Bene hæc jacta sunt fundamenta, sicut ex Cicerone sumit Lactantius. Hæc autem fundamenta sunt perfectibilitas ecclesiæ per congregationem, ut causa materialis; ordinabilitas ecclesiæ ad unius capitis positionem, ut causa finalis; intelligibilitas in epikeizando seu interpretando, ut efficiens; insita foecunditas in se conservando, ut formalis dispositiva. Superædificemus fabricam quadrangularem quatuor considerationum principalium, ad dilatationem ædificii præsentis congregationis ampliorem. Et dicamus pro prima consideratione, juxta primam causam in verbo notatam.

Consideratio prima.

Congregatio filiorum Israel & Juda pariter, quæritur ab ecclesia, quemadmodum materia quærit formam & imperfectum perfectionem, & mulier virum, sive sponsa sponsum. Tradit divinus Dionysius, & post eum Boetius & Augustinus, quibus experientia suffragatur, quod res quælibet non minus diligit aut appetit congregationem sui ipsius, quam propriam entitatem, nimirum quia ens & unum convertuntur. Hinc est ille dolor, illa concussio, ille vehemens horror in corpore vero; dum membratim queritur dividi vel dispergi. Sic nemo dubitaverit, quin ecclesia divisionem suam refugiat & horreat, cum sit corpus mysticum secundum deductionem Apostoli *ad Ephes.* 4. & 1. *Corinth.* 12. & *ad Roman.* 12. & alibi sæpissime. Est etiam terribilis ut castrorum acies ordinata: aciei vero quis nesciat separationem maximum afferre detrimentum? Est insuper ecclesia civitas, de qua gloriosa dicta sunt; est Regnum Dei, est Hierarchia subcoelestis, & ita de multis similitudinibus, secundum quas convincitur divisionem ei, atque separationem schismaticam esse penitus odiosam. Potuerat hoc loco fieri sermo prolixior, deducens perfectionem ecclesiastici corporis stare principaliter in unitate tanquam in consummatione omnis boni. Fallor itaque si non optabundus Propheta postulabat hoc, imprecans pacem super Israel; sciens quoniam posuit auctor ejus Deus fines suos pacem. Vide si non hinc ortum est illud Christi ad ipsam Jerusalem quæ figuram tenet ecclesiæ. *Jerusalem, Jerusalem quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti*. Matth. XXIII. 37. Ad hoc quippe mortuus est Jesus, ut *filios suos dispersos in unum congregaret*, Joan. XI. 52. tamquam *lapis angularis faciens utraque unum*. Ephes. II. 14. 20. Et ecce heu fera pessima, monstrum horrendum ingens, monstrum biceps, portentum, jam annos habens XXXI. schisma pestiferum, pulcherrimam hanc & perfectam pacem, quantum in se fuit, laceravit, dissipavit, & in exilii longinquam regionem trusit. Sed veniat, o utinam, pax, juxta votum Isaiæ. Veniat & requiescat in cubili suo, quod est ecclesia, quatenus expulso disconvenienti schismate, forma pacis conveniens inducatur: nam qualis est ista deformitas, qualis imperfectio, videre corpus mille partibus miseris modis laceratum, dissipatum & dispersum; cujus lacerationi nulla hactenus profuerunt efficaciter humana remedia; quin potius schisma hoc horrendum velut insanabilis cancer *ægrescit medendo*, ut de Turno loquitur Virgilius; ipsum denique tanquam fabulosa hydra redit ex successione sua foecundius. Hinc scandala populorum sine numero adversus fidem nostram, religionem nostram, mores sanctos, adversus spem quoque futura beatitudinis, contemptum sæculi, sanctitatem im-

immobilem jurisjurandi, voti sacramentorum virtutem, obedientiam ad Deum & ad omnem disciplinam. Quare? Quia sævissima dominandi libido, mater infausta schismatis hujus pestiferi confundit hæc omnia, fasque nefasque velut hianti voragine mergit, sorbet & obruit. Quid porro de paganorum infideliumque fabuler probro & irrisione adversus catholicos? Demum tota illa flebilis Jeremiæ lamentatio si ad calamitatem ecclesiæ præsentem deflectatur, nescio si satis illam, ut dignum est, expresserit, dum ait: *Quomodo sedet sola civitas plena populo &c.* Thren. II. Nequit prorsus æquari verbis, quantum res ipsa videatur indigna, pro qua reformanda celeriter expeditissimum est, quod congregentur filii Israel & filii Juda pariter.

Consideratio secunda.

Pro causa secunda. Congregatio filiorum Israel & Juda pariter quærenda exequendaque est, ut ponant sibimet caput unum. Iste est finis, hæc intentio imminentis sacri concilii Pisis celebrandi, ad quod vos cum cæteris, religiosa & filiali ad matrem ecclesiam pietate pergitis & perveniatis oro feliciter. Non ignoratis, scio, o doctissimi & sapientes viri, quod caput ecclesiæ primarium & principale semper unum est, invariabile, & permanens, sicut testatur Apostolus, Eph. V. 23. *Caput*, inquit, *Ecclesiæ Christus*. Christus autem *manet in æternum* (ut idem ait Hebr. VII. 3.) sempiternum habens Sacerdotium & Papatum. Itaque salutifer Christe, caput nostrum est, a quo fluunt in ecclesia sensus omnes et motus spirituales ac gratuiti, ac proinde nunquam ecclesia tua esse potest acephala, neque te sponso suo viduata. Nihilominus tu quondam ascensurus ad Patrem reliquisti sibi Vicarium super terram, tanquam caput aliquod secundarium; fluens et refluens in stabili loco tui sacerdotii et papatus essentialis, indefectibilis, et manentis usque ad consummationem sæculi, quando evacuabis omnem dominationem, principatum et potestatem, et tradideris regnum Deo Patri. Nunc autem pro dolor! viri patres et fratres, nunc scandalizantur adversus hoc caput primarium duo contendentes, dum simul illud, quod fieri nefas est, repræsentare volunt, vel vices gerere, vel in suum locum succedere. Sic in impiam cecidimus maledictionem hanc, quod *facti sunt ejus hostes*, ecclesiæ, *in capite*, Thren. I. 5. Oportebat quidem ad unitatem papalis sacerdotii unicum sacerdotem et certum Vicarium Christi super terram assumi, succedentem Petro, et non Pharisaica contentione dicere, sicut olim conquestus est Apostolus. I. *Cor.* I. 12. Ego sum Gregorii, ego sum Benedicti. Sanctius quoque filialique ad Matrem charitati convenientius est relinquere Papalem dignitatem, et Petri sedem uni tertio sub pace possidendam, sub quo congregati essent filii Israel et filii Juda unus populus Dei, quam foedissima seditione partiretur obedientia, et spargeretur grex quasi non esset unum ovile et unus pastor: quasi rursus indecens esset quod congregarentur filii Israel, et filii Juda pariter. Meditabar hæc nuper in abscondito scrutinio cordis mei priusquam proferrentur: dum ecce animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, sed ea quæ de terra sunt loquens; numeratus quippe est inter filios Agar, de quibus dicit Scriptura quod exquisierunt sapientiam *quæ de terra est*. Jacob. III. 15. conjungitur quippe ipsi sapientiæ terrenæ, animali & diabolicæ non ei quæ desursum est, *Ibid.* propterea obscuratum habet intellectum ipse, inquam, animalis homo ut impatiens, hebes & præceps: & quo pacto, inquit, opus est congregatione filiorum Israel & Juda, quasi res incerta sit super jure pretium, quasi prætera liceat vel expediat nunc concilium generale novum celebrari. Non itaque licet, cum non possit concilium generale sine Papa celebrari, & nisi primitus, ante omnia, spoliatus ab obedientia sua, restituatur eidem. Quomodo præterea decens esset ea quæ certa sunt, & tam per longissimos temporis tractus in consuetudinem versa, rursus in discussionem, tanquam dubia revocari, & quod vera & justa pars exponat se discrimini condemnationis; nam eventus judiciorum varii sunt, qui falluntur & fallunt. Denique quid expedit contraniti voluntati divinæ, suæque providentiæ, quæ justo judicio permittit hæreses fieri, & dicit *esse necesse ut veniant scandala*. Matth. XVIII. 7. qui etiam ait: *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram; sed gladium.* Ibid. X. 34. qui demum olim prohibuit fieri congregationem filiorum Israel & Juda pariter, asserens divisionem ab eo factam esse. Multa majoraque parabat animalis homo delatrare adversus celebrationem concilii, asserens quod nec licebat, nec decebat, nec expediebat illud fieri; dum exhorrui fateor: nihilominus ajo ad eum. Obmutesco importune & stulte; aut expecta donec considerationum coeptarum numerus impleatur. Audies forte ea quæ contradictionibus tuis imponere possint silentium. Extorti velut ab invito dilationem, ut tertia & quarta considerationes liberiori sermone complerentur.

Consideratio tertia.

Congregatio filiorum Israel & Juda pariter habet fieri tanquam a causa dispositiva, quæ removet prohibens; dum ipsi ascendunt de terra, hoc est, secundum moralem intellectum, dum de terrenis affectibus ascendunt ad coelestes, & fiunt de animalibus spirituales; dumque littera dimissa quæ occidit, ipsi spiritum qui vivificat, amplectuntur; hoc tamen observato, ne quid nimis: ne dum nimis observari quæritur spiritus, obruatur simul caro cum spiritu. Unde quæso tamdiu, Viri Patres, tardata est fieri congregatio concilii generalis & sacri; nisi quod tamdiu non fuerunt auditi spirituales viri, quales (si Apostolo creditur) dijudicant de omnibus. Ecce quid præclara universitas Oxoniensis, unde sibi meruit congratulari, pridem ad hoc Concilium petendum determinavit se & misit in Franciam, scio

scio qui præsens interfui dum proponeretur hæc conclusio compendii, sub hoc themate Joelis I. *Vocate cœtum, coadunate senes.* Sed pridem antea Parisiensis universitas ab exordio nascentis divisionis deliberavit solemniter & concordi sententia conclusionem hanc petendam & prosequendam esse, quam ex parte sui proposuit Reverendus Pater & præceptor meus præcipuus dominus nunc Cameracensis, coram Ludovico duce Andegavensi, tunc regente in Francia. Circa quod tempus, scripsit pro eadem conclusione clarissimæ memoriæ magister Henricus de Hassia magister in Theologia Parisiensis & Vice-Cancellarius sub magistro Joanne de Calote tunc Cancellario Parisiensi. Scripsit insuper dominus Præpositus Wormacensis magnus & devotus & licentiatus in artibus Parisiensis: scripserunt quoque alii sicut ex eorum Tractatibus adhuc constat. Amplius vero scripsit post multos annos Universitas Parisiensis epistolam grandem continentem tres vias, inter quas concilium generale numeratum est. Ecce quot viri spirituales & eruditi, non innitentes soli litteræ, ascendentes de terrenis affectibus, & in liberum atque purum æther lucidissimæ veritatis, desideriorumque splendidorum sese attollentes, quæsiverunt olim multo studio concorditer, quod congregarentur filii Israel & filii Juda pariter. Et hæc est non parva congratulationis materia, quod in unam conventum est sententiam per duas Universitates toto Orbe celeberrimas: & ipsis nonne fides dari debet, cum illic sint viri spirituales & sapientes, secundum qualium judicia medium virtutis accipere jubet Philosophus? Illic præterea sunt idonei conditores Legum doctrinaliter & instructive, quibus similis interpretatio per epikejam debita est. Illic sunt qui mentiri nesciunt, de quibus noverunt, dum a vero falsum, a licito illicitum sciunt secernere. Cum ergo conveniunt congregatio multiplex sapientium in celebrationem hujus concilii generalis tanquam in rem expedientem, ut in prima causa dicebatur; in rem præterea decentem, sicut visum est in secunda; nam quid decentius quam ut unum corpus habeat caput unum: postremo superest ostendere rem hanc esse per se licitam atque legitimam, quod in quarta & ultima consideratione videbimus, quæ talis est.

Consideratio Quarta.

Congregatio filiorum Israel & Juda pariter sumit suam efficaciam & virtutem a Divino semine, quod per ecclesiasticum corpus tanquam sanguis vivificus diffusum est, & radicaliter seu inseparabiliter insertum. Ponamus pro solido fundamento præsentis considerationis & aliorum tam dictorum quam dicendorum textum Apostoli ad Ephes. IV. 3. 4. 5. 6. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium qui super omnes & super omnia & in omnibus.* Sequitur ℣. XI. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sequitur ℣. XV. XV. *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Eliciamus ex his paucissimis, sed sententiosissimis Apostoli verbis, aliquas veritates.

Prima. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput Christum facit, & conglutinatur per vinculum amorosum Spiritus sancti, mediantibus qualitativis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam vivificam & decentem. Hæc autem Dona, sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes & Charitas; sunt etiam Sacramenta Ecclesiastica; sunt diversæ divisiones gratiarum, prout unicuique concessum est: hoc est semen in quo conveniunt ambæ obedientiæ; hoc autem semen si abstulisset schisma pestiferum, jam de pace reformanda actum esset prout alias scripsit ipsis Romanis Parisiensis Universitas.

Secunda. Congregatio ecclesiastica ad unum caput Christum copiosior est atque foecundior quam fuit congregatio Synagogæ; non enim habuit Synagoga talem in Sacramentis & aliis multis commutationem adjunctionis sicut ecclesia: nam extra eam stabat salus, quemadmodum salvatus Job ostendit.

Tertia. Congregatio ecclesiastica ad unum caput secundarium multiplicior est & major quam congregatio civilis sub uno Rectore vel Imperatore vel Rege. Connexio quippe talis politicæ civilitatis fit per leges & dona naturæ principaliter, & in illis constituit suam unitatem: Ecclesia vero ut politia ordinata, habet hanc unitatem, & ultra hanc habet alteram supernaturalem & divinam quæ dicta est. Et ita sequitur consequenter, quod ecclesiastica pluribus legibus regitur, quam altera politia.

Quarta. Congregatio ecclesiastica non habet vel habuit ex se potestatem seipsam ordinandi & constituendi per gradus varios atque hierarchicos dignitatum & administrationum, quales in ipsa reperimus a summo Præsulatu usque ad infimum administrationis gradum, quicunque sit ille. Patet; quia supernaturalis est hæc institutio, consurgens ex solo beneplacito liberalissimi conditoris: nec (ut opinor) voluisset unquam oppositum sentire præfatus magister Henricus de Hassia, dum ponit quod ecclesia posset sibi instituere Summum Pontificem, si non fuisset immediate constitutus a Christo; addit enim quod hoc potuisset ecclesia a Spiritu sancto edocta et autorizata, quod est probabiliter sentiendum.

Quinta. Congregatio corporis mystici ad unum

ANNO CHRISTI 1409.

unum caput Christum semper habebit per omnem juncturam gradus dignitatum et officiorum et administrationum, de quibus dictum est. Patet ex illo verbo, *donec occurramus omnes &c.* Propterea dicitur Ecclesia desponsata Christo in sempiternum *Osee* II. 19. Dicitur praeterea habere semper in se semen ad sui propagationem et conservationem usque ad consummationem saeculi.

Sexta. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput Christum, lege stante, non remanebit in sola muliere, immo, nec in solis laicis; sed erunt usque ad consummationem seculi episcopi et sacerdotes aliqui fideles.

Septima. Congregatio ecclesiastica dici potest habere duplices partes integrantes eam: quaedam sunt flentes, quaedam permanentes, et ut ita loquamur, essentiales. Primae sunt ipsae personae mortales constitutae in graduum varietate. Aliae sunt ipsimet gradus dignitatum et administrationum. Exemplum in papa et papatu, in episcopo et episcopatu, et similibus; papa fluit, Papatus stabilis est.

Octava. Congregatio ecclesiastica constituitur in suis partibus fluentibus et quodammodo materialibus, ministerio hominum, secundum legem primitus inditam et insitam corpori ecclesiastico, et prout ipsum habet in se semen vivum et efficax seipsum multiplicandi atque conservandi in successione specifica ad partes fluentes, et in successione eadem materiali quam ad essentiales. Patet veritas ex illo verbo Apostoli: *nemo sibi assumat honorem*. Hebr. V. 4. etc. Et de praedicatoribus dicit: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur*, Rom. X. 15. etc. Et haec veritas similiter posset inflecti ad depositiones et degradationes et resecationes partium scandalizantium; sed pro nunc omittatur.

Nona. Congregatio ecclesiastica, habet claves ordinis et jurisdictionis alio et alio modo in se et in suis partibus fluentibus. Ut exempli gratia, claves datae sunt Petro autoritative, sed toti ecclesiae universaliter et susceptive. Vel datae sunt ecclesiae ut in actu primo, et Petro in actu secundo.

Decima. Congregatio Ecclesiastica sic instituta est, ut castrorum acies ordinata, vel ut corpus integerrime perfectum; sic quod non est in potestate Papae, vel alterius cujuscunque, deordinationem vel multitudinem in suis partibus essentialiter inducere. Unde nec papa posset inducere quod nulli essent episcopi nec curati, nec cardinales, pro quanto sunt successores apostolorum in ecclesia sancta Dei: sunt enim gradus omnes seminati a Christo in ecclesia primitiva, quamquam parvula, in qua nondum erant sic explicati gradus ecclesiasticae hierarchiae, ut nunc inspicimus; quemadmodum spica totos numeros suos habet in grano, et nux arbor in nuce virtualiter continetur; has vocant Philosophi inchoationes formarum in materia.

Undecima. Congregatio ecclesiastica licet non possit instituere papatum, vel destituere, nihilominus potest per se vel per concilium eam repraesentans statuere alium modum eligendi Papam quam modo sit, ut alias visum est. Potest insuper removere Papam etiam rite electum et alium constituere, si ita sibi visum fuerit expedire ad aedificationem ecclesiae; ut in casu gravis scandali, vel in dubio aliter interminabili, quam per cessionem vel dejectionem Papae, aut alio tali casu; ipse enim pastor instituitur pro utilitate gregis: et dum praesidentia sua cedit in grave detrimentum, mercenarius reputandus est immo latro, immo lupus rapax, si quaerit in praesidentia tam damnosa remanere. Et hic fundatur possibilitas practicandi viam cessionis, saltem quoad effectum suum contradicentibus, contendentibus etinvitis. Hic fundatur praeterea, quomodo in casu veritatis istius, congregatio urgens Papam ad cessionem vel dejiciens eum, si pertinaci libidine dominandi motus renuat, non est judicanda quod eum persequatur; sed ei potius et Deo et ecclesiae toti multipliciter obsequatur.

Duodecima. Congregatio ecclesiae licite et meritorie potest in casu fieri sine papa vel autoritate sua. Itaque cum possit dupliciter fieri congregatio, uno modo concordative vel assensive seu charitative; alio modo autoritative: constat de primo congregandi modo, quod sine Papa possibilis est, immo fuit saepissime practicatus; tam apud Apostolos, quam apud imperatores sanctos & catholicos, qui saepe convenerunt in unum priusquam essent evocati vel autorizati a papa. Patet de quatuor primis conciliis memoratis in actibus apostolorum. De primo nondum erat adhuc Petrus factus papa; quin simul erant congregati ad examinationem testimoniorum de resurrectione. Unde & quaelibet congregatio libera non subjecta tyrannidi, habet hanc facultatem seipsam congregandi. Patet in confraternitatibus, & aliis multis conventionibus charitativis. Secundus modus convocationis habet majorem quaestionem; nihilominus oportet eum concedere possibilem, alioquin periclitaretur respublica ecclesiae, si necesse esset autoritatem papae prius intervenire. Exempli gratia. Immineat casus periclitationis ecclesiae, sit in temporalibus, sit in spiritualibus, & quod tunc nullus esset Papa, nec posset prius institui quam esset providendum ecclesiae per assensum communem. Item in casu quo papa perdidisset usum rationis perpetue. Item in casu quo Papa depravatus esset in intellectu per haeresim, & in effectu per enormes et scandalosos mores, quod ad destructionem ecclesiae patenter laboraret. Item in casu quo requisitus sufficienter & monitus, dare nollet autoritatem concilio, ut forte est in praesenti casu; quia signum est quod non vult audire ecclesiam, si non vult eam congregare. Item ubi probabiliter dubitatur, quod fideles nunquam ei praestabunt obedientiam qualemcumque, aut non satis utiliter atque concorditer. In talibus & similibus casibus congregatio ecclesiastica sumit autoritatem & virtutem seipsam uniendi ex divino semine per universum corpus suum diffuso, ut dictum est. Et ad hoc est textus legis *Deuter.* 17. & notat Christus *Matth.* 18. resolvens tandem omnia ad ecclesiae judicium: *Si*, inquit, *ecclesiam non audierit*. Matth. XVIII. 17. Obmutescat igitur animalis sive litteralis & carnalis homo, & spiri-

spirituali magis credat, deducenti & probanti per priora, quod expedit quoad primam considerationem, & decet quoad secundam, & licet quoad hanc quartam, quod congregentur filii Israel & Juda pariter. Ad quid nimirum; ut ponant sibimet caput unum, non ad disceptandum & discutiendum & arguendum & litigandum, sicut phantasiari videbatur animalis homo: hoc enim fortassis inducere posset indecentiam & multam turbationis materiam. Caeterum quoad allegationem quae fiebat ab animali homine, quod necesse et expediens erat esse schisma, sicut olim Dominus voluit dissensionem esse inter filios Israel & filios Juda: solutio facilis est, quoniam non sunt facienda per homines mala ut eveniant bona; neque enim scient ex malis bona elicere, sicut Dominus ex nostris peccatis & scandalis potenter elicit bona, tanquam attingens a fine peccatorum usque ad finem comprehensorum fortiter, & disponens omnia suaviter, faciens ut omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Denique non potest, lege stante, politia ecclesiastica quae est monarchica in alium transformari, sicut in alia politia. Tandem multis praetermissis; neque enim locus neque tempus, non stilus, neque ingenium, non memoria patiuntur omnia dicere quae dicenda essent, fiat ad Opuscula, & tractatus super his confectos recursus liberior. Concludamus ergo ex quatuor causis, per totidem considerationes tactis potius quam deductis, quod expedit, decet & licet quod congregentur filii Israel et Juda pariter.

Congratulatur amatrix bonorum omnium Parisiensis universitas, Mater mea, ut dicere coepimus; congratulatur vestrae devotioni, vestro zelo ferventi, vestrae religiosissimae ad matrem ecclesiam pietati, vestrae tandem laudabilissimae legationi, o reverendissimi et spectabiles viri patres et fratres: det auxilium Deus in progressu et egressum feliciffimum et votivum. Denique offert seipsam totam et in membris singulis eadem universitas, ad omnia communi consensu et deliberatione avisanda, tractanda, communicanda, concludenda, prosequenda cum omni humilitate et favore, nihil quaerendo quod suum esse videatur, sed quod omnium; ut habeatur unum et certum caput secundarium in ecclesia sancta Dei, postpositis contentionibus omnibus et discussionibus odiosis, quae ad hanc rem non satis attinent, sed magis ad divisionem, et practicando viam compendiosissimam et sanctissimam cessionis amborum contendentium, ut jurarunt solemniter et voverunt. Neque praeterea sit contentio, quis in hoc negotio prosequendo videatur esse major, vel potior, vel doctior. Scit eadem universitas, quod stabimus omnes ante Tribunal Dei: illic videbitur quo quisque animo, quo zelo, qua intentione pacem veram suae sponsae quaesierit. Sit igitur haec gloria nostra, testimonium conscientiae nostrae, sit gloria Deo: nam denuncians Angelus pacem hominibus praemisit, *Gloria in excelsis Deo*. Luc. II. 14. Denique si filii Israel prout scriptura loquitur, ibant animo pacifico ad praelium: quali animo et quam pacifico eundum erit ad hoc pacis concilium, sine aemulatione, sine contentione sicut decet congregationem Sanctorum, sine irascendo in via, quemadmodum monuit Joseph fratres? Praeterea nullus detur locus diabolo qui in seditionibus habitat. Fiat in pace locus Deo, qui dirigat pedes nostros in viam pacis, et doceat viam prudentiae ipse qui est via, veritas et vita, et Deus benedictus in secula. Amen.

Attendat benignus lector, juxta Legationis onus impositum per christianissimum Regem Francorum ac Universitatem praeclarissimam Parisiensem proposuerat idem Cancellarius post verbum de ecclesiastica unitate subjungere de errorum extirpatione; sed impeditus tunc partim amicorum suasione, partim temporis arctatione, & ut in prolixitate non inesset fastidium, silentio praeteriit, quorum aliqua summatim haec subjuncta sunt.

Glorificationem Dei, patres Apostolici, patres gloriosi, posuimus esse finem hujus concilii Sanctorum, quatenus pleni sint coeli & terra, o Deus magne & terribilis gloria tua; quatenus non jam ambulent in errorum circuitu impii super terram; sed agnoscant quoniam *magna est gloria* (dicente Sapiente Eccli. XXIII. 28) *sequi te Dominum* per semitas legis tuae pacificas; quoniam *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, Ps. CXVIII. 165. & quia si creditur eidem Sapienti, nihil dulcius quam respicere in Mandatis Dei. *Eccli.* XXXV. 2. Sed vae mundo a scandalis; vae tibi mala voluntas, & ideo mala, quoniam arroganti superbia, gloriam propriam quaerens anteponis eam divinae, nolens subjici Legi suae, neque captivare omnem intellectum in obsequium Fidei. Hinc haereses & errores impii, hinc scandalorum turbationes horridae, hinc in Ordine violato plurima foedaque confusio; hinc tandem in hominibus & ex consequenti per omnia quae propter homines fecit Deus suboritur frequenter non gloria Dei, non pax hominibus; sed tetra quaedam alteratio mortificans & abjiciens vivificantem gratiae spiritum, & cadaverosam monstrosorum defectuum non tam formam quam deformitatem inducens. Deplorat hanc perversissimam rerum vicissitudinem Christianissimus Francorum Rex, cum ecclesia tota regni sui miseretur, dolet, compatitur, & ab hoc sacro sancto concilio legitimas provisiones efflagitat. Non confundantur precor ab expectatione sua, nolite careant piissimis desideriorum suorum affectibus; sed & Patrem sequitur sua proles, Regem videlicet filia sua Parisiensis Universitas; nec tantum sequitur; sed praeit, humilitate salva, quandoque consiliis, nunc exhortationibus, aliquando doctrinis, sciens quod veritas custodit regem, sciens praeterea se positam Apostoli jussu, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Tit. I. 9. quae posuit Aristoteles *Opera duo sapientis*. Denique parata est, tanquam posita in lucem ecclesiae, ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipsa est Fide & Spe, I. *Pet.* III. 15. ut in omnibus & per omnia glorificetur Deus.

Insurrexerunt ecce post aliqua tempora plurimæ doctrinæ peregrinæ, variæ pestiferæ, & damnatæ, obtenebrantes ecclesiam per multa Christianitatis membra, per Regna, per Provincias, per Regiones insignes. Processum est ad expellendas hujusmodi doctrinarum tetras caligines, nunc luce disputationis doctrinalis per Doctores & Universitates, nunc flabello judicialis reprobationis per Dioecesanos, & inquisitores hæreticæ pravitatis in Anglia, in Scotia, in Praga, in Francia. Nondum tamen vel illuminari vel emendari sufficienter inspeximus cæcam & stultam improbitatem assertorum sectatorumque suorum, quin error assidue, sicut cancer, serpat & alicubi palam, quasi nudato ense, per nationes & populos imprudenter erumpat. Propterea necesse est per splendidissimam & inobfuscabilem hujus sacri concilii lucem provida celeritate de remediis institui; ut qui spreverunt Prælatos & Doctores divisim positos tanquam lucernas in domo Dei revereantur eos, conspiciant, & obediant; dum in unam hanc ecclesiæ domum collecti, dabunt autoritatis suæ robur & pondus, ibunt in splendore fulgurantis hastæ reprobationis judicialis, qualem nemo qui Christianus videri vult, audebit contemnere. Esto contemnat, ipse tamen de contemptu suo fulgurationem concremationemque subibit, ut justum est. Et quoniam charitas sicut incipit a se & a suis in dilectionis exhibitione; sic in correctionis & emendationis procuratione priorem habere locum debet, ne subeat illud improperii proverbium. *Medice cura teipsum*. Luc. IV. 23. Et illud de Apostoli sententia. *Qui prædicas non furandum, furaris; non occidendum, occidit; non perjurandum, dejeras*, & ita de reliquis. Rom. II. 21. Hinc Christianissimus Rex noster suaque per adoptionem dignativam charissima filia Parisiensis Universitas, voluerunt hactenus a Regno & a suis, perversa quorumlibet errorum zizania mox ut erumpere seu germinare sentiebantur, diligenter opprimi resecarique; nunc falce doctrinæ, nunc securi pastoralis sententiæ, ita tamen ut non simul eradicetur & triticum. Sunt plurima rei quam loquimur documenta, e quibus unum quod novitate acritateque præcellit censuimus in medium deducere.

Ecce Patentes Regis nostri Litteras quas audire libeat.

Legi debebat hic Litera patens, cujus initium est post intitulationem: Regia Majestas nostra. Dehinc subjungendum erat.

Audivit Sacrosanctum hoc concilium justorum, quatenus in Christianissimo rege nostro ferveat zelus ad ea quæ Fidei sunt, absque omni personarum acceptione, absque respectu propriæ etiam carnis & sanguinis. Terreat ipse Deus magnus & terribilis qui glorificatur in Concilio justorum, qui salubriter & potenter intonat: *Ambulate dum lucem habetis*; subdit monitionis causam, *ne tenebræ vos comprehendant*. Joan. XII. 35. Et quales oro densiores, fugibilioresque tenebræ, quam errorum & hæresum circa prima præceptorum moralium principia, ut sunt: *Non perjurabis. Non occides. Non insidiaberis?* Terreat ipsos ecclesiasticos Pastores & Doctores, positos in lucem aliorum, si ad exemplar tam insigne atque perlucidum Christianissimi Regis nostri, non eos illuminet accendat & inflammet zelus domus Dei. *Vox dicentis clama*, Isaiæ XL. VI. *ne cesses, & annuncia populo meo peccata sua* Ibid. LIX. I. Si non urgeat eos procedere constanti celeritate ad effugationem errorum tenebrosorum, & ad illuminationem errantium: neque enim potest integra salubritate sine secundo, primum fieri; quoniam non impune pertinacia manet in errantibus, convalescant & sæviant errores necesse est.

Sed in ipsa meditatione mea videtur occurrere animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, Deum non invocans, illic præterea trepidat timore ubi non est timor: magnus est, inquit, susurratione tremula, magnus credite & terribilis, quem tangunt & notant errores hujusmodi, Princeps est. Scimus autem quid Sapiens enunciet: *Indignatio Principis mors, & vir prudens placabit eam*: Prov. XVI. 14. Quid quæso si sæviat, si seditiones concitet, si bella moveat, si secum plurimos, hos terroribus, hos promissis in errorem suum trahat, ita ut si fieri potest, moveantur etiam electi? Vide sedulo ac iterum iterumque recogita (ait animalis homo) ne fortassis obinde præstetur tam desiderantissimæ jam jamque in januis existenti paci ecclesiæ grandis obex vel totalis diruptio.

At vero nihil hic tale timendum, O strenuissimi pugiles Fidei. O potentissimi Legum divinarum defensores. Nihil inquam tale timendum timentibus Deum, & obedientibus jussioni qua dixit: *Nolite terreri ab eis qui corpus occidunt, animam vero occidere non possunt, ita dico vobis, hunc timete*, Matth. X. 28. & Luc. XII. 5. timeatur Deus & non terreat. *Homo time Deum* (suadet Augustinus) *& minantem mundum universum ridebis*. Tollatur hæc suspiciosa pigri formidatio dicentis, *Leo est in via* Prov. XXVI. 13. devorandus sum quia profecto magna & unica securitas est nil timere præter Deum, cujus hæc jussio est: *Usque ad mortem certa pro justitia*. Eccli. IV. 33. Et iterum. *Esto fidelis usque ad mortem*, & similia.

Potueramus rem hanc in longius deducere, pro qua interim satis sint breves & pauculæ considerationes, quasi totidem radii moralis luminosæque veritatis.

Providendum est hæreticali divisioni per ecclesiastica membra serpenti, non minus celeriter & efficaciter quam schismati super contendentia de Papatu: ecclesia quippe magis in Fide, quam in secundo capite fundata est.

Providendum est constantius per hoc sacrum concilium ad extirpationem errorum, emendationem errantium, quanto qui errant plures sunt, potentiores & majores: quod si qui dixerit quod bella suscitabunt, diffamat eos nimis, neque ei leviter credi debet.

Providendum est ad emendationem errantium per eos qui se dicunt amicos eorum, vi-

ANNO CHRISTI 1409.

vigilantiori sollicitudine quam per extraneos, cæteris paribus.

Præstantes scienter impedimentum, ne errantes resipiscant & corde credant ad justitiam, & ore faciant confessionem ad salutem; habendi sunt hostes capitales errantium & salutis eorum.

Præstantes scienter impedimentum ne tollantur errores, & errantes corrigantur, reddituri sunt rationem de damnis omnibus, tam spiritualibus quam temporalibus, quæ obinde provenerunt aut venient.

Omissio seu dissimulatio præstantium impedimentum, nedum positive, sed privative vel omissive, directe vel indirecte, per cautelas humanas ne tollantur errores, causat suspicionem de fautoria hæreticæ pravitatis, B quandoque levem, quandoque vehementem, quandoque convincentem, juxta varietatem obligationum.

Inexcusabilior & aliquanto perniciosior est error in principiis legis naturalis; sicut sunt præcepta Decalogi, secundum planum & usitatum intellectum verborum apud omnes utentes ratione, quam sit error in articulis fidei, qui sunt supra naturæ facultatem, & in agibilibus quam speculabilibus.

Conditionalis protestatio vel confessio, non sufficit ad purgationem legitimam super publicatione vel defensione vel annotatione errorum, quorum oppositas veritates C tenetur errans explicita fide tenere.

Diffamatus publice & notorie super publicatione aut defensione errorum contrariorum rectæ fidei & moribus, tenetur seipsum purgare, si potest, coram judice legitimo, etiam nemine eum personaliter accusante; tenetur enim servare famam propriam & aliis scandala præstita removere.

Quæ clauduntur duabus hinc inde lineis, adjecta sunt ex MSS. Vict. Cq. 18. nunc.. & Colbert. 99. Dupin.

Ad efficacem errorum extirpationem, qui sunt jam damnati per ecclesiam, magis procedendum est in generali concilio per invo- D cationem brachii sæcularis adversus pertinaces, quam per curiosam ratiocinationem: & notetur quod non sufficienter auferuntur errores, quandiu perseverant errorum assertores.

Procurator generalis concilii debet ex officio procedere contra notorios & publicos errantes, ut resipiscant aut corrigantur; longe diligentius quam contra violatores Papalis jurisdictionis temporalis: Et hoc requisitum est Parisius coram rege Christianissimo Francorum.

Pax regnorum per Christianitatem vix potest efficacius & divinius procurari, quam per legitimam extirpationem errorum & cor- E rectionem errantium.

Quærere provisionem super extirpatione errorum & correptione errantium, non est impedire prosecutionem unionis ecclesiasticæ! sed est eam juvare & accelerare, multis attentis: ita ut verum sit quod oportet unum facere & aliud non omittere.

A *EPISTOLA HENRICI ANGLORUM REGIS*

Ad Rupertum Imperatorem.
Hortatur ut cardinalibus concilium celebrare volentibus faveat.

ANNO CHRISTI 1409.

EXcellentissimo & serenissimo principi Ruperto Dei gratia Romanorum regi semper augusto, fratri nostro carissimo, Henricus eadem gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, salutem & fraternæ dilectionis continuæ claritatem. Ex Mart. Vet.Mon. to. VII. p. 867.

Excellentissime princeps, fraterque carissime, post plurima nova nobis diversimode nunciata de gestis & factis domini Gregorii papæ XII. nec non & illius qui secum de papatu contendit, ac utriusque collegii nuper in unam & eamdem mentis consonantiam super tollendo schismate concurrentis, ut dicitur; tandem litteris reverendissimorum in Christo patrum dominorum S. R. E. cardinalium, & relatu reverendissimi in Christo patris domini F. cardinalis Burdegalensis amici nostri merito prædilecti, coram nobis ac dilecto filio nostro primogenito principe Walliæ, nec non prælatis & proceribus regni nostri quampluribus constituti, percepimus bonam & sanctam intentionem, quam iidem cardinales semper hactenus habuerunt, prout se habere in præsentiarum ostendunt, ad unionem ecclesiæ Dei, cujus occasione dicuntur varia pertulisse gravamina, suis non parcendo laboribus nec expensis; quodque prætextu continuationis prædicti schismatis contra votum & juramentum per ipsum dominum Gregorium, dum erat in minoribus constitutus, de cedendo papatui solemniter præstitum, et post assumtionem ad apostolatus apicem per suæ manus subscritionem publice renovatum ac etiam confirmatum; jam dicti cardinales, de unanimi ipsorum assensu, omnem subtraxerunt obedientiam ab eodem, ac pro generali concilio apud Pisas in festo Annunciationis proxime jam futuro celebrando disponunt, ad dictum schisma penitus extirpandum; nullam aliam viam, per quam ad unionem ecclesiæ perveniri valeat, magis accommodam reputantes. Nos igitur ad prædicti domini cardinalis et litterarum prædictarum instantiam excitati, et conscientia ducti, de consensu statuum prædictorum, eidem domino summo pontifici litteras nostras, juxta seriem copiæ per latorem præsentium serenitati vestræ, si libeat, exhibendæ, transmittimus, plene confisi, quod cum ecclesia et imperium mutuis in Deo suffragiis fulcire se debeant, ipsa vestra serenitas ad viam illam inclinari dignabitur, a nobis ardentius affectatam, quæ sanctæ matris ecclesiæ propensius inducere valeat, unitatem; quodque prælatos et principes sui sacri imperij ditioni subjectos, ac ceteros excellentiæ vestræ benivolos et amicos efficaciter excitare curabit, ut intentioni vestræ circa præmissa, quam credimus esse adeo *placabilem*, absque difficultatis obstaculo se conforment, ad gloriam et laudem illius, qui, ut pacem emeret, sanguinem suum fudit. Datum, die IX. nov. indict. II. MCCCCVIII. *f. placibilem*

ANNO CHRISTI 1409.

EPISTOLA CARDINALIUM

Utriusque collegii ad Carolum Francorum regem.

Ut ad futuram Alemanniæ dietam suos mittat oratores, qui unionis ecclesiæ negotium promoveant.

Ib. p. 888. SEreniſſimo ac chriſtianiſſimo principi et excellentiſſimo domino domino Carolo Dei gratia regi Francorum, veſtri, miſeratione divina, epiſcopi, presbyteri, et diaconi utriuſque collegii, ſacroſanctæ R. E. cardinales, eadem gratia jam ad unionem uniti, ipſi eccleſiæ dudum laceratæ et feſſæ, ac reſurgere inchoantis, pro ejus unitatis decore, ut hactenus ſemper egiſtis, manus regias porrigere adjutrices.

Quæcumque hactenus egimus, ordinavimusque, relatibus et ſcriptionibus noſtris et oratorum veſtrorum hic exiſtentium, clare celſitudo veſtra percepit. Reverendiſſimus in Chriſto pater dominus L. S. R. E. cardinalis Barenſis, de cujus acceſſu hujuſmodi per nos deliberato, abunde Chriſtianiſſimæ caritati veſtræ ſcripſimus, hic de quinta menſis inſtantis diſcedens, verſus partes Alemanniæ ad illuſtriſſimum principem dominum Rupertum in novum Romanorum regem electum profectus eſt, et ad dominos Colonienſem, Moguntinum, et Trevirenſem archiepiſcopos, ſacri imperii electores, nec non alios principes tam eccleſiaſticos, quam ſæculares. Poſt cujus diſceſſum nuperrime percipimus eumdem dominum electum, die XXI. proxime decurſi menſis Octobris, *in Nuremberg* nonnullorum prælatorum & dominorum temporalium conventionem particularem tenuiſſe, in qua, quia interfuerunt præfati domini electores, & major pars aliorum ſpiritualium & ſæcularium dominorum, nulla inde concluſione ſeu terminatione ſumta, res integra reſervata eſt dilatataque uſque ad diem dominicam poſt Epiphaniam immediate ſequentem, in qua die univerſaliter omnes Alemanniæ domini ſpirituales & temporales convenire debent, & inibi, quid agendum ſit pro tota Alemannia, ultimam & totalem terminationem capere. Et quia in eventu terminationis hujuſmodi, Chriſtianiſſime princeps, negotium ſanctiſſimæ unionis eccleſiæ præcipue pendere putavimus, cum Alemannia tamquam magna Chriſtianorum pars in ſe videatur, in hac Dei cauſa non modicum habere momenti... Et licet ſperemus pro juſtitia & veritate terminationem ipſam emanaturam; tamen, ut ita ſine dubitatione ſequatur, ad videndum, agendum totis conatibus arbitramur. Quamobrem ſerenitatem veſtram totis præcordiis exoramus, ut oratores veſtros ſolemnes ſufficientes & practicos ad ipſos dominum electum & electores placeat deſtinare, qui veſtræ celſitudinis nomine dictæ conventioni interſint, præfatam ſanctiſſimam unionis cauſam pro optato exitu promoventes, pro qua tanta charitate, ſollicitudine & tot ſumtibus laboratis, omnibuſque dominis partium illarum veſtris amicis ſcribere, ut cauſa & materia ipſa requirunt. Nullam enim opportuniorem legationem iſta mitti poſſe putamus, & quæ majorem fructum ſit Dei gratia allatura: & pro aliqua inſtructione mittendorum, mittimus domino Patriarchæ nonnulla quæ in facto conſiſtunt. Agite igitur, illuſtriſſime princeps, & quæ maxima hac tempeſtate pro reintegratione ſanctæ matris eccleſiæ, clariſſimorum majorum Chriſtianiſſimæ domus veſtræ perinclyta inſidentes veſtigia, peregiſtis, & eſtis, Deo propitio peracturi; hoc tam neceſſarium, quod tantopere quæſumus, ſicut indubia ſpe tenemus, efficere celſitudo veſtra dignetur: quam ipſe Deus omnipotens feliciter augeat & conſervet ſemper promtiſſimis animis ad illius placita & rata paratum. Datum Piſis.

EPISTOLA EORUMDEM

Ad reginam Francorum.

Ejuſdem argumenti.

SEreniſſimæ principiſſæ dominæ, dominæ Iſabellæ Dei gratia Francorum reginæ, miſeratione divina, &c. Ib. p. 8

Scribimus Chriſtianiſſimo principi & excellentiſſimo domino, domino Carolo regi Francorum, ut veſtra reginalis ſerenitas per interclusam copiam poterit intueri. Totis igitur affectibus veſtram celſitudinem exoramus, ut circa oratorum miſſionem, quam uti neceſſariam tanta cum inſtantia poſtulamus, placeat apud eumdem dominum regem efficaciter, ſicuti penitus ſperamus, interponere partes veſtras, veſtræque ſublimitatis parte optime ſcribere tam principibus, prælatis, & dominis Alemanniæ vobiſcum conſanguinitate conjunctis, quam aliis quibus expedire videbitur, pro effectu ſacratiſſimæ unionis eccleſiæ ſanctæ Dei, ut dignis præconiis extollatur Chriſtianiſſima domus Franciæ, auctrix unitatis, ad decus eccleſiæ reſtitutum & pacem populo Chriſtiano. Omnipotens Deus ſublimitatem veſtram feliciter augere & conſervare dignetur. Datum, *ut ſupra*.

COPIA LITTERÆ

Miſſæ dominis cardinalibus a rege Arragonum.

Miſſurus ſuos ad Perpiniani concilium procuratores, excuſat ſe a mittendis ad Concilium Piſanum.

REverendi in Chriſto patres & amici cariſſimi. Magno cum gaudio, lætaque fronte litteram veſtram recepimus, continentem multa, in quibus pro unione ſanctæ matris eccleſiæ noviter proceſſiſtis, nos attente rogantes, quatenus pro intereſſendo generali concilio, quod in civitate Piſana XXV. die martii proxime venturi celebrare intenditis, noſtros procuratores dignaremur infallibiliter deſtinare. Recepimus, inquam, aliam litteram per illuſtriſſimum Carolum regem Franciæ ad veſtri requiſitionem & inſtan- Ib. p. 8

stantiam nobis missam, super materia praejacenti, quibus sub compendio respondemus, quod sanctissimus in Christo pater dominus Benedictus divina providentia sacrosanctae Romanae, ac universalis ecclesiae summus pontifex, nos, ut sibi nostros procuratores mitteremus confestim pro interessendo generali concilio, quod celebraturus est in brevi in villa Perpiniani super facto unionis jam dictae, nostram celsitudinem est hortatus; & sic obtulimus nos facturos, & peragemus de facto, Domino annuente. Ulterius ad dictum illustrissimum regem Franciae super praedictis nostros ambaxiatores in brevi mittemus, de nostra intentione plenissime informatos, cum quo speramus, disponente Domino, concordare. Quibus sufficienter & bene ad servitium Dei & ecclesiae honorem dispositis, ad paternitates vestras nostros ambaxiatores mittemus, qui nostri pro parte, sic erga praedicta negotia se habebunt, quod ipsae paternitates vestrae debebunt de nobis rationabiliter contentari, & offerimus nos paratos ad cuncta vestros honores concernentia, & vestris affectibus placitura. Datum Barchinone sub nostro sigillo secreto XIV. die Novembris, anno a nativitate domini MCCCVIII.

Reverendissimis in Christo patribus dominis S. R. E. sacro cardinalium collegio amicis nostris carissimis.

EPISTOLA WENCESLAI REGIS

Romanorum ad cardinales.

Declarat missurum se regni sui praelatos & oratores ad concilium Pisanum, modo excipiantur tamquam veri regis Romanorum oratores.

p. 891. REverendissimi patres, amici carissimi. Quanta cordis affectione, quanta animi aviditate unionis sanctae matris ecclesiae reintegrationem, hactenus aliquandiu praestolatam, zelare noscimini, testis est experientia, quae per se loquitur; testis est & sola scriptorum ac nunciorum vestrorum crebra per vos nobis ceterisque mundi principibus & fidelibus super hoc transmissorum replicatio, quae vos coram majestate nostra ejusdem unionis protestatur utique utiles promotores. Vos enim, ut ex tenore hujusmodi scriptorum vestrorum didicimus, in resecandis tam perniciosis pestiferi schismatis contagiis, veluti fideles medicos absque intermissione temporis sollicitos, & in reducendis in sanctae unitatis corpore imbecillitate languentibus membris, pristinae sanitati, vos redditis quam plurimum operosos. Super quo sinceritatem vestram tanto altius commendamus, quanto vos per hoc non propria commoda, quin verius Christi fidelium, jam cernimus lucra quaerere animarum. Ne autem sollicitudinis nostrae, quam ad unitatem & statum ecclesiae semper ultro gerimus, diligentia paternitatum vestrarum notitiae sit forsitam incognita, seu aliquatenus peregrina; ecce scire placeat, quod receptis pridem ab honorabili Jeronymo de *Sydenberg* doctore decretorum sacri palatii auditore, devoto nostro dilecto, vestris tam litteris quam relatibus curiosis, confestim illustres terrarum nostrarum Slesiae principes, consanguineos nostros, ceterosque regni Bohemiae episcopos & praelatos ad nos accersivimus, cum eisdem de unione sanctae matris ecclesiae salutifera consilia inituri. Freti itaque eorum mature digestis consiliis, prout ipsorum scripta dilucidant, juxta suasionum vestrarum hortamenta, ad generale concilium per vos super festo annunciationis gloriosae virginis Mariae in civitate Pisana proxime venturo celebrari indictum, solemnes ambasciatores de sanguine nostro decernimus transmittendos. * Nos enim paternitates vestras in hoc fausto proposito juxta desiderii vestri vota, tamquam Romanorum & Bohemiae rex, omni nostra obedientia & potentia reciproce assistere volumus sine dolo, prout super his honorabilis magister Joannes cardinalis de *Reyuscam* familiaris, devotus, fidelis, dilectus paternitates vestras latius informabit: cui in referendis hujusmodi fidem nostro nomine velitis credulam adhibere, singularem nobis in eo complacentiam ostensuri. Datum Wratislaviae die XXIV. Novembris, regnorum nostrorum anno, Bohemiae XLVI. Romanorum vero XXXIII.

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus & Bohemiae rex.

Ad mandatum domini regis Jacobinus cancellarius Pragensis.

Nota. Ista clausula intrabit litteram praecedentem ad signum.

Ita tamen quod eminentissimae paternitates vestrae celsitudinem nostram sub patentibus litteris, sigillis omnium dominorum cardinalium de congregatione vestra circa eas appensis, ante omnia assecurare debeant solida firmitate, quod eosdem ambaxiatores nostros ad concilium generale praedictum venientes decenter suscipietis, caritative pertractabitis, ac ipsis tamquam veri & justi Romanorum (*a*) & Bohemiae regis ambaxiatoribus locum deputabitis, nec non cum consilio & scientia ipsorum singula tam sanctae Romanae ecclesiae, quam nostra & imperii sacri negotia fideliter tractabitis, tractataque concludetis. Nos enim, &c.

(a) Hanc adjecit Wenceslaus clausulam, quia ab imperio fuerat deturbatus, Ruperto ejus in locum subrogato.

LITTERA UNIVERSITATIS

Parisiensis, ad cardinales utriusque collegii.

Hortatur ad perseverandum in bono proposito dandi ecclesiae pacem.

SAtis datum fuerat mortalibus; patres metuendissimi, si tales semper gestassent animos rectores orbis, quales nunc geritis. Satis datum foret populo Christiano, si votis vestris ambitiosa mens contendentium & infausta morem aliquem gessisset. Sed in aborsum res vertitur. Nam omnibus pacem quaerentibus, schismaticae mentes moliuntur impedimenta. Eunt tamen quo furialis impetus calamitates. In eos tamen dolor gravissi- Ib. p. 898.

ANNO CHRISTI 1409.

vissimus redundabit. Et vos, o verissimi pugiles Christianæ pacis, qui & in falsis fratribus, & in regnantibus hypocritis, & in ingluvie schismatica plus quam scylleam rabiem estis experti, fortunam quam Deus dederit lætissimam habebitis, quia Christum nostrum secuti, ecclesiasticæ persecutionis videmini magnum discursum omni discrimine plenum egisse, in eo perseveratis, quo fortis & excelsus animus amplitudinis virtutis finem reperit gloriosissimum. Quid restat, nisi ut vobis dicamus: Donate & vosmet rebus servate secundis? Nam sive hac, sive alia via, ut spes est, dabit Deus finem vestris laboribus. Itaque quo veritas trahit; quo caritas impellit, accedamus. Quidquid reliquum seu fortunæ subest, ferendo superandum est. Ipsa quoque divina consolatio a fidelibus in omnibus experta malis præsto erit, supplens illico quæ ferre non potest humana debilitas. Hoc tantum hortamur, ut in hoc extremo labore perseverantes, non existimetis hoc regnum aliquo casu defuturum, quia principes nostri, atque Gallorum populus, omnes denique regnicolæ ceteris rebus ecclesiæ pacis procurationem præposuerunt. Unum tamen inter cetera minatur periculum, in quo vos commonitos volumus, ut neutri contendentium obedientiam præstetis, neque permittatis eorum aliquem auctoritate prætensa concilium ingredi convocatum. Cetera quæ pro bono causæ Dei, explosis humanæ perditionis fraudibus, agenda censemus, explicabunt reverendissimis paternitatibus vestris Guillelmus *Bosratter* utriusque juris doctor, consiliarius, & magister requestarum hospitii domini nostri regis, & Hugo *Cholet* miles cambellanus ejusdem domini nostri, quibus velitis in dicendis pro parte nostra indubiam fidem adhibere. Dirigat mentes vestras divinus Spiritus ad hoc munus deificum universæ Christianitati ferendum. Scriptum Parisius, &c.

Vestri Rector & Universitas Studii Parisiensis.

EPISTOLA CAROLI REGIS

Francorum, ad Florentinos.

Commendat eis patres Pisis congregatos & congregandos.

Ib. p. 899. CArolus, &c. magnificis & potentibus prioribus artium ac vexillifero justitiæ & populi communis Florentiæ, amicis nostris carissimis, salutem & circa ecclesiæ unionem in omnibus opem ferre.

Magnifici & potentes amici carissimi. Auditis relatu plurimorum curialitatibns atque favoribus multiplicibus collegii, inducimur E vobis grates rependere valde multas, sed præcipue quod alias totis nisibus, ut subjungitur, pro consecutione unionis ecclesiæ plurimum elaboratis. Quocirca, amici carissimi, vos precamur enixe, quatenus cum perseverantia & continuatione hujus sancti vestri propositi in rejectione istorum pessime meritorum, contendentium de papatu, ac obedientiæ neutralitate, ut bina vice hac- A tenus estis polliciti, nobiscum vestra communitas, & nos si usquam aut umquam quipiam nostrorum prædecessorum fuerint cum vestris prædecessoribus amicitiæ benevolentia conjuncti, magis ac magis nostræ est intentionis isto respectu in posterum ejusdem vestræ communitatis amatores semper fore. Ceterum, amici carissimi, super victualium administratione pro pretio competenti moderatoque ipsis cardinalibus & aliis qui Pisas accedent facienda, animadversuros vos esse precamur, & debite provisuros, ut potestis, sed maxime & maxime de securitate personarum, cum, ut vestræ circumspectiones non ignorant, ex urbe mala peracta, schisma, quod, proh dolor! in Dei B nunc viget ecclesia, oborsum sit. Datum, &c.

EPISTOLA DOMINI BARENSIS

Ad dominos cardinales.

De successibus suis in Alemannia.

I. REverendissimi patres & domini & benefactores mei, post debitam & humilem recommendationem. A Tridento, quantum ad usque tunc occurrerat memini me satis plene vestris reverentiis scripsisse. Abinde autem nihil erat quod nuncium ad id C notificandum exigeret specialem, quoniam etsi per omnes civitates & oppida, mira cum veneratione, solemnibus processionum, & occursuum magistratuum & populorum apparatibus, fuerim semper receptus; bonum fuisset ad lætitiam mentium vestrarum in Domino id significasse; sed quia non exigens distuli ad hucusque, longum foret singula enarrare, quæ devotissimi magnates & populi Alamanni circa adventum meum studiose facere nisi sunt. Aliqua tamen perstringam compendio, ut ex paucis dominationes vestræ reliqua contemplentur. Unum quippe ex meis aliquando capiendi hospitia & præparandi necessaria præmittebam, qui D cum in præparatione hujusmodi adventum meum & causas enarraret; continuo universus loci tam clerus quam populus pia devotione in Domino exultabat. Clerus autem ad processionem, & primates ad occursuum solemnia se parabant; cetera vero quæque plebs, quæ vere est in cunctis oppidis numerosa, extra portam avide confluebat, quasi divinum hominem, nuncium pacis cœlo demissum visuros se arbitrarentur. Namque etsi dignitas cardinalatus propter raritatem in his partibus summa cum veneratione habeatur, augebat tamen eam, immo facit principaliter causa sanctissimæ unionis Dei, quam procurare pro parte reverendissimarum vestrarum dominationum ad partes has sciebant me esse profectum. Propterea nec ubi populis tuta quies, ubique inter magnates discordiæ, ubique sollicitudo timoris seu calamitas pressionum: ita ut non solum propter fidei articulum, quem videntur accuratissime annotare; verum etiam quia ex ecclesiæ unione quietem populis ipsis reddi, injurias tolli, fidelibus pacem restitui atque quietem. Igitur verbum pacificæ

Ibid.

cæ unionis libenter audiunt, effectum autem concupiscunt. Neminem hucusque reperi, qui statim cum causam sanctam vestram, immo fidelium omnium, intellexerit, illam non laudaverit, adhæseritque eidem, adversam ut perfidiosam inimicamque saluti fidelium detestando. Quanta vero cura sit, ut tamquam nuncius & procurator pacis ego sine offensione vel impedimento mandatum iter efficerem, & si vultus, si verba, modosque eorum intueri oculis non possitis, animis saltem ex hoc uno intelligere, supplico, dominationes vestræ dignentur. Unaquæque siquidem terra me cum omni comitiva mea adusque terram aliam militibus eorum atque nobilibus, armigeris sociantibus, cautissime securum ponere procuravit. Quid ultra? inter horridos montes & gentes feras in ipso introitu Sueviæ duo barones inter se guerras mortiferas diffidebant, statim cum illos transitus mei conscios feci, unus ad mei securitatem familiares suos misit armatos, alius venit & quidem ferocior in occursu, eam devotionem cum omni reverentia exhibens, ut ipse miratus cognoverim sanctum huic procurationi præire Spiritum, qui prava in directa dirigeret, & aspera in vias planas. Namque non vos aut ego, sed Deus facit hæc omnia. Ceterum si singula sic ut gesta sunt, percurrere seriatim voluero, opus se extenderet in nimis longum, quamquam præsens lingua vix possem exprimere.

2. Percurram igitur, importantiora legens ex plurimis. Prima mihi post Tridentum civitas Brixinensis occurrit, ubi quamquam ubique cum processionibus fuerim & populi concursu receptus, ibi tamen ampliori honore, quo intelligentiores viros ibidem contigit reperisse. Pallio enim & esculentorum poculentorumque muneribus receptus, solemniter in eadem progressus sum, communibus dimissis aliis, quantum sciebant poterantque devotionis, agentibus, ad oppidum Sprutense, in quo illustris ducissa Austriæ novi electi regis Romanorum filia morabatur: quæ cum meum præsensisset adventum, primum certos milites ac nobiles ad me obviam misit, deinde sub duobus successivis palliis me ingredi ordinavit, excusans se quod nisi gravis utero foret, exiisset ipsa etiam in occursum. Verumtamen eam in claustro ante portam ecclesiæ cum solemni comitiva reperi devotam reverentemque, ut rationabiliter annotassem. Prætereo hic plurima ceterorum oppidanorum circa devotionem ipsam relatu dignissima, & cetera notabiliora percurro. Priori die secus lacum ad castrum quod *Hasbrug* in Teutonico nuncupatur, hora quasi secunda noctis perveneram, verumtamen unum ex meis ad Constantiensem civitatem, quæ ex parte alia lacus sita est, duxeram præmittendum, per quem notum ibidem feceram adventum meum.

3. Mane vero quod successit, & ecce navis a Constantia solemniter præparata, quam cum electioribus comitivæ meæ ingressus sum, ceteris cum equis in navibus aliis transportatis. Cum vero Constantiæ propinquarem, exiverunt magistri civium in scaphis, deinde primates cum reverentiis se obviam offerentes, sicque ad portam civitatis delatus, ibi clerum totum cum utriusque sexus populo congregatum inveni, sub pallioque receptus cum devotione populi & confluentia, non sine pressura processi ad ecclesiam cathedralem. Inde servato more, ad locum mansionis sociatus mirifice declinavi.

4. Postero autem die missam solemnem per omnes religiones & ecclesias nunciatam, feci me præsente in ipsa majori ecclesia celebrari, in qua duos egregios habui prædicatores, unum socium meum carissimum dominum episcopum Laudensem, qui in latino ad clerum proponens, occurrentis epistolæ cœlestis oratoris *Semel fecit se offerendo dominus* Jesus ad Hebræos VII. quam mirum in modum ad sententiam faciendæ unionis ecclesiæ, improbationisque Gregorii & Benedicti, operumque eorum decrete & rationabiliter reduxit. Alius Alamannus vulgari lingua eloquenter de eisdem, sicut mihi fide digne relatum extitit, prædicavit; deinde ad prandium quosdam abbates, canonicos, & primates habens quam plures, sanctam causam vestram intelligi illis dedi, priores & gardianos religiosorum ordinum advocavi atque magistros, quibus literas generalium suorum ostendens, quotidie prædicare vestræ veritatem justitiæ induxi: ac sic per diem totam ibidem moram trahens, ædificasse credo structuram bonam in justitiæ vestræ templo.

5. Mane autem succedente, navis mihi, universitate disponente, parata est, quam ingressus, equis per terram euntibus ad oppidum Scafhusense, inde ad Basiliensem civitatem perveni. Ibi facta sunt mihi majora prioribus ad honorem. Namque quantus militum nobilium, quantusque populi cum solemni clero concursus fuerit cum pallio, quæve visitatio eorum ad hospitii mei locum, quantave omnium gestorum solemnitas non facile scripserim. Sed succedente die, populo ad majorem ecclesiam convocato, solemni ritu missam celebrari feci, in qua idem socius meus carissimus dominus Laudensis episcopus, proponens *Ecce mitto angelum meum*, commissi mihi ministerii a reverentiis vestris illi æternæ redemtionis sanctissimæ comparavit justam causam vestram, per omnes partes explicans & alterius perfidam pravitatem. Similiter & alius in Teutonico prædicator: deinde in prandio magistros & consules civium primatesque habui cum ecclesiasticis plurimis illos curans verbo vestræ reficere veritatis. Similiter & ordinum priores ac præsidentes informatos feci, omnesque visi sunt animis sancto vestro proposito inhærere, perversitatem de papatu contendentium detestantes.

6. Hic cum animo recenserem, quod a Tridento, immo ab ipsis Italiæ finibus ulterioribus ad civitatem hanc Basiliensem per xx. jam dies & ultra continua itineratione, per illustris ducis Austriæ territoria, interjectis admodum paucis aliis, pervenerim, accepissemque nonnullas terras habere ulterius, esseque ejus potentatum magnum, nec ab hinc ultra v. aut vi. milliaria Teutonico-

eorum seorsum distare; cogitaremque ad causam vestræ justitiæ plurimum pertinere, si ipsius sublimitatem de ipsius causæ meritis informarem: Decrevi a directo itinere aliquantisper divertere, & ad illum personaliter me conferre. Vix prius cum consiliariis meis ista decreveram, & ecce nuncius cum litteris reverendissimi in Christo patris & domini, domini mei B. sancti Eustachii legati Bononiensis, complementi sancti hujus propositi procuratoris vigilis & laudabilis in æternum, per quas me idem dominus advisatum reddebat, Gregorium impedimentum transitus Alamannorum ad vestrum concilium procurare, suumque conciliabulum celebrare, provide fore cum illustri domino duce præfato remedium adhibendum. Confirmavit me igitur in ipsius proposito tam veneranda monitio, sapiens & curiosa domini mei prædicti, ipsiusque mandatis obtemperans, a Basilea consilio magistrorum civium & optimatum per navim recedens, ad oppidum perveni, quod in schismate adhæserat Benedicto. Cum vero oppidani jam me venientem sentirent, nullo sub honore me recipere procurabant. Verum cum pro pace & unitate ecclesiæ me intellexerunt venientem, pallio confestim parato, cum clero & processione, atque exultatione totius populi me solemniter receperunt. Inde accessum meum præfato illustri domino notum feci, qui apud notabile oppidum suum, Friburgum nomine, distans per tria Teutonicorum milliaria, manebat. Redeuntes ab illo nuncii salvum conductum ejus reportarunt, etiam non petitum, quodque me libenti videret animo, de accessu tamen facerem pro meæ libito voluntatis. Paulo post duo, ejus consiliarius miles & secretarius, ad me venerunt oratores, qui illum nocte ex ingruentibus causis equitaturum asseverabant, petentes etiam verbis, quæ ipse idem, ut infra inseretur, litteris postulavit. Continuo illis causam mei adventus exposui, & dicto domino etiam per litteras meas scripsi, rogando, ut tantis rebus, quantis cum eo forem tractaturus, ceteras aliquantisper postponeret, & meum expectare dignaretur adventum. Qui nocte litteris meis receptis, sine mora quosdam milites aliosque armigeros ad me misit, quorum comitiva securus, serenitatem suam adirem.

7. Jam meridie venientibus illis confestim iter arripui. Et quia tria Teutonica milliaria quindecim sunt latina, in tanta brevitate dierum, mulis salmigeris equitum celeritatem impedientibus, dies cesserat jam in noctem, quando ad duo latina milliaria a Friburgo oppido occurrentem cum magno Baronum, militum & armigerorum comitatu inveni, & post dignos applausus, facibus innumeris noctis tenebris superatis, ad ecclesiam, præcedente clero, processionaliter primum, deinde ad ordinatum hospitium me reduxi, & inter sic faciendum miram modestiam dicti domini annotavi. Namque nox erat & pluvia, & cum ecclesiam essem ingressus, in ea faciens cerimonias consuetas, foris ipse remansit sub dio expectans, ad hospitium cum imbrium patientia me reducens. Reddito autem terris sole, pro reverendo in Christo domino episcopo Brixiniensi, qui de primis est consiliariis ejus, misi. Quo de singulis, quantum opus fuit, per seriem informato, causam vestram intelligere & eidem visus est animo adhærere. Post prandium autem ipse illustris dominus ad hospitium ipsum personaliter cum consiliariis suis advenit, quocum magna de omnibus reverentiarum vestrarum gestis & Gregorii locutio mihi fuit, postque multas suasiones pluraque separatim cum consiliariis hinc inde facta consilia, conclusio tandem ista, quod intendit per omnia sacro vestro collegio circa unionem ecclesiæ inhærere, & ad concilium mittere, & futuro summo eligendo pontifici credere, & parere. Ipse quoque petitionem mihi fecit fieri secundum seriem copiatam, ut in instrumento insertam. Quam siquidem petitionem suo sigillatam sigillo, & subscriptam a secretario suo recepi, atque teneo ad cautelam. Ceterum ea recepta & accurate considerata, cum reverendis in Christo patribus sociis & consiliariis meis, plene cum omnibus dependentibus & connexis discussi eamdem. Et attento quod est incredibilis potentiæ, domini novi electi Romanorum regis gener, & magnum ceteris principibus & populis Alamanniæ exemplum, deliberavi concludere cum eodem secundum instrumenti publici seriem, præsentibus retro scriptam.

8 Sequenti siquidem mane illum ad principalem ecclesiam oppidi populosi, cum solemni apparatu celebrandæ missæ multitudinisque concursu, ante missæ inchoationem, eodem domino duce coram me humiliter genuflexo & petente, ut supra, astantibus multis baronibus, militibus & nobilibus, clero & populo inspicientibus, juramento prius præstito, & prædicto promissionibus factis, extitit absolutus, stetitque in missa semper capite discooperto; & missa finita, me ad hospitium usque reduxit; litteras etiam suas fieri fecit damnationibus vestris, pro ut in interclusa copia poteritis annotare, quas conservo similiter, & alias subditis, quarum unam mitto inter præsentes, cum habeam duplicatas, ut alia ad subditos destinetur.

9 Altera autem die magna cum comitiva ad *Brisachem* oppidum, quod est etiam suum, personaliter me conduxit: & inde mane postero cum equitum & peditum comitiva, usque in Columbriense territorium, ubi nonnullos oppidanos procuratione dicti domini reperi in occursum. Inde a me quanta cum humilitate & reverentia recesserit, colligite deprecor ex prægestis. Processi itaque ad imperiale oppidum illud, ubi ante portas in morem solemnem clerum, magistros oppidanorum, et populi magnam partem inveni. Quatuor ex primatibus pallium deferentibus, sicut etiam ex omnibus locis superioribus extitit observatum, receptus sum & mirifice honoratus.

10 Succedente die ad oppidum *Sclilegbe* sociatus optime a Columbriensibus ad usque tuimentum *Sclilcbe*, ubi alii nobiles ejusdem oppidi præavisati a Columbriensibus occur-

rerant: a quibus receptus, ad oppidum ipsum, quod etiam imperiale est, processi in vigilia festi dominicæ nativitatis. Illorum quoque oppidanorum quam reverens sit devotio, ex solo hoc actu possunt dominationes vestræ colligere. Erant eo die immenso frigore in glaciem astrictæ aquæ, & nubes desuper solo aquilone compressæ, nivem minutissimam raramque distillabant, ita quod omnium membra pene rigebant. Cum per oppidum ab ecclesia ad hospitium ducere, contingeretque ut fluvium per ipsum oppidum defluentem transvadarem, cum pons esset inequitabilis, opus foret, duo milites quatuorque nobiles mulam regentes, deferentesque pallium, a me instanter moniti & rogati, ut per pontem transirent, nullo pacto voluerunt devotum ministerium linquere, sed per aquam ad femoralia usque attingentem, non sine compassione animi mei, licet in domino collætarer de tanta affectione ecclesiæ uniendæ & reverentia ejus, cum gaudio transmearunt.

11 Porro festo die sequenti solemni in missa & apud ecclesiam principalem, coram omni populo per eloquentem unum fratrem ordinis eremitarum totam causam vestram cum detestatione perfidiæ & obstinationis alterius feci clarissime prædicari, habuique quosdam de primatibus mecum in prandio, merita causæ vestræ, immo fidelium omnium per fideles & idoneos interpretes aperiendo.

12 Ab inde quamprimum altera lux reddita terris fuit, præmissis ad Argentinam domino episcopo Laudensi, & domino Roberto, & domino Johane de Bononia doctoribus, ac magistro Johanne *Creit*, quoniam ante præmiseram solum dominum Johannem de Bononia, qui ad me in dicto oppido sero redierat, dicens Argentinenses in exhibitione honoris, maxime clerus, propter sententias Gregorii hæsitare, comitatus ab oppidianis ipsis, & in oppido Argentinensis territorii, quod a civitate per millaria Teutonica tria distabat, sum etiam honorifice, sicut prius, pro qualitate oppidi hospitatus. Non enim alius civitati propinquior idoneus erat locus.

13 Summo autem mane postero inde discedens circa meridiem, ad Argentinensem civitatem perveni, & prope portam in quodam monasterio, præparationis causa declinavi. Continuo duo, quos præmiseram, ad me venerunt, afferentes in civitate diversas esse sententias, processiones cardinalibus facere non consuevisse, rem omnem super hoc tractatu in incerto pendere, donec provinciale sit concilium celebratum, quod uti scitis in Francofordia, in octava Epiphaniæ debent solemniter celebrari, & similia, quæ mentem meam & eorum qui mecum sunt commoverunt, nec rationes multiplices per illos quos præmiseram allatas & concludentissimas, nisi taciturnitate, ad effectum aliquem admittebant, quamquam discrepationes in clero & populo plurimæ fuerunt & diversæ. Advenientibus tamen Cordesanis, & notis civibus aliquibus præcedentibus, salvus & disposita comitiva mea in ordinem, in civitatem processi, in qua numerosum populum per magnam stratam undique confluentem inveni, & majorem etiam visitavi. Inde ad hospitium meum me contuli præparatum. Et ecce magister Scabinorum & omnes magistratus ad me cum multitudine militum & nobilium advenerunt, excusationes, quod debitum non fecerant allegantes. Puto quia viderunt res & statum vestros non abjectos, uti illis fuerat fortasse relatum. Sunt enim mecum equites numero centum; quibus, Spiritus-Sancti gratia ministrante, respondi sanctum vestrum propositum & accessus mei ministerium referando; ita ut statim conversi fuerint in assensum, deinde ab ipsis fui piscibus & esculentis & poculentis donatus: quos ad prandium invitavi in diem sequentem benevole acceptantes. Post hos & ecce ecclesiæ majoris capitulum, quos, ut expedire visum extitit, reprehendens, & merita vestræ sanctissimæ causæ illis aperiens, reduxi, ut illos pudere confiterentur; quamquam idem capitulum sese plurimum, quod per eos non steterit, excusaret; & in vero reperi per eos non stetisse; sed per alia capitula aliarum solemnium ecclesiarum, in quibus erat præpositus unus senior, cujus mentem sathan ingressus fuerit, omnia bene disponenda perturbans. Tandem idem ecclesiæ majoris capitulum emendationi neglectorum & non factorum se submisit, & conclusum fuit, quod missam solemnem in ipsa ecclesia facerem celebrari sequenti mane, quo dies fuit Veneris Innocentium, quodque ad hospitium processionaliter solemni more venirent, inde me ad ecclesiam perducturi.

14 Ipsis deinde recedentibus sub conclusione hujusmodi antedicta, ceteri de aliis capitulis advenerunt, & senex ille: quibus verbum faciens, de justitia causæ vestræ, prout ipse Spiritus dedit, cum rationabili cordis reprehensione, factis per eos quibusdam rationibus & plene etiam confutatis, nequam ille spiritus de corde senis in verbo veritatis ejectus est, & omnes erubescere, singuli culpam recognoscere inceperunt, supplicantes veniam, & cum emendare velint, possint cum majoris ecclesiæ capitulo interesse.

15 Et factum est quod sequenti mane omnes religiones, omnia ecclesiarum capitula, clerusque numerosus processionaliter ad hospitium se contulerunt. Venerunt etiam magistri scabinorum, & omnes magistratus convenerunt, multi barones, milites, & nobiles, & numerosa populi multitudo, & me exeuntem sub pallio receperunt, quod milites quatuor deferebant, quorum nepos domini archiepiscopi Coloniensis unus erat, tres tandem milites tenebant. Unus præibat etiam cum capello, ceteri magnates & primas præibant. Quantus utriusque sexus populus per stratas & fenestras manens, ad ecclesiamque procedens, commodiorem locum tempusque scribendi exigeret. Quantus in mirabili illa ecclesia apparatus fuerit, ex aliis dominationes vestræ concipiant. Missa autem solemnissime inchoata, atque procedente in ritum, dominus episcopus Laudensis sub propositione decantati evangelii *Fuit homo missus a Deo*, quantum dici posset, de vestro sancto proposito & vestris justissimis oneribus prædicavit. Provincialis minister ordinis Minorum, qui sinceri cordis & ferventis voluntatis est in causa vestra, immo

ANNO CHRISTI 1409.

Dei, in Teutonico etiam pleniſſime prædica .c. Finita miſſa majore, dictis capitulis, & aliis, ſicque ordinibus religioſorum præcedentibus, ad hoſpitium me retuli; iiſdem magiſtratibus, baronibus, militibus, ac nobilibus ſociatus, cum quibus caritative in eo hoſpitio, videlicet cum principalibus pranſus fui. Quid tandem mihi ad honorem amplius fieri potuiſſet? Et quidem exiſtimo non levem rem hanc eſſe in ſtatera diſponendorum in concilio ipſo. Namque civitas potens eſt, & de primis Alamanniæ univerſæ. In his omnibus vicarius generalis domini Argentinenſis epiſcopi fuit, ipſiuſque domini epiſcopi recepi litteras tenoris videlicet ſubſequentis.

14 *Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino domino L. cardinali Barenſi, domino meo ſingulariſſimo VV. (a) epiſcopus Argentinenſis ad paternitatis veſtræ reverendæ mandata paratus, recommendatione præmiſſa. Reverendiſſime pater & domine mi ſingulariſſime, de adventu veſtræ reverendiſſimæ paternitatis ad civitatem Argentinenſem, intellexi, de quo multipliciter fui & ſum gaviſus, & toto cordis deſiderio affectavi veſtram benignam & reverendam paternitatem viſitare: ſed propter inopinatas cauſas ad præſens occurentes, & inſultus inimicorum partium mearum, non poſſem commode, nec valeo recedere de oppido * Zalome, in quo ſum pro cuſtodia aliorum locorum. Idcirco quantum poſſum & valeo, deprecor affectuoſe, quatenus paternitas veſtra reverendiſſima ad præſens me dignetur habere excuſatum, quod perſonaliter non veni, prout affectabam. Si tamen omnino paternitas veſtra reverendiſſima mihi præcipiat, omnibus prætermiſſis, non obmittam ad R. P. properare, quam, &c.*

(a) Will. comes Dieſtenſis.

* f. Savernæ.

15 Qualia uſque in hanc horam geſta ſunt, puto me pro parte notabiliora expoſuiſſe; cetera quæ imminent non attingam: ſentiens apud Coloniam a Theodorico *Nyem* relata, qui meas ſubinde receperat litteras, cum quibus a Piſis & domino Colonienſi ſcripſeram acceſſum meum. Venerabilis vir dominus abbas S. Juſtinæ Paduanæ, ſtatim verſus me, ad informandum de ſingulis, quæ ipſe repperit regreſſus eſt, quem apud Argentinam inveni: biduo ante prævenerat me expectans, cujus informatione & aviſationibus uſus ſum. Eſt enim providus & fidelis, & merito ponendus inter caros. Eo referente, percepi & aliis etiam fide dignis, quod octava Januarii dominus archiepiſcopus Moguntinus concilium ſuum facit, in quod quid in provinciali apud *Francoford* ſentire debeat, providebit. In illo itaque intereſſe, niſi alia melior ratio me moverit, diſpono. Non enim parva res erit ad juſtitiæ veſtræ certitudinem, ſi ibidem pro vobis fuerit ſtatutum. Propterea cras hinc, Deo auxiliante recedam, ſocium meum abbatem reducens, & cum apud Spiram fuero, quid ſuper progreſſu ulteriori facturus fuero, rebus ibidem melius cognitis, conſilio adhibito, deliberabo, eo inſpirante, qui numquam deſtituet cauſam ſanctam ſuam. Namque rex Romanorum proximior eſt ad civitatem Spirenſem, quam dominus Maguntinus. Non enim in Francofordia, uti ſentio, eſt ad præſens, ſed apud *Hildelberg*. Ideo providendum.

15. Litteras dominationum veſtrarum hic etiam recepi, apud Piſas XXIII. Novembris datas, cum copiis incluſis, quas reverenter perlegens, & accurate conſiderans, juſſiones veſtras & aviſamenta curabo, quantum de ſuperna gratia dabitur adimplere. Novit dominus, noverunt & hi qui ſunt horum laborum participes mecum, ex quo a pedibus reverentiarum veſtrarum, maxime poſtquam Alemanniæ fines attigi, nullum temporis momentum infructuoſum permiſi decurrere circa mandati itineris & commiſſorum exſecutionem, ſicque curabo in futurum. Scribo magnificis & excellentibus dominis Florentinis in generali & ſub compendio nova hæc. Vos autem ſi videbitur ea poteritis ſerioſius reſerare. Datum Argentinæ.

LITTERA DUCIS AUSTRIÆ

Ad cardinales.

Promittit ſe eis ſuos ad concilium oratores miſſurum ac ditionis ſuæ prælatos ut ad illud veniant hortaturum.

Ib. p. 9

REverendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini cardinales eccleſiæ Dei veriſſimi, Fredericus Dei gratia dux Auſtriæ, &c. poſt devotam recommendationem in domino & reverentiam debitam in eodem. Dudum ſiquidem cum promiſſiones, juramenta & vota de papatu contendentium eorumdemque litteras de ceſſione facienda ob cauſam tollendi ſchiſmatis, & unitatem in Dei eccleſia reducendum, conſideraremus, exultavimus in Domino, gratias illi agentes, qui ſuper anguſtiis fidelium ſuorum miſertus, temporis plenitudinem venire fecit, quo tam exitiale malum de medio ipſorum fidelium tolleretur. Poſtquam vero intuitu pacis, ſuper fundum cardinalium affectionum zizania ſeminante, cognovimus non teneri in promiſſorum, juramentorum, votorumque, ac Chriſticolis ſignificatorum obſervationem, & proinde corpus eccleſiæ in difformitate bicipiti ſub tanta Chriſtianorum perverſitate teneri, corde compuncti ſumus, quaſi Altiſſimus adhuc ſuper humana demerita virgam ultionis extendere non ceſſaſſet. Verum nova lux ſpei pacis in domino deinde illuxit, quando in templo fidei Chriſtianæ cardinales ad tollendam ſciſſuram, ſancto inſpirati flamine, in caritatis vinculo convenerunt, ſicut fama prævium. Deinde adveniente pro patre & domino, domino L. S. Romanæ eccleſiæ cardinali Barenſi digniſſimo, apertius fuit nobis facta veſtri catholici propoſiti circa uniendam Romanam eccleſiam juſtitia nota. Ipſum itaque omni devotione & reverentia debita, nomine veſtro, & tanti boni cauſa, pro Romana eccleſia venientem recipientes, ab eodem ſpeciales gratias cupivimus, quas ejus benignitate nomine veſtræ unitatis, ſummam gubernationem ipſius eccleſiæ effectualiter continentes, obtinuimus, prout ipſe idem veſtris reverentiis reſerabit. Porro nos ita publi-

blicum bonum, ita Christianæ fidei allicit firmamentum, quod in hoc sancto proposito ecclesiæ uniendæ, & reverentias vestras sequi, atque justitiæ vestræ favere in omnibus possibilibus nostris intendimus pleno animo & sincero corde, quantum de jure possumus & tenemur, nostrosque etiam procuratores ad generale concilium per vos indictum Pisas, tantummodo si legitime impediti non fuerimus, transmittemus, singulos in nostra ditione prælatos, atque communitates consistentes, ad veniendum mittendumque ad id concilium vestrum suo tempore effectualiter hortaturi, & quantum permittet modestia inducemus reverentias vestras ad continuationem tam sancti & mundo necessarii vestri circa uniendam ecclesiam propositi, usque ad perfectionem ejus inclusive, dante Domino, devote & humiliter in Domino exhortando. Datum in oppido nostro Friburgæ &c.

Reverendissimorum in Christo patrum dominorum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium collegio venerando amicis nostris carissimis.

LITTERA MISSA BENEDICTO

A Florentinis.

Hortantur ut ecclesiæ pacem conferre contendat, veniatque ad indictum Pisis concilium.

918. 1 Beatissime in Christo pater & domine, domine noster singularissime, nullius rei gratior apud mortales esse debet oratio, quam ea quæ ad pacem spectat, si eo tempore habeatur, cum prævalescentibus discordiarum malis, nequeant ulterius homines in ipsis durare. Nihil est enim naturæ hominis magis aptum, quam pax & concordia. Nemo est insuper qui æquloribus auribus sit audiens, quam apud parentes bonus piusque filius. Quæ cum ita se habeant, haudquaquam dubitamus, cum veri simus & devotissimi sanctitatis vestræ filii, hac tempestate & his ecclesiæ perturbationibus vos ad ea quæ ad reintegrationem christianam respiciunt hortari, & eo libentius audaciusque loquemur, quia, ut nostis, nullo umquam tempore concordia in populo Dei adeo fuit necessaria, neque magis anxiis votis desiderata. Et est id quod quærimus, cupimusque benignitatem vestram esse facturam, tale, ut, ni decipiamur, sit etiam ex tam miserabili deflendaque ruina, in qua cum magna animarum pernicie est collapsa, procul dubio erecturum, & cum vestra salute gloriaque non parva ipsam ad unitatem atque dignitatem pristinam reducturum. Quid autem hoc sit, quo sumus ad scribendum adducti, paucis expediemus. Vos hæc æquo animo accipiatis, & cum diligentia consideretis.

2 Quanto hæc civitas desiderio semper flagraverit reconciliationem Christianorum aspicere, res gestæ a nobis testantur, & vos & quibus omnis cura est pacis ecclesiæ, non latere putamus. Eo quidem desiderio impulsi, cum videremus tot labores, tot sumtus, ac pericula beatitudinem vestram & plerosque Christianos principes religiosos, sæcularesque, ac nonnullos fideles populos incassum subiisse, & omnia remedia usque in hanc diem frustra esse tentata, civitatem nostram Pisarum reverendissimis in Christo patribus & dominis cardinalibus utriusque collegii concessimus, ipsis hoc a nobis summopere petentibus, ut in ea universalem sanctamque synodum Christiani populi congregarent, quod eo libentius fecerimus, quia hac regia via, & qua alias laboranti ecclesiæ subventum est, videbamus eos ingredi velle, & ipsos tam paribus animis tantoque fervore nulli suo labori ac periculo parcentes, hanc sanctam rem peragendam suscepisse, ut ipsam animorum suorum conventionem atque desiderium potius a Deo quam ab homine esse judicaremus. Statutus est igitur XXV. dies Martii futuri, quo Annunciationis gloriosissimæ Virginis Mariæ etiam festum celebratur, a reverendissimis dominis cardinalibus, quo debeat die Pisis concilium congregari, ut dignationi vestræ omnibusque fidelibus principibus atque populis per ipsorum litteras significatum fuisse, & convocationem factam accepimus. Unde & unitatis desiderium, & singularis atque vera dilectio, quam ad beatitudinem vestram gerimus, nos impulere ad has litteras conscribendas, mansuetudinemque vestram hortandam, ut ob passionem Domini nostri Jesu Christi, & ecclesiæ suæ salutem, & Christiani populi consolationem, dignemini in vestigia Redemtoris nostri, cujus vicem in terris gerere profitemini, currere, humilitatis scilicet & mansuetudinis quæ nobis reliquit, & ad hanc sanctam synodum, quæ Pisis est celebranda, venire. Ad quod faciendum, pace vestra sit dictum, porro debet beatitudinem vestram adducere promissiorum vestrorum fides, quæ inde est, ut placuit veteribus, appellata, quod fiat quod fiendum. Debet etiam vestri jurisjurandi religio, quo nullum est vinculum majus, nullum arctius, nullum sanctius, quo Deo hominibusque beatitudinem vestram astrinxistis, pro Christianorum pace, libere sponteque juri vestro cessurum fore.

3 Hæc vero quantam vim apud vos habere debeant, quantum fuit vobis pensanda, quantum debeant dies noctesque mentem vestram inquietam reddere, ut lethali huic ecclesiæ vulneri medicamentum afferatis, quantum in ore omnium fuit Christianorum, non nostrum est in præsentiarum referre. Nam ea vestræ sanctitati animadvertenda cogitandaque relinquimus. Sed illud breviter assumemus, quod si nullum vestrum extaret promissum, nullum jusjurandum, sacrum tamen veri pastoris officium, quo debetis obnixe studere, ut si dominicus grex divisus atque discerptus sit, in unum reducatur, atque reintegretur, profecto debet inducere mansuetudinem vestram, ad delendam, per crucem etiam & quodvis acre martyrium, si aliter non possit, hanc tetram ecclesiæ maculam, perniciosissimamque scissuram tollendam.

4 Nos siquidem beatitudini vestræ pollicemur, eas esse libertates securitatesque præstituros, ultra præsentem salvum conductum quem

ANNO CHRISTI 1409.

quem ad vos his litteris alligatum mittimus, quæ honestæ erunt, & benignitatem vestram, omnesque qui vos sequentur tutos reddent, quamquam eadem libertate in nostris civitatibus, locisque esse potest, absque quod ulla vobis publica fides daretur, qua in nostrismet oppidis. Si igitur, ut speramus, veneritis, videre perspicue videmur uberrimos atque sanctissimos desideratæ unionis fructus subsecuturos. Nam cum sciamus egregiam esse voluntatem vestram, atque ferventissime concupiscere, ut pax vera celeriter atque canonice in ipsam ecclesiam reducatur, & eamdem mentem cognoscamus divinitus his duobus sacrosanctis collegiis, quorum unum est cor, eademque voluntas inesse, non poterit alius esse finis.

5 His ita se habentibus, quoniam is qui anxie nimis ab ecclesia expectatur, pacis scilicet & reintegrationis domus Dei ...... Eia igitur, pater piissime, exsurgite, & præcingite vos, & sanctam una cum his duobus sacro-sanctis collegiis induite humilitatem. Accelera & veni, & mitte auxilium tuum de Sancto, & oves afflictas Christi ex fovea hac confusionis atque erroris, in quam inciderunt, liberate. Non ambigimus oculatissimam prudentissimam sanctitatem vestram facile perspectum ire hunc unitatis effectum esse subsecuturum; si huic interesse concilio, prout spe concipimus, decreveritis: cujus rei perfectio ab omnibus fere vobis ascribetur, eritque apud vos pars magna laudis hujus egregii sanctique facinoris, quo nullum profecto majus jam multis sæculis, nullum divinius gestum fuisse dici poterit, & quod ampliori præmio apud Deum dignum sit judicandum. Venite igitur in nomine ejus, cujus exemplum sequi debetis, qui de cælo in terram descendere dignatus est, & exinanivit semetipsum formam servi accipiens, ut populum suum liberaret a morte perpetua, & pacem atque salutem Christianis dabitis; & ut Dominus noster priusquam in cœlos ascenderet, pacem discipulis reliquit; sic vos priusquam in requiem sempiternam migretis, pacem, Christi exemplo, populo suo relinquatis. Cujus rei perficiendæ nescimus quidem quando majorem melioremve occasionem Dominus sit beatitudini vestræ præbiturus. Denique, sanctissime pater, ut scribendi finem faciamus, vestram suppliciter mansuetudinem deprecamur, ut benigne & æquo animo hæc accipiatis. Deus enim qui renes & corda hominum perscrutatur, testis est hæc depromta esse ex ferventi desiderio unitatis, quo tenemur, atque ex sincera devotione, quam ad beatitudinem vestram gerimus, cui obnixe & suppliciter nos & populum nostrum & christianam pacem commendamus. Datum Florentiæ.

FORMA SALVI-CONDUCTUS

A Florentinis transmissi domino Benedicto ad instantiam dominorum cardinalium partis suæ.

CUM hoc sit quod generale concilium pro danda pace ecclesiæ sit celebrandum in nostra civitate Pisarum, hinc est quod nos priores artium & vexillifer justitiæ populi & communis Florentiæ, tenore præsentium damus & concedimus plenam licentiam, libertatem, atque salvum-conductum sanctissimo in Christo patri & domino, domino Benedicto XIII. ac etiam reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis cardinalibus, qui secum essent, & omni suæ & suorum cardinalium curiæ, sociis & comitivæ, & generaliter omnibus, cujuscumque status & conditionis existant, secum venire volentibus, veniendi conjunctim, separatim & divisim ad quascumque nostras civitates, terras, castra, loca, portus & insulas, maritimo seu terrestri itinere, nostræ jurisdictionis, semel & pluries, totiens & quotiens ipse & dicti sui cardinales voluerint, & quando eis placuerit, durante infrascripto tempore, & in ipsis & ad ipsa seu altera eorum standi, discedendi, atque redeundi cum omni ejus & dictorum dominorum cardinalium, & omnium secum venire volentium curia, sociis & comitiva, equis, jumentis, bonis, navigiis, & rebus suis quibuscumque, non obstantibus quibuscumque impedimentis, repugnantiis, contradictionibus, aut aliis quibuscumque, quæ dici vel excogitari, aut contra objici possent, vel posse dicerentur, cujuscumque generis vel qualitatis illa essent, aut sub quibuscumque vocabulis nuncupentur. Mandantes insuper omnibus & singulis rectoribus & officiariis nostris, quicumque illi sint, & sub quovis nomine censeantur, ac etiam nostris gentibus armorum tam equitibus quam peditibus, & aliis quæ non tenerentur nostris stipendiariis, si quæ in nostris finibus aut locis, portubus aut insulis morarentur, quatenus præfatum beatissimum dominum, dominum Benedictum & ejus reverendissimos dominos, dominos cardinales, si qui secum venirent, & quemlibet eorum, & omnes secum venire volentes, cum omni ipsorum curia, sociis & comitiva, libere permittant ad quæcumque nostra loca, portus & insulas venire, stare, recedere atque redire: præbentes dicto sanctissimo patri & domino, & cuilibet supranominatorum iter, transitum, & reditum liberum & securum, cum dictis eorum, & cujuslibet eorum equis, mulis, rebus, navigiis, & arnensibus quibuscumque, absque aliquo impedimento reali vel personali, modo aliquo inferendo, sine ulla solutione pedagii, oneris, vel gabellæ. His tamen conditionibus adjectis, quod præsens securitas & salvus-conductus non extendatur ad aliquos rebelles, exsules communis Florentini, vel ad aliquos obligatos pro debito procuratorio communi Florentino, vel alicui universitati, vel collegio, vel singulari personæ, vel personis subdi-

ANNO CHRISTI 1409.

ditis communi Florentino. Hoc tamen addito, quod nullam armorum gentem secum ipse vel alter pro eo in nostris civitatibus, terris, castris, & villis possit habere, præsentem quidem salvum-conductum, libertatem atque securitatem vim & robur habere volumus anno uno & uno mense infrascripto die initiatis, quia sic per nos & nostra collegia solemniter deliberatum fuit. Datum Florentiæ die XIII. januarii, indictione II. MCCCCVIII. Volumus autem præsentem salvum-conductum valere similiter pro omnibus & singulis suis oratoribus, nunciis, seu procuratoribus, cujuscumque gradus aut dignitatis existant, cum decenti comitiva & honesta usque in numero centum equitum sive armorum gentibus, tamen, si, quod absit, dictus beatissimus dominus personaliter ad dictum locum Pisarum non veniret. Datum Florentiæ, *ut supra*.

EPISTOLA CAROLI REGIS

Francorum, ad Venetos.

Hortatur ut ad concilium Pisanum mittant, & neutri contendentium faveant.

p. 922. CArolus, &c. magnificis & potentibus duci & concilio Venetorum, amicis nostris carissimis, salutem & unionem ecclesiæ gnaviter prosequi, ut est posse.

Amici carissimi, non est opus horum male meritorum contendentium de papatu corruptam, si non dixerimus nequissimam, ad unionem ecclesiæ voluntatem refricare. Cunctis enim satis patet & evidenter est notum, quam ob causam, ut vestræ devotioni perductum esse censemus, conclusimus ex prælatorum, universitatum ac aliorum ecclesiasticorum & litteratorum virorum regni & Delphinatus nostri consilio, neutrales nos reddere, & nulli contendentium prædictorum quoquo modo in posterum obedire. Cumque, amici carissimi, pro extirpatione vigentis schismatis et unione, Christo duce, consequenda, cardinales utriusque collegiorum a diu degant Pisis, veluti vos putamus non latere, ibidemque de proximo certa dieta, certumque concilium per utramque obedientiam debeant celebrari, quo nos magnam & solemnem ambaxiatam mittere decrevimus, & illo, ut sentimus, quam multi ex altera obedientia sunt venturi, amicitiam vestram toto precamur affectu, quatenus memoriæ vestræ reducentes laudes & gloriam, quas ex his quæ tempore schismatis Alexandri III. vestri prædecessores retulerunt, dehincque perpetuo habituri sunt, velitis Pisas ad dietam & concilium, ut præfertur, cum ceteris quospiam de vestris destinare, qui rejecto carnali & patrio affectu in hac parte, quærant dumtaxat quæ sunt Christi, nec aures præbeant, si quis forsitan inducere aut induci facere satageret, ad concilium particulare faciendum. Sub neutro quippe hujusmodi contendentium vivo fieri quoquo pacto potest, honore utriusque obedientiæ plane salvo. Quod si hoc modo vos gesseritis, ut cœpistis, in sempiternum nomenque vestrum laudesque

A manebunt, deque contrario, quod absit, contrarium referetis. Datum Parisius.

REGIS NAVARRÆ AD UNIVERSOS

Ad instar regis Franciæ neutralem se erga contendentes de papatu declarat, promittitque se ad alios reges, ut idem faciant, scripturum, missurumque oratores ad concilium Pisanum.

CArolus Dei gratia Navarræ rex, universis præsentes litteras inspecturis, salutem & in diebus nostris super Israel pacem dari. Affert Mar. Vet. Mon. to. II. p. 1364.

B Celsiorem quanto gradum omnipotens nobis in humanis largitus est, tanto magis, ac magis in ejus obsequium refundere possetenus obligamur. Nos itaque non sine mentis amaritudine considerantes ecclesiam sanctam Dei ambitione, obstinatione, ac diffugiis contendentium de papatu, annis jam triginta & eo amplius adeo concuti & turbari, ut nullus esse debeat catholicus, qui non ad compassionem ejusdem sanctæ matris moveri teneatur, nihilominusque providere omni modo possibili. Sed maxime attendentes, quod dominus meus rex Francorum tanta cum deliberatione & maturo consilio illorum de sanguine suo & nostro, prælatorumque, & universitatum, ac litterato-

C rum, & sapientum virorum sui regni ac Delphinatus: sed præcipue pro acceleratione unionis, neutralem se reddidit, & pariter ordinavit, ac præcepit in suo regno & Delphinatu prædictis, nulli contendentium prædictorum quoquo modo in posterum obediri, ad præfati domini mei requestam bona dispositione nostra præeunte, deque consilio & suasu dilectissimorum fratris, avunculi, & cognati nostrorum, regis Jerusalem, & Siciliæ, Bituricensis, & Burgundiæ ducum, determinavimus instar domini mei regis nos reddere gerereque de cetero & habere, & ex nunc reddimus & facimus neutralem per præsentes, eo modo atque

D forma, quibus idem dominus meus rex neutralis existit & existet, pernicioso præsenti schismate durante, quantum tamen illud personam nostram tangit & concernit, aut concernere potest quovis modo. Annuentes præterea & promittentes eidem domino regi id idem & consimiliter fieri facere ab omnibus incolis regni nostri ac subditis quibuscumque, cum primum in regnum nostrum venerimus, aut alias nuntiis nostris vel litteris poterimus commodius id exequi, prout scilicet nostræ subjacebit potestati, & dispositioni penitus submittetur, adhærereque & obedire cum eodem domino rege illi, quem collegia cardinalium utriusque

E partis canonice duxerint eligendum. Nec amodo tolerabimus fructus quospiam seu proventus aut reditus nostro in regno, sive terris, nomine aut pro quoquam prædictorum contendentium percipi quoquo modo aut recipi, seu etiam collationem vel provisionem aut quamvis aliam dispositionem suspensionemve, aut privationem beneficiorum seu beneficii, auctoritate cujuscumque prædictorum contendentium admitti patiemur;

Anno Christi 1409.

mur: quin potius super hac materia in omnibus & singulis bonam ordinationem & processum ejusdem domini mei regis insequi proponimus & intendimus, Domino concedente, tamquam qui cupimus omnibus suis justis & sanctis opinionibus & determinationibus, ut rationis est, per omnia confirmari, prout, hactenus semper fecimus, & per Dei gratiam jugiter & incommutabiliter, quoad vixerimus, faciemus. Prohibeat autem Deus nos, qui suæ serenitati tanta generis proximitate attingimus, a suis sanctis & justis opinionibus prædictis, & potissimum quæ fidem respiciunt, in aliquo deviare. Insuper mittemus, Christo duce, notabilem ac solemnem ambassiatam ad civitatem Pisanam, quo utriusque collegiorum cardinales jam & a diu, ut fama est, convenerunt atque degunt, venturaque est utriusque obedientiæ pars potissima, ut pro veritate subjungitur, ad celebrandum ibidem concilium generale pro consecutione unionis, illo cooperante, cujus causa agitur, obtinenda & habenda. Enitemur quin etiam erga carissimos fratres nostros Castellæ & Arragoniæ reges, & alias omnimode agemus precibus, rogatibus, instantiaque, quantum nobis fuerit possibile, quod iidem Castellæ & Arragoniæ reges præfati fratres nostri carissimi pro se & suis regnis, determinationi hujusmodi sese conforment & reddant neutrales, ut præfertur, mittantque sicut ceteri reges & principes Christianitatis, ad prædictam civitatem Pisanam, quemadmodum ipsos speramus id facturos, tamquam sinceros & veros ac fideles Christicolas, & ecclesiasticæ zelatores unitatis. De quibus supradictis omnibus, ut cunctis appareat ac nostra sit voluntas & intentio manifesta atque notissima, has litteras nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum &c.

LITTERA WENCESLAI

Regis Romanorum & Bohemiæ, ad universos regni sui fideles.

Prohibet, ne quis Gregorio papæ ullo modo obediat.

Affert Mart. Vet. Mon. to. VII. p. 923.

Wenceslaus Dei gratia Romanorum rex semper augustus & Bohemiæ rex, universis Christi fidelibus salutem in Domino, & ad illam, quam magnopere affectamus, ecclesiasticam unionem pariter anhelare.

Quamvis omnium regum proprium officium esse videatur, judicium & justitiam colere, & eripere de manu calumniantium vi oppressos; ad Romanum tamen principem cunctis temporalibus potestatibus divina dispensatione prælatum inconcusse pertinere dignoscitur, ecclesiæ in suis necessitatibus & turbationis temporibus opportunum auxilium exhibere. Cum igitur per multorum annorum curricula antedicta Dei ecclesia Christi sponsa usque ad hæc tempora, diversis, quod dolenter referimus, divisionum & contentionum fuerit intricationibus involuta; ex quibus quanta mala provenerint quemlibet Christicolam credimus non latere, eorum præcipue nunc de papatu contendentium, qui eam contra juramenta & vota sua Deo & hominibus præstita, universoque orbi suis litteris publicata, in præfata lacrymabili divisione retinere satagunt & contendunt, est temeritati ab universis Deum timentibus resistendum. Quod attendentes nos, qui matris nostræ calamitatibus merito compatientes, ad ipsius reintegrationem pro cunctis malis sedandis summo conatu semper aspiramus, quam etiam procurare totis viribus nullatenus desistemus. Considerantes quoque quod reverendissimi in Christo patres, domini cardinales utriusque collegii, amici nostri carissimi, pacis & unionis ecclesiæ Dei verissimi zelatores, postquam varios modos pro unione ejusdem ecclesiæ, fulti diversorum doctorum & peritorum consiliis, prout ex litteris eorum & plurium fide dignorum testimoniis accepimus, attentassent, apud præfatos hodie contendentes nihil omnino proficere potuerunt: propter quod ad extremum hujus morbi devenientes remedium, ipsos in sua obstinacia & pertinacia reliquerunt, & ab eis personaliter separati, & in unum convenientes collegium, majestatis nostræ & universorum principum & cunctorum Christi fidelium præsidium obtestantur, suppliciter exorantes, ut dictis contendentibus sic in reprobum sensum datis, omnis penitus obedientia subtrahatur, nec eis de juribus sedis apostolicæ aliquatenus respondeatur, ut hac saltem via inducti, cogantur accelerare ad Christiani populi pacem & Dei ecclesiæ unitatem. Nos igitur eorum salubria remedia cum multa maturitate, ut certi sumus, inventa, eximie commendantes, eorum deliberamus requisitionibus justis annuere, & ipsorum nos affectibus pro tam sancto & pio exsequendo bono, efficaciter in omnibus confirmare. Inhibemus itaque omnibus & singulis principibus tam spiritualibus quam sæcularibus, ceterisque cathedralibus, ac collegiatarum ecclesiarum prælatis, canonicis & ministris, necnon abbatibus, abbatissis, præpositis & commendatoribus monasteriorum, ac etiam archidiaconis, decanis & plebanis ecclesiarum parochialium, cunctisque aliis officiariis & subditis nostris, & regni nostri Bohemiæ, quibuscumque nominibus nuncupentur, præsentibus firmiter & districte, ne quispiam de cetero aliquas litteras, gratiam vel justitiam continentes Gregorii Romani & delegatorum suorum, vel sibi adhærentium recipere aut exsequi audeat vel permittat, aut ei jura seu obventiones quascumque respondeat quovis modo, tamdiu quousque unio in sancta matre ecclesia non veniret adoptata, prout indignationem nostram, ac corporis ac rerum suarum dispendia affectat evitare. Mandamus igitur omnibus & singulis officiis, burgraviis, magistratuum consulibus, juratis, & comitatibus civitatum, oppidorum & villarum, virtute præsentium, seriose, quatenus singulos mandatis nostris hujusmodi sic pro bono universalis ecclesiæ emanatis non obtemperantes, aut eis se quomodolibet opponentes arrestare, arrestatosque ad nostram studeant præsentiam destinare; aliter non facturi nostræ gra-

ANNO CHRISTI 1409.

gratiæ sub obtentu ac pœna memorata. Datum Montibus Cathinis XXII. januarii, regnorum nostrorum Bohemiæ XLVI. Romanorum vero XXXIII.

EPISTOLA CARDINALIUM BENEDICTI

Ad eumdem Benedictum.

1. SAnctissime pater & clementissime domine, supplici ac humili recommendatione præmissa. Redemtor noster militantem ecclesiam supra petram solidam in ara crucis suo cruore fundans, sic ipsam decrevit unam existere, & in unitatis vinculo permansuram, ut extra illius unitatis vinculum veritas & justitia non existant, nec prosint quæque videntur in umbra virtuosa opera, etiam mors pro Christi nomine suscepta: quod non solum illos contingit, sed etiam eos maxime quibus incumbit ex debito commissi officii & professione solemni, tanto dissidio, si negligant, finem imponere, & illius laqueos totius corporis ecclesiæ infectivos radicitus exstirpare. Merito quidem; quia etsi tales erga Deum fidem tenere videantur, non tamen erga corpus ejus mysticum, quod est militans ecclesia, cujus damnabiliter membra patiuntur dividi, & damnabilius divisionem augeri in dies caliginosos memoratu non dignos. Prosequentibus autem hujus tanti sceleris exstirpationem ex corde toto & sincero, quo ecclesiæ fundator diligendus est & colendus, sic assistit virtus Altissimi, & victrix ejus dextra pro nobis pretioso sanguine cruentata, ut verborum lenociniis, ne dicamus verius, mordacibus, quæ sine offensa Dei proferri nequeunt, opus non sit, adversus quos prævalere nequeunt conatus hominum, nec portæ inferi, ut veritas attestatur.

2. Verum, pater sancte, ut eorum pateat pura & sincera veritas, quæ nuper in litteris vestræ sanctitati per nos directis, inserta sunt & narrata, de quibus; ut apparet, per litteras vestras nobis per venerabilem virum magistrum Johannem Guiardi archipresbyterum Pictavensem præsentatas, vestra sanctitas plene informata non fuit. Est verum quod tribus ex nobis de vestro mandato in Liburnio existentibus, una cum aliis deputatis, uno die Dominico de mane omnes ipsi deputati convenerunt cum quatuor alterius partis dominis cardinalibus in domo domini Burdegalensis, & ultra octo cardinales, convenerunt ibi personæ duodecim notabiles & insignes, motaque ibidem extitit via unioni non conveniens, illaque repulsa per unum ex quatuor cardinalibus pro vestra parte deputatis, per eumdem aperta fuit via universalis concilii utriusque partis & obedientiæ in uno loco celebrandi, cui nullus ex deputatis contradixit.

3. Soluto illo termino, vestri retulerunt gratiarum uberes actiones, illum diem & quæ in eo dicta, & acta fuerant, multipliciter commendantes; demum approbata per omnes, etiam per illos qui prius illi adversari videbantur, via aperta utriusque partis concilii, actum fuit ut vestræ sanctitati prædicta notificarentur, quia & continebatur in instructionibus datis, ut si quid utile aperiretur unioni conveniens, illico vobis nota fierent; quod & factum extitit, & relatum per majorem partem eorum, qui deputati una cum tribus ex nobis fuerant, quod ea quæ repulsa & aperta de via utriusque partis concilii extiterunt, vestræ sanctitati accepta erant & merito grata. Et idem retulit magister Simon Salvatoris.* Qua relatione habita, fuerunt tenti termini per dies successive plures super dicta via universalis concilii. Et quia quatuor domini cardinales partis alterius petebant; ut nos sine sanctitate vestra in universali concilio conveniremus; fuit tunc per unum ex nobis de omnium voluntate responsum, quod nostra erat intentio una cum sanctitate vestra in ipso concilio convenire, quam sciebamus dispositam juxta nobis relata, ad viam ipsius universalis concilii acceptandam. Nullo autem modo ibidem vel alias inter nos dictum fuit, quod ad sanctitatem vestram pertineret universale utriusque partis concilium convocare in hoc casu, quia nec cum veritate, obviantibus facti vel juris evidentibus causis, dici poterat seu defendi, & in hoc pendebant consilia, & non in articulo requisitionis fiendæ Gregorii, de quo per prius deliberatum fuerat, & sine quacumque altercatione conclusum, quando reverendissimus pater dominus cardinalis de Chalanco & alii deputati a loco Liburnii recesserunt, tribus ex nobis ibidem existentibus insalutatis, salvo quod dominus de Chalanco nobis dixit, se ad nos cito reversurum; quibus nulla fuit credentia imposita, quia nec patiebatur eorum admodum subitus & admirandus recessus, nullamque litteram vidimus, nec referri audivimus, quod vestra sanctitas capi deberet, seu aliam violentiam pati. Et si causa timoris fuisset, extra terminos Januensium poterant plura eligi loca vobis & curiæ secura, absque eo quod ad loca tam remota, deserto unionis tractatu, & prosecutione necessaria in evidentem desperationem posita, direxissetis sic festinanter gressus vestros.

* al. Sanatoris.

4. Ante vero recessum vestrum a Portu-Veneris, venit ad tres ex nobis in Liburno sacrista Magalonæ cum litteris vestræ sanctitatis credentialibus, ipsis explicans, quod eratis contentus de via aperta generalis concilii partis utriusque, & quod illam persequeremur materiam, & eratis dispositus pro illa prosequenda aliquos ex vestris dimittere, habitis pro illis a gubernatore Januensium litteris de securitate; de præmissisque sunt testes plures, quibus pro affirmativa deponentibus, esset potius fides adhibenda, quam numero pluribus, qui conarentur astruere negativam. Ad quid enim, si hæc vera non essent, fingere oporteret, cum materia universalis utriusque partis concilii, ad quod tendimus, adeo alias in facto & jure sit clarissimis fulcimentis fundata, ut ista adminicula velut levia non requirat convocatio particularis concilii in Perpiniano tenendi, per quod, ut est evidens, unio dari non potest, nec schisma exstirpari; ob quamcumque intentionem facta

ANNO CHRISTI 1409.

cta sit, fine causa veritati præmissorum non A obviat, licet ex intentione posset effectui obviari.

5. Quod autem admirentur aliqui, quod nos quinque vel sex, ut in præfatis litteris, ad talia processerimus, vestra sanctitate inconsulta; cum debita reverentia respondemus, quod juxta nobis per vestros relata, nedum nos sex, sed immo plures numero & majorem partem Romani collegii facientes una cum absentibus nobiscum concurrentibus, ac toto collegio dominorum cardinalium partis alterius, uno dumtaxat excepto, viam sumus universalis utriusque partis concilii prosecuti. Quod autem de loco, termino & vocationis modo, sine vestra B conscientia concordavimus, hoc non temeritate, seu præsumta audacia factum est, sed potius necessitate salutis urgente, & utilitate fidei & ecclesiæ, quæ legi & servituti non subsunt, exposcente, cum etsi in his vestrum postulavissemus assensum, oportuisset & Gregorii requiri beneplacitum, quod quantum fuisset dispendii, non solum ratione temporis & dierum inutiliter & damnose labentium, sed etiam quia numquam fuissemus concordes ad invicem, ut præteritorum docet experientia manifesta, & sic res ipsa, ut fuere præteritæ, in impedimentum unionis notorium & perpetuationem schismatis evidentissime devenisset.

6. Habet enim communis deputatio, quod C si vester & Gregorii in his postulatus esset assensus, & dispositio in omnibus expectata, numquam ad unionis desideratum perveniretur effectum. Hoc enim docet præteritorum experientia manifesta: quia etsi in illis plura fecerit vestra sanctitas, quam Gregorius antedictus; majora tamen & efficaciora fieri potuerunt ac debuerunt, & quædam obmitti quæ facta sunt, & non fuissent mala occurrentia subsequuta. Et propterea utilius fuit & necessarium hoc compendio per nos & dominos cardinales partis alterius, quibus in causa intrusionis & schismatis non modica a canonibus traditur auctoritas, hoc Dei negotium sanctum D & canonicum concludere, quam alio longo & nocivo dispendio schisma perpetuare, & errores fovere, in fidei & ecclesiæ manifestatissimum detrimentum.

7. Notum est enim cunctis fidelibus & maxime in divina & canonica lege peritis, quod unitati ecclesiæ, quam universale concilium repræsentat, potestas a Christo tradita est, ex qua etiam in verum Romanum & indubitatum pontificem, si in fide erret, schisma faciat, vel alias adversus veritatem evangelii moliatur, potestatem habet: in tantum, ut ejus sententiam & particularis sui concilii, teste Augustino, cui in sententia consentit B. Gregorius, revocet & an- E nullet. Multo fortius causam duorum contendentium de papatu, ecclesiam sine remedio in schismate tenentium, potest juxta traditiones canonicas diffinire. Hoc enim universale concilium sic ex tritico in agro Domini seminato constituitur, ut insertam zizaniam non repellat, nec separet judicio indiscreto; cum hoc Christus prohibuerit, talem separationem apostolis interdicens.

8. Ex quibus infertur clarissime, quod ad hoc, ut in hoc casu universale dicatur concilium, sui potentia, auctoritate, & viribus unitatis in Dei ecclesia reducens vinculum est omnino necessarium, ut utriusque partis prælati in unum conveniant, cujus convocationis ad bonum pacis & caritatis cœtus concurrentis tanta est fortitudo, tantusque vigor, ut qui perantea in una parte vel alia vel etiam in utraque, quod zizaniorum nomine censebantur, sint juxta B. Gregorium, ut Cypriani non contradicat auctoritas in casu pertinaciæ loquens, conversi in triticum & in ejus annotati acervum. Sic enim olim sancti patres tenuerunt universalia & sancta concilia, in quibus omnes vocati & admissi fuere, etiam qui adversarii credebantur; estque effectum, ut unitatem fidei, caritatis & pacis prosequentes, qui prius censebantur adversarii, fuere catholicis adunati, damnatis aliis qui in sua pertinacia permanserunt.

9. Propterea sacri canones & sancti patres Christum sequentes, ut pax ecclesiæ salva esset, & errantes ad veritatem facilius reduci valerent, separationis concilia damnaverunt, dicente B. Augustino, illa esse inania & perniciosa atque sacrilega, quia iniqua * & superba sunt, & plus perturbant bonos infirmos, quam corrigant animosos malos. Et licet vocationis modus sit adeo canonicus, decretis patrum conveniens, concordans, ac determinatus a probatis, & fere a cunctis collaudatus, ut rationabiliter impugnari non valeat vel elidi, ut in concilio, si necesse fuerit, luce clarioribus rationibus ostendetur: tamen ut per casum fortiorem evidenter ostendatur justa & canonica vocatio, si prælati partis utriusque, sive vestræ sanctitatis, sive Gregorii ac nostra vocatione universaliter convenirent, ut tam notorio fidei & ecclesiæ scandalo, & inde evidenter secutis erroribus, quibus nulla alias adhibetur provisio, vestra sanctitate & Gregorio vocatis, subvenirent, & debito modo fidei & ecclesiæ providerent, juxta majorum & sanctorum patrum gesta dictaque, & sacrorum determinationes canonum, sanctum & universale censeretur concilium, potestatem & auctoritatem, de quibus supra actum est, habens. Qui autem hoc impugnat universale concilium, seipsum, etiam si verus papa existeret, juxta beatos Augustinum & Gregorium, quibus & assentit B. Ambrosius, damnat, pertinacem ostendit, incorrigibilem, & absque alia probatione convictum, taliter quod juxta B. Cyprianum episcopi potestatem habere non possit nec honorem, qui sic pertinaciter, notorie, & contumaciter unitati ecclesiæ adversatur, ut illa quæ ex tali impugnatione, et quæ sunt præcedentibus fortiora & detestabiliora concludi possunt & inferri, ad præsens silentio committimus, eosdem effectus pariens in non veniendo vel non parendo, contumacia merito & præcipue in hoc casu damnata.

10 Quæ pro tanto vestræ sanctitati scribimus, ut dignetur & velit considerare lamentabilem fidei & ecclesiæ statum, animarum pericula, quæ pereunt nostris ex dilationibus

* al. im

bus catervatim, quibus nostræ, ut formidabiliter dubitandum est, ducatum dabunt, nisi alia quam hactenus fecerimus, virtuosissime faciamus, ac meritum quod permaximum vobis eveniet, si ultra istud schisma non porrigetur in dies, sed potius per renunciationem debitam multiplicibus vinculis & irrevocabilibus nexibus roboratum tollatur de medio, et contra pericula eminentia quo ad Deum et mundum, ut de infamiis et oblocutionibus velut levioribus taceamus. Et in hoc imminenti utriusque partis concilio velitis convenire in loco et termino ordinatis, ut alias per nostras litteras, quibus ad propositum responsum non fuit, supplicavimus, et multa instantia requisivimus pro tantorum malorum et aliorum imminentium evitatione, et unitatis vinculo in Dei ecclesia reducendo: renunciaturus papatui in propria persona, seu per procuratorem idoneum habentem ad hoc sufficiens et speciale mandatum, quia et hoc in vim cedulæ juratæ conclavis didicimus, prout et alias diximus, bono unionis ecclesiæ expedire, et in ipsius vim solemniter, ut alias factum extitit, requirimus instantiis iteratis.

11. Circa enim Gregorium, qui vix hodie habet ubi caput reclinet, a suis fere derelictus, si renunciare noluerit, taliter providebitur, quod sui occasione schisma in Dei ecclesia post vestram renunciationem nullatenus remanebit. Hoc autem concordatum alias juratum et oblatum petitur, bene quidem, et omnes exceptiones submovens pro tam necessario Dei negotio, honorabilem ad modum pro fine felici, sancto et toto orbi profuturo; et si urgeat in contrarium caro, vincere debet spiritus; si domestici instent deceptivis blanditiis, eos zelus domus Dei procul repellet: et ut hostes abjiciat, non perturbent seu dilatent viarum discrimina, pericula aliquando nimis astute per aliquos seu patenter supervacue allegata. Quis autem nocebit pro pace ecclesiæ renunciare volenti? certe nullus, cum solum pax quæratur, non renunciare volentis accusatio, damnatio vel jactura.

12. Estque casus in quo ab offensa Dei, ruina ecclesiæ et periculis animarum non excusabunt quævis pericula, etiam mortis interitum allatura, si propter illa cessio quæ debita est, obmitteretur seu dilataretur, quod abut, et nihilominus securitatem vestram vobiscumque venientium, vel procuratoris et aliorum, quos ad effectum præmissum et alias duxeritis destinandos tam in eundo, stando, et redeundo sufficienter providimus tam cum serenissimo rege Francorum, gubernatore Januensium, Januensibus et Florentinis, quod merito potest, et debet vestra sanctitas contentari, ut plenius nostri ex parte eidem vestræ sanctitati referabit venerabilis vir magister Johannes Guiardi archipresbyter Pictavensis, cui in præmissis, et quare ad vestram sanctitatem non accessimus, ut aliis eidem injunctis, dignetur vestra sanctitas fidem indubiam adhibere, quam dirigere dignetur Altissimus feliciter ad reducendum unitatis vinculum in ecclesia sancta Dei. Scriptum Pisis die XXV. Januarii, anno a nativitate domini MCCCCIX.

G. Penestrinensis.
J. Ostiensis.
P. Tusculanus episcopi. } S.R.E. cardinales.
A. De Saluciis.
P. S. Angeli diaconi.

JOHANNIS DUCIS BURGUNDIÆ.

Hortatur ad mittendmu ad concilium Pisanum.

JOhannes dux Burgundiæ, comes Flandriæ, Arthesii & Burgundiæ Palatinus, &c. Diu pensantes, menteque ob id ingemiscentes, spectabiles viri, hinc non minus dolendi quam longe vigentis schismatis protractionem damnosam, inde duorum contendentium obstinationem firmatam, cunctisque pene exosam christicolis ambitionem notoriam, utriusque obedientiæ cardinales cum litteris cum ambaxiatoribus suis insinuavere domino meo regi mihique, quatenus ad concilium mense Martio proxime futuro Pisis, favente Dei clementia, celebrandum, super acceleranda unione tam desiderata quam necessaria ecclesiæ sanctæ Dei, & ad quam universorum animi, mundanis posthabitis, aspirare teneretur: tales tamque notabiles volumus destinare legatos, ut materiæ, qua major aut ardua magis nusquam se offert nostris tractanda diebus, & congruant, & profectui esse possint. Quæ omnia sane adhortationis esse cunctisque cunctorum fidelium viribus exequendæ, dominus meus præfatus & ego advertentes, tamquam hi qui totis potentiæ nostræ nervis hunc sacrum meritoriumque laborem amplectimur, simul & principes, hujusque regni clerus, nostros ad prænominatum concilium ambaxiatores destinare solemnes unanimi irretractabilique determinamus consensu, quos adveniente tempore certum est illic proficisci debere, uti principes aliosque quamplurimos & communitates quamplures utriusque ad prædictum ituros concilium, certis documentis accepimus. Quocirca vos rogamus in visceribus Jesu Christi, ac in vinculo fervidæ caritatis & hortamur, ut pro parte vestra notabiles & selectos ad ipsum concilium delegare velitis, universos singulosque cujusque partis ad tantum accedentes negotium cum omni mansuetudine, favore atque securitate tractantes. Qua ex re non modicam gloriam, sed potius laudem & honorem præcipuos vestræ spectabilitati nullatenus accrescere formidamus, cum vobis una cum principibus & ceteris communitatibus in præmissis adhibentibus operam diligentem, unio in ecclesia, Deo juvante, speranda sit. Scriptum Parisius.

Ib. p. 930.

AD MAGNIFICOS DOMINOS SENENSES

Hortatoria, quod idem faciant.

MAgnifici domini amici nostri carissimi, post salutem. Inter alias dotes quibus ab Altissimo vester insignitus esse populus prædicatur, pro non minori quidem devotio, quam inconcussibilem ad sanctam ma-

Ib. p. 947.

trem

ANNO CHRISTI 1409.

trem ecclesiam Romanam semper habuistis, vobis ascribitur. Nunc itaque temporibus exigentibus, si ad ejusdem, proh dolor! tamdiu in scissura vigentis unionem sanctam, vobis & toti populo Christiano salutiferam, vocati, antiquatæ vestræ devotionis favores præbueritis, non dubitamus quod perpetuum laudum inter mortales præconium, ac æternam gloriam apud altissimum Dominum nostrum Jesum Christum, cujus res agitur, vendicabitis. Quanto namque divina opera majores quam terrestres cupiditatibus intenti labores pariant fructus, vestro judicio subjicimus. Credentes indubie a cunctorum creatore datam notitiam, quatenus levorsum ad damnationem, & dextrorsum ad salutem æternam iter valeatis discernere. Pseudo audivimus apud vos fuisse prophetas; qui pro parte domini Gregorii detestandissimi schismatis sanctæ matris ecclesiæ nutritoris, novis & exquisitis coloribus falsisque prædicationibus populos vestros præstigiare moliuntur, quo de lucidissima dextraque salutis via ad sinistram, videlicet opacissimam damnationis æternæ ipsi præcipitati vos omnes seducant. Habetis & a dextera nostram devotionem Sancti Spiritus ignea caritate perfusam, necnon magnificorum dominorum fratrum nostrorum & amicorum communis Florentinorum, plurimumque serenissimorum principum, ac famosissimorum sacræ paginæ ac legis tam canonicæ quam civilis professorum sententias, quæ omnes ad veram salutarem viam exemplis efficacissimis vos invitant. Nos igitur vestræ non minus quam nostræ totiusque populi Christiani salutis cupidi, per aspersionem sanguinis nostri creatoris, ac per antiquatam vestram devotionem præfatam requirimus & hortamur vos in eodem creatore affectuose precantes, quatenus vestrummet non immemores, ad unionem prætactam vestræ matris ecclesiæ vota una nobiscum tamquam veri Christicolæ velitis & placeat dirigere. Ex hac enim pacis amœnæ dulcorem, potentiæ amplitudinem, ac libertatis ubertatem, necnon omnibus præponendam animarum salutem æternam, quam ipse Deus cunctipotens omnibus eum imitantibus promisit, consequemini; ubi schisma, si diutius, quod absit, foveatur, nonnisi ruinam, omneque supplicium ac execrabilem corporis stragem & damnationem animarum toti orbi pollicetur. Demum ad vestram magnificentiam de nostra unanimi intentione ad plenum informatus R. P. D. Ludovicus episcopus Wlteranus præsentium exhibitor proficiscitur, cujus verbis tamquam ex ore proprio nostro prodeuntibus, ac omni veritate refertis placeat fidem indubiam adhibere. Datum, *ut supra*.

EPISTOLA CAROLI REGIS

Francorum, ad cardinales utriusque collegii.

Hortatur ad pacem ecclesiæ prosequendam, seque eum agniturum promittit pontificem, quem illi canonice elegerint.

CArolus Dei gratia Francorum rex, dilectis fidelibus amicis nostris carissimis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ utriusque collegii cardinalibus, salutem, & salutifero operi per vos laudabiliter & magnifice incœpto finem saluberrimum breviter imponere. Ib. p. 9

Inter cetera, dilecti & fideles amici carissimi, quæ nobis Deus sua ineffabili clementia dignatus est in terris committere, nullum magis fidei orthodoxæ necessarium, magisque nostro regio nomini decens & congruum esse credimus, quam ecclesiæ sacrosanctæ sponsæ suæ rebus fessis pro viribus succurrere, quam eamdem a calamitatibus, ærumnis, & oppressionibus, maxime his temporibus, quibus, duorum contendentium de papatu nequitia prævalente, lethaliter conteritur, liberare. Unde noverunt pene Christiani omnes, immo jam nulla natio extra non ignorat, vosque satis cognovisse arbitramur, quanta sinceritate animi, quantisque laboribus & studiis, hoc exitiale & inveteratum schisma jam sex lustris & ultra spatio totum Christianum populum contaminans, conati sumus viis rationabilibus evellere, uti vos parte pro vestra fecisse non ambigimus. Tandem post graves variosque labores circa hujusmodi schismatis extirpationem devote tentatos, & adhibitos, post requisitiones, summationes sæpius iteratas eisdem contendentibus nostra parte factas, post denique expectationes, proh dolor! inutiles, dierumque & annorum plurium consummationes, noti sunt præfatorum contendentium doli manifesti, nota subterfugia, notæ fraudes & collusiones; quibus malis nos obviare, & languoribus ecclesiæ, sicuti vestro incumbit officio, providere cupientes, uno Sancti-Spiritus, ut pie credimus, spiramine tacti, in civitate Pisana convenistis, quo jam multarum regionum plurimi archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, doctores, & alii viri solemnes etiam nostrorum regni & Delphinatus, vestris suadentibus pariter & requirentibus litteris, concurrerunt.

Nunc igitur, dilecti & fideles amici carissimi, cum res ecclesiæ magna pro parte vestris in manibus posita sit, omnisque catholicorum læta spes assequendæ pacis in vos remaneat; cumque magna nunc se offert opportunitas, ut his diebus aut per renunciationem vel decessum ipsorum contendentium, seu alterius eorumdem, vel per eorum legitimam abjectionem, rite de pastore pacifico provideatur, attentis vestris incœptis processibus, & fidelium præsenti congregatione, in qua Spiritum-sanctum abesse non credimus, vos per viscera misericordiæ Dei nostri, per quantum salutem Christiani populi quærere tenemini, rogamus, requirimus, & hortamur, ut hac vice, dum ecle-

cleſia fidelium tam magnifice, tamque ſolemniter congregatur, cum maturitate & viis congruis adeo procedatis, quod ſchiſmatis divulſis erroribus, pax Chriſti fidelium, quam tantopere videre præſtolamur, reſtauretur: quod ſi caſu præmiſſo aliquem cujuſpiam ſtatus vel ordinis eligi in paſtorem, Spiritu-ſancto cooperante, contigerit, tam electionem per principes & prælatos Chriſtianitatis approbandam, gratam & acceptam habendam æſtimamus, prout noſtræ intentionis eſt, pro nobis regnoque & Delphinatu noſtris gratam & acceptam habere, & rite per vos eligendo; vobiſque auxilium & favorem quales poterimus exhibere. Sic enim mature deliberationibus præhabitis, cum cariſſimis conſanguineis noſtris Siciliæ & Navarræ regibus, avunculo & conſanguineo ducibus Bituriæ & Burgundiæ, comitibuſque & aliis viris de noſtro magno conſilio, faciendum decrevimus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro ſigillari fecimus. Datum Pariſius in menſe Martii, anno Domini MCCCCVIII. regni vero noſtri XXIX.

EPISTOLA CONCILII PISANI

Ad Bucicaldum.

Mittit ad eum epiſcopum Cameracenſem.

988. SAcrum generale concilium Piſis pro eccleſiaſtica unitate in Dei nomine congregatum.

Magnifice & potens amice cariſſime, confidentes uberius in affectione præcipua, quam a diu nobilitas veſtra impendere non deſiſtit, ad pacem eccleſiæ Dei meritoriis actibus procurandam, reverendo in Chriſto patri Cameracenſi epiſcopo, apud veſtram magnificentiam parte noſtra principaliter deſtinato, quædam referanda commiſimus, in quibus ei credula fide data, precamur eadem magnificentia ſe præbeat favorabilem ac benignam, quod vobis ad gloriam venire confidimus & meritum apud Deum. Datum Piſis, ſub ſignetis duorum priorum cardinalium alterius ſigilli abſentia ordinatis, die XXII. &c.

Magnifico & potenti amico noſtro cariſſimo domino Jo. *Le Meingre* dicto *Boucicaut*, mareſcallo Franciæ & gubernatori regis Januenſi.

FRAGMENTUM TRACTATUS

De poteſtate & jure cardinalium ad convocandum concilium tempore ſchiſmatis.

ffert t. A... t. II. 128.

HIC in primo capitulo proteſtor primum quod propter dubitationem principalis ſchiſmatis, quis ſcilicet duorum contendentium & eorum prædeceſſorum ſit vel fuerit verus apoſtolicus, de quo non diſputatur ad præſens, immo diſputatio talis foret impeditiva totaliter ejus quæ tractatur unionis: ſuper quo jam elapſo biennio tractatum edidi; & in eo partem non tenens, oſtendo difficultatem maximam & dubia quamplurima hoc in arduo negotio ſic vigere, quod non niſi audaciter & præſumtuoſe nimium poteſt quis indubitatum affe-rere magis hunc quam illum verum pontificem extitiſſe. Cujus tractatus copiam communicavi jam pluribus. Intendo abſque injuria alicujus, dum continget, prædictorum, aut alterius, ſeu cardinalium alterutrius partis, perſonas vel collegia nominare, ſub vocabulo papæ vel cardinalium, & non antipapæ vel anticardinalium, pari honore & reverentia diſcribere.

Cum igitur grave ſchiſma de papatu contendentium jam annis XXXII. aut circa chriſticolas in univerſo perturbaſſet; dominus Benedictus papa XIII. qui in Avinione præſidebat, ſolemnes legatos ad felicis recordationis dominum Bonifacium papam IX. qui Romæ reſidebat, cum eo tractantes ſuper facto unionis eccleſiæ S. Dei, certis modis & viis laudabiliter & honorifice deſtinavit. Sed ſtatim ante expeditionem eorum idem dominus Bonifacius diem clauſit extremum. In hoc tamen profuit illa legatio, quod domini cardinales Romani collegii moti zelo pacis & unionis prædictæ, deliberaverunt eligendum per eos papam certo modo juramenti vinculo perſtringere, quo neceſſitatus ad conſummandum pacem & unionem prædictam toto conaretur ingenio: non tamen præciſe ſtatuentes, quod renunciationis viam eligeret. Elegerunt itaque de ſuo collegio felicis recordationis Innocentium VII. Et idem etiam infecto negotio in fine biennii poſt ſuam creationem de medio ſublatus eſt. Cardinales itaque videntes quod dominus Innocentius ſatis tepidus ad efficiendam unionem extiterat, in imminente futura electione cautiores effecti, antequam eligerent inter ſe concorditer firmaverunt, ut eorum quiſque juraret Deo & B. Mariæ Virgini, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, & tot coeleſti curiæ, ac etiam ipſiſmet viciſſim, unus alteri voveret & promitteret, quod quiſquis eorum contingeret in papam eligi, pro reintegratione & unitate chriſtianorum renunciabit effectualiter juri ſuo & papatui pure et libere ac ſimpliciter, ſecundum tamen modum & formas in ipſo juramento deſcriptas, in cujus etiam forma de modis tenendis circa locum cum altera parte conveniendi, et de cardinalibus non creandis, pendente hujuſmodi tractatu unionis, niſi pro numero coæquando, diſtincte videri poteſt: et generaliter concluſerunt, quod tam eligendus ipſe cum electus fuerit, quam ipſi cardinales uſque ad finem omni modo et forma poſſibili, omnino perſeverabunt, ut ipſa reintegratio et unio locum et finem habeat, nihil de contingentibus omittendo; et quod contra tale juramentum et votum nulla abſolutio ſeu diſpenſatio petetur, obtinebitur, nec obtenta ab aliquo eorum utetur, prout in dicta forma, quæ hic habeatur pro expreſſa, plenius continetur.

Præſtitis igitur juramentis hujuſmodi, et venientes ad factum electionis, cardinales ipſi reſpicientes in perſonam domini Angeli Corrario, tunc tituli S. Marci presbyteri car-

ANNO CHRISTI 1409.

cardinalis, qui reputabatur totus ſanctus, et devotus, et ad prædictam unionem fervidus ultra modum; ſperantes ut ipſe facilius, citius, et efficacius unionem prædictam effectualiter adimpleret; ipſum in Apoſtolicum elegerunt et præfecerunt, vocatuſque eſt Gregorius papa XII. Poſt cujus aſſumptionem, ipſe quod de juramentis fecerat iteratis vicibus tam in ſecretis quam in puplicis conſiſtoriis prædicta vota et juramenta confirmando de novo etiam innovavit, proceſſum etiam unionis intentavit, mittendo ſcilicet ſuos ambaſſiotores juxta juramenti formam ad ſupradictum dominum Benedictum, cum poteſtate diſponendi locum mutuæ conventionis, utrique parti tutiorem; ipſique ambaſſiatores cum prædicto domino Benedicto ejuſque dominorum cardinalium collegio de loco civitatis Saonæ concordarunt, de tempore etiam infra quod ibidem pars utraque conveniret: quam loci electionem et geſta ab ipſis ambaſſiatoribus per ſuas patentes bullas ratificans approbavit.

Sed heu: poſt hæc parum, diabolo ſuggerente cum miniſtris ejus viris adulatoribus, coepit Gregorius iſte corde, verbis, et opere, totus eſſe retrogradus, in tantum ut quivis adulatorum unionem diſſuadebat, hic acceptus erat et factus amantiſſimus, et contra. Conſilia peritorum quærit, ſi juramentis prædictis ſe poſſet abſolvere, excuſationes frivolas quæritat, quibus ad conventum locum ſe dicit accedere non teneri: ſicque tandem domino Benedicto infra ſtatutum terminum cum ſuis cardinalibus Saonam ingrediente, non curavit accedere. Sed diſſimulans aliquid agere, ſe tranſtulit uſque ad Senas; et inde tandem tractato prius ut dominus Benedictus ad locum Portus-Veneris se transferret, prout et fecit, ipſe dominus Gregorius quaſi tractatus uſque ad civitatem Lucanam cum ſua ſe curia tranſtulit. Ex quibus locis ambarum partium hinc inde viciſſim diverſis legationibus deſtinatis pro locis convenientia, poſt multorum per alterutrum oblationes locorum, conclusum tandem extitit, quod dominus Benedictus cum ſuo collegio ad caſtrum Liburni, et dominus ipſe Gregorius cum ſuis pariter ad civitatem Piſanam ſe transferret, in quibus propter vicinitatem locorum tractatum unionis faciliter expedirent.

Concluſione vero ſic facta, & cum paratus eſſet Benedictus pro parte ſua hoc efficere, & ſimiliter domini cardinales utriuſque partis; iſte dominus Gregorius pravam intentionem ſuam occultare non valens, cum omnis excuſationis ceſſaret occaſio, nedum cauſa; manifeſte recuſavit, nec erubuit contra ſuum juramentum, & voluntatem ſuorum cardinalium duos ſuos nepotes & alios duos adulatores & unionis apertiſſimos turbatores, cardinales, quantum in eo fuit, pronunciare & aſſumere, quos tamen domini cardinales antiqui renuerunt pro cardinalibus acceptare.

Poſt hæc videntes ipſi domini cardinales induratum & obſtinatum cor ipſius domini Gregorii, ut certis exterioribus ſignis formidantes ne in eos manus apponeret, ac non minus unionis affectu, & quod eorum propriis juramentis ab initio præſtitis, etiam papa recuſante, ad profectum unionis implendæ, quantum in eis eſſet, ex eorum poſſe tenerentur; inito concilio, de civitate Lucana deſcendentes ad Piſanam, exceptis tribus (Iſti tres poſtea venerunt cum aliis cardinalibus & fuerunt unanimes) acceſſerunt; & de ibi repetitis vicibus unum ex eis ad eumdem Gregorium transmiſerunt, obſecrantes eum, ut in obſervationem juramenti ac voti ſui pro reintegratione & unione chriſtianorum vellet ad locum Piſarum accedere, impleturus quæ ſibi incumbebant omnia pro ſalubri conſummatione concordiæ & unionis eccleſiæ: proteſtantes quod aliter, quantum cum Deo poſſent & jura permitterent, intendebant corruentem eccleſiam catholicam, depulſo ſchiſmate, reintegrare. At ipſo prorſus indurato & obſtinato, aureſque ſuas obturando, requiſitiones juſtas & ſanctas dominorum cardinalium contemnente, præfati domini cardinales cum aliis dominis cardinalibus alterius partis, hoc eſt domini Benedicti, venerunt in loco Liburni, & non ſolum ipſi præſentes in dicto loco, ſed aliis etiam abſentibus utriuſque partis, qui nondum commode potuerunt illuc accedere, exceptis forte pauciſſimis aliquibus, unus ſpiritus, una mens, unum corpus & collegium effecti ſunt, tractantes, & quærentes præfatum Gregorium nunc notorium eccleſiæ turbatorem, et pertinacem; ac etiam alterum Benedictum ſi et ipſe incumbentia ſibi recuſabat efficere omni via poſſibili de jure & facto, et cum invocatione & præſentia concilii generalis deponere, anathematizare, ſeu depoſitum vel depoſitos oſtendere et declarare, et ad novam ſummi Pontificis concordem electionem, qui univerſalem in unione et pace regat eccleſiam, ſchiſma tollat, et ad unum ovile diviſum Chriſti gregem collectum paſcat. Demum attente hunc eorum intentum cunctis prælatis, principibus et populo chriſtianis intimant, poſcentes ab eis conſilium, favorem et conſenſum: intendentes, ut prædixi, generale concilium convocare cum voluntate, prælatorum principum et populi chriſtiani prædictorum; cum omnes hoc velint et appetant, aut ſaltem pro tanta parte, quod reliqua valde minima cenſeatur, in Dei nomine prædicta ſibi vel cum quibus poterunt commode ſalubriter adimplere. Hic poteſt dici caſus in effectu. Hoc tamen addito, quod quoniam ea quæ dixi de mediis tentis per præfatum dominum Gregorium, ita ſunt toti ſæculo notoria; quod nulla poſſunt tergiverſatione celari. Et utinam ſic non eſſet. Nam, Deo teſte, nulla privata paſſione moveor ad hoc dicendum. A principio quidem ſuæ creationis propter ejus celebrem famam ſanctitatis et bonitatis; ſperans quod ipſe redempturus eſſet Iſrahel a carcere diviſionis & umbra mortis, eumdem in maxima reverentia cordialiter nec ſolus habui. At poſtquam non mihi ſoli, ſed univerſitati cognitus eſt talis, ut prædixi, et nullum in eo charitatis zelum ad oves Chriſti vigere, quem pietas ulla chriſtianæ plebis anhelantis ad pacem ipſam, juramenti

ti religio, voti vinculum, honestas propria, et si qua est bonitas alia non retrahit; nec nisi ad magnificandum nepotes suos vana pompa sæculi totaliter hebetatus tendat, nec advertat quomodo factus sit in fabulam omni vulgo, in opprobrium ac derisum toti ecclesiæ, præterquam certis fratricellis hypocritis, quos in specie locustarum B. Johannes in Apocalypsi præviderat, existimans forte quod talium sic concione vallatus, sapientibus possit illudere, qua deceptus quid aliud de ipso nisi quod omnes prædicant ipse loquar?

SEQUUNTUR VIII. CONCLUSIONES

Quarum dogmatisatio utilis videtur pro exterminatione moderni schismatis.

Mart. ... Mon. VII. p. ... ex ... D. ... r. Leod

1. VEri cardinales in electione papæ vices gerunt universalis ecclesiæ Christianæ. Patet quia per talem electionem constituitur papa verus vicarius Jesu. Christi, et caput corporis ejus mystici, quod est ecclesia: sed hoc non potest facere nisi Christus vel ipsummet corpus mysticum, aut habentes in hoc potestatem ipsius seu auctoritatem.

2. Veri cardinales hujusmodi ecclesiæ vices gerunt non solum in papæ electione, sed etiam in iis quæ circa eam rite et legitime fiunt pro ecclesiæ unione. Patet quia electio papæ finaliter ordinatur ad unionem ecclesiæ. Nam ideo eligitur unus papa, ut in eo tamquam primo capite, sub Christo sit ecclesiæ unio. Et ideo propter unionem ecclesiasticam est electio papæ et non e contra.

3. Veri cardinales adjicientes in electione papæ juramentum seu votum de cedendo in casu præsenti, scilicet pro tollendo tam diuturno et obstinato schismate, et pro danda pace et ecclesiæ unione, hoc rite et legitime faciunt, non suo proprio aut privato nomine, sed auctoritate et nomine totius ecclesiæ. Et ideo qui tali juramento et voto ligantur, toti ecclesiæ obligantur, a qua obligatione sine totius ecclesiæ consensu non absolvuntur. Patet satis ex præmissis: quæ omnia possent faciliter non solum divino et humano jure, sed etiam naturali, seu ratione morali fundari.

Ex his tribus propositionibus inferuntur aliæ propositiones subsequentes.

4. Quicumque tenent dominum Angelum, vocatum Gregorium, esse papam, et ejus prætensum collegium esse veros cardinales, habent consequenter tenere propositiones ante dictas de eis verificari, et ideo habent concedere dictum Gregorium per juramentum et votum factum, toti universali ecclesiæ et suos prætensos cardinales pariter teneri, ut, quantum in eis est, ipsum faciant hoc juramentum et votum efficaciter adimplere, alias ab universali ecclesia reputandi sunt perjuri et fractores voti.

3. Talis prævaricatio juramenti et voti tam solemniter et in tam favorabili materia facti; non solum est gravissimum mortale peccatum, quin immo si esset pertinax, reputandi forent non solum schismatici, sed etiam hæretici, aut de hæresi vehementer suspecti.

6. Prætensi cardinales ex obligatione juramenti et voti, et alias ex auctoritate juris divini et humani, si probabiliter videant dictum Gregorium, prout hactenus fecisse videtur, frivolis excusationibus et periculosis delationibus dicti sui juramenti et voti impletionem subterfugere, debent et tenentur post debitam monitionem, se ab eo et ejus obedientia et communicatione subtrahere, et contra ipsum tamquam notorie schismaticum, et vehementer de hæresi suspectum, ac perturbatorem et illusorem totius politiæ Christianæ, procedere, et ad id faciendum alios fideles, et præcipue prælatos et principes inducere et monere; alioquin non poterunt excusari a fautoria schismatis vel hæreticæ pravitatis.

7. Adhærentes dicto Gregorio tamquam papæ, et præcipue majores prælati et principes post debitam informationem, a cardinalibus, vel alias sufficienter instructi de prædicta malitia ipsius Gregorii, tenentur se ab ejus obedientia subtrahere sub poena fautoriæ prædictæ.

8. Doctores studiorum generalium, et præcipue theologi et juristæ, ac etiam prædicatores ad populum, debent et tenentur de præmissis fideles instruere, et in hoc commendandum est studium Bononiense, a quo nuper emanavit determinatio conformis ad præmissa.

ALIÆ CONCLUSIONES.

Per Studium Bononiense.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Primo prolata debita protestatione, quod si aliquid dixerimus, quod absit, devians a traditionibus ecclesiæ, pro non dicto habeatur, ac ex nunc illud ex omni sui parte revocamus. Ad quæsita per reverendissimum patrem dominum nostrum legatum (a) ponimus conclusiones per universitatem venerabilium patrum & nostrorum a sacra theologia legitime approbata. Ib. p. 894.

(a) Balthazarem card in. S. Eustachii.

1. Schisma antiquatum licet a principio sit schisma, ejus tamen per durationem & obstinationem in fine transit in hæresim, 24. q. 1. c. *Non affirmamus*, eadem causa & q. 3. *Inter schisma*, & quod ibi notatur.

2. Stante schismate antiquato, per quod scandalizatur ecclesia sancta, verus etiam apostolicus, voto & juramento astrictus ad certam viam pro tollendo schismate electam, pro eo quia alias de tollendo eo desperatur, ubi non agit realiter & cum effectu, quod in se est, & ad quod est astrictus, si se non corrigat, nutritor est schismatis, quod consequenter descendit in hæresim; quia quantum in se est, contra debitum caritatis, voti ac juramenti, absque omni compassione nutrit populum & infantes excrescentes ad duo capita & duas ecclesias, ad quod nota in juribus præallegatis 7. q. 1. *Novatianus* cum glossa seq. 24. q. 1. in summa &c. *Dicimus* in glo. 2. non obstat quod glossæ illæ excipiunt papam, quia intelligi debent quando duo contendunt probabiliter de papatu recenti dubi-

dubitantes, nec alter vel uterque adstrictus est ad certam viam in schismate tollendo exsequendam. Ubi autem uterque astrictus est, maxime ex causa, quia alias operante temporis malitia & desidia, non speratur unio de schismate, præsertim tam longo temporis tractu antiquato, si non dant pacem populo Christi, incurrunt ambo, quod dictum est, si rebelles existant & incorrigibiles.

3. Etiam a vero apostolico nutriente incorrigibiliter & notorie schisma maxime antiquatum, per quod scandalizatur ecclesia, ad quod tollendum astrictus est voto & juramento, tamquam ab hæretico recedere possunt & debent subjecti, & obedientiam subtrahere, si ex eorum obedientia palpabiliter vident nutrientem schisma, in schisma foveri & manuteneri, quia, quantum in eis est, participant in crimine ejus & favent, & cum eo descendunt ad profundum malorum, tanto gravius, quanto intelligentiores sunt, sapientiores & potentiores. Et hoc agere possunt non obstantibus juramentis, fidelitatibus, homagiis, aut quibuscumque aliis obligationibus, quæ non astringunt ad peccatum, aut peccantem in peccato nutriendum vel juvandum, 15. q. 6. *Nos sanctorum*, &c. *Nutritus* juxta declarationem Innocentii de doc. veritatis. Pars prima probatur 19. d. *Anastasius*, & c. *Nulli* 79. d. *Si quis pecuniam*, 24. q. 1. *Schisma* 2. q. 7. *Sacerdotes*, & quod ibi notatur.

4. Data negligentia cardinalium, ad quos spectat in congregando concilium contra papam etiam verum, contra votum & juramentum notorie & incorrigibiliter nutrientem schisma, de quo supra; quorumlibet subditorum interest, & maxime conciliorum provincialium & principium, ne, cum papa nutriat schisma induratum, maxime præcedente suspicione de non danda pace, quæ concluditur ex gestis præteritorum pontificum, ex recordatione & retractatione de accedendo Saonam, alia non facta præparatione reali ad schisma tollendum, possunt humiliter exquirere papam etiam verum, ut schisma tollat via jurata, & quam jurando & fovendo justam censuit. Et si pro viribus & realiter & cum effectu, non verbaliter tantum, non imperat * modum & viam ad implendum quod vovit & juravit, eo sic debite requisito, concluditur nutritor schismatis indurati & incorrigibilis, & consequenter zelator hæresis & divisionis ecclesiæ sanctæ, quæ unita debet esse in unico pastore. Potest enim quilibet subditus superiorem requirere & monere ad debitum implendum, & in mora & incorrigibilitate constituere de supplenda negligentia prælati, c.

* al. præparat.

A 1. de accuse. *Veniens*, & quod ibi notatur. Et hoc in peccato, de quo potest accusari, ut dicit glossa 40. d. *Si papa*, & ibi & in quo subditus tacendo cum eo peccato involvitur, ad quod 2. q. 7. *Paulus Petrum*, cum capitulis sequentibus. (*a*).

Ex his infertur ad quæsitum.

Quod etiam verus papa a quolibet provinciali concilio prælatorum principalium provinciæ & clericorum qui interesse voluerint, convocatis ad hoc sæcularibus principibus & dominis temporalibus provinciæ, ac principalibus viris notalibus de populis qui interesse voluerint, requisitus ut det B unionem per viam electam & juratam; si hoc non acceptet, & statim cum potest non verbaliter, sed realiter impleat cum effectu, nec aliam justam causam & necessario concludentem alleget, quare hoc non agit, vel viam non det aliam expeditam, per quam votum & juramentum impleat; requisitus secundo a cardinalibus, ut faciat debitum suum, provincialia quæcumque concilia possunt & debent subtrahere obedientiam tamquam a nutritore schismatis & hæresis, & incorrigibili, non obstantibus quibuscumque obligationibus, fidelitatibus, aut juramentis, quibus papæ astringuntur, sint vel non de temporali jurisdictione ecclesiæ. C Et hoc ne nutrientibus schisma tam periculose antiquatum, in contemptum Dei, vilipendium sponsæ Christi, & periculo animarum populi Christiani, cum eis in profundum malorum demergatur.

Ex his infertur secundo.

Quod supposita tanta antiquitate tam perniciosi schismatis, & quod ambo, quia aliter desperabatur de sublatione schismatis, se obligaverunt ad certam viam voto & juramento, vel promissione, eis non implentibus juramenta, & incorrigibilibus manentibus, subditi, præsertim si vident ex obedientia schisma magis indurari, peccant mor- D taliter, & tamquam nutritores schismatis & participantes in crimine, atque juvantes sunt participes peccatorum & malorum quæ ex tam diro schismate sequuntur & animarum quæ damnantur.

Quod omnia dicta in papam procedunt in eo qui se gerit pro papa in Avenione, & tanto fortius, quanto pars sua fuit quæ schisma fecit, & quia minorem habet obedientiam, & partem nostram spoliavit obedientia illa, & quia magis ingerendo se pro papa, magis * inclinatus est ad schisma nutriendum, contra promissionem etiam ab eo antiquius factam; (*b*) protestando insuper quod

* al. inveteratus c. &c.

(a) In cod. Chauveliniano hic additur quod sequitur:
Quidquid sit de excusationibus papæ in eundo Savonam, licet notorium sit juramentum, & fama vigeat contra eum, ac vigens suspicio, ut prædecessoris sui vias sequens dilatet causam, nec accedere velit ad implendum quod promisit, sicut tenet communis opinio: ex non accessu ad Savonam; ex tali tamen non accessu non convincitur incorrigibilis, cum possit moram purgare. Unde ad clare convincendum nova requiritur requisitio, & cum effectu realiter non verbaliter tantum det præparatoria, quæ potest dare; & quantum est in se impleat quod promisit.

(b) Quæ sequuntur desunt in codice Chauveliniano, in quo consequenter hæc leguntur:
Hæc omnia dicimus subjiciendo correctioni ecclesiæ sanctæ, si & in quantum approbantur per collegia utriusque juris, & per reverendissimos patres de universitate theologorum, quibus corrigenda & emendanda submittimus.

quod per supraſcripta nullum jus quæratur, nec quæſitum intelligatur illi qui ſe Benedictum nuncupat.

MCCCCVII. die XX. Decembris, nos frater Antonius de Vignacro de Bononia ſacri ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini, decanus reverendorum magiſtrorum collegii facultatis theologiæ, convocato, ut moris eſt, per Videllum noſtrum collegio theologorum, in quo intererant duæ partes & ultra collegii prænominati, de voluntate unanimi omnium, tamen proteſtantibus qui in principio ponuntur prædictas propoſitiones approbavimus, & putamus atque putavimus fore veras, ſemper in omnibus ſubjicientes nos correctioni eccleſiæ ſanctæ Dei.

In Dei omine. Amen. Viſis litteris, & exacta diligentia examinatis omnibus & ſinglis ſupradictis concluſionibus per honorabiles & eximios decretorum doctores ſacri collegii juris canonici civitatis Bononienſis, collegium ſupradictum repræſentantes, ad hæc antea legitime vocatos per bidellum dicti collegii, de mandato mei Chilini *de Argille*, tunc prioris ſupradicti collegii, omnes ſupradictas concluſiones, matura deliberatione inter prædictos habita, unanimiter & concorditer approbarunt & firmaverunt, ipſas veras putantes, ſalva tamen proteſtatione, quæ in principio dictarum concluſionum ponitur; ſubjicientes ſe ſemper in omnibus correctioni eccleſiæ ſanctæ Dei. Et ita ego Chilinus *de Argille* prior dicti collegii, de mandato dictorum dominorum doctorum dicti collegii, & in nomine dicti collegii, ſigillavi ſub anno Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCCVIII. die XXII. menſis Decembris quintæ decimæ indictionis.

Ego Nicolaus Arpinelli olim Nicolai de Rolta, publicus imperiali & communis Bononienſis auctoritate notarius Bononienſis, prædicto mandato per dominos doctores dicti collegii juris canonici, dicto domino Chilino de ſe ut ſupra ſcribendo dictis capitulis, ſubſcriptioni factæ per dictum dominum Chilinum priorem prædictum, & ſigillationi prædicti ſigilli dicti collegii, ut notarius dictorum dominorum doctorum dicti collegii, interfui, & de mandato dictorum dominorum doctorum dicti collegii in teſtimonium præmiſſorum propria manu me ſubſcripſi.

In Chriſti nomine. Amen. Anno MCCCCVIII.* die I. menſis januarii convocato collegio doctorum juris civilis & congregato in eccleſia S. Pancratii, in qua juraverunt duæ partes & ultra dicti collegii, viſis & examinatis concluſionibus ſupraſcripris, ac etiam attentis & ponderatis approbationibus factis in eisdem per venerabiles magiſtros ſacræ theologiæ, & ſucceſſive per egregios doctores decretorum & ipſorum collegium, præfati doctores juris civilis unanimiter approbarunt dictas concluſiones, cum proteſtationibus in primo præmiſſis & repetitis, & nunc etiam ſe ſubjicientes determinationi eccleſiæ ſanctæ. Et ideo de eorum mandato & voluntate, ut prior dicti collegii, ſigillum conſuetum appoſui, & me hic propria manu ſubſcripſi. Ego Gaſpar de Ruſinis legum doctor. Et ſimiliter mandaverunt notario dicti collegii, ut ſe in teſtimonium ſcriberet.

lo ve.

Et ego Philippus Angelini olim Philippi de Marſiliis, publicus imperiali & communis Bononienſis auctoritate notarius Bononienſis, & nunc notarius dicti collegii, in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum publice me ſubſcripſi.

DIFFICULTATES

Adverſus concilium Piſanum propoſitæ, & ante ejus celebrationem ſolvendæ.

Ib. p. 962.

QUia in concilio univerſali poſſent duo de papatu contendentes, ſeu ipſorum alter, vel ipſorum ſequaces movere dubia, & dare exceptiones quæ ſequuntur: Ideo ſuper illis eſt habenda ante diem concilii matura deliberatio.

1. Et primo forſan dicetur & excipietur, quod cardinales non potuerunt de jure vocare concilium, ſed potius ille qui gerit ſe pro papa in parte ſua. Et hoc videtur habere colorem per §. *Huic etiam* XVII. di. & omnia jura illius diſtinctionis. Et ſi huic dubio clare non ſatisfiat, non cenſebitur eccleſia congregata, nec eſſe ibi concilium, ſed potius conciliabulum, & ſic nullius auctoritatis, juxta cap. *Multis* XVII. di.

2. Item, poſſet moveri aliud dubium, ſi quilibet qui pro papa ſe gerit, petat ante omnia reſtitutionem propter ſubtractiones & neutralitates ſibi factas. Talis petitio videtur habere colorem per §. *Item Symmachus* II. q. VII.

3. Item, potuerunt dicere prima facie contendentes, quod poſito, quod cardinales poſſint vocare concilium, vocatio iſta eſt nulla: quia ſpoliatus epiſcopus ex quacumque cauſa vocari non poteſt de jure ad concilium, niſi primo fuerit reſtitutus, nec de aliquo crimine agi contra eum, ut volunt jura per expreſſum III. q. I. & II. q. II. & iſta eſt una exceptio, quæ prima facie videtur juridica per dicta jura, & in qua Benedictus ſe fundavit tempore alterius ſubtractionis; & niſi iſti dubio ſufficienter reſpondeatur, concilium nullius effectus redderetur.

4. Item, poſſet moveri dubium: Si Benedictus vel Gregorius in concilio peterent ſubtractos vel neutrales repelli a concilio, tamquam ibidem vocem non habentes. Iſta petitio videtur habere colorem per §. *Huic etiam* XVII. diſt. & quia ſubtracti ſeu neutrales ſpoliantes per hoc papam, cenſentur eſſe inimici, juxta jura vulgata, & ſic veniunt in concilio ut pars, non autem ut judices vel vocem habentes. Et iſtud dubium eſt forte.

5. Item, ſi in concilio oſtendatur aliquid contra alterum vel utrumque contendentium, propter quod deſierit eſſe papa, ut puta hæreſis cum pertinacia; tunc eſt planum quæ agere poſſit & debeat concilium, juxta c. *Anaſtaſius* XIX. di. & c. *Acacius* cum gloſſa XXIV. q. I. Si autem non probetur aliquid vel dicatur propter quod alter ipſorum papa eſſe deſierit, etiamſi probaretur hæreſis ſive pertinacia, videtur quod concilium non poſſit ipſos abjicere a papatu per c. *Ejectionem* LXXIX. di. XL. di. *Si* pa-

ANNO CHRISTI 1409.

papa &c. *Incautum* XXI. di, cum ibi notatis per gloss. Et in isto dubio multa sunt consideranda & avisanda.

6. Item, poterit moveri dubium, quod licet isti duo contendentes sint negligentes in extirpatione schismatis, vel non servent juramenta & vota; ex hoc schismatici non sunt nec esse possunt, ex quo membra sibi obedientia a sua communione non abjiciuntur, per c. *Non vos* XXIII. q. V. & per diffinitionem quam ponit B. Thomas 2. 2. ubi tractat de schismate, & idem Alexander de Hales lib. II. ad fin. ubi etiam tractat de schismate.

7. Item, posset moveri dubium, quod licet isti contendentes ex præmissis possent dici schismatici; tamen per hoc ille qui papa verus esset, non desivisset ipso facto esse papa, nec papatum amisisset prætextu qui habetur in c. I. in fin. de schismate. Et sic talis qui non defuisset esse papa, licet schismaticus, a concilio non videtur posse dejici.

8. Item, si dicatur quod isti sunt schismatici, & schisma inveteratum transit in hæresim, hoc non videtur habere locum, nisi ostendatur, quod aliquam in schismate confingunt hæresim. Et dicit Hieronymus in c. *Inter schisma* XXIV. q. III. & præcipue quia duobus contendentibus de papatu, quorum quilibet credit penes se ecclesiam, schisma non transit in hæresim, juxta notam per gloss. XXIV. q. X. in prin.

9. Item, posset moveri aliud dubium, quia posito quod diceretur, quod isti ex enormibus criminibus & notoriis scandalizant ecclesiam, de quibus sunt incorrigibiles, ex hoc sunt dejiciendi, sicut pro hæresi, juxta gloss. c. *Si papa* XL. di. Illa glossa usquequaque non est vera, & reprehenditur, juraque allegata ibidem non probant intentionem glossæ.

10. Maxime quia ex hæresi largo modo sumta papa non dejicitur, nisi sit hæresis contra fidem & articulos fidei, ut notatur per gloss. LXXIX. di. *Si quis pecunia*, & multi doctores solemnes illam glossam sequuntur.

Quare nisi prædictis dubiis clare satisfiat, concilium de facili posset impediri & dividi, & sic nullus bonus sequeretur effectus.

11. Item, est avisandum quis modus agendi servabitur in concilio contra utrumque contendentium in ipsorum vel alterius contumaciam: casu scilicet quod non compareant, vel si compareant, renunciare nolint per se vel procuratores, videlicet utrum procedatur per accusationem, inquisitionem vel denunciationem.

12. Item, si deliberetur per accusationem, quis accusator; si per inquisitionem, quis promotor: si per denunciationem, quis denunciator, & qui testes erunt producendi, & quæ litteræ seu instrumenta ad probandum contendentium culpam, delictum, & negligentiam.

13. Item, posset moveri dubium, si contendentes non veniant, & quilibet ipsorum habeat multos sequaces & adhærentes, quid fiendum tunc per concilium: quia si post concilium cardinales utriusque collegii eligunt aliquem in papam, erunt tria schismata & tria capita in ecclesia de facto; & sic majus schisma. Et ideo oportet, quod in isto bene avisetur & plene provideatur, ne ex schismate alia schismata oriantur.

14. Item, quia dominus Benedictus & Gregorius ordinaverunt, quod teneant concilia suæ obedientiæ, utrum per hoc possint impedire de jure vocationem faciendam per cardinales. Videtur prima facie, quod sic; quia cardinales non possunt convocare, nisi in ipsorum defectum, & ipsi nunc videntur supplere defectum.

15. Item, videtur competere domino Benedicto legitima exceptio, si vocetur ad locum, qui sit extra suam obedientiam, per jura vulgata II. q. VI. cap. I. & II. cum similibus.

16. Item, poterit dicere dominus Benedictus in concilio, quod ipse acceptavit viam cessionis, & locum Saonæ conventum accessit, & non stetit per eum, sed per Gregorium, quominus pax daretur per viam cessionis; & hoc est notorium.

17. Item, potest dicere quod ex post venit ad Portum-Veneris, & requisivit adversarium per nuncios & litteras de cessione facienda, & obtulit loca etiam obedientiæ Gregorii, quæ omnia fuerunt per Gregorium refutata; & hoc est verum.

Ex his videtur posse concludere, quod in facto schismatis non potest sibi imputari negligentia, dolus, vel contumacia, & sic concilium nihil potest facere contra eum.

18. Nec obstat si dicatur quod imputandum est sibi, quia non obtulit se renunciaturum per procuratorem propter discordiam locorum vitandam, quia potest hoc excusare; quia in renunciatione facienda per procuratorem, potest intervenire fraus tacitæ renunciationis seu occultæ, quæ etiam non intimata parti, renunciationem redderet nullam, juxta notam in c. *Ex parte decani*, de rescript. de procura. mandato, & de renuncia. c. *Cum illusio*, in cle. & ibi glossa ordinar.

19. Item, poterit excusare, quia adversarius publice dixit, quod ad renunciationem faciendam non procederet per procuratorem, & ita frustra offerret quod adversarius acceptaturus non esset. Ex quo videtur quod nullatenus sibi valeat imputari, pro eo quod non obtulit se renunciaturum per procuratorem, maxime quia in causa tam ardua non tenetur procuratorem constituere, juxta cap. *Querelam*, de procura.

20. Nec obstat si dicant, quod domino Benedicto potest imputari duratio schismatis, eo quod repente recessit a partibus istis & ad longinquas partes, non disposito de facto unionis; quia poterit hoc excusare, videlicet quod fecit necessitate compulsus, & propter metum justum, qui cadit in constantem virum: & hoc est satis notorium.

21. Item, videtur quod ex eodem metu possit se excusare ad hoc quod non veniat ad locum concilii, cum transire ipsum oporteat per terras subtractorum & neutralium, & sic inimicorum suorum, qui eum persequuntur, etiamsi darentur litteræ de salvoconductu; & ita videtur quod convocatio quæ fiet sit nul-

sit nulla, & quæ fient per concilium erunt irrita.

22. Item, videtur quod ex præmissis si requiratur, ut assensum præbeat concilio, quod ipse potest recusare rationabiliter, nec dissensus in tali casu habebitur pro consensu, nec habebit locum quod notatur per Jo. de Consti, c. primo super verbo *Rationabilia*, & per Archid. XVIII. di. in prin. per glos. lxv. di. c. primo; & sic videtur quod concilium nullas vires habebit.

23. Item, videtur quod ipse Gregorius juste possit contradicere huic vocationi, & concilium totum recusare; quia cardinales utriusque partis vocant ad concilium & admittunt subtractos ab obedientia utriusque, et quia utrumque persequuntur & spoliant. Et ista causa recusationis & contradictionis videtur justissima, juxta jura vulgata III. q. I. quasi per totum; et poterunt ipsi dicere rationabiliter: Inimici nostri constituuntur judices.

24. Item, si dicatur quod concilium ordinabit, quod dominus Benedictus cedat, poterit respondere, quod paratus est, si alter cedat. Et si dicat quod cedat, etiam altero continuante, quia contumax abiicietur per ecclesiam, poterit respondere, quod adversarius abiicietur verbaliter et non realiter; et sic remaneret ecclesia incerta in schismate: quo remanente, ipse dominus Benedictus non tenetur cedere. Immo si cederet, peccaret, juxta notam III. c. *Quam periculosum* VII. q. I.

25. Item, Istæ eædem exceptiones & rationes videntur competere Gregorio, casu quo dominus Benedictus esset contumax.

Præmissæ causæ & multæ aliæ, quæ poterunt suboriri forte majores reddunt exitum istius causæ valde difficilem & periculosum, nisi prudenter advertant, & omni affectione deposita secundum Deum procedatur.

ANONYMI EPISTOLA*

Ad cardinales Pisis congregatos.

De mutando Pisarum loco pro concilio celebrando.

IN nomine Dei omnipotentis, cujus Trinitas videlicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in unitate perfecta, gloriosissima & æterna vivit & regnat.

1. Mandatum est, reverendissimi patres & domini: *Honora matrem tuam*. Cujus quidem honoris exhibitionem non solum in exteriori reverentiæ cultu, sed etiam in subventione circa incumbentes opportunitates attendendam fore Dominus ac Redemtor noster Jesus Christus Pharisæorum calumniæ respondens, terminat sic: Deus dixit sic: *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Et *Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri aut matri, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Super quo beatus doctor Hieronymus ita inquit: Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac muneris oblatione sentitur. *Honora*, inquit Apostolus, *viduas quæ vere viduæ sunt*. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: *Presbyteri digni habentur duplici honore, maxime qui laborant in verbo & in doctrina*; & per hoc mandatum jubemur, ut bovi trituranti os non claudatur, & dignus sit operarius mercede sua. Quantum enim mater dignior est, tantum sibi major a filiis honor debetur. Quoniam autem est dignior corpore spiritus, spirituali matri quam corporeæ majori honore tenemur. Corporea namque mater ad essentiam vitæ corporeæ expedit, in qua juxta B. Job sententiam, continuæ morti subjicimur, in qua multis replemur miseriis, & numquam manentem aspicimus statum; sed de utero ad tumulum in instanti transferimur, in patre suscipientes putredinem, vermesque pro matre atque sorore amplectentes, cui si pro misero membrorum ergastulo & repugnante menti lege, quæ ab adolescentia prona est ad malum, quæ ab ipsa matre accepimus, divino obligamur mandato jureque naturæ, quantum nos obligatos debemus considerare, honorem exhibere spirituali matri, quæ nobis expendit ut renascamur in Christo, & essentiam vitæ adipiscamur cælestis, ubi angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, qualia & quanta sint gaudia, mens considerare & lingua explicare non sufficit.

2. Non satis vero fore, quam a carnali suscipimus parente generationem, ut ex hac corruptibili, quæ est mors potius dicenda quam vita, ad immensam, ineffabilem æternamque cælestis regni gloriam advolemus: Sed regenerationem oportere magister Veritatis Nicodemum instruens, his censet verbis: *Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest nasci homo, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris iterato introire & renasci? Respondit Jesus: Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Quæ etenim mater illa sit, quæ nos pariat & regeneret in cælo, Galatis Apostolus insinuat: *Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris. Erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*. Hæc autem mater nostra quot quantisque calamitatibus laboret, Job dixisse videtur: *Utinam appenderentur peccata mea, in quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret: unde & verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me*. Quot autem filios usque adhuc miseratiores invenerit, quorum saltem affectus profuerit effectui, proh do-

ANNO CHRISTI 1409.

dolor! res ostentat, ita ut dicere possit adversus proprios filios in utroque homine: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me; nuda, & non operuistis me; infirma & in carcere, & non visitastis me*. Esuriem namque passa est, & sitivit non una die & nocte, sed plusquam triginta annorum curriculis semper in gemitibus fuit, propter flendum schisma. Panis & vini materialis & justitiæ, hospes est læsus ab hospite, stratus est in lacu miseriæ & in luto fecis, quodque si dixerit consolabitur me lectus meus & relevabor, loquens mecum in stratu meo, tenebis me per somnia, & per visiones horrore concutiens veste laniata, frigus materiale spiritualeque per omnia membra illapsum, totum corpus tanta frigiditate complevit, ut omni vitæ calore rejecto, non remanserit in ea anhelitus, nec spiritus vitæ; qui est caritas Dei & proximi. Infirma, juxta illud Isaiæ: Omne caput languidum & omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. In carcere tali, quod de ea verificatum est illud Jeremiæ: *Occidit rex Babylonis*, quod interpretatur rex confusionis, *filios Sedechiæ*, quod interpretatur filios justitiæ Domini, vel justificantis Dominum, *in oculis ejus, & omnes nobiles Juda*, quod interpretatur omnes nobiles confitentis vel justificantis Deum: *Oculos quoque Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, ut adduceretur in Babylonem*. Ubi vere justitia & justificatio, confessio, & glorificatio Domini reperietur, nisi in sancta Jerusalem quæ est mater nostra? Quis autem inventus est in caris et notis ejus, qui in tantis gemitibus et angustiis consolentur eam? qui inventus fuerit sine macula, qui post aurum non abierit, qui non speraverit in pecunia et thesauris ejus: certe beatus erit vir ille, et laudabimus eum, quia fecit mirabilia in vita sua. Potest quippe mater nostra vere dicere: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt, & qui juxta me erant de longe steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam*.

3. Hæc itaque attendens, reverendissimi patres et domini, Carolus filius, et servus sanctæ matris ecclesiæ, et agnoscens se multiplici ratione obligatum, quodammodo se inexcusabilem judicaret divini violatorem præcepti, si tantum distulisset pro sacra unione laborare; sufficientiores tamen cernens instare, distulit veritus præsumtionem. Interea quoque cum membra magna capiti deservirent, ne ipsum nimium a parvorum obsequio vacaret, laborare visum est paci Longobardiæ in statu dominorum Mediolani, papæ, et Mantuæ, quos patres eorum sub sua gubernatione reliquerant. Dum vero Mediolani foret, requisitus per Antonium Spalatinum, a domino Gregorio papa, videns se modicum prodesse ecclesiæ redeundo, multum vero descendendo patriæ illi et dominis obesse, supplicavit se excusatum haberi, addens se et quæcumque relicturum, si videretur ecclesiæ profuturus.

4. Videns tamdem laborantes unioni, quodammodo desistere, requisitus iterum, hortato primum domino papa, ad unionem tamdem rediit Ariminum, dispositus sanctæ matris ecclesiæ et dominæ suæ in omnibus et per omnia commodis et obsequiis. Ut autem otiosum rediens iter non ageret, Venetos hortatus est, ne pro unione laborare cessarent, quos optime dispositos invenire visus est, suum deliberantes transmittere oratorem, operaturum quod unum et non plura concilia fierent. Dominum quidem papam, postquam rediit Ariminum, requisitus ab eo quod ipse reciperet, ibi hortatus fuit ad unionem cum effectu, quantum in illo fuit: quod si non intenderet unioni, supplicavit ne illuc accederet. Orator autem collegii obedientiæ Romanæ dominus Simeon Carolum hortatus fuit, quod nollet favores ullos impendere domino Gregorio perjuro, fautori antiquati schismatis, nec vellet eum Arimini suscipere. Cui respondit, quia omnino dispositus erat & est partem jus faventem fovere, ei videbatur expediens de his quæ in facto acciderant informari, quoniam in hoc ex facto jus oriebatur: & interea non ægre ferri rogabat accessum papæ Ariminum, quoniam utilis esse potius poterat, quam inutilis. Et medium pacificum præstantius persuadebat ad ecclesiæ pacem, quam involuto jure novas dissensiones parere. Ne vero dominus papa Perusium diverteretur, quia illuc profecturus dicebatur, quod ecclesiæ paci non profuturum cogitabat, ad Burgum sancti Sepulcri properavit, & ipsum sociavit Ariminum, Ariminumque, cives & se obtulit ad utilitatem & pacem Domini nostri Jesu Christi fidelium. Pervento siquidem domino papa Ariminum, indulta senio quiete, ipsum papam hortatus fuit ad congregandum dispersas oves in ovili uno, quia ejus præcipue tamquam pastoris intererat. Papa vero justificato desiderio, & mediis per eum servatis, conquestus est per vos omnem sibi præclusam fuisse foreque viam, quam intenderat & intendebat pro pace ecclesiæ. Inter quæ dominus B. legatus Bononiæ misit ad Carolum, alludendo sibi de adventu papæ Ariminum, quia sperabat paci profuturum, illumque ad ipsam hortatus fuit; præsertimque papæ ad cessionem persuadendo. Cui pro optata sibi valde unione Carolus se toto posse acturum obtulit, & universale concilium, viam divina dispositione paratam commendavit, commendatque; & ad illud & non particularia rogavit dominum B. ut sacrum vestrum coetum hortaretur in loco partibus & concilio tuto & condecenti conventurum. Postquam enim papam hortatus fuit ad unionem, & ille se sponte liberaliterque ipsam velle dixisset, eum ad concilium universale cum suis adversariis convenire deprecatus fuit. Cui cum papa respondisset, ad se de jure spectare convocare concilium; replicavit Carolus unionem sponsæ Dei expedire, cui nimis contentiones obfuerant. Denique ut conclusionem Carolus experiretur de locis tractando, Pisas dominus Gregorius omnino respuit, tamquam a parte prælectas, nolens suis juri & dignitati derogari. Dixit in-

insuper non liberas concilio, ut deceat; sed tamen aliis locis per Carolum nominatis assensit. Inde gavisus fuit responso, non titubans potius a sacro coetu vestro obtenturum, quam obtinuisset a domino papa, quia absens audierat zelum vestrum circa unionem. Tamen dominum cardinalem tunc legatum Bononiensem, & Malatestam fratrem suum exoravit, ut ratiocinatis assensum deprecarentur, & suos distulit oratores mittere, ne introire videretur in labores eorum. Sed audiens negativam per dominum Jacobum de Isolanis, per ipsos oratores experiri deliberavit, & exclamando insuper, doluit & dolet sanctæ Dei sponsæ matris & dominæ suæ vituperio, in qua non solum duo capita apparent, sed illa insimul certare, & illa cum humeris, & cum illis humeros cernitur. Exclamans itaque Dei severitatem placari & ejus patientiam exsurgere, deprecatur non inspiciendo principum peccata, sed inopum miseriam & gemitum pauperum. Mortem insuper fidelibus pro vita optandam potius his miseris diebus fore dicit, patrum exempla observantibus, quam gentis suæ opprobrium pati.

2. Excusat igitur se, si bis negata repetit, quia ad hoc honestum suadet, allicit utile, & opportunitas cogit, spesque ipsum reddit audacem. Nam cum Dominus dicat: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*; quoniam nullo modo credere potest in sacro coetu vestro, uno saltem carere amico, quia diligit omnes, & amor reciprocus naturaliter est; quoslibet se amicos habere putat, cum omnes vos unius voluntatis esse audierit, & per vestras scripturas inspexit. Et quia populus Dei amicus suus ad eum venit de via, non per viam, nec in via, quia quicquid dicatur, nondum in via, nec per viam unionis esse videtur. Carolus vero non habens quid poneret ante illum, venit ad amicum deintus sacrum coetum vestrum, quem, cum servus sit, amicum vocavit, quia amor æquat omnia. Et media nocte ad eum venisse dicit, tres petens panes sibi pro amico commodari, id est tempore maxime potestatis malorum, quia sol obscuratum est, & luna lumen non præbet, & stellæ de coelo ceciderunt, & solum in regno militantis ecclesiæ judicium tribulationis, quæ per crucem designatur, apparet. Panes pro saturitate amici petiti sunt & petuntur, æquitas voluntatis, æquitas loci, & æquitas temporis. Æquitatem voluntatis necessariam probat, quia sine æquitate bona voluntas haberi nequit, & *Gloria in excelsis* canentibus angelis, pax nonnisi hominibus bonæ voluntatis annunciatur in terris. Alter petitur panis æquitatis loci, quæ attendi debet, ut personarum non inficiatur dignitas, æqualitas sit laboris, venientibus iter tutum, consiliantibus plena consulendi libertas, a timore secura, a seductione præmiisque longinqua. Et si alias fuissent communes Pisæ, quia aperte præter & contra aliorum consensum ad concilium electæ fuerunt; communes non videntur, quoniam juri & dignitati eorum, qui electioni illi non assentiunt, si assentirent, derogari appareret. Dominum autem Gregorium liquet vocatum fuisse Pisas etiam cum comminationibus; sic Pisas etiam fuisse electas per vos ad concilium, præter aliorum consensum. Unde apparet eo assentiente dignitatem infici, quia dignitatis & potestatis veneratio inficitur, si minori major se subjicit, impressus timore vel viribus. Loca quidem, ad quæ si partes accesserint, proposuit & proponit, scilicet Bononiam, Forlivium et Mantuam, quæ non sunt a partibus præelecta, unde non juri derogatur ipsarum, nec dignitati, et ad quorum aditum iter tutum quibusvis partium manifestum est. De Arimino namque, quamvis sit tutissimum, liberrimumque, et diu est sanctæ matris ecclesiæ et devotum, nullam vel parvam mentionem proposuit facere: nullam, inquit, quia nihil pro ejus electione proponere, nec in aliquo insistere intendit, quod unioni quomodolibet obstare valeat: parvam vero, quia nec omnino nominare voluit, nec illud quod ecclesiæ est, quodque pro ecclesia gubernat, et ultra seipsum sancta mater ecclesia sua, si non offerret, ignoraret suis promptissima honoribus et obsequiis jugiter fore, sicut et sunt. Sed quia dominus Gregorius papa illuc primus accesserat, ex indecentia et non apparenti æquitate suspicabitur ei qui dicitur dominus Benedictus, et unito vestro sacro coetui parum acceptum. Verum circa hoc non silendum deliberat reverentiis vestris, quod si divina inspirante gratia, locus ille Arimini paci ecclesiæ et populi Christiani commodus appareret, secundum quamlibet dispositionem et consensum partium promtissimum offert. Atque propterea si pro securitate et concilii libertate visum fuerit alteri partium expediens, filium suum, quem sibi reputat unigenitum, Galeottum obsidem offert, nedum in Galliis, sed si oportuerit, ubique usque ad ultimum terræ. Proposita nempe loca tantum esse concilio vel fieri posse secura dicit, quantum ecclesia universalis deliberabit. Ait insuper incongruum fore spiritualem ecclesiam potestati subesse temporali, & multum differre, si temporalis a spirituali jurisdictionem susceperit & potentiam, an si spiritualem tantum in loco concilii posse & velle oporteat, quantum sæculari placuerit. Nec sibi contradicere putetur, quia proposuit Mantuam, licet sit imperiali jurisdictioni subjecta, & immediate gubernetur a domino temporali; quia imperium dependet a papa, & quia imperator filius est ecclesiæ, defensor & advocatus; & quia qui Mantuam gubernat, vassallus est propter comitatum Gonzagæ, & aptus ipsius regimini, secundum omnem dispositionem universalis ecclesiæ, ipsi propter hoc tradere. Etenim quia forsitan Carolo posset opponi, quod domino Gregorio non prohibitum est, quod Senis & Lucæ prohibitum fuit, ut procederet contra S. R. E. cardinales, asserentes quia pro sancta ecclesiæ unione laborabant, ipsiusque schismatis antiquati fautoris latebras detegunt, adversanturque ipsius iniquo proposito. Ait Carolus, contradicit papa. Numquid ergo oblivisci debet sacrum illud principis æterna memoria commendandum? quod B. Hierony-mus

ANNO CHRISTI 1409.

mus in additione Ecclesiasticæ Eusebii Cæsariensis Historiæ actum Nicææ in sacro concilio refert his verbis: Sed in eo concilio „ admirabile factum principis non puto re„ ticendum. Etenim cum ex omnibus pene „ locis episcopi convenissent, & ut fieri „ solet, diversis ex causis inter se jurgia „ quædam detulissent, & interpellabatur „ frequenter, & magis ad hoc, quam ad „ id pro quo ventum fuerat, animos dabant. „ At ille, videns quod per hujusmodi jurgia „ causa summi negotii frustraretur, & diem „ certam statuit, qua unusquisque episco„ porum, si quid querimoniæ habere vide„ retur, deferret. Et cum resedisset, rece„ pit a singulis libellos, quos simul omnes „ in sinu suo continens, nec in eis quid con„ tineretur aperiens, ait ad episcopos: „ Deus vos constituit sacerdotes, & pote„ statem vobis dedit de nobis quoque judi„ candi. Et ideo nos a vobis recte judica„ mur. Vos autem non potestis ab homi„ nibus judicari, propter quod Dei so„ lius expectate judicium, & vestra jurgia, „ quæcumque sunt, ad illud divinum refer„ ventur examen. Vos etenim nobis a Deo „ dati estis dii, & conveniens non est, ut „ homo judicet deos, sed ille solus de quo „ scriptum est: *Deus stetit in synagoga deo„ rum, in medio autem deos discernit.* Quia actus qui facti sunt, non ad concilium facti sunt.

3. Ariminum non reddunt de jure concilii suspectum partibus: quoniam præcipue si a proposito loco concilii sui concordaret se conventurum cum aliis Arimini, intentionem suam mutare dominus Gregorius videretur; alii vero ipsius approbare nequaquam. Si tamen partibus ecclesiæ paci aptum videtur, ita illud & se offert, ut nihil propter hanc omnino reservet; quorumlibet obedientiæ loca æque distare asserit, si orbis figura & venturorum mensuretur iter. Replicat insuper cujuslibet eorum concilio libertatem, aptitudinemque: & præcipue quia in quibuslibet potest corruptela compesci; quoniam non solum de potestate discuti præcipua videtur intentio; sed de pastore a quibuslibet concorditer acceptando, jussus est locorum circumstantias canonis dispositioni concordare: videlicet quod ubi adest universalis potestas ecclesiæ, ibi non licet mere & libere subjectam fore temporalibus. Decet insuper electores ut consiliarii papæ sint a metu tuti, & a favore corruptionis alieni, æquum & utile ecclesiæ proposuisse, putans mutationem, id est loci, sperans se jam obtenturum, saltem a Domino, mutationem temporis petit, quia aliter partes in unum concilium convenire non posse demonstrat evidentia. Quæstioni respondetur de inconstantia clericorum reprehendenda, quæ non est inconstantia, quando propter proximorum salutem consilium reformatur in melius per exemplum vestrarum reverentiarum: quia ab eo quem quilibet vestrum papam reputavit, & in cujus jurastis manibus, quem toties publice ado astis super terram, discessistis. Nec notam mutabilitatis & inconstantiæ & juramenti transgressionem timendam vestrum cuilibet esse visum est, propter hujus unionis bonum. Hoc per B. Augustinum dicentem: Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium. Hoc per canonem *Alma mater ecclesia.* Hoc principem apostolorum, qui pedes quos lavari sibi a Domino negavit primum, mysterium salutis intelligens immediate permisit. Hoc per Dominum qui incommutabili prædestinatione contingentes concordat effectus. Et per Salomonem, tempus scindendi & tempus consuendi. Nam utique si licet filiis propter dilectionem Dei patri objurgari & ipsum odisse; multo magis cum non discedat a via æquitatis, decet cum ipso convenire, etiam si devius fuisset. Exemplum de Noe habetur, qui benedixit Sem & Japhet, quia avertentes vultum pudenda patris operuerunt, & maledixit Canaam qui aspexit & risit.

4. Objicitur forte: si mutaretur locus Pisarum, B. se læsum dicere posset, & propterea recusare ad concilium ipse & sui accedere; unde præter inhonestatem populi tot auferentur, quot, ipso cum suis non venientе, dissentirent, & ideo cum propositi mutatio loci honesto contradicat, & publico officiat bono, propositum mutari malum esse. Atque humanus intellectus faciliter errat, nisi sibi objecta discusserit phantasmata. Et quoniam varia circa loci competentiam incompetentiamve repræsentata sunt, & maxime de adventu ejus qui dicitur dominus Benedictus, causas imaginari convenit, quæ ipsum Pisas adducant vel divertant a Pisis. Aut enim apud se certus est papam esse, aut certus est, quod papa non est, aut dubius utrum papa sit; quod tamen Carolus non credit, sciens vestram intentionem, & eum qui dicitur dominus Benedictus ignorare non putans si jus suum indubitatum sibi præsens ita proponere concilio æstimaverit, ut papatus per universum concilium sibi vendicet potestatem; quocumque accederet & libens. Et si jus suum propter absentiam lædi pensaret, hoc etiam, licet senis sit, exilem metus causam & laborem itineris expavere, quia non eum juvenilis naturæ calor fortem & infatigabilem reddit: tamen cum voluntatis ardor soleat calorem superare naturæ, juvenescente in homine ambitione, quæ ut plurimum in senescentibus juvenescit, Benedictus senex præpotens valde adversus metum & laborem existens, si Pisas accedat, nec propter metum, nec propter laborem alio accedere recusaret. Si tuendi aut dilatandi dominii causa Pisas accedat, & veniet locorum quovis Benedictus. Et si recusaverit Pisas venire, imitari nolens Domini & ejus magistri humilitatem; quomodo potestatem gerat in terris, si non caritatis ardore, sed inanis amore gloriæ Pisas etiam renuntiaturus accesserit: utique quocumque propositorum locorum & ultra libenter accedet, quia ambitioni hujusmodi nihil grave, nihilque satis periculosum apparet, sed lene nimis. Cum enim sitis & ardor habendi omnem superet concupiscentiam, superatur ab illa, & ultimum terribilium propter eam parvipenditur, & omnipotentis Dei potestas vilipenditur. Si vero certus est se papam non esse, et maligno tra-

hatur spiritu Pisas, ut alterius jura usurpet, velut proprium pudorem abscondat, exemplis et rationibus probari potest alio venturum. Quod si non, cum inopportunum sit impios interesse concilio justorum, et ut usurpatori facultas minime tribuatur, propter absentiam suam nequaquam differenda est pax ecclesiæ. Si quoque illum Dei Spiritus converteret, sciens se tot annis idolum sedem apostolicam invasisse, cum quælibet potentia minima sit ad satisfaciendum divinæ offensæ quæ infinita est, sibi minimum cerneret si trans Gades accederet. Hoc etiam Cananeæ, coeci, et Mariæ Magdalenæ probatur exemplis. Si Pisas dubius de jure suo venerit, præeligens certe innocentiæ quam dubii papatûs possessionem, ultra quæcumque propositorum locorum iret, cum naturale sit insuper odire ignorantiam, ad repellendum istam ignorantiam, quæ nesciendi tantummodo causa obest. Sed gehennæ culpa longius accedere deberet, quod Pithagoræ, Platonis, et Apollonii exemplis deducitur, qui remotissimas peragravere provincias propter scientiæ amorem. Ad quemcumque etiam dictorum locorum iret, nedum Pisas, si ambigeret absens jus dubium posse tueri, ut confusionem evaderet, ut non de jure suo dubitare visus contra se juris faceret præsumtionem. Volens quidem indubitatum sibi jus servare dominus Benedictus, ad locum ad quem vocatus non fuerat, et non Pisas, accessurus verisimiliter esset, ne jurisdictionem facere videatur in eos quos negat habere: quia aliud est ad locum communi consensu non vocatum ire, quam ad locum, ab adversario præelectum venire vocatum. Ambiens vero fovere dominium, prout apparet ex servata, qualiscumque sit, possessione tot annis, cum possessionem diligat, et exspoliationem pavere putandum sit, nequaquam verisimile est se in rebellium suorum manibus positurum, in quo nisi aliquid lateat ad locum accessuris, in quo parem cum adversariis potestatem habere possit; quoniam sibi testis est conscientia sua, si hæreticus est, quia etiam quantumcumque infideles sint, non diffitentur divinæ oculos justitiæ ubique præsentes, ubique illos offendere scit. Cumque Dei clementia per divisionem et distantiam locorum a justitia non distinguatur, cujuscumque loci non debet pudere ad veniam, quia non puduit ad culpam, et ubique debet Dei misericordiam sperare implorando, quia ubique est. Si autem non fuerit hæreticus, sciens papam sola hæresi posse privari, debet alio accedere, ne vocatus accedens videatur se hæreticum assentire. Nam humilitatis causa mentiens, si non erat antea, peccator efficitur, nec ita caveri debet arrogantia, ut veritas relinquatur. Adest insuper alia ratio: nam si pontificem se putaret ille, qui dicitur Benedictus, ad loca immediate ecclesiæ subjecta libentius accedere deberet, quam ad aliena, etiamsi longe pulchriora, magisque amoena et opulenta forent. Nam ab experto videtur unumquemque loca sibi subjecta libentius visere, libentiusque inhabitare, quam ea quæ alterius jurisdictioni subjiciuntur. Quod si dicatur, quoniam proposita loca nequaquam sibi subjecta sunt; certe negari non potest, quod neutralia sunt, quoad obedientiam, ut ita dicatur, contendentium de papatu: verumtamen ecclesiæ de jure et de facto subdita fore contradici non potest. Si vero dicatur Mantuam et Ariminum obedientiæ domini Gregorii papæ subjecta, nequaquam negatur. Sed ut supradictum est, si partibus commoda paci ecclesiæ videantur, hoc pacto oblata sunt et offeruntur, ut nihil ibi servetur partium jussioni dissonum. Si igitur proposita loca, cum ecclesiæ sint, aliorum locis non præponit, pastor non est & Christus Domini, qui proprias oves abhorret. Ex his igitur quæ suprascripta sunt, liquet multas fore rationes, per quas ille qui dicitur dominus Benedictus, ad quemlibet propositorum locorum accedere deberet, etiamsi Pisas non. Unde si ad communem partibus locum et non præelectum accedatur per reverentias vestras, manifestum est, non propter illud concilium ruiturum, nec unionem impediri. Verumtamen hoc disseruisse Carolo supervacaneum videretur, quantum circa præsentiam ejus qui dicitur Benedictus spectaverit; nisi quia forte putare posset eum procurare illi auferendam loci æquitatem, qui ad pacem vocatur ecclesiæ et populi Christiani unionem. Nam semper opinatus est, illum nequaquam Pisas accessurum, quod et novissime sibi a pluribus fide dignis assertum est.

5. Nec insistendum ultra videtur circa pericula illa responsionis exhibitæ Rodulfo cancellario fratris sui Malatestæ de Pensauro, in qua dicebatur, quod præter inconstantiæ notam, valde mutatio loci concilio obesset, & per consequens impediret unionem, quoniam multi Pisas accederent, qui audita mutatione loci ad propria retrocederent. Hoc enim licet non putaret, sed semper a certo tenuerit & teneat multo plures ad concilium universale accessuros, si sciverint communi omnium partium consensu congregari, quam si divisim et ad diversa loca vocati sint. Quis enim nesciat, quod spes certa intentum obtinendi voluntatem excitat et corroborat? Quis insuper ignorat unionem voluntatum concordiam et pacem esse; discordiam vero habituale schisma fore et originem schismatis actualis? Jam quidem per hoc unio nedum sperari posset, verum facta videri, indeque scrupula juris cuncta succisa, et eminentium scelerum evulsa radix quælibet, et novæ hæresis pullulatio. Præterea cum universalis divisio fieri non posset in ecclesia Dei, nisi aut in intellectu canonum schisma fiat, aut de facto, et hoc rebellantibus capiti membris, licet quod jus dictat intelligant: quoniam secundum sententiam B. Augustini, contraria contrariis curantur, oportet quod in utroque concordia fiat, ut morbus discissionis curetur, qui per utriusque discordiam exortus est. Attendendum est insuper per reverentias vestras et cunctorum fidelium discretum examen, si cessionis via præelecta est tamquam securior, et a vestris dubiis magis aliena; ceterum tamquam magis caritativa, quia per eam non detegitur injustitiæ multorum verecundia, qui

Anno Christi 1409.

qui etiam propter ignorantiam peccaverunt, quod prudentia vestra talem adhibeat modum, per quem fiat, ut suum intentio sortiatur effectum, et non inducat oppositum ejus quod videtur intendi. Nam si modus servatur, per quem secundum jus dubitari possit utrum cessio valeat, cui metus infertur; poteratne verus et indubitatus papa a cunctis haberi? Si vero nullus metus infertur, sed sponte partes communi consensu convenerint, et juramenta servent, quis sperare non potest, immo certus esse non debet, quod unio indubitata sequatur, et unus verus atque indubitatus papa a cunctis acceptabitur? Neque ceterum minus caritati opponitur alterius violare jus, quam justitiæ pudorem detegere. Et si dicatur, dubium est; advertite, supplicatur, quod dubius de jure alieno, nequaquam de suo certus est, quodque caritas exigit unumquemque dubitantem de jure suo, ita illud servare teneri, quod non rapiat quod suum esse non novit. Recte judicatum est per quamlibet partium concilium fieri universale ad pestiferum et lethale schisma mactandum, tamquam viam a sanctis patribus consuetam in similibus, a sacrisque canonibus approbatam, per quam nulla excluditur via voluntatis aut juris. Nunc autem quis non sensatim apprehendat, quod si a qualibet partium divisim convocentur patres, quin immo altera comminante & prohibente ne accedant ad alteram, & si unum de jure concilium fuerit, plura oporteat fore de facto. Quis inde jam non circumspiciat inspiciatque, non vetus mactari schisma, sed quod æque justeque, breviter & faciliter, si volueritis, interficietur, si nolueritis, reviviscet. Verum cum scandalorum mater parva voluntas prægnans suspicetur, filium pariet patre pejorem.

6. At si iterum obiiciatur, illum qui dicitur Benedictus, neque ad Pisas, neque ad quemquam propositorum locorum accessurum, & propter hoc universale concilium saltem de facto locum vendicare non posse; hoc non putat Carolus quemquam prudentem affirmare. Nam quia quod petitur æquitatem in se continet, si Dei mandatis & judiciis contradicere nolit, æquitati minime contradicet. Non enim ignorat ille, quantæ auctoritatis David propter Deum fuerit; de quo Dominus ad prophetam: *Inveni hominem secundum cor meum*. Et alibi: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit*. Cujus David verba sunt ad Deum: *Omnia mandata tua æquitas*. Et rursus: *Cognovi, Domine, judicia tua*. Ut quid ergo dubitari potest quod qui æquitatem spernit, omnia Dei mandata & judicia spernit? nec illiusmodi idcirco sequendam voluntatem, sed refellendam. Poterit forsam prætendere proposita loca sibi, seu concilio, vel utrique pariter inepta. Causas assignet, & alia proponat quæ magis seu ita æqua sint, & magis aut tantum ad illa tutus sit accessus quibuslibet partium ad illa accedere volentibus: in quibus sit tuta & libera mansio, & quæ canonum dispositionibus amplius aut tantum conformia sint. Quis tamen crediderit, cum ipse primum sciverit vestras reverentias cum domino Gregorio fore concordes conveniendi in uno loco, in quo communi consensu partium congregatio fiat, & universale concilium convocetur, ipsum nequaquam illuc conventurum. Nam si Deum non vereatur, minime ambigi debet eum saltem humanam maximam vereri confusionem, quam si eo non accederet, non utique se evasurum, cum prudens habeatur & expertus sit, credere possit. Verum si tanta fuerit, quod putandum non est, obstinatione circumventus, quatenus, volente domino Gregorio & vobis insimul convenire, ipse noluerit, legis ditio & naturæ potius imitanda censetur, quam illius qualiscumque voluptas. Dictant quidem leges & natura, mala & noxia quæcumque evitari, majora vero præsertim: nunc autem existente triplici; ut taliter referatur, in ecclesia contentione, ad unionem venire volentibus, quanto magis insimul concordes extiterint, tanto minus ab illis unio distat. Illos quidem quisque sibi uniendos optare amplius debet, qui divinæ æquitati propinquiores existunt. Nam solum in unum convenire pax est: sed si æque conveniatur. *Convenientibus enim nobis in unum*, juxta Vas electionis, *jam non est Dominicam cœnam manducare*, sed corpus Christi secundum divinam institutionem conficere, & illo secundum canonicam disciplinam participare, hoc est cœnam manducare Dominicam. Cum ergo modus conveniendi in unum secundum æquitatem & communi consensu convocandi concilium, via sit absque æmulatione pacifica, quieta absque turbine scandalorum, omni carens iniquitate, libera sine motu, ab omni turpitudine aliena, tuta subjectis, prælatis honorifica, nullum circumveniens, neminem conculcans, expedita absque præcipitatione, conclusio unionis, per quam, si parte convenerint, non promti affectus potest ambitio reprehendi, dum propter zelum unionis unusquisque vestrum propriam voluntatem superasse probatur. Hæc igitur via tamquam triumphi causa ab omnibus diligi debet. Non enim caritatem Dei & proximi potius quam propriam quis diligere probari potest, nisi propter Dei dilectionem & proximi propriam abnegaverit voluntatem. Est insuper via proposita et petita per Carolum suavi humilitate plena, absque adulatione imitantibus eam, et sine proximi detractione, grandique redolet caritate, cuncto hypocrisis colore carens.

7. Ut igitur Carolus jugiter petat, jugiter quærat, jugiter pulset, honestum suadet, allicit utile, inopia cogit; indeque quod aperiatur, et exaudiatur spes ipsum reddit audacem. Cum enim honestum et morale convertantur, quod morale est, honestum est. Beati quidem Ambrosii verba sunt, morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Quod itaque vestris reverentiis honestum est, honestum suadet ut petatur a vobis. Exigitis namque a domino Gregorio, ut relicto loco concilii sui et concilio suo, Pisas accedat, et juri sui papatus renuntiet. Et hæc omnia propter fidem et commodum fidei. Grande est hoc, quis dubitat, cum magna petat impendere parva? Minus est verbis

ANNO CHRISTI 1409.

te quod a vobis petitur, videlicet ut mutato loco Pisarum congruo tempore, vel quam brevius ratio quærit, ad alium locum accedatis communiter eligendum, ad quem communi partium consensu universale concilium convocetur; morale ergo & honestum est vobis qui fidem exigitis, si non majori, si non æquali, saltem minori exemplo vestri fidem adstruere. Morale & insuper honestum est, vos qui fidem in juramenti & voti observatione a domino Gregorio exigitis propter unionem, fidem observatione vestri juramenti & voti propter unionem adstruatis. Jurastis quidem & vovistis nonnulli ex vobis, certum, est, nihil de contingentibus omittere, ut sacra unio sequatur, saltem quantum in vobis esset. Qui vovistis & jurastis locum quidem Pisarum non mutare, certum est non esse de genere necessariorum, contingentium vero sic. Allicit utile; quamvis enim quoddam appareat utile, bonum & delectabile, quod quia honesto contradicit, bonum non est, licet infectæ voluntati bonum appareat. Et ideo hoc nequaquam quæri debet, nec quod quæratur debet allicere. Quando vero utile et delectabile honestum bonum est, & quæri et appeti debet, quia naturaliter omnia bonum appetunt. Recte etiam tunc utile allicit ad quærendum. Quid vero utilius quærere, quam illud quod cunctis fidelibus prodesse potest, et nullis obesse, nisi illis forte, qui hominum substantiis et carne suam saturant esuriem, illisque pariter qui hominum detractiones et sanguinem sitiunt, et in ipsis moliuntur debacchari. Quid præterea utilius, quidve delectabilius, quam perfecti desiderii optatum consequi effectum? et quid magis ad quærendum allicere debet? Cogit inopia, quia propter defectum eorum quibus natura eget, ut se sustentet et proximos, inopia vim naturæ infert, quoniam aufert quod natura postulat. Ideo naturam provocat, ut vi exquisita procuret vim quæ sibi illata est repellere. Existente ea vero tam exilis potentiæ, quod neque propriis viribus valeat, neque opem sibi alius ferat, cogit inopia non solum petere, non solum quærere, verum etiam pulsare, quod etiam conceditur necessitate imminente, quamquam sine impetu et violentia quadamque importunitate fieri non possit. Unde et servos inspicimus, urgente eos opportunitate negotiorum principis vel sui ipsorum, licet dormitet princeps, licet sint pueri secum clausi in cubiculo, ostium pulsare. Unde Dominus ut majorem exhibeat licentiam pulsandi, non principis nomine, sed amici parabolam affert. Inopia ergo Carolum cogit pulsare: nam cum inopia proprie sit, dum eo eget quod nec sibi sufficit, nec aliis largiri potest; egente vero eo non solum panibus tribus propter se, sed etiam propter quoscumque fideles; neque habente unde se et amicum reficiat, qui non solum fame veræ unionis patiuntur inopiam, verum apertissime pereunt, quamvis petierit, quamquam quæsierit, ut pulset cogit inopia. Cum enim major sit causa quam effectus, major omni inopia est, quæ omnis quasi nostræ inopiæ causa est. Ex quibus omnibus spes ipsum reddit audacem; quippe se dicit, quia licet pium sit quod optat, tamen ultra virium suarum omnium competentem et conformem qualitatem aggressus est opus, hoc autem urgente caritate, quæ omnia credit, omnia sperat. Quid enim sperare non debet, dicente Veritate: *Cum vos qui mali estis, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Nihil vero aliud in hoc quærit, quam Spiritum bonum, Spiritum videlicet illum, qui Deus est, et oculorum visio et pax, per quem pax annuntiari discipulis suis præcipitur dicens: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* Illum humiliter supplicat in voluntates vestras et aliorum Dei filiorum misericorditer inspirari, ut divino afflante Spiritu, bonæ efficiantur voluntates, ut pax vera illabatur in illis. Spes enim, etsi non mereatur suscipere, et ideo audax postulando sit, audacem pulsare facit, quia ea quærit et optat, quæ requisiti negare non debent, si non ratione amicitiæ petentis et quærentis amici, si non proximorum dilectionis, nec, quod his omnibus majus, divinæ caritatis amore, propria saltem. Eja ergo surgite, reverendissimi patres et domini, licet ostium vestrum clausum sit, et pueri vestri vobiscum sint in cubili, surgite supplicatur, et in cubili amplius obdormire nolite. Surgite, et si gravitas humana impediet, juxta beati doctrinam Augustini sub pedibus vestris scabella vobis facite, terræ fastigia conculcando; quanto namque majora sunt, tanto magis super illa scandendo surgite. Præterea cum veritas sanciat: *Qui se humiliat exaltabitur*, humiliando vos surgite, reclaudite ostium, et si non dederitis ei, eo quod amicus vester sit, saltem ex improbitate date ei quotquot habet necessarios. Audite Dominum quid dicat: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Misereamini et vos super turbam Christianorum: quia ecce jam triginta annis et ultra sustinent, nec habent quod manducent. Et certe si dimiseritis eos jejunos in domum suam, deficient in via. Quamquam vero Carolus petierit, quæsierit, pulsaverit, ne omnino obtinendi quotquot panes necessarios pro animæ habet fatuitate, modum omittat; illos sibi dari per vos omnes patres reverendissimos, qui Pisis congregati estis, obsecratur in Domino, et adjurat per illud sanctissimum et ineffabile mysterium, per quod Trinitas in unitate, et unitas in Trinitate veneranda est, et per illud sanctissimum et ineffabile mysterium, per quod ex purissima carne gloriosissimæ semper Virginis Mariæ Verbum caro factum est, et cum creator sit, creaturæ uniri dignatus, et Deus et homo factus est Christus, et per labores, sudores, opprobria passionem et mortem, quæ Jesus Christus passus est, ut dispersas oves ad militans revocaret ovile, ut sub se coelesti capite cum angelis unirentur in gloria. Et quoniam per Dominum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et ipse instruit: *Sine me nihil potestis facere*; atque ne spes deficiat, cum docuerit impossibilitatem humanam, ipse promittit, *quodcum-*

ANNO CHRISTI 1409.

cumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Carolus suppliciter deprecatur divinam misericordiam, in nomine Domini nostri Jesu Christi, sanctæ matris ecclesiæ sponsi coelestis, ut benefaciat vobis, et meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac, Jacob locutus est servorum suorum fidelium, et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Incircumscriptam insuper Altissimi miserationem exorans, quatenus amodo misertus gregis sui, illum ad se convertat, & a peccatis ejus vultum dignatus avertere, quod sub uno pastore subjecit, dispersum sub uno pastore uniat & conservet ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et donec post humanos terrenosque labores electos suos sub se verissimo capite & pastore, cum angelis suis unum corpus effici voluerit, & triumphare jusserit in æternum.

RESPONSIO

Facta per reverendissimos patres dominos S. R. E. cardinales pro unitate sanctæ Romanæ ecclesiæ prosequenda, & ut sperant, in Deo feliciter concludenda, in civitate Pisana degentes, prudenti & circumspecto viro Rodulfo secretario ac nuntio & ambassiatori viri magnifici domini Malatestæ de Pensauro ad quædam capitula petita per eum, sequitur & est talis.

Ib. p. 988. PRimo dicti domini cardinales ad primum capitulum, videlicet, præmissa debita recommendatione, de affectione & de fide ingenti, & intentione optima quam semper & habuit & habet præfatus dominus Malatesta circa sanctam unionem & dictum vestrum sacrum collegium.

1. Respondent quod regratiantur dicto domino Malatestæ de affectione & bona ac sincera intentione quam habet ad unitatem sanctæ matris ecclesiæ. Nam per effectum operis constat eis, quod labores & impensas sustinuit pro prosecutione dictæ sanctæ unionis, & certificant eum, quod ad ipsum habent singularem fidem & confidentiam, quantam habent ad quemcumque alium magnum dominum Italiæ.

Secundo ad capitulum secundum, videlicet *Dixi pro parte fidelissimi servitoris vestri domini mei Malatestæ, quomodo magnificus frater suus dominus Carolus sibi pridem intimavit, quod pro unione consequenda eidem videretur unicam tantum fore viam indubitatam, & sine aliquo scrupulo enervativum penitus omnis scandali, & cujuscumque dubitationis de mentibus fidelium, videlicet quod fiat unicum & generale concilium; in quo concurrat voluntas dicti domini Gregorii pariter & vestra. Alias si plura concilia in diversis locis indicta fierent, ut ordinatum est, visibiliter & necessario multa scandala, divisiones, ac hæreses suborirentur exinde; & sic ubi pacem quærimus, multiplex discordia sequeretur, sicque erit error posterior pejor priore.*

2. Respondent & dicunt sic, quod veritas est, quod pro bono negotii, & ut in eo certius procedatur, & ad serenandas conscientias omnium, utile & expediens est, quod non teneantur plura concilia, quia sunt solum ad impediendum sanctum negotium de quo agitur. Ipsi ergo conjunxerunt se simul, & fecerunt unicum & unitum concilium pro prosecutione sanctæ unionis; & habitis inter eos multis deliberationibus, & diversis & repetitis consiliis pro unica & sola via dandi pacem ecclesiæ, elegerunt convocare concilium generale, & elegerunt locum convenientem infra Italiam, scilicet Pisarum, qui locus per contendentium quemlibet fuerat oblatus, ut patet per publica instrumenta. Nam primo dictum locum obtulit Benedictus in Massilia nepoti & aliis ambassiatoribus domini Gregorii. Et ambassiatores domini Gregorii locum eumdem in loco de Portu-Veneris publice obtulerunt domino Benedicto, ad quam electionem etiam domini cardinales utriusque collegii consenserunt, & præcipue collegium Italicum hoc procuravit de mandato dicti domini Gregorii, per organum magnifici militis comitis Campaniæ, qui ad hunc effectum miserunt Portum-Veneris ad dominum Benedictum & suum collegium. Et ideo dominus Gregorius habet quod quærit. Nam Pisanus locus, ut prædicitur, est electus de communi consensu, ut ipse vult: & nedum de communi consensu; sed ad procurationem ejus solius, ut patet ex responsione sua facta in Luca, & ex bulla quam super hoc domino Benedicto transmisit, cujus bullæ particula sequitur in hæc verba, videlicet, „Itaque nobis illa via magis placebat „& placet, ut sub uno aliquo domino, in „quo utraque pars tuta foret, hujusmodi „foret conventio personalis. Hæc enim via „omnia impedimenta excludit, omnes scopulos repellit, omnes amputat difficultates, pro cujus executione Florentinorum „& Senensium loca habilia & decentia tam „maritima quam terrestria, & insuper civitatem Lucanam tibi pro parte nostra „fecimus offerri, & præcipue civitatem Pisanam, qui locus sic est idoneus, ut nullus magis valeat reperiri, divisus flumine, per galeas, secundum quod tu optare videris, accessibilis, abundans victualibus, capax multitudinis, tutus ab omni „respectu, sic accomodus, ut ad istam conventionem fabricatus videatur, Dei spatio nos per terram ita per mare ad eum „locum convenientes pacem Christianitati reddere possumus. Itaque ad istum locum per utrumque electum dicti domini cardinales mandaverunt concilium generale, vocaverunt solemniter & canonice utrumque contendentium ad dictum locum & præfixum diem. Et ita intimaverunt per eorum solemnes nuncios & litteras publicas, & apertas omnibus prælatis, regibus, principibus, ducibus, nobilibus, & notabilibus communitatibus totius Christianitatis. Itaque conclu-

cludunt quoad istum articulum, quod per eos non stetit nec stat, quin concilium generale fiat, sicut fieri debet in unico loco dumtaxat. Veniat igitur dominus Gregorius ad dictum concilium, si dicto loco adesse disponit, sicut debet, ad quem ipse & Benedictus, de cujus re similiter agitur, specialiter sunt vocati.

3. Ad tertium articulum, videlicet, *Item, dicit præfatus dominus Carolus sibi a certo innotuisse, multos principes & communitates concurrere ad hanc viam, tamquam præ ceteris meliorem; instetisse quoque cum præfatò domino Gregorio, eidem supplicantes, ut sibi placeret concurrere cum suo concilio in uno loco vestris cum reverendis paternitatibus vestroque concilio. Subjungens idem dominus Carolus, quod si altera partium vestrarum R. P. videlicet, & præfati dicti Gregorii se retraxerint a prædicta electione dicti unici loci communiter fienda, verisimiliter hoc eventurum asserit, quod ab illa parte quæ recusabit, omnis obedientia totaliter substrahetur cum vilipendio, detrimento, & infamia maxima ejusdem partis, cum manifeste convinceretur nolle unionem per modum justum & æquum, attenta maxime promissione utriusque facta de non omittendo aliquid de contingentibus recusare aut electionem dicti unici loci esset omittere, & sic contra promissa venire.*

4. Respondent dicti domini cardinales, quod de fide, legalitate, & probitate & pura intentione dicti domini Caroli circa unitatem ecclesiæ dicti domini confidunt, sicut de speciali & singulari filio ecclesiæ Romanæ, & pro tanto quidquid dicat vel faciat, domini reputant eum in omnibus bono zelo procedere. Sed possibile est quod dominus Gregorius vellet eum circumvenire si posset; sed cum Dei auxilio sperant dicti domini, quod ipse est talis, qui non permittet se decipi vel seduci; & quia dicitur in dicto articulo, quod posset multum imputari ad vilipendium, detrimentum & infamiam illius partis, quæ non acceptaret certum locum eligendum, cum manifesto convinceretur eos nolle unionem, & per consequens ab illa parte subtraheretur omnis obedientia, attento quod multi principes & communitates concurrunt ad hanc viam.

5. Respondent dicti domini cardinales, quod possibile est quod aliqui domini & communitates, qui non sunt plene informati de facto & de circumstantiis, ad informationem seu suggestionem dicti domini Gregorii, contentarentur, & placeret eis, si possibile esset, quod fieret mutatio ad unicum locum de communi partium voluntate; sed domini certificant dictum dominum Carolum & dominum Malatestam, quod ipsi habent nova de majoribus regibus & principibus Christianis & de majoribus prælatis totius ecclesiæ, quod ipsi acceptant, laudant, approbant viam istam receptam per dominos cardinales de concilio generali celebrando in Pisis, & venient ad dictum locum & tempus quot venire poterunt, legitimo impedimento cessante. Et qui erunt legitime impediti, mittent procuratores plene instructos cum sufficienti mandato. Et erunt in tanto numero, quod bene admirabitur uterque istorum contendentium. Et nihilominus credunt dicti domini cardinales, quod omnes qui pro nunc approbant mutationem loci, quando erunt informati de possibilitate juris & facti, malitiosa cautela per quam istud procuratur per dominum Gregorium, recognoscent veritatem, & concurrent cum majori & saniori parte regum, principum, comitatuum, cleri & populi Christiani & cum tota ecclesia auctoritative, canonice, & sufficienter unita. Et ut dicti domini sint de singulis informati tamquam speciales ecclesiæ filii, domini eis notificant, ipsosque cum pura veritate informant, quod in casu de quo agitur, quando scilicet sunt duo contendentes de papatu, ut est in casu præsenti, concilium generale est judex ordinarius & superior utriusque. Nam clarum est quod propter dubium, unus non est superior altero, nec ambo simul, cum non possint esse duo capita, & esset contra articulum fidei: *Et in unam sanctam*, &c. Nec alter ipsorum per se habet in ista materia aliquam jurisdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquid statuendi. Nam alias quilibet esset judex in causa propria de titulo sui papatus. Ita quod oportet de necessitate quod sit dare tertium qui judicet inter alias, & nullus alius est, nisi universalis ecclesia, quæ est superior & mater utriusque, quam repræsentat generale concilium in hoc casu. Nam nullus eorum habet integram obedientiam. Ita quod ecclesia universalis non est nec esse potest apud aliquem eorum, & per consequens neuter potest convocare concilium, quod sit generale totius ecclesiæ. Opponuntur etiam contra eorum quemlibet fautoris schismatis, & quæ afferuntur notoria ex dictis & factis eorum. Opponuntur enormia & gravia crimina notoria facti permanentis, de quibus pluries & solemniter moniti fuerunt incorrigibiles, pertinaces, obstinati. Et crimina sunt talia, quæ enormiter scandalizant totam ecclesiam, immo sunt in subversionem, nisi occurratur, totius status ecclesiastici. Istis vero præsuppositis, quæ sunt luce meridiana clariora, quæ præcidenda lingua phrenetica audebit asserere, quod ipsi vel eorum alter in ista materia possit vel debeat esse judex, nec per consequens auctoritative convocare concilium generale, cum multi opinentur eos jam esse præcisos?

6. Præterea clarum est, quod isti duo sunt principales Benedictus & Gregorius, de quorum facto agitur: ita quod de necessitate juris oportet eos requirere & provocare ad causam, & assignare eis locum securum. Et istud jam est factum per dominos cardinales. Nam dominus Gregorius hunc locum recusare non potest. Nam omnis locus in hoc articulo recusatur, vel quia non est idoneus, vel inhabilis, vel quia non est tutus, vel quia non electus per partes. Quo ad idoneitatem vel habilitatem loci Pisarum non est insistendum, primo quia notorium est, secundo etiam ultra alia loca mundi Gregorius commendavit locum Pisarum, sicut est rei veritas. Item ex tunc se posuit

bis in manibus Florentinorum, in quorum dominio eſt ipſe locus. Similiter dominus Benedictus, qui reputavit hunc locum, non poteſt eum acceptare ſuſpectum; & pro ut communiter dicitur, & habentur litteræ a diverſis perſonis fide dignis dominus Benedictus perſonaliter veniet ad iſtud concilium ad locum præfinitum: ſi inveniat locum mutatum, factis juſtificationibus & rationabilibus proteſtationibus ſuis, recedet, & ſic concilium ruet ex toto, & ipſe prætendet ſe excuſatum.

7. Præterea reges & principes, communitates, prælati, clerus, & populus totius Chriſtianitatis utriuſque obedientiæ, ſunt ſolemniter vocati ad iſtum locum & terminum, & a pluribus habetur reſponſio quod venient vel mittent. Si inveniant locum mutatum, tamquam deluſi & fruſtrati, ſi venerint, recedent; & ſi per prius ea ſciverint, non venient, & arguent nos probabiliter varios, mutabiles & inconſtantes, & per conſequens concilium ruet, ut ſupra. Et credant dicti domini Carolus & Malateſta, quod multi venient Piſas, qui propter rationabiles & juſtas cauſas non tranſibunt magis profunde in Italiam. Sunt & multa alia ex quibus manifeſte convincitur, quod D. Greg. & ſui, qui vellent divertere & impedire iſtud ſanctum negotium, procurant iſta diverticula. Quis ſanæ mentis non videat quod quicquid agitur per dictum Gregorium & ſuos, eſt ad divertendum iſtud ſanctum concilium, per quod ſolum poteſt ſedari ſchiſma & uniri eccleſia, & quod malitioſe & nequiter procuratur ad impediendum tantum & tam optatum bonum, ita per Dei gratiam diſpoſitum & propinquum, & ſub fallaci ac diſſimulata cautela petunt ſeu peti faciunt loci mutationem? Quæ enim eſt ratio, quod dictus Gregorius non venit ad locum, nedum per eum acceptatum, ſed tam publice & ſolemniter oblatum, & copioſe laudatum; niſi ut ſub verborum pampinis fruſtretur negotium? Nam ſi nunc, quod abſit, concilii congregatio impediretur, non eſſet ſpes quod de tempore noſtro poſſet iterum congregari. Et ad iſtud tendunt iſti ſeductores populi Chriſtiani & maxime bonorum virorum & ſimplicium devotorum, tractando & procurando per vias exquiſitas quod divertatur negotium & concilium non teneatur.

8. Item, ad quartum capitulum videlicet: *Item, dicit in quantum R. P. V. ad hoc condeſcenderint, idem dominus Carolus offert ſe prælaturum obſides & omnem aliam cautelam ſibi poſſibilem; putatque ad hanc cautelam & promiſſionem concurrere etiam dominium Venetorum, quod præfatus dominus Gregorius in dicto loco communiter eligendo pro dicto univerſali concilio ſe præſentabit, & quod facta concordia loci inter vos & ipſum non erit tam diſcordia de modo & tempore, quin immo plena concordia.*

9. Reſpondent dicti domini cardinales, quod ipſi habent tantam confidentiam & plenam ſecuritatem de fide, legalitate & omni probitate dicti domini Caroli filii talis patris, cui ſucceſſit nedum in terra, ſed fide, probitate & moribus, quod ſi mutatio loci fieri quoquo modo poſſet, ipſi nollent obſides, nec aliam ab eo cautelam, niſi ſolum ſimplex verbum tam fidelis & notabilis domini; & idem etiam repetunt de inclyto dominio Venetorum, de quo numquam fuit auditum, quod promiſſionem eorum ruperit ſeu eorum fidem violaverit, vel maculaverit; ſed ex ſupra ſcriptis & infraſcriptis apparet de mutatione loci quod nullatenus eſt agendum.

10. Item, ad quintum capitulum videlicet: *Item affirmat præfatus dictus Carolus quod in quantum reverendæ dominationes veſtræ contentæ remanerent de concordia dicti unici loci, præfatus dominus Gregorius etiam contentaretur dictum concilium fieri in altero iſtorum locorum, videlicet Bononiæ, Forlivii & Mantuæ.*

Reſpondent dicti domini per ſupra dicta, quod mutatio dicti loci eſſet deſtructio totius negotii.

11. Item, ad ſextum capitulum videlicet: *Si in quantum per veſtram reverendam dominationem objiceretur, quod ratione electionis factæ per dominum Gregorium de ſuo concilio celebrando in patriarchatu Ravennate vel patriarchatu Aquilegienſi, oſtenderetur vos ire ad locum deputatum per dictum dominum Gregorium. Reſpondetur per eumdem Carolum: affirmatur dominum Gregorium ante publicationem dictæ concordiæ, notificaturum & publicaturum per orbem alium locum pro dicto ſuo concilio præter loca ſupra nominata, ita quod nec in loco electo per vos, videlicet pro veſtro concilio, nec in loco deputato ſeu deputando pro ſuo, fiet dictum univerſale concilium. Sed tantum in illo loco, qui de partium concordia fuerit communiter electus & deputatus.*

12. Reſpondent dicti domini ut ſupra, quod non eſt neceſſe agere de mutatione alicujus alterius loci, præcipue quia dominus Benedictus & ſui loca quæ mutari contingerent poſſent rationabiliter recuſare.

13. Item, ad ſeptimum capitulum videlicet: *Item præfatus dominus Carolus conſiderans prædicta, & ſciens quantum præfatus frater ſuus dominus Malateſta, eſt fideliſſimus & devotiſſimus ſervitor veſtrarum reverendarum dominationum, requiſivit & hortatus eſt ipſum Malateſtam, ut interponeret ſe, & operaretur cum dominationibus veſtris, ut vobis placeat condeſcendere ad dictam electionem unici loci fiendam pro unico univerſali & indubitato concilio.*

14. Reſpondent domini; quod ipſi confidunt plene de dicto domino Malateſta, & poſſunt, volunt & debent de eo veraciter confidere, quia ejus conſilio reputant & confidunt ſe non poſſe errare. Confidunt etiam de dicto Carolo propter ejus probitatem & fidem, & recolendam memoriam ſui patris & totius ſui magnifici generis.

15. Item, ſuper octavo capitulo, videlicet *quod præfatus fideliſſimus ſervitor veſter intentus continuo & vigilans circa omnia quæ adverteret proficuum afferre poſſe huic ſanctæ unioni, conſiderans ſupra allegata, & maxime concurrere ad hoc voluntatem quamplurimorum principum & ditionum, ut etiam in parte vobis notum eſſe poterit ex referendis reve-*

verentiis vestris per oratores serenissimi regis Hungariæ & illustris dominii Venetorum, ut venturos putat, credens hanc viam optimam fore & perfectivam desideratæ unionis, remotivamque penitus schismatis, scandalorum, divisionum, &c. ut jam dixi, supplicat humiliter & devote reverendas paternitates vestras per passionem Jesu Christi, quod si possibile est, & vobis videatur juridice posse fieri, placeat & dignemini inclinare & humiliare vos ad hanc communem & concordem electionem dicti unici loci, ne contra vos annotari possit aliquid omissum de contingentibus, ne juri honorique vestro objici possit, vel aliquid in contrarium modo aliquo allegari.

16. Respondent dicti domini ut supra, quod teste Deo & eorum conscientiis, quod si quoquo modo esset possibile sine evidenti perditione & destructione, ac claro impedimento concilii generalis, quantum esset eis honeste possibile sine præjudicio ecclesiæ, ipsi conformarent se votis & requisitionibus dicti domini Caroli & consiliis dicti domini Malatestæ. Sed per præmissa patet, quod nullo modo possunt mutare locum; & etiamsi facerent, quod absit, non esset concilium generale. Placet etiam eis de adventu ambassiatorum illustrissimi regis Hungariæ & incluti dominii Venetorum. Nam sperant in veritate, quæ est ipse Deus, & in prudentia dictorum ambassiatorum, quod postquam erunt per dictos dominos veraciter informati de justis & rationabilibus motivis eorum, rejectis falsis informationibus, si quas forsitan habuerunt, conformabunt se rationabili opinioni dictorum dominorum cardinalium. Et ita sperant quod faciet quilibet Christianus, si per eos fuerit informatus. Et propterea dicti domini pro Dei misericordia rogant & requirunt dictos duos dominos ab antiquissimo ex propagata progenie peculiares ecclesiæ filios, quod ipsi velint eis assistere, ipsosque juvare ad prosecutionem tam sancti, pii & meritorii operis, pro ipsorum animarum salute, pro indelebili fama & gloria sempiterna. Nam, teste Deo, domini cardinales non agunt pro aliquo proprio peculiari & temporali interesse, sed pro tollendo schismate, & dando pacem ecclesiæ, & salute tot animarum, quæ omni die sunt in statu perditionis. Et certificant dictos dominos, quod ipsi non faciunt, nec facere intendunt quamcumque partem in favorem alterutrius eorum; sed sunt communes mediatores in causa præsenti ad dandam pacem & unitatem ecclesiæ. Et propterea elegerunt etiam istum locum ut non magis viderentur favere uni quam alteri; maxime quia, ut supra tactum est, ambo de isto loco consenserunt. Et quia dictus dominus Gregorius de præsenti est in terra dicti domini Caroli, domini rogant eum & quantum possunt cordialius obsecrant, quod ipse velit inducere dictum dominum Gregorium ad veniendum ad istum locum in dicta præfixa & ad dandum pacem & unitatem ecclesiæ. Et rogant etiam dictum dominum Malatestam, quod quantum est ei possibile, velit assistere & juvare cum dicto domino Carolo consanguineo suo, pro felici & votiva conclusione prædicta. Et declarant dicti domini in eorum conscientiis, quod dictum dominum Gregorium & suos omnes tractabunt cum tanta benevolentia, reverentia, caritate, dulcedine & amore, cum quanta scient & poterunt.

17. Et offerunt ulterius, quod si concilio, postquam hic fuerit congregatum, aliud videbitur utilius & magis expediens circa extirpationem schismatis fiendum, stabunt consilio & ordinationi dicti concilii, cum nunc ex variatione eorum concilium ex toto impediretur, & gravia scandala sequerentur ecclesiæ.

18. Neque, quamvis nonnulla acta sunt pridem quam dominus Gregorius Ariminum accesserit, & antequam mutationes loci & multifarii concilii in unum tutum apud eos dominos qui Pisis erant, dictos unitum collegium, supplicaverim mediis quibusdam, ab illis exorsus sum, superfluam repetitionem evitaturus. Implicata quippe sunt omnia in responsione hac quam detulit in scriptis, exhibitam illi ab eis Rodulfus de Giancontis, secretarius magnifici domini Malatestæ Pensauri fratris mei. Hanc nempe ideo proposui; licet post adventum domini Gregorii facta fuerit, mihique præsentata, quoniam in alia oratione (*a*) sequenti quæ ante accessum prædictum per me gesta fuere, narrantur.

ACTA ET TRACTATA

Inter Carolum de Malatestis & cardinales Pisis existentes pro extinctione schismatis.

IN nomine SS. Trinitatis & individuæ unitatis, Patris & Filii & Spiritussancti, & gloriosissimæ genitricis Domini nostri Jesu Christi Mariæ semper Virginis Dominæ nostræ. Amen. Informatio gestorum cum reverendissimis et reverendis ac venerabilibus patribus Pisis existentibus, congregatis pro universali concilio. Ib. p. 995.

Eadem namque die, qua oratores Caroli exhibuerunt coram reverendissimis dominis Pisis existentibus orationem illam quæ incipit *Mandatum est*, &c. Ipse Carolus Pisas appulit, nec illa die per ipsum quicquam actum est, nisi quia significavit per reverendum patrem dominum Cerviensem, se illuc accessisse causa pacis ecclesiæ, audientiam deprecans tempore congruo et illis commodo. Sicque concessuros libenti animo responderunt, ordinatoque tempore die illa coram suis reverentiis benigne receptus, astitit in sacristia S. Martini, ubi mos est illis congregari. Idque effectualiter postulavit, quod in oratione prædicta habetur suf-

(*a*) Sequens oratio Caroli Malatestæ, qui extat in bibliotheca regis Christianissimi, eadem est cum epistola anonymi ad cardinales superius edita.

ANNO CHRISTI 1409.

fusius. Unde post quasdam responsiones commendativas domus et personæ ipsius Caroli, et quasdam persuasiones factas ad eorum intentum, se pratticaturos cum eo collegiatim, vel per quosdam ipsorum ad hoc deputandorum, petita per ipsum spoponderunt, et sic factum est.

Nam his quidem per oratores suos et per se ipsum juxta gratiam a domino concessam effectualiter narratis, et sibi benigna audientia præstita per reverendissimos patres dominos Gallicos et Italicos, et postulatis induciis ad responsionem exhibendam, velut ipsi consceii sunt, dati fuerunt sibi auditores, secum pratticaturi circa petita per eum, videlicet reverendissimi patres & domini Albanensis, Aquilegiensis, de Turcio, & Mediolanensis.

Coram quibus iisdem replicatis, si non immemor est, in domo habitationis domini Albanensis; omissis præfatione & commendatione facta circa progenitorum suorum fidem & legalitatem erga sanctam matrem ecclesiam habitam diu & jugiter, sicque per fratres suos & ipsum, per dominum Aquilegiensem facta postmodum protestatione, quod quicquid dicebat parte duorum suorum cardinalium & sui, non causa responsionis, sed collationis & pratticæ cujusdam dicere intendebat. Nam quidquid per Carolum diceretur, seu circa petita tractaretur, intendebant sui domini illic astantes & ipse ceteris suis dominis, qui non aderant, fideliter & seriose referre, & demum prædicto Carolo cum deliberatione atque consensu cunctorum dominorum suorum & sui sperabat responsum exhiberi justum & æquum, ex quo prædictus Carolus tamquam fidelis sanctæ matris ecclesiæ filius contentaretur, & merito.

I. Gratia collationis cujusdamque tractatus, ut supra dixerat, respondebat, quod petita per Carolum dominis suis atque sibi videbantur impossibilia de jure & de facto; & si eis assentirent, contra justitiam facerent & æquitatem.

II. Videbatur namque impossibile per eos assentiri posse petitis de jure; quoniam ipsi nolentibus duobus dominis contendentibus de papatu servare eorum promissa, vota & juramenta, immo insimul, ut satis notorium est, colludentibus; & nedum servantibus scissionem ecclesiæ tantum; sed, quod omnino pessimum erat, omnibus astutiis & possibilibus sagacitatibus operibusque sacram unionem molientibus impedire & destruere, pluribus experti mediis, nec proficientes, tandem tamquam ultimum remedium generale concilium compulsi sunt indicere & convocare.

III. Hoc ideo in civitate Pisarum inducere deliberaverant, & congregare, ut nullus contendentium juste aut justitiæ apparentis captato colore ad illum accedere declinare valeret; præsertim cum per utrumque eorum, licet non eodem forte tempore, sicut patere poterat per utriusque publica documenta, locus ille propositus fuerat, commendatus, utpote idoneus, ad sacramque perficiendam unionem accommodus.

IV. Ulterius vero, quia locus ille visus est

A sibi plurimum aptus, & commodus unioni & concilio. Nam exigente præsenti casu schismatis, duas de diversis obedientiis partes insimul ad tractandam & cum Dei auxilio perficiendam unionem convenire debere, eos videlicet qui erant Romanæ obedientiæ, & eos qui erant Galliciæ, locus utrique aptus exigebatur ad conveniendum in unum. Constat vero Pisas hujusmodi esse, cum sit in extremitate Italiæ & in confinio Ripariæ Januensis, quæ per illustrem Francorum regem gubernatur.

V. Dicebat insuper ad eundem locum utrique obedientiæ conventuris conciliaturisque tam per terram quam per mare tutum, patentem & commodum accessum esse; locus B ille est etiam capax, fertilis & amœnus inter Italiæ loca.

VI. Et cum nonnulli principes potentes impedire satagant sacram unionem, locum erat expediens eligere, sub potenti tutamine constitutum. Hujusmodi autem Pisas esse liquebat, quoniam sub potenti brachio & regimine magnificæ & potentis comitatus Florentiæ gubernatur.

VII. De hac præterea & maxime quælibet partium confidere poterat & debebat, tam Italica, quam Gallica; maxime quia pro sacra unione valde se obtulerat & laboraverat, & locum illum pro sacra præsenti unione commodaverat liberaliter valC de.

VIII. Considerant præterea, dicebat, reverendissimi domini mei & ego, quia dictum est de securitate loci, quod tutius est in manibus unius communitatis esse, & sub ejus fide, quam unius domini. Nam cum plurium exigatur consensus in regimine communi, difficilius magisque enorme plurium esset assensum inducere, quam unius. Quia vero ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, debent qui præsunt ecclesiæ maxime advertere, ne universalem ecclesiam sub unius ditione & arbitrio submittant.

IX. Potest autem atque debet, inquiebat, D de prædicta magnifica communitate confidere pars Italica. Nam & patria & fide ab illa non discrepat.

X. Alia quidem e Gallica parte. Nam eorum fidem multis temporibus experti sunt; & insuper tot pecuniæ et eorum mercantiæ et personæ sub ditione Gallicorum constitutæ sunt, ut nequeant Gallici verisimiliter suspicari, illos quicquam in eorum molestiam tentaturos.

XI. Est autem locus Pisarum valde accommodus ad accessum domini Benedicti, quoniam potest illuc accedere tute, et cum commodo sui corporis et parvo labore: quæ omnia valde indulgeri debent grandævis æE tate.

XII. Mirari insuper ipsos dicebat, cur dominus Gregorius locum illum declinare præsumeret, nec causam videre sciebat, nisi solum ad subterfugium, ut hactenus consueverat. Nam etsi ineptitudo loci opponebatur; ipsa eadem erat, quam ipse sua bulla canonizaverat tantum. Nec suspicionem allegare poterat domini Florentinorum. Nam in suis manibus et potestate paulo ante se po-

ANN CHRIS 140

posuerat libere, et semper fuerat honorifice et optime per sua territoria receptus et tractatus, et per suos cives et gentes associatus, et ad loca conductus quæ voluit.

XIII. Unde circa primam partem inferebat, quoniam defectu contendentium ad sacram unionem tractandam et perficiendam compulsi fuerunt sacrum universale convocare concilium: cumque illud rationibus supradictis et aliis multis quæ allegari possent, indixerint in civitate prædicta: cumque statutum concilii præfati tempus advenisset; jamque per Dei gratiam multitudo non parva ex omni fere natione illuc pervenisset, tam prælatorum venerabilium, quam ambaxiatorum serenissimorum et illustrium principum, communitatum atque magnatum, B tam ratione auctoritatis quam numeri sufficientis, Pisis dici poterat in rei veritate congregatum jam esse universale concilium, quod potestate & auctoritate universalis ecclesiæ fungebatur.

XIV. Dictante itaque jure, quod ubi major auctoritas & potestas adest, minor cesset; dicebat ipse quoniam universalis concilii auctoritas & potestas, nedum supra cardinalium auctoritatem & potestatem est, sed supra papæ potestatem et auctoritatem. * Inde ergo quoniam domini mei cardinales uniti collegii et ego concilium convocavimus, et per Dei gratiam jam hic adsit, functi sumus officio nostro, et cessat auctoritas nostra minor, adsistente majore.

[* ...a fere- ...iopi- ...Cardi- ...ium ...licanas ...tes ...ntium.]

XV. Impossibile igitur est de jure, quamquam domini mei cardinales, ajebat, honorabilius membrum sint ceteris in ecclesia Dei post papam, ipsos nedum locum pro sacro concilio mutare, et de alio disponere, sed nec minimum actum validum exercere. Cum ad universalis concilii dispositionem spectet, et nostra inter cetera computentur vota privata.

XVI. Adest iterum, dicebat, alia impossibilitas de jure. Nam postquam provocavimus ambos contendentes de papatu ad locum istum, quem nulla ratione aliquis declinare potest, cum jam quisque eorum pro D unione facienda illum proposuerit et commendaverit, si locus mutaretur, actus citationis eorum ad sacrum hoc concilium nullius redderetur roboris; et sic uterque excusatus esset de jure, si coram hoc sacro concilio non compareret. Ipsis vero non comparentibus coram hoc sacro concilio, et in sua obstinatione relictis, non unio, sed unionis dissolutio, et schismatis hujus protractio, vel forte, ut ita dicatur, perpetuitas sequeretur.

XVII. Si præterea locus mutaretur, cum jam per nos convocati sint ad locum istum tam clerici quam laici, qui debent de jure interesse & admitti concilio, & a pluribus E eorum habeamus eos per se vel suos procuratores huc fore venturos, satis inhonestum foret contra spem sibi missam, absque eorum conscientia mutare locum.

XVIII. Possent insuper non absque causa conqueri, per dominos meos, inquiebat, & alios hic congregatos sibi injustitiam fieri, si absque ipsorum fieret indicti & acceptati jam per eos mutatio loci. Cum enim non A ignoremus ipsos huc esse venturos, & ad concilium debeant & possint interesse de jure, injustitia sibi fieret, si ipsis non præstolatis, saltem per congruum temporis spatium, hoc, quod tanti ponderis est, & quod jam probaverunt, mutaretur.

XIX. Posset iterum de injustitia & iniquitate sibi facta conqueri dominus Benedictus. Satis enim, cum se verum putet pontificem, injustum est, ut in loco obedientiæ adversarii sui & non suæ concilium convocatum sit. Majoris, quod illuc ipse citatus & provocatus sit. Nec putare debere concilium, dixit, dominos meos cardinales obedientiæ suæ hic aliqualiter assensisse, nisi pro eo tantum, quod semel ipse locum Pisarum proposuerat, ut cum adversario suo ad sedandum schisma conveniret.

XX. Quantum itaque majorem querimoniæ causam præberemus, ajebat, domino Benedicto, si adversario nobis adsentientibus, & coadjuvantibus, non solum ultra id quod intra obedientiam illius traheretur ipse dominus Benedictus & tota pars ipsius; verum usque ad illius ferme patriæ lares. Constat enim quodlibet propositorum locorum quasi in Venetiarum dominii finibus esse.

XXI. Quæ insuper, dicebat, honestas, æquitas foret ex parte nostra & aliorum patrum hic congregatorum, locum mutare, C cum intra xv. dies vel circa expectentur hic nonnulli reverendissimi domini mei cardinales, nec non venerabiles prælati & ambaxiatores; inter quos sunt oratores serenissimorum regum Bohemiæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Portugalliæ & sacri electorum imperii Moguntinensis, & Coloniensis.

XXII. Præterea, si æquitas attenditur, major æquitas est quod unus solus, videlicet dominus Gregorius fatigetur, quam Benedictus qui se papam putat, & a multis papa reputatur, & tot centena prælatorum, qui Pisas accedentes, valde fatigati sunt itineribus longis & expensis plurimis, absque quod quæratur ipsos ulterius quasi insupportabiliter fatigare.

XXIII. Fieret etiam, dicebat, magna incommoditas & insupportabilis iniquitas fere dominis meis Gallicis, si ultra Alpes ducerentur, qui propriis relictis laribus, cum maximo eorum dispendio & periculo, zelo unionis ducti, in manibus Italicorum, qui contrarii fuerant sibi in fide pontificatus, non metuerunt se ponere.

XXIV. Ulterius, inquiebat, Carolum, quem sciebat fidelem filium sanctæ matris ecclesiæ, tamquam ad quemlibet catholicum spectat, solerter prudenterque advertere debere, ne astutiis domini Gregorii & suorum quorumdam sequacium seductus, ea proponat & petat instanter, quæ, si admitterentur & fierent, non unionem afferrent, sed potius subversionem unionis.

XXV. Etenim dominus Gregorius a modo, dicebat, non posse ulterius subterfugia evadere, quin aut papatum sibi expediat relinquete, aut æternam confusionem incurrere; nisi aut hoc sacrum concilium dividat, vel dissolvat.

XXVI. Fallaci igitur honestatis modo ad-in-

invento, videlicet conveniendi omnes in uno tertio loco, et ibi communi consensu congregandi concilium, ajebat, nos fallere credit. In hoc modo non unionem prosequi, sed impedire, vel si poterit, penitus destruere procurat.

XXVII. Primo itaque putat, si locus mutetur, dominum Benedictum indignari debere, et inde occasionem sumere non conveniendi nobiscum in hoc sacro concilio & renunciandi. Scit enim quod quotiescumque dominus Benedictus sacro adesset concilio, male possit evadere ne cederet, attentis ipsius promissionibus et juramentis. Scit insuper quod si dominus Benedictus cederet aliquo modo, aut cessionem aut perpetuam confusionem ipsum protendere vel penitus effugere non valere. Scit etiam dominum Benedictum semper dixisse non esse suæ intentionis accedere velle ad aliquam terram Italiæ, quæ non sit penes mare; proinde loca proponere facit, ad quæ impossibilitatem esse cogitat dominum Benedictum aliqualiter esse venturum. Et sic denique credit per hanc viam sacram differre unionem vel devastare, si sibi credentes et non de astutia perpendentes invenerit.

XXVIII. Inquiebat etiam: nesciunt domini mei et ego agnoscere qua honestatis seu opportunitatis fronte dominus Gregorius petat mutationem loci, ut in eo unum universale concilium celebretur, in quo ipse sua C promittit servare promissa, vota et juramenta.

XXIX. Nam si sua vult servare vota et juramenta, ea scit servare teneri sicut vovit et juravit. Scit autem quod eo tempore quo juravit in conclavi, una cum aliis dominis meis ibi adstantibus, non fuit nostræ intentionis quod expediret ad observationem voti et juramenti, et ad unionem ecclesiæ universale concilium; quod suæ etiam intentionis nullomodo fuerit, aptissime liquere potest per suas juramenti confirmationes, et bullas, aliasque publicas scripturas, in quibus nec aliqua ipsarum factam esse de concilio congregando mentionem patet. Unde D cum solum postquam domini mei Gallici et nos a contendentibus discessimus, et postquam nos viderunt unitos, et sciverunt congregaturos universale concilium, unusquisque eorum suum diversis locis et temporibus congregandum statuerit; manifestum est hoc tantum subterfugii et impediendæ unionis causa fecisse. Videbant enim et vident per hanc viam, quam Domino dante suscepimus, et ipso adjuvante prosequemur, non posse per ipsos, nisi illam impediant, amplius sacram differri impedirique unionem.

XXX. Quid enim expediens est sibi concilium, ajebat, si vult cedere prout vovit et juravit? Potest namque cedere per procura- E torem. Et si vult cedere, sed non nisi in manibus aut conspectu concilii, accedat huc, ubi universale concilium congregatum est, ubi honorifice et caritative suscipietur, et cedat, vel per suum cedat procuratorem idoneum. Quod si neque hoc voluerit, mittet ad ipsum sacrum concilium in competenti & honorabili numero cardinales & alios prælatos, cum sufficientissimo mandato, no-

A mine sacri concilii universalem repræsentantis ecclesiam, usque ad præsentiam suam ad recipiendum prædictam cessionem & renunciationem de manibus suis. Quid vero sibi expedit aliud concilium, quam hoc quod rite congregatum est in sufficienti numero, & de omni natione, in quo utraque obedientia convenit in unum?

XXXVI. Advertunt etiam, dicebat, domini mei & ego, quod si petitis assentiremus, magnum tempus labi necesse est, antequam per orbem hæc nota fierent, & antequam illi quibus notificatum esset, accedere possent. Et hoc solum est quod Gregorius quærit, ut patres hic congregati, alii laboribus, alii paupertate, alii necessitatibus B ecclesiarum suarum & suis fatigati & coacti, indiscussa & indemnata malitia contendentium, & non proviso opportunitati unionis, ad propria expediat remeare. Et quoniam hoc esset dissolutio hujus sacri concilii, & per consequens unionis, non sumus dispositi assentire; nec debere dicebant Carolum talia tentare, immo si facere vellemus toto posse prohibere.

XXXII. Ajebat etiam, præter spiritualia pericula, incommoda, & jacturas, quæ propter hanc longam moram obvenirent, sequeretur ex ea totalis desolatio, & dilapidatio bonorum temporalium & status S. R. E. Nam ex una parte rex usurpat, et ex alia Gregorius dispergit & alienat. Hæc autem neque nos neque quisquis sanctæ ecclesiæ fidelis sit & subjectus velle debet aut tolerare.

XXXIII. Quibus attentis, ajebat, se omnino compulsos fuisse negativam præbere venerabilibus oratoribus serenissimi regis Hungariæ, incliti dominii Venetiarum, qui ad eos accesserant similia postulantes, nec non reverendissimis oratoribus serenissimi secundi electi Romanorum regis, qui nuper huc propterea accesserant, & adhuc Pisis erant.

XXXIV. Unde licet non finalis responsionis causa hæc diceret, tamen quia putabat & dubitat Carolum frustra a modo laborare circa talia insistendo, concludens rogabat & hortabatur Carolum ex parte dominorum suorum cardinalium uniti collegii & universalis concilii illic congregati, universalem repræsentantis ecclesiam, per fidem & devotionem, quam debet sanctæ matri & dominæ suæ ecclesiæ, & quam sui progenitores illi semper gesserunt & servaverunt, quatenus vellet unionem & pacem dare populo Christiano & ecclesiæ sanctæ Dei, quoniam poterat si volebat, videlicet modum servando, quod dominus Gregorius, qui erat in domo sua & in ejus potestate, Pisas accedat, & renunciet sicut promisit, vovit & juravit, vel stans ubi est vel per procuratorem.

XXXV. Offerimus insuper, dicebat, domini mei, & ego, & non dubitamus sacrum concilium pariter consensurum, volente domino Gregorio hæc adimplere quæ dixi, bene & honorabile statui personæ suæ, fratris atque nepotum suorum providere. Et si quid Carolo per ipsos circa hoc in genere aut in specie faciendum videbatur, rogabat carissime & instanter, quod eos placeret reddere avisatos, quoniam sibi ad singularem compla-

placentiam redundaret: quod si nollet ita publice eis referre, contentarentur domini sui & ipse per quemcumque & quomodocumque Carolo videbitur avisari private vel palam.

XXXVI. Hoc ipso finiente, reverendissimi Albanensis & de Thureio inconstantiam notoriam & astutias maximas circa prosecutionem unionis duorum contendentium de papatu plurimum arguentes, nihilque de eorum promissionibus fore sperandum, nisi exinde fallacias et dolos, inquiebant. Propterea, dicebant, credimus patres sacro stante concilio, nullomodo petitis per Carolum consensuros; et si vellent, multis omnino putamus impossibile foret. Et inde non auderemus, quisque dicebat, hoc illis ullo modo proponere, verentes ne putarent nos illos illudere velle aut fallere.

XXXVII. Postremo dominus Mediolanensis hæc omnia affirmans, adjecit in hunc effectum ad Carolum: Certe domini mei et ego putamus nullum prudentem virum viam certam, paratam et celerem ad suum obtinendum obtentum, pro incerta et nendum parata et celeri, sed nec incepta et longissima via dimittere debere; neque nisi per aliquem prudentem amico suo consulere quod relinqueret. Patens est enim, ultra rationes optime inductas per dominos meos, ex facti evidentia, viam per nos Dei inspiratione inchoatam, certam, paratam, et celerem fore ad sacram unionem, divino cooperante auxilio, cito perficiendam; viam vero propositam per Carolum non inceptam, nec paratam, immo longissimam. Unde dominis meis et ceteris patribus hic pro sacra unione congregatis, illam nulla scirem ratione consulere vel proponere. Verum cum sua supportatione dictum sit, non desino admirari, cur tam instanter per Carolum hujusmodi via petatur, cum non ignorem eum virum catholicum et sanctæ matris ecclesiæ devotum atque fidelem.

XXXVIII. Deinde iterum subjunxit: Domini mei, cum vestri reverentia et correptione, volo sciscitari a Carolo, utrum recordetur, anne, dum Mediolani eramus pluries insimul de hac sacra unione conferendo, et de modis per quos ad ipsam perveniri posset ratiocinando, & præcipue postquam divulgatum extitit de collusionibus amborum contendentium de papatu, & de eorum subterfugiis, & prava intentione erga sacram unionem & pacem & publicum bonum populi Christiani, in hoc mecum, si recolo, convenit, quod ultimum remedium & potissimum erat, quod ambo collegia, dimissis contendentibus, convenirent in unum, & convocarent concilium, & secundum quod concilio videretur, super unione providerent. Et postquam in hoc constantem, pluries secum conferendo, ipsum Carolum reperi, iterum petii in casu quo utrumque collegium hoc faceret, si viam illorum sequeretur, & eis faveret, qui, si bene memini, respondit quod sic. Unde si sic est, toto corde, ac toto ipsum mentis affectu deprecor, quod propter reverentiam domini nostri Jesu Christi, qui sibi sanctam ecclesiam sui pretiosissimi sanguinis effusione desponsavit, & propter obligationem, quam quisque fidelis suæ matri debet ecclesiæ sanctæ, & propter eam quam ipse debet ex beneficiis per suos præcessores & seipsum a domina sua sancta ecclesia susceptis, & propter intentionem, & promissa quæ ab ipso suscepi, velit dominis meis vobis & aliis qui hoc sacrum negotium tam pie suscepistis, & cum tot periculis, laboribus & dispendiis, favere & interponere cum affectu partes suas, ita & taliter, quod sancta mater & domina sua suo opere optata unione & pace fruatur. Ex hoc enim præter æternum præmium, quod propter tam pium sanctumque opus a domino merebitur, apud homines perpetuum & gloriosum præconium in sæculo consequetur, & domus sua in temporalibus exaltabitur plurimum.

XXXIX. Si vero, quod absit, quodque mihi fere credere apparet impossibile, considerans diuturnam fidem & legalitatem, quam erga sanctam ecclesiam sui præcessores & ipse huc usque gesserunt, hoc facere neglexerit vel noluerit, certus sit, vix pro tanta negligentia tantoque piaculo apud Deum salvabitur. Magnum dedecus ipse & domus in sæculo consequetur, & quidquid laboris aut dispendii in commodum sanctæ matris ecclesiæ & dominæ suæ passus est, totum, si hoc non egerit, inficietur & perdet. Nam in causa erit sanctæ ecclesiæ totalis desolationis ex nunc. Nec hoc non posse, se excusare valebit, cum dominus Gregorius in ejus sit manibus & potestate; neque hoc facere non teneri, cum juxta patrum decreta & sanctiones, quisquis fidelis obligetur schismaticos schismatisque fautores, pro ut est dominus Gregorius, per brachium sæculare compescere, & in carcerem trudere, si opus extiterit.

XL. Denique concludens ait: Hæc certe non dixi improperationis, seu contentionis, vel disputationis causa; sed quod ex debito & præsertim officii mei teneor, quemcumque fidelem in salutiferis animæ suæ, & publicis sanctæ ecclesiæ commodis admonere & exhortari, & præter ceteros erga ipsum hoc agere me obnoxium puto, cum S. R. E. ipse suique patres diu fuerint devoti particularesque filii, & quoniam insuper cum ipso conversatus sum, & amicitiam contraxi singularem atque domesticam. Unde si tacerem, nimis me putarem errare. Rogo igitur Altissimum, ut mentem suam ad hæc & alia sibi placita dirigere & confirmare dignetur.

His auditis, Carolus effectualiter sic respondisse videtur. Omissis gratiarum actione circa commendationem fidei progenitorum suorum & sui, et qualibet alia præfatione.

Ad primum. Quod neutrum istorum petivisset aut peteret, si quod dicebat sic esse cognosceret. Scit namque quod impossibilia de jure fieri non debent, & impossibilia de facto fieri non possunt. Et propterea stultus est, qui impossibilia de facto petit, & impius qui impossibilia de jure petit, & iniquus qui ea petit fieri, quæ contra æquitatem sunt.

Ad II. Primo namque protestatur, quod non venit disputandi causa de jure partium

Pi-

ANNO CHRISTI 1409.

Pisas, neque principaliter aliquam partium accusandi seu excusandi, nisi quantum conferre posse videretur sibi pro concordando partes, quod maxime necessarium est universo populo Dei, & non contentionibus novas parere contentiones, inveteratasque nutrire: quicquid tamen sit rebus sic stantibus, concilium valde approbat, quod unicum atque universale fieri petit, ut unio fiat & universalis reintegratio, & non particulare, ne divisio major fiat, & modus per quem ad unionem perveniri juridice & consuete potest, videlicet concilium dividendo, destruatur.

Ad III. IV. & V. Respondere superfluum apparet, quia de competentia & incompetentia loci Pisarum in petitione sua satis disfertum putat & conclusum, quod proposita loca per eum sint magis æqua, tuta & libera partibus.

Ad VI. Primam partem fateri dixit; secunda vero quam vera esset notum erat. Nam & cum magnificum commune Florentiæ tanta cum suspicione Pisas gubernet, quomodo potest exteris ibi plenam dare tutelam?

Ad VII. Tres dixit esse partes, unam ejus qui dicitur Benedictus, aliam domini Gregorii, aliam eorum qui fuerant obedientiæ ipsorum. Quod vero dominus Benedictus possit aut non possit de prædicta communitate & dominio Florentiæ confidere, ignorat. Unum tamen scit, se audivisse nullo umquam tempore voluisse Pisas accedere, nisi fortalitiæ prædictæ civitatis essent depositæ in manibus sibi fidis. Quod si verum est, certum est ipsum non plene de prædicta communitate confidere. De domino vero Gregorio scit, quod valde conquestus est dominii Florentiæ, suis cuncta adversariis auxilia præstitisse in ipsius vilipendium exterminiumque. Præterea passos fuisse & fecisse publice ipsum fautorem schismatis & hæreticum prædicari.

Ad VIII. Omissis pluribus objectis, quæ fieri possent, ne contentiones, quas odit, potius quam pacem pro qua venit, dicatur movere, dixit quod numquam hoc foedere proposita sunt loca, ut sub unius vel duorum tantum sit ditione universalis ecclesia & partes contendentes. Sed loca proposita ideo Pisis prælata sunt, quoniam in illis nullius sub potestate sæcularis clerum & partes expedit esse, nisi sui ipsius & unius duorum, trium, decem, centum, mille, & quotquot & quorumcumque partes insimul convenerint & voluerint; et cum locorum illorum tria ecclesiæ sanctæ sint, videlicet Bononia, Forlivium & Ariminum, de illis ad beneplacitum absque contradictione disponere valent. Similiter vero de Mantua, quia sibi propter hoc absque reservatione oblata est & offertur. Verum quia de securitate locorum tangitur, dixit quod securitas, si attendatur penes locorum incolas, quilibet propositorum locorum tutior est Pisis. Si autem attendatur penes exterorum incursus, nullus prædictorum locorum, stante civium fide erga sanctam ecclesiam, sicut est, minus tutus est Pisis, cum quilibet sit inexpugnabilis. Sed nulli dubium est, quod Mantua præcipue & Bononia tutissima est ab omni hostium invasione.

Ad IX. Dixit, si conventio & congregatio ipsorum qui Pisis sunt, sufficiens erat de jure & de facto ad faciendam pacem ecclesiæ & uniendum populum, sufficit: si autem non, locus exigitur, non uni tantum parti, sed omnibus non suspectus.

Ad X. Supra dixit, quod aliud expedire videtur ad pacem ecclesiæ & unionem populi Christiani, quam quod qui Pisis convenerunt de illo loco possint confidere. Nam soli nequeunt de jure & de facto sine aliis pacem veram & reintegrationem facere. Et propterea expedit locus ceteris etiam securus. Et si dicatur quod ibi sunt ex utraque obedientia, admittitur, quod de olim utraque obedientia; sed manifestum est, ibi non esse utramque obedientiam, sed unam quæ ex duabus facta est, & ab illis divisa non unionem, sed trivisionem facit.

Ad XI. Dixit satis circa hoc dictum fuisse in petitione.

Ad XII. non subterfugii causa, quod sibi valde exosum est & damnosum, inter ceteros fideles quæsivisse mutationem loci. Dicebat: etiamsi dominus Gregorius hac causa quæreret, quod non est putandum, sed solum propter debitum æquitatis & juris; & quia videt si hoc fiat, verisimiliter & absque dubio pax bona & vera sequetur sanctæ matris ecclesiæ, & unio populi Dei: alias, detestabilis divisio & confusio. Ait insuper fateri mutatum non esse loci situm, quem dominus Gregorius sua bulla canonizaverat tantum, sed mutatam & detectam esse voluntatem gubernantium locum illum satis manifestum esse dixit.

Ad XIII. & XIV. Supra dixit non accessisse illuc causa disputandi de partium culpa. Similiter dicit se nolle nec oportere disputare de potestate concilii, & utrum congregatio illa concilium sit, & universalis ecclesiæ habeat auctoritatem. Nam canones patrum & jura non noviter edita, nec a personis in hoc suspectis terminant circa hoc sufficienter, quibus quantum in se est acquiescit.

Ad XV. Dicit, quod non dubitabat patres Pisis pro sacro concilio congregatos, consensuros libentissime mutationi loci, dummodo ipsi reverendissimi vellent, immo si non prohiberent; quia cognoscere poterant aperte, quod ex hoc sequebatur vera pax & unio populi Christiani, remotis cunctis scopulis juris & impedimentis factis. Nec credendum erat ipsos proprios reliquisse lares propter unionem, & deinde respuerent oblatam.

Ad XVI. Duos fuisse citatos dixit, videlicet dominum Gregorium & dominum Benedictum. Si vero cum domino G. prout petebatur, convenire assentirent, citationem illam non expedire amplius manifestum erat, & certum hoc non nocere unioni, immo amplissime proficere; quia præstantissima erat via concordii viæ rigoris juris. Ceterum, aut dominus B. pariter convenire vellet, & etiam eadem de ipso erat ratio; aut non, et tunc terminus statutus ex eo quod non suspendebatur, fluebat, et poterant ipso com-

ANNO CHRISTI 1409.

comparente in loco citationis infra terminum statutum, jus sibi administrare. Si vero non compareret infra terminum, tunc de duobus possent alterum eligere, et ipsum tamquam contumacem judicare, ea qua fungebatur auctoritate et potestate; nihil tantum differre, quousque unum de communi consensu domini Gregorii et sui, ut petebatur, congregatum esset concilium ad opportunam et majorem cautelam, et etiam una cum domino G. et suis, de domino Benedicto et sequacibus suis, secundum formam juris providere. Hoc autem neque dilatio erat, neque unioni præjudicium. Nam infra tempus concessum citatis ad comparendum, poterat de modis conveniendi in unum et forma tractari atque concludi: quod tempus aliter tamen præstolari expediebat, antequam posset sententia ferri: et si aliquo modico differretur ultra statutum terminum, non tamen propter hoc citatus excusabatur, seu absolvebatur a contumacia; sed quotidie magis ejus pertinacia et contumacia accusabatur et damnabatur a jure. Unionis ergo per hoc dissolutio, nec schismatis hujus protractio nec perpetuitas sequeretur, sed oppositum.

Ad XVII. & XVIII. Quemlibet prudentem virum & non malum dixit putare debere, quod convocati ad concilium, sicut principaliter vocati sunt ad unionem, ita principaliter de omnibus contentari, quæ unioni conferant & optare. Cum vero manifestum sit concordiam inter vos & dominum Gregorium plurimum proficere unioni, de hac quoslibet contentissimos fore non est ambigendum, qui non fuerint pacis hostes & æmuli. Honestum quidem est & justum, ut qui pacem quærunt, potius per concordiam quærant & partium spontaneum assensum, quam per juris scrupulos, rigorem, lites, & jurgia: præcipue in his quæ de ecclesiæ causa & hominum conscientiis aguntur. Præterea non magis inhonestum & injustum foret absque conscientia & consensu accedentium mutare locum, ut pacifice & absque juris dubiis & facti, unio sacra fieret, quam si ipsis inscii & non assentientibus, propter contingentem utilitatem, videlicet epidemiæ, belli & hujusmodi. Nec tamen inde tot evidentia bona sanctæ matris sequerentur ecclesiæ, sicut ex hoc. Præterea multi actus facti sunt, ipsis inscii & non præstolatis, non minoris forte ponderis, qui quamvis dicantur facti, forte, immo quasi certe majorem saltem de facto cum multis juris anfractibus parient divisionem in principio, licet Dominus Deus ad suum beneplacitum disponet in fine, quomodo vero ignorant homines. Amen.

Ad XX. Quamvis de hoc satis differtum sit in petitione sua, dixit tamen quod non petierat absolute dominum Benedictum ad proposita loca accedere, licet illa valde commendaverit, sed quod vel ad illa accedat, vel quod æque bona vel meliora proponat; tamen adhuc dixit quod dominus Benedictus ad loca ecclesiæ accedere non deberet recusare, si se papam reputat. Exemplum habetur de præteritis pontificibus, qui pro commodo & opportunitate minori status ecclesiæ etiam temporalis, majores sustulere labores. Et ut non longius quæratur, multi debent recordari de domino Urbano V. & domino Gregorio XI.

Ad. XX. Dixit ut supra; verum etiam proposita loca tuta esse patribus & concilio ab omni invasione, & violentia.

Ad XXI. Ait ut supra ad XVII. et XVIII. hoc addito, quod prædicti nec eorum domini haberent justam querelæ causam, quia eis non petitur auferri commoda et honores, quæ ex sacro concilio et sacra unione sibi proveniunt. Insuper ad rem certam accederent, unionis et pacis sanctæ matris ecclesiæ et totius populi Christiani, ubi nunc ad contentiones, rixas, et ambiguitates accedunt. Quis igitur sapiens crederet ipsos lamentari, sibi paratam pro ambiguitate unionis certitudinem, et pro labore quietem, et pro onere honorem, et pro incommodo commodum? Insuper tam breve spatium est XV. dierum, quod ante præterirent, quam inter ipsos et dominum Gregorium capitula concludantur. Et sic etiam non erunt ab hac conclusione absentes.

Ad XXII. Nolebat, dixit, de majoritate et obedientia partium disputare; sed hoc omisso, dixit, quod velut in sua petitione continetur, si vocatorum prælatorum numerus attendatur et distantia locorum propositorum et Pisarum, plures numero valde, plures prælatorum a Pisis distant, quam a quocumque propositorum locorum. Tamen de hoc in petitione latius habetur.

Ad XXXIII. Fatetur, ait, sed cum non possit publicum bonum esse absque privato incommodo, potius certum est publicum privato debere præponi: præsertim cum publicum commodum maximum est, et privatum incommodum satis tolerabile. Insuper quis ignorat quod negligens et insipiens mercator est, qui si transfretavit, licet conductæ non sint mercantiæ ad portum, pro quibus navigavit, si expediat laborem et expensas sufferre non paucas, potius vacuus domum redire voluerit, ut cito veniat, quam si differat, ut onustus optatas merces, quamquam sero et fatigatus, perducat ad propria? Subjunxit etiam subridendo reverendissimos dominos Gallicos non debere majoris tædere laboris, quia a parte Romana triumphum et victoriam expectant, cum via cessionis per ipsos inventa et semper et maxime prosecuta fuit, nec possunt dicere, quod trahantur ab Italicis, immo ipsi vexillum anteferunt. Nos vero illos in hoc imitamur a tergo quocumque ierint.

Ad XXIV. XXV. XXVI. Fatetur, dixit, se ad hæc teneri, quæ dicunt, diligenter advertere, et quod male immo pessime faceret, oppositum faciendo. Sed, dixit, sperabat a bonitate Altissimi, quod si dominus Gregorius et sui hæc decipiendi causa et destruendi unionem proposuissent adverteret, tunc prius deberet velle mori, et Domini Dei gratia mori vellet, quam talia non solum tractare, verumetiam aliqualiter assentire. Nec adest etiam causa, quare hoc tractare deberet, aut assentire, cum suæ sit per divinum munus intentionis semper fidelem servum esse sanctæ ecclesiæ matris et domi-

ANNO CHRISTI 1409.

næ fuæ. Unde ex commodis ipfius, quid aliud quam commoda fperare poteft aut debet, et ex incommodis & jacturis quid aliud quam incommoda et jacturas? Dixit infuper tempore plurium pontificum, et a quibuflibet, fui et ipfe fuerat bene tractatus, et fic a quocumque foret fperare debebat, et fperabat in pofterum, ipfo permanente in debita fidelitate, ficut intendebat. Et quicumque credere velit, credat, quod dummodo vera pax & facra unio fieret fanctæ ecclefiæ et populi Chriftiani, nullum habet hoftem quem recufaret ut pontifex fieret. Dixit etiam quod nullus reperire poterit dicens, quod ipfe aliquam gratiam aut munus aliquod importune receperit feu petierit a domino Gregorio, poftquam fuit papa. Unde infert quod talis credulitas ab ipfis, et ab omnibus debet fufpicio exfulare. Sed quod evidentiffimum in oppofitum eorum quæ dicta funt eft, dicit, quod ipfe non fuit de hoc prius tentatus a domino Gregorio; fed viam conveniendi in unum cum domino B. fi vellet, et fuis reverentiis, ipfe propofuit domino Gregorio primum, deinde ipfis, nullam videns viam per quam habilius ad concordiam partium veniretur. Cernebat enim quantum excidium univerfali ecclefiæ fequeretur ex difcordia; quantum vero commodum & proficuum ex concordia trium inter fe partium contendentium, quocumque etiam juris colore aut veritate pars una adverfus alias contenderet.

Ad XXVII. Satis faciliter comprehendi poffe inquit, quomodo rationes illæ procedebant, tam ex his quæ in petitione fua continentur, quam ex his quæ fupra proxime dixit. Addit etiam cur dominus Gregorius hanc viam quæreret, ne dominus Benedictus Pifas accedat, cum vere omnibus manifeftum fit, eum illuc nulla ratione fore venturum. Ante enim quam contra eum tantum actum fuiffet, antequam domini Florentiæ pro reverentiis veftris detecti fuiffent, manifeftum eft quod noluit Pifas accedere, Pifarum fortalitatis exiftentibus abfolute in manibus eorum, quorum funt. Quantum ergo nunc minus accederet?

Ad XXVIII. et XXIX. Dixit fe ignorare, ficut fupra dixit, quod dominus Gregorius principaliter hoc quæfierit, hoc vero fcit, quod requifitus affenfit. Verumtamen fi dominus G. poftquam res fic processerunt, et in his terminis funt, quærit concilium univerfale fieri pro facra ecclefiæ fanctæ unione, credit quod expediens fit, quod et bene faciat; et male faceret, fi non fic quæreret. Ad id vero quod dictum eft per reverentias fuas, fatis manifeftum eft, quod domino Gregorio jurante et vovente in conclavi, cum effet cardinalis, et poftquam fuit papa ipfo confirmante quæ voverat et juraverat, non fuit facta, quod fciatur, publica mentio de concilio, nec pro unionis effentia fimpliciter oportebat congregari; fed fi dominus Gregorius et dominus Benedictus fuiffent concordes de renuntiando et cedendo et modis circa futuri paftoris electionem: quamquam in omni eventu nihil nocere potuiffet aut poterat facri concilii congregatio propter unionis celfitudinem et confirmationem, et propter multa decidenda dubia eorum quæ verfabantur, et quæ agitari oportere verifimile erat inter ecclefias et prælatos. Diffiteri enim nequaquam poffe certum eft, multas inter ecclefias contentiones et lites fuiffe diu poft celebrata concilia, quæ licet papa dirimere poffit, tamen volens patrum fanctorum veftigia fequi, quifquis fuerit indubitatus papa cum ecclefiæ confilio dirimet. Nunc autem eo magis, quo ecclefia tanto tempore fub contraria obedientia fciffa permanfit; ex quo inveteratum eft odium inter partes, et per confequens difficilius eft diffidentium animos ad pacificam unionem revocare, et fi revocati fuerint, faciliter parvus defpectus et difcordia, quæ inter unum contra alium adverfæ partis oriatur, fufficit priftinam memorare difcordiam. Et fi inter plures partium cujuflibet adverfus alios multæ lites et difcordiæ ingentes, quamvis etiam juris difpofitione fedentur, non fedentur de communi partium confenfu et deliberatione, faciliter fufcitari poffet inter partes error novus pejor priore et difcordia quodammodo impoffibilis ad fedandum. Verum quis nefcit quod fere innumeri prælati in eodem concurrunt titulo? Nonne tot intitulati cardinalatus in patriarchatibus, archiepifcopatibus, epifcopatibus, abbatiis, prioratibus et quolibet genere prælationum; nonne in quolibet magiftratu et generalatibus Mendicantium, quis ita fapiens quoque confulet hæc fine partium et totius ecclefiæ confenfu et deliberatione terminari, ut vera unio fiat et duret? Sed quid dicetur de difcordiis urgentibus inter principes fæculares, quibus ut provideretur, jam alias exiftente uno omnibus indubitato paftore, facrum univerfale concilium congregatum fuit. Nunc autem numquid non duo funt de Romano contendentes imperio? Numquid non duo de regnis Siciliæ Hungariæ? Certe ergo, cum negotium unionis omnes tangat, docent leges quod ab omnibus debet approbari. Verum fi hæc ceffarent, negari non valet, quod non exiftente domino Benedicto concorde cum domino Gregorio, unio fieri non poteft, nifi per concilium generale, falvo nifi Dominus ipfe mirabiliter faciat. Hoc autem quia non eft in poteftate hominum, non debet tractari per homines; excepto etiam nifi per violentiam five propria voluntate una pars alteri fe fubjiciat. Utrumque vero iftorum quantum fit factibile, credibile et fperandum judicet quifque non ftultus aut non hoftis manifeftæ veritatis; quod autem hoc verum fit, non perfuadetur, fed demonftratur. Cum enim non fint concordes de modo cedendi, aut alia via ad unionem dominus Benedictus et dominus Gregorius, efto quod dominus Gregorius cederet, et dominus Benedictus non; certe vel dominum B. in titulo papatus abfque omni obedientia relinquere oporteret, et fic non fieret unio: aut diceretur quod omnes fibi obedirent, et hoc quantum facerent illi qui funt Romanæ obedientiæ et nonnulli de fuis plus quam manifeftum eft; aut illum ejicere oporteret a titulo et poffeffione obedientiæ, et hoc vel per fententiam domini Gregorii, vel per aliam. Si autem fententiæ domini Gregorii tantum acquie-

quiesceret, et pareret pars Gallica, satis apertum est: Si vero non per ipsius sententiam, per quorum sententiam? si per alterius vel aliorum quam concilii generalis sententiam, deberet sive posset ejici aliquo juris colore. Dicat si quis dicit non expedire concilium generale pro unione, dummodo Gregorius cedat. Præterea si quis juris dispositionem et veritatem inspexerit, et cognitam gratis noluerit negare, fatebitur rectitudini et certitudini unionis expedire, volente maxime uno convenire cum aliis ex his qui in papatus tituli possessione est, illius præsentiam et auctoritatem antequam cedat ad absolvendum, dispensandum et habitandum. Ex his igitur et pluribus aliis moti serenissimus rex Romanorum et serenissimus rex Hungariæ, illustreque et inclytum dominium Venetiarum, videntes universale concilium expedire et oportere pro sacra unione juste et recte perficienda celebrari; et scientes quod a tribus convocatum fuerat; inspicientesque quod hoc erat addere trivisionem divisioni, et non sacram facere unionem, saltem de facto; atque attendentes æquitatem, et putantes quasi de facto impossibile quod una pars ad alterius vellet concilium et citationem accedere, sicut per oratores prædictorum principum discere potuerunt, cum domino Gregorio tractaverunt, ut in uno universali concilio vellet communi partium consensu congregando convenire, et ibi sua vota et juramenta servare, et modum effectualem unioni præbere; a quo habito responso quod contentabatur, sed nolebat in loco ad quem citatus fuerat, & qui parti suæ et sibi foret suspectus accedere, mutationem loci et unius non plurium conciliorum ex communi consensu faciendam procuraverunt. Ipse vero demum, licet inutilis et minimus inter tantos; tamen astrictus debito et propter recepta beneficia sanctæ matri ecclesiæ dominæ suæ, quæ supra dicta sunt attendens et conspiciens, sicut in sua petitione etiam dixit, quod quia non solum periculum et damnum plurimum, sed fere totalis jactura sequeretur universi populi Christiani, hoc tentavit, procuravit, et petiit mediate pluries, et nunc immediate, ut conspiciebant. Hæc autem quis credat ipsum procurare destruendæ unionis causa seu differendæ, cum exinde non consequeretur meritum, nec honorem, nec delectationem. Nec sibi propter hoc quicquam oblatum aut datum est per dominum Gregorium seu aliquem suorum; verum si tam pessimum se, dixit, quisquam suspicari posset, cum tamen nullam occasionem inspiciat quomodo credi debet hoc vel potest de illis serenissimis principibus, et illustri inclytoque domino, qui loci mutationem, et unius et non plurium conciliorum congregationem fieri institerunt instanter. Non igitur, intulit, hoc petiit dominus Gregorius ad deceptionem; et si petit locum tutum et æquum sibi et parti suæ; et si dicat nequaquam velle se fideles suos a concilii honore et commodo fore privatos, nec velle etiam fideles suos in manibus et potestate suorum ponere adversariorum. Sed quia nihil sibi Carolo nisi oppositum probaretur per alias quam audiverit rationes, visum est dissonum justitiæ et æquitati propterea propter justitiam et æquitatem, ut vera pax et sacra unio fiat, et non detestanda majorque nova divisio, hoc petiit, petebat, et petit. Dixit insuper quod si dominus Gregorius tantum unionem odebat, et cessionem diffugiebat, nihil aliud tantum quæreret, quam quod plura fierent concilia, justitiæ captato colore, et non unum. Sed cum unum assentiat fieri, et nihil ut illi intersit concilio pro se suisque petit, absurdum hujusmodi oppositum ostendit. Ipsi vero si hoc negaverint, domini Gregorii justificant causam, et se in alterius reprehensione quodammodo damnabunt.

Ad XXX. et XXXI. Ait causam dixisse, quare petitur unum universale concilium et non plura, saltem de facto fieri, et omnia iterum repeti, non destruendæ unionis, sed destruendæ divisionis causa; et non dilatandæ unionis causa, sed perficiendæ et accelerandæ. Quis enim præter certitudinem juris et facti, quæ ex via concordiæ et voluntariæ unionis erit universæ ecclesiæ, negare audebit, quod facilius per concordiam pars, ut ita dicatur, domini Gregorii cum his qui Pisis sunt, & aliis, si voluerint alii, reducantur in unitate, quam per violentiam? Quis iterum extendere sciet brachium potens, per quod pars domini Gregorii, si omnem foveat injustitiam, sub obedientia partis Pisanæ reducatur invita? Verum esto quod sit imperator seu princeps alius potentissimus partis illius totaliter obediens & devotus, numquid facilius, ipsis nolentibus, eos ad unionem cum parte Pisis existente reducet, quam ipsis assentientibus & volentibus? Dicitur quod tempus magnum labetur; sed quæritur, in quo majus et quomodo fieri potest, ut corpus longo affectum et extenuatum morbo, parvo restauretur in tempore; vel si contra naturæ voluerit cursum et consuetudinem restaurari, utrum citius sanabitur vel mactabitur? Dixit se tamen audisse a domino Gregorio nolle modis quibus petunt cedere, propter supradictas rationes, et ne sibi fideles conculcentur, et confundantur contra omnem justitiam et æquitatem. Præterea non esset major dilatio quam duorum mensium, si fiat quod petitur, quam si negetur. Nam antequam tempus citationis præterierit, et antequam concilium Pisanum congregatum fuerit in plenitudine sua et judicaverit, jam mensis transactus erit a principio indicti concilii per dominum Gregorium. Addatur ergo mensis, solum unius dilatio erit. Et si duo addantur, quod sufficere videtur, duorum erit dilatio mensium; et præcipue quia pars Pisas vocata venisse debebit tunc, et similiter quicumque venire deliberaverint ad concilium domini Gregorii intra tres menses a principio statuti termini, ad concilium venisse putandum est.

Ad XXXII. Inquit pluries se concessisse, et iterum fateri, quod nullus fidelis servus sanctæ matris ecclesiæ, nec ipse inter ceteros ea tolerare, multoque minus tractare deberet, quæ in desolationem S. R. E. suique temporalis status redundarent. Unde ipse inter ceteros Romanæ et universalis ecclesiæ fideles et servos viam concordiæ et vo-

ANNO CHRISTI 1409.

voluntariæ unionis tota mente et toto posse inquirere tenetur, et intendit prosequi, divina prosequente clementia, utpote viam per quam omnis pax et exaltatio status spiritualis et temporalis sanctæ ecclesiæ redundabit. Sicque ex adverso ceteri fideles et ipse minimus tenetur et intendit viam discordiæ et majoris quam nunc sit, abominabilis divisionis tota mente et toto posse detestari, et ne sequatur quantum in eo est evitare, utpote periculum et angustiam sanctæ ecclesiæ spiritualis, status temporalisque dilapidationem et exterminium. Ad id vero quod dicunt viam propositam dilatione indigere, et dilationem hujusmodi dilapidationem et desolationem utriusque status ecclesiæ fore, ait, salva reverentia, manifeste apparet oppositum. Nam rationibus supradictis et pluribus aliis aperte probari potest, quod si dominus Gregorius cum ipsis conveniat ad voluntarium unionis modum, certius et brevius unio sequatur, quam quacumque alia rigoris seu violentiæ forma, secundum præsentem possibilitatem, et rerum contingentiam. Præterea inspiciatur quod per viam discordiæ et judicii, si brevior somnietur, necesse est ut totalis dilapidatio bonorum ecclesiæ sequatur. Nam cum quælibet pars, sive credat, sive credere simulet, ut decipiat, violentiam sibi inferri cognoscet, si justitiam fovebit. Et si non simulabit, opus sibi fore violentiam sibi illatam vi repellere, et cum violentia per potentiam sæcularem inferatur, et cum secundum jus aut juris colorem, spiritalem statum oporteat temporali præponi, qui in securitatem et obedientiam spiritualis est, necesse habebit sæculare brachium sibi propitium quisque vindicare contendentium: quod et hucusque fieri experientia docet. Dum enim rarus inveniatur gratis sæculare exhibens brachium in utilitatem ecclesiæ vel prætensæ, quilibet quodlibet etiam vile et exiguum sibi eorum comparat, et hoc totum non sine scandalo et detrimento sanctæ Romanæ ecclesiæ subjectorumque suorum. Qui habet, tradit, vel ut spirituale reformet, vel protegat temporale quod restat, cum non putet per se posse tueri, qui nondum possidet, promittit, ut acquirat dilapidatum antequam habeat, vel fiat de summo pontifice summus fidei promissorumque violator. An forte dispensare se cogitabit gratis et ex proposito peccans, et in contradictione peccandi et absolvendi se perseverans. Tacendum de spiritali jactura, cum nullus auferit prælatorum excedentes castigare subjectos, ne ad alios diffugiant oppositos; licet insuper plures amodo sint et futuri sint simoniaci, quam prælati; non omnes forte ut nummos præbeant, sed obedientiam et favorem. Hæc quidem omnia in prælatis, licet simonia non cadat in vero pontifice, sed forte balaatica, qui mercedem suscepit, ut populum Dei peccare doceret. Verum si concordiæ vias unio sacra sequatur, horum nullum expedit, et quamvis dilatio aliqualis in unione et reintegratione actuali appareat, non erit in habitu tamen, cum schisma habituali divisione incipiat, et sedari similiter necesse sit per habitualem unionem, priusque cum inter partes fuerit, unionem esse dici valet et provideri ad conservandum et reintegrandum temporalem statum ecclesiæ faciliter. Non enim putandum est, quod princeps quisquam, cum senserit inter reverentias suas et dominum Gregorium concordiam fore, audeat terras sanctæ ecclesiæ invadere. Immo si invaserit, de concordia cogitabit potius quam de invasionis perseveratione: et si noluerit, quis populorum sibi adhærebit? Verum ista interim ad futura cavendum pericula et perdita readquirendum quotquot partibus videbitur super hæc communi consensu proponi. Ne tamen hæc suspicentur eum dicere, ut unus ipse sit ex illis, ex nunc tali honori onerique renuntiant.

Ad XXXIII. Dixit quod non putabit principes prædictos indignari, si propter bonam pacem sanctæ ecclesiæ, et meliorem, certiorem, et faciliorem reintegrationem et unionem populi Christiani, mutato concilio in melius, quod ante negaverant, ipsi nunc facerent, cum quicquid prædicti quæsierint, non quæsierint nisi propter pacem et bonum sanctæ matris ecclesiæ et totius populi Dei. Et quamquam duorum ex prædictis principibus oratores discesserint ab incoepto per ipsos sancto proposito, nec invideant mutiplicatis intercessoribus, hoc etiam scit, quod discedentibus oratoribus prædictorum, ab ipsis exhortatus fuit et exoratus, ut circa incoepta per suos dominos et ipsum Carolum vellet viriliter et ferventer insistere, tamquam pro re summe utili et necessaria sanctæ matri ecclesiæ et Christianis omnibus a majori usque ad minorem, et quod de hoc ipse Carolus valde suis dominis complaceret. Scit etiam quod licet oratores Romanorum regis semel negativam susceperint, instare pluries super hoc intendunt, quod ab ipsorum didicit ore; quem etiam pluries exhortati et deprecati sunt, ut ipse omnem possibilem et efficacem in his adhibeat operam, inde maxime suo domino placiturus.

Ad XXXIV. et XXXV. Inquit se non dolere de labore suo præterito vel futuro propter se, etiamsi non consequatur finem optatum. Sciebat enim se ad majora propter sana & commoda sanctæ matris ecclesiæ dominæ suæ teneri. Et si cassus appareat omnis suus labor, laborare non tædet, nec desinet laborare; ne umquam conscientia sua & homines accusare valeant coram justo judice, quando manifestabuntur consilia cordium & abscondita tenebrarum, ipsum vidisse jacturam, desolationem, & quantum in hominibus est, ultimum exterminium sanctæ matris ecclesiæ & divini populi, & non obstitisse quantum potuit. Nec etiam dolet, si appareat se ex hoc non consequi honorem. Sciebat namque se non tantum mereri honorem, ad majorem vero teneri laborem. Verumtamen dolet, & plus quam dolet servus & filius usque a progenitoribus & proavis ejus malo et excidio sanctæ matris & dominæ suæ, quod imminere manifestum est, nisi aliter cleri principes gesserint in futurum, quam contentiose inter se agentes egerint vel gesserint in præteritum. Et quod maxime dolendum est, acturi potius pe-

pejusque judicantur; & quidquid fuerit, dixit se dispositum toto posse agere, quicquid cognosceat aut sibi ostenderetur ipsum debere & teneri vel posse facere de jure pro vera pace & sacra unione sanctæ matris ecclesiæ & populi Christiani, dominum Gregorium exhortando humiliter & instanter & opportune atque importune ad hoc & omnia alia circa eum & contra eum faciendo, quæ de jure debet & tenetur. Tamen satis contentabatur se non pro finali responsione suscepisse quæ a suis reverentiis audierat. Sperabat enim quod maturius insipientes quæ ad pacem forent, & non ad contentiones & æmulationes deliberarent. Et sic eis humiliter & toto cordis supplicabat affectu, & quod dignarentur per obligationem, qua coram Altissimo obnoxii sunt, & se obnoxios agnoscunt, vel viam propositam acceptare, vel meliorem proponere & prosequi, quæ sit quieta, æqua & justa et pacifica; et non jurgiorum mater, sed scandalorum extinctiva, & per quam sacra unio de jure & de facto effectualiter fiat. Supplicabat insuper, quod si quid in proposita via difficultatis aut dilationis appareat, velint librare, remotis omnibus odiis & rancoribus a mentibus suis, cum his quæ sequentur, si potius per viam rigoris & violentiæ partes incesserint, quam per viam concordiæ & voluntariæ unionis. Oblationes se fideliter relaturus dixit, quamvis modicum speraret per illas posse proficere ex his quæ audierat a domino Gregorio, nisi suæ reverentiæ assentirent his quæ petita sunt, & quod eos semper publice avisaret vel clam de cunctis quæ cernere posset sacræ unioni & veræ paci conferre sanctæ matris ecclesiæ.

Ad XXXVI. particulam dominorum Gallicanorum, videlicet *Hoc ipso finiente*, dixit se de culpa partium incompetentem judicem & non idoneum testem fore. Nam absens & longe distans fuit, dum de mutua conventione tractabatur inter dominum Gregorium & dominum Benedictum, & quod hoc sciebat, se diversa immo opposita a diversis audivisse, de quibus parum indagare curaverat, putans quicquid in vero esset, magis ecclesiæ concordiam tractare proficuum esse, quam super contentionibus & partium culpis insistere; præcipue cum non videret in sæculo judicem ad reprimendam puniendamque malitiam perversorum idoneum & potentem. Verum quicquid fuerit, non credendum putabat dominum Gregorium propositis assensisse ad cautelam & deceptionem. Poterat enim manifeste nihil propositum fuisse, quod verisimiliter patres Pisis congregati renuere deberent. Illis vero assentientibus, postquam jam ipse acquievecrat, vel in eodem persisteret vel non: quod si sic, quæ exinde deceptio poterat suspicari? Si vero non, parum sibi erat, quantum de inconstantia & subterfugio accusatus fuerat absque eo quod sibi expediens agnosceret, toto orbi quæ sibi objecta fuerant adeo facere nota, quod nulla amplius ratione vera esse negare nequiret, nec ulla tergiversatione diffugere. Certe stultissimus est, qui adversarios justificat, seipsum condemnando, ut illos decipiat, seipsum decipiendo. De hoc tamen si dubitabant, Carolus obsidem se offerebat, & insuper omnem aliam cautionem præstare sibi possibilem, quod dominus Gregorius quæ ipse Carolus obtulerat, integre servaret. Et propterea putabat ipsos audere debere hæc patribus Pisis congregatis proponere, & pro his cum ipsis ut fiant instare. Quoniam bona sunt manifesta & utilia sanctæ ecclesiæ & universo populo Dei. Nec putabat propter paucos labores & expensas incumbentes sibi ex aliquali mora patres illos petita negaturos, si publico moventur commodo, etiamsi privato. Quis enim voluerit tot factas pro unione impensas, tot labores perpessos cassos relinquere pro minimis qui residui exigantur pro vera pace & sacra consequenda unione? Quis insuper, si considerat quantum proficient eorum proventus & commodi ex hoc, putabit illos expendere nolle parum, ut maximum inde suscipiant lucrum, quamvis nec Deum nec ecclesiæ rempublicam venerentur? Dicebat præterea, quod si qui inopes expensas tolerare nequirent, quoniam has propter ecclesiæ commodum supportabant, congruum videbatur, quod ab apostolica camera talibus provideretur. Et quoniam partem proventuum cameræ dominus Gregorius percipiebat, partem vero alii; congruum erat quod portionem sibi contingentem pars qualibet solveret, & sic impossibilitas illa cessaret, vel quod ille qui eligeretur in pontificem solveret.

Ad XXVII. Confessus fuit se malum & imprudentem esse, si consuleret seu peteret, quod via certa, parata & brevis ad unionem pro incerta & longissima dimitteretur. Et quia viam quam incœperunt, videtur via sibi certa celerque ad divisionem, incerta vero de jure, & de facto quasi impossibilis ad unionem. Via quidem proposita per eum certa ad unionem de jure & de facto, & brevis secundum rei naturam. Propterea pro hac instat tam sollicite & accurate, tamquam servus sanctæ matris ecclesiæ, bonum illius optans, & pacem, contrariumque odiens. Quis enim non perpendat aperte quod dominus Benedictus cum suis sequacibus non est pariturus concilio Pisano, nec similiter dominus Gregorius cum suis? Unde si non concordant saltem cum altero illorum, nonne certum est, quod alium eligi expediat per eos, qui non faciliter omnium, si forte plurium obedientiam habebit. Et sic a certo de facto augebitur divisio, quam non nisi per violentiam sedari credendum est. Et cum dubius sit eventus belli, & cum, sicut supradictum est, non appareat potentia, quæ sit alios superare potens, dubium est utrum per viam illam diebus nostris unio fieri valeat, immo quasi debet a certo judicari, quod non. Nam & per viam novæ electionis omnis spes concordiæ, quantum in hominibus est, præscinditur & aufertur. Et omnis modus per quem superborum colla a sua valeant perversitate cohiberi. Tollitur quoque spes futura mutuæ cessionis, quæ cum tam difficilis fuerit, ut executionem mereri non potuerit inter duos, multi-

Anno Christi 1409.

tominus ſperari poterit inter tres, & præſertim ſi iſte noviter eligendus plurium, ex his qui utrius duorum obedientiæ fuerunt conſenſum ſuſceperit & favorem. Et ſi via compromiſſi difficilis erat inter duos; ita quod quaſi pro impoſſibili relicta fuerit, multo difficilior erit addito tertio. Viam inſuper ſacri concilii univerſalis divitim tractam quaſi etiam reparari impoſſibile erit, & unionem ipſo concilio tripartito nedum in præſenti, ſed in futuro parere poſſe. Exulat inſuper per viam hujus novæ electionis omnis ſpes Romanum uniendi imperium. Cum enim duo pariter contendant pro illo; ſi alter ab uno reprobabitur, illum ipſe reprobabit; adhærenſque alteri, capto juſtitiæ colore, favebit. Sicque alius aget e contra. B Regum regnorumque & provinciarum quas ſolet eccleſia ſedare contentiones & diſcordias ſuſcitabit fovebitque. Unde ſic fomes miniſtrabitur igni univerſum Dei populum ſpiritualiter & temporaliter voraturo. Non ſic autem, ſi concordia inter ipſos & dominum Gregorium fiat. Sequetur quidem primo abſque juris ſcrupulo vera pax & certa reintegratio ſanctæ eccleſiæ & populi Chriſtiani in clero, & deinde in ſæcularibus; certum quippe eſt, quod vel dominus Benedictus concordabit cum domino Gregorio & illis qui Piſis ſunt, vel non; et ſic propoſitum habetur. Si non, cum concilium domini Benedicti terminaverit ipſum cedere C debere & renunciare papatui, domino Gregorio cedente & renunciante; ipſum cedere oportebit & renunciare, vel a ſuis relinquetur; et ſic unio de jure et de facto erit. Si vero dicatur ſequaces domini Benedicti non relinquent ipſum, minime etiam eo cedente; dixit hoc non eſſe veriſimile; ſed dato quod ita, quiſquis poſt dictam concordiam papa fuerit, Romanum ſi volet imperium faciliter uniet. Cum enim utrique de imperio contendentes Romanæ ſemper fuerint obedientiæ per XXX. annos et unum, non adeſt color aut veriſimile, quod quis eorum ad dominum confugeret Benedictum, cui nullus umquam adhæſit, ſed totaliter D etiam qualitercumque erga eos per Romanum præſulem actum fuerit, utrique illi ſe ardenter et jugiter oppoſuerunt. Unde dum papam illum eligendum, exiſtente prius domino Gregorio concorde cum his qui Piſis ſunt, utrumque ipſorum diffiteri nequibunt; neceſſe erit quemlibet ipſius adquieſcere voluntati atque ſententiæ. Similiter quoque de regno contendentes Hungariæ, pari exiſtente ratione. Similiter etiam de regni Siciliæ contentione. Manifeſtum quidem eſt in præſenti dominum Ludovicum devotum et fidelem eſſe reverendiſſimorum dominorum Piſis exiſtentium, et dominum Ladiſlaum domini Gregorii. Unde ſi conveniet dominus E Gregorius cum dominis qui Piſis ſunt, et unus ipſo cedente eligatur, neuter prædictorum de regno Siciliæ contendentium veri- A ſimiliter contradicet, poteritque contradicere illius diſpoſitioni qui hoc modo erit electus. (a) Ubi colorata juſtitiæ apparentia alius eorum poſſeſſionem tuetur et titulum. Alius vero titulo poſſeſſionem quærit, et ſic perſeverat augeturque contentio et bellum inter eos, et non fit pax. Unde etiam ſperare poſſit ſubſidium ad reſiſtentes coercendum et rebelles. Ita quod manifeſte judicari poteſt, quæ via potior eſt, an illa per quam totum juris theologici canonici et civilis corpus, ſecundum favorem contendentium revocatur in ſciſſuram. Inſuper irreparabilis contentio de facto inter clericos et clericos et inter laicos ſuſcitatur, etiam quæ paratæ ſunt confirmantur. An via concordiæ, per quam quantum in eo quod circa hoc verſatur, tollitur omnis ſciſſura, et contentio tam divinæ quam poſitivæ ſcripturæ, et per quam fit vera pax et concors unio de facto, vel ſaltem exhibetur potentiæ modus per quem eccleſia compeſcere rebelles poterit et in viam juſtitiæ invitos dirigere.

Ad XVXVIII. Dixit ſe plane fateri, nolente domino Gregorio facere debitum, ut ferebatur, et ſi non dixiſſet iterum diceret; ſed quod placeret reverentiæ ſuæ reminiſci unius inter ceteras concluſionis, quam ſibi dederat in ſcriptis, conſulendo de modis qui ſibi videbantur tenendi, ut veridica et vera unio fieret, quam miſit reverendiſſimo domino Benedicto, in qua dixit quod haberetur magna advertentia, quomodo quid tractaretur contra et in præjudicium Romani pontificis, cum divina ſcriptura, ſacri canones, legeſque civiles valde ſibi faverent, ejuſque poteſtatem cunctis nimium venerandam injungerent. Unde nolente domino Gregorio facere debitum, nec volente per modum juſtum et æquum cum ſuis reverentiis convenire, ad præbendum verum, juſtum, et æquum et effectualiter modum unioni, paratus erat, quod reverentia ſua dicebat ipſum ſemel obtuliſſe, exſequi. Sic rogabat econtra reverentiam ſuam ut conſulti recordarentur, et volente domino Gregorio, pro ut ipſe Carolus obtulerat et offerebat, ſuum exſequi debitum, et non diſcedere ab æquitate et juſtitia, immo ultra ſuam obligationem facere pro pace ſanctæ matris eccleſiæ et reintegratione vera populi Chriſtiani, nollet ipſe et alii odio vel ultione; ſi forte ultionis prætenderent cauſam, Dominum Jeſum Chriſtum perſequi ab re et abſque ſaltem oportunitate in vicario ſuo & apoſtolorum principem in eo quem ipſe dominus Mediolanenſis & collegæ ſui Romanæ obedientiæ habuerant in ipſius ſucceſſorem. Et præſertim quoniam hoc fieri non poterat, ſeu tentari præſentatio præter divinam & apoſtolicam offenſam, abſque gravi præjudicio & manifeſta jactura populi divini. Verum offerebat ſe facturum & acturum, quantum dominus daret ſui clementia, pro vera pace ſacraque unione quicquid poterat, & quicquid

(a) In margine hæc leguntur. Hic videtur eſſe defectus, etiam in originali. Nam quæ ſequuntur cum præcedentibus non continuantur, niſi aliud medium poneretur. Et credendum eſt quod aliquid omiſſum ſit, forte ad hunc effectum: Sin autem dominus Gregorius & qui Piſis ſunt non concordaverint, quomodo illi reges concordabunt. Ubi colorata &c.

quid sibi ostenderetur ipsum posse alii debere de jure nihil omittendo, & sibi et omnibus quibus debita favendo, ad bonum et unionem veram ecclesiæ sacrosanctæ. Satis sibi putans iis hoc sæculo datum, nec aliud petens quam suum facere debitum coram domino, qui potens est depositum servare, & complicatum cum maxime proderit reddere.

Ad XXXIX. Dixit quod certe pessime faceret, si quid tractasset vel tractet in præjudicium sanctæ ecclesiæ matris et dominæ suæ, cum nulla ratione deberet, & tanto amplius damnandus foret, quanto culpabilior redderetur, ab antiquata fide et devotione delirando. Sed quia bonum et utile procurare putat, et nisi reverentiæ suæ ab aliquali sint passione quassatæ, hoc idem eos manifeste putare credit: ideo quod petiit, petit, et eo quod institit instanter instat, ne jure damnabilis fiat. Certum, inquit, ut supra, contra dominum G. paratum fore quicquid debet de jure facere, & sic dicit etiam facturum.

Ad XL. Regratiatus fuit reverentiæ suæ pro tanta caritate et monita sua reverenter & humiliter, quantum poterat et dicebat suscipiebat. Quantum habet jus æquitasque suaderent, illa exsequi erat insitum in corde suo. Et quoniam se faciliter inter insipientes certaturum, nisi dirigeretur a Domino, qui est Via, Veritas, et Vita, dubitare debebat, et propterea cum sua reverentia exorabat Altissimum, ut mentem suam in beneplacitis suis dirigere et conservare dignetur.

Insuper adjecit quod supplicabat humiliter et devote quantum poterat, etsi multa in utraque via dubia apparebant ponderanda, quamvis insipientiæ ipsius Caroli nihil dubii nihilque jacturæ appareret ad unionem veram et juridicam consequendam, si cum domino Gregorio concordarent, velut oblatum est; quod placeret suis reverentiis, quibuscumque remotis rancoribus animorumque passionibus, solum omnipotentis Domini nostri Jesu Christi, ejusque immaculatæ & dilectæ sponsæ reverentiam atque caritatem habendo, super omnia in cordibus eorum diligenter prudenterque librare, quantum via concordiæ certior, justior, brevior, & facilior erat via discordiæ, & quantum ecclesiæ sanctæ & omni populo Dei utilior. Et si sic quod fit, supplicabat eis quanto obligatiores erant ad reddendam rationem, quantum plura ceteris susceperant a domino, & quantum præ ceteris ab ipso gubernandi gregis sui susceperant curam, & quantum hoc præ ipso Carolo majoris existentes intellectus limpidius cognoscebant, quatenus vellent viam concordiæ pacificam & unitivam, cum eis offerretur, amplecti.

His itaque dictis effectualiter replicarunt, quod ipsi audierant, quæ Carolus dixerat, eaque diligenter atque fideliter ceteris reverendissimis dominis suis referrent. Et cum ipse Carolus audisset etiam quæ ipsi dixerant, nec credere possent quod aliud ultra quam dixerat non haberet, rogabant quod vellet ea proponere, quæ sibi possibilia forent justa & æqua, & libentibus animis exequerentur.

Quibus breviter replicavit, se nihil ultra quam dixisset habere, eosque minime credere debere, etiamsi prosenetarum more in ceteris negotiationibus amici prærogativam quæreret, certe nullum ipse amicum sanctæ ecclesiæ proponeret matri & dominæ suæ. Sero igitur illo post hæc vale inter se facto discesserunt ab invicem.

Post hæc per nonnullos dies inter se contulerunt plura effectualiter, secundum quæ narrata sunt. Nam & ipsi sua replicabant argumenta & repetebant. Carolus vero illa refellebat, ut supra; nec propterea cessabant per se, & varios, variisque & multiplicibus modis atque vicibus tentare utrum aliud Carolus reservasset exprimendum. Ipse vero cum nihil aliud haberet quam dixisset, in suo perseverabat proposito, pacem & non æmulationes dicens sanctæ ecclesiæ expedire.

Verum cum inter ratiocinia pluries conclusissent in eorum excusationem, quod non debebant de jure mutare locum Pisarum. Inquiebat Carolus, se non venisse Pisas litigandi disputandique causa! cum lites & disputationes non jurgia & æmulationes solerent sedare, sed plurimum generare; dum præsertim de potestate partium & eorum culpa innocentiave principaliter agit, opus erat, (a) rei exigente qualitate. Attamen dicebat se quasi indubie putare, ipsos teneri ad quemlibet propositorum locorum accedere, & ad quemlibet alium ejusdem partibus securitatis & æquitatis. Dato quippe quod dominus Gregorius nolens Pisas accedere, nec suum servare votum & juramentum, nisi alium propositorum suæ reverentiæ accederent, sibi bene staret; & si alium locum accederent, paratus esset suum servare votum et juramentum; et dato quod exinde perjurus fieret et voti fractor (b). Verum tamen unio videretur propter hoc quamquam ille damnaretur (c) tolli de facto. Nonne vos etiam voti et juramenti vestri fractores essetis, si viam possibilem ad unionem perficiendum omitteretis? Nonne et peccati ipsius efficeremini participes, si ille vobis complacentibus sibi de re possibili non injusta nec iniqua sua promissa servaturus esset? Si vero non dejeraturus, nonne ipsi, licet ille principaliter peccaret, scandali proximi privati etiam maximique ecclesiæ publici, et durationis antiquari schismatis, essetis culpabiles atque rei. Advertere depræ-

(a) In margine ponitur hæc nota: forte hic deficit negatio non secundum mentem loquentis, qui conveniens medium ad concordiam quæsivit.

(b) In margine alia manu sic legitur. *Hic est defectus, credo tamen quod velit dicere*, posito quod dominus Gregorius ex eorum proposito possit convinci, tamen ex hoc schisma de facto tolletur, nec unio de facto sequeretur.

(c) Etiam hic in margine additur: *Credo quod melius staret* oriri *vel* fieri, *aut hic deficit verbum* schisma.

ANNO CHRISTI 1409.

precabatur ipsos eorummet processum. Non enim in illo ex prævaricatione domini Gregorii dominum Benedictum absolvendum judicabant; neque ex prævaricatione domini Benedicti dominum Gregorium. Sed quamquam alter nollet unam viam sequi, alium ad omnem aliam possibilem et rationabilem teneri ex suo voto et juramento dixerunt. Et si non sequeretur omnem aliam viam rationabilem possibilem, licet adversarius suus contra debitum et juramentum unam ex rationabilibus respuisset, illum fidefragum et antiquati schismatis nutritorem ajebant.

Sed quod majus est, non existente schismate, si unicus verus & indubitatus pontifex Romanus, incumbente opportunitate, sacram & universalem synodum Pisis congregasset, interim quoque pontificali sedi Marchia & Romandiola rebellarent, nullaque suasione ad obedientiam redire volent, nisi dominus papa cum sacra synodo ad alterum propositorum locorum accederet, ad quem tute posset accedere & morari, haberetque centum millia equitum papa cum omni ad superandum illos expeditione parata, satis manifestum apparet utrum deberet bonus pastor vicarius domini nostri Jesu Christi cum universa synodo ad quemlibet dictorum locorum accedere, ut illi ultro ad gremium redirent, & debitam fidelitatem sanctæ matris & dominæ suæ, licet gravissime fefellissent? An minime accedere & experiri illos armorum debellari potentia, cum rapinis, strage & sceleribus quæ consueverunt & præsertim in devictos parere bella? Quanto igitur nunc magis, cum desint currus et equites, omnisque sufficiens bellicus apparatus ad hostes confringendos, & pro hujusmodi accessu sequitur concordia inter ipsos & dominum Gregorium sibique fideles, ex qua non solum duæ hæ provinciæ, sed decies amplius invicem reintegrantur?

Instabant ergo illi pro duorum altero, vel quod dominus Gregorius Pisas accederet, vel quod existentes Arimini, etiam non cedente domino Benedicto, ipse per se in manibus sui concilii renunciaret & cederet, dicentes hoc ad perpetuam gloriam illius civitatis & universæ domus de Malatestis; causa quoque erat, hæc, quia si dominus Gregorius cederet & renunciaret Arimini, ibi ipse papatui habebatur civiliter defunctus. Dictantibus ergo sacris canonibus quod ubi pontifex decederet, ibi futuri fieret electio, omnes ibi convenire pro futuri electione pontificis opus erat. Et quoniam hæc verba Italicorum erant; addebant, quod si Carolus ambigeret, ne Gallici iis assentirent, certi erant illos nequaquam dissensuros. Nihilominus si hoc promittere vellet, sperabant hoc parte sui ipsum certificare si vellet.

Respondebat Carolus se non propriam gloriam & civitatis Arimini quærere, sed divinam & ecclesiæ sanctæ suæ pacem & reintegrationem; & quod per ea quæ percipere potuisset a domino Gregorio non sperabat, quod ipse ullo modo cederet per procuratorem, neque Pisas vellet accedere multis rationibus, quarum aliquas substantialiter supra dixerat. Et credere certe poterant, si vellent, quoniam veritas hæc erat, quod pro sacra unione dispositus erat, quantum Dominus ex alto donaret, totis suis viribus laborare. Nec vellet vere, si alibi cum majori commodo partium & majori quiete sanctæ ecclesiæ fieri posset, quam Arimini. Ideo hanc sciens per divinam gratiam suam fore intentionem, aliqualiter admirabatur eos credere ipse amplius propter hujusmodi gloriæ oblationem pro unione laboraturum aut curaturum, quam absque tali obligatione fecisset. Mirabatur insuper non parum cur non sic Ariminum vel ad quemcumque propositorum locorum sibi amplius placeret, accederent, ut ibi unum sacrum concilium celebraretur, in quo dominus Gregorius renunciaret, & eligeretur absque contradictione, saltem ipsius & suorum, unus pontifex, sicut absque concilio accedere volebant.

Ad hoc replicabant qui dixerant illa, quod facilius duceretur collegium, quam concilium; et quod cardinales Gallici videntes quod Carolus tantum operatus fuisset, quod dominus Gregorius renuntiaret, merito inclinarentur ad accedendum Ariminum. Sed non ita libenter accederent, ex sua mera voluntate, disponente jure quod sub prædicto casu deberent accedere, declinare nequirent.

Ad quæ iterum Carolus dicebat, non putare, salva honestate, & debito, propter opportunitates varias sanctæ ecclesiæ, & propter etiam contentiones & periculum & dissensionem quæ in electione futuri pontificis contingere poterat, concilium ante electionem posse vel debere dissolvi. Et propterea videbatur sibi ita ipsos cum concilio posse & debere Ariminum accedere, antequam cederet dominus Gregorius & alius eligeretur sicut post hæc; nec minus debere reverendissimos Gallicos ante cessionem accedere quam post; & præcipue si certificati fuerint dominum Gregorium renunciaturum omnino, si admitterent quod concilium universale celebraretur in altero propositorum locorum, vel in alio loco tuto partibus et universali concilio.

His vero non obstantibus, quæritabant instanter, si suum valerent cum Carolo obtentum obtinere, et putare videbantur ipsum alia in commissione habuisse a domino Gregorio, quæ propter ipsius Gregorii prærogativam pandere distulisset, et differret usque ad recessum, si videret omnino quod postulaverat interim obtinere non posse. Ipse autem non habens aliud quam obtulisset; nec credens unionem fieri posse, cognita eorum qui inter partes erat conditione, nisi oblatis et petitis annuerent; instabat quod verum erat, videlicet certe se nihil aliud quam dixisset substantialiter et in commisso habuisse.

Videntes quoque Carolum in his quæ dixerat perseverare, dixerunt domini illi reverendissimi, qui a principio dati fuerunt ad tractandum secum sacræ unionis negotium, se velle eum declarare, quid parte domini Gregorii promittebat faciendum in facto cessionis. Ipsis vero ille inquit, quodcumque de jure tenebatur dominum Gregorium esse facturum. In hoc absque subterfugio & realiter; dicebant illi: Hoc nimis generale est. Nam si non aliter specificabitur hoc po-

potius ad subterfugium & dilatandum vel impediendum unionem dici parte domini Gregorii suspicandum esse, quam ad ipsam perficiendam, doctis ipsis ab experto.

Ex alia quidem dicebat parte Carolus satis hoc quod dixerat parte domini Gregorii sibi apparere, & hoc ipsos quietari debere de jure; quoniam nullus potest honestatem & id quod sufficiebat quærere debebat ab altero. Si enim jure debiti aliquid a domino Gregorio quærebatur, satis erat quod ipse dicebat, suum velle servare debitum. Et de hoc sufficiens secundum sui possibilitatem cautio præstabatur. Præterea quantum ad unionis sufficiebat effectum, juxta domini Gregorii potentiam, hoc intellectu, quod dominus Gregorius non poterat immediate ecclesiam reintegrare, nisi quatenus in eo & suis fidelibus foret, fidejubente quidem pro ipso Carolo, in cujus secundum sæculum brachio ejus dominus Gregorius erat persona, ipso Carolo volente in Galliam & quocumque vadens, se sub eorum potentia constituere, parum dubitare habebant de domini Gregorii inconstantia & fallaciis, & quod suum ipse debitum non servaret. Si vero attendebatur honestas, non erat valde honestum dominum Gregorium ad novam coartari obligationem, si suam ipse observare volebat, & illius observatio ad unionem non impediendam sufficiebat. Magis quidem honestum erat, faciente domino Gregorio debitum suum, alios etiam se ad debitum coartare suum. Quod namque sufficiat dominum Gregorium suum servare votum & juramentum ad unionem non impediendam, patet. Nam si dominus Gregorius suum non servaret juramentum, fovere schisma certum est, indubium est ipso sua servando juramenta quantum sibi incumbit, ex illo vero auferendi schisma non esse culpabilem.

Dixit insuper Carolus quod si diceretur per suas reverentias: quis judicabit quid debitum sit dominum Gregorium facere ad sua juramenta & vota servandum, cum usque nunc semper ipse dixerit se servasse & servaturum fore; & tamen omisso quod alii non fateantur, immo diffiteantur expresse hoc ipsum fecisse? verba hæc absque effectu & ambiguitas hæc ecclesiæ sanctæ reintegrationi & paci obfuerunt.

Respondebat, quod dominus Gregorius, per ea quæ ab ipso perceperat, contentus erat concilium communi consensu congregandum hoc videre & terminare. Et hoc ipse Carolus paratus erat promittere & fide jubere dominum Gregorium observaturum. Ulterius perceperat ore ipsius domini Gregorii, quod si concilium communi consensu congregatum decerneret ipsum ultra sua vota & juramenta aliquid facturum pro unione, paratus erat exequi quantum in eo foret usque ad mortem.

Quoniam autem Carolo videbatur protendi practicam, non cum opportuno effectu, dubitabat ne temporis spatium cum detrimento sanctæ ecclesiæ voluntas & non necessitas vendicaret. Instabat igitur pro conclusione. Quo intermedio factum est, ut ad ipsius habitationis domum sui humilitate accederent reverendus dominus A. Pisanus archiepiscopus & reverendus dominus Cameracensis & alius dominus Gallicus, cujus nominis Carolus non recordatur & venerabilis sacræ theologiæ professor ordinis Prædicatorum magister Thomas, missi a capitibus nationum pro universali concilio congregatorum. Verba quidem fuerunt reverendi domini Cameracensis in hunc effectum, omissa quacumque præfatione & pulcro cujusdam collationis ordine.

Primo namque Carolum commendabat de assumto labore pro tam pia causa sanctæ matris ecclesiæ, in quo suorum parentum fidem opere renovabat. Ex hoc referebat sibi gratias parte concilii universalem repræsentantis ecclesiam.

Secundo commendans, prout sibi placuit, quædam gesta per Carolum, dicebat patres sacri concilii valde sperare pacem ecclesiæ reddi a Domino, mediante ipsius Caroli persona, & hoc ex gratia consueta, quam Dominum in causa sua sibi non sperabant auferre, sed augere. Sperabant insuper, si umquam aliorum causis prudenter & solerter Carolus gesserat, nunc maxime totis viribus laboraturum in causa divina & sanctæ ecclesiæ, cujus Carolus erat a cunabulis filius peculiaris, & ad hoc, quamquam non oportere putarent, Carolum quantum valebant hortabantur.

Tertio inquiebat, quod ex eo maxime sperabat ecclesiæ pacem reddi, quoniam non dubitabant Carolum magnam servare fidem & devotionem erga sanctam ecclesiam matrem ipsius & dominam. Cum igitur dominus Gregorius esset in manibus suis, rogabant eum parte Domini nostri Jesu Christi & suæ sanctæ sponsæ, hortabantur & monebant, requirebant, injungebant, quatenus vellet, quoniam poterat, pacem, quæ in manibus suis erat, reddere ecclesiæ hoc modo: videlicet persuadendo cum domino Gregorio tantum efficaciter, quod absque alia hæsitatione vellet cedere; quod si nollet sponte, sicut quilibet fidelis tenetur, per edicta sacrorum canonum, ipsum cohiberet tamquam fautorem antiquati schismatis & hæreticum, ut sic opere suo sancta ecclesia pace potiretur, & ipse Carolus maximis in utraque vita præmiis & gloria.

Aiebant quarto concilio sacro relatum fuisse, Carolum tractare mutationem loci & concilii, & quamquam credere non possent, Carolum hoc nisi bono zelo quærere, non poterant non admirari, eum pro isto tantum Pisas accessisse: verum ipsum avisabant talem petitionem nimium unioni obesse, & quod sacrum concilium talem admittere petitionem erat impossibile. Primo namque non debebat admitti de jure nec de æquitate. Deinde impossibilis erat de facto, & hæc multis effectualiter rationibus supradictis quantum poterat deducebat, quæ ad evitandum ejusdem replicationem non replicantur. Iterum concludebat sacrum concilium rogare Carolum, ut vellet alium proponere modum, offerens sacram synodum, utpote optime dispositam ad sacram unionem, in cunctis ad illam conferentibus promtam, nec non etiam ipsius contemplatione tamquam inter ceteros præcipui sanctæ ma-

tris ecclesiæ & filii & subditi, quem libenter de sancto opere viderent optatam gloriam reportare.

Post hæc archiepiscopus Pisanus hæc quæ supradicta sunt affirmans, adjiciebat ejusmodi mutatione loci magnificæ communitati Florentiæ, si fieret, in magnum opprobrium tendere in magnamque displicentiam, & in maximum suorum civium dispendium, & status sui periculum. Inferebat ergo, si cuncta alia cessarent, numquam propter ista sacrum concilium debere mutationi hujusmodi assentire. Quoniam prædictæ magnificæ communitatis consilio, ope & opera sacra illa synodus fuerat principaliter, immo quasi solum tam feliciter & magnifice congregata, per quam sacra unio debebat sperari, & sperabatur, Deo favente, ventura. Nam aliter universalis ecclesia de injustitiæ & ingratitudinis macula merito deprehenderetur.

Deinde reverendus ille Gallicus, cujus nominis Carolus non recordatur, omnia affirmabat, maximum præcipue faciens fundamentum sibi super experta, ut dicebat, per ipsum domini Gregorii inconstantia & versutiis multis, quibus sacra unio fuerat hactenus impedita, & adhuc per viam istam, ut firmiter putabat, impediri quærebatur, & propterea non assentiendum petitionibus suis asserebat.

Postremo reverendus magister Thomas de Firmo ordinis Prædicatorum, illa ipsa effectualiter asserens, inquiebat, prædictam mutationem loci certe futuram fore omnimodam dissolutionem sacri illius concilii, & per consequens sanctæ unionis, quod ullus fidelis nec quærere nec assentire debebat; propterea suadebat, rogabat, hortabatur, instabat, ut dominus Cameracensis fecerat.

His auditis, Carolus dixit se humiliter, quantum poterat, regratiari reverendissimis, reverendis & venerabilibus patribus & dominis Pisis pro sacro concilio congregatis, nec non reverentiis suis pro tanta curialitate exhibita in visitando ipsum per tantas dominationes & paternitates usque ad sui habitaculum: quæ licet gratiosissima fuerit, tamen ad sui reputabat confusionem, visitantium & visitati qualitate ponderata. Insuper & gratias referebat de commendatione valde sua merita præcellenti. Ceterum de paternis exhortationibus ad sacram unionem, ad quam promovendam & prosequendam se ultra cognitionem et vires fatebatur obligatum, toto corde et posse, quantum annueret largireturque Altissimus, se paratum offerebat et promtum; atque si pro pace et commodo status sanctæ ecclesiæ Romanæ matris et dominæ suæ, et cujuscumque principis Christianorum, umquam obligatum se laborare cognovit, et quantum sua fragilitas passa est laboravit; nunc maxime toto corde et opere pro sacra unione laborare teneri se obligatum agnoscebat et profitebatur, tanto maxime, quanto publicæ Christianorum rei et cujuslibet privato commodo spirituali temporalique sacra unio cernebatur conferens et opportuna. Inde quamvis etiam in minimis se insufficientem conspiceret et imbecillem, tantoque amplius in maximis. Tamen in eo sperans, de quo scriptum est. *Dispersit, dedit pauperibus, qui potens est omnem gratiam abundare facere in omnibus nobis*; dispositum se offerebat pro sacra unione laborare, quantum ab eo per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, sua validaretur imbecillitas; sicque reverentias patrum Pisis congregatorum humillime et instantissime, quantum poterat, rogabat, hortabatur, sibique suadebat, quatenus vellent promovere sacrum unionis opus, ad quod se venisse toti mandaverant orbi, remotis quibuslibet rancoribus, odiis, injuriarum passionibus, & ultionum siti, nec præeminendi libidine & ambitionibus dominandi. Namque sperabat, ipsis sic facientibus, pacem a Domino reddi ecclesiæ suæ sanctæ, & populo fidelium tranquillitatem. Aliter namque pacem reddi, mediante homine, desperabat; quia juxta illud B. Augustini: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te*.

Ad tertium dixit, quod vere magnam tenebatur servare fidem erga dominam & matrem suam sanctam Romanam ecclesiam, & sic servari dispositus erat, quantum Altissimus largiri dignaretur. Verum ad illud quod dicebant, quod Carolus poterat pacem reddere ecclesiæ si volebat, cogendo dominum Gregorium, qui in manibus ejus erat, ad renunciandum papatui, si non vellet sponte; dicebat, quod sicut in jure habebatur, papa omnia poterat, & tamen quidam papa de se ipso, potentiam sui interpretando, dixit: *Illud dicimur posse, quod de jure possumus*. Nolens itaque sui domini jurisdictionem & potestatem, offerebat se velle totum facere pro sacra unione, quod de jure debebat & & poterat, & nihil ulterius se posse interpretabatur, sive velle debere, nisi vel quantum jura sibi mandabant, vel sibi licere permittebant.

Instantias quoque admonitionesque, quibus ipsum hortabantur & sibi injungebant, ut vellet dominum Gregorium cohibere quod cederet, dixit se humiliter & reverenter suscipere sicut decebat; verum hoc nequaquam expedire cernebat. Nam dominum Gregorium sponte cedere velle, dummodo pax vera ecclesiæ & reintegratio ex sua cessione sequeretur, obtulerat reverendissimis patribus & dominis datis ei auditoribus, & sic denuo offerebat. Et si forte hæc dicta suspicarentur aliqua fraude, se sicut alias, ita nunc offerebat in Galliam, & in quemcumque locorum pergere pro obside, ut quæ promiserat servarentur; reum quidem se fore sacrorum canonum poena, quæ non cohibentes schismaticos sæculari etiam afflictione, si expediret, decernebat; quantum in eo esset, proposuerat & proponebat effugere. Et si Dominus, parem cum voluntate sapientiam & potentiam circa hoc præstitisset, non tamdiu de schismate tollendo viguisset opus & labor, nec amodo superesset. Ceterum non minus illud dominicum colere proponebat: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari*; præcipue cum dominum Gregorium christum Domini non deprehendat a justitia & æquitate alienum, in his quæ ad unionem conferant ve-

veram, indubitatam & facram. Nihil vero fibi debere gloriofum magis reputare, quam divina valeat adorare præcepta, & fanctorum edictiones patrum venerari. Nihil quoque magis culpabile, magis inane, magis tremendum, quam hominibus potius placere, quam Deo, & veritatem divinæ juftitiæ famofa hominum gloria commutare, & ut juftus videatur ab hominibus & prædicetur, maledicat ei quem credit D. Jefu Chrifti vicarium, & B. apoftolorum principis fucceflorem.

Ad quartum inquit, verum effe mutationem perquififfe & quærere loci, non impediendæ veræ fanctæque unionis caufa, fed ut vere unio fpontaneum, verum & indubitabilem fortiatur effectum, omni præditum divinæ humanæque dulcedine caritatis. Nam fi poffibile foret quamlibet partium jus fovere, & ad quamlibet convocationem concilii fpectare ordinario jure, ficut quilibet afferit, divinam veneratur quilibet caritatem, fi juri præponat fuo univerfale commodum ecclefiæ fanctæ. Infuper fi præter commodum proximi, juris fui gloriæ cedat, ne pudor proximi detegatur. Præterea cum ipfi dicant dubitandum, quis contendentium jus foveat? & propter hoc quemlibet alteri cedere debere in jure fuo, multo fortius quilibet affentire debet, quod unum communi confenfu congregetur concilium, ut exinde vera & indubitata unio facra Chriftianorum fiat de jure & de facto, quam ut unufquifque velit fibi jus competens vel prætenfum confequi; cum manifefte cernere poffit, immo quafi fe reddere certum, quod unio non fequetur exinde de facto, fed tertia trivilio plufquam dubitabilis de jure, & quantum de hominibus eft impoffibilis ad tollendum de facto, & plufquam impoffibilis ad tollendum de jure. Quoniam vero dixerant mutationem loci impoffibilem, dixit fe fateri de plano, quod impoffibile fimpliciter impoffibile eft, & nemo tenetur ad illud. Verumtamen hoc impoffibile non putat de facto & de jure, etiam quoquo modo fimpliciter: quod fi putaret, nufquam rogaffet pro mutatione ipfa, nec rogaret. Addit infuper, quod quædam impoffibilia erant natura, quæ tamen poffibilia effici poterant, quia obftaculo affiftente fieri non poterant: quo remoto, fic illud removeri non exiftente impoffibile; V. G. exiftente impedimento in quodam organo feu membro, multoties, ficut clare patet, illud ad fuas operationes redditur impoffibile quod remoto impedimento habile redditur: Similiter & potius mens humana, quæ cum fuis obumbrata voluptatibus, nec lumen veritatis infpicere, nec quod bonum eft velle poffibile eft, nifi impedimento remoto: quodlibet quidem obftaculum removeri, præterquam in obftinatis cordibus, poffibile fore nemo diffiteri poteft. Dicebat igitur quod certi effent, ipfum Carolum, quantum Dominus largiretur, omnino difpofitum, non obftinatum fore, fed femper paratum rectitudini acquiefcere rationis; & propterea ipfos rogabat, ipfifque toto affectu fupplicabat, quatenus fi aliis quam audiiffet rationibus deducere vellent, quod ipfe petebat injuftum fore, feu impium vel enorme, fibi placeret edicere verbo vel fcriptis: fin autem, cum fatis putaret eos cognofcere vel agnofcere potuiffe atque poffe, ea quæ propofuerat facram allatura unionem, veram & certam & omne commodum ecclefiæ fanctæ; vellent, amotis ambitionibus & odiis quibufcumque, quæ impoffibilem huc ufque petitam mutationem loci & congregationem communi confenfu facri collegii effeciffe videbantur, fuis humilibus petitionibus acquiefcere, quas non propter privatum amorem & odium, quæ folent a veritate divertere; fed folum propter omnipotentis Dei honorem, & fponfæ fuæ quietem, totiufque Chriftiani populi falutem & pacem porrexerat, dignarentur. Si autem induratum effet cor eorum, quod Dominum Deum avertere deprecabatur Carolus, non ecclefiæ tempeftate, quam exinde fequi videbat, dolebat tantum, quantum ipforum culpa & poena futura. Sciebat namque naviculam B. Petri apoftoli tanto altius extolli, quanto majoribus fluctuabat undis, nec Dominum oblivifci poffe fponfæ fuæ fciebat, dicente propheta: *Si oblivifci poteft* &c. nec propter fe tantum dolebat etiam, quantum propter eos. Si enim affligeretur in fæculum propter fua demerita, poena minus affligeretur æterna. Et fi quid propter facram unionem laboraverat minus debito, fi ultra quam potuiffet fe feciffe cernebat, gratiafque reddere tenebatur Altiffimo, fi quod voluit & licuit fecit. Agnofcere quidem fatebatur patrem qui in cœlis eft, & qui folem fuum oriri facit fuper bonos & malos, & pluit fuper juftos & injuftos homines, contra eorum voluntatem non falvare, juxta illud B. Auguftini; *Qui fecit te fine te, non falvat te fine te.* Concludendo ergo quod nullam aliam viam hac meliorem rationibus fupradictis proponere fcivit vel fciebat, quod fi ipfi meliorem agnofcerent, fupplicabat quatenus proponere placeret, & profequi quantum enim in eo erat, paratum fe offerebat in hoc. Sin autem, humiliter deprecabatur, ut nollent quantum in eis erat populum domini deftruere & ecclefiam facrofanctam perturbare & fcandalizare, cum per viam propofitam poffent unire & pacificare fi vellent; & fi non, fed quam incoeperant profequerentur, certe nifi valde fallatur, videre videtur ipfos quantum in eis antiquatum fchifma nedum futuros effe, fed perpetuaturos duplicaturofque, & quodlibet quid hactenus propter præfens fchifma & fcandalum fecutum eft innumerabilius multiplicatum

Ad quintum dixit certe apud quemcumque fapientem & probum virum effe debere, mutationem loci, cum exinde rationibus fupradictis & aliis patenter infpici poffet, pacificam, veram, facram & indubitatam unionem fecuturam fore, non ad magnum fuorum opprobrium, magnificæ communitatis Florentiæ, nec ad magnum fuorum civium difpendium, nec ad magnum fui ftatus periculum tendere, fed nec ad minimum cujufcumque iftorum. Nam fi honor, & quod magis attendendum eft, infpiciatur in quo principaliter meritum confiftit humanum, nequaquam dubitari valet, majus ei deberi præmium & honorem, qui publicum com-

ANNO CHRISTI 1409.

modum semper privato commodo præponit, quam ei qui postponit. De duobus ergo cum sit alterum necessarium, videlicet quod magnifica communitas Florentiæ unionem prosecuta fuerit propter publicum ecclesiæ commodum principaliter, vel propter suum principaliter, divinam quidem justitiam, cui nihil occultum est, quæ novit abscondita tenebrarum & occulta inspicit cordium, sua præferre libra eos qui commune prædiligunt bonum privato, manifestum est illis quod ampliora reddere præmia debet. Igitur prædicta communitas, si præmium quærit, majus minori præponere debent, & quicumque communitatem diligunt illam. Insuper si honor sæculi attendatur, vel a sapientibus, etsi pauci fuerint, vel a multitudine insipientium quærendus est. Si namque a sapientibus, quis sapiens non magis a sæculo usque nunc honorificavit publicum bonum privato præponens, quam e contra. Præterea quid dicetur, si Florentini trivisioni assentient, quæ e vestigio futura est, nisi locus mutetur, potius quam loci assentire mutationi voluerint? Unde enim ipsos magis unionem dilexisse, & omnia quæcumque fecerunt propter unionem fecisse probabitur, quam si fumo inani & commodis omnibus renuntiaverint, dummodo veræ valeant proficere unioni? Numquid forte propter pacem ecclesiæ, an propter ejus angustiam Pisas obtulerunt & dederunt? Si quidem ponderetur dispendium & utilitas, longe major apparebit utilitas, quæ Florentinis adveniet propter mutationem loci, quam detrimentum & dispendium quod sequi valeat inde. Dispendium enim & detrimentum propter mutationem loci temporaliter evenire potest, vel quia si alibi unio fiat quam in suis locis, cum multas ecclesiæ terras habeant, dubitant ne ita faciliter ecclesia & futurus pontifex illas sibi concedat, sicut si in sua ditione unio fiat, vel quia cum præsentialiter a rege Ladislao molestentur, non ita promta et subita subsidia quibus indigent ab ecclesia sperant, si alibi unio fiat, sicut in sua potestate: & hoc duplici ratione, vel quia foedus cum unito concilio traxerint, seu differri summi pontificis electionem dubitabant, quam suis profuturam, maxime, si cito fiat, opportunitatibus sperant, vel quia lucrum videantur amittere, quod ex gentium magno concursu ante & post tractationem futuri sacerdotis attendunt, necnon etiam propter speratas impetrationes officiorum & beneficiorum in Romana curia, quibus propter mutationem loci carere dubitant, seu saltem illa consequi difficilius posse. Verum ex adverso considerandum erat, quod quanto majus donum majusque beneficium ecclesia suscipiebat a Florentinis quanto liberalius & tanto amplius illos diligere tenebatur, & promta ad sua commoda reddebatur, affirmante sententia veritatis: *Qui plus recipit, amplius diligere debet*. Non ergo dubitare debent ecclesiam & futurum pontificem ipsis minus concessuros fore, cum viderint loca sua illos dedisse liberaliter, non venaliter, quam si non liberaliter, sed propter expectationem præmii. Si etiam lucrum cum damno calculatur quod Florentini percepturi sunt, vere modus propositus & petitus, non solum eis non debet displicere, sed illum toto posse perquirere & prosequi. Nam si lucrari sperant ex adventu multorum in eorum territorium propter concilium istud, & beneficiorum obtentu, absque dubio cum magis sint mercatores ubique terrarum, & magnum undique commodum percipiant propter pacem, parvum vero vigentibus guerris; cumque propter unionem maxima ubique pax fieri speretur, maxima vero jurgia atque bella propter trivisionem quæ secutura est, nisi petitioni isti assentiant, amplius lucrabuntur ex universali commodo, si non fiat concilium in terris suis, quam si in terris suis concilium fiat cum universali Christianorum discordia & incommodo innumerabili. Ceterum quemadmodum effectualiter dixerat reverendissimis dominis quatuor auditoribus, si dominus Gregorius concors fuerat cum eis qui Pisis sunt, non est putandum quod rex Ladislaus amplius contra Florentinos bellum prosequatur, præcipue prohibitus ab universali ecclesia, cum omnem colorem ultra ipsos invadendi amittat, & omnem spem suam consequendi intentum, videns uniri ecclesiam, & contra ipsius unitæ voluntatem sciens se nihil posse proficere. Verum præsupposito, quod bellum prosequi voluerit, potest dominus Gregorius quadraginta lanceas tenere, ad expensas terrarum ecclesiæ quæ sibi obediunt, ipso quidem cum illis, & per consequens cum Florentinis existente concorde. Hæ lanceæ in auxilium converterentur ipsorum; ipsis vero discordantibus, in sui hostis commodum & eorum detrimentum. Putabatque Carolus Florentinos potius ecclesiæ egere suffragio, eorum prout est conditione pensata, quam ecclesiæ ipsis commodum sit necesse esse præstare subsidium. Satis quidem manifestum esse, si sic ecclesia consistat, illos qui Pisis sunt eorum potius indigere suffragio, quam quod illis valeant suffragari. Si quoque ad electionem tertii pervenerint, aucta ecclesiæ dissensione; non perpendit quovis modo ab ecclesia sperare possunt auxilium, nec a futuro pontifice, quoniam immo potius necesse esse ipsos illi vel auxilium præstare opportunum, vel ab ipsis derelictum fore, & suo opere tertium, ut ita dicam, pontificem electum in sua causa succumbere. Electus namque quiscumque fuerit, si non prius inter illos qui Pisis sunt & Florentinos & dominum Gregorium concordia fuerit, ecclesiæ statum temporalem, quæ adhuc pro majori parte in manibus domini Gregorii est, non possidebit, nec faciliter valebit acquirere; unde nec potens erit illis præbere auxilium temporale. Cumque duos habuerit secum in cleri regimine contendentes, nequaquam audebit clericos sibi parentes gravare; non dixerit tantum propter Florentinis auxiliari, sed propter sui imminentes opportunitates, & quod potissimum erit, propter justitiæ cultum, ne ad adversarios fugiant. Porro utrum quæ proxime dicta sunt magis profutura Florentinis sint, quam lucrum quod ex congregatione hujusmodi percepturi sint, etiamsi duplicaretur, satis est patens. Nec minus si propter hoc sui sta-

ſtatus periculum vel incurrat vel evadat. Unde intulit, quod tamquam grati, ſi non propter aliud, quam propter Florentinorum meritum, honorem & incommodum petitis aſſentire debebant & tenebantur. Inſuper eis notificabant, quod eo per Florentiam tranſeunte, de his omnibus cum magnificis dominis prioribus artium & ſuis collegiis contulit; dumque videre viſus fuit ipſos magnam aſſumſiſſe ſpem ſua onera, pericula & jacturas tolli ſeu minui propter novam Piſis electionem pontificis, in hæc eis verba vulgaria orſus eſt: *Magnifici Padri e ſignori miei, mi pare vedere che la voſtra citta avrebbe biſogno, che la chieſa ſanta foſſe proveduta d' un paſtore buomo adulto e virile, che per ſe foſſe ſufficiente e poſſente a ſollevare le noſtre anguſtie, dubit . . . . ſe voi non mutate propoſito per voſtro onore . .*
. . . . ; . . . . . .
. . . .
. . . .
. . . . . Et demum de multis hinc inde diſcuſſis reſponderunt, quod valde contentabantur de loci mutatione, dummodo dominis qui Piſis erant placeret: & ipſo poſtulante & ſupplicante quod illos rogatos mitterent, reſponderunt, quod vere libenter facerent; ſed timebant, ne domini qui Piſis erant, indignarentur ſuſpicantes, ne eis propter hoc curialiter licentiam impertiretur, ut exinde concilium diſſolveretur & unio. Verum deinde Deum rogabant, ut gratiam præſtaret in oculis ipſorum ad faciendam ſacram unionem, de qua ſumme gratulabantur, quovis modo fieret, propterea ipſum inſtanter rogabant, ne ab incoepto propter ſacram unionem labore deſiſteret, ſed viriliter inſiſteret, ſperantes non defuturum ipſi divinum auxilium.

Ad VI. Ait ad ea quibus affirmabat aliorum dicta, ſicut ſupradictum eſt. Dum vero fundamentum ſic faciens de inconſtantia præcipue domini Gregorii inferebat, &c. dixit dominum Gregorium non ſic dicere, ſed quidquid fuerit in facto, etiamſi fuiſſet velut ipſi domini qui Piſis erant, dixerant, cum juxta Domini ſententiam, *duodecim ſunt horæ diei*, & in undecima fieri poſſit quod non factum eſt in aliis, & ſolvere jubet procuratorem ſuum venienti in noviſſima denarium ſicut & primis, neque debebant circumvenire ſeu repellere dominum Gregorium, volentem per ceſſionem, & omnem aliam viam juſtam & rationalem, quantum in eo erat, pacem exhibere veram, concordem & bonam. Se etiam valde ſtupere dicebat, quomodo tantam facere videbantur difficultatem de loci mutatione, propter afſertam per eos expertam domini Gregorii inconſtantiam. Si enim quod petitur, recta rationis libra penſetur, quomodo cogitari poteſt, quod dominus Gregorius petat quod unum communi conſenſu concilium fiat, ut ſit univerſale tam de facto quam de jure, locum petat partibus omnibus communem & tutum, ſi ipſe non intendat concilio illi intereſſe? Si namque hæc petitio exaudiatur, quare putandum eſt, ut ipſe locum parti ſibi fideli & tempus petat, in quo convenire & conciliari cum aliis tute & habiliter valeant? Quare inſuper quod ſuam & communem concilium auctoritatem habeat, quod eſt ipſum indubitabile ſacrum & potens ad judicandum & exequendum facere, ſi non velit concilio intereſſe? An ſibi parum eſt, quod aliorum judicari ſe videat auctoritate, niſi ſuam contra ſe præbeat auctoritatem? Quare etiamſi concilio intereſſe noluerit, dubitandum eſt, quod ipſe non exſequatur debitum ſuum. Et ſi concilium etiam ſua auctoritate congregatum in loco tuto fuerit, quomodo credendum eſt, quod dominus Gregorius velit aut auferit ſic, aut poſſit ſuæ ſe opponere voluntati & ſententiæ? Si autem petitioni aſſentiatur & ipſe interſit concilio ſacro & indubitato, quod certe putandum eſt, quis ſapiens quaſi certam, immo præſentem non inſpiciat unionem? Sicut inſuper dominis auditoribus obtulerat, quod dominus Gregorius ad petitum concilium accederet, & ſua ſervaret vota & juramenta & promiſſa, & ultra quidquid juſtitia & æquitas ſuadebat faceret pro ſacra unione. De uno offerebat ſe obſidem iturum in Gallias & quocumque terrarum. Verum his omiſſis, dato quod dominus Gregorius non accederet, ſive, ſi accederet, cedere nollet quemadmodum promiſerat, voverat & juraverat; certi eſſe poterant, quod apud partem domino Gregorio fidelem, ſuam juſtificarent cauſam, & eos qui in ſua remanſerant obedientia, vindicarent. Et ſatis comprehendere potuerunt ex his quæ venerabiles oratores ſereniſſimorum regum Romanorum & Hungariæ & illuſtris dominii Venetorum ſibi retulerant. Sin equidem crederent ipſi Carolo, triviſionem pro unione facerent, & multos inducerent in errorem pejorem priore, omnes autem ſaltem incertos, quid circa hoc credere quidve ſectari deberent. Quid enim iſtorum magis proficiat aut magis officiat populo Domini cogitent ipſi & judicent, divinum judicium præponentes omnium hominum odio & cupidini. Cogitent inſuper, rogabat, quid nocere poteſt mutatio loci, niſi quod parum augeat illis qui Piſis ſunt laboris & expenſæ. Cogitent alia ex parte, ſi non fiat, ſcelera, labores, & jacturas, quæ in univerſa ſequentur eccleſia. Et cogitent pro certo vereque ipſi atque quicumque fuerint, qui publica eccleſiæ damna & jacturas potuerit evitare & non fecerit, ſicut a culpa, ita a poena non erunt immunes. Et ſi dicatur, ſicut per aliquos jam prædictum eſt, quod pro ſubterfugio dominus Gregorius petit iſta, non credens eos aliquo petitis modo aſſentire; porro nimis inane & nimis ſtultum eſt pro ſubterfugio ab adverſariis quærere, quæ in ipſorum ſunt poteſtate acceptare, & faciliter, vel ſaltem non valde difficulter exſequi poſſunt. Ne putent quod ipſe Carolus tamquam ſervus S. R. E. in facto reintegrationis & pacis ſuæ aſſentiret, quod decipulæ pararentur, & multo minus ipſe eſſe vellet qui decipulas venderet.

Ad VII. Quoniam hæc tam per reverendiſſimos dominos auditores, quam ipſos reverendiſſimos dominos quatuor, necnon per ipſummet cum ipſo Carolo differta fuerint, ſu-

ANNO CHRISTI 1409.

superfluum dixit sibi videri super differtis amplius disputare. Sicut tamen aliorum suasionibus, rogationibus, hortationibus respondendo obtulerat, iterum offerebat breviter, Domino dante & cooperante, se cuncta facturum pro reintegratione & pace sanctæ matris ecclesiæ, quæ poterit, sciet, & debebit; sic versa vice eos, qui Pisis pro concilio congregati erant, rogabat, hortabatur, & illis toto corde supplicabat, quatenus assumtum laborem & factas expensas nolint pro parvis quæ superessent amittere, & pacem ecclesiæ pro parcimonia, lucro & otio venundare. Et etiamsi dominus Gregorius multo pravior fuisset quam dicebant, illud quod scriptum est attenderent: *Nolo vinci a malo, sed vince in bono malum*. Nolint, supplicabat multo amplius, cum possint juste & æque, aut nescire aut nolle pacem dare in ecclesia, qua nimium eget; sed contra omne ipsius commodum agere discordiam.

Auditis itaque per eos responsionibus, petierunt insimul seorsum loqui, & parvam post moram dixerunt, quod sicut reverendissimi domini & ipsi eum exhortati fuerunt super prosecutione unionis, iterum atque magis, si poterant, exhortabantur; quoniam licet plurimis rationibus persuasisset mutationem loci, omissis rigoribus juris quibuscumque, cognoscebant hæc quasi fieri posse, saltem per multos, etiamsi vellent, esse impossibile. Manifestum quidem esse dicebant multos ex patribus congregatis Pisis impeditos, alios senio, alios languoribus, alios egestate. Exemplumque adduxerunt de domino Penestrino, Gallico & aliis quibusdam, quorum nominibus non recordatur, qui propter prædicta non possent concilio interesse, si locus mutaretur. Non debere igitur velle hoc dominum Gregorium, neque ipsum Carolum, neque debere ipsos assentire dicebant, & propterea rogabant, *ut supra*.

Dixit se suo (judicio) satis supra dixisse. Supplicabat, quod eis ut fructum qui sequetur ex uno, & malum quod sequetur ex altero librare vellent. Insuper æqua lance discernere, quid magis veræ & indubitatæ unioni profuturum sit, an quod universali concilio non intersint hi quos mutato loco dicunt interesse nequire; an quod dominus Gregorius non intersit cum omnibus suis fidelibus. Ponderent etiam, si æquum est, domino Gregorio non complacere de loco sibi & suis tuto volenti juri sui papatus cedere, ut aliis paucis respectu sui & suorum complaceant. Qui tamen propter minimum respectum papatus beneficium ad remota orbis accedere conarentur, si seniores essent sive inopia aut languore amplius torquerentur. Adjecit præterea, quod loquens cum multis ex his qui fuerant obedientiæ Romanæ, dicentibus, quod etiam si Italici assentire vellent mutationi loci, Gallici potius ab illis discordes discederent quam assentirent, pluries intra se conferendo, cum manifeste certam unionem ex hoc fieri non dubitari credat ab eis, cumque & ipsi zelatores unionis non minus Italicis appareant, cogitavit cur ipsi renuerent quod appetere videbantur. Nec sciebat alias inspicere causas, nisi quia forte dubitant, vel per quosdam zizaniæ seminatores sibi suggestum est, quod si tota obedientia Romana convenerit, & dominus Gregorius cum eis, tunc primo petet super jure papatus sui per concilium terminari, & cum plures valde sint numero, & præcipue cum intra se divisi sint, timent Gallici non confundi, & sic timentes decipi non assentiunt. Verum ne propter hoc tantum deficiat bonum, immo ne propter tantum bonum, quod ex petitis veniendum est vero assentiendo innumerabile sequatur scelus & scandalum, ipsos certos reddit quod dominus Gregorius non tentabit, & de hoc vult ipse fidejubere & certificare eos se obsidem exhibendo, ut prius obtulit. Vult insuper omnes fortalitia quas ipse Carolus gubernat tradere in manibus ipsorum in abundante cautela, quod hæc omnia quæ promiserit servabuntur. Nec pavere debent quod ipse eos decipiat; nam quamvis insipiens sit, cur credere valent quod Dominum Deum suum, sanctam matrem ecclesiam dominam suam, in sui & universorum fidelium scandalum & detrimentum, decipere velit, ut præter demeritum & dedecus, personam & omnia quæ possidet perdat. Cur etiam pavere vellent, quod dominus Gregorius ipsum Carolum decipiat, cum in suis secundum sæculum manibus & potestate sit? Neque tam stultus est, quod non agnoscat, quod potius & prius se deciperet, quam ipsum Carolum.

Hoc igitur audito & facto, invicem adhuc collocuti dixerunt se valde libenter audivisse quæ dixerunt, quod multa audiverant super ista materia, quæ numquam audierant; & præcipue de securitate, quod dominus Gregorius cederet, & quod cuncta seriose referrent reverendissimis suis uniti collegii & capitibus nationum, qui ad tractandum hoc negotium electi fuerant a sacro concilio & eos miserant, & non dubitabant eos cuncta facturos illis possibilia pro sacra unione, & quod certe omnia facienda essent, nisi probata esset versutia de papatu contendentium & eorum subterfugia, quibus hactenus usi fuerunt. Insuper propter causas quas supradixerant, quasi impossibile fore sacrum concilium mutationi petitæ assentire, & propterea postquam dominus Gregorius nolebat cedere, melius & habilius foret ipsum Pisas accedere: quod si nollet, cederet per procuratorem, & quodcumque istorum faceret, suam optimam intentionem probaret effectu, & sacrum concilium sibi in suis & suorum commodis & honoribus nunc & perpetuo obligaret. Et hoc non loquebantur absque causa. Dicebant etiam hoc adversus Carolum, si tantum operaretur quod ille faceret. Ceterum ut melius & certius illis qui eos miserant referre valerent super voluntate domini Gregorii in modo cedendi: ecce dicebant: Nos scimus pravam intentionem domini Benedicti in cedendo. Cum ergo concilium esset congregatum, dominus Benedictus non cederet; quid ergo faceret si dominus Gregorius non cederet, dicens: Ego non teneor cedere, non cedente adversario meo. Petebant ergo velle informari, si dominus Gregorius cedere intendebat, si locus mu-

mutaretur, etiam domino Benedicto non cedente.

Dixit quod cuncta saltem effectualiter & seriosius reverendissimis dominis auditoribus dixerat; utrum autem ipsi concilio retulissent sua cuncta quæ dixerat ignorabat, licet credere debuisset quod sic. Quod autem concilium illud circa possibilia faceret pro sacra unione sufficere dixit, neque aliud petierat aut petebat ab eis, de versutia quidem & inconstantia domini Gregorii, & de securitate satis dicto nihil addere intendebat. Quod enim Pisas accederet dominus Gregorius neque justa neque æqua petitio videbatur, rationibus quas scripto & verbo jam dixerat, & multis aliis efficacioribus longe. Verum quamvis hæc tentare præsumeret, cuncta putabat officia perdi. Similiter autem quod per procuratorem cederet. Nec debebat suo videre nequam esse adversus dominum Gregorium, ipsum videlicet & fideles suos a concilio privando, ne incumbentibus publicis & privatis ecclesiæ commodis intersint, qui eos, sicut ceteros, si non amplius saltem tantum tangunt, dicente jure, quod omnes communiter tangit, ab omnibus debet communiter approbari; sed ipse dominus Gregorius volebat bonus esse, & cedendo juri papatus sui quantum in eo erat pacem reddere ecclesiæ sanctæ: quod quidem cedente domino Gregorio, suis se offerebant commodis & honoribus & suorum. Licet eo cedente, satis hoc justum censetur & æquum, nusquam tamen hoc petivisse aut petere se dixit, nec quidquam sibi super hujusmodi injunctum fuisse a domino Gregorio affirmabat. Satis autem jam sibi dixerat Carolus fore putabat, si quod debebat & poterat, faceret propter sacram unionem, quod facere hæc inde quærere humanum munus proposuerat, quantum Dominus donare dignaretur. Ad petita autem per eos super cessione, dixit quamquam abunde collegisse potuissent ex dictis jam per eum parte domini Gregorii, quod effectualiter erat ipsum velle & omnia & singula servare quæ promiserat, voverat & juraverat, & quicquid insuper tenebatur de jure, ulterius quidem quicquid justitia, æquitas suadebit pro parte ecclesiæ & vera unione ipsum forte facturum. Quamvis ipse nihil ulterius facere teneatur, & nihil ulterius ab eo quærere videatur honestum; tamen non parte domini Gregorii, sed habens fiduciam in Domino Deo & in bona dispositione domini Gregorii circa hoc promittit ex seipso & fidejubet, quod si petitis jam per eum assentirent, quidquid illiusmodi concilium sacrum terminabit dominum Gregorium facturum pro sacra unione, absque contradictione faciet, non solum usque ad cessionem inclusive, etiam domino Benedicto non cedente, verumetiam usque ad mortem, nec ista, quid aut quomodo loquatur ignorans, dicit. Ipse enim pluries ab ipsius domini Gregorii ore percepit. Rogabat igitur & supplicabat, ut immensum bonum, quod fieri facile poterat, non commutaretur in immensum malum quod imminebat in foribus pro facili re. Ipsi quoque his finitis cuncta se fideliter relaturos, & quidquid boni possent operaturos dixerunt, sperantes quod ipse Carolus a sacro concilio talia reportabit, quibus merito poterit contentari. Verumtamen si concilium suum deliberaverit non assentire petitis, eis supplicabit quatenus quæ dixerant, ipsi in scriptis darent. Insuper & si quas alias rationes haberent eorum concludentes animo, quod petitis nequaquam assentire deberent, aut etiam non tenerentur. Ipsos namque certificabat, quod quantum cognosceret, paratus erat non esse pertinax, sed semper acquiescere rationi, & similiter de eis sperare debebat, & de hoc eis supplicabat.

Hoc quidem nondum sermone completo, ecce nuncius ex parte reverendissimorum dominorum auditorum nuncians horam adesse, in qua cum Carolo simul interesse convenerant, & quod propterea congregati in domo domini Aquilegiensis, si de domo tamen bene recordatur, ipsum expectabant. Cui ipse dixit se paratum fore, neque propter aliud distulisse, quam quod occupatus fuerat cum reverendissimis dominis a capitibus nationum missis, de quorum transmissione ipsos ignorare non credebat. Tunc magister Thomas unus ex illis ait, se putare præstantius ipsos primo dictos dominos informare de his quæ cum Carolo contulerant, quam cum eis prius Carolus loqueretur. Et hæc omnia propter commodum unionis. Cui Carolus ait se de omnibus contentum, quæ ad unionem conferre possent. Sic itaque illis discedentibus, & pene ostium habitationis Caroli egressis, alius nuncius supervenit dicens, reverendissimos dominos suos Carolum ipsum præstolari, & quod nisi secum die eadem convenire posset, cum hora transiret, vesperascente jam die, circa alia quæ eis incumbebant unicuique opus erat versari. Tuncque equum ascendit, dumque pene prædicti ad reverendissimos dominos attigissent, ipse domum in qua convenerant ingressus est, & jam incipienti equum descendere occurrit quidam dicens, ei præfatos dominos ipsum rogare, ne moleste ferret, sed differret in crastinum mane loqui secum. Porro ipse statim dominum episcopum Cerviensem misit quomodo vocatus accesserat domum, si præciperent domum reverteretur, accessurus ad illos cum posset audiri. Nihilominus de sua expeditione rogabat. Ille quidem parvam post morulam rediens accessum illis tunc nuncians, quodque ignorassent eum domum illorum attigisse dicebant; quod si novissent, nequaquam retrocedere postulassent.

Accessit igitur, & ipsos octo congregatos invenit, atque alium simul, quem non noverat; sed per ea quæ a domino Mediolanensi audivit, Meldensis erat. Dominus Albanensis, si bene recordatur, dixit vere domini sui libenti animo Carolo complacerent, libenterque vellent, dummodo possent, quod ipse in his quæ tractabat, & in cunctis aliis honorem reportaret & votivum intentum; quodque propterea multoties ipsi & alii domini sui contulerant. Novissime etiam patruum quos ad eum miserant audita relatione, & quamquam ista non diceret pro finali responsione, tamen quantum suam tangebat personam, videns Carolo videri nihil fieri pos-

ANNO CHRISTI 1409.

posse sine mutatione loci, dolebat ipsum cernere, si fideliter tamen, incassum laborare. Nusquam enim rem hanc, utpote omnibus aliis magis exosam sacro auderet concilio proponere, ne sacræ unionis haberetur hostis, & quod vellet sacrum illudere concilium, & dissolvere putaretur. Verum si alium cogitasset modum, ut proponere vellet, quoniam dominos suos & universum concilium ad omnia alia sibi possibilia pro sacra unione & votis suis promtos experiretur. Inquiebat insuper, quod eis difficillimum videretur credere, immo quasi impossibile, quod aliud quam dixisset usque huc non haberet; & quod ipsi videretur, per eos aliquid offerendum aut faciendum domino Gregorio & suis ut cederet per se in manibus concilii sacri, vel per procuratorem, vel in manibus procuratorum concilii sacri. Certus autem erat quod domini sui & universum concilium in sua relinquerent discretione, facturi quidquid erga dominum Gregorium videretur faciendum ipsi Carolo. Dicebat etiam sperandum esse a dominis suis & sperare sacram unionem sequi, mediante ipso Carolo. Nam attentis obsequiis quæ domino Gregorio exhibuerat opere & verbo, ipsum videlicet recipiendo ab omnibus, quasi ab omnibus derelictum & repulsum, & sua jura defendendo, non erat dubitandum, quod Carolus videns loci mutationem impossibilem, nec universali concilio gratam, non consulat, non instet apud ipsum, quod nostris petitionibus cum ipsius domini Gregorii & suorum proficuo & honore annuat, & sic sacra unio fiat: præsertim si tam bonæ intentionis est, velut asserit; quod tamen sibi & aliis dominis suis difficillimum apparebat. Si autem non assentiat; tunc etiam non erat dubitandum, quod Carolus cernens ipsius deceptionem & malitiam, universalis ecclesiæ pacem & bonum potius diligeret quam cum damno & jactura ecclesiæ ipsius domini Gregorii inceptam ambitionem. Et propter hoc ipsum, velut tenetur, arctabit & coget. Ideo hortabatur & coget, &c. Modus rogationis omittitur, quia ille fuit qui alias. Demum conclusit: non obstantibus quæ dixi, domini mei & isti alii domini suam dicent intentionem.

Tunc dominus de Turrejo acutissime dixit, quod nullomodo erat tractandum de mutatione prædicta, quia dissolveretur concilium & unio totaliter destrueretur, si verbum super hoc fieret. Aliis vero omnibus quæ dixerat dominus Albanensis applausit. Similiter quidem & alii duo, unus tamen ex dictis quatuor ait: vos scitis domini mei, quod aliquis vestrum voluit verbum super hoc facere cum capitibus nationum, & scitis quod tam moleste tulerunt, quod dubitamus eorum indignationem nimis fore damnosam sacræ unioni & personis nostris: & ideo non est amplius loquendum de hoc. Nihilominus vertentes se ad alios quatuor, inquierunt: Dicite vos qui missi fuistis a nationibus, & melius noscere debetis eorum intentum. Hi vero quatuor hoc idem dixerunt effectualiter, nec ita mire locuti sunt, sicut ante fecerant, quando in domo habitationis Caroli fuerant.

His cum magna displicentia intellectis, quoniam videre videbatur futurum e propinquo jacturam & desolationem totius populi Christiani dolere quantum valebat, Carolus ait: Et super hoc nihil aliud dicere scire, quoniam dixerat satis super his quæ poterat circa hæc, & intendebat, & verbis superflua addere verba tanquam inane quid nolebat: ecque maxime apparebat ipsos divertisse quo nolebant. Ad suam tantum memoriam reducebat reverenter, quod novum suscitabant schisma, pessimam hæresim pariturum. Et cum ea quæ tentabant propter unionis opportunitatem dicerent se agere, unionis firmitatem, quam in unius pastoris reverentia dominus noster Jesus Christus constituerat, totum unitatis ecclesiæ robur mobile & tremulum facientes destruebant. Cum ergo hoc evitandum est. ipsi noscere debebant, & quantum jus canonicum & civile hæc detestatur, præcipue cum aliter sacra & indubitata unio fieri valeat. Et si unumquodque collegiorum quod deliberaverunt attentaverit prosequi, videlicet quem dixerunt suum pastorem deponentes, membra capiti rebellabunt absque opportunitate & utilitate aliqua, præter eam quod schismati augebitur schisma. Verum tamen cum nec dolere in ipsius Caroli potestate sit, nec posse proficere sibi appareat, & propter ejus absentiam & vicina illis regia Castra, terræ quas pro Romana gubernabat ecclesia, non sine periculo sint, nullo præsertim fratrum suorum in patria existente, rogabat, supplicabatque pro ejus expeditione, quam non nihil proficuam universali putabat ecclesiæ in conservatione temporalis status. Hoc idem quatuor a nationibus missis dicens, & addens quod rogabat eos, quatenus sicut sibi intentionem exhibuerant, saltem in ipsius Caroli excusationem quæ dixerat fideliter referre vellent. Insuper & ei dare in scriptis rationes, quibus urgebantur de non mutando locum, quoniam paratus erat semper certis acquiescere rationibus in his quæ cognosceret velut supra dixerat.

Tunc replicarunt allegantes nedum fore impossibile locum mutare, sed de mutatione loci tractare sine concilii & unionis dissolutione. Ipsum vero expediri statim a dominis suis procurarent. Sic & alii quatuor. Verum magister Thomas dixit Carolum non debere ignorare, quod ea quæ præcipue tantum important pondus, non ita faciliter & in brevi spatio describenda erant. Et quoniam Carolus suum frequentare videbatur discessum, licet putaret sacram synodum rationes quas postulaverat, sufficientibus committere patribus ordinandas, & in scriptis exhibendas, non tamen putabat ante suum discessum ei ipsas tradi posse, sed adhibita possibili diligentia per fidum illi nuntium transmitterent, quod ægre non ferre rogabant; fere quoque dixerat istud & dominus Meldensis post tergum unius dominorum quatuor missorum, qui juxta eum sedebat, se extendens. Satis plane dixit magistro Thomæ: non dicatis dari sibi in scriptis quidquam super hoc, quoniam domini mei cardinales deliberaverunt nihil sibi dari. Hoc quo-

quoque quamvis dicere secrete voluisset vel ostendisset astutia quadam, tamen Dei gratia totum Carolus audivit, & ex illa hora spem amisit amplius quid super hoc in scriptis habere, quod postmodum expertus est in facto. Surrexerunt igitur omnes, & dum sua curialitate & humilitate dominus Mediolanensis ipsum sociaret jam prope ostium cameræ, ipsis duobus existentibus, in hæc verba prorupit: Antiquitus & diu fuimus dominus Gregorius & ego constituti in minoribus valde domestici & amici carissimi. Rogo ergo quamquam nuncius magnus sis, dicas sibi mei parte, quod perventis nobis ad senium expedit cogitare animas salvare nostras. Relinquamus ergo dignitates istas, quæ magis vanitati quam saluti proficiunt. Cedat ipse papatui, & ego volo cardinalatui cedere. Eamus ad S. Nicolaum de lettore servituri Deo, & ibi sibi paratus sum servire per annum & ultra. Hæc omnia junctis manibus in modum orandi eum maxima efficacia dicere videbatur dicens: Rogo te, Carole mi, dicas sibi hoc mei parte.

Ad hæc Carolus ait; o Domine mi, quam bene verba vestra sonare videntur; sed cum dominus Gregorius velit papatui cedere, nec petat vos renunciare cardinalatui, nec quod sibi serviatis in monasterio, quare quod minus est secum non vultis in loco partibus tuto convenire, & ipse ibi papatui cedet, & vos persistetis cardinalis, & vera unio & sacra pax reddetur ecclesiæ sanctæ?

Ad hæc ait: certe, Carole, ipse non cederet. Gustui namque suo tam dulciter sapit super pontificatus cathedram sedere, quod numquam nisi compulsus descenderet.

Tunc Carolus: Si tam dulce est super cathedram B. Petri sedere, quod hi qui numquam sederunt, tanta vexantur rabie, quod ecclesiam & universum populum domini destruere non curant, ut citius sedeant, quare istum tantum quisque culpat, etiamsi aliquali mora fuisset deprehensus? Quis namque magis reprehendendus est, vel ille qui dulce gustaverit ferculum, si nullius concupiscentia labatur, vel ille qui in non expertam delectationem exarserit? Et cum posset unusquisque quem dominus elegit, unicus verus & indubitatus fore pontifex, si petitis assenseritis vos & alii, certe valde stupendum est quomodo unicuique tam infesta sit ambitionis voluptas, ut non valeant per paucos dies præstolari. Sed cum omni reverentia loquendo, similes mucipularum fiant, quæ propter frequentiam catulos suos pariunt coecos. Sed ecce justum & æquum est, ut peccata Christianorum inveniant eos. Etiam in hoc dixit non desineret admirari, quare non experientia comprobare vellem utrum dominus Gregorius cedere vellet, sicut oblatum eis erat. Nihil enim sic nocere poterat experientia hæc. Nam si dominus Gregorius cederet, suum haberent intentum; si non, omnes Christicolas de sua malitia certos redderet.

At ille: dicis hoc forte propter me, conscius ipse sibi: verum modicum de papatu curo per Dei gratiam, & sit pontifex quicumque voluerit, dummodo unio fiat; parum curo, licet quantum in me est, bonum pastorem optarem ecclesiæ.

At Carolus non amplius propter eum hæc dixerat verba, sed propter unumquemque magis & minus, velut magis & minus in hoc noxii forent, & se de unoquoque sigillatim putare quod unusquisque de aliis singulis putabat, & subridens licet corde tristis propter jacturam populi divini & properam, ad ceteros ait: Creditis, domini mei, quod dominus meus Mediolanensis cathedram illam libenter ascenderet? illi vero riserunt, & ipse Carolus: Certe in hoc credo quod vos omnes credere puto. Et his dictis ad suum rediit hospitium.

Dum hæc autem vicissim tractarentur, dominus Aquilegiensis tractavit cum Carolo, quod tamquam frater & amicus suus inspiciens ipsum ex jam coeptis honorem accepturum. Cumque sibi aperuisset ipsum Carolum non parum dubitare de electione futuri pontificis, cum ratione Gallicorum sibi pontificem quærentium, tum ratione Florentinorum, quos dubitabat etiam eis potius quam sanctæ ecclesiæ optare pontificem. Et propterea non solum propter cessionem, verum etiam propter securam canonicam & liberam electionem, ipsum instare pro loco extra Florentinorum fines, cogitaverat quod si Carolus tantum cum domino Gregorio operaretur, quod ipse Arimini cederet, cum cessio illa loco mortis civilis haberetur, non possent declinare Gallici & quicumque hujus forent opinionis, quod electio futuri pontificis fieret Arimini. Ex qua omnis suspicio Carolo cessare debebat, & certificari quod futuri pontificis electio, certa erit & libera. Insuper ad perpetuam famam domus suæ & ipsius hoc futurum erat, quod in ejus, ut ita dicatur, domo schisma quod per xxxi. annos duraverit & ultra sedatum sit. Nulli enim principi Christianorum (cum multi appeterent) hoc datum fuit. Rogabat ergo, quatenus sibi concessam gratiam agnosceret, & ipsa uti non negligeret. Propterea pontifex ille futurus, cum concilii opus sit, congregare illud incumbet sibi, nec alibi quam ibi congregare ipsum velle aut posse commode putandum est, & sic ecclesiæ sanctæ serviet, quod electio & concilium ipso operante in domo sua erunt libera. Hoc idem frater suus Malatesta Pensauri dominus dixit.

Ipse quidem domino Aquilegiæ inquit, jam dixisse se totum acturum & curaturum pro sacra unione, quod dominus posse concederet & debere noscet. Ultra autem posse si se offerret, stultus foret; si tentaret, plusquam stultus; ultra autem quam sibi videatur debere, malus foret si facere auderet. Hoc autem dixit domino Malatestæ fratri suo. Sed addidit se non parum mirari de eo, & quod certe id erat quod a cunabulis noverat, nec crederet ipsum alterum fore, nec crederet ipsum sæculi pompam suo magis diligere debito, & quod suo debito non faceret, propter pompam nemo speraret ipsum esse facturum.

Dum esset invitatus etiam a domino Mediolanensi & a prandio recederet, prope scalam constitutum cum domino Mediolanensi, rogavit quod domino Gregorio ambassiatam face-

ANNO CHRISTI 1409.

faceret, quæ supra dicta est.

Iterum vero ipsi ille respondit, ut supra: sed addidit vos vultis quod dominus Gregorius papatui cedat, quod non parum est: Et vos non vultis juri vestro congregandi concilium cedere & locum mutare, quod respectu ejus quod petitis parum aut nihil est. Nihilominus quod injunxistis fideliter referam.

Postquam autem cum illis dominis octo in præsentia domini Meldensis Carolus contulerat, accessit ad eum magister Thomas die quadam, dicens cum magna displicentia videre ipsum sine conclusione unionis, vel saltem sine optima spe unionis discedere. Primo namque considerabat bonum unionis in se, quantum rei obligatus, necnon propriæ ejus personæ, & cum diu ipsius Carolus notus & benevolus, & beneficia tam a domino genitore suo quam a civibus Arimini & ab ipso Carolo non pauca susceperit. Unde postquam discesserat a dominis suis, plurimum cogitavit quomodo fieri posset quod prædictis & pluribus aliis rationibus optabat, vidensque mutationem loci impossibilem, nec fieri posse unionem, nisi dominus Gregorius cederet, sperabat quod si Carolus domino Gregorio offeret aliquid honorabile & utile suæ personæ & suis, ipse acceptaret. Cogitaverat eum pro honore personæ domini Gregorii, si Pisas vellet accedere, quod aliqui ex cardinalibus, & si bene Carolus recordatur, videtur sibi quod dixerit de Italicis & Gallicis irent usque Ariminum obviam sibi, qui cum honorabili numero prælatorum ipsum Pisas honorifice sociarent, ubi etiam honorifice receptaretur, & ibi cederet, & ecclesia & futurus pontifex illi provideret de aliqua legatione honorabili; insuper statui fratris & nepotum suorum opportune & honorifice, & quoniam sciebat dominum Gregorium, cum de sua cessione tractaretur, aliqua a collegio suo postulasse pro suis affinibus, dicens non esse decens suos non remunerari ab ecclesia, si cederet papatui, sperandum erat omnino ipsum assentire debere, si hæc sibi offerrentur. Et si nollet Pisas accedere, quamvis melius ageret si veniret, & rem magis concilio gratam universo, cederet Arimini in manibus venerabilium patrum, quos concilium transmitteret incondecenti numero & reverentia, juxta quod mittentium & ejus ad quem mittentur honor exigeret, cum juridico & pleno mandato, ad recipiendum nomine et vice sanctæ matris ecclesiæ universalis cessionem prædictam, et ad promittendum sibi nomine et vice prædicta, quod ea quæ sibi promissa fuerint, ut supra dictum est, integraliter sibi et suis servarentur. Considerare namque debebat, ad quid ex voto et juramento suo tenebatur, et quantum proderat ecclesiæ et sibi et suis: ex adverso quidem quot mala sequebantur ecclesiæ, quot sibi et suis pericula. Cernere quidem poterat, nisi hoc faceret, se omni ecclesiæ exosum, atque ab omnibus derelictum. Concludens igitur diserte ornateque Carolo persuasit intercedendum propter hoc apud dominum Gregorium, ut sibi præmium et gloriam magnam apud Deum et homines vendicaret.

A Ad hoc Carolus ait, quod regratiabatur sibi de his quæ domestice secum contulerat, et versa vice tamquam notus et filius suus dispositus erat secum amicabiliter conferre et domestice, nolebat namque valde cernere quod cernebat, licet verecunde referret, ipsum referre compelleret veritas, videbatur sibi quoque videre omnes excusationes super mutatione loci sibi factas frivolas et inanes esse. Ideo videbantur sibi potissimæ causæ quare locus non mutabatur, non illæ quas dixerunt, sed aliæ quas ne dominos Pisis existentes irritaret, neve putarent ipsum odii causa, seu inter eos scandalum suscitandi dixisse, tacuit coram eis; nunc vero instante opportunitate tamquam patri et amico fa-

B miliariter pandere deliberaverit, quod hæc sibi videntur, incipiendo a Gallicis, quoniam eos numquam consensuros dicebant Italici, primo namque quia interpretando eorum voluntatem in melius considerabat, quod vehementer titubarent, ne pars domini olim Urbani congregarentur omnes insimul. Sciebant enim, esto quod utraque pars integraliter cum altera conveniret, partem domini Urbani suam excedere tantum; quod si duo essent ex ipsis in concilio, quinque ad minus forent ex nostris. Cumque sciant inter eos schisma vigere fortius valde, et propterea dubitabant de violentia; primo ne Italici vellent ante omnia super jure contendentium

C de papatu terreri, deinde dato quod hoc sibi dum tolleretur, dubitant ne circa beneficiorum moderationes in quibus cum nostris concurrunt succumbant. Sed alia causa esse potest, quam pudibunde referebat ex parte dominorum Gallicorum. Nam si tantum papatum ambierunt, ut plures ex nostris dixerunt, unde factum sit schisma non judicandum est, sed cavendum a nostris juxta illud Domini. *Estote prudentes ut serpentes & simplices sicut columbæ*, ne quod circa XXXII. annos experti fuerunt, obtinere per directum non valuerunt et per indirectum, vel saltem sustantialiter obtinere procurent, et propterea sumserint occasio-

D nem impossibilitatis mutandi locum, ne obedientia Romani pontificis insimul integra valeat convenire et concordare. Putant quidem si Romana obedientia concors fuerit, nusquam velut illi, neque in papatu neque in papatus administratione, diebus præsertim his, potentes fore: unde si in unum convenerint, dum appareat eis illos faciliter concordaturos. Cumque inspiciant, discordia loci inter illos vigente, nusquam inter eos concordare posse, quod de loco concordent non assentiunt, quin immo impedire satagunt. Cogitantes vel propter illorum discordiam ad sanctuarium Domini hæreditate possidendum reverti sicut hactenus: vel

E si non potuerint, et in unum obedientiæ Romanæ assentire opus sit, gratis et liberaliter ostendant largiri velle, quod obtinere non possint, et tantum obtinere effectualiter, quod aliis largirentur apparenter. Quis enim tam insipiens est, qui non videat, si fideles Gregorii non conveniant, et concordaverint cum aliis qui Pisis sunt, quiscumque fuerit Pisis pro pontifice electus, omnino, quamquam fuerit Italicus natione, fide

et

et voluntate oportebit a Gallicis dependere. Et si noluerit, in causa papatus succumbere opus habebit, neque ad sinistram neque ad dextram declinare, nisi quantum, seu voluerint, seu assenserint Gallici. Si ceterum ad partem Italicam suam Carolus vertebat considerationem, videbat, heu! quosdam tanto odio, quosdam tanto ultionis debacchatos ardore, quod nollent dominum Gregorium cedere & ecclesiæ pacem reddi, sed potius non trischisma fieri, sed centischisma, dummodo dominus Gregorius cum suo scandalo & suorum cedere oporteat, vel quod a papatu ejiciatur tamquam schismaticus & hæreticus. Quosdam vero jam sibi videri visos cathedram ascendisse, ex promissionibus quas susceperant & cautelis quas adhibuerant, tantum tædebat ad horam nedum per dies moræ scandendi. Insuper tantum dubitabant ne mutatione illa, & majori in electione adhibita libertate, a suo proposito evanescerent, quod prius, proh dolor! coelum & terram ruere assentirent. Audisse insuper dicebat, si promissionum observatio circa multos servata non implicaret contradictionem, tot futuros pastores tam de collegio Italicorum, quam de his qui erant prælati extra collegium, quod pene tot eis oves subjectæ forent. Hoc etiam non paucos sperare ex eorum proprio ore & gestu didicerat. Hinc igitur isti non solum supradictis causis, quascumque alias fingerent causas, loci mutationem & alios impedire sufficientes erant; sed si Dominus Deus annueret omnem confundere unionem, atque alios ad unionis seducere turbationem: in his, inquit, mentem suam cum ipso familiariter effudisse juvabat. Addens quod certe non solum qui tam ineptis voluptatibus & ambitionibus ecclesiam sanctam destruebant; sed quicumque juxta posse, aut prece, aut pretio, aut formidine juncti non resistebant, magnam in districto examine apud omnipotentem, sapientissimum & justissimum judicem, cui nihil cordium occultum est, poenam eis vendicabant. Ad dicta quidem per eum respondebat, quod quicumque vellent fingere sibi poterant, quod aliud habuisset in mandatis a domino Gregorio, quam illa quæ dixerat; sed veritatem dixerat, & non credebatur; & si credebatur, non credi fingebatur; & hæc omnia in detrimentum sanctæ matris ecclesiæ & in augmentum schismatis redundabant. Et quod verissime a domino Gregorio, nec ab aliquo suorum quidquam petere habuerat in mandatis, ipso cedere disponente, nec si aliquid offerrent acceptare, & quod nullomodo credebat dominum Gregorium cessurum per viam illam, & præsertim quoniam pluries audierat ab ipso, quod potius mori volebat, quam propter molestiam hoc temporale cederet præmium. Et quod sponte, si permitteretur, cedere intendebat in hoc propter honorem Dei & ecclesiæ pacem. Dicebant etiam Carolum, etsi ipse oppositum asseveraret, eum tamen hoc credere. Si namque dominus Gregorius præmium quærebat æternum, nesciebat qua ratione æternum pro temporali seu amittere seu commutare vellet. Si vero temporale, hoc dupliciter quæreret, vel honore vel gazis. Si honore; vel quod tamquam virtuosus coleretur, vel tamquam dominus magnus & potens eximiaque potestate venerandus. Quod cum detur, istorum quis negabit, de primo quod potius liberaliter cedat, quam mercede, & quod præmium potius post actum expectet, quam quærat ante, si de aliis quod dicebat ipse Carolus, offerri illi poterit quod circa potentatum & gazarum venerationem papatui æquipolleat suæ personæ personisque suorum; etiam non parum admirari inquiebat, quod ipse tam prudens Carolum rogasset, quod offerret domino Gregorio legationem, & non dicebat quam, & super omnibus aliis generaliter loquutus fuisset, nihil specificando. Quid enim diceret dominus suus dominus Gregorius papa, si ista sic suæ proponeret sanctitati? Numquid dicere posset: quid hoc tentasti sine mei licentia; insuper quid mihi refers? Quid igitur ad hæc responderet Carolus, a sua quærebat reverentia.

Ille vero hoc audito, breviter & effectualiter persuadebat ut supra, dicens nullo modo hanc practicam omittendam fore, & quod sperabat ipsam esse unionem parituram; quodque satis videbatur honestum. Carolum tam nude ad dominum Gregorium super hoc non redire, & quod cogitaret, super hoc, & in crastinum clare & particulariter suum vivere diceret.

Ad ista Carolus ait, se non ista præstolari, quia non propter hoc venerat, sed tantum responsionem a reverendissimis dominis qualem sibi exhibere vellent; & reverti, & respondere, vel non, beneplacito relinquebat suo: ex quo ille videns Carolum, satis lætus discessit, credens forte, licet, noluisset exprimere, Carolum tandem super hoc practicaturum; videns circa postulata per eum nihil omnino referre posse.

Die quidem sequenti reversus fuit ad eum prædictus magister Thomas cum quadam cedula, in qua continebantur quædam, quæ videbantur ipsi magistro offerenda per Carolum domino Gregorio, patierat pro suis attinentibus a suo collegio, in casu quo cederet, & quod habito respectu ad præsentem rerum dispositionem, & ea quæ petiverat, ista illi offerenda videbantur.

Primo, si vellet Pisas accedere, quod unitum collegium, sacrum concilium, & domini Florentini illi & suis bonos salvos-conductus & in plenissima forma concederent.

Secundo, pro reverentia status ecclesiastici & personæ suæ, de obviataris providerent, ut sibi dixerat prius.

Tertio, quod honorifice & caritative ab universo concilio recipietur.

Quarto, quod cum cesserit, provideatur suæ personæ de legatione Fori-Julii & Marchiæ Trivisianæ per totum tempus vitæ suæ; & si in curia voluerit prope futurum pontificem morari, venerabiliter tractetur inter cardinales ceteros; et de tot sibi provideatur beneficiis, quod vitam ducere valeat honorabilem.

Quinto, cum suum collegium ad sui instantiam promiserit nepotibus suis providere in patrimonio de Monte-Flascone, de Corneto, de Urbe-vetere et in Romandiola de Foro-Pompilio, Forlivio, et Faventia, et quod

quod eis provideatur de terris illis alias sibi in patrimonio oblatis. Verum cum dubitet, ne dominus legatus Bononiæ assentire noluerit, quod eis terræ illæ Romandiolæ traderentur, rogabat Carolum, quatenus cogitare et dicere vellet, quid illi æquivalens sancta mater ecclesia concedere posset, si dominus legatus non assentiret, de quo valde erat dubitandum. Insuper cogitaverat intra se, cum Caroli sororem in uxorem habeat Johannes Galeaz, ne ipse Carolus libenter tractaret alteri quam cognato suo Faventiam dandam fore. Hæc quidem dicebat ex se ut tantum sequeretur bonum cogitasse; tamen si Carolo videretur amplius quam dixerat, domino Gregorio & suis per unitum collegium et sacrum concilium debere auferri, rogabat quod sibi tamquam amico suo pandere vellet, promittens, quod si voluerit hujus tractatus promotor videri, ipse nihil parte ipsius dicet de eo quod avisatus fuerit ab eo parte ipsius Caroli; sed tamquam a seipso tractabit, et quod effectum Caroli optatum res sortiatur toto posse & fideliter laborabit.

Ad hoc inquit Carolus, quod ignorabat quid inter dominum Gregorium et suum collegium tractatum fuerit, et quod ipse magister Thomas bene sciebat ipsum, quando hæc tractata dicuntur, fuisse Mediolani, & quod quicquid fingeretur, non sperabat hanc viam posse unionem producere, nec absque causa loquebatur. Sed per ea quæ manifeste didicerat tentans a domino & suis, verum quidem considerabat illam esse viam certam ad unionem quam proposuerat, si domini qui erant Pisis, vellent illam acceptare: quia, sicut jam dixerat, vel dominus Gregorius servaret quod promittebat, & sic unio certa, indubitata et sacra; vel non, et sic confusus et ab omnibus derelictus ejicietur. Et quamvis alias dixisset, iterum dicebat se nequire comprehendere, dicant quod voluerint, quo jure, qua æquitate, qua honestatis fronte negabant assentire petitis. Et sicut dixerat, si proposita nolebant acceptare, æque bona, vel meliora et magis æqua proponerent loca, et tunc si Gregorius non acceptaverit, erunt excusati. Dolebat, sed nihil ultra valebat, quam referre fideliter domino suo papæ, dum ejus præsentiam adibit, quæ super hæc dicta sibi fuerint. Non enim practicare quidquam in his auderet, cum contra omnem suam foret impositionem. Hoc tamen non tacebat, quod si dominus Gregorius vellet pro munere temporali proprio et suorum eis assentire, pro nihilo putabat hæc posse concordari inter eos, quamvis non possent eis dari terræ illæ Romandiolæ. Nam de duobus alterum fieri posset, vel enim eis per ecclesiam tot donarii super impræstitis Venetiarum, quod ex eis perciperent æquivalentem introitum terrarum illarum, detractis expensis pro ipsarum custodia opportunis, vel aliæ æquivalentes darentur. Et quod vere, si de propriis quas pro Romana quam gubernat ecclesia illis dari expediret, contentabatur dummodo vera unio fieret in populo Domini. Hæc male libenter Carolus dixit secum contulisse propter duo. Primo quidem ne videntes istis ipsum aurem præbere, putent quidquid ostendat, non tractare super hoc absque consensu et commissione domini Gregorii. Secundo et maxime ne putantes hoc absque eo quod petitis assentiant putent unionem fieri posse. Sed nolint primum credere rogabat, quoniam vere hujusmodi credulitas falsa erat; nec velint sperare quod unio fieri possit cum concordia partium, nisi vel Dominus omnipotens mutet mentium voluntates, vel nisi locus D. Greg. et suis tutus concedatur. Et alia quidem parte dixerat quæ dixerat dixit, ut si cum domino Gregorio convenirent, quod illi possent, et quomodo sibi et suis providere, sciant, cum Carolum pluries interrogaverint domini auditores per se et alios; deinde ipse magister Thomas cum suis collegis, et tandem per seipsum de provisione quæ sibi domino Gregorio et suis per eos fienda videretur, si cederet.

Reversus vero postea cum apparenti licentia, dixit se hæc quæ cum ipso Carolo contulerat, cum dominis suis collegii uniti contulisse. Sperabatque ipsum ab eis gratum et votivum accepturum responsum; et si bene recordatur Carolus ipse idem ait, quod domini prædicti convenerunt omnes in unum propter suæ expeditionis causam, quodque eum in loco S. Martini expectabant.

Igitur vel per ipsum vel per alium, quod nihil ad substantiam refert, vocatus accessit ad locum in quo convenerunt omnes qui Pisis erant uniti collegii, præter vulgariter dictum dominum Pictavensem, aliter vero Penestrinum, qui tunc defuit, et dominum vulgariter dictum Neapolitanum, si bene recordatur, capta occasione senii et languoris. Cumque coram sedentibus ipse sederet, suo videre dominus Albanensis ex parte omnium effectualiter dixit, quod attenta perfectione unionis quam Carolus tractabat, quamque ipsi toto corde dilexerant et diligebant affectu, et usque ad mortem prosequi, quantum in eis erat, forent dispositi. Insuper et fidelitate suorum progenitorum et præcipue genitoris illius, quam a longo tempore erga sanctam matrem ecclesiam conservaverant, necnon ipsius fide et labore, quæque propter zelum tam pii operis sumserat, multotiens domini sui cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, atque ipse una cum eis cogitaverat, existente impossibilitate assentiendi petitis per ipsum rationibus quas pluries secum contulerant, modos invenire, per quos optata per eos et illum sacra unio effectum sortiretur, sed et ipse inde honorem acquireret. Et cum vidissent ipsum Carolum circa ea quæ petierat instare tantum, nec alios voluisse proponere modos valde doluerant, tamquam propter impossibilitatem annuendi disperati. Nuper quidem cum accessisset ad eos magister Thomas ordinis Prædicatorum, et quædam illis ostendisset capitula, quæ cogitasse dixerat, et cum ipso etiam Carolo contulisse, ne tantum bonum ex ipsorum causa deficeret, neve ipse Carolus sanctæ matris ecclesiæ filius sua frustratus intentione abiret, contenti erant assentire, quod omnino domino Gregorio et suis facienda promitterentur, et servari promitte-

tebat, ficut in prædictis capitulis continebatur. Infuper non dubitant quod facra fynodus univerfalem repræfentans ecclefiam, his omnibus affentiret, et quod domino Gregorio et fuis fervarentur quæ promitteret folemni ftipulatione. Rogabant ergo Carolum multis obfecrationibus et adjurationibus, quæ cum fupra dictæ fint, omittuntur, quatenus ita inftare vellet, quod per hunc modum facra fieret unio. Sciebant namque quod fciret et poffet fi vellet, neque dominus Gregorius his quæ offerebantur diffentire deberet, neque et fui. Magna quidem erant quæ pollicebantur, et ultra hoc perpetuis temporibus ipfe dominus Gregorius et fui fanctam fibi obligabant ecclefiam ad gratias beneficia potiora, quoniam per ipfos pax reddebatur ecclefiæ tanto tempore per alios fciffæ et afflictæ. Hæc Carolum tentare debere dicebat, primo honorem Dei, et populi Chriftiani falutem fi infpiciat et commodum: deinde fi privatum meritum & gloriam hic & in alia vita, etiam quoniam dominum Gregorium diligere videtur, quem fuum vocaverat & vocabat, quem ex hoc manifefte videbatur magnum fore meritum & præmium quæfiturum. Nec fufpicaretur ipfe Carolus, quod ex hac obligatione ullam fimoniæ incurreret maculam. Poterat quidem, immo fecundum facra decretalia decens erat per fummum facerdotem providere prælato, qui ad evitandum fcandalum & bellum beneficio cedebat fuo. Multo igitur fortius per univerfalem ecclefiam & futurum pontificem provideri decebat, immo debitum erat, domino Gregorio, fi propter tantum fcandalum evitandum tanto renunciaverit beneficio. Ulterius fi videretur per eos aliquid ultra domino Gregorio offerendum, rogabat ipfum parte dominorum fuorum & fui, ut vellet illis pandere ante fuum difceffum, quoniam difpofiti erant nihil de poffibilibus eis negare domino Gregorio & fuis tamquam benemeritis, dummodo difponeret velle abfolute cedere, quod debebat propter fuum juramentum & alias multiplices rationes facere. Et ut Carolus cerneret manifefte optimam difpofitionem, & quantum optabant ipfum honorem fufcipere ex affumto unionis tractatu, licet foret, omnibus, qui ad hoc facrum concilium venerant, & præfertim dominis omnibus ultramontanis, Francigenis & Anglicis & multis hujufmodi, qui per mare venerant, & cum maxima difficultate opus haberent fibi equos & alia opportuna fere eis reperiri impoffibilia, mutando locum, ad quem non poffent per aquam pervenire, contenti erant fi dominus Gregorius nollet Pifas accedere, nec renuntiare per fuum procuratorem, neque in manibus procuratorum facri concilii, præeligens propter mundanam pompam cum incommodo & difpendio ecclefiæ locum mutari, quam ecclefiæ complacere, & ipfam fibi perpetuo obligare, per xx. milliaria vel xxx, ad plus ultra Pifas infra terram ad locum congruum accedere, dummodo fecuri forent, quod ipfe accederet & cederet, ficut ipfe Carolus dixerat eis, fi ad petita loca potuiffent ire. Quoniam ergo videre poterat Carolus quod nihil de contingentibus per dominos fuos & ipfum omittebatur propter facram unionem perficiendam, concludebat rogans, obfecrans & adjurans, &c. Deinde vertens fe ad dominos adftantes, dicebat fe dixiffe, quod ei injunxerant, quantum fciverat, fecundum quod ipforum ultimæ intentionis effe comprehendere poterat. Nihilominus rogabat unumquemque eorum, quatenus omiffa per eum fupplere & minus bene dicta corrigere placeret.

Deinde dominus Aquilegienfis affirmans dicta per eum, ait fe aliquid dicere velle propter meliorem unionis effectum, & ipfius tractandæ certius medium, non vero fupplendi emendandive caufa.

Primo quidem videbatur fibi, fi dominus Gregorius nolit Pifas accedere, fed omnino locum mutari, & quamvis concilium congregatum Pifis fit fufficiens ad negotium unionis perficiendum, & alia ecclefiæ fanctæ incumbentia, tam de jure quam de facto, fi dominus Gregorius petit aliud concilium convocari, ficut per ipfum Carolum petitum videtur. Quare hæc cum fui domini & ipfe, ficut alias dixere, nefcirent apprehendere finceritatem animi domini Gregorii, nullam inde infpicientes opportunitatem. Quærendum itaque videbatur a Carolo & ab ipfo certificari debere, antequam locum & concilium mutent, ne in unionis detrimentum hoc quæratur per dominum Gregorium & fuos. Poffet namque cogitare mutare locum, prorogare concilium, & ad nullum demum ceffionis pertingere finem; fed cum aliis coloribus novas juftificationis fuæ exquirere fallacias. Ex quibus alterum putaret, vel quod impoffibilitate fatigati fecederent patres, & fic unio defolata, vel quod ipfe juftificatus appareret. Vel, fi tantum machinari valeat, quod tota obedientia domini olim Urbani unita congregaretur, petere forte putat, quod primo & ante omnia fuper jure papatus difcutiatur, vel forte amplius, quia quod dicit dominum Urbanum fuiffe in plena poffeffione univerfalis obedientiæ, & per nonnullos nulla legitima lata fententia, ipfum fua obedientia fuiffe fruftratum, tamquam fucceflorem in pontificatu domini Urbani poftulabit, ficut de facto expoliatus fuit, ita de facto primo & ante omnia reftituatur, & per viam hanc putat inter obedientiam Romanam & partem Gallicam, quam unitam quafi cernit, novam fufcitare diffenfionem, & abolitum fere fchifma in pejus priore indeteriorare. Poftquam igitur hæc videre videbantur, dicebat quod nullo modo hanc fraudem pati volebant nec debebant in tantum ecclefiæ dedecus & incommodum, & propterea certificari volebant fi locus mutaretur, & fi affentirent quod unum communi confenfu congregaretur concilium, ne dominus Gregorius aliquid fuper jure papatus fui & obedientia fibi reftituenda petat. Scire quidem dicebat dominos Gallicos iftis numquam confenfuros, neque ipfi affentire intendebant, ne jam facta inter eos unio & concordia in divifionem & fcandalum pervertatur.

Infuper dubitavit, ne dominus Gregorius quæreret, quod concilium terminaret antequam cedat, utrum fi hæreticus vel non; & pro-

& propter hanc discussionem vel schisma in concilio, vel concilii dissolutio fiat, vel quod ipse papa judicetur & remaneat papa. Hoc autem minus quam primum sustinere dispositi erant. Igitur certificari petebant super his antequam locum concilii & concilium mutent.

Insuper vertens se ad ceteros dominos astantes, dicebat: Domini mei, puto bonum de locis ad quæ ire possimus & deliberavimus Carolum certificare, ut melius & certius tractare possit: cumque illi dicerent bonum eis similiter videri, ipse dixit de S. Miniate, vel Pistorio, eos deliberasse, & quod sperabat dominos suos obtenturos talem securitatem a dominis Florentinis fieri domino Gregorio si vellet ad prædicta loca accedere, quod merito contentari poterit, sperabat etiam depositionem fortalitiorum alterius istorum locorum, ad quem dominus Gregorius accedere deliberaret, se obtenturos in manibus fidorum partibus fieri.

Dicebat etiam non parum dubitandum, quod dilatio temporis quæ petebatur a domino Gregorio, ut pars sua cum aliis valeat convenire, in desolationem concilii & unionis redundare possit, & propterea volebant scire quantum differri concilium petebatur.

Verum si dominus Gregorius recte vellet incedere, sicut Carolus dicebat, ut ipse Carolus perpendere possit, quanta cum caritate erga ipsum dominum Gregorium domini sui incedere velint, inquiebat quod si in curia stare vellet, quantum in eis erat procurarent cum ceteris dominis cardinalibus apud futurum pontificem honorabilius & gratiosius tractari. Præterea ut inde suos honoraret, unde haberet quod vivere honorifice ipse posset, provinciam Marchiæ Anconitanæ sub suo regimine dari promittebant per totum tempus vitæ suæ.

Et quoniam dominum Gregorium forte puderet inter dominos cardinales sedere, super quos semel tamquam papa insedit; si nollet in curia morari, ei promittebant provideri de legatione, quam magister Thomas dixerat, ut cum honore suam ducere valeret vitam & quiete. Considerabant enim ipsum magis in legatione illa, quam alibi, quietam ducturum vitam. quoniam patriæ illi finitimus erat & notus.

Concludebat tamdem, si locus mutaretur, & de tempore concilii congregandi cum ipso convenirent, ipsos omnino certificari velle dominum Gregorium cessurum absque ulla contentione sive hæsitatione aut subterfugio.

Cumque nullus prædictorum dominorum ulterius addidisset, sed quisquis quasi effectualiter affirmasset, dicta per duos, & exhortando quæ illi, sermonem consummasset suum, respondens Carolus primo ad dicta domini Albanensis, in substantia dicebat:

Post gratiarum actiones de approbata fide progenitorum suorum, & de commendato labore ipsius, ad quem tamen se obligatum, divina illustrante gratia, cognoscebat: gratias iterum referebat de cogitationibus sumtis per eos propter ipsius honoris affectum, maxime quidem tamquam ex fidelibus minimi, quod sacram unionem toto posse & ingenio prosequi deliberassent. Ceterum fatebatur magistrum Thomam de Firmo ad eum accessisse cum cedula quadam, quam ipse viderat, & quam eis illum ostendisse confessi sunt, atque de his quæ in ea continebantur offerenda fore & petenda a domino Gregorio, ipsos fore contentos. Insuper fatebatur se pro bono unionis quædam respondisse prædicto magistro super contentis in cedula illa, & super offerendis domino Gregorio & suis; sed certi essent, quod vere quicquid circa illa contulerat, præter omnem commissionem sibi injunctam a domino Gregorio fecerat. Et licet amodo tantum dixerit replicaveritque super dictis suis, ut nauseaverint auditores, tamen quia opportunitas veritatis pro pace ipsum cogere videbatur, quæ pluries replicaverat, iterum dicere nec pudebat nec tædebat. Credere ergo dominationes suas deprecabatur, quod omnes oblationes & quæcumque alia pauca sunt & inania, ut unio fiat spontanea & libera per dominum Gregorium per viam cessionis, nisi assentiant quod unum communi consensu in altero propositorum locorum concilium congregetur, & nisi æque bonum & tutum partibus alium proponant locum. Et si dixerint, quod duo bona & tuta proposuerint, dicebat quod dominus Gregorius nusquam putabat confidere accedere ad loca dominorum Florentinorum, aut velle, & hoc quia ab ipsius ore & suorum pluries audiverat, quod in opprobrium sedis apostolicæ & personæ suæ & suorum fidelium, contra omnem divini & humani juris modum & debitum, ipsum multifariam & suos fideles lædere procuraverant atque læserant, & propterea numquam accedere debere vel sub eorum ditione & potestate. Hoc insuper ipsi faciliter satis verum esse discere potuerunt ex his, quæ oratores domini papæ Florentinis non multis elapsis diebus exposuerant, quæ ipsos nequaquam ignorare ambigebat. Nesciebat ipse Carolus aliquam reconciliationis causam inter dominum papam & Florentinos post hæc initam aut contractam fuisse, oppositum quippe ex his quæ viderat comprehenderat: & propterea supplicabat eis toto posse, & qualibet sanctimoniæ obsecratione, quatenus postquam loci mutationi & concilii unius congregationi assentire videbantur, nollent pro modico, immo pro minimo labore itineris & difficultate, sacrum unionis vere pacificæ & indubitatæ bonum impediri, immo destrui, & in majus pejusque priore schisma verti: dolebat quidem, si propositum non mutarint, sancti populi Dei excidio. Dolebat & sanctæ matris ecclesiæ turbine: sed quia sciebat necesse esse ut scandala veniant, etiam quod væ erit homini illi per quem scandalum venerit, non aliud poterat, nec licere videbatur sibi, quam dicta sibi domino suo papæ fideliter referre, & quod unio fiat & pax sanctæ ecclesiæ, quantum Dominus dederit, toto posse operari: nec pensarent, quod hoc diceret quia nollet dominus Gregorius cedere. Non enim locum pro cessione æquum & commodum peteret, vel ut ipse cederet, vel confundi ipsum necesse esset,

esset, si ipsum remanere papam vellet. Nec putent quod dicat, quod offerre dubitet, timens aliquam simoniæ maculam, si quæ ipsi offerebant domino Gregorio, renunciaret. Sciebat namque rationibus allegatis per ipsum dominum Albanensem, & nonnullis aliis, ipsum propter oblationes illas simoniacum minime fieri; sed manifeste putabat frustra offerri, quæ offerri volebant. Et quoniam de impossibilitate accedendi ad loca petita & aliis consequentibus satis alias dixerat, dicere amplius non videbatur opus exigere.

Ad dicta per dominum Aquilegiensem inquiebat, se totiens super his secum contulisse, quod recitare non erat expediens: non tamen omittebat, quod nulla inerat sibi causa, per quam domino Gregorio volenti fallere sanctam matrem ecclesiam dominam suam, si cerneret, favere seu assentire deberet. Et licet insipiens foret, certe omnes insipientiæ limites excederet, si se & sua traderet, sicut obtulerat & offerebat, in manibus ipsorum, in certitudinem quod dominus Gregorius promissa per ipsum Carolum servaret, nisi de hoc certus foret.

Dicebat ipsos excogitare posse quod eis libebat, sed vere ipse nullius fallaciæ perpendere potuerat nec poterat, & si perpendisset in sui ipsius personæ & bonorum suorum detrimentum non sufferret: multo quidem minus in ejus animæ perditionem. Et quamvis dici posset, quod dominus Gregorius nullam alicui injuriam inferret, si suo vellet uti jure in concilio juxta regulam juris: *Nemini injuriam facit, qui utitur jure suo*: tamen quia viam cessionis inventam & propositam per dominos Gallicos ad evitandum judicii dubium dominus Gregorius acceptaverat, & se etiam ad illam propter pacem ecclesiæ solemni voto & juramento obligaverat, sciens intentionem domini Gregorii: Volebat ipse Carolus fidejubere, quod si petitis assentirent, cederet absque eo quod jus papatus sui prosequeretur. Et propterea non expediebat ipsos ex hac titubatione loci tuti & congregandi concilii petiti modum differre, seu mutare, seu auferre.

Dicebat se valde mirari ipsos petere dominum Gregorium non posse se purgare de opposita sibi hæresi coram concilio, cum excusatio ab infamia liceat unicuique & defensio suæ innocentiæ de jure divino, naturali & gentium; & quod videre videbatur ipse Carolus, quod nullam propter aliam causam petebant hæc, nisi forte, si dominus Gregorius sufficienter purgaret se coram sacra synodo, ipsi condemnati vel confusi remanerent.

Ad hæc statim Aquilegiensis replicavit: Non diximus hoc quia judicium concilii timeamus, seu effugere velimus, quoniam absque dubio credimus cuncta acta per nos contra eum legitime & debite acta fuisse; nec quod velimus quod ipse non excuset se; sed bene dicimus, quod sua nocentia vel innocentia agitetur per viam judicii, quoniam esset scandalum & schisma suscitare, quia unusquisque suum vellet honorem tueri, nolimus assentire. Et si ipse vult quod per viam judicii procedatur, compareat hic coram sacro collegio, ubi jam citatus est, & administrabitur sibi justitia.

Ad hæc Carolus: Quare ergo non sic alibi sicut hic; si tutus est; ita hic velut alibi foret, verum ut videatis quod non quæratur velle scandalum pro pace suscitare, dicebat, Volo promittere & fidejubere, quod facta sufficienter per dominum Gregorium excusatione sua, nihil suscitabitur contra vos.

Inquiebat, quod audita referret domino suo papæ, & cum ipso operaretur, secundum gratiam quam Altissimus sibi concedere dignaretur, toto posse & bona fide, quod dominus Gregorius accederet Pistorium, si fieret sufficienter tutus, ipse & sui ad concilium venire volentes: verumtamen in hoc modicum sperabat posse proficere rationibus quas dixerat, sic quod eis supplicabat, quatenus nollent in hac spe persistere, sed dignarentur inclinari assentire petitis, si unionem volebant & diligebant.

Ajebat quod nulla temporis dilatio quærebatur, nisi quæ opportuna foret, & quoniam unio potius per viam pacificam & partibus acceptam quæri debebat, quam aliter; æquitas circa partium commoditatem servari debebat. Sciebant namque ipsi quantum temporis lapsum erat post primum concilii sui terminum, & quot venerant, quantumque, ut alii quos venire sperabant accedere possent, oportuerat ipsos suum prolongare concilium, sciebantque primum terminum indictum per dominum Gregorium suis ad suum concilium veniendum. Et propterea si divinam & naturalem legem & æquitatem nolebant attendere, debebant circa dominum Gregorium modos servare, quos, si in eodem casu essent, circa ipsos servari vellent.

Dicebat vere ipsos valde suo videre commendandos fore de grata provisione, quam personis domini Gregorii & suorum facere disposuerant post cessionem suam, & quod omnia, Domino concedente, diligenter referret ipsi & suis.

Inquiebat conclusive, quod dominus Gregorius cederet, quando & quomodo concilium congregatum, ut petitur, terminaret absque contradictione; & hoc promittere nolebat ipse Carolus; & pro domino Gregorio fidejubere: Nam cum domino Gregorio loquens, & volens super sua cessione sciscitari, dixit, quod vere quicquid adulatores ipsi suggererent, certus erat ipse Carolus, quod numquam unio fieret, ipso remanente papa. Et propterea de duobus alterum præeligere sibi expediebat, vel papatum cum desolatione ecclesiæ, & tamdem sui & suorum; vel pacem ecclesiæ cum cessione, & merito & bono sui & suorum. Ipse vero respondit, quod pacem ecclesiæ potius volebat, quam papatum: & si Dominus tantum concederet, quod in concilio petito si reperiret...... totum mundum de hoc cum opere certificaret; & quod certe numquam illius concilii terminationi contradiceret. Mirabatur quoque Carolus, quomodo mentes ipsorum, quos prudentes reputabat, titubare valerent, quod dominus Gregorius modos exquirere auderet, si concilio interesset, ad cessionem fugiendam vel evitandam. Notum quippe illi erat universam quasi ecclesiam inclinatam & di-

ANNO CHRISTI 1409.

& dispositam fore, quod ipse suusque aversarius cedere deberent, & cederent, & quoniam visum fuit eis vias invenisse ad subterfugiendam vel evitandam cessionem, pluribus ex suis etiam fidelibus exosam se noscit; unde nec dubitandum erat ipsum causam odii contra se ipsum augere velle, nec debebant ipsi ex frivola hac dubii occasione modum ad unionem petitum seu differre, seu non exsequi.

His ita dictis, inter se mutuo conferebant, si melius foret aliquos cum pleno mandato uniti collegii & concilii universalis Ariminum transmittere cum ipso Carolo, informatos plene de eorum intentione. Cumque pluribus eorum visum fuisset, quod non, Carolum consulere placuit, quid sibi super hoc utilius appareret. Ipse vero considerans, quod partium animos inter se distare cernebat, ne odii inter eos augeretur fomes præmissa excusatione suæ insufficientiæ ad consulendum tanto negotio, dixit differendam fore missionem propter partium honorem, & ad tollendum omne rancoris futuri possibile augmentum. Ipse enim cum sui beneplacito, postquam conclusive expeditus erat, ad dominum suum papam festinaret, & comparata ejus intentione super tractis, si modicam inter eos differentiam reperiret, infra quindecim dies ad plus personaliter rediret, vel personam transmitteret, juxta posse quam putaret idoneam. Si vero dominus Gregorius oblatis per eos assentire dignaretur, ipsis statim nuntiaret, & tunc transmittere poterant. Rogabat quoque eos, ad tollendam omnem moram, quatenus interim eligere placeret eis patres utique venerabiles, idoneos, & quantum eorum considerationi possibile erit, justos, æquos & pacificos, jurgia odientes & scandala. Nam aliter novissima ecclesiæ prioribus pejora fierent, & hos transmittere cum pacifica commissione & sufficienti mandato. Insuper una cum dominis Florentinis providere super modo accessus domini Gregorii & suorum, & super securitatibus opportunis præstandis sibi atque suis, si judicaverit accedere; quod tamen, ut alias dixerat, parum sperabat, et illos suos si venturos scriberet plene doctos mandaret. Supplicabat, atque eis obsecrabat, ne vellent pro modica itineris difficultate & temporis intervallo, in omnem eventum quietem sanctæ matris ecclesiæ & omne ejus commodum, quod concordia inter eos & dominum Gregorium, si fieret, futurum erat, perdere. Demumque licentiam petiit ab eis ad patriam remeandi.

Illi autem provisuros se obtulerunt de mittendis, ut petebat, & securitatibus, & concedendo illi licentiam recessus, rogando, obsecrando, adjurando, ut supra, dicentes eum posse si vellet.

Tandem discedenti, nec aliter reverentiam exhibenti, nisi uti consuetudo est magnis dominis exhibere sæcularibus, dixit unus ex eis: non vis osculum pacis dominis istis exhibere? Tunc Carolus: domini mei vos bene scitis me non convenire vobiscum quis pastor sit; nihilominus quia quicquid dixeritis, credere debeo vos unionem diligere & velle, ex quo unionem spero, habitum in

A spe futuri actus venerari paratus sum, et tunc antequam discessisset, ab eo obtenta jam licentia a domino Gregorio ipsos venerandi, juxta quod suæ discretioni videretur, accessit ad eorum osculum, secundum ordinem venerabilitatis, quem inter se servabant, et sic discessit, nihil effectualiter amplius cum eis agens. Neque silendum est, quod Carolus putat quod postquam Pisis fuit, pridie quam fieret eorum sessio, quidam frater Angelus de Reate, secretarius, ut ferebatur, uniti concilii, exploravit si cum aliis concilio in illo Carolus sedere vellet, dicens se scire honorabilem locum sedere volenti cedere decretum fuisse per eos qui concilio præerunt, ipse quidem respondit se

B velle libenter, dummodo, quod pace universalis ecclesiæ quærebat proponere, coram concilio illo permitteretur. Ille vero dixit, quod non putabat permitti, quoniam non erat moris sæculares aliquid in sacro concilio proponere: ipse autem respondit se ergo consedere nolle, si proponere non licebat quæ ecclesiæ quieti et commodo utilia cernebat et tractare venerat, ne ad consentiendum eorum terminationibus sedisse videretur. Post hæc magnificus dominus Malatesta de Pensauro frater suus his similia dixit. Cui cum similiter respondisset, illi dixit se voluisse informari quoniam et ipse sedere, si vellet, requisitus erat, & quod reperiat

C moris non esse in sacro concilio alicui quidquam proponere licere, nisi prælatis et oratoribus; et cum sedere deliberasset, volens notabilissimam rem videre, quam numquam forte visurus erat, statuerat intra se consuetudinem servare, et nihil penitus proponere, et ad hoc Carolum alliciebat. Ad quem Carolus ait quod potius visus cerimoniæ concilii privari volebat, quam quod licere non videbatur sibi præsens et tacens assentire videretur.

Discessit igitur a Pisis et Florentiam venit, dominisque et eorum collegiis acta Pisis substantialiter retulit; quos visus est per eorum responsa plene super ea informatos reperi-

D re. Sed quamquam exhortatus fuerit eos multis rationibus, quarum pars efficacior supra dicta est, quæ petebat ratione manifesta publicæ Christianorum rei utilitate, et eorum privatæ, per eos assentiri et promoveri debere, hoc effectualiter responsum obtinuit, quod libenter voluissent eum a reverendissimis dominis cardinalibus uniti collegii et sacro concilio obtinuisse quod optabat, postpositis in quibuscumque eorum privato honore et commodo. Verum quia dominis illis non videbatur assentire aliter quam fecissent, salvo honore et debito ipsorum, non videbatur eis illos ulterius cogere posse, nec volebant; nec videbatur eidem

E domino Gregorio cum justitia seu æquitate renuere posse Pisas accedere, sive saltem S. Miniatum aut Pistorium, præsertim se volentibus, velut domini illi obtulerant, dominum Gregorium tutum sufficienter reddere, et ipsum, si ad sua accederet loca, bene honorificeque tractare. Et propterea concludentes rogabant, obsecrabantur, adjurabant ut alii effectualiter.

Ad hæc Carolus respondit sicut circa similia

lia dixerat dominis Pisis existentibus. Addidit tamen quod supplicabat eis, ne propter vanum timorem justum Dei judicium incurrerent, & contra eos in ultionem provocarent. Quidquid enim dicerent, sciebat Carolus, si veram ecclesiæ pacem & ipsorum utriusque verum commodum privato quodam apparenti commodo & honori præmittere vellent, Dominum Deum non parvam eis dedisse facultatem ecclesiam sanctam tot annis scissam reintegrandi, & divinum uniendi populum, & suis occurrendi periculis & expensis. Sufficiebat quoque sibi hæc illis dixisse & suam circa hoc purgasse conscientiam. Dispositus tamen erat quidquid poterat pro sacra unione operari, & quod dominus Gregorius Pistorium accederet, licet æquam declinandi causam haberet, propter illa quæ contra eum tam impetuose & opprobriose fecerant, & quamvis modicum speraret ipse Carolus in hoc proficere posse, & licentia obtenta, die alia discessit.

Deinde quidem continuatis dietis Ariminum appulit XXVI. Aprilis, & horam circa vespertinam domino suo obsequium reverentiæ conservatum exhibens, jussus in crastinum redire, & quæ egerat exponere, paruit. Mane autem facto in unica hora ad palatium domini Gregorii perveniens, illum in camera sui paramenti sedentem reperit, omnesque dominos cardinales suos circumstantes, qui Arimini secum venerant, inter quos dominus Tudertinus tunc aderat, atque dominus Corario prædicti domini papæ nepos. Præceptus igitur a domino suo quæ dixerat, audierat & responderat Pisis & Florentiæ, quantum ei a domino datum fuit, posse recordari atque explicare, fideliter nunciavit, partem tantum illam oblationum particularium domino Gregorio & suis faciendam silentio pertransiens. Videre namque visus erat jubere honestatem prius illis domino Gregorio private nunciandas fore, quam palam. Dicebat cum coram astantibus multa bona offerri domino Gregorio & suis, si vellet accedere & cedere, vel tandem cedere ut petebant. Tandem vero dicebat: Sancte pater & domine mi, superfluum est, & reprehendendum putaretur, si verbum persuasionis seu exhortationis sanctitati vestræ super unione ecclesiæ sanctæ proferre accederem, cum longe sit excelsior prudentia vestra sensu meo. Quantum unio sanctæ ecclesiæ conferat longe melius me cognoscitis. Non ignoratis insuper quæ ecclesiæ proficua fuerint, quanto ardore vobis incumbat inquirere, persequi, & exsequi. Concludam tantum in verbo veritatis æternæ, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, amen, amen dico vobis*, non dabitis pacem ecclesiæ, *nec intrabitis in regnum cælorum*.

Circa autem vesperas diei illius ad dominum Gregorium accessit, præsentibusque domino Antonio cardinali & camerario, & domino Paulo nepotibus suis, & quantum minus male valuit, cuncta explicite & seriose retulit, quod particulariter & absolute per eum fieri domini qui Pisis erant postulabant, quomodoque certificari de hoc petebant. Pariter quoque retulit oblationes quas suæ personæ & suis faciebant, & certitudines quod promissa servarent oblata.

Ipse quidem, his auditis, cogitare visus, aliquantulum tacuit, deinde lacrymans, inquit, juxta verbum Susannæ: Angustiæ sunt mihi undique. Si enim egero quæ isti petunt, causa sum desolationis omnium qui fideles fuerunt prædecessorum meorum & mei, & præsertim eorum qui fuerunt mihi fideles, meæ etiam propriæ personæ & meorum proditor essem: Si vero non egero, maximum in ecclesia scandalum facient. Dicebat ulterius, quod certe pessime faciebant, nolendo tam justis & æquis petitionibus assentire, ex quo pax reddita fuisset ecclesiæ, & quod perpendere poterant omnes, quod odium quod in eum gerebant, & ambitio papatus, quem multi eorum cupiebant, tot malorum causa erat & fuerat. Verum quid aliud posset nesciebat, nisi suam diligentiam facere, & postquam illi volebant, quod unum communi consensu fiat concilium in loco tuto, disponebat suum accelerare accessum ad locum, ad quem sacrum indixerat concilium: ibique dispositus erat juxta gratiam quam sibi daret Altissimus, sacram unionem prosequi, & alia ecclesiæ sanctæ commoda tractare, & terminationibus concilii illius, quod juridicum erat, acquiescere, ipsasque quantum in eo esset executioni mandare. Neque enim credere poterat, quod Dominus Deus ipsum justam causam foventem, & qui ecclesiæ sanctæ commodum prosecutus fuerat & prosequi intendebat, non foveret. Impossibile iterum apparebat ei quod populus Christianus & præcipue qui fuerant fidei domini Urbani & suorum successorum per tot annos, videntes adversariorum ejus iniquitatem istam sanctæ ecclesiæ duci paterentur & permitterent.

Respondebat Carolus, credendum esse ipsum angustiari præ ceteris, tanto amplius, quanto magis cognoscebat imminentia scandala, futurasque jacturas ecclesiæ, quanto etiam sanctitati suæ incumbebat populum domini sibi præ ceteris commissum ab omni incursu & fraude liberare. Ipsique in tot angustiis & perplexitatibus involutum, a quolibet præsertim fidelium suorum compatiendum fore fatebatur.

Inquit, quod de duobus alterum esset, vel Pisis existentes & Florentini ipsum sufficientem tutum redderent, & suos fideles, si Pistorium seu ad S. Miniatum accedere inclinaret, vel non: si sic, non poterat perpendere Carolus qua ratione sanctitas sua conculcationis & desolationis suorum olim & tunc fidelium, etiam suæ personæ & suorum perditionis esset causa. Verum ex adverso, cum illi sibi suisque sufficientem offerant securitatem, si ipsa renueret simpliciter & ab experto, non videatur quod illi tutelam & cautionem super libertate concilii non sint per effectum tribuere dispositi quam offerant sufficientem. Ad subterfugium imputabitur sibi omnis quam ingesserit ratio, impositum, & divisio quæ inter plures suorum fidelium & ipsum orta est, quia videre visi sunt, cum subterfugia cum fallacibus

ANNO CHRISTI 1409.

bus justificationibus ne cederet quæsivisse, ampliabitur. Sicque conculcationis & desolationis suorum & per consequens sui augendo causam, augmenti effectus causa fiet. Si quoque assentire non renuerit Sanctitas sua, & illi idoneam & sufficientem cautionem seu noluerint seu præstare non poterunt, tunc ejus non accedendi ad locum patefiet justa causa & dolus adversariorum, sive non æqua postulatio & excusatio ipsorum, cum nec ad loca tuta & æqua accedere voluerint, & cum sua sanctitas ad locum non æquum accedere humilietur, sufficientem ei & suis non præbeant securitatem. Hanc igitur ajebat suo videre viam esse calumniatores confundendi & se justificandi, suos similiter justificandi fideles & exaltandi: aliam quippe calumniatores justificandi suos, & suorum fidelium plurimos ab ipsius repellendi obedientia, & inter se ipsas dividendi. Demumque viam esse posse, nisi solus Deus Dominus obviaverit, omnimodi opprobrii & conculcationis suæ personæ & omnium qui in sua fidelitate perseverabunt. Dixit quod vere per ea, quæ propriis oculis viderat, & propriis palpaverat auribus, nisi sanctitas sua cum his qui Pisis erant concors fuerit, majus longe quam putetur ab hominibus scandalum populo Christiano fieret, & in ecclesia Dei.

Inquit quod justum & æquum visum fuit sibi & utile ecclesiæ sanctæ quod petitum fuerat, & videbatur, & propterea ut obtineretur laboraverat, atque plene admittebat nullam intellexisse rationem, quamvis qui Pisis erant congregati multas reddidissent, propter quas non debuissent assentire petitis. Fatebatur etiam quod in multis illorum causa futuri maximi scandali erat odium partium in mentibus eorum adversus personam suam & ejus qui dicebatur dominus Benedictus; sed adhuc potior in quibusdam ambitio papatus; apud quidem alios spes promissorum, quæ nonnullos vendicasse apud expertos rei manifestum erat, apud vero alios ignorantia facti, seu quædam, forte non absque omnimoda occasione, saltem apparenti, concepta suspicio contra eum & adversarium suum, Apud autem alios metus expensarum & vecordia quædam timore laboris exorta: apud quoque ceteros hebetudo quædam animorum & vilitas, qui cum bonum cerneret, promovere non curabant, putantes apud Altissimum & homines satis sibi fore majores, & multitudinem cernerent contradicere palam, seu illis se opponere non audebant. Verumtamen concessis eorum erroribus & malitia, supplicabat toto corde quod ipsorum multam malitiam & errores suæ justitiæ plenitudine convincere vellet, memorans sanctitatem suam illud apostoli, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, nec excusatam cum reverentia putabat sanctitatem suam illos dimittere in eorum superbia & adinventionibus abire, non solum quidem qui horum principalis causa erant quæ sibi offerebant, sed innocentes plurimos & omnem Dei populum in maximas jacturas & scandala trahebant, nisi ipse suæ humilitatis & prudentiæ occurreret abundantia. Replicavitque verba Domini, quæ jam mane eodem dixerat. *Amen, amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum*, non dabitis pacem ecclesiæ, *nec intrabitis in regnum cælorum*.

Ait suam sanctitatem facere posse quod sibi libebat, cum reverentia tamen de his quæ titubat ipsam advisabat, videlicet accelerationem accessus sui ad partes Forojulii, accelerationem futuram esse maximi futuri scandali, non exstirpandi forte diebus suis. Credere quidem poterat sanctitas sua ipsi Carolo, si placebat, non daturo in hoc mendacium. Per ea enim quæ dum erat Pisis comprehendere potuerat, multi erant qui sollicitabant per publicos processus sanctitatem suam & adversarium suum ejici, & opportunitatem ad honestandum negotium quod optant quærunt. Cumque viderint sanctitatem eamdem discessisse, calumnias exasperabunt in eam, jus suum dilatantes, dicentesque: ecce viam ad conveniendum pro sacra unione exequenda, atque ex hoc jam adepti visi coram suis astantibus quod cupiebant, processus urgebunt, & postquam de tractatu unionis in facto illos palam instruere poterunt, eum perjurum, fautorem antiquati schismatis, & hæreticum astruent, neminemque noscent excusare eum posse, cum cedendi tractatum quemlibet infecerit, nec alium prosequatur, per quem unio fieri possibile sit. Perpendere quidem patule dicent potest orbis universus, quod non nisi ad subterfugiendum cessionem & decipiendum fideles illiusmodi concilium indixit & prosequitur. Certus namque est dominum Benedictum & suos ad illud accessuros non fore. Similiter neque majorem partem fidelium qui ad hoc verum & sacrum concilium accesserint & accessura est, & propterea ipsum cum paucissimis suis confluentibus non posse unionem per concilium illud facere, cum certissimus sit, certi quilibet esse debeant, quod non accedebat illuc ad unionem perficiendam, sed quantum in eo fuerit destruendam. De concilio quidem domini Benedicti qualem unionis fructum attulisset patebat, unde inferrent, quod uterque eorum jam præcisus est, et notorie incorrigibilis, gravemque jacturam ecclesiæ imminere, si sedem apostolicam diutius vacare sinatur. Et exinde occasione sumta, concorditer procedent ad sententiam diffinitivam celeriter, et postmodum ad tertii, ut sic dicatur, pontificis electionem. Quo facto, quod jam factum esse, domino Gregorio Forojulium accedente, Carolo videre videbatur, cum reverentia petebat, quando et quomodo putabat fieri unionem posse? et si diceret forte quod alias dixerat, se paratum acquiescere terminationi concilii sui, quod vere et juridice universalem repræsentat ecclesiam, et ecclesiæ universalis auctoritate fungebatur, petebat dato quod sic esset, quid in facto concilium illud proficeret unioni, et quid circa hoc consulere poterit aut diffinire. Si enim consultum fuerit, et concesso etiam quod juridice terminatum, quod dominus Urbanus, præcessoresque sui et ipse veri fuerint pontifices, et quod diligentiam debitam adhibuerint pro unione exequenda;

iterum terminent ipsum tamquam verum pontificem ab omnibus venerandum fore, ceterum terminent aliorum congregationes non concilia, sed conciliabula fuisse, irritent, damnent eos et acta per eos, petebat a sanctitate sua, si alios credebat hujusmodi acceptare sententiam, dicens Carolus se certissimum esse quod non, et propterea certissimus erat, quantum humana fragilitas de aliquo certificare poterat, humana consideratione, concilium suum per viam illam de facto unionem facere non posse. Insuper si diceret quod dabitur modus in illo concilio reintegrandi obedientiam quæ fuit domini Urbani, dato quod sic fiat, quod tamen fieri quodammodo impossibile Carolus putabat, animadvertebat quod par illa fuit per multos annos, absque ulla divisione, multa principum prosperitate & potentia fulta, & tamen schisma minime sublatum fuit, quin immo quotidie auctum & inveteratum: unde etiam per viam illam concilium suum unionem producere parum sperandum erat. Præterea dato quod ipse Gregorius una cum concilio suo omni postposita excusatione, ubicumque in orbe terrarum fuerint adversarii ejus, utrique, videlicet qui dicitur Benedictus, & uniti collegii, terminaverit accedere, ibique suum debitum quodlibet adimplere plene & perfecte, non putabat tamen Carolus, quod si qui Pisis sunt electionem alterius jam fecerint, stante, quam in facto expertus est, modica erga Dominum Deum reverentia & caritate, insuper urgente in proximos odio & privati honoris & commodi mundani ambitione proterva, non credit, licet unio fieri deberet, ipsam tamen fieri. Movebant quidem præsertim animum suum rationes istæ. Nam dominus Gregorius, adversariis ejus non cedentibus, cedere debere atque teneri non credebat suum consulere concilium aut diffinire. Quod si huic viæ dominus Gregorius jam concœperat terminaveratque, suo concilio illam terminante, assentire; longe præstantius pensabat Carolus certitudini unionis & ipsi domino Gregorio fore, Pistorium accedere, quam festinare suum concilium celebrare, ut talem exsequatur terminationem, postpositis quidem aliis rationibus publicis & privatis. Hæc propter certitudinem unionis apparebat præferenda, videlicet primo cedere quam alius eligatur, quam post. Si enim primo cesserit, dubia non est electio ex causa sui, siquidem antequam cedat alius eligatur, sua cessio post factam electionem illam, nisi de facto tantum certificare non potest; valeat quidem licet pontifex cedere, non potest sibi substituere pontificem; & si mala seu inepta fuerit electio, illiusmodi cessio post facta ineptitudinem illius auferre poterit multo minus, sive validare. Si dicatur dispensari posse electionem illam per eum prius quam cedat, quis dicet hoc certum esse de jure, an dubium potius est, ac cuilibet juri canonico dissonum & oppositum? Præterea quis credet electum illum & electores hujusmodi postulare dispensationem, vel gratis oblatam acceptare velle? At si dicatur: Ille talis postquam fuerit electus cedere poterit; dicebat quod bene faceret, sed ratione multiplici, & præsertim præteritorum experientia, & præsentium qualitate ponderata, non putabat, quod si tertius eligatur, nisi invite, umquam cedet. Aut enim cogitatur eligendum eligi debere cum modo, ut cedat aliis cedentibus, quisquis electus fuerit, dum voto solemni & juramenti cautione, quantum magis de jure valide fieri queat; & tunc vel credebatur illos qui Pisis erant hujusmodi electionem facturos esse, vel non; detur quod sic, tunc qua ratione habilior modus reperiatur, tres insimul conventuros fore & cessuros quam duos? Si namque difficultas negotii causa impedimenti fuit, aucta causa difficultatis, addi impedimentum necessarie erat. Qualis enim fuerat difficultas conveniendi insimul duos, & modum reperiendi ad cedendum, opus teste erat. Si negotii difficultas, & non partium voluntas causa fuit impedimenti, si quoque voluntas, credendumne est humanæ menti liberum citius cessurum fore, quam eos qui per vota solemnia & juramenta valida ad cedendum obligatos fore toti patebat orbi; vel forte credendum erat, si tertius ille majorem sibi ceteris favorem inspiciat, citius quam ceteri cesserint cedere? Quod autem electio illa non fieret cum obligatione ad cedendum, his rationibus ipse Carolus movebatur. Primo quidem putabat, quod si volebant qui Pisis erant eorum concilium juridicum & indubitatum asserere, velut asserebant, eorum terminationes, tam circa ejectionem, quam circa electionem fore validas, indubitatas & irrefragabiles omnimode fore cunctis fidelibus conarentur ostendere, & inde non cum obligatione illiusmodi electionem facturos fore, si quidem bono moverentur zelo. Dubitandi maxima inerat ipsis causa, si cum modo cedendi debere elegerint, ne forte si noluerit ille servare promissa, opus eis, sic dato quod jus foveant, illum iterum tamquam alios velut perjurum antiquati schismatis fautorem & hæreticum ejectum & præcisum declarare, & ad quarti electionem pervenire; unde quartischisma pro trischismate fieret. Concludebat ergo de primo ad ultimum, quod ut in principio hujus particulæ proposuit, videlicet accelerationem ad concilium suum Forojulii, accelerationem posse esse, immo futuram esse credebat accelerationem tertii ad nomen papatus eligendi; quo facto, de unione diebus suis parum, quin immo minime forte erat sperandum. Et ideo suppliciter Gregorium deprecabatur suum modum adhibere, per quem tam proximum, maximum, pessimumque scandalum non fiat in ecclesia sancta Dei.

Dixit nedum per sanctitatem suam, sed per quemlibet fidelem recto animo incedentem hoc sperandum fore. *Prope enim est Dominus invocantibus eum*, sed præsertim *omnibus invocantibus eum in veritate*. Et propterea si recta ambulavit, & ambulabat mente, nihil erat & quod formidare deberet. Si autem non, reverenter suam sanctitatem memorabat, quamvis præsumtuosus nimis esset sibi, quod si homines decipi quandoque possibile sit, Dominum Deum decipi semper impossibile est, nec credat quod

ANNO CHRISTI 1409.

Deus ultionum Dominus non vindicaret adhuc injuriam sponsæ suæ dilectæ, sive in eum, sive in adversarios ejus, quisquis injuriæ hujusmodi adversus eam causa fuerit.

Inquit quod certe neque incutiendi sibi timorem causa, neque quemquam blasphemandi, sed quia si veritatem sileret, erga sanctitatis ipsius, quem sibi dominum spiritualem & temporalem cognoscebat, nimis noxium se putaret, pandere proponebat, quod præcipue potuerat ex opinionibus eorum qui Pisis erant. Sciebat quidem multos sanctitati suæ suggessisse, congregatos Pisis multum inter se discordes fore, verum tamquam fidelis perceptor & relator suam reddebat sanctitatem certam, quod si non certificaret populum Christianorum aliter quam illuc usque fecisset, se potius pacem ecclesiæ & unionem divini populi diligere quam papatum, quasi cunctos sibi adversantes reperiret etiam usque ad majorem numerum eorum, quos sibi fidelissimos reputabat. Se quidem vidisse dicebat eos qui obedientiæ fuerant domini Urbani, magis infestos, & adversos contra sanctitatem suam, quam alios longe. Sed & omnes tamen contra eum & adversarium suum unanimes cognoverat. Et licet in aliis particularibus minus concordes essent, contra tamen eos ambos nusquam discordes erant. Per ea insuper quæ viderat, certe nullus eorum hostem habebat, quem non vellet prius in pontificem eligi, & quantum sibi incumberet, in pontificem eligere, quam alter eorum pontifex remaneret. Et licet multas inter eos discordias comprehendisset, maxime ambitiones papatus, & prærogativas quas quisque a benivolo sibi sperabat papa futuro, tamen in eiiciendo eos, quoslibet plus quam concordes repererat. Et certe quisquis fabulabatur oppositum, seu non informatus falsum dicebat, seu adulationis ope fomentum quærens, maxima suæ sanctitatis adstruebat mendacia.

Tunc dominus Gregorius ait se totum stupefactum fore ex his quæ Carolus dicebat. Videbatur namque sibi ipsum mutatum opinionis esse postquam Pisas iverat. Nam antea modum proposuerat æquum & juri consonum, & modum illum justum & æquum tam sibi quam aliis pluribus bonis rationibus persuaserat. Ipse vero, quamvis attenta juris dispositione aliter procedere debuisset, & rebellium suorum inductis a jure remediis præsumtionem cohibere, & castigare, tamen assensit, nec ab illa opinione mutatus erat, promissa per eum servare intendebat, nec sui erat culpa, si alii justis petitionibus & æquis assentire nolebant. Unde stupebat Carolum exhortari ipsum assentire debere iniquæ eorum & fallaci petitioni in detrimentum sui & suorum fidelium; esto quod illi a justitia & æquitate deviassent & deviarent. Et interrogabat Carolum si consulebat ei quod Pisas accederet.

Ad hæc respondit Carolus, quod mutatus non erat ab opinione sua, nec crederet sanctitas sua ipsum quæ dixerat dixisse, aut quia rationibus illorum convictus, propter veritatis reverentiam, sua opinione mutata, dicta mutaverit sua: aut quia prece allectus, aut quia pretio seipsum venumdaverit, aut quia timore percussus, potius multitudinis, quam veritatis favore hærere intendit. Neque enim Domino Deo præveniente & cooperante, tantæ obstinationis esse proposuerat, quod si convictus ratione foret, rationi non acquiesceret et veritati quam cognosceret. Neque etiam tantæ superbiæ erat, quod convictum non puderet amplius mendacium defensare, quam se a veritate victum fateri. Ceterum neque adulationibus perversus erat. Nullo insuper pretio, ullaque pretii spe venumdaverat se, neque tantum multitudine congregationis eorum territus erat, quod veritatem Domino Deo faciente, non præferret humano favori; et quod sperabat sanctitatem suam ejus constantiam majorem experiri, quam eorum qui in facie sibi adulabantur, Domino quidem annuente, sperabat se numquam suam sanctitatem relicturum, nisi juridice ostenderetur sibi ipsum suis demeritis præcisum esse & ejectum. Non insuper videbatur sibi sua variasse dicta, immo paulo ante confessus fuerat & iterum fatebatur, quod apparebat ei qui Pisis erant contra omnem justitiam & æquitatem negasse petita, quidquid in oppositum arguissent. Sed quæ inquierat sanctitati suæ, ideo dixerat, quoniam pax sanctæ ecclesiæ & unio populi Christiani tanto majorem ab ipso exigebat clementiam, quanto adversariorum suorum superabundaverit iniquitas & injustitia. Non enim aliter superari malitia a virtute potest; nec putaret per ea quæ comprehendere posset, aliter de suis hostibus triumphaturum fore, & quietem redditurum ecclesiæ. Et propterea sanctitati suæ bis dixerat: *Nisi abundaverit &c.* Et dicebat quod non hortatus fuerat sanctitatem suam assentire illis cum sui & suorum detrimento. Sed licet illi inepte peterent quod Pistorium iret, suæ supplicaverat sanctitati, & supplicabat, quod illorum defectui sua benignitate occurreret. Et hæc omnia propter Domini honorem & sibi commissi populi caritatem. Multum quoque etiam sibi apparebat differens, si supplicasset & supplicaverat sanctitati suæ, quod Pisas iret, vel si supplicabat quod accederet Pistorium. Pisis namque citatus fuerat, quo si accederet, jurisdictionem eis, quam non habebant, facere videretur, cum illis quos in eum jurisdictionem non habere sciebat, assentiret, & coram suo throno vocatus accederet. Unde non solum se, sed pontificale culmen subjiciens subditis, inficiebat illud: maximam insuper opinionem genuisset in posteris adversus omnem juris dispositionem assentire visus, quod cardinales possent concilium congregare, & ad illud citare papam; pluribus necnon rationibus aliis, quæ per ejus scripta apparebant, dicebat se non supplicasse nec supplicare quod Pisas ad illorum concilium citatus iret.

Præterea quoniam non solum per ea quæ clandestine perceperat, verum per ea quæ manifeste viderat, & multis tam aliorum quam eorum qui secum ierant manifesta esse putabat, non credebat sanctitatis suæ personam tutam Pisis esse, potestate civitatis illius existente velut erat in favorem congregatorum Pisis promta; multo quidem mi-

nus concilium. Nec quoque putabant, quod sumta suspicionis rationabili excusatione apparenti, propter detrimentum sui status suæque civitatis reive publicæ excidium evitandum, domini Florentini fortalitia & potestatem civitatis Pisanæ in manibus non suspectorum partibus, & ecclesiæ universalis traderent. Verum ex adverso considerabat quod concilium Pistorio congregatum, non privatum sed commune esse oportebat, quia communi consensu & auctoritate congregari alii assentiebant, nec amplius suæ præjudicabat sanctitati ipsum Pistorii congregari communi partium consensu & auctoritate, quam si Bononiæ & ceteris locis quibus sic congregandum esse assenserat, qui Pisis erant assentirent congregari. Credebat etiam per ea quæ sibi oblata fuerant, quod domini Florentini Pistorium & fortalitias ejus in manibus non suspectorum, partibus, & ecclesiæ universalis deponent ad hunc actum celebrandum, ex quo tuta erit persona sua & concilium tutum & liberum. Si quidem non deponent; tunc orbi patebit, quidquid ex parte sui implesse debuerat, eum fecisse; illos vero minime. Innotescet ceterum orbi humilitatis ejus abundantia, & suorum superbia adversantium, & multimode fallacia exquisita: unde fortes animo efficerentur multi, convenirentque ad notoriam perversorum malitiam superandam. Deque duobus alterum fieri necesse ipsi Carolo videbatur, si non obstante illorum qui Pisis erant non æqua petitione, Pistorium humiliaverit ire, vel exhibita sibi & suis tutela sufficienti cautione unio fiet, vel apud Dominum Deum & homines justificatus erit penitus, cum nihil omisisse de his quæ tenetur ad unionem perficiendam, & ultra Deus noverit & hominibus patens erit. Sicque a Domino Deo per se & homines ecclesiæ suæ sanctæ & sanctitatis suæ causa fovebitur, ad optimumque dirigetur. Et cum multi propter suspicionem captam in eum ei opponantur, & ipsi tamquam malefactori detrectent, & bonis operibus considerantes eum, glorificabunt Dominum & suæ venerabuntur sanctitatis bonitatem. Supplicabat igitur sanctitati suæ, ne vellet propter modicum permittere tot fidelium errare mentes, & pessimum schisma tot inveteratum annis plurificari, intendi & extendi, cum suæ sanctitatis maxima ignominia & forte demerito. Deprecabaturque sanctitatem eamdem quatenus animadvertere placeret, quale quantumque excidium divino fieret in populo, si non concordabat se cum iis qui Pisis erant; & si se pastorem reputat, ut credebat Carolus, penset quod de minima ove perdita rationem cogetur reddere a Patrefamilias.

His auditis, dominus Gregorius replicavit, illos velle se reos qui fuerunt & sunt sibi fideles in eorum manibus & potestate poni, & quod absolute cedat concilio in manibus eorum & potestate posito; & quod cognoscebat hanc esse desolationem sui & suorum, dicens, si absolute cesserit, quid fieret de cardinalibus suis; quid de rege Romanorum & de rege Ladislao, & de rege Ungariæ, & de aliis suis curialibus & fidelibus, quos sciebat propter eorum constantiam erga eum illis exosissimos esse? & concludebat valde apud Dominum Deum se errare credere, & maximam agere impietatem, si sui & suorum perditionis causa foret, ut aliorum satiaret impiam voluntatem; & quod propterea nolebat Deum & suos & conscientiam suam taliter lædere, sed potius mortis periculo se submittere, sperans in Domino, quod ipsum & suos fideles adjuvabit.

Ad hæc Carolus ait, quod qui Pisis erant, promiserant ipsum & suos bene & caritative tractare, quodque hæc & cetera particulariter promissa sibi, ipso cedente, servabuntur. Volebat promittere & se obligare unitum collegium insuper acturos & curaturos fore cum effectu, quod sacra synodus solemniter hoc idem faceret, etiam quod futurus pontifex promissa illa servabit integre & inviolabiliter. De cardinalibus vero suis & de aliis particularibus, nisi velut retulerat, nihil tractaverat. Sciebat namque sanctitas sua, quod nullam habuerit licentiam seu potestatem ab eo tractandi super aliquo cum eis, si non assentiebant prius ad aliquem propositorum locorum accedere pro unico & communi concilio celebrando. Noluit igitur mandato & licentiæ contradicere: verum opinabatur per ea quæ comprehendere valuisset, quod cernentes qui Pisis erant ipsius maximam humilitatem & libertatem multa mereri, ipso cedente propter sacram unionem ecclesiæ, contentarentur dominum B. nepotem suum cardinalem remanere, & forte camerarium, quamvis hoc sibi difficilius videretur propter duos collegii illius hoc officium prætendentes. De aliis vero quibusdam, quos non malos reputabant, forte hoc assentient: de duobus quidem videlicet dominis vulgariter dictis Ragusiensi & Senensi, nullomodo credebat, quoniam pessimos viros reputabant, & eos & eorum quemlibet causam fuisse destruendæ unionis, & omnis scandali, publice & communiter Pisis ferebatur, & propterea cunctis plusquam exosos esse palpaverat. Principes autem qui suæ sanctitatis fideles fuerant, securos de suo statu fieri decentissimum erat. Alias quidem quando via cessionis tractata est, recordabatur ipse Carolus dictum fuisse ad omnem futuri scandali inter partes fomitem extinguendum, optimum fore, quod ea quæ dominus Urbanus & sui egerant aut successores in obedientia sua firma & rata haberet universalis ecclesia: similiter quoque quæ ille qui dictus fuit dominus Clemens successorque suus. Namque aliter necesse foret... juris papatus, ad quam delendam cessionis viæ partes assenserunt, suscitare, vel quæ partium jus prosecuta fuisset auctoritatem executione non pari approbando terminare, esto quod sublata fuissent strepitus & figura judicii. De suis quoque curialibus dixit putandum esse, quod benigne tractarentur. Verum adjiciebat, dato quod suos cardinales alii nollent cardinales remanere, & suos curiales in officiis eorum, numquid hoc unionem impedire debebat universi populi Christiani? audierat nempe a sanctitate sua pluries, ut faverent ei ad sacram unionem perficiendam

suos

suos fecisse cardinales. Primos autem, ne inter eos qui adversus eum jam conspiraverant, & decipulas non cessabant suis tendere pedibus, solum se absque concilio reperiret & favore. Alios quoque, ne rebellatis adversus eum cardinalibus suis, ipse ab eis cum tribus derelictus cum ipsis tantum tribus remaneret. Audierat etiam a sua sanctitate, quod viros humiles, & quam meliores sciverat elegerat ad ecclesiam sanctam Dei uniendam & reformandam, omni penitus spe humani favoris ejecta. Concesso igitur hoc, cum cardinales istos fecerat propter unionis favorem, & sanctæ ecclesiæ quietem, rogabat sanctitatem suam Carolus, quod non in detrimentum propositi ipsos fecisse reperiatur. Putabat etiam ipsos debere velle suæ dignitati cedere, ne propter hoc sanctæ ecclesiæ impediatur commodum & tranquillitas; videntes præcipue ipsius exemplum, qui post Dominum Deum suus & magister, & pontificali quæ major erat suis dignitati renuntiabat, ut quiete & commodo fruatur ecclesia. Si autem nollent, cum mala in hoc deprehendatur eorum ambitio, potius ecclesiæ commodum coli a sanctitate sua supplicabat, quam ipsorum prava voluptas. De suis vero cardinalibus similiter dicebat, concludens in responsione hac, quod si videbatur sanctitati suæ annuere petitioni eorum qui Pisis erant, cum opportunum foret tractare de securitate sui accessus Pistorium, & concilii tute ibi celebrandi, futurique pontificis libera electione, poterat, immo decens erat de statu suorum cardinalium futuro tractare, necnon de securitate status principum qui fuerant constantes in obedientia sua, & de aliis suis sequacibus & fidelibus.

Ad hæc dixit dominus Gregorius, quod se & suos, sicut dixerat, in potestate rebellium suorum, & in ipsorum perniciem manifeste tradere non intendebat. Tractandi quidem ea quæ dicebat Carolus modum non inspiciebat, qui sibi & suis non obesset nimium. Nam tempus aderat indicti per eum concilii, & semper titubaverat quando Carolus Pisas iverat, ne per verba sine fructu ab illis duceretur, ut sub concordii velamine agerent quæ disposuerant: ipse autem & sui pacem sperantes, præparationem concilii, & accessum ad concilium negligens, seu saltem differens, & sic inciderat in eo in quo timuerat incidere. Nam sub spe accessus ipsius, credens quod illi tam justas & æquas petitiones non negarent, non providerat sibi de galeis & opportunis navigiis, ut valeat ad concilium accedere, cum ei non sit tutum per terram iter. Unde factum erat, quod cum multi venire disposuissent ad concilium suum, non videntes apparatum ejus, a dominio diffidentes quod concilium celebrare debeat, accedere tardabunt, vel forte non venient, & sic suum dilationibus & versutiis multis destruxere concilium, cum maximo eorum conciliabuli favore. Nolebat igitur totaliter ipsorum pravam intentionem suum destruendi concilium, quantum in eo erat, votum consequi; & propterea deliberabat, omni labore & periculo neglecto, infra statutum tempus ad locum concilii sui indictum accedere, nec ulterius per pratticas tendere, cum vix sibi tempus superesset reperire se vadendi in loco quem dixerat. Statuti temporis in principio, in quo saltem per mensem ante attingere debuisset, exigente consuetudine, nec minus opportunitate negotii imminentis. Ajebat insuper quod a principio usque nunc sub fallacia unionis, hostes sibi laqueos extenderunt, & quod oratores Gallici ostendendo unionem tractare, cardinales suos ei rebellare & ab ipso discedere subduxerunt, quod postea completum est per oratores Florentinorum, sub eadem fallacia & antea factum fuisset, nisi suis cardinalibus tractandi quidquam, & simul conveniendi sine ipso, cum de seditionibus illiusmodi perpendit, inhibuisset. Dicebat tamen quod licet ab Arimino discederet, & concilium celebraret, paratus erat, si qui Pisis erant propositum mutaverint, & petitis assenserint, ad quemcumque propositorum locorum accedere, & promissa servare, & quod nullomodo ad terras Florentinorum accedere volebat, de quibus confidere minime poterat nec debebat ulla ratione. Hisque subjungebat, licet qui Pisis sunt crederent eum sub altitudine oblationis & cautionis sibi fiendæ per suum, quem dicebant unitum collegium, & concilium faciliter decipere; non tamen per divinam gratiam tantæ erat insipientiæ, quod ignoraret quomodo valide futurus pontifex posset obligari ad servandum promissa illa. Unde conscius periculi proprii & suorum, nolebat nec debebat velle, cum valeret & deberet juridice & æque evitare, illud subire gratis.

His finitis, Carolus ait, sibi apparere potissimam esse causam futuri excidii Christianæ plebis, quidquid sua sanctitas dixerit, quod omne quærebat subterfugium ne cederet, licet plurimos fingeret honestatis colores. Si namque qui Pisis erant petitis assensissent, si justæ erant rationes & æquæ quas reddiderat, cum ad cessionis conclusionem perventum fuisset, ipsas easdem assignasset, & si istæ ad justam executionem admittendæ sunt, ita & illæ fuissent, ne videlicet cedere deberet, cernens palam sui suorumque periculum, neque enim plus ecclesia posset futurum obligare pontificem, ubicumque foret petitorum locorum quam Pistorii. Petebat igitur a sanctitate sua, si hæc olim mente gesserat, quare toties circa petitorum obtentum laborare permiserat frustra, supplicabatque humiliter sanctitati suæ, quatenus amore Domini nostri Jesu Christi, si quietem ecclesiæ sanctæ, se mediante, optabat reddi, omnem possessionis papatus a se abdicaret cupiditatem, & animadvertere placeret centuplum in æterna vita se recepturum pro hac transitoria & multum post tempus necessario amittenda gloria, & illum voluntarie relinqueret propter Dominum. Insuper quæ bona ex quiete & unione populi divini sequerentur omnia in præmium & gloriam ipsius redundare. Ex adverso quot mala in ejus ignominiam, amaritudinem & jacturam. Quidquid enim contra dicerent adulantes sibi, nulla ratione cernere valebat, quod et alias dixerat, unionem

nem fiendam, ipſo non cedente, & quoniam A nonnullos oblocutores fari auſos fuiſſe ſciebat, ſuam amplius mereri ſanctitatem ſanctam eccleſiam bene gubernando, boniſque reformando prælatis, quam ſe ipſam pacificando per ceſſionem in manibus pravorum, ſicut hactenus fuerat, relinqueret, memorabat ſanctitas ejus cum ſupplici reverentia; quod videbatur ipſi Carolo datum fuiſſe ſanctitati ejus a Domino Deo immenſis ſcandalis & exitiali fere jacturæ univerſi populi Chriſtiani, antequam evenerint, occurrere poſſe. Si autem papatum prædilexit, quidquid fabulatores fingant, quod detur illi ſubmerſum ejus culpa populum liberare, & laceratam eccleſiam reſtaurare & reformare, B omnino non credit. Poterat namque unico actu plura nunc ſibi populoque ei ſubjecto mereri atque prodeſſe, quam omiſſo hoc, ſi centum annis virtutibus ſtuderet in poſterum. Vidiſſe enim ajebat in codicibus S. Romanæ eccleſiæ plures ſummos ſacerdotes ipſam optime rexiſſe, doctrina & morum exemplo excellentes; nec tamen iſti mortem propter Dominum evitarunt, ut populo ejus vivendo proficerent. Tantæ enim humilitatis fuerunt, quod ſemper ſe indigne præeſſe putarunt, nec umquam præſumſiſſe auſerunt, adeo quod dignos ſe crederent populo Domini prodeſſe valere, & quod Dominus populum ejus non immenſe amplius illis dilexerit, C & dilecturus ſit uſque in finem. Neque etiam tam modicæ fuere fidei, quod neſciant quod Dominus ſponſæ ſuæ quam ſibi pretioſo ejus ſanguine dedicavit, non provideat de opportunis præſulibus; ſive boni ſive diſcoli humano appareant judicio, & quamvis hominibus datum ſit homines ad prælaturas vocare, quod licet quandoque recta, quandoque iniqua, quandoque inſcia mente homines exſequantur; tamen Dominus eſt qui numquam valet errare, cujus diſpoſitione diſpenſationeque homines hominibus præferuntur, & propterea morti ſe ultro obtulerunt; quod nequaquam feciſſent, ſi adulationibus & falſis ſatanæ ſuggeſtionibus acquieviſſent, D atque ſi Domino Deo ſuo minus moriendo quam vivendo noviſſent ſe placituros, & quamquam plures eorum qui optime populum regebant, & tamen gubernationem populi moriendo ſponte reliquerunt, multi tamen ſummo ſacerdotio quam aliis prælaturis indigni, immo peſſimi e veſtigio in principatibus ſecuti fuerunt, non fuerunt illi ſuo fruſtrati merito, nec eorum præmium minutum. Manifeſte quidem Carolo apparebat diabolicam ſuggeſtionem eſſe, cum valeret occurrere, ſanctam eccleſiam prius ſcindendi in novam ſciſſuram, vetere permanente, occaſionem aliis præbere, ut ipſam in melius, quam a centum annis fuerat, reformet, E etiamſi ipſius gubernationi intenderet, præponere viros qui ſibi idonei viderentur & optimi. Nam ſub ſpe incerti commodi futuri, certum inferebat eſſe incommodum & detrimentum. Propterea ſi hæ aſcenderant in corde ſuo cogitationes, rogabat ab ipſo tamquam peſſimas & univerſo domini populo, nec non ipſius animæ officioſas evelli, & ea ſupplicabat ſanctitatem ſuam tota mente amplecti, quibuſcumque privatis abjectiſque, quieti & unioni ſanctæ matris eccleſiæ fuerint profutura.

Propter hæc igitur quæ Carolus dixerat, aliqualiter viſus eſt dominus Gregorius contriſtari, & ait quod vere apparebat Carolum maximum peccatum acquirere, judicando ea mentis ſuæ fuiſſe & eſſe, quæ non fuerant nec erant. Nam numquam propoſuerat nec proponebat potius papatum velle, quam eccleſiæ ſanctæ quietem, & unionem populi Chriſtiani: neque rationes illas aſſignaverat, ad quærendum ſubterfugium ne cederet: quoniam pacem & unionem veram videns ſequi ex ceſſione ſua, cedere ſemper paratus fuerat atque erat. Et dicebat quod ſi Carolus ſciret mentem ſuam, non putabat ipſum tantum cum perſuaſionibus plurimis quas ſibi fecerat inſtitiſſe ut cederet, quoniam opus ei non erat illa perſuadere ad quæ anhelabat tota mente, dummodo reperire valeret modum per quem cedendo non maximum augeretur in eccleſia ſcandalum, maximaque in eos qui fuerunt ſibi fideles jactura. Siquidem ſecum perſonaliter convenire voluiſſet adverſarius ſuus antequam ceſſiſſet, intendebat ſecum concordare de modo adhibendo, per quem futuri pontificis canonica & indubitata ſequeretur electio, ne fieret error noviſſimus pejor priore; ipſo quidem minime ſecum conveniente, arbitratus fuerat opus eſſe ſacri concilii congregandi, quod & fecerat, & quamvis jure ſibi competere hujuſmodi concilium convocare & celebrare cognoſceret, tamen ad petitionem principum ſibi fidelium & ipſius Caroli inclinaverat ſe, omiſſo juris ſibi competentis rigore, ex quo opus illis unionis exigere videbatur, unum communi conſenſu congregari concilium in loco partibus tuto & æquo, & quoniam concilium ſic congregari aſſenſerat, ad illud utique conveniſſet, nec cedere renuiſſet; ſed omiſſis jurgiis privatis, quæ inter eos qui Piſis erant, & præcipue qui ſui fuerant cardinales et ipſum agitabantur, ad obviandum ſanctæ eccleſiæ ſcandalis, et proprio ſui et ſuorum periculis, attentis odiis et inimicitiis, quæ a ſuis olim cardinalibus contra ipſum et ſuos fideles exorta fuerunt, clam et palam, nec non obprobriis et minis et injuriis attentatis et illatis in ſe et ſuos: duobus per ſacram illam et liberam ſynodum provideri, ipſo omnino cedere volente, antequam cederet, petiviſſet. Primo quidem, quod futuri pontificis canonicæ et indubitatæ electioni providerent. Secundo quod eligeretur talis, qui ſuſpectus non eſſet partibus juſta et evidenti cauſa; ſed de ejus perſona poſſent partes merito confidere. Hæc autem ſibi tam juſta videbantur; quod certus quaſi erat illa obtinere, præſertim ſi concilium liberum foret, quod nequaquam eſſe poterat in ditione Florentinorum. Sciebat namque Carolum ſcire, ſi non diſſimulabat, quomodo poterat confidere Florentinis. Sciebat et eorum aſtutias, infeſtamque voluntatem ad obtinendum quod volebant, blanditiis, pretio et minis. Sciebat quod aliqui ex ſuis olim cardinalibus, qui intentioni ejus et captivitati, ſi fieri potuiſſet, aſſen-

assenserant, immo quod fieret instanter laboraverant, ad papatum anhelabant, quibus non parvam favoris spem Florentini tradiderant, quæ Carolus non ignorare sciebat. Ex quo si exhiberet Florentinis quod cupiunt, obtinendi facilitatem et commodum in Deum, in se et suos graviter peccare putaret. Quomodo enim, si aliquis ex illis eligeretur, quæcumque sibi et suis promitterentur, etiamsi concilium se obligaret, confidere posset ipse et sui quod servarentur? quomodo insuper majus commodum ad obtinendum eorum cupiditatem contra se et suos illis præstare valeret, quam si in una terrarum suarum, quæ in medio potentiæ eorum est, concilium fieri assentiret? An ignorare dicebat Carolum Florentinos misisse ad se deducendum plures ex curialibus ejus, oblationibus, contumeliis, et minis, subditis vero suis per publica edicta mandasse, quod nisi ab eo statim discederent, confiscatis illorum facultatibus cunctis, perpetua ab omni electorum dominio exsularent? Dicebat si ergo in Arimino terræ sanctæ matris ecclesiæ et sibi fidelissima et tutissima tantum contra eum ausi fuerant, quid facerent in Pistorio vel S. Miniate? Nimis quidem hæc ignorare crassa ignorantia fuerit, nimisque impia pietas in se et suos fideles; et propter hoc non ad subterfugiendam cessionem nolebat ad illa accedere loca, et quæ dixerat propterea dixerat, quidquid Carolo cogitare placeret, seu de mente sua judicare. Si namque assentiissent petitis qui Pisis erant, ajebat mentem suam comprehendisset per Dei gratiam universa ecclesia manifeste, et quod non plus dilexisset papatum retinendo illum, quam pacem ecclesiæ sanctæ et unionem populi Christiani juri suo cedendo et papatui renunciando, experientia docuisset. Nam sicut dixerat, jam existente in libertate plena et debita de jure, sacro concilio congregato velut quæsierat, obtentis justis petitionibus supradictis, securi fuissent adversarii in futuro, quia modus datus extitisset, quod nullus eligi posset, qui justa ex causa suspectus esset partibus, Securus erat ipse, securi principes, qui propter fidem ipsi servandam hostes effecti fuerant illorum. Securi forent curiales sui et præsertim illi, qui in defendendo veritatem et justitiam suam, et in texendo contra eos processus et publicando, licet sui mandato, illis displicuerunt nimis, qui justam timoris causam habent maximam præ ceteris, propter minas illatas ei præ ceteris, et sic juribus cedere suis et papatui renunciare potuisset, et fecisset absque conscientiæ suæ scrupulo, nullamque habuisset querimoniæ causam, quotquot sibi fideles fuerant, quod eos propter ignorantiam seu malitiam seu dendiam tradidisset aut vendidisset in manibus inimicorum suorum. Subjungebat quoque quod nesciebat conspicere quare Carolus crederet, quod ipse tantum papatum diligeret; manifestum quidem erat quod papatum non quæsiverat, nec aliquem rogaverat ex his qui in conclavi sui fuerant electores, quod ipsum in papam eligerent, et quando acceptavit, non cum intentione retinendi papatum acceptaverat, et sic juravit, quod et postmodum confirmavit. Manifestumque erat, quod ex papatu isto numquam receperat nisi labores, irrisiones, opprobria, contumelias, blasphemias, minas, insidias, et omnia fere malorum genera. Nullam diem viderat, secundum orbem, quietis animi, nullam solatii corporis Sunt igitur, dicebat, ista tam effectuose optanda, si ea quærere vellet, inquiebat, quæ orbis erant: nonne melius fuerat ei antequam ad statum istum fuisset assumtus; sed considerata conditione sua, quotquot sibi adversabantur, considerataque ætate quæ naturaliter quietis est avida; quanto magis nunc cum tot & tanta sibi suisque in statu mundi hujus pollicita sunt? Inferebat ergo, si aspectum mundi & suorum consanguineorum affiniumque opes diligeret, quæ sibi promittebantur, acceptaret; sed quia nolebat suos fideles & seipsum, immo sanctam matrem ecclesiam contra omne debitum juris necare & obruere; & consentiendo quod concilium congregaretur in territorio Florentinorum, & præsertim in medio potentiæ suæ, esset necare & obruere sanctam matrem ecclesiam, se, & suos fideles, propterea deliberabat nullomodo talibus assentire, sed suam spem ponere in Domino & potius mortem pati.

Conticentibus igitur paulisper cunctis, dominus Gregorius dicens, ex quo non videbatur Carolo, quod illi territorium Florentinorum egredi vellent, nec ipse debebat nec valebat ad loca Florentinorum accedere; & præsertim quia erant in centro dominii sui; petiit a Carolo si modus reperiri valeret alius, per quem vera & non violenta unio fieri posset, dicens si bonus reperietur, se plus unionem quam papatum diligere ostenderet.

Ad hæc Carolus dicebat, quod videbatur sibi comprehendisse, ipsum nequaquam per procuratorem cedere velle, neque in manibus procuratorum; neque concordare insuper posse se & adversarios de loco in quo conveniant, & communi consensu celebrent concilium. Nullum igitur medium aliud conspiciebat factibile cognita partium voluntate.

FRAG-

Anno Christi 1409.

FRAGMENTUM SCRIPT. ANTONIO DE BUTRIO I. V. D.

Ad Cardinales Pisanum concilium habentes.

INCIPIT TRACTATUS D. ANTONII DE BUTRIO.

Jesus Christus.

Reverendissimis in Christo patribus & dominis DD. episcopis, presbyteris, atque Diaconibus cardinalibus S. R. E. pro pace & unione gregis Christi in Pisana urbe in unum congregatis, Christi gratiam in patientia, & perseverantia unitatis, & finem Altissimo placitum habere.

REM magnam aggressi estis, & adversitatibus plenam: gloriamini in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes autem non confunditur. A charitate hac quietis, pacis, & unitatis Christianorum quis separabit vos? an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? tribulationes passi estis magnas, sed paciemini etiam. Parate vos ad tentationes; factum hoc Christi est. Creditis in re tanta propugnatores, repugnatores non habere? Passi sunt Apostoli, quorum typum geritis; sed & Christus. An discipulus super magistrum? Generosos animos probat labor & nutrit; & virtus in adversitate perficitur; & tunc etiam valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Hæc zelo Dei agantur, quæso, non quærentes quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi; si finem quærimus optatum. In hac re homunculus ego rudis & agrestis, parum, immo nihil quod offeram habeo, non aurum nec argentum est mihi, non potentia, non armorum subsidia; offero quod possum, ardentis animi affectum ad pacem populi Christiani, & bonam voluntatem. At minutum & leve hoc; sed talentuli a Domino dati agilem fructum compilationis libelli hujus ad repellendos latrantium mores contra pacem in re hac, quam puto, defendendam, justitiam & veritatem, totum quod dixero subjiciens correctioni vestræ ac emendationi concilii generalis, & ecclesiæ sanctæ; ex nunc revocans si quid minus catholice fuerit prolatum, aut scriptum.

Narratio facti gestorum per contendentes & dominos cardinales in schismate tollendo.

Post obitum Gregorii XI. anno D. 1378. die 27. Martii, fuerunt duo ad pontificatum summum ab eisdem cardinalibus assumpti. Primo quidam B. * Barensis archiepiscopus, qui per impressionem Romani populi prætendebatur a cardinalibus electus, sed non sincere. Secundo, se collatis cardinalibus in Ananiam, ubi se securos reddebant, electus est quidam R. * Gebennensis; & primus vocatus est Urbanus VI. secundus autem Clemens VII. cum quo Clemente de Italia omnes pro tunc cardinales Avinionem accesserunt, cui adhæsit illustrifs. rex Franciæ, & cætera pars Christianitatis. Urbano autem adhæsit rex Bohemiæ, & tota Alemania, & Anglia cum majori parte Christianitatis. Omnes autem cardinales antiqui steterunt in fide Clementis usque ad vitæ exitum; duobus etiam hodie viventibus in eadem fide perseverantibus a principio, & temporis successu. Hinc & inde pro uno & reliquo habita, & reddita fuerunt peritorum consilia diversa & contraria; varietas etiam in facto fuit. Post mortem Urbani VI. pro illa parte a cardinalibus ab eo annunciatis assumptus fuit Bonifacius, et post eum Innocentius VII. & post eum hodie Gregorius XII. Pro parte alia post mortem Clementis, Benedictus. Interim aliqui se fecerunt neutrales, nulli adhærendo: aliqui post adhærentiam ab obedientia recedendo; aliqui de una obedientia ad aliam se transferendo; ut Januenses, & Leodienses. In maxima conquassatione stante navicula Petri, interim magnam plagam passa est Christianitas in guerris civilibus & extrinsecis, & multæ civitatum depopulationes sequutæ sunt, præsertim in Italia, & variæ novitates. Avaritia, ambitio, simonia multum crevit inter clericos, multi inhabiles ad dignitates promoti sunt, & ad nutum potentum ecclesia regebatur. Lasciviæ magnæ pullularunt in clero, usurarum vitium inter laicos ubique discurrens nummulariorum mensas occupavit, & pene artes omnes fucatis coloribus latenter subintrabant, nervus ecclesiasticæ disciplinæ in contemptum habebatur; veritas, charitas, pietas, justitia, & Dei honor, & morum omnium honestas a Christi populo patiebatur exilium; & quod omnium pejus est, in desideriis suis laudabantur peccatores: ille acceptior in populis, qui raptu, aut potentia per fas & nefas ditior prodibat ad publicum; hinc etiam sepulchrum ad altaris conspectum ornatius occupabat, qui manifestius, & voracius usuras exercebat. Talis morum ruina, & quidquid populos terrebat, divisioni, & merito, adscribebatur ecclesiæ. Tandem mortuo Clemente, præstitum fuit juramentum in assumptione Benedicti in forma inferius describenda. Similiter & in assumptione Innocentii VII. sub certa forma, quam non refero, quia morte prævento Innocentio effectum fuit evacuatum. In assumptione autem Gregorii XII. DD. cardinales, compatientes Christianitati, præstiterunt ad tollendum scripta in forma sequenti votum, & juramentum; & similiter in assumptione Domini Benedicti.

Forma juramenti D. Benedicti, & ejus Cardinalium.

„ Nos omnes, & singuli S. R. E. Cardd. congregati pro elect. futura in conclavi, „ ante Altare, in quo Missa communis celebrari consuevit, pro Dei servitio, unitate suæ ecclesiæ sanctæ, ac salute ani-ma-

Marginal notes: hac lu-ratione quæ mus in fatione oc Pi- conc. — Cod. Felini ibl Ca- Major Luc. — * Bartho-æus. — * Robertus

ANNO CHRISTI 1409.

,, marum omnium fidelium, promittimus &
,, juramus ad SS. Dei evangelia corporali-
,, ter per nos tacta, quod absque fraude,
,, & dolo, & machinatione quibuscumque
,, ad unionem ecclesiæ & finem imponendum
,, schismati proh dolor! in ecclesia nunc vi-
,, genti, quantum in nobis erit, laborabi-
,, mus fideliter, & diligenter: & per nos,
,, quantum ad nos pertinet, seu etiam per-
,, tinebit, dabimus pastori nostro & gregis
,, Dominici, ac Vicario Christi, domino
,, nostro futuro qui erit pro tempore, au-
,, xilium, consilium, & favorem, nec ad
,, impediendum, vel defendendum præmissa
,, dabimus auxilium, consilium, vel favo-
,, rem directe, vel indirecte, publice, vel
,, occulte; & ista omnia, & singula, & a-
,, lias etiam ultra præmissa vias utiles, &
,, accommodatas ad utilitatem ecclesiæ & u-
,, nionem prædictam ejusdem; sane & ve-
,, raciter, & sine machinatione, seu excu-
,, satione, vel dilatione quacumque serva-
,, bit, & procurabit possetenus, quilibet
,, nostrum, etiamsi fuerit assumptus ad A-
,, postolatum, etiam usque ad cessionem in-
,, clusive per ipsum de papatu faciendam,
,, si DD. cardinalibus, qui nunc sunt vel e-
,, runt in futurum, de his, qui sunt nunc
,, vel majori parti hæc pro bono ecclesiæ
,, & unitatis prædictæ videatur expedire.
,, Et ego Guido episcopus Prænestinus præ-
,, dicta juravi, & promisi, & mea manu
,, subscripsi. Idem D. Nicolaus episcopus
,, Alban. Idem D. Leonardus tit. S. Sixti
,, presbiter cardinalis. Idem D. Bertrandus
,, tit. S. Potent. presbyter cardinalis. Idem
,, D Thomas tit. S. Praxedis presbyter car-
,, dinalis. Idem D. Johannes tit. S. Ciriaci
,, in Thermis presbyter cardinalis. Idem D.
,, Johannis tit. S. Vitalis presb. card. Idem
,, D. Petrus tit. S. Susannæ presb. cardinal.
,, Idem Johannes tit. S. Anastasiæ præsbyt.
,, card. Idem Martinus tit. S. Laurentii pre-
,, sb. card. Idem Johannes tit. S. Johannis
,, & Pauli presb. card. Idem Petrus tit. S.
,, Petri ad vinc. presb. card. Idem Guillel-
,, mus tit. S. Ceciliæ presb. card. Idem Pe-
,, trus tit. S. Mariæ in via lata diac. card.
,, Idem Petrus tit. S. Mariæ in Cosmedin,
,, diac. card. Idem Amadeus tit. S. Novæ
,, diac. card. Idem Galeottus tit. S. Georgii
,, ad velum aureum diac. cardin.

Affert hanc formulam Raynaldus Annal. An. 1394. n. 6. sed desunt apud illum subscriptiones

Qui scripserat cedulam propria manu, & subscripsit, & præsupponitur in facto quod a majori parte cardinalium declaratum fuit D. Benedicto viam cessionis expedire, & super hoc fuit pluries requisitus, ita quod conditio juramenti purificata est. Et postea per literas D. Benedicti responsivas ad literas D. Gregorii approbata & declarata responsione ad petitionem Ambassiadorum illustris regis Franciæ; qui intendebat viam cessionis omnibus aliis viis anteire, ut patet ex declaratione quam fecit Marsiliæ.

Formula juramenti Gregorii & ejus Cardinalium.

,, In nomine S. & individuæ Trinitatis.
,, Anno a nativitate D. N. J. C. MCCCCVI.
,, ind. 14. die martis 23. mens. novemb. in
,, die S. Clementis, Apostolica Sede vacante
,, per obitum fel. rec. D. Innocentii papæ
,, VII. congregati, & ad invicem collegia-
,, liter coadunati pro futura electione sum-
,, mi pontificis celebranda infrascripti reve-
,, rendissimi in Xto Patres & DD. Ange-
,, lus Hostiensis Florentinus, Henricus Tu-
,, sculanus Neapolitanus, Antonius Pæne-
,, strinus Aquilejen. Epis. Angelus tit. S. Po-
,, tentianæ Lauden. Conradus tit. S. Gri-
,, sogoni Militen. Angelus tit. S. Marci Con-
,, stantinop. Jordanus tit. S. Martini in Mon-
,, tibus de Ursinis, Joannes tit. S. Crucis in
,, Jerusalem Raven. Antonius tit. S. Praxe-
,, dis Tudert. presb. Rainaldus tit. S. Viti
,, in Macello de Brancatiis, Landulphus tit.
,, S. Nicolai in carcere Tulliano Barrens.
,, Oddo tit. S. Georgii ad aureum vellus de
,, Columna, Petrus tit. S. Angeli, & Ange-
,, lus alias Joannes tit. S. Cosmæ & Da-
,, miani Leodin. vulgariter nuncupati. Diac.
,, S. R. E. card. in capella communi S. pa-
,, latii Apostolici Romæ apud S. Petrum in-
,, tra conclave consuetum, quem pro loco
,, ad infrascripta elegerunt, & etiam depu-
,, tarunt in præsentia mei Barontii de Pi-
,, storio, & aliorum notariorum, & te-
,, stium infrascriptorum. Considerantes chri-
,, stianæ religionis infamiam, detrimenta,
,, & graves fidelium molestias, atque peri-
,, cula, quæ hactenus emerserunt & emer-
,, gere verisimiliter est censendum, nisi sa-
,, lubriori remedio & in tempore, Domini
,, favente clementia cujus res agitur, oc-
,, curratur; et pestifero, et damnabili
,, schismate, quod tantis; proh dolor!
,, temporibus in scissuram christianæ fideli-
,, tatis gravissime perduravit, & durat,
,, nec piam provisionem pro ipsius schismatis
,, remotione per eos factam aliquem effe-
,, ctum produxisse; ac intendentes ad reme-
,, dia fortiora, non quod necessarius (*ita*)
,, pro parte eorum justitiam suadeat, quod
,, jus verissimum est & plena veritate ful-
,, citum; sed quod pro integratione & uni-
,, tate Christianorum ex malitia temporis,
,, de facto, etsi non de jure, expediat; eli-
,, gentes et inspecula eorum considerationis
,, extollentes quanti posset esse discriminis,
,, si dilatio in electione summi pontificis fie-
,, ret, temporum malignitate pensata; uni-
,, versaliter singuli, & singulariter universi
,, unanimiter & concorditer, nemine discre-
,, pante, ex certa scientia convenerunt, vo-
,, verunt Deo, ac ejus Matri virgini glo-
,, riosæ, ac SS. apostolis Petro & Paulo,
,, totique cælesti curiæ juraverunt invicem,
,, unus alteri, & e contra, se obligando so-
,, lemniter promiserunt; quod si quis eo-
,, rum fuerit assumptus ad apicem aposto-
,, latus summi pro integratione unitatis Chri-
,, stianorum renuntiabit effectualiter juri suo
,, & papatui, pure, libere, & simpliciter,
,, si, & quando antipapa qui est, & qui pro
,, tempore fuerit consimiliter renuntiabit,
,, & cedet prætenso juri & papatui, sive de-
,, cedat; dummodo anticardinal. effectualiter
,, velint cum ipsis dominis de sacro collegio
,, sic convenire ac concordare, quod ex hoc
,, sacro collegio et episcopis sequatur juste
,, canonica electio unici summi pontificis
Rom.

„ Rom. ac etiam promittentes se facturos „ et curaturos, omni dolo, fraude et maligna interpretatione cessantibus, pro posse, „ quod si quis ex DD. cardinalium absentibus „ vel extra collegium per eos assumatur in „ papam, eamdem faciet obligationem. Ac „ quod in mensem, a die suæ inthronizationis numerandum per suas extensas apostolicas literas regi Romanorum, antipapæ, „ et ejus prætenso collegio, regi Franciæ, „ et omnibus aliis regibus, illustribus principibus, prælatis, universitatibus, communitatibus christianitatis, secundum videre præfator. dominorum de collegio, „ præmissa omnia indicabit, et ea se offeret „ impleturum et paratum ad cessionem modo prædicto, et ad omnem aliam viam rationabilem, per quam prædictum schisma „ tollatur, et unionis subsequatur integritas in ecclesia Christianorum; et quod omnibus supradictis ultra præmissa suos solemnes destinabit oratores, infra tres menses a die inthronizationis prædictæ computandos, illis quibus de consilio præfatorum dominorum sacri collegii sui videbitur; et ipsis ambasiatoribus cum effecto „ imponet cum consilio eorumdem dominorum de locis decentibus eligendis ab utraque parte, eisque potestatem dabit plenariam de loco conveniendo habili, et „ decenti. Ac etiam promittit similiter, ut „ præfertur, quod pendente tractatu unionis hujusmodi effectualiter et realiter ex „ utraque parte non creabit neque faciet „ aliquem cardinalem, nisi causa coæquandi numeri sacri collegii cum numero prætensi collegii anticardinal. prædictorum, „ nisi ex defectu steterit adversæ partis quod „ unionis præfatæ conclusio infra annum, a „ fine dictorum trium mensium computandum, non fuerit subsequuta. Quo casu eidem liceat cardinales eligere, et creare, „ prout pro statu Rom. eccl. videbitur convenire. Et hoc de non creando cardina. „ nisi modo prædicto in forma congrua insinuabit antipapæ et prætenso collegio supradictis, ut ipsi similiter sic faciant. „ Nec non quod omnia præmissa inchoabit, „ et inchoanda media prosequetur, et fine „ debito terminabit, nihil de contingentibus „ necessariis et utilibus vel quomodolibet „ oportunis quantum in eo fuerit (omittendo). Quodque statim post ejus electionem, et ante publicationem omnia et singula supradicta confirmabit et approbabit „ authentico modo; et de novo similem promissionem faciet in omnibus et per omnia „ coram dictis dominis de collegio, testibus, „ et notariis; et subscriptionem faciet manu propria instrumentis, ut infra de card. „ continetur, et consimiliter hujusmodi ratificationem, approbationem, et promissionem effectualiter faciet in primo consistorio publico, vel generali, quod post coronationem suam ad hoc, commodo, consueto & congruo tempore celebrabit. Insuper præfati dd. card. voverunt, juraverunt „ & ad invicem promiserunt, quod per suas „ literas intra mensem a die inthronizationis prædictæ collegialiter intimabunt de „ electione facta, necnon de voluntate, & „ promissione quoad unionem prosequendam. „ Et omnia supradicta omnibus præfatis Dominis, prout et sicuti facere tenetur qui „ erit electus, ac etiam inchoata mediabunt „ prosequentur, & finient, quantum in eis „ erit, nihil de contingentibus, necessariis „ vel oportunis quomodolibet, seu utilibus omittendo. Quæ omnia & singula „ promiserunt ad invicem inter se, & vicissim, ut supra, attendere, observare, „ facere, exequi, & effectualiter adimplere, bona, pura, & sincera fide, „ omni dolo et fraude cessantibus. Et sic „ quilibet eorum juravit corporaliter manu „ tactis sanctis evangeliis coram eis præsentialiter positis servare, adimplere, & „ exequi, prout superius continetur. Quodque a prædictis promissione, voto, & „ & obligatione ac juramenti præstatione, „ et ejus observatione ac omnibus supra „ dictis & singulis nullus eorum absolutionem petet, seu impetrabit per se vel alios, „ & impetratis, seu impetrandis non utetur, & sibi concessam nullatenus acceptabit. Nec data potestate per ipsum alteri „ faciet se absolvi, seu etiam se cum in aliquo dispensari; sed volet perpetuo dicto „ vinculo manere obligatus. Et nihilominus „ ad majorem certitudinem (et) firmitatem „ quilibet D. de collegio supradicto teneatur subscribere se manu propria omnibus, „ singulis instrumentis conficiendis; exinde „ quatuor instrumentorum (sic) quilibet ex „ ipsis DD. de collegio, unum vel plura „ habere valeat pro ejus arbitrio voluntatis. Actum in cappella præfata præsentibus &c.

Subscriptio DD. Cardinalium.

„ Ego Angelus Hostiensis epis. card. Floren. sicut præmittitur, vovi, promisi, & juravi, & in testimonium manu mea subscripsi. Similiter singuli subscripserunt se, inter quos card. Constantin. qui post hæc electus fuit.

Reiteratio sacramenti D. Gregorii post electionem.

Anno prædicto die 30. mensis prædicti electus fuit D. Angelus tit. S. Marci presb. card. Constantinopolitanus dictus Gregorius papa XII. & eadem die statim post electionem idem votum, sacramentum & promissum fecit, prout superius continetur, in præsentia dictorum Dominorum cardinalium, testium & notariorum, & se subscripsit in singulis instrumentis, quorum quilibet cardinalium habebat unum in hac forma.

„ Ego Gregorius XII. hodie, ultimo novembris, MCCCC. sexto assumptus in Romanum Pontificem, sic ut præmittitur, „ juro, voveo, promitto, & confirmo omnia supradicta.

Post quæ destinantur literæ per Gregorium, invitatur Benedictus ad unionem, offertur via cessionis, dicitur de apicibus juris non disputandum, nec semper suo juri inhærendum. Acceptat Benedictus mutuis literis oblata; involute tamen. Similiter se of-

ANNO CHRISTI 1409.

offert ad cessionem; scribitur Romanorum regi, regibus aliis, principibus, comitibus, & universitatibus. Excitatur ex hoc populus Christi in magnam spem desideratæ unionis; transmittuntur legati per Gregorium ad Benedictum, inter quos nepos proprius tunc episcopus Motonen. Tristantur D. cardinales de tali legatione, timentes ne colludatur. Per legatos eligitur Saonæ locus; approbatur per D. Gregorium per literas Saonæ scriptas, et per literas destinatas ambasiatoribus propriis legatis ad illustrem regem Francorum. Retrahitur a fervore Gregorius; quærit occasionem recusandi locum, et recusat propter timorem, et insidias, quas dicit se timere. In termino primo Saonam se offert Benedictus, et expectat usque ad secundum; se interponunt legati Franciæ, legati Venetorum, et Florentiæ. Ponuntur in medio loca habilia; modo unus, modo alter refutat; longe ab eis concordia est. Vacillationibus, et involutionibus legatorum capita involvuntur, nulla costantia in Gregorio reperitur; modo sic; modo non; quod in mane firmatur, in sero revocatur; et .... per verba inania cæcum populum Christi anno, et plus traxerunt ad manus. Captat uterque occasionem a tractatu discedendi; et alter alteri culpam impingendi; illic difficultant ubi difficultandum non est. Quærunt locum ad cedendum; illis obiicitur locus non de substantia agendorum, cum ubique cedere queant, aut medio procuratore, aut in manibus collegii; hoc surda aure transitur. Laudatur immense a Gregorio pro loco civitas Pisana, et adversario offertur ab eo, et Cardinalibus ejus, ejus mandato securitas: quærit Gregorius, nec declinat; offert se Benedictus venire Liburnum. Interim Apuliæ rex Romam invadit, eam suo subdit imperio; festum facit Gregorius et cum muneribus suscipit nova deferentes. Asserit Benedictum tractatum habuisse in Roma; hinc causat discessum a tractatu: hic, ut ait, non sincere ambulat; quæ[illegible]t me capere. Hoc confirmant adulatores, pacis inimici. Et quid plura? Disceditur a tractatu; a Gregorio cessionis via damnatur ut diabolica. Scribitur Joanni Contareno Parisius non amplius eum sequi velle viam cessionis. Renitentibus & invitis cardinalibus de facto contra votum et juramentum citantur cardinales unionis inimici, inter quos nepos proprius. Ad præcludendas vias unionis, ut dicitur, præcipitur cardinalibus ne invicem communicent per se vel alium, neccum legatis Franciæ colloquantur, et hoc sub poena perjurii et excommunicationis. Nec etiam civitatem Lucanam egrediantur absque licentia sub poena excommunicat. & privationis capelli & beneficiorum, quam incurrant ipso facto. Tandem discedunt cardinales qui secum erant, tribus exceptis, quorum duo postea sunt reversi ad cardinalium cetum. Pisas accedunt; convocant cardinales Benedicti: Liburnum se conferunt; in sufficienti numero ineunt tractatum de pace danda populo Christi: mature eligitur via convocationis concilii generalis: hoc sentiunt de papatu contendentes: deliberat uterque de recessu; petit Benedictus Perpignanum in Arragonia; Gregorius autem Sennas. Dimittitur populus Christi delusus & A de unione desperatus; undique clamant populi. Ingentissima & crebra contra eos crescit infamia. Scandalum patiuntur omnes de minimo ad maximum. Publicatur concilium per Benedictum apud Perpignanum in festo Omnium Sanctorum; per Gregorium apud archiepiscopatum Ravennatem aut patriarchatum Aquilegensem in festo Pentecostes. Requiritur uterque a cardinalibus ut assentiat concilio, quod esse dicitur universale propter locorum distantiam & tempora diversa. Publicat Gregorius literam Christifidelibus convocans ad se DD. Cardd. pro tractanda unione. Dicit se fuisse, esse & in futurum fore bonæ voluntatis ad implenda B juramenta secundum intentionem voti & juramenti. Conceditur locus Pisarum a Florentinis DD. cardd. utriusque collegii unitis pro unitate ecclesiæ, contradicentibus Legatis Gregorii. Publicatur concilium generale per cardd.; diriguntur inquisitoriæ prælatorum, requirentibus DD. cardin. Gregorii suam obedientiam & Benedicti suam, de voluntate utriusque collegii. Et similiter exhortatoriæ ad Romanorum regem & principes utriusque obedientiæ. Ex hac habui, quantum potui narratione facti oriuntur dubia quæ occurrunt & occurrere possunt tam ante concilii congregationem quam in concilio quam etiam post concilium, quæ ad ca- C pitula reducta sunt. Et hæc de primo capitulo sufficiant.

CAPUT II.

An DD. cardd. utriusque collegii potuerunt convocare concilium generale utriusque obedientiæ; ita quod possit dici concilium ad expedienda quæ intendunt.

Circa hunc articulum secundum movebo dubia pro utraque parte; eligam pro parte DD. cardinalium; confutabo ulterius motiva pro parte adversa. Primo namque D videtur cardinales non posse convocare concilium generale ex defectu potestatis, ut vocant, quia non sunt; nam causabitur Gregorius quod DD: cardinales Benedicti non sunt cardinales, quia creati a non papa, & ut schismatici per verum papam inhabilitati, ut apparet ex processibus contra schismaticos. Item quod excommunicati adhuc per processus; eo addito etiam, quod schismatici sint, omni judiciaria potestate privati, tamquam a jurisdictionalibus suspensi XXX. q. 1. *audivimus* §. *sin autem*, & cap. *Didicimus* VII. q. 1. *Novatianus*. de cler. exc. mi. *Si celebrat* in fin. de re jud. *ad probandum* de schis. cap. I. Similiter & DD. E cardd. Gregorii schismatici videntur, ut a capite recedentes, & schismaticis adhærentes XXX. q. 1. *Schisma loquitur*, & cap. *alienus*, & dicto cap. *Novatianus*, & XXX. q. 3. *inter schisma*. Et per sententiam papæ cardinalatu fuerunt privati, si discederent de Luca, ut ponitur in facto, & etiam sunt excommunicati. Ut cardinales ergo, ut faciunt, citare non possunt, cum citatio judiciarius, & jurisdictionalis sit actus, de-

his

ANNO CHRISTI 1409.

ANNO CHRISTI 1409.

his qui ad ecclesiam confugiunt præsenti de probat. *quoniam contra no.* de feriis capite fin. Repugnante ergo potestate voluntati, non valet quod agunt; leg. *multum* C. *Siquis alteri, vel sibi* de offic. del. cum super. de sententia excomm. a nobis consi. Secundo negari non potest alterum collegium non collegium propter incompossibilem, & impossibilem multiplicationem Papatus VII. q. 1. *factus*; & cap. *non autem*, & cap. *Novatianus* cum cap. sequenti XXX. q. 1. *Dicimus* & cap. schisma de off. ord. *Interim*; repugnat enim huic articulo *unam sanctam*; & quia unus est Christus, unum corpus ecclesiæ, unum ergo caput VII. q. 1. *in apibus*, ad Corint. 1. *& unum dedit caput super omnem ecclesiam quod est corpus Christi*; ad Eph. 3. Mixtis autem habilibus cum inhabilibus non valet quod agitur IX. D. *si ad sacras*, XXIII. *d. quorumdam*, III. q. IX. *pura* de off. deleg. cum super., & cap. *Super quæstionum* §. *si vero* de elect. illa, & quod ibi notatur, & quod notatur de procur. consult. ff. de Arb. pediuis l. 1. §. *item quæritur* ff. de Aqua, & Esti. cum si. Item de facto, & de jure impossibilis videtur ex tali mixtura vocatio; quia vel vocant hæc collegia ut unita ambo utramque obedientiam, & non obedietur quia altera obedientia alterum ex collegiis opinatur non collegium; unde verisimiliter non obediet, nec obedire poterit, salva conscientia, & opinione; vel vocat separatim quilibet suam obedientiam, & res incipit a decisione, cum eis non est Spiritus Sanctus cum agant ut divisi, nam effugit Spiritus S. scissuras, nec descendit nisi in congregatos in unum, Actuum s. XXX. q. 1. *loquitur schisma* .... & cap. *alienus*. Tertio, dato quod ambo collegia alias non deficerent in potestate cardinalatus, adhuc non videtur eos posse congregare concilium, quia hæc potestas est soli papæ reservata, ut patet ex capitulo Isidori *In antiq.* cap. *canonum*; cujus verba ad literam sunt hæc: *Synodorum vero congregandarum authoritas Apostolicæ Sedis privata commissa potestate*. Nullam synodum generalem ratam esse legimus, quæ ejus non fuerit authoritate congregata, vel fulta. Hæc authoritas testatur canonica, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc SS. Patres confirmant, ad quod III. Dist. .... §. *Porro*, XVII. Dist. *Synodum*, regula, & quasi per totum: unde Pelagius in cap. *Multis*, ea D. illa non concilia, sed conventicula, seu conciliabula vocat. Ad quod II. q. 6. *Ideo*; & q. 15. *Mandastis*, & cap. *Auditum*. Confirmatur hoc, quia de jure convocatio est facienda per majorem de universitate ff. *de albo script.* l. 1. & ibi not. l. 2. & quod ibi not. C. de Decurio. l. XI. D. 93. *A subdiacono*, notat Innocent. de major. & obed. cap. I. de elect. Bon. I.; & cap. *Cetum*, §. ult. & de Off. Ord. *irrefrag.*, §. I. de Nov. op. nunt. cap. 2. Ad hoc; quia citatio pertinet ad eum, qui superioritatem habet, aut imperium in aliquem ff. de Jud. *Siquis ex aliena*; Siquis *in jus voc.* l. 2. de rescript. super literis & quod ibi no, & de Dila. cap. *præterea*. Super concilium autem est solus papa, de electione *Significanda* cum concor. ergo &c. Quarto quia papa judicem non cognoscit in terris, neque ab Augusto, neque ab omni clero neque a regibus, sive gregibus, neque a populo judicabitur IX. q. 3. *Nemo*; & aliorum causas voluit Deus per homines judicari; Sedis Apostolicæ præsulem suo, sine quæstione reservavit arbitrio ea *quæs.* C. *aliorum*; Et dicit Aurelius: *facta subditorum judicantur a nobis*; *nostra vero judicantur a Domino*. Et prima sedes de tota ecclesia judicare potest; ipsam autem ad nullius commeare judicium. Ea q. *ipsi*, & capit. *cuncta*; *& prima sedes non judicabitur a quoquam* XXI. D. *nunc autem*. Ut ergo judicari possit, est necessaria papæ vocatio, per quam notetur quædam submissio XXI. D. cap. *nunc autem*; 2. q. 5. *mandastis*, & cap. *auditum* 2. q. 7. *Nos si incompetenter*. Cum si. Quinto quia tale concilium absque papæ vocatione foret acephalum, absque capite, monstruosum, contra regularem naturam conciliorum, quæ constant ex membris, & capite, ut in aliis inferioribus conciliis III. D. §. *porro* XVIII. D. *Quoniam si episcopus Metropolitanus*; *si quis episcoporum*, & quasi per totam, VII. q. 1. in *apibus* de præscriptionibus; cum non liceat contra si. Sexto quia, ubi propter superioritatem, & præeminentiam quis non habet judicem, ejus est eligere judicem, qui superior est in propria causa, ut patet in imperatore, qui eligit procuratorem Cæsaris de Off. proconsulis l. *nec quicquam* no. de judi. *cum venissent*. q. 5. *Mandastis*; & cap. *auditum* 2. q. 7. Nos si sic in criminali episcopus, diaconus, presbyter eligit judicem, 11. q. 1. *judices*, 15. q. 7. *Si autem*. Ad ipsum ergo pertinet eligere judicem, qui hoc facere censetur convocando concilium. Et judicis electio non est illi auferenda, aut *habita* C. *ne filius pro patre*. Septimo quod concederetur in defectu papæ potestatem devolvi ad dominos cardinales, cum in hoc non reperiatur titulus a jure statutus, exigebatur requisitio utriusque, ut convenirent; & congregarent concilium; ff. de verborum signif. ex legati, & l. sequenti de clericis non residentibus *ex tuæ* & cap. seq. V. q. 5. cap. 1. ff. de usuris l. *mora*, ad hoc quod notat Innoc. de præbendis. cap. *extirpandæ*, de concess. prebendæ. Ex parte per Pau. de religiosis domibus, *quia contingit*. Isti autem non fuerunt requisiti ad concordandum de loco concilii. Et quamquam fuerint requisiti de concordando loco renunciationis; per hoc non convincitur negligentia in actu separato conventionis loci concilii de testi. *cum olim* in fine, & notat Glossa de dolo, & contu. cap. fin. l. 6. in v. *non teneris* ad fi. consi. Et maxime confirmatur hoc, quia si in aliquo foret negligentia, quilibet ipsorum convocat, & sic purgatur negligentia; & silere debet cujuscumque inferioris vocatio, ut not. de offic. Deleg. *Pastor*. in fi. de appell. *cum parati* de Off. dele. *studuisti*, & cap. *licet*, C. de relat. l. 1. no. de appe. *Intimasti*, C. *ut nostrum* & cap. *si duobus*. Octavo quia congregatio concilii debet fieri ab eo qui habet aliquam authoritatem, vel jurisdictionem super eos qui convocantur, hoc

ANNO CHRISTI 1409.

hoc est supra concilium, & super eos contra quos fit convocatio, & super causam convocationis, XVIII. Di. *quoniam placuit*, & cap. *Episcopus* V. q. 2. *vocatio* 2. q. 3. *si ægrotant*. Hæc omnia cessant hic, quia domini cardinales nullam sibi vindicant superioritatem in concilium, a cujus potestate sola papæ authoritas excipitur. Hinc est quod legatus de latere illud congregare non potest; ad hoc de elect. *significasti* notat Glossa 3. di. §. *porro*, & quod notat Glossa & Archidiaconus 2. q. 6. *ideoque*. Item multoties sunt congregata antiquitus concilia, & numquam reperitur aliquod concilium fuisse per cardinales congregatum. Non est ergo superstitiose inveniendum, quia cum hoc exorbitet a regulis, sufficit non inveniri concessum ut prohibitum censeatur. De transl. Præla.c. *inter* 2. q. 5. *consuluisti* XXXI. q. 1. *quod si dormierit* C. de colla. l. *illam*.

E contra pro parte DD. cardd. quod ab iis potuerit fieri congregatio probatur primo: quia supposito quod immineat causa illud congregandi; quod examinabitur infra; non est congruum ut a potestate judicandi pendeat an judicetur. ff. de eo quod certo loco. *non utique*. Interest enim ut male gesta, et maxime in confusionem Christianitatis judicentur, et emendentur, ff. ad l. Aquil. *ita vulnerat*. de sent. excomm. *ut famæ*. Alias laxaretur Papæ licentia ecclesiam, et Christianitatem dissipandi, et subvertendi fidem. Nec dici posset, cur hoc facis? LXXXIII. Dist. *nemo* 28. q. 1. *qualis* 23. q. 4. *est injusta*, et cap. *non potest*, cum si. Hinc est, quod captata remedia ad præsidium iniquitatis a jure repelluntur, ff. de verb. signif. *si qua pena*, de appellat. et cap. *pervenit*, *consuluit*, *proposuit*, & cap. *cum speciali* §. *porro*. Si autem soli papæ congregatio permitteretur, in ejus esset semper potestate an judicaretur. Quid enim si nollet concilium congregare? quid si de facto non posset? quid si ostenderet se congregare & malitiose dispergeret? aut sibi tantum propitios accersiret in iniquitate? aut alia occulte interponerentur impedimenta ne congregaretur, aut non debito modo? quis sciperet tunc concilium non posse ab aliis congregari nisi qui vellet ecclesiam ponere in manibus unius, qui fidem Christianam, & statum ecclesiæ libere posset absque remedio ullo illam funditus annihilare? non sic in foliis intelligenda sunt jura, quæ dicunt papam convocare debere concilium; non sic in cortice; sed temperandi sunt in radice rationis, et ex illa regulandi; non enim in verbis scripturarum est Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis; 1. q. 1. *Marcion*. 13. q. 1. §. 2. V. *verba* XXXVIII. d. 1. *sedulo*, XXII. q. V. *humanæ* de verb. sign. *intelligentia* ff. de leg. *scire* de verb. sign. *cum quidam* C. de leg. *cum quo*; etsi oppositum diceretur evacuata, & sub ludiario manerent jura, quæ permittunt aliquo casu papam judicari contra id de post: prælat. Bon. V. *nec nocebat*. C. de bonis quæ lib. l. ult. §. *ubi* LXI. dis. *nullus*. Secundo reperitur pluries antiquitus, nedum per DD. Card. tam honorabilia membra ec-

A clesiæ concilium congregatum in similibus; immo per imperatores qui nedum dominis cardd. sed quibuslibet episcopis se cognoscere habent inferiores, 63. dis. *Valentinianus*, 96. dis. *bene quidem* de Majo. & obed. *solite* de Jud. unde antequam ecclesiastica capitula constituerentur per imperatores congregabantur, 15. dis. c. 1. & dicit Glossa in lib. conciliorum in principio Africani concilii. Item Constantinus suo jussu, & suis expensis congregavit concilium, & sedit in medio concilii imperialibus decoratus, quamvis in humili cathedra, ut dicit historia tripa: lib. 1. cap. si. & lib. II. cap. 1. IV. Et XX. et seq. lib. X. cap. 2. 3. Item mandato

B & licentia imperatoris congregatum fuit concilium Chalcedonense, ut patet in principio Chalcedonensis concilii; & quod plus est interfuit ibi regina, cujus concilii ad hoc propositum verba referam. *Sancta, & magna, ac venerabilis Synodus, quæ secundum gratiam Dei, & decreta piissimorum imperatorum congregata est in Chalcedonensi civitate metropoli &c*; & parum post: *Dominus noster piissimum & fidelissimum imperatorem erexit ad zelum fidei, qui undique sacerdotes & pontifices ad se convocavit*. Et in fine illius capitis dicitur: *ab universis enim provinciis*, loquitur imperator, *religiosissimi sacerdotes Chalcedoniam venerunt juxta mandata nostra, & præcepta*. Et dicit histo-

C ria trip. lib. V. cap. XIV. & seq. *convenerunt in Italiam episcopi Orientalium, & Occidentalium ultra trecentos, ut præcepto principis Medi.lanen. conc. celebraretur* & cap. XVI. dicitur: *cogitabat imperator, quatenus omnes episcopos Orientales venientes ad Occidentem, si posset, concordes efficeret; quod tamen propter itineris spacia difficile videretur, duplicem tractavit Synodum celebrari, ut in Arimino quidem Italici, qui tunc aderant, convenirent; Orientales in Nicomedia Bithiniæ civitate*. Submittit quædam alia, non ad hoc propositum, quæ postquam cepi hic interseram, ut videatur diversorum conciliorum effectus & finis, de quo tan-

D gam interius. Sequuntur verba historiæ. *Hæc ergo imperatore tractante, effectus non venit, ut voluit; neutrum enim concilium sibimet concordavit; sed utrumque divisum est: nam in Arimino convenientes alterutris inter se consonare (non) potuerunt. Et Orientales in Seleucia Isauriæ congregati aliud schisma sunt passi. Hoc totum operata est non in unum congregatio*. Quid plura referam? innumerabilia antiquitus inveniuntur pet Imperatores congregata concilia, ut patet ex transcursu tripartitæ historiæ; & Martinianæ chronicæ & in lib. conciliorum, ad hoc XVI. dis. *habeo librum* cum omnibus cap. seq. usque ad finem distinctionis. Ex quibus con-

E cluduntur duo, quod hoc fortius facere possunt DD. card. Secundo quod actus convocationis concilii non est autorizabilis, & ut puri facti competit eis de jure quam qui de facto congregare possunt: non enim alia ratione imperatores antiquitus concilia congregabant, nisi quia ecclesia tunc non erat in potentia de facto compellendi venire nolentes; (nec propter diversitates de facto parebant) non audebant congregari ut patet

tet in primo Africani *canones* 15. dis. cap. 1. unde statim cum ecclesia potuit hoc correxit, & non per principes sed per se convocavit, & aliquando ipsa rogante, & postea auctorizante; & aliquando per imperatores præcipiente ecclesia, aliquando ipsa ratificante, ut patet 17. Dis. per totam, maxime §. *hinc etiam*; & in gestis Symmachi cap. IX. ubi extense ponitur §. *hinc etiam*. Et aliquando consultu Imperatoris, & præsentia, ut in primo Chalcedonensis concilii; sic etiam Antiochenum congregatum fuit in gestis Antiocheni concilii cap. 1. & in gestis Silvestri papæ cap. 11. *cum si*. Tertio, convocationes universitatum a superioribus non sunt de substantia; ipsa enim met universitas se potest congregare. Nam multoties se congregabant apostoli vocatione Spiritus S. absque alio capite vocante, ut patet actuum VI. in principio ibi. *Convocaverunt autem duodecim multitudinem discipulorum*. Et de jure, dummodo duæ partes vocandorum se reperiant præsentes, possunt aliam ad se vocare, & si tota causa & facto congregata foret, valeret quod agitur no. in l. *observare* C. de Decuri. l. X. ff. quod cuique uni C. *plane* de tu. & cu. dan. *ab iis* l. ult. de decret. ab or. fa: III. not. Glos. de elect. *Licet* Innocentius de elect. Bonch. I. in verbo *constare* ver. et no. de novi operis nuncupatione cap. 11. in verbo *vocatis*, verbo *si autem nullus ad hoc* l. nominationum de decu. l. X. arc. & 63. dist. *Quanto*. Sic & citatio ad sententiam requisita non exigitur aliter quomodocumque data præsentia l. *in causæ* §. *causa cognita* ff. de mino. no. de re judicata l. *furioso*. ff. de electione, cap. fin. in VI. in novell. Cum ergo instet necessitas ecclesiæ, locus paratus Pisarum sit utique tutus, et quem uterque contendentium approbavit, et obtulit D. Benedictus in Massilia per archiepiscopum hodie Taraton. in hospitio ambasiadorum Gregorii, me præsente, et audiente, & adstante maxima multitudine, inter quos Bononiensium domini mei D. Baldassar Cossa de Neapoli tit. S. Eustachii card. & legati hujus unionis zelatoris ferventissimi, & principalis post Deum operatoris, nunc pro S. Romana ecclesia Dominii Bonon. Faventiæ, Forlivii, quos suis laboribus sudore, & industria recuperavit, ecclesiæ legati interfuerunt; D. Gregorius in Pisis, ut supra ponitur in facto. Cum tam honorabilia membra jam locum, & omnia paraverint, qui de omnibus gestis sunt informati, & sine quibus concilium de gestis utriusque contendentium non potuerit informari; cum appareat retro tantam fuisse difficultatem in requirendo locum, cum res celeritatem tantam desideret; quotidie enim magis, & magis christianitas periclitatur; cum pateat de malo proposito utriusque contendentis, qui aliud non quærunt quam diffugia, ut perpetuentur in sedibus, & ecclesiam reducant ad extremum ruinæ, & desolationis: cum quotidie novas inveniant fictiones, & exquisitos colores ad impediendam hanc congregationem; nunc D. Gregorio convocante cardinales ad se, ut si possit ab aliis separaret, & sic nulla via possit dari congregatio utriusque obedientiæ. Nunc

A utroque ad dispergendum gregem, quem congregare intendunt, dominos cardinales ad remotissima loca, & diversissima tempora obedientias suas convocante, certi alterutrius obedientiam ad alterutram non accedere. Certe prælati vocati a DD. cardinalibus si homines sunt, si rationis habent capacitatem aut usum, si non sunt omni pietate privati, si totaliter Deum & ecclesiam suam non postergarunt, nedum vocati a tam notabili cœtu, sed ex se, nullatenus vocati, aut ad vocem cujuslibet muliercułæ velut divinitus inspiratæ, relictis retibus hanc insequi debent convocationem. Et secus agendo ecclesiam Dei, & fidem

B Christi jaciunt in profundum, & iterato Christum in membris suis crucifigunt. Congregatio enim omnis ad finem boni, & maxime tanti, mota præsumi non debet nisi a Spiritu S. 24. q. 1. cap. *si autem*; & cap. *alienus*; maxime cum videant nulla alia via posse tolli schisma; et impossibile alia via haberi concilium generale, nisi omnes principes utriusque obedientiæ invicem consentirent; quod quantum sit factibile omnibus patet, et experientia longe 30. jam annorum edocuit. Quarto, hujusmodi universitatum convocationes non dependent ab imperio: nam non sunt proprie citationes, sed requisitiones secundum Innocentium compo. Abba. et Hosti. de elect. *cum nobis*: nam

C non proprie citant, sed monent ut veniant, ut tali die concilium celebretur: tales autem denunciationes et requisitiones faciunt pares et minores de suppl. negl. prælat. cap. 1. no. de accusa. *licet* de voto. magn. ad hoc quod no. de *pluribus delegatis* de off. del. *cum causa* in Glossa. Patet in denunciationibus, quas faciunt emptores venditoribus ff. de evi. *si rem* §. fin. et l. *si*.. §. *præsente* de empt. et vend. cap. fin. Hinc est, quod tales requisitiones non requirunt solemnitatem peremptorii, ut not. Gloss. 18. dis. *Si episcopus Metropol.* in Gloss. 2. et notatur in l. *si tempora* A. C. de jur. fis. 10. notat Arch. de pœnis cap. I. l. VI. in v.

D *convocat*, Paulus in Clementi. I. de decimis in verbo *post requisitionem*; necessitate ergo maxime imminente, ut ad præsens, nedum per DD. cardd. sed per minimum de universitate fieri potest vocatio, & incitatio, ut concilium congregetur. Et concilium vertere debet plus oculum ad causam convocandi, quam ad convocantem, quamquam minimum, quia ille major est qui maxime in tanta re Dei agit voluntatem. Quinto, non videtur exigi authoritas papæ, qui præbeat authoritatem concilio, quia in quantum concilium convocatur contra papam non eget auctoritate papæ; alias sequeretur absurdum, quia præberet authori-

E tatem in facto proprio, quod a jure improbatur. l. I. & l. *pupillus* in prin. ff. de aucto. tut. 17. q. 4. quæ, & §. *præterea*, Abbas §. etiam *de rebus ecclesiæ* non alien. Clementina *si una*. Item quia actio, & passio in eodem incompossibilia sunt de concess. præben. *postulastis*, de inst. cap. fin. de verb. signif. forus consi. sic in processu criminali per piscopum exigitur consensus capituli; & ubi proceditur contra capitulum non e-

xi-

ANNO CHRISTI 1409.

xigitur quando per episcopum proceditur contra capitulum ut dicit Glossa de off. ord. *irrefragabili* §. *excessus*. Sexto, ut dixi, convocationes universitatum pertinent ad dignores de universitate. Data impotentia, vel inhabilitate papæ in convocando, post papam non sunt personæ majores, & ad quas propius spectet provisio, quam ad cardinales, qui papæ assistunt, & sine quibus non debet, immo secundum aliquos non potest ardua agere 6. q. 1. *Siquis cum militibus* C. ad l. Juliam ma. *quisquis*. 16. q. 1. *ecclesia*, qui papam eligunt, & consecrant, de elec. *licet*, 23. dis. *in nomine Domini*, 96. dis. *Constantinus*; ad quos, vacante ecclesia, vel quasi vacante, spectat providere statui, & periculis arduis ecclesiæ, de electione *ubi periculum* §. *Idemque* in 6. ad quod not. per Glos. de schismate cap. I. lib. 6. in v. *Sede vacante*, in Clem. *ne romani* de elect. Septimo reperio aliquos tenentes quod olim in causis electionum papæ, & in factis ejus judices erant episcopi cardinales, cum ipsi haberent consecrare 79. dis. per totam; allegant gesta conc. Sardicensis cap. VII. & inter gesta conc. Africani cap. 17. & in gestis Bonifacii cap. II. §. *denique*, & in Nicæno conc. cap. 3., & 6. 65. dis. cap. I. Et secundum illud tempus non adstabant episcopi cardinales ad latus papæ, sed solum presbyteri & diaconi, nec etiam episcopi cardinales eligebant: & allegant etiam 23. dis. *in nomine Domini*. Aliquam ergo debent habere præeminentiam in convocando concilium, ut qui judices erant olim, hodie convocent concilium.

Decisio primi dubii.
An. DD. cardinales possint, vel potuerint convocare concilium.

Pro decisione dubii præmitto quod ad tollendum schisma de jure per viam concilii, de jure & de facto concilium debet esse generale; de jure patet 15. dis. cap. I. & seq. 96. dis. *nam ad fidem* & cap. *Utinam*. De facto, nam naturale est, ut quod omnes tangit ab omnibus comprobetur. 66. dis. cap. I. 54. dis. cap. I. 13. q. I. *licet* & in regula *quod omnes* de re jud. in 6. unde dicit Glos. in lib. conc. de gestis Bonifatii cap. 2. in verbo *ecclesiarum*, quod, prout patet in Chronicis & conciliis antiquis, solus clerus Romanus antiquitus vocabatur & suffraganei in quæstionibus papæ. Quare cum non sic tantum actu dilatata foret potestas Rom. pontificis, ut ex toto absorberet potestatem ordinariorum, ex quæstionibus papatus non in tantum turbabantur, alii merito non vocabantur. Ea autem ampliata actu ut universum occupet, quæstio de papatu turbat omnes, merito vocandi sunt omnes. De facto probatur, qua planum est ad nullam concordiam, aut decisionem veniri posse nisi utraque obedientia sit simul; notum est enim quod id quod determinatur in una, altera non sequitur; & nisi ambæ partes sint simul, nihil conloqui possunt, aut alia tractare præambula; quibus mediantibus venitur ad pacem & unionem, ut docet experientia conc. Ariminensis & Orientalium, de quo supra feci mentionem. Secundo præmitto, quod & supra tetigi, quod in casibus, in quibus papa subiicitur concilio, si non vult, aut non potest de facto vel de jure congregare concilium formale & universale, prout esse debet; de jure ita quod possit dici concilium, necessario est concedendum aliter ulterius ab altero congregari posse, & ipsi assentire tenetur volentibus & valentibus debite congregare: alias evacuarentur jura submittentia papam concilio. Et ex hac causa antiquitus Romani pontifices, non valentes congregare concilia, permittebant hoc imperatoribus, aliquando rogando, aliquando licentiando, aliquando consulendo, aliquando suadendo, aliquando ratificando, ut plene dixi in secundo argumento pro parte ista. Et ultra illa patet in epistola Leonis missa Chalcedonensi conc. in qua apparet papam misisse cum lacrimis ad imperatorem, rogando ut concilium congregaret in Italia. Præmissis his pro sano intellectu canonum; advertendi sunt duo casus. Primus quando datur unus, & indubitatus papa respectu totius universalis ecclesiæ, & imminente causa congregandi concilium. Concilium ut sit conc. debet habere auctoritatem papæ, ubi fraudulenter illam non deneget, & de facto præstare possit; quando præstare censetur, eo quod concilium congregat, vel congregato a quocumque tacite, vel expresse consentit; & hoc videtur indubitatum sive congregetur contra tertium sive contra papam, ut patet clare 17. dis. §. *hinc etiam*, & clarius in gestis Symmachi cap. 8. ubi integre ponitur §. *hinc etiam*, & §. *item Symmachus* 2. q. 7. Est enim speciale in papa ut authoretur in facto proprio; sicut in eo est speciale ut seipsum judicet, sicut in Marcellino 21. dis. *nunc autem*. Nec obstat si dicatur, quod ibi ecclesia erat in schismate, quia Symmachus fuit electus in discordia cum Laurentio, ut patet in chronicis, & recitat Glossa in dicto cap. 8. quia, ut patet in dicto cap. 8. & 9. Symmachus jam fuerat a concilio approbatus, & reprobatus Laurentius; & hoc quia Symmachus fuerat electus primo & a majori parte; unde post decisionem erat indubitatus, licet aliqui ab eo recessissent, & vocassent Laurentium propter delicta, quæ Symmacho imponebantur. Adverte tamen quod non dixi supra, congregationem vel convocationem fore necessariam papæ; sed quod concilium habeat ejus auctoritatem; loquuntur enim textus in hac materia diversimode tendentes. Ad hoc textus 17. dis. cap. 1. dicit quod absque authoritate sedis apostolicæ non licet episcopos congregare; textus in cap. *regula* 17. dis. dicit non valuisse congregationem, quia legatus apostolicæ sedis non interfuit; et idem 3. dis. §. *porro*, textus in cap. *multis* dicit quod non valent concilia absque sententia Romani pont. congregari; textus 2. q. 6. *ideoque* dicit, quod soli papæ reservata sunt privilegia de congregandis conciliis; textus Isidori, quem posui supra in allegationibus primæ partis, in III. articulo dicit: *nullam synodum ratam esse legimus, quæ non fuerit papæ authoritate congregata, vel fulta*: Pondera illam alternati-

Locus batus.

tivam, positam inter verbum *congregata & fulta*. Sufficit ergo alterutrum; et his verbis utitur cap. *regula* ad fin. Per hos textus simul junctos concludo, convocationem, ut facti quod fiat a papa, non esse de substantia; sed sufficiat, quod ante congregationem, vel postea ejus authoritate firmetur, vel fulciatur. Unde duplex datur practica: una quod papa concilium convocet, & si potest, tuta est practica. Et eo quod convocat authoritatem præbere censetur. Et tunc congregatio authorizabilis est. Secunda quod concilium congregetur ex se vel a quocumque habente potestatem de facto, ut est Imperator ubi sibi obediretur de facto. Et eo congregato requiratur ut assentiat concilio, vel fulciat ejus authoritate, & sufficit si approbet; & si non prætendat aliud interesse juridicum diei, vel loci, vel aliarum circumstantiarum, illud approbare tenetur, sicut fecit Symmachus in §. *hinc etiam* 17. dis. & clarius inter gesta Symmachi lib. conciliorum cap. 9. ubi sic stant verba: *Memorati pontifices in conc. congregati, quibus allegandi imminebat occasio suggesserunt ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia ejus sedi &c.* Hoc habetur in §. *hinc etiam*; postea ibi subiicitur. *Et dum venerabili collectioni de incipiendo hoc negocio, prout poscebat causa tractatus, S. papa Symmachus basilicam Julii, in qua Pontificum erat congregatio, prout habuit cura coelestis, ingressus est, & de vocatione synodali clementissimo regi gratias retulit; & rem desiderii evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis, quando concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est, & authoritatem ordinandi de jure, quia de facto erat congregatum colligendo, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium qui ibidem convenerant episcoporum præsentia se dare professus est &c.* Alias si renueret approbare, vel consentire absque causa, ubi concilium congregaretur; tunc cum jam pateret de ejus fuga, & quod aut causa dilatandi aut impediendi hoc ageret, & talis audiendus non est, qui nisi hoc agit ut noceat ff. de rei vend. in fund. Et si dicat: interest mea quia volebam determinare diem vel locum; & non est hæc justa querela: ex quo aliud non datur interesse diei vel loci ff. de eo quod certo loco, per totum. Et si quid diei vel loci allegaretur interesse, concilii est cognitio, quod est judex in principali ff. de edi: edi: *ediles* §. *item sciendum* C. de pot. l. 4. C. de fruc. & lit. exp. *terminato* ff. de Jud. *si quis ex aliena* Cle. 1. de rescript. *descripsit*, & quod notatur cap. fin. eo tit: consi. Maxime procedunt prædicta quando in exequenda papæ voluntate a principio ante congregationem præcedunt indicia, vel præsumptiones de dilatando negotio, aut impediendo ne congregetur, aut apparet verisimilis ejus impotentia congregandi, vel aliquod quod dilationem inducat negotio celeritatem desiderante, & alias longe dilatato. Si autem non est unicus indubitatus, a tota congregatione, sicut in proposito quia una pars christianorum adhæret uni, altera alteri, tunc, si consideretur quilibet de per se, neuter habet facultatem totam ecclesiam universalem utriusque obedientiæ congregandi de facto nec de jure; quia neuter est in quasi possessione universali totius ecclesiæ, quæ habet nunc tota ex necessitate congregari. Nec alteri de facto obediretur, repugnante conscientia obedientiæ, quæ non habet vocationem pro papa. Unde visum est aliquibus ambos requirendos ut congregent, & de congregando concordent in uno loco, & die; & si non faciunt, tunc agere hoc poterunt cardinales. Et hoc ingessit aliquod dubium inter DD. ante factum, & etiam valentissimis DD. doctoribus Florentinis D. Stephano de Bonaccurtiis, & D. Laurentio de Ridolphis egregiis & solidis decretorum doctoribus, ac etiam D. Bartholomæo de Tornaquintiis legum serenissimo professori, qui tandem acquieverunt; & pluribus causis ostenditur in proposito hanc requisitionem non fuisse necessariam, quinimmo nec utilem & penitus perniciosam. Primo quia; ut supra dixi, in uno indubitato sufficit, quod ex post facto requiratur; sed debent requiri; & si non allegant aliud interesse cujus cognitio est concilii, debent assentire; alias cum non habeant contradicendi causam pro consentientibus habebuntur. Habetur enim et in jure conditio sine causa pro consensu l. 2. ad. fin. ff. solu. matrim. eo tit. *si cum dotem* §. *eodem autem tempore*, & l. *dotem*; sic & contumacia pro confessione l. *de ætate* §. *quia tacuit* de intero. acti No. de confes. cap. fin. in 6. Maxime hæc fieri poterant stante suppositione dilatandi, & impediendi negotium; sicut patebit ex sequentibus. Secundo quia jam patebat de mala voluntate utriusque in danda unione, cum quilibet subterfugeret, ut in se est notorium; & sicut in aliis fuerant suspecti de dilatando, & impediendo negotio, ut se perpetuarent in cathedris; ita & in hoc. Tertio, quia actu se separabant; uno ad meridiem, altero ad orientem gressus dirigente; unde absque longissima mora, in hac re celeritatem desiderante, non erat spes habendi eorum concurrentem voluntatem. Quarto, jam experientia docuerat eos per verba anno, & plus duxisse populum Christi super concordia loci de renuntiando; & ex simultatibus suis. vacillationibus & varietatibus discesserunt turpiter absque concordia; & qua ratione non concordaverant in loco renuntiandi; verisimiliter idem fuisset de loco concilii: cum ex quo duo pariter sunt expedibilia, si unum non est expeditum, sic præsumitur de non expeditione secundi; sic ex l. *tutor* §. *non est audiendum* ff. de ad. min. tut. 23. q. 4. *displicet*; & quod ibi not. in prima Glo. de ap. constit. de ele. *bone* de dolo cum dile: consi. Item D. Gregorius aperte reprobavit viam cessionis, ut in facto proponitur. Congregatio autem concilii non fit ad aliud, nisi ut impleant quod conveniunt. Denegata ergo cessione, & sic fine concilii, denegatum videtur concilium ad hoc; ad quod ergo requirendus? ad hoc ff. de spon: oro. de constit. *nam concupiscentiam*. Nec obstat quod postea obtulerit; quia non obtulit ut debebat, ut infra clare suo loco declarabitur. Item quilibet eorum se adstrinxerat ad viam cessionis,

ANNO CHRISTI 1409.

nis, ut principalem; ut patet ex juramento & oblationibus Gregorii; & patet ex juramento Benedicti, junctis literis suis responsivis ad Gregorium de acceptatione viæ oblatæ, et in literis et declarationibus literarum data ad postulationem ambasiatorum illustris regis Franciæ in Marsilia; ergo concilii, via renuntiationis valente habere effectum amplius amplecti non poterant, arg. de elect. *ut quis duas* C. de furto l. 1. ff. de tribu. *quod in hæredem* §. *eligere*, et quod not. in l. *edita* C. de eodem. et in regula nullus pluribus, de re jud. in 6. Item, et hoc bene advertendum, jam uterque ipsorum convocaverunt concilia, antequam literæ destinarentur per collegia; licet ante forent expeditæ; et congregationes nuntiarunt in locis omnino remotis et distantibus diebus, ut patet ex themate. Jam ergo declaraverant suam malam voluntatem non conveniendi in uno loco, non congregandi unum concilium de tota ecclesia, ut esse debet; sed divisa conciliabula faciendi ad confirmandum schisma, et sic potius intentio sua mala detecta est ad dispergendum concilium in diversa, quod cardinales conjungere nitebantur; ut nec via cessionis, nec aliqua posset dari unio. Non ergo amplius erant requirendi, quia patefacta voluntate non conveniendi, ad unum locum non congregandi, ut debet, non exigitur requisitio; maxime cum sit ex actu permanenti, et in quo perseverant donec revocent, sicut dicimus in frustatore appellante de dolo, pro ut eo tit. cap. 2. lib. 6. in Clem. *si eo* tit. per Inno. de accu. *ad petitionem*. Sicut dicimus in asserente se non venturum per Glos. 24. q. 3. *de illicita*, per Inno. in dicto cap. *ad petitionem* Adcursus in l. fi. ff. de in int. resti. & in l. *tres denuntiationes* C. *quomodo & quando* per Ostiensem in summa de dolo & contu. §. 2. verbo *item* ad hoc quod no. de sent. excom. *venerabilibus* §, *secus* in 6. sic & terminus requisitus.

Cætera desunt.

ACTA CONCILII PISANI.

IN NOVUM CATALOGUM PATRUM CONCILII PISANI COLLECTORIS PRÆFATIO.

" SI vetusti alicujus concilii subscriptiones ceu fœdissimis inquinatas mendis apud eruditos lectores accusandas susciperem, querelas hasce meas faciles admissuros considerem; ea est enim mortalium omnium rerum natura, ut quanto longius a suo fonte decurrunt, eo majori, veluti limo inficiantur. Cum vero res mihi nunc fuerit de concilio haud ita procul a nostris temporibus celebrato; si patrum, qui huic interfuerunt, nomina idem vitii, quo laborat antiquitas, contraxisse affirmavero, id mihi afferenti non absque idoneo teste concessuros arbitror. Vera tamen exprobrare me actis Pisani concilii comperto novi; meamque de vitiatis ejus subscriptionibus assertionem non alio minus idoneo testimonio, quam ex actis ipsis petito, confirmo. Porro subscriptiones illas non unus scriptor e vetustis erutas codicibus dedit. Aliis enim e Vaticano codice vulgavit Raynaldus in Annalibus; alias ex Dacherii Spicilegio Cossartius; alias denique ex Pisano codice Ughellius in Pisanis. Aliæ ab aliis discrepant in multis; sed in eo omnes conveniunt, ut sint mendosissimæ. Vaticanas Raynaldi vidit Cossartius; & suis illis e Spicilegio deductis in multis concedere judicavit, quanquam fatetur, menda quædam catalogi sui in nonnullis corrigi ex Vaticano illo posse. Verum nec prælatum a Cossartio catalogum plurimi fecerint eruditi, cum mancus sit in multis, ut ex collatione catalogi Vaticani & Pisani intelligimus. Ea vero quæ affert fere singula depravata. Quis, rogo, est dux *Carestus Austrensis? Iodocus marchio Brandemburgensis archicancellarius* (archicamerarius) *S. R. Imperii?* Quid *Theodericus præpositus Tangermontensis* ab eodem Jodoco ad concilium ablegatus? Legendum est enim Theodoricus decanus ecclesiæ Stendaliensis (male Pisanus legit *Stemben*, qui tamen optime duos viros distinguit) *Joannes præpositus Tangerinnundensis* (male Pisanus Taregarimundens.) Multos etiam omittit tum episcopos, cum abbates, atque etiam principum ablegatos, ut ex catalogo mox promendo non ambigue demonstratur. De Ughelliano vero seu Pisano catalogo quid dixerim? Profecto si abbatiarum Italiæ nomina quæras, rectius ibi quam in Cossartii catalogo efferri non abnuo; cætera vero externa nomina ita deformata sunt, ut alia omnino appareant. Speciminis gratia dabo hic aliqua de abbatibus Anglicis Ord. S. Benedicti. Pisanus: Abb. *de Abindone*, *de Redruge*, *de Therbone*, *de Multare*, *de Seme*, *Albotissimo*, *Malmisan. de Canestola*, *de Everthan*, *Glonsentriæ*. *&c.* Hæc vero nomina quomodo in catalogo mox referendo native appareant, cerne. Ab. *Abindomiæ*, *de Redinghe*, *de Serborne*, *VVatone*, *de Serve*, *Albocusjontin. Malmisimas*, *Tanestolie*, *Ersham*, *Clocestin &c.* Multa etiam episcoporum & abbatum nomina in hac ipsa serie desiderari ultro fatetur & agnoscit Ughellius. Ex his omnibus cæterisque, quæ ex collatione catalogi mox evulgandi patebunt, de Ughelliana hac nominum serie illud aptissime pronunciaremus; utilissimam haberi illam, ex qua menda quamplurima catalogi Dacheriani corrigantur; hanc vero vicissim in multis a Dacheriano corrigi: utrumque a perfectione abesse quam longissime. Hoc igi-

ANNO CHRISTI 1409.

„ igitur perfectionis culmen sin minus assequitur, reliquis tamen omnibus propius attingit catalogus ille quem e MS. cod. reg. Univers. Taurinensis omnium ego primus extraxi. Volumen est ingens in folio multa continens ad Pisanum hoc concilium pertinentia; nam præter historiam vel, si malueris, acta concilii ab anonymo descripta nec usque adhuc vulgata, plura ibi occurrunt documenta sive scripta conciliaria, velut epistolæ quædam principum ad concilium & concilii ad illos; singraphæ quædam conciliares & alia id generis. Ex his nonnulla vulgavit ex alio Codice P. Martene, & ex eo hic dantur; alia a me descripta in hac mea collectione parebunt. In ipso vero actorum concilii limine recensentur nomina patrum, prout quisque concilio primitus sese sistebat, adnotato diligenter die & mense, quo singuli excipiebantur ab iis quos concilium ad eos admittendos delegerat. Hinc natus catalogus ille novus, quem hic dandum aggredior; ab aliis huc usque vulgatis in eo diversus, quod alii Patrum nomina actis concilii subscripta exhibent; in hoc Patres enumerantur prout quisque concilio adfuturus supervenit. Præstat vero aliis catalogus iste noster multis nominibus; nam ipsas Patrum & Urbium ac regionum appellationes melius plerumque, licet non semper, reddit; cum enim fidelis teneatur in iis quæ jam nota sunt; hoc indicio & de aliis, quamquam nobis ignotis, judicamus. Ita lectionem mei codicis probo: *Antonius abbas monast. S. Samuelis de Capalon*. lectionem vero Cossartii reprobo: *Ant. abbas monast. S. Janualis & Coplonens.* In Cossartio larva est. *Mamilianus ab. S. Faidaici de Pisis ord. Camald.* Vultum hominis cognosce ex nostro: *Mamalianus ab. monast. S. Frigdiani de Pisis*. In catalogo Pisano Ughellii nomen abbatis hujus non datur; & pro *S. Frigdiani*, ut constanter nomen hoc efferunt veteres codices, habet *S. Fridiani*. Novi etiam patres, ex editione Labbeana frustra repetendi, sese hic offerunt, quæ ut distinguant Lectores apposito asterisco notavi. Quamquam vero hæc bona sunt; id tamen habet singulare catalogus noster, quod eorum nomina servat, qui, ut concilio pro se adsisterent, missi sunt ab episcopis & abbatibus procuratores. Nemo horum vel rari parent in catalogis excusis. Illud insuper novi exhibet ut singulorum episcoporum & abbatum concilio præsentium notet annos, dies, menses & pontif. quo deferente, dignitatem obtinuerunt; quin & si forte quispiam ex alia in aliam cathedram transivit, hæ omnes dignitates diligenter referuntur cum designatione anni mensis diei, pontificis quo singulæ editæ sunt. Valent hæc plurimum ad Ughellii tabulas corrigendas. Ita E. G. anno 1409. Albintimilienses infulas tenuisse Benedictum recens Ughelli censor notat; quando vero cœperit, unus, quem sciam, docet catalogus noster, monens renunciatum illum ab Urbano VI. die 8. id. octobris anni 1382. Sexcenta id generis alia occurrent legentibus. His igitur aliisque commodis in rem ecclesiasticam obventuris persuasus, exscribendi hæc e Taurinensi codice, atque huc transferendi laborem alacer assumpsi.

NOMINA PATRUM

Qui Pisano Concilio interfuerunt.

Isti sunt RR. in Christo PP. DD. S. R. E. Card. utriusque collegii ad ecclesiæ unionem per Dei gratiam uniti, qui in S. Conc. quod actualiter Pisis celebratur, sunt præsentes: videlicet.

D. Guido episc. Prænestinus, dictus Patavensis.

D. Enricus episc. Tusculanus, dictus Neapolitanus sacri collegii camerarius.

D. Nicolaus episcopus Albanensis, dictus Albanensis

D. Antonius episcopus Prænestinus dictus *Neapolitanus*, summus poenitentiarius.

D. Petrus ep. Tusculanus dictus de Podeo summus Pœnitentiarius. [*P. dict. Privileg.*]

D. Joannes ep. Ostiensis Vicecancellarius, dictus Vivariensis.

D. Petrus tituli S. Susannæ, dictus de Thureis.

D. Angelus tituli S. Potentianæ, dictus Laudensis.

D. Conradus tituli S. Chrysogoni, dictus Militensis.

D. Jordanus tituli S. Martini in montibus, dictus de Ursinis.

D. Joannes tituli S. Crucis in Jerusalem, dictus Ravennatensis.

D. Petrus tituli duodecim Apostolorum, dictus Mediolanensis.

D. Amadeus S. Mariæ novæ, dictus de Salutiis.

D. Reinaldus S. Viti in macello, dictus de Brancassis.

D. *Luidolphus* S. Nicolai in carcere Tulliano, *de Laren.* [Tab. *Radulphus*, sei *Ladulphus* habet Ughell. *Baren.*]

D. Odo S. Gregorii ad velum aureum, dictus de Calumpna.

D. Petrus S. Angeli, dictus S. Angeli, ultramontanus.

D. Petrus S. Angeli Romanus.

Die 24. martii 1409. Comparuit D. Petrus Dei gratia ep. Mildensis provinciæ Senonensis, promotus ad ecclesiam Meldensem per D. Clementem VII. die 28. novembris an. 1390. SS. regis Franciæ nuntius.

* Eadem die comparuit R. P. D. de Frisco archid. Januensis, S. R. E. protonotarius.

* Eadem die comparuit R. P. D. Nicolaus archiepiscopus Sipont. ad ecclesiam Ragusinam primo promotus per D. Bonifacium IX. die XII. kal. aug. sui pont. an. IV. 1393.

ANNO CHRISTI 1409.

Eadem die comparuit R. P. D. Benedictus Dei gratia ep. Vigintimiliensis, promotus ab Urbano VI. die 8. idus octobris 1382.

* Eadem N'colaus ep. Botontinensis, promotus ad dictam eccletiam a Clemente VII. .... octobris anni 1381.

Sulcitanus in Sard.

Eadem comparuit D. Blasius ep. Sultium promotus per D. Bonifatium IX. die 21. novembris 1396.

* Eadem Jacobus ep. Adriensis, primo promotus ad ecclesiam *Comalensem* per Bonifacium IX. pridie nonas januarii an. 1402.

f. Comaclensem Lab. *Oscensis*.

Eadem Franciscus ep. *Oten.* promotus a Bonifacio IX. non. novemb. an. 1398. qua ipsa ecclesia vacabat; postea proprie non confectione literarum apostolicarum supradicta provisione cessante; demum sibi fuit de novo provisum per Innoc[illegible]tium VII. die 4. idus septembris anno 14[illegible].

Eadem Bartholomeus ep. Alatriensis, promotus per Innocentium VII. idibus januarii anno 1406. indict. 14.

Eadem Alexius ep. Bobiensis, promotus per Innocentium VII. 7. kal. Octobris anno 1405. indict. 13.

Deest nomen hujus Ep. in Lab. & Ugh.

Eadem *Petrus* ep. Aretinensis promotus per Bonifacium IX. die 4. kal. decembris anno 1403. indict. XI.

Eadem Matthæus ep. Pistoriensis, promotus ad eamdem ecclesiam per Bonifacium IX. 5. Kal. martii 1400. indict. 8.

Eadem Alamannus archiep. Pisanus, primo promotus per Bonifacium IX. die 21. decemb. anno 1401. indict. 13. ad archiepiscopatum *Traretin*, & ante per eumdem ad ecclesiam Florentinam idibus decembris anno 1400.

f. Tarentin

Eadem Ludovicus ep. *Vulterranus*, (*a*) promotus ad ecclesiam Olonensem die 15. kal. aprilis anni 1308. indict. 10. ab Urbano VI. & postea per Bonifacium IX. die 7. idus augusti 1391. indict. 14. & demum per eumdem die 7. idus augusti ad ecclesiam Vulterranensem IV. Kal. julii an. 1397. indict. 5.

Lab. *Vulturanus* Locus mendosus

Ita legitur in codice

Eadem Raymundus ep. Petragoriensis per D. P. promotus primo ad Ecclesiam *Garlatensem* Kal. octobris anni 1399. indict. 6. & postea eodem anno ad ecclesiam Petragoriensem translatus.

f. Tarlatensem. Lab. *Gaudenis* stylo Pisano nostro vero 1387.

Eadem D. *Sunderix* electus per capitulum ecclesiæ Strigoniensis ad episcopatum dictæ ecclesiæ.

Eadem D. Bernardus generalis presbyter abbas monasterii S. Mariæ Vallis umbrosæ, primo promotus per Urbanum VI. die 10. Kal. januarii anni 1388. indict. 10. ad monasterium sancti Michaelis de Patignano, & postea per eumdem ad supradictum monasterium S. Mariæ die 11. Kal. januarii 1400. indict. XIII.

Eadem V. P. F. Marcus monasterii S. Salvii de Florentia ordinis Vallis umbrosæ, promotus ad ipsum monasterium per Bonifacium IX. 17. Kal. maii 1393. indict. I.

Eadem Baltassar abbas monasterii S. Michaelis de Pasignano ordinis Vallis umbrosæ Florentinæ dioecesis, promotus primo per D. Bonifacium IX. ad monasterium S. Mariæ de Rota ordinis S. Benedicti Camerinensis dioecesis die 13. Kal. julii 1397. indict. 5. postea per eumdem ad monasterium S. Bartholomei de Ripellis ordinis Vallisumbrosæ Florentinæ dioecesis die 6. nonas martii anno 1403. Indict. XI. postea per Innocentium VII. ad supradictum monasterium Fusignano die 13. Kal. maii 1405. indict. 13.

Eadem Gaspar abbas monasterii S. Trinitatis de Florentia ordinis Vallisumbrosæ.

Eadem Richardus abbas monasterii *S. Pancratii* de Florentia ordinis Vallisumbrosæ, promotus per Gregorium XII. idibus augusti anno 1408.

Lab. *S. Pavacii*

Eadem Franciscus abbas monasterii S. Mariæ de *Pactiana* ordinis Vallisumbrosæ, promotus per Bonifacium IX. ad monasterium S. Salvatoris de Sporgia dicti ordinis Vulterr. dioecesis 5. Kal. octobris 1399 & postea per eumdem ad dictum monasterium de Pactiana die 3. nonas martii 1404. indict. 12.

Ughell. *de Paman*

Eadem Joannes abbas monasterii S. Michaelis de *Furtalis* Pistoriensis dioecesis ordinis Vallisumbrosæ promotus per Bonifacium Kal. martii 1395. indict. 3.

Lab. *de Fusculis* Ugh. *de Furecil* legendum *de Furculis*

Eadem Joannes abbas monasterii S. Mariæ de Grignano de Prato Vallisumbrosæ Pistoriensis dioecesis, promotus per Bonifacium IX. die 6. idus octobris anno 1390. indict. 13.

* Eadem Franciscus abbas monasterii S. Bartholomæi de Ripolis prope Florentiam ordinis Vallisumbrosæ promotus per D. Gregorium XII. die 13. Kal. Kal. maii an. 1407.

Eadem Jacobus abbas monasterii S. Donati de Senis ordinis Vallisumbrosæ.

Eadem Antonius abbas monasterii S. Pauli *de Rezuolo* ordinis Vallisumbrosæ Fizulan. dioecesis promotus per Bonifacium IX. indict. 12.

Lab. *de Rosnello* Ugh. *de Resnello*

Eadem abbas monasterii S. Petri *de Muscheto* ordinis Vallisumbrosæ *Ferzulan.* dioecesis.

Lab. *de Muchero de Michetto Florent. dioec.*

Eadem Frater Joannes prior prioratus monasterii S. Fabiani Pratensis Pistoriensis dioecesis ordinis Vallisumbrosæ, promotus per D. Gregorium XII. anno 1408. indict. I.

Eadem Joannes abbas S. Justinæ de Padua ordinis S. Benedicti, promotus per Urbanum VI. die 18. kal. junii anno 1389. indict. 12.

Eadem F. Bernardus abbas monasterii S. Michaelis de Podio Lonizii, promotus per Bonifacium IX. 18. Kal. decembris 1390. indict. 13.

Eadem Frater Felix abbas monasterii S. Salvatoris de Septimo ordinis Cisterciensis Florentinensis dioecesis, primo promotus per Urbanum VI. ad monasterium S. Mariæ Siciensis Nucerinæ dioecesis ordinis S. Benedicti 11. Kal. Junii anno 1387. indict. 10. & postea per Bonifacium IX. ad monasterium S. Salvatoris &c. IV. Non. julii 1393. ind. I.

Eadem Bonifacius generalis ordinis Camaldulensis, primo promotus ad monasterium S. Salvatoris de Florentia dicti ordinis a Bonifacio IX. kal. aprilis 1390. indict. 6. & postea per ipsum ordinem assumptus ad generalatus officium.

Eadem Antonius abbas monasterii S. Michaelis de Burgo Pisano ordinis Camaldulensis, promotus per Bonifacium IX. 4. idus Februarii 1395. indict. 3.

Eadem Joannes de Ussinis præceptor domus hospitalis S. Antonii de Reymerso, & ge-

ANNO CHRISTI 1409. generalis cellarius monasterii Sennensis promotus ab Innocentio VII. anno 1406. indict. 13.

XIV. Eadem Ven. & Rev. F. Thomas de Framo S. Theologiæ eximius doctor, & generalis magister ordinis FF. Prædicator. ut vocatus ad sacrum concil. comparuit cum infrascriptis in sacra Theologia magistris, videlicet magistro Simone de Pisis regente Florentiæ, magistro Michaele de Florentia vicario nationis Tusciæ, magistro Jacobo de Pisis, magistro Leonardo de Florentia inquisitionis Bononi. Magistro Uberto priore Florentino, magistro Andrea de Florentia, magistro Joanne de provincia Poloniæ regente Cracoviæ, magistro Ardixono de Padua priore Paduano & vicario generali provinciæ beati Dominici.

Sequitur generalis ordinis Minorum cum magistris.

Anno indictione mense & die prædictis. Ven. & Rev. F. Antonius de Periocto generalis minister ordinis fratrum Minorum comparuit cum infrascriptis magistris.

Magistro Francisco de Creppa ministro provinciæ Mediolanensis.

Magistro Joanne de Lovania ministro provinciæ Bononiæ.

Magistro Marco de Parma ministro provinciæ Romanæ.

Magistro Vitale Valentin. de provincia Provinciæ.

Magistro Joanne Joannis de Florentia.

Magistro Nicolao de Bononia.

Magistro Lanzalecto de Placentia.

Sequitur generalis ordinis F. Eremitarum cum magistris &c.

Anno, indictione, mense, die &c. Ven. & Rev. F. Nicolaus de Cassia S. Theologiæ eximius doctor ordinis F. Erem. S. Augustini prior generalis, una cum infrascriptis magistris in theologia.

Magistro Boetio de Tolentino dicti ordinis procuratore.

Magistro Simone de Florentia regente Florentiæ.

Magistro Bartholomæo de Pisis regente Pisan.

Magistro Gabriele de Spolete regente Bononiæ.

Magistro Jacobo de Gomessa provinciali provinciæ Vallispoleti.

Sequitur generalis ordinis Servorum (cum) magistris &c.

Anno, indictione &c. comparuit F. Antonius de Bononia ordinis Beatæ Mariæ Servorum generalis una cum infrascriptis S. T. magistris.

Magistro Antonio de Alexandria.

Magistro Urbano de Bononia, & magistro Antonio de Pasmavo.

Sequitur generalis ordinis Carmelitarum cum magistris.

Anno, die, mense, &c. comparuit F. Matthæus de Bononia sacræ Theologiæ eximius doctor. S. Mariæ de Monte Carmeli generalis cum infrascriptis magistris.

Magistro Andrea de Luca procuratore dicti ordinis.

Magistro Joanne de Florentia vicario generali in provincia Tusciæ.

Magistro Baco de Florentia Syndico universitatis Bononiensis.

Sequitur generalis ordinis Prædicatorum.

Anno indictione &c. eadem Ven. & Rev. patres.

Magister Thomas de Framo (sic etiam supra) generalis ordinis Prædicatorum. Hic turbata sunt multa.

Magister Matthæus generalis ordinis Carmelitarum.

Magister Antonius generalis ordinis Beatæ Mariæ Servorum.

Magister Leonardus Stacii de Florentia ordinis prædicatorum.

Magister Bartholomæus de Florentia ordinis Carmelitarum.

Magister Antonius de Pasignano ordinis Servorum.

Magister Joannis Georgii ordinis Minorum provinciæ Bononiensis minister.

Magister Bartholomæus de Nozaivella dicti ordinis Minorum.

Magister Gabriel de Spoleto ordinis Eremitarum.

Magister Antonius de Bononia dicti ordinis Eremitarum ut procuratores & procuratorio nomine universitatis facultatis Theologiæ almi studii Balion (f. Bononiensis.)

Eodem anno, mense &c. comparuit Rev. Pater D. Richardus de Erham S. theologiæ magister & cancellarius universitatis studii Cantabrigiæ procurator & procuratorio nomine.

* Eodem D. Jacobus episcopus Florensinus promotus per Bonifacium IX. primo ad ecclesiam Monopolitanam idibus octob. 1391. indict. 14. & postea per eumdem ad ecclesiam *Tuentam*. 14. Kalend. Aprilis anno 1400. Indict. 7. & per eumdem ad ecclesiam Florentinam 16. Kal. decembris 1401. indict. 14. Ind. IX.

Eodem Branda episcopus Placentinus promotus a Bonifacio IX. pridie Nonas augusti 1400. indict. 14. Ind. VIII.

Eodem D. Capo de Caponibus præpositus Florentinus & D. Joannes Joannis de Abbat. canonicus etiam Florentinus procuratores capituli Florentini.

Eodem D. Julianus de Ricis canonicus Florentinus procuratorio nomine ven. P. Bernardi de Rici abbatis monasterii S. Justi de Vvulterno ordinis Vallisumbrosæ.

Eodem anno die 25. martii comparuit Ven. D. Joannes de Rupescissa utriusque juris doctor canonicus, & officialis Ambianensis procuratorio nomine reverendissimi D. episcopi & W. Decani & capituli, & civitatis & & dioecesis Ambianensis.

Eo-

ANNO CHRISTI 1409.

Eodem comparuit Ven. F. Petrus Dachior decretorum doctor prior prioratus monasterii Abbatis Villæ ordinis Cluniacensis Remensis dioecesis.

* Eodem comparuit Ven. P. D. Fr. Guillelmus abbas monasterii Westmis ordinis S. Benedicti Londinensis dioecesis, & nobilis & egregius miles Joannes Alvil, & Ven. vir D. Nicolaus Resten causarum sacri palatii apostolici auditor, ambasiatores & nuntii seren. & illustrissimi D. Henrici regis Angliæ & D. Hiberniæ.

* Eodem F. Paulus abbas monasterii S. Anastasii de Amandula ordinis S. Benedicti Firmanæ dioecesis promotus per D. Gregorium XI. anno I........

Eodem D. Pileus Dei gratia archiepiscopus Januensis promotus per Bonifacium IX. prid. I. decembris 1400. indict. 8.

Eodem Ven. vir. magister Joannes Rile canonicus ecclesiæ Nivernensis procurator capituli ejusdem ecclesiæ.

Eodem anno in secunda sessione die 27. martii comparuit Ven. vir D. Petrus Pratalis decretorum doctor & canonicus ecclesiæ Carmen. procuratorio nomine reverendi in Christo P. Bernardi episcopi Carmen.

Eodem ven. vir D. Petrus de Umhalt canonicus ecclesiæ Carmen. procuratorio nomine capituli ecclesiæ. (In edit. est Jo. Leonardus Carnensis.)

Eodem F. Zinobius abbas monasterii S. Mariæ de Fabroio ordinis S. Benedicti Florentinæ dioecesis promotus per Urbanum VI.

Eodem Ven. F. *Bartholomæus* Abbas S. Cassiani ordinis S. Benedicti Walteran. dioecesis. (Lab. Philippus.)

Eodem Joannes episcopus Waptingensis promotus per Benedictum XIII. 6. idus martii anno 1406.

Eodem D. Paulus episcopus Massiliensis, promotus per Benedictum XIII. anno 1404. die 15. Kal. octobris.

Eodem D. Nicolaus episcopus *Sistaniensis* promotus per Benedictum XIII. 2. idus martii 1404. (*Sisteriensis*)

Eodem Bertrandus episcopus *Duguensis* promotus anno 1400. (*Dignensis*)

Eodem *Egidius* Forojuliensis promotus anno 1408. (Lab. & Ugh. *Joannes*)

Eodem D. Petrus Abbas monasterii S. Victoris Massiliensis, ordinis ejusdem S. promotus a Benedicto XIII. anno pontificatus sui XI. & Christi 1404.

Sequuntur procuratores DD. infrascriptorum.

Anno, indictione &c. eodem Ven. vir D. Guillelmus Biram decretorum doctor, Joannes Salbanis in utroque, & Joannes de Gerulandi in decretis licentiatus procuratorio nomine RR. in Christo PP. DD.

Aquensis) Ebredinensis) Archiepiscoporum nec non Arelatensis)

Regensis) Grassensis) Venciensis) Tholonensis) Aptensis) Episcoporum comparuerunt.

Eodem die 28. mensis Martii comparuerunt Venerabiles viri DD. Sebastianus decanus, & Nicolaus Warat canonicus ecclesiæ Brixiensis, & Georgius Zihorandi secretarii RR. in Christo Patris D. Ulrici Episcopi *Brixiensis* procuratores pro eodem. (Excusi *Brixinensis*)

Eodem F. Paulus abbas monasterii S. Martini ad *pluris* ordinis S. Benedicti Aretinensis dioecesis promotus a Bonifacio IX. 8. Idus Martii anno 1400. Indict. 13. (Lab. *ad Pinum*. Ind. VIII)

Eodem Ven. & relig. miles F. Jacobus de Obicio præceptor domus hospitalis S. Joannis Jerosolymitani de Florentia, & procurator generalis dicti ordinis.

Eodem Pater Joannes abbas monasterii S. *Boranti* de Pistorio ordinis S. Benedicti promotus a Bonifacio IX. die 11. Kal. Januarii anno 1403. Indict. 11. (Lab. *S. Barontii*)

Eodem F. Michael abbas monasterii S. Bartholomæi de Bono solatio ordinis Cisterciensis Florentinæ dioecesis, promotus a Bonifacio IX. 10. Kal. Augusti 1391

Eodem anno die 30. Martii comparuit ven. vir D. Petrus Raimundi *uti callat.* (sic) in decretis canonicus Ecclesiæ Carcassonensis, & prior de tribus Bonis, ut procurator ecclesiæ Carcassonensis.

Eodem Rev. in Christo Pater Episcopus Sapingen. D. Guillelmus de Ruppibus miles, & Cambellanus, D. Joannes *de Genond* legum doctor consiliarius, magister * Lucas de Castiliano secretarius Illustris Principis & DD. Ludovici Jerusalem & Siciliæ regis. (Lab. *Colome*)

Sanctus Synodus deputavit duos Cardinales ad recipiendos & acceptandos prælatos.

Anno, indictione prædictis, die sabbati, 30. mensis prædicti, qua fuit etiam facta Synodus, de novo elegit deputavit RR. in Christo PP. & DD. DD. Neapolitanum, & Variensem commissarios supradictos ad recipiendos prælatos eorumque procuratores & nuntios, ac oratores & ambasciatores regum, principum, ducum, comitum, baronum, comitatuum & aliorum DD. ad concilium vocatorum; & nihilominus confirmavit & approbavit hucusque per eos recepta & approbata de commissione sacri utriusque collegii.

Eodem comparuit ven. vir D. Joannes Fayditi decretorum doctor & sacri palacii apostolici causarum auditor procuratorio nomine pro capitulo Narbonensi.

Eodem D. Alvarus episcopus Onetensis promotus per Bonifacium IX. die 6. Kal. novembris anno 1393. indict. I. (Ovetensis)

* Eodem F. Jacobus abbas monasterii S. *Domni* extra muros Pisanos ordinis S. Benedicti, promotus ad ipsum monasterium per Innocentium VI. dein per Bonifacium IX. factus est abbas, cum primo fuisset prior, idibus augusti anno 1385. (*S. Domnini*)

Eodem Vitalis archiepiscopus Tolosanus promotus per Benedictum XIII. 4. nonas maii anno 1402.

Eodem D. archiepiscopus prædictus procuratorio nomine RR. in Christo Patris D. episcopi Montisalbani.

Eodem Archiepiscopus prædictus procurato-

[A]NNO [CH]RISTI [1]409.

torio nomine R. in Christo Patris D. Episcopi S. Pauli.

* Eodem idem Archiepiscopus procuratorio nomine ven. Patris abbatis monasterii S. Antonii de Resato ordinis Cluniac. Remen. diœcesis.

* Eodem Petrus episcopus Bomberiensis promotus per Clementem VII. anno 1392.

Eodem F. Joannis Garsiæ ordinis Fratrum minorum sacræ paginæ professor, procuratorio nomine universitatis studii Tholosani.

Eodem ven. vir Nicolaus Tertii *Saxonis* præpositus ecclesiæ Tholosanæ & Bernardus de Vanandro Vananho canonicus, & archidaconus Villæ longæ in ipsa ecclesia Tholosensi, procuratorio nomine dictæ ecclesiæ Tholosanæ.

Die 2. mensis Aprilis Reverendissimus domin. Conradus tituli S. Grisogoni S.R.E. presbyter cardinalis, Militensis vulgariter nuncupatus, venit de Bononia Pisas ad sacrum concilium.

Eodem Ven. P. Nicolaus abbas monasterii S. Mariæ de Florentia ordinis S. Benedicti, promotus ad ipsum monasterium per Gregorium XII. 3. Nonas Augusti anno 1408. Indict. 1.

Eodem R. in Christo pater D. Joannes episcopus in universali ecclesia, & nobilis vir Franciscus Panthira, & D. Andreas de Morciculis in jure civili licentiatus, & ven. vir Odoricus *Nucussii* canonicus Civitatensis procuratorio nomine R. in Christo Patris D. Antonii Patriarchæ Aquilegensis.

Eodem D. Joannes episcopus in universali ecclesia, promotus per Bonifacium IX. ad ecclesiam Saltamen. die 13. Kal. augusti anno pontificatus IX. Christi 1398.

Eodem D. Bartholomæus de Valaxia præpositus ecclesiæ S. Mariæ de Vineis, & D. Simon Ranasihom prior ecclesiæ S. Sixti de Janua, procuratorio nomine civitatis, cleri & dioecesis Januensis.

Die 4. aprilis D. Landulphus S. Nicolai in carcere Tulliano S. R. E. diaconus cardinalis, *Balensis* vulgariter nuncupatus, venit de Alamannia, & Bohemia missus per sacrum concilium Pisanum. *[..]ensis*

Eodem D. Antonius *Calamanensis* episc. promotus a Bonifacio IX. die 9. kal. julii 1395. Indict. 4. *[..]. Ca[..]ns Ug. [..]amo[..] Lab. [..]aclen.*

Eodem Jacobus episcopus *Comatensis* promotus a Bonifacio IX. pridie idus septemb. anno 1404. indict. 12.

Eodem Jacobus episc. Laudensis promotus a Gregorio XII. die 7. Kal. Februarii 1407. indict. 15.

* Eodem D. Guillelmus episcopus Vestinensis promotus a Clemente VII. an. 1391.

Die 5. aprilis reverendissimus D. Joannes tituli sanctæ Crucis in Jerusalem S. R. E. presbyter cardinalis, Ravennatensis vulgariter nuncupatus, venit de Bononia ad Pisas.

Eodem Joannes episcopus *Forlimensis* promotus per Bonifacium IX. die 12. kal. decembris anno 1400. indict. 8. *Foro[..]ensis.*

Eodem Petrus Faventinus episcopus promotus ab Innocentio VII. die 8. kal. julii 1406. indict. 13.

* Eodem Gentilis episcopus Neatahensis promotus ad ecclesiam Marsicanam per Urbanum VI. die 6. Kal. augusti 1384. indict. 7. & postea per Bonifacium IX. ad ecclesiam Neatosaensem translatus pridie nonas novemb. ann. 1398. *indict.* 5. *[..]XIV.*

ANNO CHRISTI 1409.

Eodem Vulterus episcopus *Banensis* promotus a Bonifacio IX. die 8. idus martii 1403. *indict.* 12. (11.) *Ind. VI. Ed. Bonon. sed male, nullus enim Walterus tunc Bononiensem ecclesiam tenebat*

Eodem Paulus episcopus *Cervensis* promotus per Bonifacium IX. die 7. idus martii 1402. indict. 10. *Lab. Cernens.*

Die 6. aprilis F. Egidius abbas monasterii S. Eligii *Nomonien.* ordinis S. Benedicti promotus per Benedictum XIII. die 6. idus octobris anno 1402. *Noviomen.*

Eodem idem D. Egidius procuratorio nomine pro episcopo Nomonien.

Idem procuratorio nomine pro capitulo ejusdem ecclesiæ.

Eodem D. Joannes abbas monasterii S. Crispini majoris Suessionensis ordinis S. Augustini, promotus a Benedicto XIII. an. 1404.

Idem procuratorio nomine pro clero civitate & dioecesi Suessionensi.

Eodem Joannes abbas monasterii S. Petri supra Dinam ordinis S. Benedicti Sagiensis dioecesis promotus per Benedictum XIII. die 12. kal. augusti 1404.

Idem abbas procuratorio nomine F. Eliæ abbatis monasterii *Bindegalensis* ordinis S. Benedicti Vituriensis dioecesis. *Burgidolensis Bituricensis*

Idem procuratorio nomine F. Joannis abbatis monasterii S. Cipriani extra muros *Bigavenses* ordinis S. Benedicti. *Pictavenses Lab.*

Idem nomine *Asterici* monasterii S. Benedicti de Quintiano ejusdem ordinis prope Pictavis. *Aymerici*

Idem nomine Petri abbatis monasterii S. Crucis de Anglia ord. S. Aug. Pictavensis dioec.

Eodem Simon episcopus *Cassensis* promotus per Bonifacium IX. anno pontificatus sui 12. anno 1400. *Lab. Cassinens. Ugh. Cassens.*

Die 7. apr. Ven. vir magister Jacobus de Frassensis licentiatus in legibus procuratorio nomine pro Reverendo Hugone episcopo Lemocensi.

Die 8. apr. VV. & RR. viri DD. F. Petrus Thomas decretorum doctor & præceptor Lemonicensis, & Bernardus de Lupo baccalarius in decretis & præceptor Umoniensis dioecesis procuratorio nomine D. abbatis monasterii S. Antonii Umoniensis ord. S. Augustini.

Eodem Willelmus episcopus Mirapicensis promotus per Benedictum XIII. an. 1400.

Eodem D. Enricus Honberch decretorum doctor & *Caripens* (*sic*) ecclesiæ Trajectensis, procuratorio nomine Friderici episcopi Trajectensis.

Die 9. Aprilis Guillelmus episcopus *Utinensis* promotus ad ipsam ecclesiam per Clementem . . , ... an. 1384. *Uticensis*

Idem procuratorio nomine capituli ecclesiæ Uticensis

Eodem Joannes abbas monasterii Cistercii ordinis prædicti dioecesis Cabilonensis, sacræ theologiæ professor, promotus per Benedictum XIII. 6. nonas maii 1393.

Die 10. apr. ven. viri DD. magister Geraudus Ronde sacræ theologiæ professor, Lambertus de Stipite decretorum doctor,

Egi-

ANNO CHRISTI 1409.

Egidius de *Vilaninonia* (a) in utroque jure, Andreas *Zanderman* (b) in legibus, & Paulus de *Doctingen* (c) etiam in utroque jure licentiatus, procuratorio nomine D. electo Leodienn.

(a) Lab. *de Tomalintue*
(b Ugh. *de Vitemolle* Lab. *Sudemian.* Ug. *Fordemian*
(c) Lab. *Clotingerii* Ug. *Clotingaen.*

Supradicti Ambassiatores capituli ecclesiæ civitatis & dioecesis Leodiensis procuratorio nomine omnium prælatorum sæcularium & religiosorum Leodiensium.

Eodem D. Joannes abbas monasterii Puciniaci ordinis Cisterciensis Antissiodorensis dioecesis sacræ theologiæ professor, promotus per Clementem VII. anno 1389. octobri mense.

Eodem Petrus abbas monasterii Camporum bonorum ordinis Cisterciensis *Binacensis* dioecesis, promotus per Benedictum XIII I. . . . . . januarii anno 1392.

Vivariensis Lab. *de Gimondo* Ita & Ug.

B

Eodem Guillelmus abbas monasterii de *Grivendo* ordinis Cisterciensis Anxitanæ dioecesis decretorum doctor, promotus per Benedictum XIII. die 7. Kal. novembris anno 1399.

* Eodem Stephanus abbas monasterii de Caritate ordinis Cisterciensis Bisuntinæ dioecesis, sacræ theologiæ professor, promotus per Benedictum XIII. die 7. idus octob. an. 1400.

Eodem D. Stephanus episcopus Dolensis, promotus per Benedictum XIII. an. 1405.

Idem procuratorio nomine Henrici episcopi Nannetensis sicut & ecclesiæ ejusdem.

C

Idem procuratorio nomine Gratiæ episcopi Corosopitensis.

* Eodem D. Joannes de Avanilla cantor & canonicus ecclesiæ Dolensis pro D. Guidoæ episcopi Leonensi.

* Eodem Stephanus episcopus Dolensis procuratorio nomine Joannis episcopi Briocensis.

Eodem magister Nicolaus Conicoiis licentiatus in legibus, & canonicus ecclesiæ Dolensis pro capitulo ecclesiæ suæ.

Die 11. aprilis D. Bartholomæus de Bando accolytus D. N. Papæ procuratorio nomine D. Primi archiepiscopi Turitani in Sardinia.

D

Idem pro Francisco episcopo *Terræ Albensi* in Sardinia.

Lab. *Tenealbensi*

* Die 12. aprilis Antonius de Rest canonicus ecclesiæ S. Mariæ Fratris Octacii ordinis Humiliatorum de Mediolano, procuratorio nomine Fratris Leonis abbatis monasterii S. Petri de Cerreto ordinis Cisterciensis Laudensis dioecesis.

Eodem Nicolaus episcopus Nazaretensis promotus a Bonifacio IX. die 3. nonas decembris anno 1399. indict. 3. (d)

(d) Ind. VIII. Ind. VII.

Eodem Guillelmus olim episcopus Corleolensis promotus per Bonifacium IX. anno 1399. indict. 3. die 6. Idus decemb.

E

Eodem Franciscus episcopus *Croensis* promotus ab Innocentio VII. die 8. idus augusti anno 1405. indict. 13.

Lab. *Cicens* Ug. *Cirensis*

Die 13. aprilis Guillelmus episcopus Lexoviensis promotus per Gregorium XI. anno 1374.

Eodem Guillelmus episcopus Ebroicensis promotus per Benedictum XIII. an. 1400.

Eodem D. Henricus Calvomonte canonicus & archidiaconus ecclesiæ Ebroicensis pro sua ecclesia.

ANNO CHRISTI 1409.

A

Idem procuratorio nomine *Stephani* abbatis monasterii S. Taurini ordinis S. Benedicti dioec. Ebroicensis.

Lab. *Philippi*

Idem procuratorio nomine Joannis abbatis de Ymbreyo ordinis S. Benedicti Ebroicensis dioecesis.

Eodem Simo abbas monasterii Gemeticensis ordinis S. Benedicti Rotomagensis dioecesis, promotus a Clemente VII. anno 1387.

Eodem ven. vir Ursinius de Talavanda sacræ theologiæ professor primarius & canonicus ecclesiæ Constantiensis, procuratorio nomine provinciæ Rotomagensis, una cum V. P. D. abbate Gemeticensi supradictis procuratorio nomine ejusdem provinciæ.

Eodem VV. Viri magistri Dominicus Parvi Petrus Paul. sacræ Theologiæ professor, Dominicus Robertus de Quesnero, Dominicus Petrus de Prunnio decretorum doctores, Joannes Petri artium medicinæ doctor, D. Pontius Simoneti magister in artibus & licentiatus in theologia, Eustacius de *Valquembergiæ* magister in artibus & licentiatus in decretis, Guillelmus Carpentarii magister in artibus & baccalarius in theologia, & Arnaldus *VVintvvint* (e) magister in artibus & licentiatus in decretis procuratorio nomine totius universitatis studii Pariensis.

Lab. *de Provinc.* Ugh. *de Pumir* Lab. *de Froquembergue* (e) Lab. *Vivit* Ugh. *Vit...ftome* Ind. XV

Eodem Martinus episcopus Atrebatensis promotus per Benedictum XIII. die 8. Kal. Decembris anno 1407. indict. X.

* Idem pro abbate Montis Stingilii ordinis S. Augustini Atrebatensis dioecesis sicut & pro capitulo Atrebatensi.

Eodem magister Hugo de Tayen licentiatus in legibus & cantor ecclesiæ Constantiensis procuratorio nomine Matthæi episcopi *Mortnensis*.

Lab. *Marinensis*

Eodem VV. viri magistri Jacobus Bralard in utroque jure licentiatus, & Petrus Franchan magister in artibus & licentiatus in decretis procuratorio nomine provinciæ Remensis.

Eodem VV. viri magistri Matthæus Camini in utroque jure licentiatus procuratorio nomine Joannis episcopi Laudunensis.

Eodem VV. & RR. PP. DD. Petrus *Candent* legum doctor & cancellarius ducis Brabantiæ, Joannes abbas monasterii S. Petri de Gemlois ordinis S. Benedicti Leodiensis dioecesis, Oto abbas monasterii S. Mariæ de Zongerloe ordinis Præmonstratensis Cameracensis dioecesis, * Amandus de Bremmonte licentiatus in sacra pagina, magister Ganfredus *de Zichen* magister artium & licentiatus in legibus, Joannes de Torruhont artium magister & licentiatus in legibus procuratorio nomine illustris principis D. Ducis Bramantiæ.

Lab. *Guidonis*
Lab. *de Tungerloi*
Lab. *de Orbenis* Ugh. *de Zeiberus*

Eodem Joannes abbas monasterii S. Petri de Gemlois ordinis S. Benedicti Leodoniensis dioecesis, promotus per Bonifacium IX. anno pontificatus sui IX. Christi 1398.

Eodem abbas monasterii Beatæ Mariæ de *Villers* ordinis Cisterciensis Leodoniensis dioecesis promotus per Bonifacium IX. die 14. Kal. julii 1392.

Lab. *de Villari*

* Eodem Joannes abbas monasterii S. Mariæ de Zongerloe ordinis Præmonstratensis Ca-

Cameracenſis dioeceſis, promotus per Bonifacium IX. anno 9. pontificatus 1400.

Eodem VV. Viri magiſtri Felix S. Offt Cenomanenſis in decretis, & Joannes de Buſioco in utroque jure licentiatus procuratorio nomine....... epiſcopi Cenomanenſis. Idem procuratorio nomine Joannis abbatis monaſterii S. Vincentii ordinis S. Benedicti Cenomanenſis dioeceſis, ſicut & Guillelmi abbatis monaſterii S. Petri de Cultura ordin. S. Bened. ejusdem dioeceſis. Item & DD. *Gernaſii* abbatis monaſterii de Belloloco ordinis S. Cuguſtini prædictæ dioeceſis, ſicut & DD. *Guillelmi* abbatis monaſterii de Vadacio ordinis S. Auguſtini prædictæ dioeceſis; atque etiam procuratorio nomine Joannis abbatis S. Georgii de Nemore ordinis S. Auguſtini ejuſdem dioeceſis. Item procuratores Joannis abbatis S. Carilephi ordinis S. Benedicti ejuſdem dioeceſis. Item D. Petri abbatis mon. de Vadit alveti ord. S. Ben. ejuſd. dioec. Item proc. D. Joannis abbatis monaſterii de Pelicia ordinis S. Benedicti ejuſdem dioeceſis. Item proc. D. Simonis abbatis monaſterii de Ebromo ordinis S. Benedicti ejuſdem dioeceſis * Item proc. abbatis monaſterii de Bonfaio ordinis S. Benedicti ejuſdem dioeceſis.

. Ger- i

. Jo.

Eodem D. Guillelmus de Merla licentiatus in legibus, conſiliarius regis Franciæ & canonicus & ſcholaſticus eccleſiæ Cenomanenſis pro eadem eccleſia & capitulo.

Die 10. aprilis Joannis Luqueti ſacræ Theologiæ profeſſor procuratorio nnmine provinciæ Senonenſis. Item & Martini Epiſcopi Carnotenſis. Item & Joannis abbatis monaſterii S.Petri ad montes Cathalan. Item Guillelmi abbatis monaſterii omnium ſanctorum in Inſula. Item Joannis Fabri abbatis monaſterii S. Mennii in ſuburbio Cathalan.

Eodem Bertrandus epiſcopus Appamiarum promotus per Clementem VII. pontificatus anno 2. 1379.

Eodem Franciſcus archiepiſcopus Narbonenſis, S. R. E. Camerarius promotus ad ipſam eccleſiam per Clementem VII. an. 1300. (ſic)

Eodem *Chriſtianus* epiſcopus Treconenſis promotus a Benedicto XIII. anno 1404.

Tri-

Die 17. Aprilis ven. vir Fridericus Deys decretorum doctor, decanus Paderburnenſis nomine Everardi archiepiſcopi Salſenburgenſis. Item pro * Ulrico epiſcopo Raventinenſi. Item pro * Eugelmaro epiſcopo Creonenſi.

Eodem Leonardus epſcopus Firmanus olim camerarius D. Innocentii VII. promotus ad eamdem eccleſiam ab eodem 2. idus julii anno pontificatus I. 1405. indict. 13.

Eodem F. Petrus procurator ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum, procurator magiſtri generalis ſui ordinis.

Die 18. Aprilis D. Guido canonicus eccleſiæ Carnacenſis procuratorio nomine capituli ſui.

Eodem D. Petrus Cattui decretorum doctor procuratorio nomine D. Aymy epiſcopi Gratianopolitani.

Eodem D. Egidius epiſcopus Nemauſenſis promotus per Clementem die 7. kal. julii anno 1391. Item pro capitulo eccleſiæ Nemauſenſis. Item pro Aymerico abbate monaſterii Pſalmodienſis ordinis S. Benedicti Nemauſenſis dioeceſis.

Eodem Bertrandus epiſcopus Tutellenſis promotus per Benedictum XIII. anno 1407. indict. 15.

Eodem D. Egidius epiſcopus Nemauſenſis ſupraſcriptus procuratorio nomine pro Petro abbate monaſterii *Cendronenſis* ordinis S. Benedicti.

Lab. *Cendratens*

Eodem Bertrandus qui ſupra procuratorio nomine eccleſiæ ſuæ.

Item pro abbate monaſteriii Uſarciæ ordinis S. Benedicti Lemonicenſis eccleſiæ.

Eodem Petrus abbas monaſterii Montis S. Michaelis ordinis S. Benedicti Abricenſis dioeceſis promotus a Clemente VII. anno 1481.

Die 19. Aprilis D. Joannes Nam juris utriuſque doctor procuratorio nomine * Conradi electi Olomucenſis. Item idem Joannes electus (ſic) procuratorio nomine pro capitulo eccleſiæ Pragenſis.

Die 20. Aprilis VV. viri DD. Joannes abbas monaſterii Cæſarienſis ordinis Ciſtercienſis Auguſtenſis dioeceſis, Fridericus Deys decretorum doctor decanus Paterburnenſis, & Joannes de Miſſen canonicus eccleſiæ Beatæ Mariæ veteris capellæ Ratisbonenſis, procuratorio nomine pro Joanne epiſcopo Ratiſbonenſi.

Eodem Joannes abbas monaſterii *Ceſarienſis* prædictus promotus per Bonifacium IX. die 9. idus Auguſti pontificatus ſui anno 15. 1400. indict. 12.

Lab. *Celanen.*

* Eodem Guillelmus abbas monaſt. VVeſtmonaſterienſis ordinis S. Benedicti extra muros Lon. promotus ab Urbano VI. die 6. kal. aprilis pontificatus anno 9. anno 1387.

Ind. VIII.

Die 22. aprilis Joannes epiſcopus Lubicenſis promotus per Bonifacium IX. die 8. Kal. octobris pontific. anno 8. anno .397.

Idem Joannes nec non vv. viri * Theodoricus decanus eccleſiæ Stendalienſis, & *Joannes* præpoſitus Tangerinnundenſis licentiatus in decretis ut ambaſiatores illuſtris & excellentis D. Jodoci Marchionis Brandemburgenſis, archicamerariii S. R. I. & Marchionis Moraviæ.

Lab. *Theodoricus*

Eodem ven. vir D. Stephanus Ancherii baccalarius in decretis procuratorio nomine Stephani epiſcopi Vabrenſis & capituli eccleſiæ Vabrenſis & capituli eccleſiæ Vapincenſis.

Eodem D. Michael abbas licentiatus in decretis & canonicus Ruthenenſis procuratorio nomine Guillelmi epiſcopi Ruthenenſis & capituli ejuſdem eccleſiæ; item & D. Reygmundi abbatis monaſterii Conchenſis ordinis S. Benedicti Ruthenenſis.

Eodem Petrus archiepiſcopus Bituricenſis promotus a....... anno 1392. nomine etiam Joannis epiſcopi Caſtrenſis, & Petri abbatis monaſterii B. Mariæ *S. Euſtachii* de Cellis ordinis S. Auguſtini, nec non abbatis monaſterii *. Euvacii ordinis S...........

Lab. *S. Euſebii*

Item pro Joanne abbate monaſterii Urſionis ordinis S. Benedicti Bituricenſis dioeceſis.

Item pro abbate monaſterii S. Gildacii ordinis S. Benedicti ejuſdem dioeceſis.

Item pro Guillelmo abbate monaſterii Caſali

ANNO CHRISTI 1409.

sali Benedicti Bituricensis dioecesis ordinis S. Benedicti.

Item pro abbate monasterii de Vermissia ordinis S. Augustini.

Item pro Roberto abbate monasterii de Misserayo ordinis S. Augustini ejusdem dioecesis.

Item pro Guillelmo abbate monasterii Fontiscombandi ordinis S. Benedicti Bituricensis dioecesis.

* Item pro Petro abbate monasterii S. Sagarani de Moretiis ordinis S. Benedicti Bituricensis dioecesis. Item pro abbate S. Mariæ de Exolduno ord. S. Ben. ejusdem dioec.

Item pro abbate monasterii S. Sulpicii ordinis S. Benedicti.

Item pro Aymerico abbate monasterii S. Ambrosii ordinis S. Augustini Bituricensis dioecesis.

Eodem Petrus abbas monasterii Grandimontensis ordinis prædicti, Lemonicen dioecesis promotus per Clementem .... anno 1388.

* Eodem VV. DD. priores monasteriorum de Seivasia Xantonensis, Cerrocensis (alibi Cernacensis) Bituric. Malleac de Bandolonna de Podio Capierii, Bonlonha ordinis Grandimontensis dioecesis.........

* Eodem Guido abbas monasterii Grassensis ordinis S. Benedicti Carcassonensis dioecesis, promotus per Clementem VII. an. 1388.

Eodem D. Martinus de Campo procuratorio nomine Joannis prioris monasterii de Nemore Vicennarum prope Parisium Grandimontensis dioecesis.

* Eodem Petrus abbas monasterii Vissiliacensis ordinis S. Benedicti Eduensis dioecesis, promotus per Clementem VII. an. 1391.

Eodem Bartholomæus abbas monasterii Molismensis ordinis S. Benedicti Lingonensis dioecesis, promotus per Benedictum XIII. anno 1396.

Eodem VV. PP. DD. Ursiliacensis & Molismensis abbates prædicti pro provincia Lingonensi.

Eodem Franciscus abbas monasterii S. Genofevæ Parisiensis ordinis S. Augustini, promotus per Benedictum XIII. anno 1407. Idem pro Petro Parisiensi episcopo.

Eodem VV. Viri DD. Guillelmus de Malignerius J. U. D. & Nicolaus de Molleyo legum doctores procuratorio nomine pro studiio Andegavensi.

Eodem Philippus abbas monasterii Anhanæ ordinis S. Benedicti Magalonensis dioecesis, promotus per Benedictum XIII. an. 1395.

Eodem D. Eustachius de Falcaberga magister in artibus & licentiatus in decretis et canonicus ecclesiæ Nomonensis pro episcopo * Silvanectensi.

Eodem D. Dominicus Parvi de Varenis sacræ Theologiæ magister procuratorio nomine pro Henrico episcopo Tullensi.

Die 23. aprilis Ludolphus abbas monasterii Saganesi ordinis Canonicorum regularium S. Augustini Ulatislariensis, promotus.....

Eodem idem abbas cum D. Nicolao Barsmez scholastico & canonico Uratislariensi procuratorio nomine pro *Benceslao* episcopo Uratislariensi & clero capituli ejusdem civitatis.

Lab. *Lanceslao*

A Eodem D. Ludolphus prior S. Joannis in Monte decretorum doctor cum Joanne Andrea pro capitulo & clero civitatis Bononiensis.

Eodem Joannes episcopus Saxoniensis promotus per Bonifacium IX. die 12. Kalend. Augusti pontificatus anno 8. Christi 1398.

Eodem vv. viri DD. Gerardi Rudelli sacræ Theologiæ professor, Labertus de Stipite decretorum doctor, Egidius de Umalmen U. J. D. Andreas Suderman in legibus, & Paulus de Cloetinghen etiam in utroque jure licentiatus procuratorio nomine pro Renero abbate monasterii S. Jacobi Leodiensi ordinis S. Benedicti, Henrico abbate monasterii S. Laurentii extra muros Leodiensis dioecesis ordinis S. Benedicti, Joanne monasterii 12. Apostolorum. Bellicedius Leodiensis Præmonstratensis ordinis, & Willermo abbate monasterii *S. Ægidii in pubblico* monte prope Leodium ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, sicut & pro tota ecclesia, civitate & dioecesi Leodiensi & abbatibus monasterii Stabulensis ordinis S. Benedicti Leodiensis dioecesis, abbate monasterii S. Trudonis ejusdem ordinis & dioecesis, abbate monasterii S. Uberti ejusdem ordinis & dioecesis, abbate monasterii S. Gerardi de *Bramo* ejusdem ordinis & dioecesis, abbate monasterii Walchidiorensis, abbate Floriensi omnibus ejusdem ordinis & dioecesis. Abbate *Alvensi* ordinis Cisterciensis ejusdem dioecesis, abbate monasterii Vallis S. Lamberti, abbatis monasterii Vallis Dei, abbate magni Prati omnibus ejusdem ordinis & dioecesis; abbate monasterii Florefensis ordinis Præmonstratensis ejusdem dioecesis, abbate monasterii Parcensis, * abbate monasterii Pacensis, abbate monasterii Averbadiensis, abbate monasterii Heliimensi, omnibus ejusdem ordinis & dioecesis; abbate monasterii Novi ordinis canonicorum regularium S. Augustini Leodiensis dioecesis, abbate monasterii Flonensis, abbate monasterii *Mahomensis*, utroque ejusdem ordinis & dioecesis.

Lab. *S. Ægidii in pulchro*

Lab. *de Bronio*

Lab. *Alnensi*

Lab. *Malomensis*

D Die 25. Aprilis Joannes episcopus Novariensis promotus a Bonifacio IX. die 13. Kal. Junii 1398. Idem etiam procuratorio nomine pro Petro episcopo *Paxiensi*, & Petro episcopo Terdonensi, & Bartholomæo episcopo Alexandriæ & etiam procuratorio nomine magnifici viri Fazini comitis de Blandrate.

Lab. *Papiensi*

* Die 26. Aprilis Stephanus abbas monasterii Grandacii ordinis S. Benedicti Vivariensis dioecesis.

Eodem magister Joannes Wulriheti dictus Franciscus magister in artibus & licentiatus in decretis pro Milione episcopo Eduensi & nomine capituli ejusdem ecclesiæ.

Eodem Rodulphus presbyter canonicus ecclesiæ Cameracensis pro capitulo ejusdem ecclesiæ.

Eodem D. Simon de Cramanda patriarcha Alexandrinus pro se, & capitulo ecclesiæ Agatensis.

Eodem dictus patriarcha & Robertus procuratorio nomine pro capitulo ecclesiæ Rotomagensis, & pro Guillelmo abbate mona-

ANNO CHRISTI 1409.

nasterii S. Mariæ de *Boeciesin* ordinis S. Benedicti Rotomagensis dioecesis.

Die 27. Aprilis episcopus Xanctonensis promotus per Clementem VII. anno 1393. pro se & procuratorio nomine Joannis abbatis monasterii S. Joannis *Angli acensis* ordinis S. Benedicti Xanctonensis dioecesis; sicut & pro Nicolao abbate S. Laudegarii ejusdem ordinis & dioecesis.

Eodem Tymbertus episcopus Agennensis.

* Eodem episcopus Belvacensis.

Eodem V. vir Simon Barcholi canonicus Arecinensis procuratorio nomine pro Joanne abbate monasterii S. Floræ & Lucillæ de Aretio ordinis S. Benedicti; sicut & pro capitulo ecclesiæ Aretinæ; sicut & pro Antonio abbate monasterii S. *Samuelis* de Capalon ejusdem diœcesis.

Die 28. Aprilis Joannes abbas monasterii S. Mariæ *de Agano* (*a*) ordinis Camaldulensis, promotus pro Gregorium XI. anno 1377.

Eodem Bertrandus abbas monasterii S. Justi *de Vulterris* (*b*) ordinis Camaldulensis, promotus per Gregorium XII. 2. kal. Februarii pontificatus anno I. Christi 1407. indict. 15.

* Eodem Sebastianus abbas monasterii S. Salvatoris de Florentia, promotus per Gregorium XII. pontificatus anno 2. 1408. indict. I.

Eodem Laurentius abbas monasterii de Correto dicti ordinis & dioecesis Vulterranensis, promotus per Urbanum VI. die 14. Kal. Aprilis pontificatus anno 8. Christi 1385. indict. 9.

Eodem Gregorius abbas S. Salvatoris de Silvamanda dicti ordinis, promotus per Urbanum VI. anno . . . . .

Eodem Jacobus abbas monasterii S. Stephani *de Cantorio* dicti ordinis promotus per Urbanum VI. anno . . . . .

Eodem Mamianus abbas monasterii S. *Frigdiani* de Pisis, promotus per Bonifacium IX. pridie kal. Februarii pontificatus anno 12. Christi 1401.

Eodem Orlandus abbas monasterii S. Mariæ de Morrona Pisanæ diœcesis, promotus per Gregorium XII. die 12. kal. . . . . . . Christi 1406.

Eodem Andreas abbas monasterii S. Bartholomæi de Anglari dicti ordinis Aretinæ diœcesis, promotus per Innocentium VII. anno 1407.

Eodem generalis ordinis Camaldulensis procuratorio nomine pro abbate monasterii S. Ægidii de Campriono ordinis prædicti Aretinæ diœcesis.

Eodem *Borchardus* abbas monasterii S. Bartholomæi de *S. Jucunda* dicti ordinis Lucanæ diœcesis, promotus per Gregorium XII. idibus augusti, pontificatus anno 2. Christi 1408. indict. I.

* Eodem Joannes prior monasterii S. Mariæ de Bra dicti ordinis, promotus per Bonifacium IX. anno 1400.

Eodem Franciscus abbas S. Mariæ de Poppiena promotus ab Urbano VI.

Nicolaus Antonius Episcopus *Lucernensis*, promotus a Clemente VII. anno 1394. die 29. Aprilis.

[Margin notes, left: ... de ... Hel... i · ... Angeensis · S. Ju... lis Ug. ... mma ... Campo... le... dum S. ... ario ... palo... ex Cod ... ap. me Lab. *de* ... ano *de A*... no ex Cod. Lab. ... alteris · ... de ... tonio · ... S. ... iaci · ... Bar... omæus S. Ju... da Ug. ... tholo... us de S. ... da. · ... Luce... nsis ... Lucion]

A Eodem magister Hugo de Cayen licentiatus in decretis, cantor & canonicus ecclesiæ Constantiensis pro capitulo ecclesiæ suæ.

Eodem V. D. Nicolaus de Balionibus de Perusio prior generalis S. Sepulcri Dominici Jerosolymitani, procuratorio nomine pro Petro episcopo Pacen. & pro * Antonio episcopo Tudensi & pro Gensalin episcopo Ramacensi.

Die 30. Aprilis D. Cardinalis Burdegalensis intravit civitatem Pisanam rediens ex Anglia.

Eodem VV. viri Simon & Michelinus de Zaffert de Novaria fratres, & Petrinus & Augustinus de Maglo fratres, canonici ec-B clesiæ Novariensis pro suo capitulo & clero civitatis & diocesis, sicut & * pro Rufino abbate monasterii S. Laurentii extra muros Novarienses ordinis S. Benedicti.

Die I. Maii Ven. vir D. Guillelmus Benedicti U. J. D. procuratorio nomine pro *Excodo* abbate monasterii Fiscampuensi ordinis S. Benedicti Rotomagensis diœcesis. Die 2. Maii D. Cardinalis de Hispania intravit civitatem Pisarum, veniens ad sacrum collegium. [Lab. *E. stoldo*]

* Eodem Joannes abbas monasterii S. Ghiselmi de Cella Cameracensis diœcesis ordinis S. Benedicti.

Eodem dictus D. Joannes, nec non D. Tho-C mas de Fraxino miles, & Henricus de *Reyngeiffluta* licentiatus in legibus, ecclesiasticus ecclesiæ S. Petri Luthosensis Cameracensis diœcesis procuratorio nomine, & ut ambassiator illustris & magnifici principis Guillelmi ducis de Bavaria, Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ comitis. [Lab. *de Reyngbefslitte*]

Eodem *Salvator* abbas monasterii S. Ægidii Nemausensis diœcesis.

Eodem Guido de Albiaco legum doctor canonicus Parisiensis procuratorio nomine pro capitulo ejusdem ecclesiæ, & pro capitulo ecclesiæ Senonensis.

Die 3. Maii Bartholomeus abbas monaste-D rii S. Fidelis de Piuppiis ordinis Vallisumbrosæ, Aretinæ dioecesis, promotus per Urbanum VI. pontificatus anno 2. Christi 1379.

* Eodem Willelmus abbas monasterii Beatæ Mariæ de Impcahru ordinis S. Benedicti Turonensis diœcesis, promotus anno 1387.

* Eodem Radulphus abbas monasterii omnium Sanctorum Andegavensis ordinis S. Augustini, magister in Theologia, pro se & pro episcopo ac capitulo Andegavensi.

Eodem Guido abbas monasterii SS. Sergii & Bacchi prope Andegavis ordinis S. Benedicti promotus anno 1385. pro se & pro Joanne abbate monasterii S. Mauri supra Ligerim ordinis S. Benedicti Andegavensis E dioecesis, & Theobaldo abbate monasterii S. Albini ejusdem ordinis & dioecesis.

Die 4. Maii VV. viri MM. Franciscus S. Theologiæ magister ordinis Prædicatorum, & Petrus *Ringer* vicecancellarius venerabilis studii Viennensis procuratorio nomine pro Ernesto duce Austriæ, & studio suo Viennensi. [Lab. *Vingar*]

* Eodem Galterus Graffi prior ecclesiæ conventus Rhodi ordinis S. Joannis Jerosolymitani. Eo-

ANNO CHRISTI 1409.

Eodem Amelius archiepiscopus Turonensis.

Eodem F. Alanus David ordinis Fratrum minorum minister provinciæ Turonensis pro sua provincia.

Eodem Andreas abbas monasterii S. Galliaci ordinis S. Benedicti Albiensis dioecesis pro se & Sicardo episcopo Conseranensi, & capitulo ecclesiæ Biterrensis, ac Michaele abbate monasterii Villæ magnæ ordinis S. Benedicti Biterrensis dioecesis, ac Arnoldo abbate monasterii de Juncellis ordinis S. Benedicti Biterrensis dioecesis, ac Joanne abbate monasterii S. Amani ordinis S. Benedicti S. Pontii *Tommeriarensis* dioecesis, & Raymundo abbate monasterii Jocundensis ordinis S. Benedicti Electensis dioecesis.

Die 6. Maii Ven. vir D. Joannes Cavatori in utroque jure licentiatus archidiaconus Ripariæ in ecclesia Suessionensi procuratorio nomine pro Michaele episcopo Antissiodorensi & pro Stephano episc. *Trecorensi*.

Lab. *Trecensi*

Eodem Gaufridus de S. Amore cantor ecclesiæ Matisconensis procuratorio nomine pro Petro episc. Matisconensi.

* Eodem Antonius abbas monasterii S. Faustini & Jovitæ majoris Brixiensis ordinis S. Benedicti.

Eodem Joannes Samphonista secretarius Georgii episcopi Pataviensis procuratorio nomine pro episcopo suo.

Eodem Bertrandus archiepiscopus Arborensis, promotus per Innocentium VII. die 3. kal. augusti pontificatus 2. Christi. 1406.

Die 7. Maii Magister Fridericus Rocardi præpositus ecclesiæ Heyngenstadensis Maguntinæ dioecesis & canonicus ecclesiæ Warmensis procuratorio nomine pro Arnoldo episcopo Culmensi, & pro capitulo ecclesiæ Culmensis, & pro Joanne episcopo Pomenzamensi, & ejus capitulo; sicut & pro capitulo ecclesiæ Warmensis, & ecclesiæ Sambiensis.

Eodem Petrus episc. Cracoviensis, promotus a Bonifacio IX. die 2. nonas decembris pontificatus 4. Christi 1393.

Eodem Petrus olim episcopus Stregiensis, promotus a Bonifacio IX. die 8. kal. junii pontificatus 12. Christi 1401.

Dictus D. Petrus episc. Cracoviensis procuratorio nomine & ut ambasiator regis Poloniæ.

Eodem Paulus præpositus monasterii S. Mariæ *Magdalenæ* extra muros Procenses procuratorio nomine pro Simonicho seniore duce Maxoniæ & ut ambassiator ejusdem.

Lab. *S. Mariæ*

Eodem Gregorius episc. *Valdiminensis* promotus a Bonifacio...... die 13. Kal. martii pontificatus 11. Christi 1400. ind. 8.

Lab. *Landemirensis*

Eodem ven. vir. Nicolaus Lubich decanus ecclesiæ beatæ Mariæ Erphordiensis protonotarius, & secretarius illustrium principum Friderici & Guillelmi germani Lamgravi Thuringe marchionum Misnensium comitum Palatinorum Saxoniæ, procuratorio nomine, & ut ambassiator ipsorum.

Eodem Stanislaus canonicus ecclesiæ Plocensis procuratorio nomine pro Jacobo episcopo Plocensi, & capitulo ejusdem eccl.

Eodem supradicti DD. ambassiatores procuratorio nomine ordinum DD. archiepiscoporum, & abbatum, ac capitulorum ecclesiarum metropolitanarum, & cathedralium, collegiatarumque, ecclesiarum regis Angliæ & universaliter pro tota ecclesia Anglicana, prout de eorum commissione & mandato plene docuerunt, & promiserunt stare & obedire, & præsertim pro infrascriptis reverendis Patribus videlicet, Thoma archiepiscopo Cantuariensi, Henrico archiepiscopo Eboracensi, Henrico episcopo Vvintoniensi.

Eodem RR. in Christo PP. & DD. Robertus Salesbiriensis, & Henricus *Melensis* episcopi, & VV. PP. DD. Thomas monasterii S. Mariæ Eboracensis ordinis S. B. Thomas prior Cantuariensis, Ricardus monasterii Beatæ Mariæ Jorevallensis Cistercienses abbates; nec non magister Ricardus Canynsten legum doctor officialis curiæ & canonicus ecclesiæ Eboracensis procuratorio nomine & ut ambasiatores Henrici regis Angliæ.

Lab. *Menevensis*

D. Thomas episc. Dunelmensis (pro) Ebdimindo episcopo Exionensi, Richardo episcopo Londoniensi, Joanne episcopo Heliensi, Nicolao episcopo Bathoniensi & VVellensi, Richardo episcopo Herifordiensi, Roberto episcopo Cicescienst, Guillelmo episcop. Carleolensi, Joanne episcopo Lichefeldensi & Convenstrensi, Thoma episcopo VVigorniensi, Philippo episcopo Lincolniensi, Alexandro episcopo Nerbicensi, Joanne episcopo Laudanensi (forsan Laudavensi) Benedicto episcopo Bangorensi, Joanne episcopo Assavensi, Thoma priore ecclesiæ Cantuariensis ordinis S. Benedicti, Thoma abbate monasterii S. Augustini extra muros Cantuarienses, Roberto abbate monasterii Deffashenam ordinis S. Benedicti, VValtero priore de Donaver ordinis S. Benedicti Cantuariensis dioecesis, Joanne priore de Herten ejusdem ordinis & dioecesis. Joanne priore ecclesiæ Roffensis, Guillelmo abbate de Vello ordinis S. Benedicti Cestrensis dioecesis, Joanne priore de Leoen. ejusdem ordinis & dioecesis. N. priore de Valgione ejusdem ordinis & dioecesis. Guillelmo abbate Westmonasterii ordinis S. Benedicti Londoniensis dioecesis, abbate de Voldaime eiusdem ordinis & dioecesis, abbate Colchefer ejusdem ordinis & dioecesis, priore de Come ejusdem ordinis & dioecesis, Thoma priore ecclesiæ Vintoniensis ordinis S. Benedicti, Joanne abbate de Lida ejusdem ordinis Vintoniensis dioecesis, abbate de Berinen Defey ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de Carthesei ejusdem ordinis & dioecesis, Joanne abbate Abindomiæ ordinis S. Benedicti Sarisberiensis dioecesis, abbate de Bedinghe ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de Serborne ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de *VVatone* ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de Serve ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de Alboeyfontin ejusdem ordinis & dioecesis, abbate de Malmisiboi ejusdem ord. & dioec. abbate de Taraestolte ejusdem ordinis & dioecesis Exomensis, priore S. Nicolai Exome ejusdem ordinis & dioecesis, Joanne priore ecclesiæ Vigorniensis ejusdem ordinis, abbate Erisham ordinis S. Benedicti, abbate de Clonceftim ordinis S. Benedicti Vigorniensis dioecesis, abbate de Barthore ejus-

ANNO CHRISTI 1409.

ejusdem &c. de Wenchecombe ejusdem &c. abbate de Aitestin ejusdem &c. abbate de Theultesbuey ejusdem &c. priore de Malnernemagna ejusdem &c. Joanne abbate de Clastoma ejusdem ordinis Bathomensis & Wellensis dioecesis, Joanne priore ecclesiæ Bathomensis ordinis S. Benedicti, abbate de Mochinlegh ejusdem &c. abbate de Addenlech ejusdem &c. abbate S. Albani. ordinis S. Benedicti Luicolnensis dioecesis, abbate de Ensham ejusdem &c. abbate de Rarusey ejusdem &c. abbate de Burgo S. Petri ejusdem &c. abbate de Cionlande ejusdem &c. abbate de Bardeney ejusdem &c. priore de *Spoldyim* ejusdem &c. priore de S. Nocto ejusdem &c. priore de Valnigfordi ejusdem &c. priore de Bevere ejusdem &c. priore Daventre ejusdem &c. priore ecclesiæ Conventrensis ejusdem ordinis, abbate de Cestria ordinis S. Benedicti Lich. & Conventriensis dioecesis, abbate de Sallopia ejusdem &c. abbate de Burconen ejusdem &c. priore ecclesiæ Eliensis ordinis S. Benedicti Eliensis dioecesis; abbate de Thornei ejusdem &c. priore ecclesiæ Norvicensis ordinis S. Benedicti, abbate de Burgo S. Eduardi ord. S. Bened. Norvicensis dioec. priore de Terford ejusdem &c. priore de Carsalt ejusdem &c. priore de Brincolme ejusdem &c. priore de Foscombe ejusdem &c. priore de Sutipis ejusdem &c. priore de Wimuntham, priore de .... ejusdem &c. Richardo abbate Jerovallensis monasterii ordinis Cisterciensis dioecesis, Philippo abbate de VVauloi ejusdem &c. Guillelmo abbate de Fuonegia ejusdem &c. Roberto abbate de Futanis ejusdem &c. Joanne abbate de Revella ejusdem &c. Joanne abbate Ballaloenda ejusdem &c. Joanne abbate de Melsa ejusdem &c. Thoma abbate de Odeway ejusdem &c. F. Willelmo de Ristallis ejusdem &c. Joanne abbate de Sallay ejusdem &c. Richardo abbate de Novo monasterio ejusdem &c. Joanne de Holmicultam ejusdem &c. Guillelmo abbate de Eardava ejusdem &c. Joanne abbate de Rolford ejusdem &c. Roberto abbate de Ruppa ejusdem &c. Rodulpho abbate de *Stutfordia* ejusdem &c. Joanne abbate de Comba ejusdem &c. Valtrine, abbate de Saune ejusdem &c. Philippo abbate de Stoulay ejusdem &c. Guillelmo abbate monasterii de Percelludo ejusdem &c. Rughero abbate de Starcta florida ejusdem &c. Galfrido abbate de Hailis ejusdem &c. Nicolao abbate de Valler regis ejusdem Gilberto abbate de Turbiner ejusdem &c. Joanne abbate de *Rerecullico* ejusdem &c. Richardo abbate de Tincerna, VVillelmo abbate de Doz ejusdem &c. Nicolao abbate de Bellisden ejusdem &c. Joanne abbate de Hilcon. ejusdem &c. Henrico abbate Schynyshed ejusdem &c. Rogerio abbate de Valde ejusdem &c. Simone abbate de Hyllini ejusdem &c. Roberto abbate de Gratia ejusdem &c. Thoma abbate de VValborii ejusdem &c. Rogero abbate de Latres ejusdem &c. abbate de VValthm ordinis S. Augustini ejusdem dioecesis, abbate de Leicestre ejusdem, abbate de Thoruton ejusdem, abbate de Oleny ejusdem &c. abbate S. Jacobi verbi honiconie &c. abbate de Aarle ejusdem &c. abbate de Rocetre ejusdem &c. abbate de Oy ejusdem.

Eodem mense anno et die D. Archiepiscopus Franciscus Narbonensis S. R. E. Camerarius procuratorio nomine pro Henrico episcopo Electensi et pro Bernardo abbate monasterii S. Pilocarpi (Policarpi) ejusdem ordinis et dioecesis.

Eodem Philippus, archiepiscopus Lugdunensis promotus ab .... anno 1392.

Eodem Joannes Archiep. Viennensis.

Eodem VV. viri DD. Godfridus Liveghen præpositus Moguntinensis et thesaurarius ecclesiæ Coloniensis, Theodoricus de Minse præpositus *Bonnensis* et archidiaconus ecclesiæ Coloniensis comes, Joannes de *Linepe* subdiaconus ecclesiæ Coloniensis, Henricus Vesterholtz J. U. D. auditor sacri palatii et decanus ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis, Hugo de Heynort, Christianus *de Erpilis* legum doctor canonicus S. Cassii Bonnensis Coloniensis dioecesis, Balduvinus de Diche canonicus S. Andreæ Coloniensis, ut ambasiatores et procuratores Friderici archiepiscopi Coloniensis sacri imperii electoris et archicancellarii per Italiam.

Lab. *Viennensis*. cum nostro cohæret Ug. Lab. *Huepe* Ugh. *Lucepe* Ita & Ug. Lab. *de Cipr.*

Eodem D. Joannes Faydici decretorum doctor auditor sacri palatii apostolici causarum procuratorio nomine pro capitulo Narbonensi et pro Bartrando abbate monasterii S. Hilarii Carcassonensis, et Jacobo abbate monasterii beatæ Mariæ de quadraginta ordin. S. Augustini Narbonensis dioecesis, ac pro Joanne abbate monasterii Fontis Frigidii ordinis Cisterciensis, & Sinsberto abbate * sæculari ecclesiæ S. Pauli Narbonensis.

Eodem F. Crassi generalis ordinis Carmelitarum sacræ theologiæ magister pro obedientia una cum magistro Raimundo procuratore generali dicti ordinis.

Eodem episcopus Mirapicensis promotus anno 1400........ pro se et capitulo ecclesiæ suæ.

Eodem Petrus episcopus Cameracensis promotus anno 1405.

Eodem magister Petrus de Tubbia canonicus ecclesiarum Narbonensis et Albiensis procuratorio nomine pro capitulo ecclesiæ Albiensis.

Eodem episcopus Saonensis promotus per Benedictum XIII. anno 1405.

* Eodem Guillelmus abbas monasterii de Carmeliis ord. S. Bened. dioec. Lexoviensis promotus per Bened. XIII. an. 1405. procuratorio nomine pro Germano episcopo Lucionensi et pro Extodo abbate monasterii Fiscampuensi ordinis S. Benedicti.

Eodem ven. V. D. Bartholomæus Nothonis archid. Saonensis pro capitulo ecclesiæ suæ.

Eodem Guillelmus episc. Lexonensis.

* Eodem Joannes abbas monasterii Thongarensis ordinis Præmonstratensis Cameracensis dioecesis.

Eodem Alanus Butaen Baccalarius in legibus pro Guillelmo abbate monasterii S. Andreæ ordinis S. Benedicti Avenion. dioecesis.

Eodem Guillelmus de Seisset prior conventualis S. Arnulfi de Cuppeyo Salvanectensis dioecesis, pro * episcopo Salvanectensi et capitulo et clero ejusdem civitatis et dioecesis.

Eo-

ANNO CHRISTI 1409.

Eodem Petrus archiepiſcopus Bituricenſis procuratorio nomine Hugonis epiſcopi Lemonicenſis, et prioris conventus monaſterii de *Millebato* ordinis S. Benedicti Bituricenſis dioeceſis, ſicut et Joannis abbatis monaſterii S. Enulfi ordinis S. Benedicti ejusdem dioeceſis. Lab. *Millebeco*

Eodem Ægidius epiſcopus Conſtantienſis promotus anno 1408. pro ſe et Michaele abbate monaſterii S. Salvatoris vicecomitis ordinis S. Benedicti Conſtantienſis dioeceſis, et pro Guillelmo abbate monaſterii Beatæ Mariæ de *Bombeyo* ejusdem ord. et dioeceſis; ſicut et pro Joanne abbate monaſterii S. Laudi de S. Laudo ordinis S. Auguſtini Conſtantienſis dioeceſis. Lab. *de Hambeja*

Eodem Guillelmus Boyfratier J. U. D. decanus et Geraldus Chorail licentiatus in legibus canonicus eccleſiæ Bituricenſis pro capitulo eccleſiæ ſuæ.

Eodem Petrus Aſtrolom procuratorio nomine pro Bernardo abbate monaſterii S. Tiberni Agatenſis dioeceſis, et * Matthæo abbate ſæcularis et collegiatæ eccleſiæ S. Affradidii Biterenſis.

Eodem ven. D. Aurelius Appovail baccalarius in decretis procuratorio nomine pro Joanne abbate monaſterii S. Martini Runctenenſis alias de Buſco ordinis S. Auguſtini Belvacenſis dioeceſis. Lab. *Ruricurtenſis*

Eodem Joannes Scabelli præpoſitus de Nonavileta ordinis S. Benedicti Scemonenſis dioeceſis pro *Sagmaldo* abbate monaſterii S. *Victoris* Virdunenſis ordinis S. Benedicti. Lab. *Reginaldo S. Vitoni*.

Die 8. Maii Joannes de Torrano cantor et canonicus eccleſiæ Metenſis pro capitulo eccleſiæ Tullenſis.

Die 9. maii magiſter Joannes Pargamenaeſen magiſter in artibus et in utroque jure licentiatus procuratorio nomine pro Theobaldo abbate monaſterii S. Albini Andegavenſis ordinis S. Benedicti:

Eodem Joannes de Tornato cantor, et Simon de Fraudi canonici eccleſiæ Metenſis procuratorio nomine pro Rodulpho epiſcopo Metenſi.

Eodem VV. viri DD. Joannes Conteti licentiatus in decretis canonicus Biſuntinus, et Joannes de Nemoribus ſecretarius D. cardinalis Salutiarum procuratorio nomine pro archiepiſcopo Biſuntino.

Eodem Gaufredus de Perufia conſiliarius regis Franciæ procuratorio nomine pro Petro abbate monaſterii S. Trinitatis de *Undecimo*. Lab. *de Vindocino*

Eodem ven. vir magiſter Nicolaus de Hubanto litterarum apoſtolicarum ſcriptor et abbreviator, canonicus eccleſiæ Nivernenſis procuratorio nomine pro Ruberto epiſcopo Nivernenſi.

Eodem Nicolaus Fraliam in utroque jure licentiatus, regis Franciæ conſiliarius, Pariſienſis et Matiſconienſis eccleſiarum canonicus nominatus in provincia Lugdunenſi procuratorio nomine pro capitulo eccleſiæ Lingonenſis.

Die 14. maii ven. vir magiſter Joannes Genteti in utroque jure licentiatus archidiaconus de Combrallia in eccleſia Lenonicenſi procuratorio nomine pro Hugone epiſcopo Lenonicenſi.

A Eodem Andreas abbas monaſterii *de Caſeder* ordinis S. Benedicti Claromontenſis dioeceſis, promotus per Gregorium XI. anno 1377. pro ſe et pro Enrico epiſcopo Claromontenſi. Lab. *Caſa Dei*.

Eodem Villelmus de Fontagiis archidiaconus Filimanti in eccleſia Claromontenſi magiſter in artibus et licentiatus in decretis pro capitulo Claromontenſi.

Die 16. maii D. Robertus Eſchan de Loſa decretorum doctor prior domus Colſimarium procuratorio nomine pro Raimundo abbate Cluniac.

Eodem Petrus de Monterato decanus eccleſiæ Lugdunenſis pro ſuo capitulo et pro Filiberto epiſcopo Cabilonenſi.

B Die 17. maii magiſter Joannes de Laca ordinis Prædicatorum in theologia magiſter nominatus per eccleſiam Gallicanam regens in ſcholis Albienſibus.

* Eodem Petrus abbas monaſterii S. Auguſtini Lemonicenſis ordinis S. Benedicti, promotus anno 1397.

Eodem VV. viri DD. Joannes Kempen præpoſitus eccleſiæ S. Bartholomæi Francfordienſis Moguntinæ dioeceſis, Philippus *Fluth* canonicus Moguntinus, Henricus *Heverfels* decretorum doctor præpoſitus eccleſiæ S. Victoris extra muros, Conradus *Ovels* decanus beatæ Mariæ ad gradus Moguntinenſes, *Veſt* præpoſitus Jetheburſis ut ambaſiatores Joannis archiepiſcopi Moguntini ſacri imperii electoris, et ejusdem per Germaniam archicancellarii. C Ita fere & Ug. Lab. *Praalt*. Lab & Ug. *Herenſell* Lab. *Cur*. Ug. *Ouro* Lab. *Veſſ*

Eodem Meſſiliaus abbas monaſterii Tuitienſis ordinis S. Benedicti Cracovienſis dioeceſis. Lab. *Cracienſis* Ug. Tuitiens

Eodem VV. viri DD. Henricus *de Croule* licentiatus in decretis canonicus ecclesiæ beatæ Mariæ in Yvodio conſiliarius et *Exceſelus* de Vealdrefinga paſtor in .... *Tevevenſis* dioeceſis capellanus, ambasiatores procuratorio nomine pro Carolo duce Lotharingiæ et Marchion. Lab. *de Tronle* Ug. *de Troule* Lab. & Ug. *Gerſeleus*

* Eodem nobilis vir Hemyngus de Valde miles procuratorio nomine et ambaſiator D. Bugguczlani ducis Stetinensis Pommerariæ Salvæ, Caſſuriæ principis Rayvarlt. D

* Die 18. maii Petrus abbas monaſterii de Turono pro ſe et pro Joanne archiepiſcopo Senonenſi.

* Eodem RR. viri fratres Joannes de Griffamone prior Vallis Viridis prope Pariſius, et Joannes Foelli Fontiſmerduæ Sueſſionenſis dioeceſis, F. Dominicus prior S. Bartholomæi prope Januam monaſterii ordinis Cartuſienſis pro ſe et nomine totius ordinis ac monaſteriorum in regno Franciæ et Delfinatus.

Die 19. maii Joannes de Goch præpoſitus eccleſiæ S. Sebaſtiani Magdeburgenſis, apoſtolicæ cameræ clericus, procuratorio nomine et ut ambaſiator Guntherii archiepiſcopi Magdeburgenſis et pro excelſis principibus Henrico et Gunthero fratribus comitibus de Suartzemburch, ſicut et pro VValtero epiſcopo Merſeburgenſi. E

* Eodem Georgius epiſcopus Laudemonenſis promotus anno 1398.

Die 20. Maii Petrus epiſc. Famaguſtanus promotus anno 1387.

Die

Die 22. maii Joannes de Montenigno electus per capitulum ecclesiæ Famaguſtanæ in epiſcopo ejusdem ecclesiæ.

Eodem Petrus tituli S. Praxedis S. R. E. presbyter cardinalis, Hiſpaniæ vulgariter nuncupatus commendatarius ecclesiæ Ozomenſis.

Eodem F. Villelmus de Brione præceptor præceptoriæ domus S. Antonii.

Die 24. maii V. P. ſacræ theologiæ magiſter D. Petrus de Vena generalis fratrum eremitarum S. Auguſtini una cum fratre Raymundo de Groſio.

Die 25. maii Julianus epiſcopus Morſitanus promotus anno 1380.

Eodem Leonardus adminiſtrator ecclesiæ Chienſis.

Die 26. Maii, Joannes epiſc. in univerſali eccleſia, VV. viri Franciſchinus Pantera & Andræas de Domomiculis in jure canonico licentiatus, ac ven. vir D. Odoricus in Micuſſii canonicus Civitatenſis pro Henrico de Sciaſeldo * electo Concordienſi.

Eodem Hugo patriarcha Jeruſalem, promotus a Bonifacio IX. pridie idus aprilis pontificatus anno 7. Chriſti 1396. indict. 4.

Die 27. maii R. P. D. Ventzlaus patriarcha Antiochenus, & Thuno epiſcopus Miſnenſis, & magnificus & excelſus D. Beneſinus Baro regni Bohemiæ regis Romanorum & Bohemiæ comparuerunt in dicto concilio. Item dicti ambaſſiatores præſentarunt literas dominorum cardinalium ex parte regis Hungariæ, quod propter nonnullas cauſas ambaſiatores ſuos ad hoc ſacrum concilium generale mittere non poterat; ſed quod frater ſuus rex Romanorum & Bohemiæ ſuos mittebat ſolemnes ambaſiatores, & quod ipſe a voluntate dicti fratris ſui deviare non intendebat.

Eodem D. Ventzlaus patriarcha Antiochenus promotus a Bonifacio IX. die 3. idus apr. pontificatus anno 8. Chriſti 1397. indict. 5.

* Eodem Timo epiſcopus Miſnenſis promotus a Bonifacio IX. die 3. nonas decemb. pontificatus 10. Chriſti 1398. Ind. 6.

Eodem Marcus epiſcopus Naulenſis promotus ab Innocentio VII. die 10. Kal. apr. pontificatus anno 2. Chriſti 1406. indiction. 13.

Eodem VV. viri DD. Laurentius Banchaneis (Bantonienſis) decretorum doctor, & Antonius præpoſitus conventus monaſterii S. . . . . de Mediolano ordinis Humiliatorum procuratorio nomine pro Nicolao præpoſito conventus omnium ſanctorum ordinis prædicti de Florentia.

Die 29. maii VV. viri D. Andræas de Bohemitalibenda ſacræ Theologiæ profeſſor, & Herobaldus Zolobold baccalarius in ſacra theologia artium magiſtri procuratorio nomine pro univerſitate ſtudii Pragenſis.

* Die 2. junii Franciſcus archiepiſcopus Zunicenſis promotus per Bonifacium X. 5. kal. decembris pontificatus anno 4. Chriſti 1394. indict. I.

* Eodem Guido abbas monaſterii S. Angeli de Vergareto ordinis S. Benedicti Suſenatenſis dioeceſis, promotus per Bonifacium IX. die 4. Kal. decemb. pontificatus II. Chriſti 1400. indict. 13.

* Eodem Thomas Dunelmenſis epiſc. promotus per Innocentium VII. die 12. maii pontificatus 2. Chriſti 1406.

* Die 3. junii Franciſcus epiſc. Burgarenſis promotus per Bonifacium IX. die 4. kal. novembris pontificatus anno II. Chriſti 1400.

Eodem Antonius abbas monaſterii S. Benedicti Wallabenſis Pergamenſis dioeceſis ordinis ejusdem, promotus per Gregorium XII. pontificatus anno 2. Chriſti 1408. ind. I. die 4. junii.

Eodem Zenobius monaſterii beatæ Mariæ diſcalceatorum de Florentia procuratorio nomine pro Michaele abbate S. Michaelis diſcalceatorum ordinis. . . . . . Piſanæ dioeceſis

Eodem Chriſtophorus abbas monaſterii S. Salvatoris de Spongia ordinis Valliſumbroſæ Ceracenſis dioeceſis.

Eodem Lucas abbas monaſterii de Saxo ordinis S. Benedicti.

Eodem Zenobius abbas monaſterii S. Caſſiani Montis Chalani ordinis Valliſumbroſæ.

Eodem Simon patriarcha Alexandrinus procuratorio nomine pro Geraldo epiſcopo Pictavenſi.

Eodem Joannes epiſcopus Umacienſis promotus anno 1406.

Eodem ven. vir magiſter Simon Gileti baccalarius in legibus canonicus Laudunenſis procuratorio nomine Bartholomæi epiſcopi Vintimilienſis & capituli ecclesiæ ejusdem; ſicut & Joannis epiſcopi Wirdunenſis ejuſque capituli; ſicut & Guidonis abbatis monaſterii beatæ Mariæ Orgiaſi ordinis S. Auguſtini Eduenſis dioeceſis.

Eodem Bernardus Alamannus licentiatus in decretis procuratorio nomine pro univerſitate ſtudii Montiſpeſſulani Magalenſis dioeceſis.

Die 4. junii ven. vir Petrus Buleren procuratorio nomine pro capitulo ecclesiæ Vivarienſis.

Die 5. junii ven. vir Stephanus Caprioli legum doctor canonicus ecclesiæ Lexonienſis pro Giraldo epiſcopo S. Flori ejuſque capitulo.

Die 6. junii Franciſcus epiſcopus Croenſis, & nobilis vir Fridericus de Poeus de Ruſſia procuratorio nomine pro Joanne archiep. Neapolitano.

Die 7. junii Antonius S. Mariæ Inviolatæ diaconus cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus, adminiſtrator archiepiſc. Talantogienſis; intravit civitatem Piſanam veniens ad ſacrum concilium.

* Eodem prædictus D. cardinalis & ven. vir D. Joannes de Belleforti legum doctor procuratorio nomine ut ambaſſiatores illuſtris & magnifici D. Comitis Sabaudiæ.

* Eodem Amadeus abbas monaſterii de Clauſa ordinis S. Benedicti Cammenſis dioeceſis.

* Die 13. junii Antonius de Beldmatt de Piſtorio legum doctor procuratorio nomine ut ambaſiator Nicolai marchionis Eſtenſis.

* Eodem Franciſcus epiſc. Milen. promotus a Bonifacio IX. die 6. idus octob. pontificatus an. 8.

Eo-

ANNO CHRISTI 1409.

Eodem Philibertus de Neylaca magnus magister ordinis S. Joannis Jerosolymitensis.

Eodem generalis ordinis Cruciferorum.

* Eodem Joannes episc. Montis Regalis in Pedemontium promotus per Bonifacium IX. die 3. augusti pontificatus anno 13. Christi 1400.

* Eodem Matthæus episc. Bertonensis promotus per Bonifacium IX. die 3. Kal. apr. pontificatus anno II. Christi 1400. indict. 13.

* Eodem Nicolaus episc. Mutinensis & Thomas de Birondelis decretorum doctor canonicus Ferrariensis, ac F. Petrus Monfre de Bononia procuratorio nomine pro * Petro episc. Ferrariensi.

Idem Thomas & Petrus pro clero civitatis, & dioecesis Ferrariensis.

Eodem dictus D. episc. procuratorio nomine pro episcopo S. Leonis (alibi S. Geminiani) * Idem episc. pro Bartholomæo abbate monasterii S. Petri Mutinensis.

Eodem VV. viri Joannes Hoborth legum doctor Cicestrensis, & Robertus Appillton Ebroycen ecclesiarum canonici pro * Niccolac episc. Batonensi & Villensi.

Eodem Joannes prior monasterii S. Fabiani Pratensis, & D. Stephanus de Prato clericus collegii DD. cardinalium procuratorio nomine pro * Jacobo abbate monast. A de Monteplano ordinis Vallisumbrosæ Pistoriensis dioecesis.

Eodem Joannes de Montani rector parochialis ecclesiæ S. Uldalrici extra muros novæ civitatis Salzburgensis diœcesis procuratorio nomine pro * Conrado episcopo Gurcensi.

Die 14. junii Giraldus presbyter de Buschnasco procuratorio nomine pro * Alvaro de Currio abbate monasterii Fructuariensis.

Eodem Fridericus Deys decretorum doctor & decanus Paderburnensis procuratorio nomine ut ambasiator illustris principis D. Joannis Menardi Palatini Carintiæ, & comitis Gontiæ, & Tirrolis.

B Eodem Joannoitus episc. Novariensis, & * Jacobus episc. Adriensis procuratorio nomine pro * Bartholomæo episcopo Cremonensi.

Eodem VV. viri DD. Galtherus Gratæ prior ecclesiæ hospitalis S. Joannis Jerosolymitanæ de Rodis, Petrus Holt tricoplejus Rodi, Joannes Jolvoth, Robertus Appelton, & Joannes Bruder procuratorio nomine pro Waltero Grendenti priore hospitalis S. Joannis Jerosolymitani in Anglia, Willelmo Hullers, R.cotido, Paulo, Willelmo Robe, Joanne Rilequid, & Thoma Tancelane militibus & confratribus dicti hospitalis.

EPISCOPUS NOVARIENSIS,

De Benedicto & Gregorio, in solemni Oratione, An. 1409. in Concilio Pisano dicta.

Ex MS. Erfurt.

Apud Harduum Conc. Constant. t. IV. p. 1308.

ECce, apparet ex his, patres et domini, quid hi olim pastores, militibus Christum crucifigentibus deteriores, fecerunt. Illi inconsutilem Christi tunicam recte ut dividerent sortiti in funiculo distributionis, fuere Christi imitatores. Ille fecit, quia pax nostra est, utraque unum: isti vero, ut Christi et ecclesiæ hostes, de uno fecerunt duo. Ille alias oves, quæ non ex suo primoerant ovili, adduxit, ut unum fieret ovile: isti autem per Christum adductas oves ad ovile unum, separant et dividunt, ut unitatem, quæ est in omnibus, auferant.

Ubi est apostolicum illud? Rom. XII. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Non norunt certe pastores olim isti corpus Christi, ex quo corpus Christi negligunt. Et si non negligunt, ubi quæso, in eis sacramentum pietatis? ubi vinculum charitatis? Accedant, incorporentur, inquit Augustinus super Johannem, ut vivificentur, non abhorreant a compage membrorum.

Sed quia non habitant unanimes in domo militantis ecclesiæ, veluti membra putrida a Christi corpore resecari meruerunt. Non enim pertinent ad totum Christi corpus, tanquam divisores inconsutilis tunicæ Christi et unitatis ecclesiæ. Ideo nec participes erunt Christi corporis, quod est ecclesia. Ceciderunt enim, qui operantur iniquitatem. Expulsi sunt, et non potuerunt stare etc. scribitur psalm. XXXV. Justa quidem *expulsio*, sancta condemnatio, recta et æqua contra eos per sanctam synodum lata sententia et in jure divino fundata, prout ex dicendis apparebit. Hos enim, et eorum tempus, ad D Timotheum III. scribens, apostolus prævidebat, dicens: *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, sine affectione, sine pace, sine benignitate, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

Sed oro, Patres et Domini, si virtutem habent pietatis, ubi ipsorum observatio promissorum? Ubi fides data? Ubi præstiti juramenti executio? Ubi voti adimpletio? Ubi ipsorum literæ, pro unione fienda liberam cessionem promittentes? Non enim legerunt cum consideratione: *Promitte, plenius, quam promiseris serva. Quid ridiculosius dicam, summo pontifice mendace?* Sub quo necesse est Petri naviculam, ne naufragium patiatur, et omnino illibatæ fidei opus, regi et gu- E bernari. Stabile prorsus ac solidum promissum esse debet, in quo fundata est tantorum spes et tranquillitas omnium fidelium populorum. Sed *qui decipiunt*, juxta sententiam Senecæ, *nihil habent solidum. Tenue est mendacium, perlucet, si diligenter inspexeris.* Digne igitur eos, Patres et Dom. juxta scripturæ præceptum condemnando, perdidit ecclesia. *Perdes enim*, inquit, *eos, qui loquuntur mendacium*, Psal. V. Reddit autem hujus perditionis rationem Augustinus dicens: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium; hoc est*, ve-

ANNO CHRISTI 1409.

veritati contrarium. Sed ne quis putet aliquam substantiam vel naturam veritati esse contrariam, intelligat, ad id, quod non est, pertinere mendacium, non ad id, quod est. Si enim dicitur, quod est, verum dicitur. Si autem hoc dicitur, quod non est, mendacium est. Ideo, inquit: Perdes eos qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo, quod est, ad id, quod non est, declinant.

Sed ubi olim horum Pontificum juramenti observatio? Nunquid non ipsi legerunt, *qui facit irritum juramentum, & solvit pactum, in medio Babylonis morietur?* Et infra: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam juramentum, quod sprevit, & foedus quod praevaricatus est, ponam in caput ejus, ut expandam super eum rete meum, & comprehendetur sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & judicabo eum ibi in praevaricatione quia despexit me:* scribitur *Ezech. XVII.*

Non enim patres et domini, olim, horum pontificum, illius populi Romani imperatoris Marci regula, fides. Qui ut *primo de* Civ. Dei, c. XV. refert Augustinus propter juris jurandi fidem nec remanere in patria elegit, nec inde quolibet ire; sed ad suos acerrimos inimicos redire voluit, a quibus novo ac prius inaudito nimium horribili supplicii genere cruciatus et extinctus est. Deos, per quos juraverat, certe sic ille coluit, ut etiam vita carere, quam ipsos offendere maluit. Nostri autem olim pontifices, postergato Dei honore ac salute Christianae religionis, elegerunt potius rumpere jurisjurandi fidem, quam fumum scintillae mundani et gemmati verticis, quam gloriam serici et purpurei tegminis, quam fastum, caduci honoris observantiam. Dilectores, inquit, hujus seculi putant: Parvi cordis, et segnis est animi terrenas opes spernere, honores aviduos fastidire, nec quaerere gloriam. Ubi laudatur peccator in desideriis animae suae: et iniqua gerunt: bene dicitur. Legant pariter et catholicam partem libelli *De vita solitaria*. Ubi ait, contemptus iste rerum temporalium, ad quae tendat, et qualia concupiscat. Nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenitur exactius, quae sanctissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam, quamvis potentem ac mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium ambiunt creatorem, cui appropinquare calescere est, quem timere gaudium est, cui servire regnare est.

Nec ultra mirum, si super pastores iratus est furor Domini, *Zach.X.* Ex quo vota impleri tardantur emissa; immo verius manifestissime recusantur, aperto contemtu divinae legis, dicentis: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardes reddere. Quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabit tibi in peccatum. Quod enim semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es,* scribitur *Deut. XXIII.* Tu ergo qui vovisti Papatui cedere, redde altissimo votum tuum.

Ecce ergo, patres & domini, monstrante experientia videtis, qualiter istorum olim pontificum promissa fides rumpitur, gemit decus honestatis, sacrum factum perditur, fugit valor firmitatis, emissum votum spernitur, cadit fervor bonitatis. *Corrupti sunt* igitur, inquit Psalmista *Psalm. XIII. & abominabiles facti sunt in studiis suis*, dum non unitatem Christi corporis, sed hoc seculum amant, cujus affectiones animam corrumpunt. Ambo declinaverunt simul, non est ex eis, qui faciat bonum. Ideo contritio & infelicitas in viis eorum. Imo illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Timuerunt regnum terrenum amittere, ubi non erat timor, & amittere certe regnum coelorum, quod certe timere debuerant. Cum enim temporalium amissionem timeant, ad aeterna non venient. Et regnum militantis ecclesiae, ne ipsa triste naufragium patiatur, jam justo Dei miserunt judicio.

Divina est enim sententia, per sanctam synodum lata. Legite Ezechielem, ubi haec Dei in forma sententia: *Veh pastoribus? qui pascebant semetipsos? nonne greges pascuntur a pastoribus! Lac comedebatis & lana operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod aegrotum non sanastis, quod fractum non alligastis, & quod abjectum erat non reduxistis, & quod perierat, non quaesivistis; sed cum austeritate imperabatis eis; & cum potentia, & dispersae sunt oves meae & factae sunt in devorationem omnium bestiarum. Propterea, pastores, audite verbum Domini: hoc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores. Requiram gregem meum de manu eorum, & non erit eis ultra in escam.* Et paulisper: *Suscitabo pastorem unum, & ipse pascet oves meas.* Scribitur haec divina sententia *Ezech.* XXXIII.

Habetis jam, reverendissimi Patres & Domini, huc usque monstratum, qualiter militans nostra mater ecclesia lustris sex jam peractis fuit pastore bino lacerata, tolerando grave jurgium, errore saevo tenebrata, deplorando grave scandalum, moerore diro fatigata, fugitando saevum jaculum.

Propter quae sancta synodus, quae debite congregata errare non potest, ut omnes unum corpus simus in domino, & servemus unitatem spiritus in vinculo pacis, ut non circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris, justo, vero, ac sancto judicio contra duos colludentes de papatu sententiam privationis utriusque tulit, ut sancta ecclesia, pastore unico & indubitato collecta, sit cunctorum gaudium.

SESSIO I.

Ex Mart. Vet Mon. to. VII. pag. 1078.

Sancta synodus propter celebritatem festivitatis hodiernae, quae fuit pretium redemptionis nostrae, & propter prolixitatem longae processionis, & ut omnes praesenti die ac nocte vacent & intendant devotioni & orationi, ut Deus per sui misericordiam perficere dignetur, quod in spe ejus gratiae feliciter inchoatur, ad laudem & gloriam sui nominis, pacem, reintegrationem & unitatem ecclesiae suae sanctae ordinat, quod prima sessio concilii generalis hic per Dei gratiam congregati, sit cras de mane die mar-

ANNO CHRISTI 1409.

tii XXVI. præsentis mensis martii in isto eodem loco in solis ortu, ita quod omnes convocati conveniant, & nomine dictæ sanctæ synodi, & omnium quorum interest peto, per omnes notarios hic assistentes fieri publica instrumenta, & sic ab omnibus notariis fieri petiit & rogavit.

Gregorius X. in generali concilio Lugdunensi.

Fideli & devota professione fatemur, &c.

Legitur in concilio Toletano XI. & habetur 5. q. c. *in loco* quod est ultimum.

In loco benedictionis &c.

Ut lectum & recitatum est, ut in generali concilio Lugdunensi continetur, tenet, & profitetur, & firmiter credit hoc sanctum & universale concilium, & omnia alia quæ de summa Trinitate & fide catholica, sacramentis ecclesiæ, & ecclesiæ unitate hactenus docuit & prædicavit, docet & prædicat sancta catholica ecclesia, firmiter tenens omnem hæreticum vel schismaticum cum diabolo & angelis ejus æterni ignis incendio participandum, nisi ante finem hujus vitæ catholicæ fuerit incorporatus & reintegratus ecclesiæ.

Sancta synodus ordinat, quod secunda sessio concilii generalis, hic per Dei gratiam congregati, fit cras de mane in solis ortu, videlicet die mercurii XXVII. præsentis mensis martii in isto eodem loco, ita quod omnes convocati conveniant.

SESSIO II.

Sancta synodus seu hoc sacrum generale concilium dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII. nominatum, & dominum Angelum Corrario Gregorium XII. nuncupatum de papatu contendentes, & quantum in eis est ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos & vocatos, & provocatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sanctum generale concilium, & omnia in eo agenda, non venientes seu legitime comparentes per se vel per alios, non termino statuto satisfacientes, licet expectati post terminum per duas sessiones, reputat, & decernit, & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & prætendit fore, ordinans sessionem aliam fieri die Lunæ post dominicam in Albis, quæ erit XV. dies futuri mensis Apr. ad quem diem ordinat præsens sanctum concilium dominum cardin. Tudertinum domino Gregorio adhærentem, & dominum Johannem Sabinensem episcopum, S. Adriani & S. Mariæ *in via lata* de Flisco & de Chalanco vulgariter nuncupatos S. R. E. cardinales Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore, cum intimatione, quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardin. non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedere eorum contumacia non obstante. Ordinat nihilominus præsentem ordinationem in valvis præsentis ecclesiæ cathedralis affigi publice, ne de præmissis valeant ignorantiam allegare.

Universis & singulis, sacra mandante synodo, tenore præsentium intimatur, quod hac die sabbati penultima hujus mensis martii in ecclesia cathedrali Pisana, celebrata devote & solemniter missa pro unione sacrosanctæ ecclesiæ ordinata, dictis in cantu litaniis & devotis orationibus, ac expletis aliis in talibus consuetis, auditis quidem propositionibus & petitionibus deputatorum advocatorum, & procuratorum sanctæ Romanæ ecclesiæ iniquis de papatu contendentium ausibus lacessitae, proh dolor! immo diutissime laceratæ, per quas recensito quod accusata contumacia infrascriptorum contendentium proxime lapsis in processu hujusce causæ descriptis terminis, petitum fuit eosdem contendentes, etiam & adhærentes eis cardinales, & alias ad hujusmodi concilium legitime vocatos reputari, decerni, & declarari contumaces; jam bis & nunc tertio prorogata seu continuata dies instat, in qua contendentes ipsi ac cardinales eis adhærentes & ceteri vocati comparere tenentur, accusataque tandem legitime hac ipsa die contumacia prædictorum, & petito eos contumaces reputari, decerni & declarari: ipsa sancta synodus seu sacrum generale concilium antedictum præfatis contendentibus & aliis legitime, ut ex processu constat, ad valvas ecclesiæ vocatis, & aliis servandis servatis, unanimi consensu & voto super prædictorum & aliorum contumacia, reputavit, decrevit & declaravit per organum reverendissimi in Christo Patris & domini domini G. episcopi Prænestini Pictavensis vulgariter nuncupati, sicut continetur in cedula, cujus tenor de verbo ad verbum est talis: Sancta synodus, &c. ideo ut si prælegitur seriose. Super quibus quidem reputatione, decreto & declaratione præfatæ hujusce ecclesiæ deputati petiverunt fieri unum vel plura publica instrumenta in processu hujusmodi causæ reaggravanda. Datum ubi & diebus quibus supra, anno a Nativitate Domini MCCCCIX. ind. II. Guidon

SESSIO III.

Sancta & universalis synodus auditis, intellectis, & consideratis omnibus & singulis supradictis, & quolibet tempore volens mature atque cum gravitate procedere, & eo attento potissime, quia fide digne relatione perceperat aliquos dominos cardinales, & quamplures valentes prælatos, ac nonnullorum prælatorum procuratores & nuncios in itinere esse ad ipsum sacrum concilium venientes, & Pisas infra nonnullos dies applicare debere, cum quibus considerabat agenda omnia laudabilius & consultius processura, præsentem sessionem hodiernam usque ad diem XXIV. præsentis mensis aprilis prorogavit, & continuare statuit & decrevit, ordinans hujusmodi continuativam prorogationem per cedulam in modum edicti ad valvas hujus ecclesiæ cathedralis Pisanæ affigi debere, ne de ipsa prorogatione contendentes prædicti & quatuor car-

cardinales supra nominati, valeant quomodolibet ignorantiam allegare.

Universis & singulis, sacra mandante synodo, tenore præsentium intimatur, quod in ecclesia Pisana eadem synodo seu sacro concilio Pisano congregato, cantata per dominum Bartholomæum episcopum Aletiensem missa beatæ Mariæ Virginis, dictis Litaniis in cantu, & aliis servandis servatis, hac die lunæ de mane XV. hujus mensis aprilis, quo pendebat terminus ad procedendum ad ulteriora contra Angelum Corrario Gregorium, & contra Petrum de Luna Benedictum nuncupatos, de papatu perperam contendentes, ad quam etiam dominos Tudertinum, Angelo, & Auxitanum, de Flisco & de Chalanco cardinales Petro de Luna contendentibus prædictis adhærentes expectandos, in ultima sessione decretum fuit, post auditos ambassiatores seu nuncios illustris domini Ruperti in regem Romanorum electi, præcipue facta per dominum advocatum & procuratores, seu promotores deputatos petitione, de novo contra Angelum & Petrum contendentes declaratos contumaces in præsenti decerni & declarari, quorum dictorum contendentium per se vel per alium comparentium, seu huic termino & sessioni non satisfacientium prius contumacia extitit accusata; eadem sancta synodus volens continuo non per rigorem, sed cum debita mansuetudine procedere maxima, quia relatione fide digna accepit aliquos dominos cardinales & plures valentes privatos esse in via ad hanc sacram synodum venientes, sessionem præsentis XV. diei & actum seu actus ad ipsam diem pendentes contra contendentes & eis adhærentes præfatos usque ad XXIV. diem ejusdem mensis continuantem prorogavit, ordinans atque mandans præsentem continuationem & prorogationem in valvis ejusdem ecclesiæ Pisanæ per præsens publicum edictum affigi, ne de hujusmodi prorogatione contendentes & eis adhærentes prædicti possint quomodolibet ignorantiam allegare, cum intimatione quod si in dicta XXIV. die non comparuerint, nihilominus procedetur ad ulteriora, prout præfatæ sanctæ synodo isti videbitur, eorum seu cujuslibet eorum contumacia non obstante. Datum Pisis, die prædicta lunæ XV. apr. II. indictione, anno nativitatis Domini MCCCCIX.

SESSIO IV.

Lunæ XV. aprilis, ad quam diem continuatum fuerat concilium in ultima sessione præcedente, fuit concilium de mane congregatum in ecclesia metropolitana civitatis Pisanæ, ubi primo devote fuit missa de beata Virgine solemniter celebrata in plano cantu per quemdam episcopum, dominis cardinalibus & aliis prælatis ibidem existentibus, & sedentibus in sedes sibi assignatas secundum tempus ordinationis eorundem: ita tamen quod domini cardinales erant & sedebant in uno scanno quasi præsidentes, & habentes dorsum ad altare, vultus autem ad episcopos & alios coram eis assistentes. Omnibus etiam missa durante indutis suis vestibus & cappis communibus. Qua missa celebrata per illum episcopum cum mitra aurifrigiata & sine pastorali baculo, nulla etiam benedictione facta solemni, sed ea sola quam simplex sacerdos facere consuevit in fine Missæ. Tunc omnes cardinales & alii prælati exuerunt suum habitum & se induerunt cappis sericis seu pluvialibus cum singulis mitris, scilicet albis & simplicibus.

Postmodum statim incoepit cantor quidam istam antiphonam: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine;* cum psalmo & *Gloria Patri*, secuta statim oratione per unum cardinalium dicta. Deinde dixit diaconus; *Orate*; quo dicto, omnes prostrati oraverunt sub silentio quasi per spatium dicendi psalmum *Miserere mei Deus*. Oratione facta; prædictus cardinalis elegit cum cantu quandam orationem, scilicet istam: *Deus, qui diversitatem gentium in tui nominis confessione adunasti, da ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium, & pietas actionum. Per Dominum.* Subsequenter dicta prostratione durante decantata fuit Litania, in qua multæ fiunt preces & rogationes speciales materiam præsentem tangentes respicientes ut sic: *ut ecclesiam tuam sanctam & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione Christiana regere, dirigere, & sanctificare digneris, te rogamus, &c.* item, *ut omnes inimicos ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus, &c. ut hanc sanctam synodum dirigere, &c.* Finita autem letania prædictus dominus cardinalis dicit orationes propter hoc specialiter factas. Quibus finitis, clamat diaconus: *erigite vos;* & statim alius diaconus cardinalis legit evangelium indutus tunica. Quo dicto, iterum sequitur quædam oratio per primum cardinalem dicenda. His vero peractis, præceptum fuit ut omnes exirent, præter eos qui poterant & debebant ibidem interesse, quod fuit executioni demandatum.

Deinde quidam nominatus magister Conradus de Susato petiit audientiam, ut in præsentia concilii proponeretur intentio domini Ruperti regis Romanorum, quam habebat ad unionem sanctæ Dei ecclesiæ. Cujus petitione audita, domini cardinales quasi præsidentes ibidem, ut supra præmisi, miserunt notarios ad singulas sedes aliorum prælatorum & procuratorum, ad petendum sua vota super audientia prædicta concedenda vel deneganda, in qua concedenda omnes consenserunt; & sic eis concessa fuit. Tunc non ille magister Conradus, sed dominus episcopus Berdensis collega prædicti Conradi ascendit cathedram ubi fecit quandam arengam assumens thema: *Pax vobis.* Quo aliquantulum deducto, dixit se esse missos ad concilium præsens pro parte serenissimi & illustrissimi principis Ruperti regis Romanorum semper Augusti, &c. Et deinde præmissis quibusdam protestationibus et excusationibus, dixit: intendo difficultare & impugnare acta & agenda in dicto concilio; plura dubia quasi objective & quæstiones proposuit, requirendo finaliter mutationem loci dicti concilii & multa alia, de quibus constare plenius potest per tenorem & copiam dictorum præpositorum.

Hac igitur propositione sic facta, domini cardinales præsidentes per organum domini cardinalis Prænestrini dixerunt præfatis dominis ambaxiatoribus, quod se retraherent, & concilium super sua requisitione deliberaret. Quo facto, concilium deliberavit, & eisdem respondit, quod mandatum, si quod a rege Ruperto haberent super præmissis proponendis, exhiberent, & quod suas petitiones, dubia, ac quæstiones ac proposita in scriptis traderent, ut plenius super eisdem possit eisdem satisfieri, & plenius valerent informari & dominus eorumdem. Et licet hujusmodi responsionem prima facie non acceptarent præfati nuncii, sed potius recusarent tradere & procuratorium & ipsa dubia sive objecta: tandem rationibus convicti, præmissa tradere consenserunt & promiserunt. Et tunc dictum fuit, quod in prima futura sessione dicti concilii responderetur, & satisfieret eorum dubiis & quæstionibus per eum propositis. Et ulterius fuit ordinatum, quod de singulis provinciis aliqui deputarentur ad videndum ipsa dubia. Et similiter domini cardinales aliquos ex eis ad hoc deputarent, qui haberent conferre, & deliberatione facta, providere de condecenti responsione prædictis nunciis facienda.

Hoc sic concluso, statim generalis advocatus concilii pro & nomine procuratoris & promotoris cum concilio deputati publice requisivit, quod duo contendentes, & cardinales eisdem adhærentes numero quatuor, quorum tres domino Benedicto, scilicet de Chalanco, de Flisco & Auxitanus, & Gregorio unus adhærent, evocarentur in valvis ecclesiæ compariturі in hoc sacro concilio, &c. Cum debite citati & vocati fuissent, accusando eorum contumaciam, nisi legitime per se vel procuratores idoneos comparerent. Qua requisitione facta, duo cardinales vel tres vel quatuor archiepiscopi & episcopi una cum notariis, ut testibus, venerunt ad valvas ecclesiæ, & inde postmodum reversi, retulerunt quod solemniter & debite vocaverant prædictos, de quibus & pro quibus nullus comparuit. Et tunc ad promotoris instantiam reputati sunt contumaces per concilium. Postmodum per eum de dominis cardinalibus dictum fuit, quod plures erant prælati & domini ac viri solemnes ad concilium venturi, quorum præsentia erat concilio profutura; & ideo si videbitur expedire, dies sessionis concilii continuaretur & prorogaretur usque ad XXIV. dicti mensis aprilis, & interim legerentur proposita nunciorum dicti regis Ruperti, & ordinaretur de responsione eadem die facienda, ut est dictum. Et sic fuit ordinatum & conclusum de consensu in concilio assistentium.

SESSIO V.

Mercurii XXIV. mensis Aprilis fuit quinta sessio concilii generalis in ecclesia majori, ubi celebrata primo missa solemniter de Angelis per quemdam episcopum modo supra præmisso in proxima præcedenti sessione, et aliis solemnitatibus præmissis, vocati fuerunt duo contendentes, sed non cardinales eis adhærentes, scilicet in valvis ecclesiæ eo modo quo supra præmissum est; & quia nullus ex eis vel pro eis comparuit, accusata et adjudicata eorum contumacia extitit, promotore instante. Et postmodum licet ordinatum fuisset in proxima præcedenti sessione, quod nunciis regis Ruperti super dubiis suis et eorum propositis hodie responderetur; quia tunc præcedente tempore de Pisa hospite insalutato recesserant, dimissa per eos quadam appellatione clam et occulte; præfatis eorum dubiis hac die responsum non extitit; et etiam quia factis duorum contendentium visis et auditis, responsio clarior poterat ad prædicta dubia haberi. Igitur hac die pro fundanda hujus sacri concilii intentione, lecta fuit quædam prolixa scriptura per modum libelli et articulorum contra ipsos contendentes, facta eorum continens, et publice propositæ conclusiones, ad quas tendit promotor hujus concilii inferendo. Et insuper quamvis facta in dicta scriptura contenta et narrata dicerentur esse notoria, nihilominus ad majorem eorum purificationem advisatum fuit fore expediens, quod procederetur ad eorum probationes; ad quas recipiendas eligerentur aliqui notabiles viri per nationes, vel provincias, prout videbitur expedire. Quibus peractis, continuata fuit sessio ad diem Lunæ inde proxime sequentem.

SESSIO VI.

Martis XXX. et ultima die mensis aprilis fuit sexta sessio sanctæ synodi universalis in ecclesia Pisana, in qua supervenerunt plures Anglici episcopi, abbates, doctores, & alii cum magna comitiva sæcularium dum missa cantaretur. Qua celebrata, et aliis solemnitatibus solitis adimpletis, primus dictorum Anglorum in ordine; scilicet Salisberiensis, statim cathedram ascendit, incipiens sermonem suum per hoc thema: *Justitia & judicium præparatio sedis ejus*. Quod quidem thema deduxit prolixe, inducendo concilium et prælatos ad insequendum voluntatem divinam, et non propriam vel humanam: et ut omnem carnalem affectionem et appetitum dominandi abiicerent, sensus suos subiicientes rationi ac dispositioni divinæ; quatenus omni semota carnali affectione, odio, favore, timore et amore, studerent providere ecclesiæ et sedi apostolicæ de pastore, qui in vera caritate vellet Christum sequi et utilitati subditorum intendere. Finaliter completa propositione dixit per „ hæc verba: R. Patres & domini, ex parte serenissimi & illustrissimi principis regis Angliæ &c. dominorum prælatorum „ & cleri totius regni venimus ad concilium, cum bona et sufficienti ac necessaria potestate faciendi et consentiendi ea, „ quæ per hoc sanctum concilium vel majorem ac saniorem partem ipsis videbuntur facienda; nosque offerimus facturos „ quicquid pro bono & utilitate ecclesiæ poterimus. Postmodum supplicavit concilio, quod vellent regratiari domino patriarchæ & aliis de regno Franciæ, specialiter autem domino gubernatori Januæ, & universitatis Pa-

Parisiensis studii de gratiis, libertatibus & donis & aliis venientibus ad dictum concilium, ob ipsius concilii reverentiam & favorem multipliciter factis & impensis.

Hoc facto, quia propositio dicti domini episcopi Salisberiensis longa fuit, nihil de principali processu actum fuit nec extitit, præter hoc quod illico ascendit cathedram advocatus fiscalis, ubi proposuit, quod licet in proxima sessione præcedenti deliberatum fuisset, hac die nominari deberi nomina dominorum commissariorum electorum ad recipiendum testes, litteras, instrumenta, &c. causam contra dictos contendentes tangentia; tamen quia pluries viri solemnes, inter quos nominant Anglicos & nuncios electorum imperii tam sæculares & ecclesiasticos nondum propter tardum eorum adventum potuerunt super hoc deliberare & debite informari potuisse. Ideo quia eadem die dicta nominatio non poterat expediri, petiit continuationem hujus diei fiendam, si placeret concilio, usque ad diem sabbati sequentis, quæ erit IV. mensis Maii. Subjungens insuper quod tam episcopus Verdensis pro se & suis complicibus alias publice in concilio, prout supra tactum est, proposuisset multa adinventa falsa, scandalosa, & injuriosa, quæ non credebantur procedere de mente & conscientia regis Ruperti, in regem Romanorum, ut dicebat, secundo electi, cujus oratores se esse dicebant. Ad quæ quidem proposita hodie foret respondendum per ordinationem concilii, prout eisdem oratoribus fuerat oblatum; quia cum de synodo sancta absque licentia recesserant, poenas juris incurrendo, de quarum prosecutione protestatus est, ordinatum fuit, quod responsio hodie fienda ad illa talia qualia dubia differretur in primam futuram sessionem, petita prius per singulos eorum super hoc deliberatione. In hac sessione concilii generalis comparuit dominus patriarcha, in qua præsedit sedens in medio duorum antiquorum cardinalium, non tamen Missa durante, quia tunc sedit post dominum camerarium, Narbonensem archiepiscopum, sed statim missa dicta, & indutus pluviali & mitra alba transivit ad locum præsidentis.

SESSIO VII.

Sabbati IV. mensis maii fuit septima sessio sacri concilii universalis in loco solito, ubi primo missa de S. Spiritu per quemdam episcopum celebrata, & aliis solemnitatibus synodi factis, prout supra in IV. sessione dictum est, quidam solemnis doctor de studio Bononiensi, Petrus de Ancorano vocatus, ascendit pulpitum dictæ ecclesiæ, quod est quasi in medio ejusdem, & ibidem proposuit responsiones ad quæstiones & dubia per ambassiatores regis Ruperti superius nominati alias motas & factas, omnibus præsentibus qui voluerunt interesse, nemine rejecto, improbando primo factum ipsorum nunciorum seu oratorum, & ostendendo quod dicta dubia moveri non debuerant. Secundo repetiit succincte effectum dictorum dubiorum, quasi ea summando. Tertio fundavit intentionem concilii ex adverso. Quarto, respondit ad dictas quæstiones & eorum rationes.

A Deinde per advocatum fiscalem petitum fuit, quod nominarentur qui audituri & recepturi erant testes, instrumenta, probationes &c. super factis contra dictos dominos contendentes propositis in præcedenti sessione, & ipsorum factorum notorietate, prout alias per concilium fuerat appunctuatum; qui tunc nominati fuerunt, & cum eisdem ad petitionem dominorum cardinalium duo ex eis fuerunt nominati, qui de consensu concilii in dicta receptione interessent. Quibus omnibus sic nominatis per concilium de omnium consensu concessa fuit eisdem commissio ad præmissa faciendum. Postmodum dictum fuit, quod si videretur expedire, & placeret

B concilio, mitterentur aliqui ad Ladislaum, regem Siciliæ ab aliquibus nuncupatum, petituri ut huic concilio nullum præstaret impedimentum, sed faveret, &c. Super quo tunc nihil extitit deliberatum, nec conclusum. Sed continuata fuit dies hujusmodi concilii ad diem veneris proximam sequentem, quæ erat decima dies dicti mensis maii, et interim reciperentur probationes.

SESSIO VIII.

Die veneris decima mensis maii fuit octava sessio in loco et hora solitis, ubi missa solemniter celebrata, &c. advocatus fiscalis

C una cum promotore, &c. nomine dicti procuratoris petiit & requisivit unionem duorum collegiorum rite, juste & canonice fuisse et esse factam pro bono tam pii negotii, sicque decrevit declarari, appropriari et pronuntiari per sanctam synodum. Secundo, petiit convocationem hujus concilii per dominos cardinales utriusque collegii factam fuisse rite, juste, canonice et legitime, loco ac tempore competenti, habili, tuto, libero, et idoneo, et securo, ac convenienti; et sic decretum pronunciari et approbari. Tertio, quod ipsa sancta synodus decernat, declaret, et pronunciet hanc sanctam synodum esse generale, et universale concilium,

D repræsentans universalem ecclesiam catholicam, sibique competere tamquam ad unicum judicem superiorem in terris cognitionem, decisionem, et omnimodam determinationem hujus causæ contra istos duos de papatu contendentes, et, ut dicitur, colludentes, cum omnibus pertinentibus, emergentibus, incidentibus et connexis et eam tangentibus. Quarto, quod cum terminus datus ad producendum, recipiendum et examinandum testes fuisset nimis brevis, maxime cum infra eundem terminum inciderint tria festa, scilicet dominica, festum B. Johannis apostoli, et apparitio B. Michaelis, quatenus daretur alius terminus ad hoc faciendum

E competens et idoneus. Hoc dicto, subjunxit dictus advocatus, quod si hæc concilio placerent, hoc exprimerent: ad quod multi alta voce statim responderunt: *Placet*. Nihilominus postea per notarios, testibus eisdem assistentibus, et etiam per alios ad hæc deputatos sigillatim inquisita fuerunt vota singulorum super præmissis: et repertum fuit omnes in præmissis consentire, paucis exceptis, videlicet tribus aut quatuor.

De-

Deinde hac inquisitione facta et relata, quidam doctor de jussu &c. ascendit pulpitum, qui nomine quo supra petiit, requisivit & postulavit, quod dicta sancta synodus decerneret, pronunciaret & declararet licuisse, potuisse & debuisse se substrahere ab obedientia dictorum contendentium a tempore quo desierunt prosequi unionem ecclesiæ per viam mutuæ cessionis, juxta præceptum Domini per prophetam dicentis: *Recedite a tabernaculo impiorum, ne simul involvamini in peccatis eorum. &c.* Et subjunxit, quod si concilio placeret, hoc dicerent: quo dicto, responsum fuit alta voce per conjunctam multitudinem, *Placet, Placet*. Dicunt tamen aliqui, quod super isto fuit contradictio quorumdam cardinalium, inter quos audivi nominare Penestrinum. His peractis, dominus patriarcha tunc præsidens, & sedens in medio dominorum cardinalium, surrexit de sede sua, et tunc ascendit pulpitum, assistenteque domino episcopo Salisberiensi, qui primus est inter Anglicos, coepit idem patriarcha legere cedulam continentem in effectu decretum, declarationem, pronunciationem et approbationem ex parte sanctæ synodi factam de omnibus et singulis per promotorem et advocatum petitis, assignando terminum ad octavam diem sequentem, quæ erit XVII. maii, ad producendum, et examinandum, et recipiendum dictos testes; et alias ad procedendum, prout juris esset, continuata fuit sessio concilii proximo futura. Pronunciatio autem talis est.

„ Sancta synodus, habita plena et matura deliberatione, decernit, pronunciat, et declarat unionem et conjunctionem factam de duobus collegiis dominorum S. R. E. cardinalium fuisse et esse legitimam et canonicam, ipsamque sua auctoritate roborat, approbat, et confirmat pro bono tam sancti et pii negotii, ac evidenti et eminenti necessitate universalis ecclesiæ catholicæ, extirpationis schismatis, ac unionis et reintegrationis ipsius ecclesiæ, et etiam hanc sanctam synodum per dominos cardinales utriusque collegii ad tantum bonum simul unitos et congregatos tempore congruo, et in loco tuto et habili et idoneo, securo, et libero, rite, debite et canonice convocatam. Declarat insuper, pronunciat et decernit per Dei gratiam hic esse generale concilium repræsentativum totius universalis catholicæ ecclesiæ, rite, juste et rationabiliter fundatum et congregatum; et ad hoc generale concilium, tamquam ad unicum superiorem et judicem in terris pertinere hujus causæ et omnium propositorum contra dominos Benedictum et Gregorium nominatos contendentes, seu, ut asseritur, colludentes de papatu, cognitionem, examinationem, decisionem, et omnimodam determinationem, ac omnium et singulorum ad dictam causam pertinentium, quoquomodo dependentium, incidentium seu emergentium ex præmissis. Item, sancta synodus, habita matura et plena deliberatione ex causis præmissis, pro secunda dilatione ad producendos testes statuit terminum ab hodie ad octo dies, quæ erit XVII. mensis maii, et ad illum diem assignat proximam sessionem.

PRÆMONITIO COLLECTORIS.

IN SEQUENTEM LUCUBRATIONEM

Robertus ex Bavariæ duce ad regnum Romanorum, & ad imperium assumptus Gregorio XII. contra ejus æmulum Benedictum XIII. favebat impense. Dum vero sub ipso electionis ejus tempore accidisset secessio illa cardinalium ab utroque pontifice, & ex illa Pisanum concilium convenisset, ex qua coitione mala sibi omnia utriusque factionis capita metuerent, Robertus legatum suum pro Gregorio ad concilium destinavit Verdensem episcopum, postulaturum ut concilium dissolveretur, statimque aliud ab ipso Gregorio indicendum in locum aptum spondendo, ubi gravis illa controversia rite discuteretur. Neque enim rite adeoque, & felici eventu absolvi pacem illam posse contendebat in eo concilio, quod non legitima authoritas convocasset. Mandata regis exposuit legatus, prius quidem pro concione apud Patres, tum oratione ipsa in scriptis redacta, quam concilio petenti exhibuit. Ejusdem concilii nomine Petrus Ancharanus, jurisconsultorum ætate sua facile princeps, respondere jussus est. Id præstitit primo brevi oratione viva voce; dein cum fusiorem responsionem pararet de scripto, legati illi nihil se impetraturos intelligentes, clam inconsultis omnibus abierunt. Nihilo tamen secius Ancharanus coepto operi institit, tandemque in sessione concilii VII. scriptum suum scripto legatorum oppositum dedit. Extat apud Labbeum scheda illa quam Ruperti regis legati exhibuerunt; & cum Dacherius in codice MS. unde accepit schedam ipsam, dein a Labbeo in suam collectionem translatam, ad singula legatorum dubia breves responsiones adscriptas nactus fuisset, has pariter & Labbeus retulit, persuasus totam se Ancharani lucubrationem repræsentare. Id vero passim omnibus dein literatis viris creditum est. Nec aliter ego opinatus fuissem absque ope Felinianorum codicum bibliothecæ majoris ecclesiæ Lucanæ quorum sæpe alias commemini. In uno enim ex his codicibus integram Ancharani lucubrationem nactus sum, plane diversam a brevibus illis adnotationibus a Dacherio vulgatis. Est autem scriptum illud nostrum ab ipso Ancharano subscriptione signatum, ne quid de sinceritate dubites.

RESPONSIO IN EODEM SACRO CONCILIO

Per Petrum de Ancharano facta omnia exprobrando quæ dixit episcopus Verdensis.

Reverendissimi metuendique Patres prælatique venerabiles ac illustres principes, regum, ducum ac prælatorum omnium reverendi ac magnifici oratores, eximiique doctores. Auditis & intellectis quæ exposita & nar-

& narrata fuerunt in hac sancta synodo, & sacro generali concilio per reverendum in Christo patrem & dominum Verdensem specialiter una cum aliis egregiis oratoribus ad hanc sanctam synodum destinatum per inclytum & illustrem principem D. Robertum Dei gratia in Romanorum regem electum; mandatum mihi extitit, & injunctum per honorabiles promotores super inquisitionis officio per eamdem sanctam synodum deputatos, ut super dubiis, & quæsitis per eosdem eximios oratores deberem singulariter respondere. Hujusmodi autem jussioni, si negotii gravitatem intueor, respondebo, quod domino Hieremiam respondisse legitur *A, A, A, Domine, nescio loqui, quia puer ego sum*. Si vero zelum catholicæ ecclesiæ, & ipsius sanctissimæ unionis ac proximorum salutem, imitabor ipsius vestigia, qui omnipotenti Domino quærenti quem mitteret ad prædicandum, respondit: *mitte me*. Quod ergo unus expavit &c. Hac igitur divini numinis invocatione præmissa, descendo confidentius ad principale propositum, in cujus quidem prosequutione, quia, teste canone, ordo verborum designat ordinem intellectus, de cons. d. 2. *In Christo pater*, hunc ordinem retinebo. Primo namque, dubia & quæsita proposita coram ista sanctissima synodo per præfatos eximios oratores breviter reassumam. Secundo, antequam ad solutionem descendam, aliqua subiiciam, ex quibus apparebit eorum dubia & quæsita minus provide, & consulte fuisse proposita & deducta. Tertio, aliqua evidentialia præmittam, ex quibus clarior & lucidior apparebit solutio dubiorum prædictorum. Quarto, dicta dubia & quæsita solvam, ipsas solutiones sacris canonibus, legibus, & orationibus confirmando. Quinto & ultimo, breviter ex prædictis concludam, ex cujus conclusione apparebit, & elicietur responsio ad id, quod ultimo ponitur per præfatos eximios oratores. Quibus quinque membris explicitis, ero de præsenti actu, quam brevius potero, expeditus. Quæ si oratio, etsi longior fuerit, cum magnitudine utilitatis compensabitur; & ita fortasse brevis videbitur, ut ait Tullius lib. 2. de officiis.

Redeo igitur ad primum membrum, videlicet, ut reassumam dicta et quæsita dictorum venerabilium oratorum, et si bene considero licet sint multa, tamen ad quatuor principaliter (reducuntur) quorum primum respicit nullitatem subtractionis obedientiæ, & exhortationis populorum ad ipsam subtractionem Gregorii faciendam. Secundum respicit nullitatem convocationis hujus sacri concilii propter plura inferius referenda. Tertio respicit nullitatem requisitionis Gregorii ad præfatum concilium, ad quod venire minime teneatur propter aliqua inferius adnotanda; & istud tertium explicabo simul cum secundo proximo, de quo supra. Quartum & ultimum respicit nullitatem, & quodammodo impossibilem unionem & mixturam dom. cardin. utriusque collegii, per rationes & jura inferius recitanda.

Ista sunt quatuor principalia dubia quorum quodlibet habet sub se plura dubia accessoria, prout infra patebit. Et antequam ad ipsorum solutionem descendam capio secundum membrum, quod fuit ut quædam subiiciam, ex quibus apparebit dictorum venerandorum oratorum dubia & quæsita prædicta minus provide, & consulte fuisse proposita. Nam dico quod quærere, & movere prædicta dubia in hoc sacro concilio, & de ipsis velle inquirere non spectet ad prædictum illustrem dominum, vel alios dominos temporales; constat enim hanc esse causam fidei propter dubium de papatu, & schisma antiquatum, & ista causa est ad sacrum concilium deferenda, & in eo de juris dubiis inquirendum, discutiendum, & finaliter terminandum, No. 29. d. *si duo*. In istis ergo rebus spiritualibus quod juris sit non debet se præfatus dominus, vel alius dominus temporalis se intromittere, etiam imperator; sed definita in sacro concilio pia devotione suscipere, & tueri, LXXXXVI. d. *cum ad verum*, & X. d. *certum*, ubi textus ad literam ita clare dicit: *certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius Dei constitutionem regium voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum præsules potius discere, quam docere, ecclesiæ formam sequi, non huic humaniter subsequendo jura præficere, neque ejus sanctionibus velle dominari, quibus Deus voluit clementiæ tuæ piæ devotionis colla submittere, ne dum mensura coelestis dispensationis excluditur, eatur in contumeliam disponentis*. Et hæc sanctissimus imperator Justinianus protestatur se nolle de istis rebus spiritualibus, & fidei aliquid diffinire; sed ad sanctam sedem apostolicam etiamsi indubitata sint referre. Epistola *inter claras* C. de sacrosanctis Ecclesiis facit *cum ad verum* XCVI. d. & ca. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* de constit. Hoc etiam patet in fine concilii Chalcedonensis, ubi Imperator Justinianus (Marcianus) sacro concilio reliquit dubiorum decisionem; ipsi vero eorum quæ decisa sunt susceperunt tuitionem, & protectionem, ut in ultimo membro tangam.

Præterea in hac causa fidei solum agitur in ista sancta synodo ut hæc duo capita, velut monstrum in eodem corpore deleantur, & unicus & indubitatus pastor in ecclesia habeatur. Constat hoc fore non solum utile, sed summe necessarium & expediens, & in hoc convenire consensum prælatorum, & principum fere omnium Alemanniæ. Quo pro vero præsupposito, consequenter infertur quod dictus dominus novus electus injuste se opponit bono principio, & majori parti; ideo non audiendus cap. I. de his, quæ fiunt a mai. par. cap. Et confirmatur hoc, quia movere talia dubia in hac sancta synodo nihil aliud est, quam schisma defendere; cum sublata hac via concilii, vel in longum protracta, ut quærunt dicti domini oratores, ecclesia Dei in hoc schismate perpetuo remanebit, non absque sigillatione illustris principis contra bonum publicum renitentis. Ex quo facto, quam immane quidem crimen incurreret in conspectu Dei, & juxta divinas, & humanas leges quod præsumeret, vestris sententiis notum esse non dubito. Postremo, si motiva & rationes, quas

ANNO CHRISTI 1409.

quas adducunt oratores prædicti diligenter conſiderentur, omnes ad defenſiones Gregorii tendunt ad impugnationem hujus ſacri concilii; quod autem de papatu D. Benedicti penitus nihil dicunt, & tamen conſtat quod eo in eodem propoſito non concurrente, unitatem, & pacem in univerſali eccleſia obtineri non poſſit. Procurare igitur concordiam cum uno, non cum altero, non eſt quærere unitatem, ſed perplexitatem & prolixitatem; maxime cum in una allegatione ſua videantur firmare Gregorium, non tamen ad renuntiandum ſi non renuntiat dominus Benedictus; cum tamen contrarium eſt de jure dicendum. Item, cum nulla ſit ſpes quæ appareat de ceſſione domini Benedicti, imo ex præteritis præſumendum ſit in ſuo propoſito perdurare, cap. *majores* in fin. de baptiſmo; reſpondeant mihi, quæſo, iſti domini oratores, quare debeat ſacrum concilium incipere nunc tractatum concordiæ non veroſimiliter ſequuturum? Certe dicit lex quod fruſtra conteritur tempus ubi nullus boni operis expectatur eventus, ff. ad vel. l. *aliquando*. Immo veroſimilius præſumendum foret, quod diutius ſic manendo, infecto negotio diſſolutio concilii ſequi poſſet per tedium moræ, incommoda expenſarum, & imminentia guerrarum pericula quæ videmus. Ultimo conſtat præfato sereniſſimo principi, omnium regum, prælatorum, principum & populorum animos inclinatos ad iſtam ſacratiſſimam unionem. Conſtat ſimiliter eidem, præfatos reges, principes, populos, & doctores inſuper in toto orbe famoſos, & magnæ ſcientiæ & conſcientiæ viros, colluſionem ipſorum dominorum contendentium deteſtatos, & contra eos tamquam contra antiquitati ſchiſmatis nutritores compoſuiſſe ſolemnes tractatus et opuſcula. Curiales etiam, qui omnes bonæ conſcientiæ, et magnæ ſcientiæ, a Benedicto, et Gregorio receſſiſſe, et dominis cardinalibus adhæſiſſe. Quare ergo idem illuſtris princeps & dominus cum tot regibus, principibus, populis, et doctoribus non occurrerit, et concordet nulla poteſt bona ratio aſſignari; ſed in contrarium illud ſapientis dictum: *ne innitaris prudentiæ tuæ*; et contra illud apoſtol: *noli plus ſapere quam oportet*. Contra tales beatus Bernardus in ſermone reſurrectionis Domini ait: *lepra vero proprii conſilii eo perniciosior eſt, quo magis occulta; & quanto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanum eſſe videtur: hoc illorum eſt &c.* Et quæ major ſuperbia, quam quod unus homo toti congregationi judicium ſuum proferat, tamquam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei? *idololatriæ ſcelus eſt non acquieſcere, & quaſi peccatum ariolandi*. Ex quibus omnibus expeditum eſt principale membrum, in quo, cum omni pace et reverentia venerandorum doctorum, dicebam, dubia et quæſita per eos minus provide et conſulte fuiſſe propoſita et deducta.

Deſcendo ad tertium, et principale membrum, quod fuit, ut dixi, præmittere aliqua evidentialia, ex quibus clarior apparebit ſolutio dubiorum plurium, de quibus quæſierunt dicti eximii oratores. Primo igitur inquirendum eſt, utrum iſta diviſio et ſciſſura, quæ ad præſens viget in univerſali eccleſia, proprie poſſit dici ſchiſma, de quo loquuntur canones XXIV. cau. per totum, et extrav. de ſchiſmate in decretalibus in 6. Et in hoc proculdubio eſt dicendum, quod ſic; et quidem majus quam fuerit a tempore Chriſti citra, ad quod oſtendendum præmitto, quod unio eccleſiæ debet eſſe tam in capite, quam in membris, et ubi ſic reperta non fuerit, conſtat ibi eſſe ſchiſma; argumento *juſte* de his qui ſunt ſui l. ali. jur. in prin. Dico ergo, quod eccleſia debet eſſe unica et incorrupta, pudica, unius cubilis ſanctitatem caſto pudore cuſtodiens; c. 24. q. 1. *loquutum*, ubi textus dicit, quod Chriſtus ſuper unum fundavit eccleſiam, et ab unitate exordium proficiſcitur, ut eccleſia una monſtretur. Item ſubdit, quod unus eſt epiſcopatus, una mater eccleſia, unum caput, una origo, quæ ramos ſuos per univerſam terram copia ubertatis ſpandit. Item alius canon dicit, quod domus Dei dicitur ædificari ſuper petram, quæ unica columba appellatur, ſine macula, ſine ruga, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, XXIV. q. 1. *omnibus*. In hac igitur eccleſia ſive ſponſa unus debet præſidere qui ſit ſucceſſor Petri, et vicarius Jeſu Chriſti; ſi enim in ea duo præſideant, dicuntur duo capita in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, quaſi monſtrum, cap. *in pleriſque* de off. ordin. Item ſi habeat duos ſponſos non dicitur incorrupta, pudica, ſine macula, ſine ruga; ſed adultera: ſicut uxor una habens duos viros, ut ſic arguamus primo caſu de carnali matrimonio ad ſpirituale 7. q. 1. *ſicut vir*. Et non ſolum in hac dignitate ſummi pontificatus, ſed in qualibet debet unus præſidere non duo, et una eccleſia unius debet eſſe ſacerdotis, 7. q. 1. *in apibus*; *cum non ignores* de præb. Sed moderno tempore iſta eccleſia ſine macula, ſine ruga unica, pudica &c. et quæ ramos ſuos per univerſam terram copia ubertatis expandat, non reperitur in iſtis contendentibus; immo diviſio in ipſis, ut in capite, et in membris; et per conſequens quod ſit ſchiſma. Pro cujus latiori declaratione ſciendum quod ſchiſma in noſtra materia conſideratur reſpectu facti, ſicut dicit lex in ſimili ff. de his qui not. infra l. *quid ergo*, *& inter tutorem* de adminiſt. tut. unde omnes canones in materia ſchiſmatis factum notant. Hinc eſt quod textus in capite *audivimus* XXIV. q. 1. dicit, quod Chriſtus non habitat in cordibus eorum, qui ſuperbiæ ſingularitatem inſequuti a corporis Chriſti compage ſemetipſos abrumpunt. Pro hoc capite *alienus* eadem cauſa, et quæſtion. ibi: *quomodo autem cum aliquo conveniet, qui cum corpore eccleſiæ, & univerſa fraternitate non convenit?* Non poteſt habere Deum patrem qui eccleſiæ non habet unitatem; per hoc palea cap. *omnibus* eadem cauſa q. 3. *niſi quis ſoliditatem fidei tenuerit, divinam præſentiam non agnoſcit*. De qua ſoliditate loquitur Chriſtus dum dixit: *ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*: per hoc cap. *denique* 7. q. 1, ibi: *eccleſiam ſcindentes & contra pacem, & unitatem Chriſti rebelles cathedram ſibi conſtituere*; ad idem 11. q. 3. *abiit Judas*. Ex iſtis conſici-

ficitur quod schisma consideratur respectu divisionis factæ capitis, & membrorum in casu nostro, quod nisi in unitate schisma esse non possit, et constet unam esse ecclesiam, quæ est corpus Christi; hæc ecclesia in duo vel tria dividi non potest, nec Christum divisum poterit quisque sine Apostoli reprehensione confringere, ut hæc dicit textus eadem causa et quæstione *pudenda*, videlicet quod nullo modo potest dici ecclesia in qua schisma est; eo enim ipso quod de facto divisa est, ecclesia esse desistit, ut ibi dicit textus. Sed cum isti duo contendentes de papatu partes sibi ferrent de corpore Christi quod est ecclesia, ut prædixi, necessario sequitur, quod non potest esse in solidum apud duos. Si ergo est apud Benedictum, ergo nec apud Gregorium, vel e contra ut dicit textus 24. q. 1. *didicimus*. Item sequitur & aliud, quod cum nullus ex eis curaverit certificare universalem ecclesiam de suo canonico titulo, quod nullus ex eis debet haberi vel recipi per ecclesiam pro papa; nam papa nisi unicus, et universalis esse non potest. Item constat quod per eorum præsidentiam corpus ecclesiæ de facto divisum (est); & constat quod divisio illa in capite, & ordine derivata est ad singula membra ecclesiæ, cum in qualibet inferiori ecclesia et dignitate unus ex eis creat unum, alius alium. Ex quo facto in populis & in clero insurgunt lites, contentiones & scandala, et plerumque multorum hominum cædes. Ex quibus concluditur necessario, quod illud debeat dici schisma, et quidem, prout dixi, majus quam umquam fuerit, et quod plus universalem ecclesiam, & populum Christi afflixerit a XXX. annis & citra; nam quilibet ex eis ecclesiam ad se trahens, eamdem ecclesiam rumpunt, & per consequens magnum schisma LXXXXIII. dist. *legitimus*. Tertio præmitto, & revoco in dubium, utrum istud schisma antiquatum possit imputari præfatis duobus contendentibus, in tantum quod ex hoc possint dici schismatici, & antiquati schismatis nutritores, & per consequens hæretici. Et certe, quia temporis brevitas non patitur narrare omnia quæ per alios scripta (sunt), & etiam quæ ego scripsi, referam tamen substantialiter quod credo Deo, æquitati, & justitiæ convenire. Primo igitur, quod sint nutritores schismatis antiquati, & per consequens hæretici, decisum & determinatum est primo per generalia concilia universitatis studii Bononiensis, & Parisiensis, quia ita sub sigillis suis doctores omnes sacræ theologiæ, juris canonici, & civilis consulti, deliberatione præhabita, concluserunt. Et cum in dictis universitatibus præsumendum sit fore multos viros magnæ conscientiæ, & scientiæ, credendum est in tam gravi negocio plus eorum decisionibus, quam istis vel illis doctoribus vel magistris aliter sentientibus. Unde dicit textus, quod integrum est judicium quod plurimorum sententiis comprobatur, ca. *prudentiam* de officio delegati; & lex dicit quod per ampliores homines perfecta veritas revelatur, c. *de feudis*, & 64. dis. *extra conscientiam*. Secundo hanc partem confirmo rationibus; & primo quia omnes canones, supra proxime allegati contra schismaticos, adaptantur directe ad eos; nam ambo ipsi sunt qui superbiæ singularitatem secuti a capitis Christi compage semetipsos abrumpunt, ut dicto cap. *audivimus*. Isti sunt qui cum universali serenitate non conveniunt, & per consequens habere non possunt Deum patrem, qui ecclesiæ non tenent unitatem, ut dicto cap. *alienus*. Ipsi sunt qui ecclesiam scindentes, & contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram indivisibilem, quæ duos non capit, quantum in eis est, inter se diviserunt, ut dicto cap. *denique*. Ipsi sunt qui firmitatem societatis multa discordiæ peste commaculant, & per consequens Deum perdunt, ut dicto cap. *abiit Judas*. Ipsi sunt qui ecclesiam catholicam ad infidelitatem redigere moliuntur, dum se in duobus capitibus conservare conantur; ex quo negari non potest, quin sequatur corruptio principalis articuli nostræ fidei *unam sanctam ecclesiam*; nec in aliquo ex eis potest monstrari illa tunica domini inconsutilis, nec ille fons signatus & hortus conclusus, & puteus aquæ vivæ 34. q. 1. *quoniam vetus*. Ipsi sunt qui generalem statum ecclesiæ decolorant & mutant, dum in quolibet episcopatu, & aliis dignitatibus majoribus & minoribus duos instituunt. Ipsi sunt in quibus demonstrari non potest ille unus episcopatus, una mater ecclesia, unum caput, una origo, quæ ramos suos per universam terram copia ubertatis expandit 24. q. 1. *loquitur*. Ex quo consequenter sequitur, quod in eis vel eorum altero illud caput vel episcopatus unus sive ecclesia non apparet; ideo nullus ex eis potest producere tales ramos & rivulos, nam ut dicit canon: *vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibet medicinam, aut qualem fructum de se producturus est, cujus gravi peste radix infecta est?* 1. q. 1. *vulnerato*. Ipsi sunt qui totum quasi patrimonium ecclesiæ dissiparunt, partem alienando, partem patiendo & tolerando ab aliis occupari; & hoc non licet papæ 12. q. 2. *non liceat*. Ipsi sunt qui nullam ad populum catholicum & ecclesiasticum charitatem habent, quam si haberent non ita dilacerarent corpus Christi, quod est ecclesia 24. q. 1. *ubi sana*. Isti sunt quorum peccatis notoriis perjurii, fractionis voti moniti ut desistant, & ut debent debitum impleant, hoc agere pertinaciter recusant, & per hoc ecclesiam scandalizant ad hoc quod notatur in capite *si papa* 11. dist. Ipsi sunt quorum quilibet vendunt sibi summum pontificatum ordinatum ad unionem, ne sint in ecclesia schismata 88. dist. *legimus*. Cujuslibet autem prædictorum pontificatus tendit ad dispersionem & divisionem; ergo ad oppositum ejus ad quod principaliter institutum fuit; & per consequens non potest dici pontificatus, postquam operatur contrarium effectum; & in personis eorum quod provisum est ad remedium tendit ad noxam XI. dicta distinctione *licet*. Ex istis infero, quod cum per prædicta attentata per istos principalis articulus fidei corrumpatur, status ecclesiæ decoloretur, & ad nihilum redigatur, & aliis subjaceant sacris canonibus con-

ANNO CHRISTI 1409.

contra schismaticos, & hæreticos editis; nam ut dicit canon, *blasphemare videntur Spiritum Sanctum, qui contra sacros canones spiritu Dei plenos, & totius mundi reverentiam continentes proterve agunt aut loqui præsumunt &c.* 25. q. 1. *Si violatores*. Et hoc maxime verum, ubi iidem sacri canones Christi & apostolorum diffinitionibus sunt roborati 24. q. 1. *sunt quidam*. Christus autem unum non duos in sua ecclesia vicarium constituit, scilicet Petrum & ipsius successores, ut pasceret non spargeret oves suas, prout isti dispergunt. Per hoc autem schisma inveteratum deventum est in his duobus obfirmata hucusque ecclesia. Ergo quoad eos qui potuerunt hoc de ecclesia extirpare & negligunt, dictum schisma proculdubio transit in hæresim, ut notatur 24. q. 1. *Non afferamus*, et eadem causa et q. 3. *Inter schisma*, ubi dicit quod postquam detinent ecclesiam in duobus capitibus, cum tamen canones fundati in præceptis Christi et apostolorum dicant unam esse ecclesiam sine macula, sine ruga, ut in canonibus allegatis supra; tales autem canones debet papa usque ad animam et sanguinem custodire, aliter dicitur errare, ca. *sunt quidam* 25. q. 1. Præterea ut sit apostolica sedes mater ecclesiarum, non debet hæreticis novitatibus deturpari, cap. *ad recta* 24. q. 1. nunc autem iterum præsidentia et facto depravata deprehenditur; ad quod malum delendum si quis ex eis, se verum papam intelligit, debuit omnes conatos suos impendere, postquam prospicit universalem ecclesiæ statum infestari, ut dicit textus ead. caus. et 24. *memor*. Item textus appellat illos hæreticos, & schismaticos, qui laniant corpus Christi, quod est ecclesia, cap. *ubi sana*. 24. q. 1. Ulterius, reverendi patres, & domini, contra ambos ponderanda sunt verba canonis *in nomine Domini* 23. dist. ubi præmissa electione papæ subjungit: *Si quis contra hoc decretum per seditionem vel præsumptionem aut quodlibet ingenium &c.* pondero enim multum illud verbum, *quodlibet ingenium*, ex quo patet qud ipsis recusantibus implere præmissa roborata vinculis juramenti & voti, adepti sunt papatum malo ingenio, & violatione promissorum; Dominum Jesum Christum, Virginem gloriosam, & beatos apostolos, et ecclesiam militantem, ac etiam electores malo ingenio decepisse; quasi ex hoc, quod non cedunt, habuerint malum propositum non cedendi a principio, quod propositum præsumitur ex hoc quod sequitur; sicut e converso ex præterito præsumitur in futurum ca. *Scribam* de præscript. et l. 29. C. de adul. et idem dicendum si tale propositum a principio non habuerint, sed postea supervenerit; nam quoad malum propositum puniendum non est differentia habere ipsum a principio vel ex post facto supervenire l. *quod contra*. c. de nuptiis, et l. 2. §. *circa* de doli exceptione; sed ex ista violatione fidei aggravatum est schisma, et tota majora mala et pericula quæ dicuntur in dicto capite *in nomine Domini*; nam pro certo totus temporalis status ecclesiæ non fuisset in tanta ruina; si a principio cessissent juxta volita et jurata: si ergo ille, de quo loquitur illud caput propter adeptionem papatus malo ingenio appellatur ibi antichristus, invasor, & destructor christianitatis; quare non iste: si ex ejus violatione fidei, & obstinatione majora pericula sunt secuta? certe, licet non expresse, sub verbis illius capitis comprehendatur iste casus; tamen comprehenditur ex mente, & per conseqens vendicat sibi locum illa poena cap. *Si postquam* de elect. in VI. vel possumus dicere quod expresse veniat ex verbis illis *quodlibet ingenium &c.* quæ verba sunt latissima, & sic comprehendunt illos, qui violant fidem præstitam Christo, sanctis apostolis Petro & Paulo, Virgini gloriosæ, & toti ecclesiæ militanti, & directo possunt dici electi malo ingenio, quia contra fas est quod duo cum tanto scandalo sedeant in sede apostolica; & per eorum præsidentiam scandalizent ecclesiam tam crudeliter; & sic verbum *quodlibet ingenium* potest exemplificari per cap. *Si duo soli contra fas* 78. dist. in quantum duo possident, & sic contra fas per jura prædicta. Item in quantum non servant fidem Deo præstitam, & ecclesiæ militanti promissam pro ecclesiæ unione, nonne est hoc contra fas? Ex istis & pluribus aliis causa brevitatis omissis, proculdubio concludendum videtur istos ambos contendentes fuisse & esse antiquati schismatis nutritores, & per consequens hæreticos & schismaticos. Quinimmo, ut dicit textus in cap. *in nomine Domini*, antichristos, invasores, et destructores totius christianitatis; et ideo, ut ibi textus sequitur, *nulla eis audientia reservanda*. His itaque evidentialibus sic præmissis, brevis et facilis redditur solutio dubiorum, quæ in hoc sacro concilio moverunt præfati venerandi oratores.

Locus corruptus

Cap. Schisma.

Locus mendosus

Descendo igitur ad quartum principale membrum præsentis collationis, videlicet ad decisionem dubiorum prædictorum, quorum primum, ut dixi, respicit nullitatem subtractionis obedientiæ prædictorom dominorum cardinalium præfato D. Gregorio. Nam, ut dicunt, videtur esse adhuc papa, et per consequens sibi obediendum in licitis et honestis, et ligare ejus sententias rationabiliter promulgatas, cum nondum cesserit, nondum fuerit ab universali ecclesia condemnatus sive depositus, nondum de alio crimine scandalizante ecclesiam convictus vel confessus. Ergo nullo jure titulus papatus potest in eo intelligi resolutus. Imo jura volunt quod prælato pendente causa criminis contra eum, sit a subditis obedientia exhibenda, 8. q. 4. *Nonne*; et videtur expressum in papa, ut non liceat subditis ab ejus obedientia se subtrahere etiam lite pendente, 17. dist. §. *hinc etiam*. Et per istam rationem redarguunt literam prædictorum, in qua alios omnes monent et requirunt, ut in nullo debeant sibi de juribus sedis apostolicæ respondere, vel ei de cætero obedire; redarguunt similiter literatos viros et in jure peritos, qui audent dicere vel asserere, quod obtemperantes Gregorio sunt schismatis nutritores. Nam cum ipsi fuerint et sint in quasi possessione obedientiæ ipsorum, nec constet eis ipsum ab ecclesia reprobatum, videntur exhibentes reverentiam consultius et prudentius facere-

cere et fecisse; quam de facto et nulla præcedente sententia obedientiam subtraxisse; subtrahere enim obedientiam est dominum sua possessione privare; et hoc non possunt facere subditi ante tempus sententiæ ut dicto capite *Nonne*. Arguunt etiam præfatos dominos cardinales, quia parum post tempus dictæ subtractionis obedientiæ nominant eum papam, et ita a gravantibus sibi ab eo illatis appellant ut ad papam; ita etiam elegerunt eum pure & simpliciter tamquam papam. Quod ergo voce dilucida protestati sunt, non possunt contrario testimonio infirmare cap. *per tuas* de probatione; & reprobari a nobis non potest semel prælatus 8. q. 1. *dilectissimi* de his quæ fiunt a majori parte cap. Nam & contra verum hæreticum debet prius ferri sententia declaratoria, quam suis possessionibus & juribus spolietur, ca. *cum per leges* de hæreticis in 6. Ista sunt motiva & rationes quæ considerantur. Quæ dicta sunt superius parum urgent, & ea tango plenius in tractatu per me reposito super ista nostra quæstione; & quia nimis esset longum referre omnia ibi scripta, substantialiter referam & succincte; & primo tangam quod quoad exequtionem pastoralis officii Gregorius desierit esse papa; & per consequens non ligent ejus sententiæ & processus, & quod recte egerint dicti cardinales in subtrahendo obedientiam & ad subtractionem alios exhortando, & non temere sed mature jurisperiti & literati redarguant obedientes sibi, & eadem sententia involvantur.

Quoad primum pro vero præsupposito quod ambo sint schismatis nutritores scandalizantes ecclesiam, & per eorum præsidentiam redigentes eam ad duo capita; consequenter infertur decisio primi dubii, quod desierit esse papa, saltem quoad executionem pastoralis officii. Primo probat hoc textus in cap. 1. de schismat. ubi gesta a schismaticis & hæresiarchis sunt irrita ipso jure. Et advertendum quod omnia verba illius capitis sunt verba temporis præteriti perfecti, & sic censetur sententia canonis juxta notata in l. *in criminali* de jurisdictione omnium judicum, & dixi in cap. *si diligenti* de foro competenti. Item textus generaliter dicunt, quod hæretici & schismatici nihil habent potestatis aut juris 24. q. 1. *didicimus*; ibi dicitur quod foris sint schismatici, & hæretici, & non habent spiritum sanctum; nam nonnisi congregatis in unum dictum est illud: *accipite Spiritum Sanctum*; ex quo patet quod qui non sunt in ecclesiæ unitate solvere & ligare non possunt, eadem causa & quæstione *audivimus*; & maxime ibi non potest deiicere quemquam jam prostratus, ad idem eadem causa & quæstione capite *ait Cœlestinus*, & ca. *aperte*. Secundo videtur quod propter hæresim supervenientem, etiamsi fuisset papa indubitatus, resolutus fuerit ipso jure titulus prælaturæ juxta notata in simili per Joannem Andream in ca. *ut commissi* de hæret. 6. in novella. Et hinc est quod petenti restitutionem obstat exceptio hæresis, quia hæreticus nihil licite possidere no. 8. d. *quo jure*; & probatur hoc per argumentum a minori; si enim privatur quis titulo prælaturæ propter crimen læsæ majestatis commissum contra papam vel unum cardinalem, de poenis *Felicis* §. *quod si quis* l. 6. vel commissum contra imperatorem vel ejus officiales ipso jure privatur bonis *si quis* ad l. Jul. majest. fortius debet intelligi privatus propter crimen schismatis universalis ecclesiæ, in quo unitas ecclesiæ ostenditur, & sagena summi piscatoris procellis intumescentibus in profundum fere submergitur cap. *in nomine Domini* 23. dist. Ubi igitur est majus delictum, majus majus applicetur vindicta 24. q. 1. *Non afferamus* in fine; majus enim est delictum schismate, hæresi, perjuriis, & votorum fractionibus æternam offendere majestatem quam terrenam, cap. *Unigenitus* de hæret. Et bene probatur ista majoritas poenæ in dicto capite *in nomine Domini*, ubi maximæ & diversæ poenæ decernuntur contra tenentes cathedram beati Petri malo ingenio, ut sunt isti duo. Tertio, resolutus est in eis titulus non solum propter hæresim supervenientem; sed etiam quia ex post facto non servant fidem promissam Deo, & ecclesiæ militanti juratam, & votitam; quo casu per similitudinem in aliis casibus videtur posse papatum ab eis repeti, tamquam collatum ob causam, causa non sequta ff. de condi. ob caus. l. 1. & per totum, vel tamque frangenti fidem fides frangatur eidem l. *cum proponas* C. de pactis; vel quia tamquam fuerit transactio de renuntiando, & in casu licito propter dubium de papatu videtur titulus papatus resolutus in eo, postquam non adimplet, & infamatus remanet l. *si quis major* C. de transact. vel si possessio gratuita fuerit, ante electionem habita & postea confirmata, videtur resoluta, ex eo quod abest voluntas exigentium ex post facto, postquam promissa non implet, & hoc facit deficere matrimonium spirituale, quia remanet sine voluntate, & resolvit ipso jure contractum; & ideo ista ultima ratio R. P. & domini mei de Turejo per l. *cum te* C. de par. inter ep. Quarto probatur quod vere ab ipso principio non fuerit titulus papatus per notata in lege de *Barbarius* ff. de officio prætoris, & cap. *quod sicut* de electione per Inno. & utrobique quærunt doctores utrum ille Barbarius fuerit prætor; cui quæstioni jurisconsultus ibi non respondet, sed dicit quod tenuerunt gesta per eum contra communem errorem, & propter utilitatem. Doctores autem utrobique, ubi supra, tenent quod non ille Barbarius fuerit prætor, nec habuerit titulum prætoriæ. Si ergo unus habens in dignitate illa prætoria titulum putativum, & ab illo qui super ejus inhabilitate poterat dispensare ut a populo Romano, non fuit prætor; multo minus duo habentes titulum dubium & incertum ab eisdem qui non poterant conferre duobus, nec super hoc dispensare debent veri papæ. Quinto probatur, quia etsi aliquem haberent titulum, tamen ambo possent eiici; nam cum sint pares in titulo & propter opinionem populorum & jurisperitorum apud universalem ecclesiam sit dubium quis sit verus, & scandalum maximum propter hoc; neuter ex eis habet potestatem admi-

nistrandi, et uterque debet eiici propter tale scandalum & tertius creari. Et ita notat Hugo in dicto capite. *Si duo forte contra fas*, et quod idem ipse notat 63. dist. ca. finali; immo propter incertitudinem neuter debet dici papa l. d. *duo sunt* de testa. tutoris.

Non obstat quod alibi in paritate tituli & possessionis debeat pronuntiari uti possidetis ita possideatis cap. *licet canon* de probationibus; nam habet locum in re quæ potest pro indiviso a duobus vel pluribus possideri, non in re penitus indivisibili ut papatus, ad hoc quod notatur in rubrica de sponsa. duor. Plus dicit Hugo in dicto capite *si duo*; quod si dicto casu vere constaret de canonico titulo alterius, & timeretur de scandalo si altero excluso ille remaneret, & debet etiam ipse eiici & tertius eligi, quod est *damno* (sic) quoad casum nostrum; & videtur hoc verissimum, nam si per scandalum & evidens damnum verus prælatus cedere tenetur ut notatur in cap. *Nisi cum pridem* §. *pro gravi* de renunt. multo magis quando duobus consedentibus ex præsidentia unius ex eis scandalum remaneret; nam publica utilitas est præferenda privatæ, & ex eadem causa communis boni potest quis privari jure suo indubitato l. *Lucius* de evictionibus; multo fortius dubitato; & præsertim cum quis renuntiare promisit cum vinculis votorum & juramentorum ut in casu nostro. Et cum ista utilitas publica se exhibeat in respectu, ut scilicet ecclesia redigatur ad unum indubitatum pastorem & episcopum animarum nostrarum, & ut schisma hoc pestiferum extirpetur; probabiliter concludi potest, maxime præsupposita mora ipsorum notoria in cedendo, quod eis absentibus & non citatis ulterius per sacrum concilium possint eiici, & tertius eligi; nam regula juris est, quod possum facere te præsente & invito, multo fortius te absente l. 2. §. *voluntatem* & l. *dotem* ff. soluto matrimonio. Ex prædictis omnibus luce clarius manifeste concluditur, quod postquam notorii sunt antiquati schismatis nutritores, nullum habent jurisdictionis exercitium, & quod dicta de causa ipso jure extinctus est in eis titulus, si quem habuerunt, in papatu. Id quod videtur verius quoad personas ipsorum; non dico quoad gesta numquam habuisse titulum in papatu, sicut nec ille Barbarius in dignitate illa prætoria; & propter scandalum & ruinam in ecclesia ambos eiiciendos vel declarandos a sacris canonibus & a Deo ejectos, per tot & tanta flagitia & excusationes & tergiversationes ipsorum & præcipitium et ruinam christianitatis et fidei catholicæ. Et per ista consequenter sequitur decisio per vos, videlicet quod licitum fuit dominis cardinalibus ab eorum obedientia se subtrahere, & ad subtrahendum alios excitare. Quinimmo regum & principum invocare auxilium ad amborum coercitionem; & dictum auxilium impendere teneantur, & quod potuerint absque alia sententia hominis se propria authoritate subtrahere, & ad hoc idem alios exhortari. Probatur primo quia canones ita jubent sive præcipiunt 24. q. I. *didicimus*, ubi contra A tales loquitur dominus ad Moysem ita dicens: *separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorum.* Idem probat textus in capite omnes eadem causa & quæst. ubi sanctus vir videns Corinthum (Cerintum) schismaticum, de balneo recessit dicens: *exeamus hinc ne balneus ipse corruat, in quibus lavatur Corinthus inimicus veritatis.* Ad hoc eadem causa & quæst. *qui dignior*, ubi vitanda hæreticorum communio, fugienda est synagoga, excutiendus pulvis &c. Ex istis canonibus apparet data licentia, immo mandatum omnibus recedendi ab eis; & per consequens non requiritur alia sententia vel licentia B judicis l. *qui sub conditione* §. fin. ff. de condi. insti. Hinc dicitur frustra a principibus impetrari quod jure conceditur C. de testa. l. I. l. 10. Similiter dicit lex de latronibus, transfugis & venientibus ad delendam patriam, quod hæc scelera possunt sine judice vendicari C. *quando licet se sine judice vendi*. l. I. Quinimmo impune pater potest occidere filium, & e converso filius patrem, si venerint ad delendam patriam l. *minime* ff. de religione. Si ergo occupati in delenda patria tam exosi sunt humanis legibus; quanto fortius isti duo occupati in delenda & confundenda catholica ecclesia per eorum præsidentia majore supplicio digni sunt? C nam ultro videtur omnibus concessa, quia in offensam omnium recidit quod in divinam majestatem committitur l. *hi qui* C. de hæret. nam & alibi dicit textus verendum esse fidelibus ne divinam indignationem incurrant, cum ea perpetrari patiuntur injuste, quæ fidei nostræ confusionem inducunt, ca. *etsi Judæos* de Judæis. Exemplum habes in Matatia I. Machab; idem in Scipione Nasica, qui Graccum suis largitionibus subvertentem populum omisso juris ordine interemit cum sua conjuratione, & reprehendit Scevolam principem consulem, qui volebat juris ordinem servare, dicens: *consul, dum juris ordinem sequeris, illud agis ut cum omnibus legibus Romanum imperium ruat &c.* D ut refert Valerius 3. in t. de fortitudine. Et recte nam non videntur eis jura servanda, qui omnia jura divina pariter & humana subvertunt. Quinimmo ipsam sanctam ecclesiam cum omnibus juribus subvertere moliuntur, *quia frustra* de usuris. Ex prædictis ergo canonibus apparet, quod recedere & ad condecessum exhortari potuerunt alios dominos cardinales. Pro hoc facit tenor ordinationis factæ in conclavi, approbatæ postea, in qua patet quod domini cardinales possunt omnem viam utilem procurare & exequi per quam ecclesia uniatur; sed nulla utilior, postquam negligunt implere pro- E missa & schisma fovent, quam subtrahere eis obedientiam & redditus; per exhibitionem enim talium schisma diutius conservatur; ad hoc XXIV. q. 7. *si qua* cum sequenti facit quod dicam infra proximo sequenti membro in quinta responsione. Patet etiam eosdem dominos oratores temere de temeritate reprehendere literatos viros, & jurisperitos, qui consulunt adhærentes obedientesque eisdem duobus fore hæreticos & schisma-

ſmaticos, & eadem poena & ſententia puniendos; nam prælegatus canon *didicimus* expreſſe dicit, quod tales adhærentes & cum eis communicantes eodem ſupplicio digni ſunt, & ſimul pereunt in peccatis eorum; ad idem 1. q. 1. *ſicut inquit*. Item propter eorum aſſiſtentiam videntur vetare & impedire pacem & unitatem eccleſiæ, dum defendunt eos; unde cingulo dignitatis & bonis ſunt ipſo jure privati cap. *qui contra pacem* 24. q. 1. & repetitur ſupra hæc poena cum quis præſumit contradicere his quæ ſacro concilio fuerunt terminata in lege imperatoris promulgata, ſive concilii Chalcedonenſis repetita pro parte C. de ſumma trinitate l. *nemo*. Immo plus dico, quod reges & principes non ſolum debuerunt eis ſubtrahere obedientiam; ſed ambos cogere ad cedendum, non uni vel alteri adhærere; & hoc bene notent clariſſimi & magnifici oratores regum & principum in hac ſancta ſynodo perſonaliter reſidentes; & hoc expreſſe volunt multi ſacri canones; & primo hoc vult textus in cap. *princeps* 24. q. 5. nam ut dicit ibi textus: *qui intra eccleſiam poſiti ſciſſuram faciunt vigore principum conſternantur, ut quod non poteſt eccleſia per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem*. Concordat 23. q. 4. ibi: *ſi chriſtianæ poteſtates non commoverentur contra diſſipatores deteſtandos eccleſiæ; quomodo rationem traderent de imperio ſuo Deo? Ad idem* eadem cauſa q. 5. *quali ibi hoc enim divinæ & humanæ leges ſtatuerunt, ut ab eccleſiæ unitate diviſi, & ejus pacis iniquiſſimi perturbatores, a ſæcularibus poteſtatibus comprimantur. Nec quicquam magis eſt unde Deo poſſitis ſacrificium offerre, quam ſi id ordinetis, ut hi qui in ſuam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compeſci*; pro hoc cap. *qui peccat*, eadem cauſ. & quæſt. ibi: *per ordinatas & legitimas poteſtates de ſedibus, quæ illicite uſurpantur, vel ad injuriam Dei detinentur, expellat imperium impium pius, & juſtus injuſtum*. Idem dicit canon eadem cauſa & quæſtione & *de Liguribus* ibi: *mille exempla & conſtitutiones ſunt, quibus evidenter agnoſcitur, ut facientes ſciſſuram in ſanctam eccleſiam, non ſolum ex his, ſed etiam proſcriptione rerum & dura cuſtodia per publicas poteſtates debeant coerceri*. Ecce ergo e tantis canonibus clarum patet, quod officium regum & principum in facto ſchiſmatis ſolum eſt cogere clericos et alios facientes ſchiſma, non autem cognoſcere de iſtius vel illius quis fuerit vel ſit papa; hoc enim non ex opinionibus ſingulorum, ſed ſententia concilii dirimendum eſt, ut in libro conciliorum in fine concilii Chalcedonenſis ibi: (*de*) *hoc enim & aliis fidem tangentibus hoc ſtatutum eſt, ut ad concilium recurratur quod non poteſt errare*, 24. q. 1. *A recta*. Quid enim aliud quam ex opinionibus ſingulorum, ſed ſententia concilii dirimendum eſt, et conciliabulis ſequutum eſt in præteritum, quam ſchiſmatis confirmatio? certe nihil aliud, dum unum regnum uni, alterum alteri adhæſit; quanto melius ſacratiſſimus imperator Juſtinianus, nam in epiſtola C. de ſumma trinitate atteſtatur, quod de ſpiritualibus, quamquam claris et lucidis, non intendit aliquid definire, ſed referre apoſtolicæ ſedi. Per hoc palea cap. *curæ* 10. diſt. Per prædicta videtur reſponſum eorum rationibus et motivis in contrarium; nam verum eſt quod ante tempus ſententiæ non eſt ſubtrahenda obedientia prælato accuſato de crimine, quando ſcilicet eſt dubium de crimine; & ita dicit textus in dicto cap. *Nonne* 8. q. 4. ibi. *pro dubia ſuſpicione &c.* ſed in caſu noſtro delicta iſtorum duorum ſunt notoria facti permanentis, & ſcandalizantis eccleſiam & decolorantis, poſtquam retinent eam ſcienter in duobus capitibus, quaſi monſtrum, maxime contra juramenta & vota per orbem ſuis literis divulgata. Unde cum tales condemnati ſint ut ſchiſmatici per ſententias ſacrorum canonum, quos ſuperius allegavi, non eſt neceſſaria alia ſententia hominis & declaratoria, poſtquam clara & lucida ſunt eorum delicta; nam in condemnatis ab homine vel a jure non habet locum illud capitis *Nonne*, ut ibi notat Hugo. Item non obſtat cap. *cum per leges*, quia debet intelligi, cum in bonis eſt fienda exequutio; ſecus cum poena afficit perſonam; nam ab ea ſtatim poſtquam eſt inflicta debet recedere, quia non requiritur exequtio facti ſicut ex initio in bonis, & hoc voluit canon allegatus ſupra & X. q. 1. *didicimus*, & cap. *omnis*, & cap. *quam dignior*. Pro hoc ca. *licet epiſcopus* de præbendis in 6. & pro hoc gloſſa *ſumme* 8. q. 1. pro hoc etiam caput *Anaſtaſius*, et quod ibi notatur 18. diſt. Item cum probatum ſit ſupra eos fore ſchiſmaticos, certe talibus denegatur omnis audientia, ut notatur 23. diſt. *in nomine Domini* in gloſſa *hic habes caſum*. Non obſtat quod parum poſt ſubtractionem nominaverunt eum papam, appellaverunt ut ad papam &c. nam nominationes, appellationes et ſimilia non nocent quominus poſſint poſtea dicere eum non fore talem, et maxime cum contra confeſſionem ſe habeat veritas notoria in contrarium, quod non ita ſit; et eſt caſus expreſſus in l. *jubemus*, et l. *nec commiſſa* C. de liberali cauſa. Item licet fateantur eum papam ab eo ſic appellando, et nominando, non per hoc fatentur habere exequtionem paſtoralis officii, poſtquam ſupponitur notorie nutritor ſchiſmatis antiquati; nam poſtquam canones privant eum exequtione officii, confeſſio in contrarium eſſet nulla l. *ornamentorum* ff. de aur. et ar. Item duplex eſt ſubtractio obedientiæ, abſoluta et ſecundum quid; prima DD. cardinalium fuit ſecundum quid, hoc eſt quoad certa præcepta papæ, in qua contra bonum unionis, ut de non recedendo de Luca, vel non communicando cum oratoribus proſequentibus unionem. Alia poſtea fuit abſoluta, poſtquam eum obſtinatum perpenderunt; et ſic nihil contrarium cap. *cum tu* de teſtibus. Per prædicta apparet ſolutum primum principale eorum dubium, cum dictis acceſſoriis, nam dictum dubium ut dixi, reſpiciebat nullitatem ſubtractionis obedientiæ, cui per prædicta videtur plenarie reſponſum.

Deſcendo ad ſecundum eorum dubium principale, quod reſpicit nullitatem convoca-

cationis concilii DD. Cardd. nam redarguit dictam convocationem multis modis; primo quia ad Gregorium non ad ipsos hoc pertinet, per canones qui habentur 17. dist. per totum. Secundo, quia Gregorius prius publicavit suum concilium, antequam dicti domini cardinales suum; & prius literas per obedientias direxit: sibi ergo tamquam majori & tanquam prævenerit, est obediendum cap. *cum parati* de appellatione, & l. *contra pupillum* §. *quod ad majus* ff. de re judicata. Non obstat per eos si dicatur, canones 17. dist. loquuntur de papa indubitato non dubitato, ut esset Gregorius; nam non videretur hoc posse dicere, eum scilicet dubitatum, quia immo pro vero et indubitato eum elegerunt; ita etiam in conclavi eum indubitatum asseruerunt; obstare ergo eis videtur eorum confessio multiplex, si modo velint eum dicere indubitatum; nam etiam sic dicendo viderentur decipere totam patrem obedientiæ Gregorii, & omnes reges et principes, ad quos literas direxerunt, qualiter R. P. & D. D. A. tit. S. Martini presbyterum cardinalem eorum confirmatione elegerunt in patrem &c. Item qua ratione dubitant de papatu Gregorii, debuerunt dubitare etiam de papatu Innocentii, et Urbani, et similiter de eorum cardinalibus qui trahunt causam & originem a prædictis, cap. *cum inter vos* de re judicata. Tertio opponunt contra dictam convocationem concilii factam a dominis cardinalibus, nullitatem ratione personæ citatæ sive requisitæ ut est Gregorius; nam una pars dicti concilii est alterius obedientiæ, quæ reputavit patrem nostram schismaticam, et nos illam. Altera pars obedientiæ jam est sibi rebellis et inimica, quia jam obedientiam sibi subtraxit. Ad tale igitur concilium sibi inimicum et contrarium non tenetur venire; et maxime quia eo veniente et non Benedicto, non tenetur cedere vel renuntiare, ut colligitur ex tenore instrumenti sicut dicunt & *non Benedictus*; et quia esset ignominia partis nostræ, si ipse cederet et alius remaneret; nam sic, alio non existente, dominus Benedictus posset se prætendere universalem papam, quod esset absurdum. Item ad requisita cardinalium non tenetur venire, et sic non est citatio; concilium autem non citavit eum; ergo sine citatione processus nullus ca. *pastoralis* de re judic. Quarto impugnant prædictam convocationem ex defectu jurisdictionis DD. cardd. super vocatos ad concilium; nam supra ipsos viderentur habere aliquam jurisdictionem. Quinto impugnant vocationem respectu formæ, quia ad certum actum super allegata scilicet ut finis schismatis imponatur per viam invitæ cessionis; sed cum sint aliæ viæ, viderentur imponere legem Spiritui Sancto. Sexto impugnant quod ante unionem et mixturam videntur indixisse, quod non est verisimile. Octavo impugnant, quia die feriata intimarunt. Nono quod etiam in termino nimis brevi, quoad aliquas nationes. Ex quibus, ut dicunt, dicta eorum convocatio concilii redditur dubia, et de jure potius non valere rationibus superius dictis secundum eos. Ex quorum allegationibus

A apparet eos non venisse ad hanc sanctam synodum ut mediatores, sicut dixerunt, sed ut Gregorii pertinacissimi defensores, et ut seminantes zizaniam super triticum bonum, videlicet super illud sacrum concilium dum per coloratas rationes subvertere mentes hominum unionem affectantium moliuntur. Quid enim aliud agunt, dum dicunt totam sanctam synodum suspectam Gregorio, quam quod numquam possit contra ipsum Gregorium concilium convocari, et per consequens pro suo beneplacito posse ecclesiam perpetuo in schismate retinere? Item quid aliud dicunt, dum asserunt universale concilium posse ut suspectum per Gregorium recusari, quam dicere universalem ecclesiam posse errare contra cap. *A recta* 23. q. 1.? Quoad

B Gregorium ergo ecclesia nulla est contra caput *libenti* 12. q. 2. Ista dicta certe sapiunt hæresim, maxime quia tendunt ad conservationem et perpetuationem schismatis antiquati, et defensionem Gregorii, qui est auctor et factor tot errorum, ut superius dictum est. Et quod venerint ut Gregorii defensores, et solum ad sacrum concilium disturbandum et scandalizandum, apparet ex eorum appellatione occulte affixa valvis ecclesiæ, et furtivo eorum discessu; cum tamen benignissime in sancta synodo fuerint recepti et exauditi, et assignatus eis terminus respondendi dictis suis rationibus et mo-

C tivis; quod fuisset honestius et justius expectare, quam fugere; hoc enim signum diffidentiæ suæ justitiæ, et non bonæ conscientiæ 11. q. 1. *Christianis*, de præsumptione *nullus*. Hoc ergo præmisso, veniο ad solutionem dubiorum, pro quorum clariore decisione præmitto, quod dixi supra, videlicet dominos Gregorius et Benedictus tamquam antiquati schismatis nutritores jurisdictione carere; quo præsupposito videtur quod jurisdictio congregandi concilium in casu in quo expedit, ut est hic, devoluta sit ad dominos cardinales, quinimmo omnis alia papalis jurisdictio in casibus evidenter necessariis, ut plene examino in tractatu meo super ista ma-

D teria q. 6. Moveor primo, quod in inferioribus ecclesiis & aliis casibus, in quibus si ille ad quem spectat primo gradu sit suspensus vel privatus ab ejus exercitio, fit devolutio in gradum sequentem magis proximum. Patet exemplum in ca. *si episcopus* de supplenda negligentia prælati, in VI. patet in ca. *si cui* de off. delegat. in 6. ubi similiter devolutio in alium in casu necessitatis, ut l. *ut perfectius* C. de annali exc. & l. *ubi absunt* ff. de tut. & cur. da. ab his; ad hoc optime cap. *eos* de temp. ord. in VI. ubi suspenso ordinario a collatione ordinum, a proximis & vicinis episcopis peti poterit. Pro hoc optime 66. dist. *si forte*, ubi pro-

E pter defectum præcedentium in gradu devolvitur ad populum; & ibi notatur quod par monet parem, & in hoc censetur major; & quod minor supplet negligentiam majoris, & e converso 9. q. 3. *cum simus*, & 88. dist. *nolumus*, & ibi notatur, & in multis aliis juribus hoc habetur, quod propter difficultatem vel exclusionem ejus, ad quem pertinet actum gerere, devolvitur ad sequentem; & similiter in casu negligentiæ primi gradus cap.

cap. *ne per defectum* de elect. cap. *si hæredes* de testamentis *aut hoc apostoli* C. de fidejuss: ex quibus in casu nostro concluditur, quod in casu nostro cum domini cardinales sunt magis proximi & vicini papæ, quam alii, quia sunt pars corporis sui, & coadjutores in executionem officii cap. *per venerabilem* §. *Rationibus qui filii sunt l. ergo*; sequitur quod ad eos debet fieri devolutio jurisdictionis & convocationis concilii.

Secundo hoc probatur; constat per illud schisma vacare ecclesiam, sicut per mortem cap. 1. de præscriptionibus, & notatur in cap. 1. de schisma; sed vacante sede apostolica per mortem papæ, in casibus imminentis necessitatis vel periculi possunt domini cardinales occurrere & providere cap: *ubi periculum* §. *Ideoque* de electione in VI. Plus dico quod etiam non vacante, si papa nollet vel non posset convocare concilium in casibus, in quibus urget necessitas convocandi, ut in casu extirpationis fidei vel erroris alicujus in articulis fidei, ad sacrum collegium cardinalium pertineret convocatio. Pone enim quod papa sit effectus amens, furiosus, vel captus a paganis, vel contra se cum arguatur de hæresi non vult generale concilium congregare, vel non potest, quia non possidet nisi partem ecclesiæ universalis, & alius aliam partem cum simili titulo colorato; certe in istis casibus videretur quod ad cardinales, tamquam ad proximos atque vicinos, devolvatur illa potestas; alias ecclesia ruere posset, & pro illo tempore non diceretur habere vicarium Christi in terris; cum tamen Christus noluerit ecclesiam suam esse sine capite; & his casibus sustineri potest opinio Ostiensis, qui dixit in casu vacationis jurisdictionis papæ transire ad dominos cardinales, cujus opinio reprobata est in vacatione modico tempore verosimiliter duratura, puta per Cle. *ne Romani* in fine de electione; sed in duratura diutius, ut per schisma antiquatum, ut in supradictis exemplis, æqua & rationabilis videtur opinio Ostiensis, ut illud quod provisum est in inferioribus ecclesiis in prædictis casibus, sicut dictum est supra, habeat locum in sede apostolica, & nullo fortius per majus periculum, ut dicto capite *ubi periculum*.

Tertio hoc probatur: constat hos duos possidere ecclesiam malo ingenio & contra fas, quia contra promissa jurata & votita, & quia se erexerunt in duo capita in eodem corpore, quasi monstrum, & moniti a regibus, & principibus, & toto mundo hoc facere subterfugerunt, & contemnunt; certe contra tales non solum per jura, scilicet congregando concilium, sed, quod plus esset, posset invocari auxilium brachii sæcularis, & sic eos de sede apostolica expellere cap: *si quis pecuniam* 79. dist. conjuncto capite *si duo* eadem distinctione. Major etiam subest ratio compellendi duos sanctam sedem occupantes de facto, quam unum ordinatum per pecuniam vel tumultum popularem.

Quarto hoc probat impossibilis convocatio per eosdem duos; nam aut convocant ad diversa loca, & in neutro poterit dici universalis ecclesia congregata; & per consequens nec aliquod ex eis concilium generale, sed conciliabula, ut ipsi per se fatentur in dubiis suis, cum dicunt ex talibus particularibus conciliis nullatenus unionem sequi posse ad eundem: & præsidebunt ambo tamquam duo capita, quasi monstrum; nec poterit dici illud concilium unicum, in quo pars una recognosceret unum in papam, alia alium. Corpus ergo Christi, quod est ecclesia apparebit ex hoc divisa, nec erit ibi Spiritus Sanctus, qui non descendit nisi in convocatis in unum, scissurasque refugit; nec erit ibi ecclesia in qua apparet schisma & divisio, ut dicto capite *schisma*, cap. *audivimus*, cap. *didicimus* 24. q. 1. cum aliis allegatis supra in tertio membro principali.

Quinto probatur, quia ista sancta synodus congregata sit auctoritate Gregorii & Benedicti; nam in conclavi inter cætera, tam ipsi, quam singuli cardinales juraverunt & & voverunt & promiserunt sequi omnem viam rationabilem, per quam dictum schisma tollatur, & unionis sequatur integritas in ecclesia Christianorum; & hanc ordinationem ipse approbavit post assumptus in papam; similiter dominus Benedictus respondendo literis ejusdem Gregorii intimantis sibi de dicta ordinatione cum suis cardinalibus approbavit; & ipse idem dominus Benedictus suis dominis cardinalibus fortius juramentum præstitit super sua cessione; sed cum ambo, sæpius requisiti ut cederent, vel de loco cessionis, sæpius reprobaverunt; necessario infertur quod domini cardinales potuerunt per dictam ordinationem concilium convocare, cum sit via rationabilis & honesta & per ambos ipsos Gregorium & Benedictum authorizata, ut supra dictum est; ex qua ordinatione etiam videretur dicendum quod unus solus ex eis teneretur vinculo juramenti & voti dictum concilium convocare; nam ita singuli juraverunt; & per hoc quod ad dictos cardinales spectet convocatio concilii, cum duo contendunt de papatu, est glossa Hugonis in cap. *si duo* 79. dist. Quinimmo si deficerent omnes domini cardinales, ad clerum Romanum devolveretur congregatio concilii, ut in cap. *licet de evitanda* de electione. Plus etiam, quia in defectum omnium, ad quos de jure ordinario fit devolutio, dicit textus in simili, quod devolvitur ad populum, 66. dist. *si forte*; & quod dixi supra in primo articulo. Quinimmo in tantis periculis, schismate ecclesia naufragante, videtur quod quilibet episcopus, clericus, vel fidelis Christianus possit ecclesiam congregare, & se apponere tamquam murum pro domo domini & latrare, 43. distin. *rector*; nam in tanta contumelia & opprobrio nostræ fidei videtur quilibet christianus offendi, ut patet l. *hi qui sanctam*, cap. *etsi quæstiones*. Item quilibet de ecclesia potest se opponere contra attentata in ecclesiæ præjudicium, & obligatur ad hoc cap. *si quis presbyter*, de rebus ecclesiæ non alienandis, & de testi. *cum cly.* per Innocentium; nam in sacra scriptura legitur de Mathatia cum videret contritionem civitatis sanctæ, & videret super aram Domini immolantem, zelo legis accensus, occidit eum super aras; & exclamavit *quicumque zelum Dei habet me sequatur*: & multi sequuti sunt quærentes

Dei

ANNO CHRISTI 1409.

Dei judicium & justitiam in desertum 1. Machab. 2. Ipse igitur solus absque ulla authoritate convocavit ad bellum ecclesiam Dei contra schismaticos, & adorantes idola, & gessit prælia multa, ut in toto illo libro. Item cum universitas est dispersa, ut sunt episcopi, & alii vocandi ad concilium, seniores convocant, ut in cap. *cum ex invicto* de novi operis nuncupatione, & quod notatur in cap. I. de major. & obed. Plus videtur quod nemine convocante, si omnes prælati conveniunt in unum pro extirpatione schismatis & defensione fidei, recte ibi dicatur esse universalis ecclesia, si pro bono publico convenerunt; nam illa solemnitas, quod authoritate papæ convocetur, est solemnitas meri juris positivi, non juris divini; quod patet in cap. I. 15. dist. ubi imperator olim imperavit generalibus conciliis, prout ibi patet; & licet propter impotentiam ecclesiæ primitivæ tunc temporis hoc fiebat; sed cum hodie sit major impotentia quam umquam, quia quod sit verum caput ecclesiæ ignoratur, & nullus ex istis posset universalem synodum congregare; sequitur quod convocatio facta a dominis cardinalibus contra ambos istos fuerit juri & æquitati consona. Non obstant canones 17. dist. per totam; nam omnes loquuntur cum præest unus papa, qui potest universalem ecclesiam congregare, & demonstrari unica & indubitata sedes apostolica, in qua unus possidet; & hoc colligitur ex omnibus illis capitulis, qui loquuntur in singulari; & hoc non est in casu nostro. Non obstat quod non possint eum dicere non papam vel dubitatum; nam hoc verum inspecto principio creationis; sed post moram incedendo & implendo promissa cum pertinacia, & incorrigibilitate, & scandalo universalis ecclesiæ, certum est, quod ex his causis supervenientibus, ne pereant in peccatis simul cum eo, licite potuerunt ab eo recedere, sicut a schismatis nutritore; & per consequens de præventione convocationis sui concilii non curandum, utpote non ab habente potestatem. Facit cap. *nulli* de electione in 6. & quod notatur in cap. *quemadmodum* de jurejurando; nam esset ejus convocatio derisoria, ex quo nulla potest sequi unio, nec decisio per viam justitiæ, cui renuntiavit eligendo viam cessionis cum juramento. Item nec spes cessionis, quia eam damnavit, & posset per procuratorem cedere & in camera sua si idem timeret Deum & homines revereretur. Non obstat quod totam synodum recusare posset, quia hoc non est verum, ut dixi supra, post principium hujus secundi dubii principalis. Item inimicitias nullas potest prætendere, nec contra alteram partem, quia in eum numquam crediderunt; nec in suam, quia juste se ab ejus obedientia subtraxerunt: unde qui juste facit & recedit, non potest prætendi probabiliter inimicus; & est casus in capite *non vos* 23. quæst. 5. ubi ecclesia, etiam persequens schismaticos, non potest allegari inimica; qui enim resistit viciis & coercet, pius pater non inimicus dici potest. Illa promissio facta Deo & ecclesiæ militanti super spontanea cessione, videtur habere executionem paratam, sicut si fuisset facta Deo præsente, cap. *quoties cordis oculis* 1. q. 7. sed in exequtione, maxime quæ potest momento per eum expediri cedendo, nulla potest allegari suspicio; quia nec requiritur alia mentis cognitio, cap. *novit* de appellat.

Non obstat quod domini cardinales non habeant jurisdictionem super concilium, & per consequens convocare non possunt; nam in convocando singulos in concilio potestatem habent per jam dicta, & similiter præfatos dominos contendentes; postquam autem fuerit congregatum, fateor quod non habent jurisdictionem; ergo in actu convocationis jurisdictio est (ut) ut in singulos; non autem postquam fuerit congregatum ut in universos, ad hoc optime, 2. q. 5. *si primates*. Item falsum est quod dicunt, quod propter formam instrumenti Gregorius non tenetur cedere non cedente Benedicto; nam immo tenetur & ex jure communi et ex forma instrumenti, ut dixi plene in dicto tractatu per me composito q. 9. ubi dico quod illa perplexitas: *si ille cedit & ego cedam*, & e converso, fit purificata postquam stat per eos quominus cedant, ut est casus in lege *si Titius*, de verborum obligationibus. Item in instrumento subjungitur: *& omnem aliam viam rationabilem &c.* sed multæ aliæ sunt viæ per quas posset haberi unio & implere subterfugium; et ergo in mora perjuriis & votorum fractionibus. Item probo quod illa, *si & quando* non faciant conditionem; sed sonent in monitu nunc, quia adhuc de jure communi propter vitandum scandalum & schisma antiquatum cedere tenebantur, 24. q. 1. *memor*. Item Gregorius qui primo apposuit dictam conditionem *si & quando*, debuit prævenire in implendo dictam conditionem, quia ad hoc Benedictum per suas literas provocavit, ad hoc quod notatur in capite *frustra* de regulis juris in VI. mercurialibus, quod notatur in simili in dicto capite de offic. deleg. Non obstat quinta ratio, quod deficiat ex defectu formæ, postquam non est expressa via cessionis; nam expresserunt magis facilem ecclesiæ expedientem; nec per hoc sequitur, quod si concilium videret viam faciliorem, sint per hoc manus sibi ligatæ; quia in istis publicam utilitatem concernentibus judiciis officium est latissimum, cap. *bonæ* de postul. prælat. Sed vere nulla melior est & expeditior, quam ista, quia uno verbo pro quolibet expeditur dicendo cedo, & ille similiter et ego 6. & 7. Quod obiiciunt contra indict. conc. trusæ sunt; & similiter quod dicunt in 8. 9. postquam enim Dei gratia est concilium congregatum, non est de istis juris apicibus & ambagibus, maxime de jure canonico, disputandum; sic enim sophismatibus & arte dialectica disputando, dicit canon, erroris offendicula præparant, & confirmant, & recurrunt in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum, cap. *transferunt* 25. q. 3. Et bene advertant dicti domini oratores ad cap. *qui aliorum*, ubi hæresiarca dicendus est, qui defendit aliorum errorem. Per prædicta expeditum sit secundum eorum principale dubium, quod, ut dixi, respicit nullitatem convocationis concilii pluribus respectibus, ut dicunt; sed con-

Locus mendosus.

trusæ sci-licet ca-villi.

contrarium est demonstratum, & contrariis satis clare responsum, ut ex superioribus patet.

Descendo ad tertium principale dubium, quod respicit nullitatem requisitionis ipsorum contendentium: circa quod revocatur in dubium, utrum requisitio facta de Gregorio per dominos cardinales, quod veniat ad concilium, quæ tamen requisitio eum personaliter non apprehenderit, quia sui copiam non fecit; habeat vim citationis peremptoriæ; ita quod per concilium ulterius citari non debeat; & eadem est quæstio de Benedicto, minor tamen, ex eo quod requisitio suorum dominorum cardinalium apprehendisset eum personaliter: sed restat dubium.

Utrum per concilium habeat necessario amplius citari, adeo quod ipsis non citatis ulterius possit procedi per concilium ad eorum ejectionem. Et pro istis duobus contendentibus, quod citari debeant per concilium, allegatur primo, quod domini cardinales contra eos non sunt judices competentes, sed concilium. Requisitio igitur illa non potest dici citatio, utpote facta a judice non suo; ergo nulla, cap. *at si clerici* de jud. & cap. *si non compet. jud.* per totum; oportet ergo quod citatio sit legitima & fundetur in jure, alias nullum producit effectum, l. *si prætor.* cap. *de statu* ad hoc, quod legitur & not. de off. deleg. in VI. Ex hoc ergo consequenter infertur, quod cum omne judicium incipiat a citatione, ut notatur ff. de in jus voc. in rubric. & cap. *ecclesia sanctæ Mariæ*, de constit. quod judicium sancta synodus debet incipere a citatione sua, non a requisitione facta a privata persona quoad ipsum citatum, cap. *ut animarum* de constit. in VI. & l. *extra territorium* de jurisdictione omnium jud. ubi etiam citatio facta a judice de illo, qui non est de sua jurisdictione, non valet. In contrarium primo arguam, quod dicta requisitio de prædictis sit vera & legitima citatio & ad totam causam. Secundo quod etiam si non esset citatio, tamen concilium non teneatur eos citare; sed ad eorum ejectionem procedere, potuit & posset absque alia citatione; & pro evidentia dicendorum præmitto duo plene discussa pridie in nostris responsionibus factis pridie R. P. D. epis. Verdensi. Primo videtur, quod ad dominos cardinales, rebus sic in facto se habentibus ut se habent, pertinet convocatio generalis concilii, ex jurisdictione eis a jure concessa in hoc & in multis aliis similibus patet, prout plene dixi in secundo eorum dubio principali; Hoc ergo præmisso; secundo præmitto quod isti duo contendentes sunt, sive censentur, antiqui schismatis nutritores, propter quod dictum schisma, quoad eos, transivit in hæresim, ut in dictis meis responsionibus, & in dicto opere plenius &c. His pro veritate præmissis, quod requisitiones factæ de prædictis contendentibus a dominis cardinalibus sint citationes propriæ sic probatur. Concessa est cardinalibus jurisdictio convocandi prælatos ad generale concilium, ergo similiter & prædictos duos quorum causa concilium congregatur; ut sic cui conceditur principale videatur concessum id, sine quo illud, de quo agitur, explicari non posset, per hoc cap. *præterea* cum ibi notatis de offic. deleg. & l. 2. ff. de jurisdictione omnium judicum. Constat enim judicium ex judice, actore, & reo, cap. *ferus* de verborum significatione. Si ergo domini cardinales habuerunt jurisdictionem in convocando prælatos, quod futuri sint judices super actu, de quo agitur; ergo similiter & in futuros reos, ut compareant coram dictis judicibus, ut in juribus per aliud simile in judice recusato, quilibet, licet post recusationem non possit se intromittere de negotio principali, tamen, quantum pertinet ad illum actum recusationis expediendum, jurisdictionem habet contra partes contra arbitros cap. *cum speciali* de appellatione, & cap. *legitima* eo titulo in VI. Nec est hoc mirum, ut jurisdictio concedatur a lege in certo actu explicando, non in reliquo processu l. *senatus* ff. de officio præsidis. Item etiam est optimum simile in archiepiscopo, qui convocat concilium episcoporum contra episcopum accusatum de crimine, & etiam ipsum episcopum, & tamen ultra non extenditur ejus jurisdictio, 5. q. 2. *si primates*. Idem ergo in dominis cardinalibus, ut convocent concilium contra istos contendentes. Et habet ista opinio æquitatem; cum enim multitudo congregata ad concilium non debeat, neque possit dici commode commorari in loco, ut patet in cap. *propter ecclesiasticas* 18. dist. iniquum esset quod eo congregato inciperet judicium ab ipsius citatione; maxime in casu nostro, in quo Benedictus longe distat, videlicet Perpignani; unde loci & personæ qualitatibus pensatis, non deberet dari dilatio minor duorum mensium; sed cum concilium non possit stare vel debeat ultra mensem, ut dicto capite *propter ecclesiasticas*, dilatio citationis excederet terminum quo durare debet concilium; & hoc esset absurdum, l. 1. de glos. legum, & cap. fin. de jud. & l. *scire oportet*, de excus. tut. in ratione sui. Justum est igitur sic sentire & dicere, quod sicut cardinales habent jurisdictionem in vocando singulos prælatos ad concilium infra congruum spacium, prout factum est; ita similiter & prædictos contendentes, ut compareant in eodem termino ad abluenda crimina. Præterea si negetur pertinaciter dominos cardinales non habere jurisdictionem in citando ipsos contendentes; tamen probo quod dicta requisitio habet effectum citationis: constat enim ex facto & collusionibus & juramentorum transgressionibus prædictorum dominorum universalem ecclesiam & ipsos dominos cardinales gravari, quorum interest principaliter periculis Romanæ ecclesiæ providere, maxime de pastore cap. *ubi periculum* de electione in VI. Sed cum quis ab aliquo gravatur, vel gravari timet extra judicium, maxime in beneficialibus, potest adversarium ad causam provocare, ut dicit 60. in cap. *cum sit Romana* de appellat. & patet etiam in capite 1. de electione in VI. ubi propter quod ex illa appellatione extrajudiciali appellatur, debet venire instructus super tota causa; alias proceditur ad definitivam sententiam, eo ulterius non citato, ut ibi est textus. Nec potest dici ibi propria appellatio, cum fiat a gravamine non

ANNO CHRISTI 1409.

non illato in figuram judicii; sed dicitur provocatio in causam, ut dicto capite *cum sit Romana*. Et ita directe in casu nostro in quo propter ruinam, quæ ex istorum præsidentia imminet universali ecclesiæ, ambo sunt propter illud gravamen ad judicium, hoc est ad concilium provocati. Sive ergo dicta requisitio censeatur proprie, citatio, ut volunt præcedentia argumenta, sive requisitio & provocatio ad causam, ut vult proximum, concluditur quod debuerunt comparere instructi super tota causa, ut dicto capite. Et advertendum quod licet in ordinariis judiciis debeat exprimi in citatione præceptorium, ut compareat super tota causa processus, cap. *cum ex literis* in fine de restit: in integr. vel citetur ad singulos actus, cap. *ad petitionem* de accus. per Innocentium; tamen in vocatis ad concilium videtur de natura judicii speciale quod intelligantur citati super tota causa peremptorie; quod patet, quia debet in concilio manere & inde non discedere antequam concilium dissolvatur, ut dicto capite *propter*, & cap. *si quis autem* 18. dist. & XII. q. 3. *certum*. Secundo principaliter probo, quod etiamsi dicta requisitio de prædictis nullo modo facta fuerit; tamen concilium congregatum possit absque alia citatione vel requisitione ambos eiicere; primo quia impossibile est de facto & de jure unionem universalis ecclesiæ posse sequi, nisi ambobus ejectis: de facto namque dixi, nam pars quæ adhæsit uni vel alteri jam 30. annis, verisimile non est velle alterari quam cui credidit adhærere; nam hoc notorium est, quod qualibet pars dicto tempore in suo proposito perduravit, & sic in futurum, nisi ambobus ejectis per concilium, verosimiliter perduraret, *cap. maiores* de baptismo, et l. *sancimus* C. de test. Item juris discussio, videlicet quis ex eis sit verus apostolicus, sit difficilis, immo penitus impossibilis propter conflictum rationum hinc inde urgentium; item propter opiniones doctorum excellentium contrarias; item propter factum vario et contrario modo propositum ab utraque parte, ex quo jus oritur l. *si ex plagiis* §. *in clivo* ad l. Aquil. cum ergo non possit liquere concilio quis sit papa, ambo debent eiici l. *duo sunt Titii* de test. tut. Quinimmo si posset constare de justitia electionis alterius, tamen si ex depositione alterius scandalum remaneret, debent propter hoc ambo eiici, ut notat. Hugo 63. d. c. finali. Nec mirum quia etiam verus prælatus, si ex ejus præsidentia oriretur scandalum, et ecclesiæ sic immineret periculum, teneretur cedere, ut notatur in cap. *nisi cum pridem* §. *pro gravi* de renunt. & est ratio, quia propter publicam utilitatem, privari potest quis dominio rei propriæ l. *Lucius* ff. de evic. multo fortius administratione rei non suæ quoad proprietatem 12. q. 1. cap. fin. l. cum ibi notatis.

Ad propositum ergo si essent præsentes nulla excusatione admissa propter juris & facti obscuritatem erga eorum titulos; item propter extirpationem schismatis antiquati & ecclesiæ unitatem ambo possent eiici propter jura prædicta; ergo similiter in eorum absentia hoc fieri potest, quia quod possum

A facere te præsente & invito, multo fortius te absente, l. 2. §. *voluntatem*, & l. *dotem* ff. solu. ma. Ex hoc concluditur, quia nulla citatio requiritur ad eorum ejectionem, postquam ipsis præsentibus & invitis concilium hoc facere posset. Secundo hoc alia ratione confirmo: constat ambos cathedram, quæ non capit duos, ut supra dictum est, contra fas & non electione canonica possidere; constat scilicet ex eorum præsidentia ecclesiam militantem majora detrimenta pati, quam enumerentur in dicto capite *in nomine Domini* 23. dist. Constat eos schisma fovere, cum servando pacta possent illud amovere. Sed talibus dicit ibi textus omnem audien-B tiam denegari, & glossa dicit idem ibi de schismaticis; ex quo infero, quod citari eos non expediat postquam non debent præsentes audiri. Cum enim citatio fiat ad finem defensionis; ubi denegatur defensio; est ergo superflua citatio; ubi enim ratio legis cessat, cessat & lex, cap. *cum cessante* de appellatione, & l. *adigere* §. *quamvis* de jur. patr. Tertio probo sic; constat in ecclesia de facto esse ista duo capita, & contra præcepta evangelica, apostolica, & canonica præsidere in cathedra beati Petri, & hoc est delictum maximum, quia corruptus est articulus *unam sanctam ecclesiam*. Constat ex hoc ecclesiam scandalizari; constat hoc scandalum durasse in ecclesia jam sunt 30. anni; C constat ex debito pastoralis officii & promissionibus ambos obligari ad cessionem & ad ipsam unum alterum provocasse per plures literas hinc inde transmissas, & ad reges, & ad principes; constat sacro concilio neutrum cessisse, sed in suis cathedris hodie etiam præsidere; sed cum ista omnia sint notoria facti permanentis, ex quo ecclesia scandalizatur, non videtur quod in facto tam notabiliter notorio, quod se exhibet in conspectu concilii; & notum est hoc judici ut judici, quod præsideant ambo contra jura prædicta, requiratur aliqua citatio, cum ex eorum præsidentia semper scandalum & iniquitas appareat in conspectu, cui ini-D quitati debet semper judex ex officio occurrere, etiam nemine petente, cap. 1. de offic. vicar. Quia ergo processus contra ambos formatus est super notorio actu permanente, et ex dilatione per citationem possunt multa pericula imminere, videlicet dissolutionis conc. propter longam moram, propter imminentia guerrarum pericula, quæ non multum distant, item propter periculum continuationis, quæ in multitudine incuriosa sæpe suboritur; concluditur manifeste quod absque aliqua citatione possent ambo per concilium eiici. Hæc est communis opinio, videlicet quod propter imminens periculum, vel ubi probationes non sunt necessariæ, ut in casu no-E stro, in quo apparent duo capita in ecclesia quasi monstrum, ad quæ solum delenda agitur, citatio non est necessaria! & ita tenet Jo. Cal. in comment. cap. *vestra* de cohab. cler. & Mul. in v. *circa quintam quæstionem*.

Quarto sic: constat & notorium est hoc concilium fuisse convocatum a sexta mensis citra, & causam convocationis scilicet ad ejectionem istorum dominorum; item certum

tum est eos verisimiliter hoc scivisse & eis a regibus & civitatibus nuntiatum & exhortati ad cessum; hac ergo scientia præsupposita, non videtur de his alia citatio necessaria; fit enim citatio ad finem scientiæ inducendum; sed qui certus est certiorari non debet. Ad hoc optime dicta causa de electione in fine, & quod ibi notatur in glossa super verbo *poenam*: nam & in multis casibus sola scientia & aliter non intimata sufficit, ut e l. p. de am. ep. & est regula juris *eum qui certus* in VI. ergo similiter in favorem fidei isto casu in quo favore religionis multa contra juris regulas statuta sunt, ut l. *sunt personæ* de relig. & simp. fu. Soluto, ut dixi supra, proximo dubio, ista promissio de cedendo et omnem aliam viam utilem prosequendo juramento firmata videtur facta æterno judici, idest Deo & suæ ecclesiæ militanti, arcanorumque notante, in cap. *quoties cordis oculis* q. 7. & videtur dictum juramentum litis decisivum, & interpositum super re dubia et certa, scilicet quæstione papatus: eo ergo ipso quod constat judici de hoc ut judici; quia talis obligatio exhibetur judici, idest concilio, videtur habere exequutionem paratam, l. *tale pactum* §. *qui provocavit* ff. de pactis; sed in exequutione quæ petitur, scilicet privatione papatus non videtur necessaria citatio, ut notatur in simile cap. *veniens* de testibus; maxime post tam longam moram & tergiversationibus habitis per eos et non cedendo. Sexto & ultimo concludendum videtur ex rationibus et juribus præallegatis, quod citatio rite et recte intervenerit ab habentibus potestatem et jurisdictionem citandi, vel saltem ad causam provocandi; et quod etiam circumscripta omni citatione sententia sacri concilii super eorum ejectione fienda non possit de iniquitate vel nullitate redargui, ut dicam in fine, et maxime hæc sunt vera contra istos contendentes, ex quorum contentione ecclesia Dei redacta est quasi ad nihilum, et habita pro eo in ludibrium et hæresim populorum. Insuper viam facilem cessionis suis collusionibus et dissensionibus super loci electione & aliis reddiderunt difficilem & obscuram, & finaliter reprobarunt tamquam diabolicam & damnationem; sic ludibrio jura omnia & sanctorum patrum exempla saluberrima in similibus contemnentes. Numquid ergo talibus, qui jura divina pariter & humana pervertunt, debent ad unguem jura servari, vel potius armari gladio ultore? Certe dicunt leges et canones quod frustra legis auxilium invocat qui committit in legem, cap. *quia frustra* de usuris. Pro hoc exemplum valet Mathatiæ, de quo supra in declaratione primi dubii V. *exemplum habes*. Ex quo exemplo et aliis concludendum videtur, quod ubi totius christianitatis strages jacet, & pericula animarum imminent, et jura jam fere sepulta jacent, non sit ita omnimodo juris exacta diligentia servanda, ut in multis casibus non ita gravibus ostendi posset; sed quia non expedit, non prosequor; & hoc de tertio principali ipsorum dubio.

Venio ad quartum dubium principale, quod, ut dixi, respicit nullitatem et quo-

A dammodo impossibilem unionem et mixturam dominorum cardinalium utriusque collegii; primo quia citati sunt a duobus contendentibus, quorum alterum certum est in rerum natura non esse papam, & per consequens nec creatos ab eo fore cardinales tamquam trahentes originem ab infecta radice, ut dicit textus in cap. *cum inter vos* de re judicata, ibi unde causam & originem habuerunt, facit lex *cum principalis* de regulis juris, & cap. *accessorium* de regulis juris; & ideo sicut dominus Gregorius & Benedictus non possunt sic invicem se unire, ut retineant ambo papatum; ita nec cardinales utriusque partis ut retineant cardinalatum. Talia enim non pactionibus sed legitima in-

B stitutione possidentur, cap. 1. de regulis juris in VI., & maxime hoc verum, quia mixti cardinales veri cum non veris possent illos qui veri non sunt citare de novo, ut notatur in di. *Neroniani* de elect. ergo non eos tacite pro cardinalibus recipere, vel tenere, ut quod non potest fieri expresse, non possit tacite, l. *quod ad certum* ff. loc. Secundo una persona cardinalis utriusque collegii usque ad tempus discessus a suis capitibus, videlicet Gregorio & Benedicto, reputavit alteram anathematizatam excommunicatam, & schismaticam per sententias & processus dictorum contendentium promulgatas. Ex illa igitur unione videntur incurrere inconve-

C niens manifestæ contradictionis, si volunt modo dicere non fuisse tales vel ad legitimos actus excommunicatos recepisse, & per consequens vitiari actus tales legitimos propter talem mixturam, statuente cap. *illa* de elect. & cap. *cum super abbatia* de off. delegati. Nam saltem videtur debuisse intervenire reconciliatio secundum formam, qua schismatici & excommunicati ab ecclesia consueverant recipi, I. q. 7. *si qui*, & cap. *quoties* & II. q. 3. *canonica*. Hæc autem illotis manibus, ut sic dixerim, se invicem univerunt, quod videtur derisorium, & ineptum, & omni ratione carens; maxime quia una pars alteri, & e converso, se immiscuit &

D univit, tamquam semper fuerint veri cardinales, quod est impossibile, ut prædixi. Natura autem respuit, ut contraria quæque jungantur l. *ubi repugnantia* de regulis juris. Tertio videtur, quod crimen antiquati schismatis, quod dominus Benedictus & Gregorius obiiciunt, quæ ipsi contraxerunt cum ipsi pacifice & quiete cum eis manserunt, & ab eis & eorum prædecessoribus creati fuerunt; ex hoc videntur participasse in crimine damnato unde pari sententia involvuntur, ad hoc II. q. 7. *sunt nonnulli*, & 3. q. 5. *canonica*; morbo enim simili laborantes ab accusatione & testimonio repelluntur, cap. *persona*, & cap. *veniens* de testibus; facit de

E exceptione *cum* eccles. de div. *significasti* de adul. *intelleximus* cum similibus. Istæ sunt rationes quas ego facio pro parte dictorum honorandorum oratorum; quibus tamen non obstantibus contrarium est de jure dicendum: & primo hoc probo propter mixturam verorum cardinalium cum non veris. Certum est enim in rerum natura, licet non apud nos, alterum ex eis contendentibus esse verum papam, & per consequens cardinales ve-

veros qui trahunt cauſam & originem ab eodem, ut juribus allegatis ſupra in prima ratione pro parte contraria; ex quo ſequitur favore fidei & ſanctæ unionis debere iſtam mixturam valere: nec debet utile per inutile vitiari, cap. *utile*, & quod ibi notat Dinus de regulis juris in VI. Et hoc maxime propter mixturam inſuperabilem propter incertitudinem qui ſint veri vel non veri, Ad hoc l. 3. §. *Generaliter* de dominatione inter virum & uxorem, & l. prima §. *Primo* ff. de falſo tutore, ubi authoritas præſtita a falso tutore ſimul cum vero valet facit quod notatur in cap. 1. de jure patr. in ſexto. Secundo hoc probo propter mixturam duorum, diverſam vel contrariam naturam habentium; natura enim talium eſt ut magis dignum trahat ad ſe minus dignum cap. *quanto*, et ibi ſcripſi de judic. et cap. *quod in dubiis* de conſec. eccleſiæ vel alt. Item natura contrariorum eſt ut id quod reperitur utilius et melius in altero participet reliquum, cap. 1. *ne ſede vacante*, & l. 1. de rei vendi. & l. 2. cómu. de leg. & l. 1. de leg. 1. per part. ſic & alibi unus participat de natura alterius & ſequitur opera alterius quod non habet ex perſona ſua. Patet in uxore, quæ habet privilegium ex perſona viri, 32. q. 1. *ſi quis uxorem*; & cognatio ſpiritualis contracta ab uno trahitur ad alios 30. q. 3. cap. 1. Item non poteſt compromitti in laicum de re ſpirituali, ſed in clericum & laicum ſic, cap. *contingit*, & cap. *per tuas* de arbi. Ad propoſitum ergo, cum ſit dubium, utrum iſti vel illi ſint veri, & certum ſit in rerum natura alteros veros; conſequenter infertur quod iſta unio toleretur. Sic et alibi fit unio duorum ſenatus conſultorum, quando eſt dubium utrum ex uno vel ex alio competat jus agendi; nam poſtquam certum eſt ex utriuſque mixtura competere, fit amborum conventio ut l. I. §. *Quod ſi hoc ipſum* de lib. et l. *Galus* §. *Si ejus*, et §. *Ille caſus* de lib. et poſt. ſic cum eſt dubium in cujus territorio ſit delictum commiſſum, puta in confinibus, fit conjunctio amborum judicum de loco delicti contendentium, l. *Juriſperitos* §. *Cum oriundus* de excuſ. tut. et cap. *cum illorum* de ſententia excommunicationis; nam et alibi propter dubium facti vel juris admittitur quod alias prohiberetur, ut notatur in cap. *uno* de poſtul. prælat. & l. 1. §. *Quod autem*. Tertio confirmatur hoc, quia aliter jura ſtatuunt de re dubia, aliter de re certa l. *eleganter* §. *Si quis poſt* de condi. indeb. & l. 1. ff. quæ ſunt ſine app. reſcind. Quarto, poſito quod non veri cardinales non poſſent recipi vel admitti; tamen poſtquam eſt dubium ſint veri vel non, videntur poſſe admitti; cum ſint in quaſi poſſeſſione cardinalatus: unde ratione dubii & tituli colorati videntur in ſua quaſi poſſeſſione tuendi, cap. 2. *ut lite pendente*, & cap. *conſultationibus* de jur. patron. Item cum tractaretur de papæ creatione, ceſſat exceptio inhabilitatis perſonæ, ut excommunicationis, & omnis alia ſolemnitas, Clem. ne *Romani* de elect. & cap. *licet de evitanda* eodem titulo; ergo multo magis in eccleſiæ unione, ubi major neceſſitas in ſedando peſtiferum ſchiſma. Quinimmo pro defenſione fidei licita eſt unio etiam cum paganis; nam Machabæi, qui erant viri ſancti & pugiles, univerunt ſe cum Romanis, ut mutuo ſe juvarent 1. Mach. 8. & tunc Romani erant pagani: nam & canes Eccleſiæ pro pace eccleſiæ toleramus, 23. q. 4. *quidam*; & Deus quandoque per malos facit vindictam ſuam 23. q. 5. §. *Hinc notandum*. In favore etiam fidei, in cauſa quæ ſapit hæreſim, ut eſt iſta, excommunicati, tyranni, & alii poſſunt requiri pro auxilio & admitti ad teſtimonium, cap. *in favóre*, & cap. *præſidentes* de hæret. in VI. Quarto hoc probat ordinatio Gregorii et ſuorum cardinalium facta in conclavi poſt aſſumptionem ſuam, cum iteratione juramenti & voti confirmatam; nam in dicta ordinatione, voto & juramento primo ſe adſtrixerunt proſequi omnem viam rationabilem & pro integratione eccleſiæ chriſtianorum, nihilque omittendo de neceſſariis, utilibus, vel quomodolibet opportunis; & poſtea ſubjungitur: *dummodo anticardinales effectualiter velint cum ipſis dominis & ſacro collegio ſic convenire ac concordare, quod ex hoc ſacro collegio & ipſis ſequatur juſte canonica electio unici ſummi Romani pontificis &c.* Ex quibus rationibus, quoad efficaciam unionis & maxime utriuſque collegii duo ſunt ponderanda: primo quod hæc mixtura viſa fuit & eſt utilis pro executione ſanctiſſimæ unionis dictis dominis cardinalibus; nam una pars non potuiſſet ſine altera eccleſiam contra dictos contendentes univerſaliter congregare. Secundo quia ratione dictæ utilitatis ad finem unionis idem Gregorius videtur expreſſe in dicta mixtura a principio conſenſiſſe & de ipſa cogitaſſe; & ſimiliter Benedictus dum per quamdam ejus literam bullatam dictam ordinationem Gregorii approbavit, & ad celeritatem expeditionis exhortatus fuit; per dictam ordinationem videtur omnis inhabilitas de perſonis ipſorum cardinalium, ſi qua erat, abolita, & ſuper ipſam per Gregorium diſpenſatum; quia poſtquam approbavit mixturam, per conſequens videtur removere voluiſſe omnia obſtacula per quæ potuiſſet talis unio impediri; arg. l. *illud*, ff. de acqui. hæred. & l. *quidam conſulebat* de re jud. Iſta igitur unio & mixtura videtur eorum ab eis facta poſtquam impartiti ſunt auctoritatem, argum. l. 1. cap. de vet. jur. enucl. & licet illa verba videantur referri ad unionem & mixturam poſt ceſſionem ipſius; tamen idem eſt & ante ceſſionem, poſtquam ſtat per ambos (quod) non habetur conditio pro impleta, maxime poſt contractum crimen fautumque ſchisma per eoſdem, ut dictum eſt ſupra; unde non abſurde, ſed probabiliter dici poſſet, quod poſt dictam mixturam de jure potuiſſent ad electionem procedere abſque alia convocatione concilii propter dictam ordinationem; & per iſtam rationem tollitur ſecunda ratio facta ſuperius in contrarium; tollitur etiam ſecunda ratio prædicta per ea quæ dixi ſupra in ſecunda electione facta pro illa parte. Fuit ergo valde utile illud pactum pro unione utriuſque collegii; ſimiliter & illud quod poſſent proſequi omnem viam utilem &c. nam per illam ordinationem potuerunt facere ſubtractionem, et alios ad hoc idem exhortari; potuerunt ſimiliter concilium convocare et in-

invicem se unire, quia hæc omnia utilia, quinimmo necessaria, pro unione facilius obtinenda. Non obstat prima ratio facta supra in contrarium, nam sive restaret quod sint non veri, sive esset dubium quod sint illi; dicta unio & mixtura est valida per ea quæ dicta sunt supra in ratione tertia pro illa parte. Non obstat quod sicut Gregorius & Benedictus non possent sic se unire, ut tenerent papatum; ita nec cardinales ut retineant cardinalatum; quia papatus regitur jure poli, & nulla constitutione posset in duos dividi per jam dicta superius; cardinalatus vero & alia beneficia & dignitates regulantur jure fori; unde unio, divisio & omnis alia compositio potest recipi auctoritate superioris, & pro evidente utilitate & necessitate ecclesiarum facit quod notat Innocentius in cap. *de multa* de præben. unde non improbabiliter dici potest, quod sacrum concilium & futurus Pontifex possent dispensare quod singuli promoti per dominos Gregorium & Benedictum ad eamdem ecclesiam possent eam simul, dum vixerint, possidere, arg. cap. *nisi essent* de præben. pro hoc quod notatur 7. quæ st. prima, *non autem*, ubi ista differentia papatus ad alias dignitates; nam ut ibi dicit glossa in papatu comprehenditur articulus unam sanctam ecclesiam: & esset secundum Hugonem indeformitas, videlicet in eodem corpore duo capita, quasi monstrum; & uni tantum dictum est: *& tu vocaberis cephas*, 22. dist. *sacrosancta*; ubi etiam patet quod ecclesia Romana et apostolica non ab apostolis, sed ab ipso domino salvatore nostro primatum obtinuit per illa verba: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, Matth. 6. Omnes vero aliæ ecclesiæ dictæ sanctæ apostolica auctoritate Domino disponente reguntur, ut ibi dicit textus: ex quo bene concluditur quod dicebam, papatum regulari jure poli, alias vero ecclesias jure fori. Non obstat tertia ratio, quod domini cardinales laborent eodem morbo propter tolerantiam diuturni schismatis in manendo cum eis & non obviando: primo namque apparet de eorum diligentia, dum curarunt in conclavi ambos, scilicet Gregorium & Benedictum, vinculis juramenti & voti adstringere ad cedendum, quod & hoc credere debuerant ipsos esse facturos, tum quia ita promiserunt, tum quia postea ita se velle agere per totum orbem suis literis publicarunt. Non ergo erat credendum, ipsos æternæ salutis fore immemores, l. fin. C. de sacrosanctis Ecc. nec decepturos Deum & homines suis dictis. Tandem cum centies moniti ut factis non verbis promissa juramenti & votorum vinculis roborata implerent & neglexerunt, secuti sunt doctorem gentium Paulum, qui cum minorem fructum de se certo loco manendo conspiceret, ad gravem laborem se alibi cum fructu servavit, & velut fortis præliator teneri inter claustra noluit, sed certaminis campum quæsivit 7. q. 1. §. *Hinc etiam*, & cap. fin. Restiterunt igitur isti reverendi patres & D. D. cardinales utriusque collegii, & resistunt his duobus prave decertantibus ex amore justitiæ, & pro defensione dominici gregis exposuerunt se ex adverso velut murus pro domo domini, 43. dist. *sit rector*. Per prædicta expedita & declarata, judicio meo, omnia dubia prædictorum venerabilium oratorum, qui minus recte de efficacia gerendorum &c.

SESSIO IX.

Die Veneris XVII. mensis Maii fuit IX. sessio concilii, in qua post missam et alia consueta, ad petitionem promotorum fuit pronunciata per patriarcham ad hoc de consensu singulorum de concilio deputatum, quædam cedula super expeditione hujus diei, factis primo per advocatum petitionibus, & secuto consensu singulorum de concilio super eisdem petitionibus. Fuit etiam petitum, quod, ut melius et cum majori concordia possit procedi, si contigerit in posterum, durante concilio, aliquos, cujuscunque status existant, situatos esse vel fore in aliquibus majoris vel minoris ordinis, etc. quod hoc non possit generare præjudicium, vel jus novum adquirere, sed cuilibet remaneat sua prærogativa illæsa, quod concorditer concessum est. Tenor atem cedulæ talis est.

„ Sancta et universalis synodus hic in „ Christi nomine congregata, declarat, pronunciat et decernit ex justis et rationabilibus causis a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. et Angelo Corrario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, et ab ipsorum cujuslibet obedientia licuisse recedere libere et impune, videlicet a præfato Benedicto ab eo tempore, quo viam cessionis per eum juratam et solemni voto firmatam et promissam realiter prosequi et damnabiliter adimplere prætermisit.

„ Insuper eadem sancta synodus ex causis quibus supra, pronunciat, statuit, ordinat, et decernit præfatis contendentibus de papatu, et ipsorum cuilibet, qui canonice requisiti et vocati in præsenti causa schismatis et fidei, fuerunt declarati legitime contumaces, fore a cunctis Christi fidelibus omnimodam obedientiam substrahendam ex nunc et in antea ab omnibus pro substracta haberi, et ita observandum decernit, pronunciat atque mandat.

„ Processus autem et sententias, condemnationes, privationes, nihilitates, constitutiones, et censuras quoscunque per ipsos contendentes in ipsorum alterum in præjudicium unionis ecclesiæ, aut prosecutionis ejusdem contra substractos aut imposterum substrahendos factos et imposterum fiendos, hæc sancta synodus decernit, et declarat cassos existere, et nullius esse roboris vel momenti, et eosdem cassat et annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procedet.

„ Item, eamdem sancta synodus in favorem fidei, et pro schismatis extirpatione, ac lacerata ecclesia unienda et pacificanda, decernit, pronunciat et declarat, omnes cujuscumque status, etiamsi cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt, aut esse possunt judices seu conjudices in concilio, etiam esse posse legitimos testes, eorumque tam testimoniis quam sententiis fidem esse indubiam adhibendam.

Item

„ Item, cum propter diversitatem et „ prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum posset testium examinatio dispendiose protelari, propterea sancta synodus decernit, pronunciat, et declarat, quod domini commissarii seu examinatores, ad hoc per sanctam synodum deputati, possint dictos articulos declarare, specificare, et in eisdem addere, detrahere, et mutare, ac etiam novos articulos de novo recipere, et super eis testes examinare et interrogatoria facere, prout utilitati et accelerationi causæ viderint expedire, et mittere etiam extra locum concilii, maxime Florentiam, ad recipiendum et examinandum testes; et ex prædictis, causa cognita et deliberata, dat, statuit, et decernit tertiam dilationem ad probandum, et testes producendum, et ad ulteriora procedendum, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit XXII. hujus mensis, ad quam diem statuit et ordinat proximam sessionem.

Dum vero peterentur vota singulorum super præmissis, omnibus in eisdem consentientibus, contradixit unus Anglicanus cortisianus de servitoribus Errorii, cui propter contradictionem petitum est, an mandatum haberet essendi in concilio: quo respondente, quod nullum habeat mandatum; statim cum confusione ejectus de concilio, et tandem ad sciendum quis esset, et causam adventus et contradictionis, et unde veniret, missus est in carcerem.

Gregorii scilicet.

SESSIO X.

Mercurii XXII. mensis maii fuit decima sessio concilii generalis, ubi missa per dominum Turonensem archiepiscopum celebrata, et aliis solitis solemnitatibus adimpletis, petitum fuit a singulis de concilio per aliquos ad hoc deputatos, et etiam per advocatum et promotorem, an placeret concilio quod domini episcopi Cameracensis et Atrebatensis irent ad dominum gubernatorem Januæ et Januenses, videlicet Cameracensis ex parte concilii, et Atrebatensis ex parte collegii pro certis negotiis etc. quod omnibus placuit.

Postmodum per præfatum advocatum nomine promotoris petitum extitit, quod cum dati fuissent plures termini ad producendum, recipiendum et examinandum testes super articulis et eorum notorietate, alias propositis in concilio contra duos contendentes, et domini ad hoc deputati multos recepissent et examinassent, ipsique duo contendentes citati fuissent ad videndum et audiendum eorum publicationem, quatenus ad hoc vocarentur; qui si non comparerent, aut eorum alter per se vel alium, accusabant eorum contumaciam. Et ipsa adjudicata, petierunt dictas attestationes publicari; de qua petitione et requisitione petierunt instrumenta etc. Qua petitione facta, de beneplacito et assensu concilii duo ex dominis cardinalibus, et cum ipsis domini archiepiscopi Januensis et Pisanus, una cum notariis et testibus iverunt ad valvas ecclesiæ vocatum præfatos contendentes. Quibus reversis, petito per promotorem, quod de hujusmodi vocatione, etc. fieret relatio; unus ipsorum dominorum cardinalium retulit pro se et aliis, qui cum ipso fuerant, quod præfatos contendentes vocaverunt ad præmissa, quorum nullus aut eorum nomine pro ipsis comparuit. Et tunc reputati sunt contumaces per patriarcham præsidentem.

Deinde per advocatum et promotores præfatos petitum extitit, quod in prædictorum contendentium contumacia publicarentur attestationes testium per dominum archiepiscopum Pisanum, si placeret concilio. Quod omnibus placuit. Et tunc idem dominus archiepiscopus cathedram ad hoc deputatam ascendit, ubi narravit quod cum dominis commissariis, ad hoc per concilium deputatis, multos testes recepissent, et examinassent in causa schismatis et fidei contra duos perperam contendentes de papatu, ipsisque pro contumacibus reputatis, sibi fuisset injunctum, quod easdem attestationes publicaret. Primo dixit, se publicaturum eas generaliter, deinde specialiter. In genere namque dixit quod omnes articuli contra præfatos contendentes propositi, et maxime substantiales sunt probati, veri, notorii et publici. In specie autem dixit, quod ut melius, clarius et lucidius appareret de ipsorum singulorum probatione, singuli articuli legerentur per unum de notariis, qui ipsas attestationes redegerant in scriptis, et in fine singulorum articulorum publicaret idem dominus Archiepiscopus per quos testes articulus probatur. Iste articulus in prima sui „ parte probatur verus et notorius per quindecim testes, de quibus tres sunt cardinales, unus patriarcha, sex episcopi, unus abbas, tres doctores juris, et unus licentiatus in decretis. Secunda pars ejusdem articuli probatur vera et notoria per quindecim testes, quorum tres sunt cardinales, unus patriarcha, quinque episcopi, unus abbas, et quatuor legum doctores, et unus licentiatus in decretis. Tertia pars quæ incipit: *& tunc illico* probatur vera et notoria per IX. testes, quorum unus est cardinalis, unus patriarcha, tres episcopi, unus abbas, duo doctores, et unus licentiatus in decretis. Deinde statim notarius legit secundum articulum. Quo lecto dixit dictus D. archiepiscopus Pisanus. „ Iste secundus articulus probatur verus et notorius per octo testes, quorum tres sunt cardinales, unus episcopus, unus electus ad ecclesiam cathedralem, duo doctores, unus licentiatus in decretis. „ Postmodum notarius cœpit legere tertium articulum, et secuta fuit publicatio eo modo, quo nunc supra dictum est; et similiter factum fuit de singulis articulis sequentibus usque ad vigesimum articulum inclusive. Et quia propter magnum numerum aliorum articulorum sequentium non potuit hodie perfici publicatio, petiit idem D. archiepiscopus publicationem residuorum differri usque in crastinum, si placeret concilio. Et hoc omnibus placuit. Sicque

ANNO CHRISTI 1409.

que recesserunt Domini de concilio.

SESSIO XI.

Jovis XXIII. maii fuit XI. sessio concilii, in qua post missæ celebrationem & alia consueta, perficit dominus Pisanus publicationem testium, quam heri inchoaverat, scilicet usque ad ultimum articulum, qui est XXXVII. Deinde lecti fuerunt per eum quinque novi articuli ab aliis superadditi per dominos examinatores, qui hæc poterant vigore suæ commissionis, super quibus etiam testes receperant & examinaverant, publicavit eorum depositiones eo modo quo de aliis præmissum est. Quibus peractis, advocatus concilii pro & nomine promotoris B etiam petiit & requisivit formaliter isto modo: „Reverendissimi patres, audivistis sufficientem & plenam relationem factam „& hic in vestrum & totius sanctæ synodi „præsentia recitatam per reverendum patrem dominum archiepiscopum Pisanum, „de mandato reverendissimorum in Christo „patrum dominorum cardinalium Laudensis & S. Angeli senioris, & dominorum „prælatorum, & aliorum commissariorum „& examinatorum in præsenti causa per „hanc sanctam synodum deputatorum, & „ex eorum authentica & sufficienti relatione clare constat omnia & quæcumque „proposita & producta contra duos Bene-C dictum & Gregorium contendentes, immo verius colludentes de papatu esse publica manifesta & notoria, ita quod non „possint aliqua tergiversatione celari; propterea peto, supplico & requiro nomine, „& pro parte promotoris & procuratoris, „ad persecutionem causa præsentis per „hanc sanctam synodum deputatorum, per „eamdem sanctam synodum pronunciari, „decerni, & declarari omnia & singula in „dicta petitione contenta, esse vera, publica, manifesta, & notoria, & super eis „tamquam veris sufficienter probatis, publicis, manifestis & notoriis, ad ulteriora procedendum, prout tam magnæ ne-D cessitati ecclesiæ ac pertinaciæ, contumaciæ & obstinationi dictorum Benedicti „& Gregorii hæc sancta synodus viderit „expedire.

Postmodum petita fuit deliberatio concilii per dictum advocatum, an scilicet placeret, quod ad audiendum determinationem sanctæ synodi super dictis petitis & requisitis, & interim ad deliberandum super eis assignaretur terminus ad diem sabbati proximam, quod placuit concilio. Et tunc per „dictum archiepiscopum fuit pronunciatum „in hunc modum: Sancta synodus, audita „dicta relatione statuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem E „sacri concilii super dictis petitis & requisitis ad diem sabbati proximam, quæ erit „XXV. mensis præsentis maii, & ad ulteriora procedendum prout sanctæ synodo videbitur, ad quam diem statuit proximam „sessionem, & ordinatum quod ipsi duo contendentes citarentur, fuitque tunc citatorium in valvis ecclesiæ appositum in una cedula.

A Eadem die post prandium fuit congregatio generalis dominorum de concilio in ecclesia S. Martini super forma ferendæ sententiæ interlocutoriæ, super notorietate articulorum, &c. Et fuit data quædam cedula, quæ per singulas provincias visitata fuit & correcta. In fine concilii venit quidam, & præsentavit dominus cardinalibus quasdam bullas clausas a Petro de Luna eisdem transmissas, quas nullus de sua obedientia quondam voluit recipere; sed dominus cardinalis Mediolanensis eas recepit, instigante domino patriarcha, ut videretur tenor earum per quas in effectu prohibet cardinalibus, ne procedant ad quemcumque tractatum alium eligendi in papam, et magnam narrationem ponit, tandem ferendo sententias latas, eo ipso, contra non parentes dictis litteris, excommunicationis, depositionis, degradationis, inhabilitationis, &c. Et ulterius per easdem ratificat, approbat, & confirmat alias bullas & constitutiones per eum contra substrahentes vel appellantes a sede apostolica latas, editas, & emanatas, & multa alia continebant, de quibus, earum tenore audito, multi lætati sunt, quia per eas apparebat eum fuisse vocatum ad præsens concilium. Item, constabat de ipsius pertinatia, obstinatione & contumacia. Item, per eas apparebat quod frustra amplius expectaretur, &c. Immo plus secundum plurimorum judicium operabantur ad ejus convictionem, quam multorum testium probationes.

SESSIO XII.

Sabbati XXV. Maii vigilia Pentecostes domini fuit XII. sessio concilii. Primo missa de B. Virgine per episcopum Saonensem celebrata, dictisque et peractis aliis precibus et solemnitatibus assuetis, ad petitionem advocati fiscalis, etc. duo domini cardinales diaconi, una cum quibusdam aliis prælatis notariis et testibus iverunt ad valvas ecclesiæ vocatum ipsos contendentes, quorum dominorum cardinalium relatione facta, scilicet quod nemo eorum per se vel per alium comparuit, reputati sunt contumaces, et per dominum patriarcham pronunciatum ex„titit ut sequitur: Sancta synodus, attenta eorum, de quibus agitur notorietate, „de qua per factorum evidentiam, depositiones testium, et alia documenta legitime constat, habita super his matura deliberatione, pronunciat, decernit, et declarat, crimina, delicta et excessus, et „alia ad decisionem necessaria in prosecutione præsentis causæ deducta, contra Petrum de Luna et Angelum Corrario de „papatu contendentes per promotores seu „procuratores per hanc sanctam synodum „deputatos, fuisse et esse notoria, et tamquam super notoriis fuisse et esse ad ulteriora procedendum, et sicut in causa in „qua imminet scandalum, et periculum notorium est in mora. Postmodum fuit petitum, an placeret quod domini cardinales eligerent aliquas personas idoneas mittendas apud Senas et Lucam pro bona, justa et utili causa. Insuper quod placeret con-

ANNO CHRISTI 1409.

concilio quod domini commissarii ad examinandum testes alias deputati possent recipere quascumque probationes usque ad finem causæ. Ulterius quod ad diem Mercurii proximam assignaretur proxima Sessio ad deliberandum & determinandum de die ad quam citarentur duo contendentes ad audiendum jus et definitivam sententiam. Quæ omnia placuerunt.

SESSIO XIII.

Mercurii XXIX. maji fuit XIII. sessio concilii, in qua post missam et alias solemnitates et orationes solitas, magister Petrus *Plaoul* ascendit pulpitum ecclesiæ, et dixit quod habebat explicare opinionem matris suæ, universitatis scilicet Parisiensis, et assumsit thema *Congregabuntur filii Juda & Israel, & ponent sibi caput unum*, Osee c. 1. in fine. Et secundum Hebræos est principium secundi cap. quod deduxit multum notabiliter, ut patet per processum suum, in cujus fine dixit, quod per hæc quæ dixerat, nolebat universitas Parisiensis sibi attribuere auctoritatem aliquam seu prærogativam singularem. Non enim sola est universitas regni Franciæ, immo et Angliæ et Alamanniæ et Italiæ et aliarum nationum, cum de omnibus mundi partibus ibidem conveniant studentes. Unde si quid boni faciat ipsa universitas aut dicat, sive fecerit aut dixerit, honor debet attribui non solum Gallicis, sed omnibus prædictis. Opinio autem universitatis fuit, quod isti duo contendentes de papatu sunt schismatici, pertinaces et veri hæretici, termino hæresis stricte et proprie sumto. Hujus etiam opinionis dixit esse universitates Aurelianensem et Andegavensem. Quo facto, unus episcopus et unus magister in theologia Anglicus, et unus alius de studio Tholosano ascenderunt pulpitum. Et tunc dominus episcopus dixit omnes magistros in theologia, qui ad hoc sacrum concilium convenerant fuisse congregatos, et contulisse solemniter super hac materia. Qui omnes nemine discordante fuerunt opinionis prædictæ; numerus vero dictorum magistrorum quos nominavit erat centum et quinque, qui omnes erant magistri, exceptis sex vel octo, qui erant tantum licentiati et bachalarei formati. De numero prædicto erant XXIII magistri de universitate Parisiensi, alii de aliis studiis. Deinde subjunxit dictus episcopus, quod hujus opinionis erat universitas Bononiensis, et similiter universitas Florentiæ, ubi congregati fuerunt super hoc centum viginti sex doctores, qui concorditer hoc idem concluserunt. His dictis advocatus concilii petiit pro promotoribus instrumentum de præmissis opinionibus et relationibus. Et similiter dixit, quod cum ista sessio fuisset ordinata, ad assignandum diem super diffinitione hujus causæ et negotii, ad quam diem assignandam forent etiam citandi duo contendentes, quod attenta natura causæ et periculo dilationis, assignaretur terminus octo dierum, scilicet ad diem mercurii proximum, qui erit dies quinta junii, fieretque citatio, et apponeretur ad valvas eccles. et in aliis locis publicis civitatis Pisanæ, contra dictos contendentes, etc. Insuper quia super quibusdam novis articulis fuerant aliqui testes producti, si placeret, publicarentur die sabbati proxima, scilicet prima junii. Quæ omnia placuerunt concilio.

CON-

CONSULTATIO THEOLOGORUM

De abrogatione duorum Pontificum per concilium, & tertii electione,

In Sessione XIII. lecta,

Ex MS. Cod. Taurinensi.

IN nomine domini nostri Jesu Christi anno a nativitate ejusdem 1409, die 28. Maii in mane congregati fuerunt omnes Magistri in theologia tam episcopi quam abbates generales ordinum mendicantium & alii doctores licentiati, & baccalaurei formati ejusdem facultatis, ad requisitionem RR. in Christo PP. & DD. sacri collegii cardinalium in sacristia conventus FF. minorum de Pisis præsente & convocante eosdem R. in Christo P. D. D. cardinali Mediolanensi, coram quibus fuerit propositum attentis articulis & probationibus coram sacro generali concilio publice recitatis contra DD. de papatu contendentes, videlicet Petrum de Luna Bened. XIII. & Angelum Corario Gregor. XII. nominatos, utrum sint schismatici & hæretici reputandi. Secundo dato quod sit utrum sub titulo hæresis sint ab universali eccl. & papatus regimine eiiciendi. Ad quas quæstiones, habita pluries ad invicem matura deliberatione, responderunt & respondent unanimiter & concorditer sine discrepantia qualicumque, quod attentis prædictis articulis & sufficientissimis informationibus et attestationibus super inde receptis solemniterque probatis, prædictos Petrum & Angelum contendentes, ut præfertur, reputavit determinavit et affirmavit. *Deest spatium unius versus.* Attestationes SS. Doctorum in jure divino fundatos fore pertinaces, schismaticos et antiquati schismatis nutritores, et hæreticos, hæresis termino adstricte sumpto. Et per consequens per sacrum generale concilium et tales pertinaces scismatici antiquo scismate et hæretici sunt declarandi de jure ejecti. Et nihilominus ad majorem cautelam per diffinitivam sententiam ejusdem generalis concilii velut tales solemniter eiiciendi. Quorum dictorum licentiatorum et baccalariorum nomina sunt inferius nominata. Et quilibet, licet in hac cedula se non subscripserit, tamen paratissimus est ad perpetuam rei memoriam se subscribere.

Magistri de universitate Parisiensi.

Reverendissimus Pater et DD. Pe card. Mediolan. DD. episcopus Albinen. Cameracen. Constantien. Sistari Trecornn.

Abbates Molismenses de Vezalaîso, S. Gerani (f. l. Germani) omnes ordines S. Benedicti Cisterciensis bonorum camporum de Pontiaco, Claraevallis de Charitate, omnes ordines Cistercienses.

D. omnium Sanctorum Andegaven. ord. canonicorum regularium, magister Nicolaus de Turna ordinis Eremitarum magister Dominicus Parvi archidiaconus Metensis, magister Joannes Luqueti canonicus Cameracensis, magister Petrus Plaon canonicus Parisiensis, magister Matthæus de Longuadio archidiaconus in ecclesia Leodiensi, magister Ursinus de Tallenende pœnitentiarius Constantiensis, magister Bernardus Rondelli canonicus Leodiensis, magister Guillelmus Pulchripontis lector Mildensis.

Licentiatus in eadem universitate.

D. episcopus Caleolensis, magister Richardus de Rhon cancellarius universitatis Cantebrigiæ, Thomas Clare procurator omnium monasteriorum S. Benedicti in Anglia, F. Joannes Babynge ordinis Prædicatorum. Guillelmus Uffort ordinis Carmelitarum.

Baccalarii de universis testibus prædictis Oxoniensis et Cantebrigiæ. Joannes Fiten, Joannes Lub, F. Thomas Walden ordinis Carmelitarum.

Magistri de universitate Tholosana.

D. episcopus Dignensis, F. Joannes Gressi generalis Carmelitarum, F. Petrus de Wrena generalis Eremitarum S. Augustini, F. Joannes Corzie ordinis minorum, F. Vitalis Valentini ordinis minorum, Frater Raymundus de Salis ordinis Carmelitarum; Frater Ubertus de Rupe ordinis Prædicatorum, F. Petrus de Aula ordinis minorum, F. Alanus David ordinis Minorum minister Turingiæ, F. Petrus Garandi ordinis Carmelitarum.

DD. Archiepiscopi, Sipontinus, *Episcopi*, Novariensis, Laudensis, Nemausensis, Atrebatensis, magister Joannes de Padua episcopus et ambasiator D. Patriarchæ Aquilegensis, abbas Podii Bonizi.

Magistri de ordine Prædicatorum. F. Joannes de Firmo generalis, F. Franciscus de Retza regens in universitate Viennensi, F. Ubertinus de Albizi de Florentia, F. Leonardus de Florentia, F. Jacobus Joannis de Pisis, F. Michael de Verzellis, F. Joannes de Vallemborg, F. Andr. Thomæ de Florent. F. Joannes de Lacu, F. Simon de Cassana.

Magistri ordinis Minorum F. Antonius de Porreco generalis, F. Nicolaus de Tergesto electus Tergestensis, F. Antonius de Reate procurator ordinis, F. Bertrandus de Dinsten minister provinciæ Coloniensis, F. Joannes Leonis minister provinciæ Argentinensis, F. Franciscus de Crepa minister provincialis Mediolanensis, F. Joannes de Bononia minister provincialis Bononiensis, F. Nicolaus de Bitricano, F. Marcus de Parona, F. Lancelatus de Placentia, F. Joannis de Florentia, F. Nicolaus Bertoldi de Senis, F. Antonius de Massa, F. Joannes de Montenigro, F. Bartholomæus de Bononia, F. Joannes de Fontibus, F. Joannes de Prenedinis de Mutina, F. Antonius de Vercellis, F. Nicolaus de Cassia generalis, F. Simon de Florentia, F. Gabriel de Spoleto, F. Bartholomæus de Pisis, F. Joannes de Gomeissa, F. Antonius de Vinniecia.

Magistri de ordine Carmelitano. F. Matthæus de Bononia generalis, F. Andræas de Lu-

Luca, F. Guillelmus de Anglia, F. Bartholomæus de Florentia, F. Nicolaus de Francia.

Magiſtri de ordine Servorum F. Antonius de Bononia generalis, F. Antonius de Alexandria, F. Petrus de Roma, F. Stephanus de Burgo, F. Urbanus de Bononia, F. Antonius de Paſignano, F. Petrus de Florentia.

SESSIO XIV.

Die ſabbati prima menſis junii in vigilia SS. Trinitatis fuit XIV. ſeſſio, in qua poſt miſſam et alia conſueta per dominum archiepiſcopum Piſanum, aſſiſtentibus ſibi tribus epiſcopis, fuit ſummatum, et in brevi recitatus effectus ſingulorum articulorum contra duos contendentes productorum, et per quot teſtes ſinguli articuli probati ſunt veri, et etiam non ſolum per teſtes, ſed multi per bullas vel inſtrumenta, ſeu alia documenta.

SESSIO XV.

Mercurii quinta die junii, ſcilicet in vigilia conſecrationis corporis Chriſti fuit XV. ſeſſio, in qua divinis officiis prius more ſolito celebratis, advocatus concilii aſcendens pulpitum eccleſiæ Piſanæ, nomine promotorum, et pro ipſis propoſuit qualiter ſtatutum et ordinatum fuerat in ultima præcedenti ſeſſione, quod hac die vocarentur et citarentur peremtorie ad valvas eccleſiæ duo contendentes improbe de papatu: et quod niſi comparerent, aut alter eorum, accuſabat eorum contumaciam, ad quam convincendam mitterentur per concilium duo cardinales et alii prælati, ſicut alias in ſimilibus actum eſt, ad valvas ipſius cathedralis eccleſiæ convocatum duos contendentes. Quorum relatione facta, requirebat eos reputari contumaces, et in ipſorum contumaciam ſententiam diffinitivam ferri contra ipſos. Secundo propoſuit, quod alia ſeſſio, ſi placeret concilio, aſſignaretur ad diem lunæ proximam ſuper aliquibus aliis. Tertio quod nullus recederet de concilio ſub pœna excommunicationis et aliis pœnis juris abſque legitima ratione: quæ omnia placuerunt. Quo dicto, iverunt duo cardinales ad valvas eccleſiæ, cum aliis prælatis ad proclamandum, etc. quorum relatione facta, patriarcha Alexandrinus et duo alii patriarchæ, ſcilicet Antiochenus et Jeroſolymitanus aſcenderunt pulpitum dictæ eccleſiæ. Qui quidem Alexandrinus de conſenſu concilii expreſſe protulit ſententiam in ſcriptis ſedendo, cujus tenor ſequetur inferius. Deinde proteſtatus eſt dictus advocatus, quod propter aſſignationem ſedium factam multis in hoc concilio exiſtentibus, non intendebat ſynodus alicui præjudicare, ſed ſingulis eccleſiis et perſonis ſuas libertates et prærogativas reſervare. Lecta vero ſententia, cantatum fuit *Te Deum laudamus*, et ipſo finito, verſiculus cum collecta, et pulſatæ fuerunt omnes campanæ primo in majori eccleſia, deinde in aliis eccleſiis dictæ civitatis, et, conſequenter per ſuburbia, et alias villas et eccleſias ſucceſſive continuando. Ita quod infra tres vel quatuor horas poſt prolationem ſententiæ pulſatæ fuerunt campanæ in Florentia, quæ diſtat a Piſis XLIV. millaria. Et notandum quod ad hoc ut plures et major ac copioſior multitudo adeſſet in ipſa prolatione, clamatum fuit et præceptum cum tuba de juſſu poteſtatis Piſanæ, quatenus omnes et ſinguli de dicta civitate feſtivarent ſolemniter diem iſtam uſque ad meridiem, etc. quod factum fuit.

SEQUITUR TENOR SENTENTIÆ.

Chriſti nomine invocato, ſancta et univerſalis ſynodus univerſalem eccleſiam repræſentans, et ad quam cognitio et deciſio hujus cauſæ noſcitur pertinere, Sancti Spiritus gratia in hac majori eccleſia congregata, ibique pro tribunali ſedens, viſis et diligenter inſpectis omnibus et ſingulis productis, probatis, et agitatis, in præſenti cauſa unionis eccleſiæ et fidei et ſchiſmatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII. et Angelum Corrario Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præſenti proceſſu hujus cauſæ plenius continentur, ac quibuſcumque aliis ipſam ſanctam ſynodum ad infraſcriptam diffinitionem moventibus et inducentibus, habita prius inter ſeipſos et demum cum copioſa multitudine magiſtrorum in ſacra theologia atque utriuſque juris doctorum pluries et pluries diligenti collatione, et tandem deliberatione matura, omneſque pariter hanc in ſententiam reperiens unanimiter concordare, omni modo, via et jure quibus magis et melius poteſt, in prædictorum contendentium ſeu verius colludentium de papatu, et cujuſlibet eorum contumaciam in his ſcriptis pronuntiat, decernit, diffinit et declarat, omnia et ſingula crimina, et exceſſus, et alia cuncta neceſſaria ad infraſcriptam deciſionem præſentis cauſæ deducta per providos viros magiſtros Henricum de Monte Leone, Johannem de Scribanis, et Bartholdum *de VVildinghen* promotores, inſtigatores et ſollicitatores ſeu procuratores deputatos ad proſequendum præſentem cauſam pro hujus deteſtandi et inveterati ſchiſmatis extirpatione, ac unione et reintegratione ſanctæ matris eccleſiæ, contra et adverſus prælibatos Petrum de Luna Benedictum XIII. et Angelum Corrario Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes ab aliquibus nuncupatos, in petitione in ipſa ſacra et univerſali ſynodo præſentata et exhibita, fuiſſe et eſſe vera atque notoria, ipſoſque Angelum Corrario et Petrum de Luna de papatu, ut præfertur, contendentes, et eorum utrumque, fuiſſe et eſſe notorios ſchiſmaticos, et antiquati ſchiſmatis nutritores, defenſores, fautores, et approbatores, et manutentores, pertinaces, necnon notorios hæreticos et a fide devios, notoriiſque criminibus enormibus perjurii et violatione voti irretitos, univerſalem eccleſiam ſanctam Dei notorie ſcandaliſantes, cum incorrigibilitate, contumacia et pertinacia notoriis, evidentibus et manifeſtis, et ex his ac aliis ſe reddidiſſe omni honore et dignitate etiam papali indignos, ipſoſque et eorum utrumque propter præmiſſas iniquitates, crimina et exceſſus, ne regnent vel imperent aut præſint, a Deo et ſa-

sacris canonibus fore ipso facto abjectos et privatos, ac etiam ab ecclesia præcisos; et nihilominus ipsos Petrum et Angelum et eorum utrumque per hanc definitivam sententiam in his scriptis privat, abiicit, et præscindit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam insuper decernendo.

Et insuper omnes et quoscumque Christicolas, etiamsi imperiali, vel regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia, non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illis vel illorum alteri tenerentur astricti, fore perpetuo absolutos: inhibendo eisdem Christifidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant & intendant, aut consilium, auxilium vel favorem ipsis præstent, aut eos recipiant vel receptent, sub pœnis excommunicationis & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis; quique si parere contemserint, huic ordinationi & sententiæ, ipsos, & eorum fautores, defensores, adhærentes & sequaces, etiam per sæculares potestates fore compescendos & compesci debere juxta præcepta divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronuntiat & diffinit.

Ac insuper omnes & singulos processus & sententias excommunicationis vel alterius censuræ & poenæ, privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualiacumque sint, & quomodocumque nuncupentur seu nominentur, contra dominos cardinales per dictos Petrum de Luna & Angelum Corrario factos, latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos; nullas, cassas, & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti; et quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos, & annullandas, cassandas et irritandas, sicque & etiam ad cautelam, quatenus expediat omni modo & jure, quibus melius potest, annullat, cassat & irritat.

Et insuper omnes promotiones, immo verius profanationes quorumcumque ad cardinalatum per dictos contendentes de papatu, vel eorum utrumque attentatos, per dictum Angelum a die tertia maii, et Petrum antedictum a die XV. Junii anni proxime præteriti MCCCVIII. fuisse et esse nullas, cassas, irritas et inanes, et quatenus de facto processerunt, de facto annullandas, cassandas et irritandas, et sic et etiam ad cautelam quatenus expediat omni modo et jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc definitivam sententiam cassat, irritat et annullat.

Ad providendum adversus processus, constitutiones & sententias in præjudicium unionis, et alias per Petrum de Luna et Angelum Corrario olim contendentes de papatu, seu colludentes præfatos, factas et latas contra dominos reges et principes, patriarchas quoque, archiepiscopos et episcopos, ac alios ecclesiarum prælatos, universitates studiorum, et communitates, ac singulares personas ecclesiasticas et sæculares, et circa promotiones per ipsos olim contendentes factas ad dignitates quascumque, et ulterius ad procedendum super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis.

SESSIO XVI.

Lunæ X. mensis junii fuit XVI. sessio, et ante eamdem locutum fuit cum dominis cardinalibus super materia dictæ schedulæ, de qua in die præcedenti: unde de illa nulla facta fuit mentio in hac sessione, sed statim missa & aliis divinis officiis celebratis more solito, advocatus concilii ascendit pulpitum, et proposuit quod cum sententia diffinitiva fuisset lata contra duos olim contendentes de papatu, quia parum esset ipsius sententiæ prolatio, nisi demandaretur executioni, ideo petiit, quod si placeret concilio, domini cardinales deputarent aliquos ad compilandum processus, et sententiam deferrent, et exsequerentur per universum orbem. Item, quod Errorius accedebat ad patriarchatum Aquilegiensem, et ibi intendebat tenere sedem suæ pestilentiæ, propter quod dominus patriarcha dicti loci, qui semper catholice et sincere obediverat ecclesiæ, et in facto unionis multum laboraverat, optabat litteras destinari ex parte concilii ad dominos et communitates ipsius patriarchatus, ad ipsum Errorium impediendum. Quare petebat, quod si placeret concilio, domini cardinales litteras ibidem juxta intentionem et materiam opportunas mitterent. Et ista ut petita sunt placuerunt concilio, et concessa sunt.

Item, quia dominus cardinalis de Chalanco recesserat, et diu post convocationem concilii moratus fuerat cum Petro de Luna olim vocatum Benedictum XIII. propter quod vocatus fuerat, et suspectum se reddiderat de fautoria ipsius Petri schismatici & hæretici, maxime quia vocatus fuerat ad concilium, et in ipso concilio fuerat ipsius cardinalis accusata contumacia, ut patet in quarta sessione: ideo ad purgandum præmissa, dominus cardinalis Albanensis excusavit coram concilio dictum dominum cardinalem de Chalanco, dicens in effectu, quod dominus cardinalis de Chalanco cum dicto Petro de Luna remanserat, non ut sibi in sua malitia faveret, sed potius ut laboraret ad eum inducendum ad unionem ecclesiæ effectualiter prosequendam, & quia reducere non potuit, recessit ab eodem Petro de Luna, &c. Cujus excusatio præsente dicto cardinali de Chalanco saltem tacite admissa fuit per concilium, & adjunctus fuit, & receptus in suo loco cum aliis cardinalibus.

Dicta die in vesperis fuerunt multi prælati et alii de natione Franciæ congregati in domo Carmelitarum super modo futuræ electionis, et ibi venerunt nuncii universitatis Parisiensis, nitentes omnino inducere illam congregationem ad consentiendum quod penitus staretur ordinationi cardinalium super futura electione, hoc addito, quod si et umquam opus esset, hoc fieret auctoritate concilii. Dicebant etiam quod nisi sic fieret, peri-

A riculum divisionis et impedimenti totius negotii possemus incurrere, maxime quia aliæ nationes jam dicebant quod Gallici modis omnibus quærebant et procurabant habere papam Gallicum. Verum est tamen, quod dicebatur communiter inter Gallicos, alias nationes ad hæc dicenda fuisse inductas per aliquos Gallicos, ut sic indirecte sequerentur cedulam patriarchæ alias factam super hujusmodi materiam electionis. His tamen non obstantibus, major pars et quasi omnes de dicta congregatione fuerunt opinionis, quod dictæ cedulæ non staretur; sed in crastino singulæ provinciæ super hoc deliberarent, ac referrent post prandium suas deliberationes. Deliberatum fuit etiam quod deputarentur aliqui, qui adirent alias nationes extraneas ad pacificandum eas, et proponendum motiva Gallicor. petentium electionem fieri auctoritate concilii, et ad minus per duas partes utriusque collegii, vel per compromissum, alias electio non videbatur esse de jure pacificativa conscientiarum, etc. ad certificandum eos quod non quærimus papam Gallicum, sed pacem et unionem et serenationem universalis ecclesiæ et conscientiarum fidelium, et securitatem electionis: sic quod nihil posset contra eam impingi, vel alio modo impugnari, seu etiam calumniari, etc.

Epistola custodum Conclavis ad Aquilejenses.

Affert de Rub. in Mon. Eccl. Aquilej.

Spectabiles viri amici nostri carissimi post salutem. Quia reverendissimi in Christo Patres, & domini S. R. E. cardinales pro felici electione unici & indubitati Romani Pontificis in Conclave secundum consuetum morem impræsentiarum existunt, nec alicui intrandi ad eos aut colloquendi facultas permittitur; deliberavimus nos ad custodiam ipsius Conclavis deputati, cognitis his quæ per discretum virum Alvisium Nuncium vestrum referebantur, aliqua pro informatione & certitudine vestra rescribere: quanquam sic expectemus electionem papæ, D ut de die in diem, & de hora in horam illam fieri præstolemur. Audierit jam ut certissime credimus, nobilitas vestra, quod sacrum generale concilium pro pace & unione christianorum in hac civitate Pisana solemniter congregatum, cum omni maturitate procedens die V. hujus mensis contra Angelum Corrario, & Petrum de Luna, olim de Papatu damnabiliter contendentes, sententiam tulit definitivam, per quam eos esse privatos, ac notorios hæreticos, a fide devios, & ab ecclesia præcisos declaravit; omnibus christifidelibus sub gravissimis poenis inhibendo, ne eisdem aut alicui eorum pareant, vel intendant, aut consilium, au- E xilium, vel favorem præstent, aut ipsos recipiant, vel receptent; prout in ipsa sententia, quæ post creationem summi Pontificis una cum processu & aliis transmittetur, vestra nobilitas poterit latius intueri. Post sententiam autem latam prædicti domini card. decem diebus prout a sacris canonibus constitutum est, expectatis; & interim his, quæ disponenda & providenda erant, dispositis atque provisis, tandem die sabbati proxime præterita (*die* 15. *junii*) Conclave pro electione facienda ex auctoritate & approbatione sacri Concilii intraverunt. Sunt autem præfati domini cardinales XXIV. numero. Nam dominus Tudertinus, qui solus remanserat apud Angelum Corrario, post recessum illius ab Arimino huc se contulit; & similiter a Petro de Luna, qui apud eum remanserant, præter unum recesserunt, & huc se contulerunt his proximis diebus, dominus cardinalis de Celancho, & dominus cardinalis de Baro. Gesta autem hic sunt omnia tam in sententia ferenda, quam in cæteris rebus cum summa maturitate admirabilique concordia; licet enim tanta res si- B ne disceptatione, & magna agitatione, & discussione rerum fieri non poterat; tamen admirabile est, quanta unanimitas, quantaque concordia, unionem, & pacem, & reintegrationem Christianorum apud summos, mediocres, & infimos in hoc concilio semper extiterit; ut in tanta multitudine, ex tam variis, diversisque Nationibus in uno loco congregata nunquam, ne apud inimicos quidem (&) familiares, indignationis aut iracundiæ vox fuerit unquam audita: imo tanta caritas & benevolentia viget, ut semper una vixisse videantur; & creatio summi Pontificis, ut supra diximus, de die in diem cum gratulatione votiva omnium C expectatur, postquam suffragante spiritus S. gratia, qui hæc negotia mirabiliter direxit; & annitente populo Christiano, qui a duobus contendentibus variis fraudibus & inveterata male agendi calliditate olim delusus eorum collusiones amplius tolerare non potest, omnino salubriter dirigentur, & si quid illis superest, effectualiter auferetur. Quoniam autem & his, quæ pro sancta unione & pro defensione patriæ a schismaticorum & damnatorum ausu nefario, imperterrite gessistis, magnam famam & laudem apud sacrum concilium generale & ipsos dominos cardinales vestra fuit communitas merito consequuta; eandem totis affectibus rogamus, ut per eadem vestigia perseverantes, reverendissimo in Christo Patri D. Antonio de Portugruario, vero Aquilegensi patriarchæ, & per concilium approbato, prout adhuc fecistis, favorabiliter & viriliter assistentes, contra pacis hostes & christianæ quietis perfidos inimicos forti brachio resistatis; indubie tenentes quod apud proxime futurum pontificem solicitudinem & operam efficacem pro vestra salute & defensione & commodis promptissime reperietis. Et quia litteræ vestræ supradictis causis præsentari pro nunc eisdem dominis cardinalibus non potuerunt, quoniam ut diximus, nulli ad eos permittitur accessus; ipsas litteras diligentissime servamus debito tempore præsentaturi, & operam nostram apud præfatos, quibus eodem litteræ diriguntur, interposituri, ut desideria votive adimpleantur. *Vestram igitur paternitatem sinceris affectibus exhortamur ut bona & magna spe suscepta, cum omni efficacia & magnitudine animi contra præfatum Angelum & nefarios ejus conatus constantissime insurgatis, habituri, præter divinæ retributionis præmium, etiam famam & gloriam*

riam nominis apud mundum. Dat. Pisis die XX. junii MCCCCXVIII.

F. Archiepiscopus Narbonensis camerarius
H. Patriarcha Jerosolymitanus
I. Episcopus Novariensis
P. Sacræ domus hospitalis S. Johan. Jerosolimitani magister.
H. Capitaneus } Civitatis Pisarum
H. Potestas }

SESSIO XVII.

Jovis XIII. dicti mensis celebrata fuit XVII. sessio concilii, in qua post missam & alia divina officia, advocatus concilii ascendit pulpitum ecclesiæ modo solito, & tunc proposuit, quod cum juxta constitutionem *Ubi majus periculum*, potestas sive dominus temporalis, in cujus districtu electio summi pontificis est facienda, teneatur præstare juramentum, prout in dicta constitutione cavetur: idcirco capitaneus & potestas civitatis Pisanæ, quod nobili communi Florentinorum, in cujus dominio est ipsa civitas Pisana, illuc præsentialiter advenerant, præfatum juramentum præstituri. Item, dixit dictus advocatus, quod ibidem erant legendæ quædam cedulæ per patriarcham Alexandrinum. Tertio, cum instante electione summi pontificis fundendæ sunt preces ad Dominum, &c. si placeret concilio, in crastino fieret generalis processio & solemnis de ecclesia sancti Martini ad majorem ecclesiam, in qua interessent omnes cardinales, patriarchæ, archiepiscopi & alii prælati revestiti & induti cum mitris & pluvialibus suis, & similiter omnes alii, si habere possent. Et hoc ultimum bene placuit concilio. His dictis, receptum fuit juramentum prædictorum capitanei & potestatis. Postmodum tres patriarchæ superius nominati, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus ascenderunt pulpitum, quorum primus legit suam cedulam, formam quæ sequitur continentem.

„ Quia hujus pestiferi schismatis tempore, domini cardinales in hoc sacro concilio existentes, quidam fuerunt a diversis olim contendentibus de papatu creati, & nunc, Deo dirigente, procedendum est ad electionem unici & indubitati papæ; hoc sacrum concilium universalem ecclesiam repræsentans, vult, consentit, disponit & ordinat, quod ipsi sic a diversis creati, ad electionem prædictam procedant, si & umquam opus est, hac vice auctoritate concilii, nec per hoc potestati dominorum cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, vel aliquod innovare. Hortatur tamen prædictos cardinales, quod ipsi cum caritate, ad electionem unius pastoris procedant sic unanimiter, quod de quacumque discordiæ scintilla notari non debeant.

Et ista est cedula, quam ipse patriarcha fecerat, cui multipliciter alias fuerat contradictum, & sic transivit contra deliberationem omnium provinciarum regni Franciæ, etiam non scrutatis votis in concilio, secundum quod erat in aliis consuetum fieri. Verum est tamen, quod aliqui dicebant dominos cardinales, præsentibus quibusdam prælatis, dum missa celebraretur, in ista sessione existentes, retro altare jurasse se electuros unum indubitatum papam, in quem omnes consentirent, aut saltem duæ partes utriusque collegii. Nihilominus tamen hoc non placuit pluribus in concilio existentibus, sed fuerunt plures scandalizati. Item, postea legit idem patriarcha unam aliam cedulam super annullatione processuum & sententiarum, &c. per olim contendentes factorum, latorum, & in præjudicium unionis ecclesiæ, & ipsam prosequentium. Item, legit unam aliam cedulam super annullatione bullarum per dictos olim contendentes concessarum, quæ non essent sufficienter exhibitæ, &c. quarum cedularum tenor primæ sequitur.

„ Omnes & singulos processus, sententias excommunicationis, suspensionis, interdicti, & maledictionis, seu alterius cujuscumque censuræ, seu pœnæ, constitutiones papales, inhabilitationes, privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, officiorum, ac graduum quorumcumque tam ecclesiasticorum quam sæcularium, contra prosequentes unionem sanctæ matris ecclesiæ, videlicet tam contra principes, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios viros ecclesiasticos, cujuscumque ordinis vel status existant, quam contra sæculares personas cujuscumque conditionis, etiamsi imperiali, regali, vel alia præeminenti potestate, nec non relaxationes & absolutiones juramentorum fidelitatis, confœderationum & homagiorum, ac etiam contra civitates, universitates studiorum, collegia ecclesiastica vel sæcularia, communitates villarum, castrorum, terrarum, seu districtuum, atque singulares personas per Petrum de Luna quandocumque, & per Angelum Corrario a die tertio Maji anni Domini MCCCCVIII. de papatu olim damnabiliter contendentes, immo verius colludentes, factos seu factos seu factas vel latas, vel de ipsorum seu alterius eorum mandato, hæc sancta synodus decernit ac declarat nullos seu nullas fuisse & esse, & quatenus de facto processerunt cassat & annullat, vultque esse nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi.

Sequitur tenor secundæ bullæ.

„ Item, si aliquæ bullæ seu litteræ sub eorum aut alterius eorum titulis seu nominibus expeditæ reperiantur seu exhibeantur a dictis diebus, videlicet per Petrum de Luna a quocumque tempore, & per Angelum Corrario a die tertio Maii, vel ante contra prosequentes unionem supradictam, si illæ non sunt ante dictos dies præsentatæ vel exhibitæ sub testimonio sufficienti, capitulis vel ecclesiis seu prælatis vel aliis, quibuscumque diriguntur seu scribuntur, consimili modo sint nullæ & nullius roboris vel momenti, & pro infectis habeantur.

His peractis, ambassiatores regis Aragonum petierunt audientiam, quæ fuit eis concessa. Et tunc cancellarius dicti regis, licet incœpisset loqui, de sua sede ejectus, tum ad instigationem & clamorem multorum de con-

concilio ascendit pulpitum ecclesiæ, & tunc cœpit proponere, quod die præcedente petierat a dictis dominis cardinalibus audientiam publicam, ad hoc quod omnibus ibidem præsentibus, & etiam toti mundo, si fieri posset, nota fieret intentio serenissimi domini sui regis Aragonum. Et quia domini cardinales responderant, quod hodie super hoc deliberarant cum concilio, petiit dictam audientiam sibi dari, si concilio placeret. Quibus dictis, responsum est in multitudine, *Placet*. Denique cum ad ulteriora procederet, petitum fuit eorum mandatum: qui responderunt illud secum non habere, sed esse in eorum hospitio, unde pro mittendo illud quæsitum, exierunt ecclesiam, ne tum propter moram nimiam generarent fastidium expectantibus. Dictus cancellarius petiit audiri, & interim afferretur mandatum prædictum, quod statim ipso habito exhiberent. Et tunc cum difficultate concessa fuit ei audientia. Et sic iterum ascendit pulpitum, ubi alta & intelligibili voce proposuit eorum ambassiatam. Primo, præmittendo excusationem, eo quod harenga nulla uteretur; tum propter tempus, quod non bene patiebatur, quia jam tarde erat; tum quia noviter venerant & vexati erant, &c. Tum etiam quia in materia de qua loqui habebant, non verbis hominum, sed potius Dei & veritatis utendum erat. Item, subjunxit quod non reciperetur pro molesto, si aliquibus forsitan uteretur modis aut verbis non convenientibus his, quæ agitata fuerant per reverendissimas paternitates dominorum ibidem existentium; quoniam attenta obedientia, quam dominus rex Aragonum & multi ali principes exhibuerant domino Benedicto papæ, nec adhuc erat informatus de his quæ acta erant, oportebat quod uterentur verbis conformibus intentioni dicti regis, quousque alias essent ipsi ambassiatores informati. His igitur præmissis, exposuit primo, quod rex Aragonum Christianissimus fuerat semper & est multum affectatus ad bonum unionis ecclesiæ universalis, & quod pluries laboraverat & laborare paratus est ad eam, tamquam verus Catholicus & fidelis ecclesiæ filius. Obtulitque pro parte dicti regis, ipsum facturum quidquid posset ad bonum dictæ unionis, & taliter, quod omnes deberent quietari. Dixit etiam, quod si reperiretur modus per quem isti contendentes desisterent, &c. videbatur & credebat hoc esse utile & bonum pro ipsa unione, & pacificativum totius christianitatis. Secundo, petiit, requisivit & obsecravit, quod de agitatis in præsenti congregatione per reverendissimas paternitates dominorum prælatorum ibidem existentium, instrueretur, ut dictum regem posset debite et ad plenum informare. Tertio requisivit, quod cum ambassiatores domini Benedicti venissent Pisas in honesta & nobili comitiva, qui exponere volebant aliqua, quæ possent ecclesiæ universali proficere, vellent ipsi domini prælati audientiam publicam eisdem concedere. Finaliter protestatus est, attento quod non erat informatus de his, quæ gesta fuerant per ipsos reverendos patres, quod per sui præsentiam non intendebat eisdem consentire, nec aliquo modo approbare. Finito proposito dicti cancellarii regis Aragonum, habitaque incontinenti deliberatione super responsione eisdem ambassiatoribus facienda per advocatum fiscalem, de mandato dominorum cardinalium & consensu concilii facta fuit responsio talis in effectu, videlicet quod primo concilium sacrum regratiabatur domino regi Aragonum de bono affectu & intentione, &c. Secundo ad primum petitum, scilicet quod informarentur de actitatis & gestis, &c. Et respondit, quod libenter ex parte concilii deputarentur & darentur aliqui solemnes viri, qui de præmissis eos ad plenum informarent. Tertio ad secundum petitum, scilicet quod audientia esset danda illis nunciis Petri de Luna, respondit quod cum jam tarda esset hora, tunc audiri non poterant, sed darentur commissarii, qui viderent eorum mandatum, quo viso, darent eis audientiam, si danda esset, aut alias facerent quidquid faciendum esset. Quibus dictis, petiit dictus advocatus an placeret concilio, quod domini cardinales eligerent et deputarent aliquos ad præmissa faciendum. Cui responsum est in turba, *Placet*. Et sic finita fuit dicta sessio.

SESSIO XVIII.

Die sabbati XV. Junii fuit missa solemnis in majori ecclesia celebrata per dominum archiepiscopum Lugdunensem, et ibi prædicavit eleganter apiscopus Novariensis, missus ad concilium per * Fastinum canis, cujus thema fuit: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium*. Ista die venit dominus cardinalis Barrensis. Eadem die in sero intraverunt domini cardinales conclave, quod erat in domo archiepiscopali Pisana, et erant numero XXIII. cardinales, scilicet X. de obedientia Benedicti, et XIII. de obedientia Gregorii. De obedientia olim Benedicti sunt cardinales Pictavensis, Albanensis, Vivariensis, Aniciensis episcopi; de Thureyo, de Hispania presbyteri; de Saluciis, S. Angeli senior, de Chalanco et de Barro diaconi cardinales. De obedientia vero Gregorii olim sunt Aquilegiensis, Neapolitanus, Burdigalensis, Laudensis, Melitensis, de Ursinis, Mediolanensis, de Brancaciis, Barrensis, de Columna, Ravennas, Bononiensis, et sancti Angeli junior.

* Sic legit codex M

Mercurii XXVI. die junii anno Domini MCCCCIX circa horam nonam in mane, dominus Petrus de candida Mediolanensis nuncupatus, de ordine fratrum Minorum, natione Græcus, magister in sacra theologia Parisiensi, electus fuit in summum pontificem, et ejus publicatio publicata in domo archiepiscopali Pisana concorditer, nemine reclamante, qui vocatus est Alexander V. Quæ quidem electio nunciata fuit in civitate Lucana dicta die circa horam meridiei, per quemdam servientem armorum papæ.

SESSIO XIX.

Lunæ prima die mensis julii fuit XIX. sessio

ANNO CHRISTI 1409.

sio concilii generalis, præsidente papa, et ibi fuit in servitio divino longe major solemnitas, quam in sessionibus præcedentibus. Dominus cardinalis de Thureyo celebravit missam, & in fine papa fecit benedictionem. Postmodum cantata fuit letania, & alia consueta, & in letania in illo versu, *Ut hanc sanctam synodum*, &c. præmissum est, *Ut domnum apostolicum, & sanctam synodum, & omnes ecclesiasticos ordines*, &c. Post letaniam papa dixit orationes consuetas, & incepit *Veni creator Spiritus*, &c. & omnia alia fecit, quæ in aliis præcedentibus sessionibus faciebant episcopi cardinales. Similiter illud *Orate*, quod consueverat proferri per quemdam simplicem capellanum vel diaconum, ac etiam illud *Erigite vos* protulit unus diaconus cardinalis. Et notandum quod domino papæ assistebant & ministrabant omnes diaconi cardinales induti dalmaticis albis & mitris, una cum quibusdam aliis prælatis & officiariis. Post expeditionem vero divinorum, dominus cardinalis de Chalanco ascendit pulpitum ecclesiæ, assistentibus sibi tribus episcopis, legit & publicavit decretum electionis domini nostri papæ, per quod approbat eumdem papam concorditer, nemine reclamante, per omnes cardinales fuisse electum. Et deinde singulorum cardinalium subscriptiones propriis manibus factas legit, per quas dictam electionem approbabant domini cardinales, & eumdem pro vero papa tenebant, ac tenere intendebant.

Hoc facto, papa fecit unam notabilem collationem, cujus thema fuit: *Fiat unum ovile & unus pastor*. Et deduxit ponendo tria quæ requiruntur in pastore respectu subditorum, scilicet prudentia, justitia, & clementia; & tria requiruntur in subditis erga prælatum, scilicet fidelitas, obedientia, & obsequium. Item, tria quæ communiter requiruntur in pastore & subditis ad Deum, scilicet fides, spes & caritas. Finita collatione papæ, cardinalis Bononiensis assistentibus sibi duobus vel tribus episcopis, una cum advocato concilii, existens in pulpito ecclesiæ, legit unam cedulam approbativam omnium processuum & aliorum quæ acta & gesta fuerant per cardinales a die tertia Maii anni D. MCCCCVIII. usque ad primam diem hujus concilii, necnon omnia facta in concilio usque in præsens, supplendo insuper ad cautelam omnem defectum, si quis forsan intervenisset in præmissis. Et hoc generaliter nulla expressione facta in specie; qua lecta, fuit per advocatum petitum, an placeret. Ad quod per paucos fuit responsum, placet, nulla tamen declaratione præmissa. Item, lecta fuit per dictum cardinalem Bononiensem una cedula, per quam in effectu papa cum concilio universali removendum fore decernebat omne impedimentum appositum in beneficiis domini cardinalis de Chalanco, & ipsum impedimentum amovebat. Et petito an placeret, fuit ab aliquibus paucis responsum, placet, quibusdam aliis aperte contradicentibus, aliis tacentibus, & nonnullis murmurantibus. Deinde legit dominus cardinalis aliam cedulam plures articulos continentem, primo quod papa de ambobus collegiis dominorum cardinalium facit unum collegium. Alius articulus quod papa intendit laborare circa reformationem ecclesiæ, tam in capite quam in membris, sicut juraverat cum aliis dominis cardinalibus, de quorum numero tunc erat, & volebat quod nationes eligerent certos deputatos, viros moribus, ætate & scientia providos, provectos & approbatos, qui de hoc cum ipso domino papa & cardinalibus tractarent. Tertio quod ipse dominus papa ante recessum dominorum cardinalium, qui venerant ad concilium, intendebat eos singulariter consolari, sic quod singuli cum lætitia possent ad propria reverti. quod singuli in suis terris & locis informarent reges, & principes, & populum de justitia processus facti contra olim contendentes, & de eorum canonica ejectione, necnon & de legitima et concordi electione papæ. Item, quod papa intendebat mittere suos nuntios ad universas mundi partes, qui si placeret concilio, mitterentur non solum ex parte sui, sed etiam concilii. Et hoc placuit concilio.

Dominica VII. die julii dominus papa celebravit missam in ecclesia Pisana, in qua interfuerunt cardinales prælati & alii multi de concilio, induti, scilicet prælati modo suo solito, id est pluvialibus & mitris albis. Missa finita, venit papa una cum cardinalibus & prælatis multis ante ecclesiam in alto scalfaudo, ubi coronatus fuit per decanum diaconorum, scilicet dominum cardinalem de Saluciis: deinde omnes abbates mitrati ibidem existentes, episcopi, archiepiscopi, patriarchæ ascenderunt equos suos indutos albo, cardinales similiter & papa; & procedentes iverunt processionaliter equestres per villam, ita quod abbates præcedebant, episcopi & ceteri sequebantur. Post patriarchas veniebant cardinales isto modo; scilicet quod cardinales episcopi præcedebant, presbyteri cardinales sequebantur, & postea veniebant diaconi cardinales, postremo sequebatur eos papa indutus pontificalibus & thyara cum tribus coronis coronatus procedendo. Discessit cardinalis de Saluciis a dicta processione, & una cum capitaneo Pisano ivit ad certum locum, ubi erant aliqui Judæi, qui suam legem scilicet Mosaycam, præsentaverunt sibi in quodam rotulo, quem recepit, & reversus præsentavit eam papæ; qui recepit de manibus dicti cardinalis, & eam post tergum suum projecit dicens: *Legem recipio, sed ceremonialia respuo*, vel similia verba. Papa autem ad domum suam reverso, descendit equum, quem una cum suis ornamentis habuit capitaneus prædictus, quamvis plures stipendiarii vellent & niterentur illum occupare, tamquam expositum, & concessum occupanti.

SER-

SERMO JOANNIS GERSONIS DOCTORIS

Et Cancellarii Parisiensis,

Factus coram Alexandro papa in concilio Pisano in die Ascensionis Domini

Adjuva rex cœlestis, & tu regina Genitrix Virgo pauperem & inopem de regno Israelitico locuturum.

Ex operibus Joan-Gersonii t. II. p. 131. E MS.Cod. Victor. & Colb. extraxit Dupinius.

DOmine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Originaliter Act. 1.6. & recitative in epistola præsentis Festivitatis. Non sum nescius Beatissime Pater, vosque cardinales orbis terrarum, & ceteri domini, sapientia clara fulgentes, me subire sermonis opus prorsus impar exiguis viribus. Idcirco pulsabo januas devote regis coelestis, ut imperfectum meum suppleat, humili det gratiam, linguam infantis faciat disertam. Et quo facilius exaudiar, oretur pariter ejus pia Genitrix, illique salutatio præsentetur Angelica. *Ave gratia plena, &c.*

Domine si in tempore hoc &c. Quæsierunt hoc apostoli ab ascendente Domino eisdem quidem verbis, sed sensu vario; qua varietate, brevitatis studio, præterita; quoniam duplex est regnum Israel, hoc est videntium Deum; alterum coeleste, triumphantis ecclesiæ, cujus cives Deum vident per speciem; alterum terrestre, militantis, cujus cives Deum intuentur per Fidem. Dicam primum quomodo coelestis, deinde terreni ruinas, Ascensio dominica hodie restituerit. Hanc mihi partitionem non meus sensus, sed divinus contulit apostolus; a quo scriptum memini, Deum Patrem proposuisse in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Ecce me docet Apostolus tuus, vas electionis tuæ Domine Jesu, quæ tibi respondere liquerit quærentibus Discipulis. *Domine si in tempore hoc &c.* Nam si per te essent instauranda quæ sunt in coelis, uti affirmare illum perspicio, quid tibi levius quam hanc illis veritatem respondere, te propterea scandere coelos, ut civitatem diminutam, & magna parte sua per scelus orbatam turpe, reintegrares. Ipsa malorum omnium prima parens superbia, Luciferum illum qui mane oriebatur, cum tertia stellarum parte traxit ad tenebrosum occasum. Et quis crederet non inde regni superni claritatem obumbratam? Tollite ex hoc coelo visibili Luciferum, et cum eo tertiam partem stellarum; cui dubium est noctes obscuriores futuras? Quis nesciat imperfectam remansisse SS. Angelorum societatem, suo numero diminuto? Quis in dubium vocabit, corpus civitatis istius præstantissimorum membrorum avulsione sensisse læsionem, et integritatem pulcherrimam amisisse? Nullus opinor. Ergo claudicabit sanctorum gloria, nec Dei civitas de sui integritate lætabitur. Si natura tanto tempore vacuum insectetur et sic exhorrescat, quo pacto supernas sedes vacuas, oculis æquis aspiciet sanctorum gloria? Denique gaudent Angeli ad poenitentiam peccatorum. Quod si gaudium ingerant oculis lachrymæ meæ, quid delitiæ meæ? Et si delitiæ meæ gaudium sint Angelorum, quomodo non magis fuisset eorum qui ceciderunt permansio. At illud civitati coelesti deest. Fuisset igitur aliqua sanctorum jucunditas, stantibus Angelis, quæ ruentibus sublata est. Ergo, inquies, confirmati spiritus, ceterorum ruinam moesti deploraverunt, et qua parte beatorum civitatem luctus ingrederetur? Non dico flevisse, non moestos, non tristes extitisse, viderunt culpam peccantium, non inde lætati sunt propter charitatem, neque contristati propter confirmationem. Viderunt deinde poenam, et lætati sunt justi videndo vindictam atque ad defectionem impiorum affuerunt conditori: etenim Michael et Angeli ejus præliati sunt cum dracone, et putas victoria potitos non inde sumpsisse gaudium? sed aliud est aliquam deesse lætitiam imperfectæ civitati, aliud tristitiam admittere. Nonne vides delectationes ipsas intellectu purissimas et contrarietate carentes, cum adsunt, lætificare, cum absunt non contristare. Accessit ad mali cumulum, quod ea superbia quæ conceperat in coelis dolorem, in paradiso terrestri peperit iniquitatem; quando per invidiam indignata carnem eo viliorem ascendere, unde præstantior spiritus corruerat, homini condito ad replendas sedes in coelo vacuefactas, in serpente dirum virus aspersit: sic enim invidia mors intravit in orbem terrarum, quamvis initium extiterit omnis peccati superbia. Ita ex omni parte optatæ restitutioni supernæ civitatis malignus obviabat. Attamen spes eum fefellit; restituta est; immo et amplificata dignitate. Cecidit Lucifer per superbiam, ascendit alius Lucifer per humilitatem. Invectæ tenebræ per occasum primi; purgatæ fuerunt per ortum secundi. Ille minuit sanctorum numerum; ille restauravit et amplificavit diminutum. Ille regni violavit integritatem; iste violatam reparavit. Ille in coelo sedes vacuefecit; iste novis laudatoribus vacuefactas adimplevit. Ille multos ex Angelis, exemplo malo, traxit in præceps; iste plurimos homines justificatos tamquam centesimam ovem prius errantem propriis humeris reportavit in coelos. Iste ex omni parte satan deluditur; nec enim in coelos reascendere potuit, unde tanquam fulgur ceciderat, hoc est, furoris impetu fuerat præcipitatus, et ascensum quem homini, atque restitutionem quam invidit civitati, nullatenus impedire prævaluit. Verum gladio suo manu potentioris electo jugulatur, & dum intentione corrupta ab ingressu gloriæ novos cives prohibere, gloriosumque Dei regnum integritate pulcherrima fraudare satagit, tam civibus fabricat coronas, quam nova dignitate regnum honestat. Lucifer inde cecidit, sol ascendit. Vanitas e coelis ejecta est, veritas in coelo revecta est. Amiserat illa civitas creatum Angelum, & recepit creatorem hominem. Unde & hic verum est illud Apostoli: *Non sicut delictum, ita & donum.* Rom. V. 15. Vis etiam audire novum genus gaudii, quod nisi homo peccasset, civitas illa non sensisset. Non vereor ne

ne nimis audacter loqui videar, cum sequar Bernardum auctorem, qui non putat Deum nostrum totam habiturum gloriæ suæ laudem, donec veniant qui in conspectu Angelorum psallant sibi. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* Ps. LXXXIX. 15. Hoc genus lætitiæ coeli nescierunt, nisi per ecclesiæ filios, hoc nemo nuquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Opportune post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus: placet cunctis securitas; sed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux; sed evadendi de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat; deest laudi si desunt qui dicant: *transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Ps. LXV. 12. Hodie felix illa civitas novis exultat gaudiis, ad hunc diem coelestes ruinæ perduraverunt. Ante hunc diem nemo ascendit in coelos, cum de Christo scripserit Propheta, quod *ascendit pandens ante eos iter*. Mich. II. 13. An vero ipso ascendente coascenderint qui cum resurgente rexurrexisse leguntur? Animas omni labe purgatas credo, sed de corporibus haud quidquam temere definire velim. Ergo læti fuerunt Angeli Christo concepto, læti nascente, læti prædicante, læti hominem redimente, læti resurgente, sed lætiores ascendente. Quid ita, quia multa docentur mysteria Christo præsente, quæ prius absente nescierunt. Nec id mirum videatur, cum scripsit Apostolus Eph. III. 10. *Innotescere principibus & potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformem sapientiam Dei*. Porro quod prius sola spe tenuerant ruinas suas resarciendas, hodie re lætiore comprehendunt. Quis mihi det o Domine Jesu, o gloriosissime restitutor regni coelestis? Quis mihi det ut possim concipere quanta intuleris hodie coelis festa gaudiorum, quanta jucunditate Beatorum spirituum agmina ad novam solemnitatem invitaveris, quanta tibi lætitia calcatori torcularis, cum rubris vestimentis coelos introgredienti tota superna Curia certatim obviam venerit, advenisse gratulata est; quantis laudibus triumphatorem prosecuta est, quam jucundis obsequiis in sedem excelsiorem collocare studuerit. Si plus gaudeat super unius peccatoris poenitentia, quam super nonaginta novem justis, qui ea non egent, Luc. 15. 7. quantum de te gavisa est Deo homine, mortis victore, tot poenitentes in ipsam domum paternam non reducente, sed reportante, qui ipse es summum ejus gaudium, summus amor, summa suavitas: in te enim tota desiderat conspicere, te sui ipsius oculis ex propinquo contuendum præsentabas. Quam incredibili voluptate sensus omnium intimos tua vox illa permulxit. Congratulamini mihi amici & vicini, quia inveni ovem quæ perierat, inveni drachmam perditam, mortuus filius revixit. Celebremus alacriter o christianitatis rectores inclyti, celebremus tantam festivitatem, repræsentemus in terris Angelorum lætitiam, quæ pro nostra illis salute partim ingesta est. Nobis congratulemur, quorum est hodie relaxata, imo & captivata captivitas; *ascendens* enim *Christus in altum, captivam duxit captivitatem*. Eph. IV. 8. Gaudium ingens: hodie chirographum nostræ damnationis deletum est. Quid ni, illa natura hodie in coelum it, cui dictum ante fuerat, *terra es & in terram ibis*. Gen. 1. 19. Et ut thematis sententia concludatur, a Domino in tempore hoc restitutum est cœleste regnum Israel. Hæc pro priori parte nostri sermonis satis sint. *Domine si in tempore hoc &c.*

Tractetur jam hæc interrogatio de regno peregrinanti ecclesiæ, quod ab Abel justo ducens originem, etsi postea sæpe laboraverit, tamen nunquam universum intercidit. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, & non potuerunt mihi*, Psal. 138. 1. Floruit aliquando sub Patriarchis, ducibus, judicibus, regibus, sacerdotibus; verum Apostolorum tempore nationibus subjectum miro defloruerat. Responde tu quærentibus Domine Jesu, non ego, sicuti certe nunc operibus nunc vocibus respondisti, & si minus fortassis ad effectum quærentium, tamen ad veritatem.

Audistis *Joan.* XV. 16. quoniam misi vos ut eatis & fructum afferatis, eripiendo cives Israeliticos e manibus regis Babylonis. Audistis quoniam præcipio vobis Marc. XVI. 14. ut euntes in mundum universum prædicetis evangelium omni creaturæ, ut sitis mihi testes in Jerusalem & in Judæa & Samaria, & usque ad extremum terræ. Cur hoc? Nisi ut quaquaversum hoste depulso, regnum Israeliticum vestro ministerio dilatetur. Hujus rei gratia dedi quosdam vestrum Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, Ephes. IV. II. 12. in ædificationem regni Israel. Propterea alteri vestrum alteram manifestationem spiritus partim dedi, partim dabo ad utilitatem reparationis regni desolati; & ne nudos hostium telis exponerem, succinxi lumbos vestros in veritate, indui vos loricam justitiæ, dedi pedum calceos in præparatione Evangelii pacis, contuli scutum Fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Eph. VI. 24. 15. Quia vero imbecillibus quales adhuc estis, hæc arma potius forent oneri quam usui: Edico vobis Act. 1. 4. ab Jerosolymis ne discedatis, quoad usque receperitis virtutem Spiritus S. supervenientis in vos, qua non arma tantum sine molestia ferre, verum etiam cunctos impetus hostiles elidere, immo & exercitus fundere atque fugare possitis: nam quomodo damna coelestia restituentur, nisi ex his civibus regni terrestris quidam sursum ascenderint.

Hæc illis charus præceptor: cujus vocibus diligenter paruerunt. Unde post Spiritus S. susceptionem *profecti prædicaverunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marc. XVI. 20. Ubique circumtulerunt sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatoriis, *Ps. CXIX.* 4. ubique vicerunt regna, effugarunt aciem gladii, fortes fuerunt in bello, castra verterunt exterorum, *Hebr. XI.* 33. 34. Ita brevi crevit ecclesia: inclyta facta est & posita est in superbiam sæculorum, dominata est a mari usque ad mare, & a flumine usque ad ter-

ANNO CHRISTI 1409.

terminos orbis terrarum. Adoraverunt eam omnes reges; omnes gentes servierunt ei. Ps. LXXI. 8. 11. Sed quid ad hæc Ascensio. Multum per omnem modum. Quippe quamdiu Dominus in terris cum Discipulis conversatus est, humi repsit eorum dilectio, dulciter siquidem eum amaverunt, & præ ejus dilectione spreverunt alia. *Ecce*, inquiunt; *reliquimus omnia & secuti sumus te*. Matth. XIX. 27. Verum nescio quomodo præsentia visæ carnis, spiritualis amoris puritatem non admittebat. Inde sæpe tanquam carnales objurgantur. Inde Petrus impatienter audiens verbum de morte Magistri, satanas vocatur. *Matth. XVI.* 23. Inde cuncti moleste tulerunt, quod de ascensuri Magistri discessu audierunt. Inde plus illis sapiebat Verbum caro, quam verbum veritas, verbum sapientia, justitia, virtus, pietas. Inde scriptum est illud: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet*. Joan. XVI. 77. Et illud aliud: *Nondum erat spiritus datus, quia nondum fuerat Jesus glorificatus*. Joan. VII. 39. Sed post Magistri discessionem, aptiores subinde fuerunt sanctum suscipere spiritum, a quo roborati atque firmati discerent amare valide, prædicare veritatem intrepide, frigida corda succendere, discerent plus invenire saporis in Verbo Deo quam in Verbo homine. Experientur altiorem amoris gradum jam eis ostensum a Christo dicente: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, Joan. VI. 64. Ad hunc gradum Paulus ascendisse videbatur dum dicebat: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus*, II. Cor. V. 16. Fortassis & Propheta cum diceret: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Hujus igitur spiritualis amoris viribus ac robore regnum Israeliticum restituerunt. Sed heu & plus quam millies heu, quam grandis nobis materia lachrymarum objicitur. Circumferamus oculos quocunque libuerit, nusquam pax, nulla tranquillitas, nusquam secura quies, ubique calamitas, afflictio, perturbatio. O me miserum, quomodo regnum ubique diffusum per bellatores inclytos, coarctavit in angustum ac restrinxit rex impius Babylonis, quomodo majorem antiqui regni portionem abstulit Christo, & eam ipsam quæ secundum sibi nomen retinuit, innumeris tempestatibus jactatam afflixit: nam quota sunt humani generis portio Mahometici, ac ab octingentis ferme annis suave Christi jugum cervicibus excusserunt? Quota Indi feruntur Christianæ Crucis insignibus exornati, sed ecclesiæ Romanæ Primatum ignorare. Quota Græci, ac illos male tempestas a sede Petri disjectos, non modo schismatis, sed nonnullius etiam hæresis macula foedavit. Latinitas ipsa purior ac immaculatior sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Ipsa tamen multis quam diuturnis quam violentis schismatibus, tum antea sæpe, tum nostra tempestate miserabiliter concussa languit. Unde nuper tantarum calamitatum impatiens ecclesia multis suspiriis ac gemitibus clamavit ad Dominum. *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1. 6. Aliqua ex parte audita est. *Excitatus* est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis Ps. LXXVII. 65. Asportavit duplicem sobnam, tanquam, gallum gallinacium, Isaiæ XXII. 16. 17. 20. & fidelem Eliacim substituit. Nam cujus est ista tua substitutio Pater Beate nisi Christi? Unde convocatio concilii tam mira? Unde prius discordantium inaudita consensio? Unde tot Præsulum ac præsapientum concursus tam celer? non a Deo certe, dissensionis sed pacis. Non vocavit Papa: fuit Conventiculum. O ridenda ac irrationalis nimium ratio. Neque vero ad quatuor illa concilia quæ in actis Apostolicis describuntur Petrus vocasse memoratur. Neque synodus Nicæna jussu Silvestri sed Constantini convenisse legitur. Ad quintum universale Patrum concilium contra Theodorum Nestorii discipulum, nemine convocante sese certatim Patres exhortati sunt. Fuere ergo conventicula? Cave dixeris. Coluntur a Gregorio tanquam evangelia. Quid si schisma dubios reddit Christianos, quem duorum pro papa colant? Quid si (quod perrarum est) summus Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium Arrianæ pravitati subscripsisse; Marcellinum idolis sacrificasse? Quid si in tolerandis oneribus Christianitatem gravaret? An adversus tantos morbos ullam relinquis medelam? Relinquo inquies. Credo sane: nam imperfectam nimium ecclesiasticam politiam astrueres, nec a Deo cujus perfecta sunt opera salubriter institutam, quod credere nefas est, si quis in eam morbus posset incurrere, contra quem nulla posset adhiberi medicina; sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non aliquando sine papæ vocatione convenire possit ecclesia libenter hic diutius insisterem, sed brevitate prohibeor.

Quoniam ergo te certum ac indubitatum pontificem nobis exhibuit Deus, ut reliqua mala per te tollat, & regnum Israel nimis restrictum iterum ampliet; ad te jam convertitur & clamitat ecclesia quærens: *Domine si in tempore hoc, &c.* Non ab longis inquit retro diebus quisquam, me summus pontifex in tantam spem erexit recuperandæ meæ dignitatis antiquæ sicuti tu, quem video contrarie dispositum illis qui me dimiserunt. Fac obsecro ut non frustra speraverim. Considera etiam atque etiam quod cum mihi donatus es, tuus esse certe desisti, nec si te vocem Dominum, tu me propterea famulam arbitreris. Sic Sara obediebat Abrahæ dominum illum vocans. Non ego certe tua, sed tu meus, omnia siquidem mea sunt, sive Paulus sive Apollo sive Cephas. Tu te etiam filiorum meorum servum vocas, si non es cur te vocas? Si vere es, negato Dominum, & vide quantum mihi debes. Si quispiam te filiorum meorum rationabiliter uti velit; non potes te sibi negare vel furari qui suus es, quin per te vel alium suæ necessitati succurras; quamvis nil ambitioni, nihil avaritiæ vel malitiæ debeas; si tantum singulis, quantum universis; certe quantum universis tantum mihi, quare suspirabunda atque plorabunda peto ut mala mea re-

respicias, ut regnum Israel hoc tempore restituas. Justum petit Pater Beatissime, eam exaudi, universum studium tuum ad regni sui restitutionem conferas, de vetusta illa Sarac. ruina; quamvis ò si resarciretur. Vix ausi aliquid dicere, licet non existimentur Christiani populi rectores hoc absoluti præcepto quod hodie tuis auribus insonuit. Marc. XVI. 14. *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ*, aliisque similibus, quandiu fuerit aliqua gens sine Christo, nec se putassent Patres eorum Apostoli, nec illi quatuor principales doctores ecclesiæ, post quorum tempora tanta pestis exorta est. Verum ab hac disputatione, brevitatis amor avocat, ac prope rapit ad alia. De indis quid dicam? Habent Christum, an pure quis doceat? Quis te vetat ad eos mittere qui referant omnia? Facile in eis Fidei sinceritas corrumpitur, cum ecclesiæ Romanæ non cohæreant, a qua Fidei certitudo petenda est.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per tela, per ignes.

Et ex te nullus eo curret spe lucrifaciendæ tantæ Gentis? Memento tamen illi te esse debitorem. Jam vero de Græcis loquerer, quibus multa Latini debemus. Verum hunc locum eo negligentius transeo, quod te Græcum erga Græcorum revocationem, omnes adhibiturum operas intelligo; festina Pater festina, ne fugiat hora, ne labatur occasio desuper oblata, cui non est facile similis reditura. Ad rem feliciter tractandam tempus omnium primum est. Itidem dicendum puto de ea parte Latinorum, quæ nondum tuam claram justitiam insequitur. Sed duobus hominibus humano judicio divinoque condemnatis adhuc inhæret, quoniam & tua vigilantia, & obedientium principum sedulitate, & veritatis perspicuitate, spes est cito Deo bene juvante redituram. Labore tantum opus est. Igitur his tanta brevitate decursis, pergit iterum ecclesia quærere de ea parte quæ tuam justitiam agnoscit. *Domine si in tempore hoc &c.* Tecum forte cogitas, cur hoc quærat: nam cum hæc pars sit schismate liberata, quænam in ea ruinæ reparandæ reliquuntur? Gaudet sane schisma esse hinc depulsum, sed non radicitus credit avulsum. Hærent terræ radices, ex quibus pullulaverat malum germen. Veretur ne si non succindantur, denuo repullulet, quare cupit ut fodiat altius labor tuus, non futura sine metu, nisi viderit cunctas malorum germinum stirpes penitus avulsas. Sed quæ sunt ais istæ radices? Absit si hoc a mea tenuitate, prorsus absit ut tuam summam sapientiam velim instruere: scio ab insania paululum distare, volentem docere Minervam. Sed effundo coram te cordis mei affectum, immo profero voces ecclesiæ sanctorum, & sine suspicione docendi oro ut eas exaudias. Quis enim nesciat nos in orationibus effundere coram Deo corda nostra, nec eum velle docere? Malo tamen dicat ipsamet ecclesia voces sanctorum suorum, dicat quas velit stirpes exscindi, & quas plantari. En loquitur, non jam in me sed in eam intendite. Væ miseræ mihi, væ infelici, ex quo dignitatis culmine, manibus iniquorum, detracta sum, quomodo mutatus est color optimus, obfuscatus faciei nitor? Coelestis pulchritudo terrenis sordibus inquinata, exangue corpus effectum, miserandum, incultum, hispidum, vestimentis fragrantibus spoliatum. Ecce rex & conditor meus, me regni sanctorum coelestis expressam imaginem esse decreverat, ut quantum fas esset, terrenarum rerum oblita, coelo propinquarem, & regnum illud supernum oculis mortalium præsentarem. Sic enim sub Moyse nomine dictum fuerat. Exod. XXV. 40. *Vade, omnia facias secundum exemplar tibi monstratum in monte.* Sic retulit postea discipulus quem dilexit, se vidisse *Civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo habentem claritatem Dei.* Apoc. XXI. 2. Duplici vero similitudine illam imitabar: Primum quidem, quia sicut in coelesti regno Cherubin, Seraphin & ceteri quinque usque ad Angelos ordinantur sub uno capite Deo, ita in meo corpore sub summo Pontifice Primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, Archipresbyteri, Presbyteri, & Abbates & reliqui. Est alia principalior, & cujus gratia hæc instituta fuit, ut quantum patitur corpus corruptibile quod coelestes habent perfecte, habeant terrestres ex parte. Illi vident per speciem; videant isti per sapientiam & fidem. Illi Deum teneant præsentem per comprehensionem; teneant absentem isti per spem. Illi Deo fruuntur plena charitate; fruantur isti quanta possunt in corpore prægravante. Deum colant & adorent quomodo Beati, casti sint quomodo Beati, sapiant *quæ sursum sunt, non quæ super terram* Coloss. III. 2. quomodo beati; & sic possem discurrere per ceteras virtutes! recte sane sic ordinavit sapiens artifex: nam si propria ratio mea quæritur, & mei collatio ad coelestem civitatem facienda est. Ego sum via & motus in illam, illa finis ac terminus. Ego peregrinatio raptim transiens, illa patria semper manens. Ego militantium juge certamen, illa lætus victorum triumphus. Ego vallis miseriæ, illa mons lætitiæ. Ego mare tempestuosum, illa portus tranquillus. Ego exilium, illa natale solum. Itaque quemadmodum motus ex suo termino ad quem vadit, sic ego ex illa propriam traho rationem. Quantum ad illam accessero, tantum veritatis acquiro. Si tendere desidero, amisso nomine proprio, in alteram formam convertor. Unde Deus conditor meus ascendens in coelum, quid aliud voluit, quam ut eum mente sequerer quo progrediebatur corpore, ut illic esset cor meum, ubi esset thesaurus meus, amor meus, spes & desiderium. Nonne affixit mihi pennas, quibus in terris corpore jacerem, mente volarem in coelos? Sunt enim pennæ volucris mihi, quæ celsa conscendunt poli, quas sibi cum velox mens induit, terras perosa despicit. Sed quæ sunt illæ? Fides, Spes Charitas, nihil cum terra commune gerentes, sed totæ coelestes. Nonne secundum has virtutes me consuscitavit Deus, & consedere

re fecit, in coeleſtibus in Chriſto Jeſu? O mira atque deſiderabilis imitatio, qua coeleſtior quam terreſtrior effecta non dubitor? Omnia civitatis illius ordinem eloquuntur, coeli, ſydera, elementa mixta; cum ordinatiſſimis Legibus Deo ſerviant. Unde & natura duce, ante Chriſtum meum natum, gentilium Sacerdotum poteſtates ita erant ordinatæ, ut Archiflaminibus Flamines ſubeſſent, a quibus adhuc provinciarum ac dioeceſium diſcretionem partitionemque retineo. Poteſtates autem terrenas quis ordinatas ambigat? *Non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem a Deo ſunt, ordinata ſunt*. Rom. XIII. 1. Verum ordinis mei pulchritudo longe præſtantior, expreſſior atque vicinior. Hujus curam præcipuam ac pene unicam, cuſtodibus quos mihi reliquit in terris, meus conditor mandavit: *Exemplum*, inquiens, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Joan. XIII. 15. Si pulcherrimas ſimilitudines coeleſtis ordinis in terris poſui, vos illas ſervate; veſtrum eſt officium ut ceteros purgetis, illuminetis, perficiatis, quatenus coeleſtem portent imaginem: idcirco vos purgavi, illuminavi, perfeci; quia nec ſordulentum mundificat, nec tenebroſum illuminat, nec diminuta perficiunt. Et vos quales cuſtodes meæ ſponſæ ſubſtitueritis, etiam atque etiam caute conſideretis; quandiu recte his mandatis eſt obeditum, ſpiritus valuit, caro jacuit, eximia per totum orbem terrarum diffuſa ſum. Pax ubique portabatur, ubique recipiebatur, ferrea corda linguis igneis, & verbis ignitis liqueſcebant. Sed heu! quid de calamitate præſentium temporum querar miſera? Quibus, pro coeleſti ordine perturbor confuſione, & ex ſimilitudine coeleſti quæ mihi vita eſt, ad inferni ſimilitudinem *ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, Job. 22. quæ mihi mors eſt, manibus impii pertrahor? Denique ex diſtinctiſſima membrorum decentia in chaos Anaxagoreum niſi manus conditoris retentaret, prope dilaberer. Siccine mi Rex te ſequor? Siccine coelos peto? Siccine Matris coeleſtis veneratur imago? Vix jam ordo meus quem inſtituiſti legitur in libris, quanto minus in moribus? Cernere eſt archiepiſcopos, primates ſuos vel ignorare vel contemnere; adverſus illos aut conſuetudinis diuturnæ præſcriptionem, aut exceptionem allegare. Et nonne hæc eadem ab inferioribus ſuis archiepiſcopi patiuntur? Cernere eſt profeſſos paupertatem, ita ut nec in privato nec in communi ſibi quidquam reſervaverint, quo liberius in terris charitatis ardore Seraphim, ſcientiæ plenitudine Cherubim imitarentur, aut ad Prælaturas niſibus ſummis aſpirare, aut ſi hoc non audeant, ad beneficiorum minorum, quod eſt inuſitatius, commendas currere, non veritos ne cum uxore Loth retroſpicientes in ſalis effigiem redigantur, neque ſatis memores Ananiæ & Saphyræ. Mirum eſt non alios æque feſtinare ditari his, quorum profeſſio vetat ditari. Cur enim aſſidue pulſant aures apoſtolicas, quatenus nova privilegia valeant extorquere. Si hoc ut publice proficiant, magis quam marſupia repleant, ſplendide vivant, paupertatem quam voverunt exuant, ipſi viderint; quamquam multa me experientia magiſtra docuerit, nolim tamen judicare. Videas alios novem ordinibus non contentos; non enim novenis beneficiis ſaturantur, tamdiu novos hiatus pandere quamdiu vivant, conjungere domum ad domum, agrum agro copulare, quaſi in medio terræ ſoli habitarent, ipſum væ propheticum pro fabula contemnere *Iſaiæ V.* 8. Videas fere omnes ſummis importunitatibus in leges irruere, dum nunc petunt gratiam obtinendorum ſimul incompatibilium, nunc in abſentia poſſe fructus colligere, nunc ante annos magnas dignitates aſſequi, nunc ad ſacros ordines non compelli, & mille alia rectis legibus vetita. Ubi nonne eſt intolerandum magnos prælatos commiſſos ſibi greges lupis exponere, & quotidie ad denariorum regiorum ſupputationes ſedere, non veritos præceptum Apoſtolicum transgredi. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, 2. Tim. II. 4. eo ſenſu quo per ſacroſanctum concilium olim expoſitum fuit. Quid de illis loquar, de more patriæ pro mitris utuntur galeis; pro veſte linea utuntur ferrea; arma ferunt, bella gerunt, fundunt ſanguinem, præſules negant, duces exhibent, ſpiritum neſciunt, carnem fovent; quaſi arma militiæ noſtræ eſſent carnalia, & non potentia Deo ad deſtruendum omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Quod ſi ad hæc arma neceſſitas vigentior detruſerit (uti non unquam accidere fateor) non eſt magis ſperanda victoria ex pugna Joſue, quam oratione Moyſi: Porro illud quam abſurdum, in hierarchiis inſtitutos nullos actus hierarchicos exhibere, non purgare, non illuminare, non perficere. Atque utinam exemplo ſuo malo non inficerent, non errores traherent, ac imperficerent pauperum plebeculam paratam in alterutrum ſequi aut bona exempla virtutum, aut prava vitiorum. Quid turpius quam videre doctos aut bene moratos, aut extra ordines jacere, aut in imis collocatos; ignaros autem & improbos altiſſimum gradum tenere; videre alios eſurire, alios ebrios eſſe. Quod ſi ad inſtitutionem ſacerdotum atque proviſionem venire delectet, doleo ſeminaria ſeri litium, ubi lites ſequi prope nefas eſt. Vix aliquod beneficium infra prælaturas confertur, quin ipſum, uni ſummus pontifex, alteri vero legatus aliquis, iter ordinarius alteri conferat. Quid eſt hoc aliud quam litium materiam exhibere? Nec illud minus abſonum quod magis favoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut conſanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quam judicio aut delectu proviſiones iſtæ fiunt? Nec ad ea dona ſpectatur quæ Spiritus S. membris meis variis varia diſtribuit, ad regimen ordinatum: atque per ſe ſufficiens mei corporis. Unde fit ut auris ad videndum, & audiendum oculus nonnunquam applicetur, ſimiliſque ceterorum membrorum confuſio fiat, qua nulla major pernicies. Ex quibus hæc radicibus pullulaſſe crediderim? Profecto ex foedis inquinamentis clericorum. Unde periere virtutes, ex quibus ſecunda ſimilitudo mea ad cæleſtem Hierarchiam intemerata ſalvabatur: ſublatus

ANNO CHRISTI 1409.

tus est simul omnis decor ordinis, in quo prima fundabatur. Priores illi sub quibus magna felicitate floruit, sapientia, coelesti, fideque fervebant. Isti posteriores, carnali prudentia corrumpuntur. Illi inflammabantur amore Dei, isti flagrant amore mundi. Illi firmabantur in vero bono spe solida, isti spe mendacii, falsis bonis inhærescunt. Quo fit ut quemadmodum illi per sapientiam spiritus ceterasque claras virtutes meum Regnum fundaverunt, ornaverunt, ampliaverunt, sic isti per carnis prudentiam ceteraque foeda vitia idem diruant, maculent, restringant: Nam cum caro concupiscat adversus spiritum, cui dubium est Leges carnis spiritualem politiam potius subruere quam salvare, deterrere quam emendare, minuere quam augere? Recte dicit Ethnicus: *Imperium facile his artibus retinere quibus initio partum est*. Unde quia meis propugnatoribus artes illæ desunt, quibus mihi dignitatem ac opes antecessores eorum pepererunt, undique in meam dignitatem ac divitias fit impetus. Et sicut ex illis tanquam pacis radicibus pax latissime exorta est; sic ex istis tanquam discordiarum stirpibus omnia schismata & creata sunt & nutrita. O indignum facinus, o sceleratissimam proditionem, milites mei & iidem filii quos ad honores maximos opesque sublimavi, projectis armis sponsi mei, lorica justitiæ, scuto Fidei, galea salutis & gladio spiritus ad hostem capitalem transfugerunt, pactoque turpissimæ pacis foedere armaturam illius induerunt, loricam injustitiæ, scutum prudentiæ carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod est verbum mendax diaboli. Unde pugnant contra me & in materna viscera vires convertunt. Quos advocem defensores? quos quæram adjutores? quos mihi propugnatores sperem? non a filiis derelicta tantum, sed hostiliter impugnata? Olim sæviente tyrannorum rabie, me tutata est constantia Martyrum; invalescente hæreticorum fraudulenta calliditate, me protexit sapientia doctorum; modo quid agam cum *amici mei & proximi adversum me appropinquaverunt & steterunt*? Psal. XXXVII. 12. An non ergo sunt prudentes congerendis opibus, instruendis dapibus, cumulandis honoribus, pompis fovendis, & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis humilibus & superfluitatibus coercendis? An non potius de beneficiis disceptant per leges Justiniani, quam populum erudiant & doceant Legem Christi? doceant dico, immo discant. Nam quem e Sacerdotum numero mihi dabis non ignarum Legis Christi? An non augmentis plus inhiant facultatum, quam lucris animarum? quis autem hæc a carnis prudentia proficisci negaverit? Jam vero multas mihi moverunt lachrymas carnalis amoris argumenta clarissima, cum alium ambitione corruptum, per scelus dignitates rapere conari cernerem, Magnates adire, eorum abuti potentia, per eam vim adhibere, aurum polliceri, minis terrere, allicere blanditiis, fas nefasque confundere, non revocatum neque metu legum neque exemplorum Dathan & Abyron, Simonis Magi, regis Osee. Lugebam quoque cernens alios avaritia rapaci oves spoliare exactionibus, exactiones cumulare, accusationes struere, serere lites, falsis criminibus innocentes impetere, congerere pecunias, terrenis tantummodo negotiis intendere; quibus salubriter consultum putarent, si mallent Aristotelem audire quam Apostoli præterire mandatum. Ille patribus familias opulentis consilium dat, ut administrandarum facultatum atque familiæ negotium procuratoribus imponant, ipsi vero simul vivant aut philosophentur. Sed modicum miror apud istos Aristotelem contemni, apud quos nihil valet apostolorum exemplum salubre, qui ne verbum Dei relinquere cogerentur, septem Diacones pro ministerio mensarum instituerunt. *Act.* VI. 2. Nec sine lachrymis inspicere poteram alium concubinatu pollui, cui tamen ut puritatem Angelicam æmuletur connubium est interdictum; luxuriam non clam, sed in propatulo habere, foedis factis foeda verba conjungere, dapibus implere ventrem, inebriari vino doctum & ad calicem vigilanti stertere naso; & mille malis aliis prope conspectis, fluebant mihi lacrymæ, nec fluere desinent, nisi malas istas radices pejorum germinum matres succisas agnovero. Nam quid postremo de spe mendaci proferam? Quid sacerdotes sperare dicam utrum sempiternam gloriam? Hæc profecto eorum postrema cura est. Sed quid? sperant beneficia consequi, sperant emolumenta terrena: sub nova lege veterascunt, cum novis præmiis æternisque relictis ad legis Moysi vetustatem resolvuntur, & ex schola credo Stoicorum, non certe christianorum honores istos caducos beneficiorum virtutis præmia ducunt. Quod facturos non existimo, nisi ita oculos ad opes honoresque converterent, ut onera non adverterent, nisi honorum dulcedinem & non ad onerum amaritudinem inspicerent. An tibi videtur nauclerus summis tempestatibus usque ad finem dierum meorum mari jactandus, recte primum putare terrenum commodum quod tantis periculis conjunctum viderit. Non putabit, inquies, nisi tempestatis immemor. Ceterum quis viator pro laborum præmio eam pecuniam sumpserit, quam, nisi per medios latrones prædonesque manu semper portaverit, possidere non liceat? Nullus inquies nisi salutis oblitus. Ergo si in beneficiis statutum lubricum sempiternæque poenæ nimis facile periculum inesse certum sit, quis intelligens non ea magis suscipere metuat timore periculorum, quam quærat spe commodorum? Quo circa soleo mirari, quid id sibi voluerunt qui primum gratias expectativas applantaverunt: sed ut video jam dudum vera rerum vocabula amissa sunt.

Habes itaque vel maximas afflictionis meæ causas, quia dum omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, & quod sibi utile est, non quod multis, dum suavi carnis pastui tantum carnales intendunt, currunt ad honores, onera rejiciunt, quærunt jocunda, molesta fugiunt, quod in alieno statu dulce viderint ad se rapere, quod in proprio amarum cognoverunt in alios proiicere moliuntur. Inde discordiæ, lites, schismata, rixæ, simultates, & totius ordinis mei turpissima confusio. Quæro Domine si ab his pe-

Anno Christi 1409.

pestibus hoc tempore liberabis ac restitues regnum Israel? Et precor ut restituas; quod factum subinde spero: quippe spiritualibus litteris eruditissimus, sacerdotes Dei legem ignorare non feres, uti sine damnationis periculis ignorare nequeunt; quod multis auctoritatibus sacræ scripturæ confirmarem; sed brevitati studendum est. Denique cum a puero te coelestis religio susceptum adeo spiritualiter vivere docuerit, ut id tibi in naturam conversum sit, advocabis spirituales viros ad beneficia, ab his carnales arcebis. Excludes quos spes improba ad importune petendum impulerit, sed invitos intrare coges, quos parvi pendere terrena, comparatione coelestium agnoveris. Exinde confusionem præsentis temporis reduces ad distinctionem ordinis. Coges quemque suum tenere locum, suo gradu contentari, officium exercere ordinis suscepti, limites non excedere, non perturbare terminos positos a patribus. Jubebis quemlibet esse contentum mensura statum decente. Et quoniam pravæ cupiditati terminum imponit nemo, tu omnibus præficere conaberis. Præcipies seminare spiritualia, qui metunt carnalia. E contra leges recte latas, quantalibet importunitate petentium fatigeris, nunquam dispensabis, nisi aut necessitas urgeat, aut communis provocet utilitas: aliqquin fuerit potius crudelis dissipatio quam justa dispensatio. Cavebis dispensationem ipsam lege communiorem facere, ne turpe sit, si regulam sua vincat exceptio. Si hæc feceris, ad quæ te suscepti officii debitum astringit, tum schismatum avulsis radicibus pax ipsa christiana sibi terrarum orbem denuo vendicabit. Et in hoc positum est unicum pacis stabile fundamentum, sine quo si quis ædificare voluerit, nihilo plus agit quam si det operam ut gravia tecta parietibus arundineis superimponat. Morum corruptio fuit prima causa mali; quare morum correctio erit prima causa boni. Verum hic labor, hoc opus est, ne hoc facere possis, nisi te propinqui tui ac domestici juverint. Proinde Gregoriano exemplo persuasus advocabis tibi tantorum laborum socios clericorum ac religiosorum quosque prudentissimos ac optimos: ornabis domum tuam sanctis, prudentibus, modestis integris, incorruptis. Quam enim domum decet sanctitudo, si non tuam domine? Certe parum profutura est tua unius justitia, si eum vicerit dissimilis aliorum affectio. Uteris subinde membris tuis, regisque summi secutus exemplum, quemadmodum ab illo discurrunt assidue spiritus Angelici ad hominum ministeria, sic diriges per orbem terrarum pacis nuncios. Vide tamen qualibus membris utaris, sunt quædam paralytica, si volueris in dextrum movere, prave potius ferentur in sinistrum. Proinde magna cura tibi subeunda est, ut ad hoc ministerium idonea deligas. Posthabebis rerum minorum curas, ut hinc maxime major ac efficacior inservias. Vide quæso si careas oneribus, vide si quis alius tanta sollicitudine fatigetur quanta tu. Vere hoc dixerim summus honor, summum onus. Sed ne te onus terreat si bene ministraveris: summi oneris summum præmium. Vide denique, si non tibi incumbat cum eximio Rege psallere, durum quidem, sed vigilantis viri canticum: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino*, Psal. CXXXI. 4. Sed quem locum. pacem nempe: *In pace factus est locus ejus*, Ps. LXGV. 3. Sed quænam est hæc pax? tranquilla bonorum concordia, *Non enim est pax impiis, dicit Dominus*, Isaiæ XLVIII. 22. Tolle igitur vitia, reduc virtutes. Redde mihi formam, redde vitam, redde etiam cum domine gratum locum invenire, cum hoc tempore regnum Israel restitueris. Hæc ecclesia tecum. Cujus vocibus nihil aliud adjicio, nisi precationem humilem, ut det Deus dies vitæ ac robur virtutis, ut sub tuo pontificio pulchræ pacis dilatationem amplissimam videre possimus. Amen.

FLO-

Anno Christi 1409.

FLORENTINUS CONVENTUS

Ad subtrahendam seu subtractam a Gregorio XII. obedientiam approbandam & confirmandam

Anno 1409. *habitus.*

ADMONITIO PRÆVIA COLLECTORIS.

Recessum ab obsequio Gregorii XII. meditans Florentinorum publicus magistratus, non continuo totum imperium ejus excutiendum censet, sed per partes. Primo igitur nullum Pontifici esse voluerunt jus in beneficia ecclesiastica, si quæ interim justo possessore vacasse contigerit. Id vero edixerunt decreto rogato die XXVI. Januarii, quod cum integrum hic offeratur, supervacaneum duco ejus summam hic explicare. Cum hæc quiete successissent; processum ad consultandum, num omnis in pontificem obedientia subtrahenda esset, quoadusque ingenti animorum contentione agitata lis ardua in concilio definiretur. Eo consilio episcopi provinciales, & quidquid erat virorum in sacra scientia peritorum in consultationem vocati sunt. Definierunt nemini ex pontificibus parendum, ut vel sic admoniti sive ipsi pariter in concilium Pisanum convenirent vel dignitate cederent. Concesso sibi hoc jure non statim utendum judicarunt Florentini; sed literis ad Gregorium & legatis missis, quid sibi consilii datum esset aperuerunt; simul vero monuerunt decrevisse se nihil innovare usque ad diem XXVI. martii; tunc vero omni abjecta cunctatione recessuros se ab officio profitebantur; siquidem ille in recusanda ecclesiæ pace perseverasset. Malum illud evertendum sibi censuit Gregorius; statimque ad eos destinavit legatos suos edoctos de iis quæ literis & legationibus Florentinorum reponenda erant. Id vero reminiscentiæ gratia chartis consignata illis tradidit; idemque scriptum hic perducitur ex Martene. Frustra tamen ille; nam Florentini Pisano concilio favorem suum & authoritatem impenderunt.

CONVENTUS PRÆLATORUM FLORENTINORUM

Ad subtrahendam seu subtractam a Gregorio XII. obedientiam approbandam & confirmandam.

Mart. t. Mon. VII. p. Considerantes magnifici & excelsi domini priores artium & vexillifer justitiæ populi & communis Florentiæ, nec non & ipsorum honoranda collegia, quod nihil est in hac vita mortali diligentiori cura inquirendum, nihil magis necessarium ad animarum salutem, ad Dei honorem, & ad militantis ecclesiæ liberationem, quam his duris & miserabilibus temporibus, & in hac deflenda & abominanda a cunctis fidelibus ecclesiæ sanctæ scissura, in hoc perniciosissimo errore, quo periculose nimis grex Christi divisus est, ea procurare quæ ad pacem sunt, D atque sanctam & veram unitatem populi christiani, & ad extirpandum ex ipsa christiana religione monstruosum ipsum & pestiferum schisma, quod fere triginta annis ad magnam animarum perniciem in ipsius ecclesiæ corde miserabiliter hæsit. Et cum ipsi magnifici domini & eorum collegia, cum his qui sub eorum ditione continentur, ipsius ecclesiæ membrum sint, & omnia usque in præsentem diem cum cordis puritate & animorum sinceritate ob eorum debitum fecerint, non sumtibus, non laboribus, non periculis, nulli denique rei parcentes, quæ proficua & salutaria ad ipsius ecclesiæ pacem judicarent, apud eum multis variis, hone- E stis & efficacibus rationibus & modis instando, qui se Gregorium XII. appellat, quæ omnia sigillatim exprimere longissimum esset, & cum omnis eorum labor usque in præsentem diem incassum fuerit, nihilque eorum sancti conatus profecerint apud ipsum dominum Gregorium, sed omnem prorsus spem amiserint posse eum reducere ad sanctam & necessariam unitatem Christianam, C quam Deo & hominibus promisit, juravit & vovit, nisi fortiora remedia adhibeantur: ac etiam considerantes præfati magnifici domini & eorum collegia, quemadmodum S. Spiritu inspirante, ut pie credendum est, duo sacrosancta collegia reverendissimorum dominorum cardinalium, videlicet collegium illud quod Gallicum apud quosdam appellatum est, & aliud quod Italicum, ab eorum capitibus, scilicet a præfato domino Gregorio, & ab eo qui se Benedictum XIII. appellat, discesserunt, prorsusque desperati posse eos de papatu contendentes, ad reintegrandam ecclesiam adducere, in unum se conjunxerunt in tanta unitate, ut vere de eis dici possit, quod cor unum sint & anima una. Nec non pensantes ipsi domini priores & sua collegia, quod domini cardinales indefessis studiis, prout Deo promiserunt, & ex ipsorum debito sunt astricti, rebus cunctis mortalibus spretis, procuraverunt, procurantque recta & sancta voluntate Christianam pacem, & maxime regia via, ea scilicet, qua alias ecclesiæ perturbationibus subventum est, videlicet per generale & sanctum concilium totius Christiani populi, quod celebrandum ipsi domini cardinales mandaverunt in civitate Pisarum, eisdem ad hoc sanctum negotium peragendum a Florentino populo concessa. Advertentes præterea, & secum diligenter considerantes quamdam eisdem dominis prioribus requisitionem factam per ipsos reverendissimos dominos & patres, dominos cardinales, cujus hic est effectus, quod Florentinus populus, quemadmodum obli-

ANNO CHRISTI 1409.

obligatus est, ipse & reliqui Christiani, secundum Deum & sacrorum canonum dispositiones, postquam aliter haberi ecclesiæ pax nequit, ad hoc ut hoc schisma tollatur, omnem obedientiam auferre debet præfato domino Gregorio, tamquam a christianæ religionis vastatore & nutritore inveterati in ipsa ecclesia schismatis, & propterea crimine hæresis affecto. Asserentes quoque ipsi domini cardinales hoc præterea ideo faciendum esse, ut omni metu seposito, liberius ecclesiæ prælati possint sanctissimo generali concilio interesse, & labenti ecclesiæ in miserandam ruinam, priusquam funditus deleatur, gratia Dei juvante, opem ferre, quam quidem petitionem ac alia quæque supra narrata animis volventes præfati magnifici domini priores, ac etiam habentes ante oculos Deum, & secundum ejus voluntatem incedere in his gravibus & magnis negotiis volentes, ac etiam studere, quantum eis divina bonitate permittitur, christianæ reconciliationi, nihilque omittere, quod auxilium aliquod laboranti ecclesiæ possit afferre, ne sub specie boni in aliquo decipiantur, & ne quicquam, quod contra sanctas institutiones ecclesiæ sit, per errorem faciendo & omittendo, committatur, decreverunt velle in istis eorum consilium sequi, quos sciunt Deum timentes esse, & qui noverunt quomodo in divinis rebus sit incedendum, quidve divino & humano jure liceat vel non liceat, & quibus cura est Florentini populi in spiritualibus secundum ecclesiæ ordinationem commissa. Quapropter ipsi magnifici domini priores in palatio residentiæ domini episcopi Florentini, infrascriptos reverendos patres & dominos archiepiscopum, episcopos, prælatos, abbates, professores sacræ paginæ, religiosos, & utriusque juris doctores congregari fecerunt, & ipsis sic congregatis, ipsi magnifici domini priores & vexillifer justitiæ supradicta & alia ad rem facientia narraverunt, & ab ipsis consilium postulaverunt, utrum secundum Deum, bonam conscientiam & jus possent & deberent juxta petitionem dominorum cardinalium omnem obedientiam auferre a domno Gregorio. Qui siquidem infrascripti omnes ad requisitionem ipsorum magnificorum dominorum priorum juraverunt in manibus reverendi patris in Christo domini episcopi Florentini, se in hac materia ea dicturos esse atque consulturos, omnibus aliis postpositis, quæ secundum Deum, bonam & rectam conscientiam, & secundum Dei ordinationem, jus & veritatem esse * crediderint. Unde subsecutum est, quod hodie hac præsenti die infrascripti omnes, exceptis tantum tribus, qui inferius describentur, habitis prius tamen inter se omnes aliquibus diebus magnis & longis disputationibus, tractatibus & allegationibus, & allegatis omnibus sacris canonibus, decretalibus glossis, auctoritatibus sanctorum doctorum ecclesiæ, ac juribus omnibus ad partem affirmativam atque negativam facientibus, ipsisque diligenter discussis & examinatis, & interpretatis fideliter, pure atque canonice, ac facto præsentis schismatis plene examinato & diligentissime considerato, inspirati, ut pie credendum est, Sancto Spiritu, atque gratia Dei & Redemtoris nostri Jesu Christi, ob cujus ecclesiæ salutem congregati sunt & laboraverunt, atque gloriosissimæ Virginis reginæ cælorum Mariæ, omnes & quilibet de per se unanimiter interrogati, singulatim per me Petrum notarium & cancellarium infrascriptum dixerunt, consuluerunt, declaraverunt, determinaverunt, quod secundum Deum, bonam, puram & sanctam conscientiam, secundum sanctas ecclesiæ institutiones, veritatem & jura, pro bono universali sanctæ matris ecclesiæ, & pro inducendo in populum Christianum sanctam & immaculatam pacem & veram unitatem, & pro schismate tollendo, magnifici domini priores & eorum veneranda collegia, cum universo clero & populo Florentino, & omnibus cujuscumque status, qui sub eorum jurisdictione continentur, possunt & debent, atque astringuntur sub mortali peccato, omnem obedientiam, assistentiam, auxilium atque favorem ab domino Gregorio subtrahere & amovere, tamquam a nutritore universalis & inveterati schismatis in ecclesia Dei, & dissipatore gregis dominici, & ecclesiæ sanctæ Dei subversore, & tamquam a violatore obligationis, juramenti & voti, quam & quod Deo & christianis omnibus solemniter fecit, ut publicis documentis in conclavi & post factis, continetur & habetur. Et me Petrum notarium & cancellarium infrascriptum, tamquam personam publicam, ipsorum declaratione rogaverunt, quatenus de hac ipsorum determinatione, ad perpetuam rei hujus memoriam, publicum conficiam instrumentum. Et quo prædicta majorem obtineant firmitatem, unusquisque infrascriptorum propria manu se subscripsit, & præsentem paginam propriis sigillis munivit.

(a) Ego Alammannus archiepiscopus Pisanus omnia suprascripta approbo & confirmo, ideo propria manu me subscripsi & signavi meo sigillo secreto. Hoc eodem modo infrascripti se subscripserunt.

(a) Subscriptiones desunt in cod. Chauveliniano.

Dominus Jacobus episcopus Florentinus.

Dominus Ludovicus episcopus Wlteranus.

Dominus Petrus episcopus Aretinus.

Frater Bernardus de Giansglaziis, generalis Vallis-umbrosæ.

Frater Honofrius de Florentia, prior eremi Camaldulensis.

Frater Bernardus de Florentia abbas monasterii S. Michaelis de Podio Bonizi, theologiæ professor.

Frater Thomas de Firmo theologiæ professor, generalis Prædicatorum.

Frater Antonius de Pecto ordinis Minorum generalis.

Frater Matthæus de Bononia theologiæ professor, generalis Carmelitarum.

Frater Felix abbas monasterii S. Salvatoris de Septimo.

Cappone de Capponibus de Florentia, præpositus Florentinus & Aretinus.

Johannes de Albicis canonicus Florentinus.

Bonosus Florentiæ de Federigis canonicus Florentinus.

Dereninus de Pecoris canonicus Florentinus.

Fran-

ANNO CHRISTI 1409.

Franciscus de Ancellensibus canonicus Florentinus.
Johannes de Riccis canonicus Florentinus.
Frater Nicolaus *de Soscol* decretorum doctor.
Johannes abbas S. Floræ de Aretio.
Jacobus de Campo utriusque juris doctor.
Frater Laurentius de Boronteis decretorum doctor.
Albertus de Albicis de Florentia.
Nicolaus abbas S. Mariæ monasterii.
Baldassar abbas monasterii de Passignano.
Domnus Bastianus abbas S. Salvatoris Camaldulii.
Hieronymus Gilii de Florentia decretorum doctor.
Laurentius abbas monasterii S. Petri.
Lazarus prior plebis de Balneo.
Frater Gaspar abbas monasterii S. Trinitatis.
Richardus abbas S. Pancratii.
Antonius abbas S. Pauli de Razulo.
Albertus de Albicis ordinis Prædicatorum magister.
Michael P. *Thim* professor theologiæ.
Frater Leonardus theologiæ professor.
Frater Andreas Tomæ professor theologiæ.
Frater Jacobus de Pisis professor theologiæ.
Frater Michael Johannis professor, &c.
Frater Michael de Fegehino professor, &c.
Frater Lottus ordinis Minorum inquisitor.
Magister Johannes Georginii de Bononia minister Fr. Minorum.
Frater Matthæus de Parma minister provinciæ Romaniæ.
Magister Johannes Johannis de Florentia professor.
Frater Jacobus Fei professor.
Frater Bartholomæus de Bononia professor.
Antonius de Massa professor.
Frater Benedictus de Testis professor.
Frater Valentinus Urcal. professor.
Frater Hieronymus de Faventia baccalaureus.
Bartholomæus abbas de Pvppio.
Johannes prior S. Fabiani de Prato.
Frater Antonius Petri prior generalis Armenorum.
Frater Michael abbas.
Frater Johannes Petri abbas.
Frater Laurentius de Florentia professor.
Frater Simon de Tornaquantis professor.
Frater Gabriel de Spoleto professor.
Frater Antonius de Rignano professor.
Frater Zenobius de Florentia prior provincialis Provinciæ.
Magister Bartholomæus de Pisis.
Frater magister Jo. de Sedoggiis.
Frater Antonius Salvi de Florentia baccalaureus.
Frater Nicolaus de Cassis baccalaureus.
Frater Jo. Leonardi professor.
Frater Jo. de Sicilia.
Frater Lucas Hispanus ordinis S. Salvatoris sub constitutionibus B. Brigidæ, gubernator monasterii Paradisi.
Frater Antonius de Alexandris professor.

Frater Perius de Roma professor.
Frater Antonius de Passignano professor.
Frater Dominicus Bartholi de Florentia prior canonicus.
Domnus Simon Matthæi.
Frater Zenobius abbas.
Simon Jeremiæ canonicus Pisanus.
Petrus canonicus Pisanus.
Frater Dominicus Riostri de Florentia baccalaureus.
Frater Thomas Jacobi de Regno.
Frater Antonius Simonis baccalaureus.
Julianus Cucchi.
Lucas canonicus S. Mariæ majoris.
Philippus de Corsinis doctor.
Stephanus Bonacursi doctor.
Laurentius de Ridolphis doctor.
Rossus Andreossus doctor.
Bartholomæus de Poplechis doctor.
Torellus de Torrellis doctor.
Richardus *Delbene* doctor.
Johannes P. Rustan. doctor.
Marcellus de Strozzis.
Franciscus de Marchiavellis doctor.
Dominicus P. Mini doctor.
Petrus de Beccanugis doctor.
Ego Petrus S. Mini, S. Dominici civis & notarius Florentiæ & magnifici communis Florentiæ cancellarius, imperiali auctoritate judex ordinarius, prædictis omnibus dum agerentur præsens interfui.

EPISTOLA FLORENTINORUM

Ad dominum Gregorium papam XII.

Declarant se ei suam certis conditionibus obedientiam subtraxisse.

Ex eodem pag. 942.

1. NEmo est tam expers rationis, sanctissime ac beatissime in Christo pater, qui inficiari possit omnes qui Christianam religionem profitentur, rebus cunctis mortalibus posthabitis, non debere, etiam si opus fuerit, vitam morti exponendo, ecclesiæ sanctæ Dei pacem quærere. Quid enim, si terrena sapere voluerimus, & cœca nimis inanium caducarumque rerum cupiditate teneri, magis necessarium, magis utile, magis divinum miseræ & afflictæ nimis ecclesiæ excogitari potest, quam pestifero schismate sublato, non duas, proh dolor! sed unam ecclesiam aspicere, & hanc pulcherrimam Christi sponsam, quam ipse pretiosissimo sanguine suo constituit, non in partes duas sectam & duobus capitibus deformatam; sed integram & unico redimitam capite; & in ea esse pulchritudine, qua eam Dominus noster exornavit? Nos igitur cum divina bonitate non inferius membrum ipsius ecclesiæ simus, nulla in re debere nos enixe magis atque diligentiori cura laborare judicamus, quam dare pro viribus operam ut tam ingens malum, tam sæva tempestas, quæ sanctissimos ac pulcherrimos ecclesiæ parietes disturbat, evertit, & miseranda ruina deformat, penitus tollatur, tranquilla & serena pax Christianis restituatur. Hoc igitur sanctum desiderium nostrum, hæc egregia voluntas, quæ nobis divinitus inserta est, eo populum nostrum deduxit, ut nihil durum æstimet, nihil

hil laboriosum, quod ad Christianæ religionis reintegrationem cederet. Hinc subsecutum est, ut non sumtus, non labores, non pericula pro hac tam necessaria re declinaverimus. Nota sunt hæc beatitudini vestræ, propterea ea exprimere obmittimus. Deo nota sunt, cui ut placeremus, ad hæc facienda devenimus, & ipse nobis est testis, sinceris animis & recta mente Christianam a nobis pacem procuratam esse.

2. Experti tamen sumus novem legationes nostras quas ad beatitudinem vestram infra biennium, & duas alias præstantissimorum civium nostrorum ad adversarium vestrum, qui se Benedictum XIII. appellat, transmissas rogatu vestro, nihil usque in præsentem diem profecisse. Nihil etiam valuit quod tam benigne, tam multa florenorum millia infra tam parvum temporis spatium pro unitate consequenda, ex beneficiis, quæ in nostris finibus sunt, colligi sumus passi. Nihil valuerunt infinitæ propemodum supplices exhortationes nostræ, nihil preces quas apud vos porreximus, nihil tam uberes, tam amplæ oblationes nostræ, quibus non solum facultates nostras, sed sanguinem quoque pro ecclesiæ salute benignitati vestræ obtulimus; nihil potuit quod Florentinam, Pisanam & alias civitates & oppida nostra non semel tantum concedere pro tractatu unitatis obtulimus; nihil denique alia opera nostra profuere: cujus rei culpa apud quem sit nolumus indicare. Deus enim hoc ipse indicabit. Quid igitur, cum omnia frustra Florentinus populus tentaverit, conatus sit, & vera simplicitate egerit, quæ ad gregem Dominicum reintegrandum proficua judicaret, facere debebat, an sanctum obmittere principium? non vere. Scriptum est enim, non qui incoepit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

3. Cum ergo sanctum & universale concilium a reverendissimis dominis cardinalibus celebratum iri cognoverimus, & ab ipsis rogaremur, ut in urbe nostra Pisana eis permitteremus sacrum concilium celebrari; non tantum hoc assentiri voluimus, sed ne divinam majestatem offenderemus, aut contra sanctæ ecclesiæ instituta faceremus, doctorum hominum in sacris litteris, Deumque timentium consilium sequi decrevimus, a quibus tandem nobis consultum fuit, ad ipsos dominos cardinales, cum ita se ecclesiæ conditio haberet, universalis concilii convocationem spectare, neque nos sine gravi Dei offensa, cum Christiani simus, posse ipsorum sanctam petitionem non implere. Valuit igitur plus apud nos Dei causa, quam ulla hominum gratia, neque timuimus propterea periculo quopiam humano nos submittere; sed in Deo ponentes fiduciam nostram, ad ipsam civitatem concedendam pro ipsa sancta synodo devenimus, ne ob commodi loci defectum, hæc sancta & necessaria ad Christianam pacem concilii convocatio impediretur, aut ratione aliqua differretur. Quo facto, per egregios oratores nostros supplicavimus beatitudinem vestram, ut dignaremini exemplo redemtoris nostri, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, humilitatem induere, & non ad mortem eundo, quam etiam nequaquam recusare pro salute Christiani populi debetis; sed ad sacram & universalem synodum præfatam accedere, quoniam et via renuntiationis papatui quæ tractabatur, in totum sublata esset, & concilium illud quod congregandum mandaveratis, non poterat ex duabus ecclesiis quæ constitutæ sunt unam facere, renuistis id quidem, ut nostis.

4. Quamobrem volente divinæ inhærere voluntati, et ab lege sua non discedere, cum crebro a reverendissimis dominis cardinalibus, atque a quibusdam magnis principibus christianis, nonnullisque sanctis hominibus moneremur, labi nos in perniciem animarum nostrarum, si quam obedientiam sanctitati vestræ præstaremus, postquam non juramentis, non votis, quibus Deo & christianis omnibus vos obligastis, non supplicationibus totius ferme populi christiani adduceremini ad pacem & unitatem sanctissimam christianæ religion. Perturbavit nos sane admodum talis hæc admonitio, & undique nobis angor & angustiæ erant, patri & capiti nostro & in spiritualibus domino obedientiam amovere cor nostrum acri dolore vulnerabat. Ex altera parte metus divini judicii, & caritas quam ad salutem animarum gerimus, quam salutem omnibus scimus esse rebus anteponendam, alia ex parte pene incredibiliter nos anxios reddebat. Hac in perturbatione nobis existentibus, nihil melius est visum, quam id videre, quod secundum sacras ecclesiæ institutiones, & Dei voluntatem a nobis esset faciendum.

5. Convocari ergo fecimus omnes prælatos, professores sacræ paginæ, & decretorum legumque doctores, nonnullosque religiosos sanctosque viros, in locis ditioni nostræ subjectis degentes, a quibus unanimiter, jurejurando tamen prius in manibus Florentini episcopi præstito, determinatum fuit, quod nisi a vobis desciremus, & omnem obedientiam auferremus, animas nostras mortali peccato occidebamus; quod quam luctuosum, quam grave, quamve durum nobis videretur, non facile exprimeremus. Sed prius quam ad hoc, ad quod necessitate, quæ nulli est legi subjecta, induceremur, tentandum esse rursum per oratorem nostrum virum egregium ac peritissimum dominum Stephanum Bonacursum, an vos adducere possemus supplicationibus & oblationibus illis beatitudini vestræ factis, ut pro pace ecclesiæ danda, ad universale concilium Pisis celebrandum veniret. Ex qua quidem nostra legatione, ut nostis, nullus est effectus subsecutus. Quid faceret ergo, sancte pater, populus Florentinus, videns & sciens quod in mortem æternam se præcipitaret, Deum tam graviter offenderet? Eamne obedientiam præstaret, quæ inveteratum schisma nutriret, quæ paci Christianæ inimica esset? in his tamen difficultatibus durisque rebus, & in hac necessitate, in quam devenimus, quod mitius fuit humaniusve delegimus. Subtraximus a vobis enim obedientiam omnem, prout per particulare concilium, quod in nostra civitate tenuimus, determinatum fuit, non tamen aliter, quam solet prudens & pius

ANNO CHRISTI 1409.

pius filius, qui urgente necessitate, & legitima causa subsistente, impellitur flens gemensque graviter, patrem relinquere, & ejus imperium & obedientiam, ac si ignotus esset, non attendere. Verum has adjecimus conditiones, quod hæc obedientiæ subtractio, non ante sextum & vigesimum diem futuri proximi mensis Martii locum habeat; ac etiam declaravimus, quod si infra hoc tempus mansuetudo vestra dignata fuerit ad præfatum universale sanctum concilium accedere, seque libere & sponte determinationi ipsius synodi submittere, atque determinationi præfatæ stare vos obligabitis; vel si decreveritis infra præfatum vigesimum sextum diem per vos vel legitimum procuratorem vestrum, cum pleno & irrevocabili mandato, ad prædictam renuntiationem papatui in manibus reverendissimorum patrum & dominorum cardinalium Pisis existentium, aut alterius cujuscumque speciale mandatum ad prædicta habentis ab ipsis dominis cardinalibus; tunc & in his casibus hæc subtractio obedientiæ pro nihilo habenda est, ac si facta non esset.

6. Tandem ut finem scribendi faciamus, testis est nobis, beatissime pater, testis est conscientia nostra, quam ardenter exoptemus, ut ita vos geratis, quod minime necessarium sit hanc subtractionem obedientiæ locum habere. Vos igitur pro salute animæ vestræ & omnium Christianorum, per plagas illas sanctissimas redemptoris nostri Domini Jesu Christi, per pretiosissimum ejus sanguinem, a quo ecclesiam sanctam fundavit, per illum sanctum lignum crucis, in quo ipse pendens, mortem & superbiam destruxit, & pacem humano generi dedit, vos oramus atque obtestamur, ut exsurgatis in mansuetudine & humilitate, & huic sancto & universali concilio, suæ vos determinationi subjiciendo, interesse dignemini, aut aliam sanctam, quam supra retulimus renuntiationis viam amplecti, ut tandem indubitata & vera pax ecclesiæ sanctæ reddatur. Nos vero beatitudini vestræ, illi honestæ & societati quam nobiscum habere decreveritis, omnem rationabilem libertatem & salvum conductum, quem postulaveritis, ut liberius ad ipsam civitatem Pisarum accedere valeatis, & generali concilio interesse tenore præsentium pollicemur. Datum Florentiæ.

AD MAGNIFICOS VIROS DOMINOS

Florentinos, post subtractionem factam Gregorio.

946. Magnifici & potentes domini, amici nostri carissimi, post salutem.

Cunctos inter populos qui sub professione Christiana censentur, vestram communitatem de zelo, sacro Dei cultu, justitia, singularique in suis actibus gravitate semper audivimus nec immerito commendari, ex quo quidem agro virtutum a bonis vestris seminatis veteribus, & usque ad vos novissimos diligentiore cultu, non solum odorem bonæ famæ progressum probabilem æstimamus, sed & fructus pacis, libertatis ubertatem, potentiæ magnitudinem, ac divitiarum copiam vestro singulariter populo pervenisse: adeo ut digne dici possit: Populus est vester cui Deus benedixit. Audiveramus enim, sed ex ore reverendissimi patris domini A. (a) S. R. E. episcopi Penestrensis cardinalis Aquilegiensis dignissimi, nuper a vestra Florentina civitate redeuntis, læto animo percepimus & jucundo, quantum ab antiquis non deviantes, sed potius perseverantes, devotionis affectum ad sanctam romanam ecclesiam per opera manifesta in perpetuum memoriæ retinenda, vestræ nuper virtutes ostenderunt, quantumque cum diligentia & gravitate celebratis solemniter comitiis & consiliis vestris, necnon ad concilium prælatis & aliis famosissimis clericis, qui vestro in territorio sunt reperti, solertissime convocatis, pro effectu sanctæ præfatæ ecclesiæ toti populo Christiano optatæ unionis, maturaque omnibus deliberatione pensatis, vestram & omnium vestrorum devotionem a domino Gregorio detestandi schismatis pertinacissimo fautore divertentes, divina inspirante clementia, in favorem ejusdem unionis, nostris jugi ardore ad ipsam flagrantibus vota unanimiter, exceptis paucissimis numero & qualitate, laqueo satanæ irretitis, conformia penitus reddidistis. Digne quidem omnes vestræ præteritæ actiones laude multiplici, sed laudum inexplicabilem cumulum hæc quæ in præsentiarum fecistis opera mortales inter omnes gloriæque promissione æternæ apud cunctipotentem, cujus res agitur, vendicarunt. Nos vero pensantes quanto dignior sit res maturis digesta consiliis, quodque plerumque consiliorum prolixitas operibus brevitatem largitur, in agendisque succenditur, quod dilatatur in otio, quamvis ardore quodam ab ipso Jesu Christo nobis infusæ caritatis citiorem ad conclusionem fuissemus incensi; vestram tamen hanc sanctam operam eo majoribus attollimus laudibus, quo magis digestam totique populo Christiano futuram in Domino confidimus: gratiarum actiones quas possumus vestræ magnitudini referentes, ac Dominum Jesum Christum continuis orationibus propulsantes, quatenus vestram rempublicam felicibus extollat, augeat & conservet auspiciis juxta vota, nihilominus universaliter & specialiter nos favoresque nostros vestro statui continuis temporibus obnixius offerentes. Demum, magnifici domini, amici nostri carissimi, quamvis ea quæ hactenus fecistis, spem nobis in dies pinguiorem spoponderint, confidenter tamen vestram magnificentiam requirimus & hortamur in domino, rogantes affectuose, quatenus ea quæ circa ea sancta coepta pro bono unionis præfatæ minus completa supersint, ad perfectionem vestra prudentia jugi & solerti cura, prout speramus, faciat perduci ad magnificos dominos Senenses & alios conterminos & circumvicinos cum scriptionibus, cum orationibus, omnibusque aliis vestræ prudentiæ visis honestioribus modis hortari, quatenus se in operibus vestris sanctis aperto oculo speculantes, ad itidem faciendum se disponant. Quicquid enim per alios vestris intercessionibus & exemplis factum fuerit, ad laudum præconium vobis majus cedet. Nos

(a) Antonii

ANNO CHRISTI 1409.

Nos vero & litteris & vocibus vivis, quantum cum Deo poterimus, eos & cunctos alios forte dormientes curabimus ad hoc pium & toti populo Christiano salutigerum opus excitare: parati semper ad vestra & vestræ reipublicæ beneplacita, augmenta, et honores unanimi et promoto corde. Datum Pisis, sub priorum nostrorum signetis die XI. februarii, II. indictione MCCCCIX.

EPISTOLA

Ad serenissimum Francorum regem per magnificos dominos priorem, vexilliferum justitiæ populi & communis Florentinorum.

Declarant se subtraxisse obedientiam Gregorio papæ.

Ib. p. 949. SErenissime atque gloriosissime princeps, & plusquam metuendissime domine, domine noster singularissime, quot labores jam in procuranda ecclesiæ unitate, postquam dominus Gregorius in summum pontificem assumtus fuit, pertulerimus, quot ad eum legationes hac pro re miserimus, quam supplicibus verbis ipsum ad reintegrationem Christianæ religionis adducere conati simus, quam ingenti pecunia eum propterea juverimus, qualia etiam idcirco secum quantaque egerimus, quoniam longam exigerent orationem, silentio præterire decrevimus. Satis enim nobis est, majestati vestræ significare, quod frustra omnia usque in hanc diem tentavimus, & quod nihil nostri sancti conatus apud eum profecerunt. Quamobrem visum nobis expediens fuit ipsius ecclesiæ unitati, ut reverendissimis in Christo patribus & dominis cardinalibus utriusque collegii hæreremus, qui ut sublimitati vestræ notum est, ab eorum capitibus discesserunt, prorsus desperati ipsos de papatu contendentes ad sanctam & necessariam Christiano populo unitatem posse adducere, quosve cernebamus pure & sancte unitatem ipsam quærere. Hinc igitur est subsecutum, quod eis Pisanam civitatem pro sancta & universali synodo congreganda concessimus, multis nos propterea periculis subjiciendo, quæ omnia subire non recusamus, tum ut divinæ bonitati placeremus, tum ut huic tam magnæ, tam salutiferæ, tamque sanctæ rei non deessemus, conati etiam sumus pluribus nostris legationibus ipsum dominum Gregorium adducere, ut ad hoc sacrum & universale concilium vellet accedere; sed nihil apud eum, qui in hodiernum usque diem aures veritati clausit, hæc vim habuere. Quare tandem cum a pluribus doctis & sanctis viris admoniti essemus, non debere nos ei qui ecclesiam Dei vastaret, & in ipsius perniciem inveteratum schisma nutriret, aliquam obedientiam præstare, quoniam hoc faciendo mortali peccato animas nostras occideremus, a præfato domino G. obedientiam omnem subtraximus, non tamen sine consilio cujusdam particularis concilii, quod in nostra civitate congregavimus, quorumdam prælatorum atque multorum sacrarum litterarum utriusque juris doctorum, qui centum & ultra fuere. Sed huic obedientiæ subtractioni has conditiones adjecimus, quod non ante sextum & vigesimum diem mensis martii proxime venturi, hæc locum haberet, ac etiam ut pro nihilo haberetur ac si subtracta non esset, si infra dictum tempus ad præfatum sanctum concilium ipse Gregorius accesserit, & ipsius determinationi se submiserit, vel per se, aut per suum legitimum procuratorem, papatui antequam præfatus vigesimus sextus dies labatur, renunciaverit. Quam nostram determinationem majestati serenitatis vestræ idcirco notam facere decernimus, ut cognoscat nos veros atque devotissimos filios vestros sublimitatis vestræ vestigia imitari, & ea implevisse, ad quæ dignatus est nos hortari, & per litteras & per egregios oratores majestatis vestræ, cui nos humiliter commendamus. Datum Florentiæ.

CAPITULA DOMINI NOSTRI

Papæ ad Florentinos.

IN nomine domini & gloriosissimæ genitricis Domini nostri Jesu Christi Mariæ semper virginis Dominæ nostræ. Ib. p. 9

Primo ambaxiatores sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii divina providentia papæ XII. dilectis filiis suis prioribus artium, & vexillifero justitiæ populi & civitatis Florentiæ, ceterisque civibus ejusdem civitatis, apostolicam benedictionem & paternam salutationem exhibeant pro parte sanctitatis ejusdem.

Deinde dicant quod sanctissimus dominus noster prædictus suscepit ambaxiatam quamdam parte prædictorum dilectorum filiorum suorum, per nobilem & egregium doctorem oratorem eorum, dominum Stephanum de Bonacorsis in hoc effectu.

Primo quidem cum filiali reverentia visitavit prædictum dominum nostrum papam parte dictorum priorum & vexilliferi justitiæ & totius populi Florentiæ.

Secundum ipsius sanctitati communitatem & populum Florentinum commendavit.

Tertio ipsi obtulit ipsam communitatem & populum in rebus possibilibus & honestis.

Quarto supplicavit & precatus est sanctitatem suam, ut dignaretur ad concilium Pisas per utrumque collegium convocatum accedere, ut pax & unio in ecclesia sequeretur.

Quæ quidem omnia & multa circa illa seriose & eleganter in publico suæ sanctitatis consistorio narravit. Ubi benignam, seriosamque audientiam per dominum nostrum suscepit. Et quamquam multa quæ expedientia visa sunt, per præfatum dominum nostrum & oratorem prædictum hinc inde pluribus mediis, responsionibus, replicationibusque ventilata fuerint, velut notum est multis astantibus, & prout dictus eorum egregius orator poterit referre, tamen ad dilectam filiam suam communitatem Florentiæ dominus noster papa suos deliberavit transmittere oratores, suam intentionem responsuros super prædictis, præterea & quædam alia narraturos ut infra. Pri-

Primo quidem visitationem suscipit tamquam a dilectis filiis sanctitatis suæ & sanctæ matris ecclesiæ, & eis paterno affectu regratiatur.

Similiter quoque eorum recommendationem suscipit, eisque ut supra regratiatur.

Tertio, de oblationibus dictæ dilectæ filiæ suæ communitatis prædictæ paterno affectu & toto posse regratiatur, & certificat prædictam communitatem & dilectos filios suos cives universos populi & civitatis ejusdem, quod ad nihil aliud suscipit oblationes suas, nec illis uti vult, nisi ad ea quæ sint proficua paci unicæ & immaculatæ sanctæ Dei ecclesiæ sponsæ, & opportuna unioni populi Christiani, & ad ea quæ proficiant reipublicæ & commodo spirituali & temporali civitatis prædictæ, quæ sint insuper illi possibilia, juridica, æqua, honesta, & prædictæ communitati honorifica; dilectos filios prædictos paterne hortans, quatenus B. Petri sedis honorem conculcare nolint, tamquam catholici filii: sed & si qui conculcare præsumserint, ea potentia, quæ sibi a Domino tradita est, ad reprimendam malitiam resistere velint. In hoc enim putat tam Deo gratum, quam hominibus honestum & debitum exhortari.

Quarto, dominus noster papa miratur quod dicta communitas instet, quod Pisas accedat. Scit enim in ipsa civitate Florentiæ multos fore sacrarum scripturarum juriumque peritos, multos præterea prudentes, probosque cives, unde ignorari non debet nec posset, quod concilium Pisas convocatum nullum est, quia præter, immo contra legitimam auctoritatem convocatum.

Quod etiam concilium taliter Pisas convocatum nullum est, quia naturæ concilii contradicit. Concilium enim a communi intentione dictum est, unde cum hoc non communi, sed particulari intentione vocatum est; concilium esse non potest.

Non potest præterea esse concilium, quia concilium quasi consilium dictum est. Unde quotiescumque prius terminatio fit quam consilium, concilium evacuatum est. Nunc autem quia manifestum est, eos qui Pisas se evocasse concilium dicunt, prius dominum nostrum papam exspoliasse obedientia, & plurimos concitasse, ut præfatum dominum nostrum de facto obedientia exspoliarent, antequam concilium sive consilium judicaverit ipsum exspoliandum; certum est ipsos auctoritatem concilii præoccupasse, & evacuasse concilii naturam, quia cum electio facta est, super eodem consilium frustra est. Non utique consilium potest esse electio, sed consilii finis. Unde cum consilium sit eorum quæ sunt ad finem, quomodo fieri potest, ut electio antecedat consilium; aut si electio manifesta fuerit, quomodo esse potuit post electionem consilium.

Ordo præterea & judicii natura perversa est per illos qui Pisis sunt, quoniam judicium ante latum est, quam de competente judice terminatum sit. Et si certum judicem fore illiusmodi concilium quod vocaverunt, admitteretur; manifestum est eos qui Pisis sunt, prius sententiam contra dominum nostrum papam tulisse, eum per orbem publice antiquati schismatis fautorem damnando & hæreticum, & obedientia quam possederat per XXX. annos & ultra exspoliando, aliosque ut exspoliarent incitando, prout notorium est, antequam suus judex, si tamen judex dici potest, nedum actus opportunos præmiserit, ad sententiam legitime ferendam; sed etiam antequam judicandi causa sederit, & quod absurdissimum est, etiam antequam adsit judex, quem expectant.

Et quamquam dicant, quod ideo eorum est concilium generale, quia ad illud utriusque obedientia concurret; respondetur, quod neque de jure, neque de facto eorum concilium potest esse universale. De jure canones attestantur; de facto manifestum est multos utriusque obedientiæ ad ipsorum conciliabulum non esse venturos.

Advertat igitur, requirit & monet sanctissimus dominus noster papa, tot proborum civium prudentia, qualiter eorum opinioni faveant, qui nec de jure nec de facto valent sanctæ ecclesiæ pacem exhibere modis quibus tentant.

Advertat ceterum attente, requirit & monet SS. dominus noster, tot proborum civium prudentia, quomodo & consulunt & eum deprecantur, ut Pisas accedat, & eorum se concilio submittat, aut illorum concilium approbet, qui conventuros ad concilium illiusmodi, non ideo vocaverunt, ut consulant, sed ut determinata ante concilium approbent, nec eos, ut auditis partibus & eorum discussis juribus judicent, vocaverunt; sed ut iniqui judicii approbatores & executores fiant.

Advertant quomodo eis faveant, qui pacem velle dicunt, & cum pacifici haberi possunt, jurgia quæ non expediunt excitant. Paratus est enim dominus noster papa servare sponte vota per eum jurata, immo paratus esset & est potius, mortem, si expediat, velle subire, quam juramenta frangere & vota.

Advertant quomodo illis faveant, qui papam cogere volunt, ut cedat juri suo, cum cessio non valeat & expediat, quod voluntaria sit non coacta.

Advertant quomodo illis faveant, qui cum universale velle concilium dicunt, & universale de jure & de facto habere possunt; potius particulare quærunt habere, contradicente domino nostro papa, quam universale habere, ipso cum suis adversariis convenire volente, & universale congregare communi omnium consensu concilium.

Advertat eorum prudentia, quomodo illis faveant, qui sibi ipsis palam contradicere deprehenduntur. Dicunt enim quod dominus noster papa non vult unionem, & cum ipse velit, & operam, quantum in ipso est, exhibeat, ut fiat, ipsi contradicunt; & quod voluntarie & pacifice vult, ipsi suis sagacibus jurgiis destruere moliuntur.

Dicunt velle quod cedat, & dum, ipse paratus sit juxta promissa sua sponte cedere, ut pax Romanæ & universali reddatur ecclesiæ, ipsi vim inferunt: & sic quod sponte facere vult, & quod sponte fieri potest, & sponte fieri debet, eorum violentia inficit & invalidat.

Di-

Dicunt quod concilium, etsi spectaret ad eum, quod adversa pars numquam suo concilio vellet interesse, universale esse non posset, & quia universale expedit concilium pro pace ecclesiæ; propterea modum servari oportet, ne propter hoc pax impediatur ecclesiæ. Nunc autem dominus papa attendens, quod licet concilium per ipsum convocatum de jure universale sit, tamen ne facti defectus, quantum in ipso est, unionem populi impediat & pacem ecclesiæ, contentus fuit & est, quod relictis juris apicibus, fiat communi omnium partium consensu congregatio & concilium unum, per quod pax ecclesiæ sanctæ reddi, & unio populo christiano valeat. Ipsi vero qui universale concilium expedire dixerunt, nequaquam ei quod de jure & de facto est universale assentiunt, sed ne universale fiat contradixerunt hucusque. Et ne illud quod universaliter fieri potest & debet, omnium communi assensu fiat, toto posse laborant, particulare detestantes & particulare quærentes, juris veritatem & sanctiones importunas inquirentes, & novissimis jurium interpretationibus suam molientes deducere voluntatem.

Advertat insuper attente, requirit & monet Florentinorum catholica prudentia, si dominus noster papa bene faceret, si excusabilis in districto judicii examine redderetur, si sedem B. Petri institutione divina cunctis prælatam sedibus, his qui se utriusque collegii cardinales inscribunt, subderet, & futuris præberet audaciam cardinalibus, qui ipsius judicio submittuntur, judicem apostolicum ad judicium trahere, qui soli Deo & nulli hominum subesse dignoscitur, cujus causam & culpam a populo, ab augusto, & a clero Deus justus & omnipotens eximens, suo tantum voluit reservare judicio.

Advertat etiam catholicorum prudentia filiorum, si papa tenetur aut debet beati apostolorum principis Petri sedis stabilitatem impelli trahique permittere, & impellentibus trahentibusque assentiendo, occasionem præbere, viamque reclaudere, per quam sedes prædicta præsumatur concuti, in cujus stabilitate & firmitate universa fides fundata est, & potestas quiescit ecclesiæ. Cum enim XII. apostoli erant, soli Petro per Dominum non frustra dictum est: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo domum meam.* Et iterum ut fidei stabilitatem in eo demonstraret principaliter instituisse, inquit; *Petre, rogavi pro te, ut fides tua non deficiat.* Nec abs re putandum est sedem B. Petri cunctis sedibus fore prælatam, quia cum sedere mobilitatem sedentis excludat, & sedere potestatis & judicantis sit, & Petrus a petræ immobilitate dictus sit, valde dissonum est & protervum, ecclesiasticam potestatem in tanta stabilitate fundatam commovere, & quodammodo inexcusabilis redditur, qui fidei firmitatem, & ecclesiasticæ potestatis venerationisque quietem concitare audet, vel quod concutiatur assentit. Heu! quam magna impietas, quam insolens texitur periclitatio ecclesiæ, ut propter unius odium, vel ad satiandam plurium ambitionem, fideles discant fundamentum fidei concutere volentium tradere potestati.

Circumspiciat attente prudentia Florentinorum, & facile deprehendet, quis aut qui sint antiquati schismatis fautores, & novi schismatis suscitatores, vel per quem aut quos stat seu differtur, quominus pax vera reddatur ecclesiæ, & vera unio fiat.

Dicant qui sui erant, si dominus papa Gregorius verus umquam papa fuit, numquid poterat esse schismaticus, cum proprie schisma sit, quando fideles dividuntur a papa; vel si schismaticus papa sit, & antiquati schismatis fautor defendendo jus papatus, & suum.

Et si sit, quare non ita dominus Bonifacius, & dominus Innocentius, cum tempore ipsorum schisma novum dici non poterat, sed antiquatum?

Et si illi etiam fautores schismatis fuerunt, quare de manibus illorum cardinalatum susceperunt, ad nutriendum schisma inveteratum, & ad fovendum schismaticos?

Et si dominus Gregorius numquam fuit papa, quare ipsi cardinalatum usurpant?

Et si dominus Gregorius hæreticus est, quia dubium sibi jus papatus servavit, quare non sic ipsi, qui pari ratione dubium sibi jus cardinalatus servantes servaverunt?

Dicent, licet in dubio dubium jus servare, quousque terminatum fuerit super dubio, aut aliter inter partes dubias pro unitate conventum fuerit, & sufficit toto posse insudare, ut dubium terminetur jure vel pacifica conventione, quare non fiat illi licitum sicut & fuit eis?

Vult dominus noster papa realiter renuntiare, sicut juravit & vovit, ut veram pacem veramque unionem ecclesia habeat et populus christianus. Discutiatur ergo solerter, et sagaciter ventiletur, si dominus noster papa a justitia et æquitate divina et naturali discedit. Et cum vera pax et justitia osculatæ sint, et pax vera absque æquitate esse non valet, si dominus noster a justitia et æquitate discedit, hostis pacis ecclesiæ habeatur: si vero justitiæ et æquitati divinæ et naturali ipse hæret, alii vero ab omni justitia et æquitate discedunt, ipsi eodem judicio habeantur innoxii.

Videatur insuper, si ipse aliquid proprium quærit, unde merito suspicari valeat, quod pacem ecclesiæ impediat, cum ipse paratus sit, ut supradictum est, propter veram unionem papatui renuntiare.

Inquirat orbis, qui scit multos etiam cives Florentiæ non ignorare, utrum nonnulli Pisis existentium & aliqui qui se cardinales dicunt, multis illicitis promissionibus & viis papatum quæsierint & quærant.

Inquirunt illi unionem, justitiam et æquitatem divinam et naturalem confundere non verentes, ut papatum et magistratum in ecclesia, quocumque modo fiat, acquirant. Et secundum justitiam et æquitatem divinam et naturalem dominus noster papatum relinquere procurat, et propterea damnandus est, et ipsi sanctificandi erunt? O hominum immensa justitia!

Attentis igitur prædictis, et quod dominus noster paratus est operam cum effectu exhibere promissa sua servando, et cetera

quæ

quæ expediunt pro dicta unione exsequendo, quæ sint secundum justitiam et æquitatem divinam et naturalem, et non sint in conculcationem apostolicæ sedis et fidelium suorum. Nam aliter divina majestas, quæ in sede B. Petri quiescit et fulget, super terram læderetur, et dignitatum ordo, qui ab ipso Rege regum et Domino dominantium institutus est, confusus perverteretur, et prætervenienti magnum exemplum et occasio præberetur subditis adversus Christum Domini, quibus nullo modo assentire debet aut vult, nec intendit insuper assentire aliquo modo, quod fideles a ceteris mirabiliter conculcentur, ne divina justitia injustorum oppressione lædatur, quod foret piaculum grande, et maximum dedecus apostolico throno inde redundaret.

Dilectos filios suos communitatis et populi Florentini cives universos requirit et hortatur in Domino et per misericordiam Domini obsecratur sanctissimus dominus noster papa, quatenus cum illis qui Pisis sunt, et cum adversario intercedere placeat, et taliter partes interponere suas, quod ad unum locum communem a partibus non præelectum, et venientibus stantibusque tutum, qui illas habeat circumstantias, quas canones et æquitas dictant, cum ipso convenire velint, in quo fiat communi partium consensu congregatio et universale concilium, ubi paratus est interesse, et unionem cum effectu, promissa servans populo, dare, quantum in eo erit. Sperat enim si vestra intercessione hoc fiat, fructus optatus pacis a Domino dabitur populo, votivus & expeditus, & rejectis scopulis juris & periculosis involutionibus, quæ propter illa multorum Christicolarum animabus imminerent, resecabuntur corporibus innumerabilibus discrimina quæ parantur, laudem jubilumque pacis poterit divinus populus decantare Domino cum Psalmista: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*. Tunc florens civitas præter merita quibus florebat vere in excelsis, in terris florens prædicabitur & gloriosa.

Hæc enim dominus noster papa paterno affectu, & cum grandi fiducia prædictis filiis suis exigit. Scit enim quanta possunt circa hæc, & præcipue cum illis qui Pisis sunt; & ipsos quæ possunt facturos sperat, attento maxime quorumcumque fidelium debito & proficuo, & attento quantum zelum erga unionem christiani populi & pacem sanctæ matris ecclesiæ ostenderunt.

Sperat insuper prudentiam suam taliter se habituram, quod omni populo propalabitur, ipsos non unionem propter privatum commodum & loca sua dilexisse; sed propter unionem loca quælibet illi apta & æqua pariter diligere; non enim propter loca res, sed propter res loca quærenda sunt.

Et ne suspicari valeat, quod ad dilatandam & subterfugiendam unionem dominus noster papa mutationem loci quærat, contentus est dominus noster papa, quod adversarii suæ sanctitatis unum virum eligant, qui ipsis placuerit, & ipse similiter unum eliget pro parte sua.

Et quoniam dominus noster papa quod supradictum est tota intentione peroptat, intendit virum eligere, cunctis rationibus divisionem christiani populi, & schisma Deo abominabile, & hominum exterminium odientem, & ecclesiæ sanctæ pacem & unionem fidelium diligentem, non solum propter publicam utilitatem & commodum; verumetiam propter privatam; cui sanctitas sua injungere deliberat, ut locum eligat cum omni solertia & æquitate, rejectis cunctis cavillationibus & dilationibus. Et ideo carissime requirit & hortatur in Domino, prædictos dilectos filios suos, ut instare velint cum adversariis sanctitatis suæ, ut similiter faciant.

Dolet insuper paterno affectu dominus noster cum prædictis filiis suis, de modis servatis Florentiæ his diebus adversus sanctitatem suam. Et primo dolet, quod concilium quod congregaverunt, ad deliberandum utrum eidem domino nostro papæ deberet per ipsos totaliter auferri obedientia, fuit ex personis ut plurimum passionatis contra justitiam suæ sanctitatis, & quorum plurimi assenserant conspirationibus & terminationibus contra suam sanctitatem factis.

Deinde dolet de modo servato in formando & proponendo punctum, super quo consilium quærebatur. Modus quidem proponendi punctum, & quærendi consilium sicut suæ sanctitati relatum est, hic fuit: Vexillifer justitiæ in hæc vulgaria verba surrexit: *Stando ne i termini del scisma come egli stanno, noi domandiamo se secondo iddio e la bona conscienzia, & secondo la ragione siamo obligati a dare in tutto la obedienzia al misero papa Gregorio perche in cotesto non vogliamo solo attendere la conscienzia ma ectandio le ragioni, ne vogliamo più la parte affirmativa che la negativa; ma stare intendiamo secondo ragione alle vostre determinazioni*. Voces apparentes honestatis fuerunt; sed si intentio & verba honestati consonabant, non diu per proferentem infrascripta absconsum fuit. Inquit enim: *Et acciochè ciaschuni siano liberi nel parlare, & da niuno timore suggetti noi vi notifichiamo che gli è determinato per noi che niuno boulle apostoliche siano obedice sotto la nostra signoria, siano obole per privazione de beneficii o per decessione de prelati. Ancora determinato habiamo che niuno denaro per collectori siano portati al misero papa Gregorio*. Ex quibus satis comprehendi potest, quod consilium ad utramque partem postulatum, solum illis qui obedientiam auferendam consiliaturi erant liberum factum est, immo satis aperte suasum, aliis vero hæc libertas data est. Hæc suasio præstita libere pro veritate consulendi, quod videlicet domini deliberationi se opponerent, si obedientiam dicerent non auferendam. Quis enim nescit naturale fore hominibus, etiam amicos absentes faciliter culpare, quos præsentes redarguere non auserint. Quanto magis, si agnoscant veritatem, cum dixerint, magistratibus displicere? Quis nescit quod multi consiliarii inveniuntur, qui vultum principis & actus ante examinant, ut quid applauserint perpendant, quam rem discutiant, ut consulant veritatem. Sat sufficere debebat ad hæc mala

la prona ut plurimum conſulentium malitia. Verum ne propter ignorantiam peccarent, domino papæ jam oblatam eſſe per dominum Florentiæ poteſtatem apoſtolicam exercendi jurisdictionem in terris ſuis, & debitos apoſtolicæ cameræ proventus, palam dictum fuit. Quid ergo illi auferendum conſulere ſupererat, niſi ſolum papæ nomen, cum jam directo & utili dominio dominus noſter papa Gregorius eſſet exſpoliatus per eos. Dixerunt inſuper: *Ancora habbiamo determinato che veruno generale de gli ordini de Mendicanti non poſſa eſſere offeſo ſotto la noſtra ſignoria.* Sed ſi libera dari volebat conſiliariis ad utramque partem facultas; quare non ſaltem additum fuit illis verbis: *Et determinato babiamo che a veruno de Mendicanti che vogliano vel conſigliate tenere la obedienzia de papa Gregorio, niuno de generali poſſa fare novitanti noſtri terreni.* Sed quanta cum honeſtate ulterius proceſſum fuerit verba referant. Dixerunt enim: *Gli e ſtato chiamato per voi il venerabile patre maeſtro Luca a coteſta congregazione, e non è venuto, ben fara devenirve domam, meglio haurebbe fatto ſe vi foſſe venuto oggi.*

Viſum erat ſupradictis verbis nomen papatus relictum fuiſſe domino noſtro pap. Greg. nunc autem cum dictum ſit: *Gli e ſtato chiamato il venerabile patre, &c.* dominium Florentiæ non habere in card. eos quos fecit card. dominus noſter papa, per ipſorum verba aſtantibus manifeſtum fuit; quod nihil aliud apud eos qui audiverint refert, quam quod ex tunc dominum noſtrum Gregorium papam non habebant in papam.

Quibus dictis, relatum eſt domino noſtro papæ per cancellarium veſtræ communitatis: Dilecti filii ſui priores artium & vexillifer juſtitiæ populi & civitatis veſtræ legere fecerunt inſtrumentum confectum ſuper tollendo ſchiſmate tempore quo ad ſummum pontificatum dominus noſter Gregorius evectus eſt. Deinde præceptum fuit omnibus aſtantibus, ut redirent in craſtinum.

Hoc quidem ſumme placuit & placet domino noſtro papæ Gregorio, videlicet quod inſtrumentum illud lectum fuerit, & ſæpius perlegatur: quoniam diſpoſitus eſt quodcumque apparet in inſtrumento ipſo juratum, votum, & promiſſum integre & realiter obſervare. Et utinam adverſariorum ſuorum jura & debita a fidelibus debite diſcuterentur & cernerentur, ſicut jura ſanctitatis ſuæ indebite ventilata ſunt. Et utinam eorum ipſi cogerentur juramenta & vota ſervare, ſi nollent, ſicut ipſe realiter & ſponte paratus eſt, ſua juramenta & vota ſervare, quoniam pacem celerem & bonam ſine peccato & dilatione experiretur ſancta mater eccleſia.

Ceterum relatum eſt domino noſtro papæ, quod in craſtinum congregatis prædictis omnibus dictum fuit illis per cancellarium prædictum in hunc effectum: Ut omnes ſuper materia ſint magis docti & clari, volunt domini mei, quod dominus Laurentius de Ridolfis primo loquatur pro utraque parte, nihil determinando. Poſt quæ ipſe dominus Laurentius tractatum quemdam, quem contra veritatem & juſtitiam domini noſtri pa-

A pæ confecerat, recitavit: in cujus narratione licet quicquam concluſive non fuerit viſus aſſerere; tamen conatus fuit, quantum potuit, ut argumenta impugnantia contra defendentia juſtitiam & veritatem vellicando prævalere viderentur.

Poſtquam vero ille conticuit, ut relatum eſt, ſurrexerunt multi & præcipue quidam qui interfuerant, quando de unione tractatum fuit inter dominum noſtrum papam & adverſarium ſuum, in multis malitioſis adinventionibus deducere conati ſunt, dominum noſtrum papam cum adverſario ſuo intrinſece de ſchiſmate non tollendo fuiſſe concordem. Secundo dicebant per dominum Gregorium tractatum unionis fuiſſe fractum.
B Idem aſſerebat ille qui ſe dicit cardinalem de Thureio, & multas alias cavillationes per dominum noſtrum papam & adverſarium ſuum ſervatas fuiſſe ad impediendam unionem, magnis fictionibus probare nixus eſt. Deinde facta aliquali reflexione, multi alii pulpitum aſcendentes, approbaverunt totalem obedientiam removeri debere a domino noſtro papa.

His omnibus ponderatis, videre videtur SS. dominus noſter in principio diſputationis illius, videlicet utrum ſibi deberet auferri totalis obedientia, an ne, licet non fuerit præmiſſa laudabilis & conſueta proteſtatio, tamen aliqualem conſuetudinem fuiſſe
C ſervatam, videlicet quod quidam ſurrexit, & quæſtionem propoſuit, & per quemdam alium argutum fuit ad partem utramque. Sed cum ſoleant concluſiones poni, ille tacuit quod per alios quoſdam & per quem alias concluſum fuerat. Cum ſoleat inſuper ſolus unus concluſiones ponere, & quantumcumque veriſſimæ ſint, major pars aſtantium, etiam qui ſuper cathedram ſedet, pro elucidanda veritate concluſiones impugnare: exceptis tribus, quorum unus, ut relatum eſt, dixit ſibi non videri quod obedientia deberet auferri ſuæ ſanctitati, nec tamen aliter auſus eſt contradicere; alius vero inquit, melius eſt bene mori quam male vivere, &
D quod habebat dominum Gregorium in verum papam. Alius obtulit ſe velle in fornacem ignis ardentis introire, ſi aliquis ex adverſariis domini noſtri papæ Gregorii ſimiliter introire vellet in teſtimonium veritatis. Nullus injuſtas concluſiones auſus eſt impugnare, nec inventus eſt inter tot illorum, qui divinas veritates cavillare conſueverunt, zelo ſtudioſitatis et exercitio intellectus, vel ut videantur ceteris ſapientiores, qui ſi non zelo veritatis, aliqua ſaltem hujuſmodi cauſa apoſtolicam juſtitiam, & principis apoſtolorum ſedem & thronum defenſare voluerunt, & ſapientia ad fallacias & ſophiſmata refellenda uſi fuerint, quam a Domino
E receperunt, ſed ad ſua deſideria coacervabant ſibi magiſtros prurientes auribus.

Verum quot vera & honeſta ibi propoſita & præſuppoſita fuerint, faciliter diſcutere volentibus innoteſcet. Præſuppoſitum enim ibi fuit dominum noſtrum papam Gregorium cum adverſario ſuo de ſchiſmate non tollendo fuiſſe concordem, & inde dictum eſt ipſum fautorem ſchiſmatis fuiſſe & hæreticum. Negatur propoſitio, antecedens probent

ANNO CHRISTI 1409.

bent ipsi qui asseruerunt, vel si probare non possunt, quod numquam poterunt, quia verum non est, unde ex antecedente hoc falso conclusio vera? Et quamquam sufficiat domino nostro papæ negasse verum esse quod falsum est: tamen ut magis adhuc falsitas deprehendatur, & clare videri possit, quod sua sanctitas non fuit; nec concors est cum adversario de non tollendo schisma; quod dominus papa pluries dixit, iterum replicat, quod paratus est in uno loco communi cum suo adversario convenire a partibus non prælecto, & venientibus & stantibus tuto, qui illas habeat circumstantias, quas canones & æquitas dictant, in quo fiat communi partium consensu congregatio & universale concilium. Ibi paratus est interesse, & unionem cum effectu, promissa servans, populo dare, quantum in eo erit. Et si ille adversarius suus venire recusaverit, paratus est etiam absque adversario suo cum illis, qui Pisis sunt convenire in loco, prout supradictum est, & sua juramenta & vota integraliter observare. Ex quo satis clare patet, quod cum illo concors non fuit, nec est de schismate non tollendo, prout assertum fuisse in illo consilio suæ sanctitati relatum est.

Audivit insuper ibi dictum fuisse sanctitatem suam fregisse tractatum unionis. Ad quod ipse respondet, quod tunc non unionem multi tractabant, sed conspirationes & subversionem veritatis, & destructionem personæ suæ. Quod vero hoc verum sit, quot scandala e vestigio pullulaverint contra suam veritatem & personam, opus probat.

Advertens igitur præfatus dominus noster papa Gregorius, cum quanta animositate & injustitia in illo consilio, quod tamen deliberatio præcesserat, actum fuerit adversus sanctitatem suam, præter, immo contra omnem juris ordinem & æquitatem, dolet non de communitate & civium universitate, sed de quibusdam qui sive ignorantia, sive malignitate, sive odio, cujus tamen parti sui causam illis datam ignorat, sive injusto amore allecti, sive iniquo pretio, aut illicitis promissionibus vendicati, veritatem & judicium subverterunt in offensam omnipotentis Dei & apostolicæ sedis, & personæ suæ sanctitatis opprobrium, sancientes contra principis apostolorum successorem, & exequentes quod contra minimum clericum & subditum suum facere de jure & æquitate non poterant, nec debebant.

Ut videant insuper dilecti filii sanctitatis suæ cives Florentini, qualis & quanta honestas servata fuerit adversus sanctitatem suam, advertant attente, requirit. Quæ enim lex præcepit, quæ æquitas suasit, ut concilium illud ad instantiam adversantium sibi congregarent, & cum sanctitas sua non distet a civitate Florentiæ, ultra quam per tres dietas, nihil sibi notificatum extiterit.

Quæ lex præcepit, quæ æquitas suasit, ut ex tot adversantibus sibi & complicibus illorum admissi fuerint in concilio, & sanctitas sua minime requisita fuerit, ut si unum saltem minimum vellet mittere, posset ipsos de sua veritate & justitia informare?

Forte ad excusandas excusationes in peccatis dicent, vocatus fuit ad concilium prædictum cardinalis suus, & noluit interesse. Sed quomodo vocatus est, dicatur. Interesse voluit tamquam legatus apostolicæ sedis, & illo modo noluit admitti. Quid aliud hoc referebat, nisi quod aut legatus nolens opprobrium apostolicæ sedis & personæ suæ, ideo interesse recusaret, & sic honestum vocationis colorem sibi vendicasse nisi fuerint; vel quod si tamquam non legatus interesset, magis videretur patriæ voluntati & legi per eos jam ordinatæ assentire velle videri; & sic ipsam injustam tamquam justam approbare legem, quam domini nostri papæ Gregorii potestati credere, & ipsam patrio dominio præponendo defensare.

Verum Deus omnipotens, qui abscondita cordium consilia manifestat, noluit ipsos longe suam honestatem abscondere posse. Miserunt enim ad sanctitatem suam oratorem suum, narrantem quæ statuta fuerunt post consilium hujusmodi, & certa, sicut supradictum est, petentem. Sed quare non sic antea?

Sed ut honestum adderent honestati, terminum dierum trium orator ipse statuit domino nostro ad respondendum. Si vero infra dictum terminum dominus noster papa non responderet, dominos suos aliter provisuros ajebat. Prævisi fuerant adversantes domino nostro papæ per hebdomadas, ut consuetum est ut plurimum. Triduo longior terminus furibus & homicidis & aliis reis & damnandis ad mortem solet indulgeri, & apostolorum principis successoris veritas, justitia, & potestas tanta ignominia, tantoque dedecore præsumitur conculcari. O bone Jesu, qui dixisti fideli tuo Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, attende & miserere.

Nec licet tam abominabilis injustaque fuerit prædicti præfixio termini, adhuc eo modico differri potuit. Nam missæ sunt literæ cunctis qui in curia sanctitatis domini nostri erant subditis prædictæ communitatis, magnas injungentes pœnas, nisi a prædicta statim discederent curia; quæ litteræ datæ sunt Florentiæ XVIII. Februarii. Die vero eodem, oratore Florentinorum discedente a præsentia domini nostri: O magna honestas! o honeste expectata responsio!

Quoniam vero dominus noster papa Gregorius magnam, immo maximam offensam in omnipotentem Deum, in apostolicam sedem, & in seipsum suscepisse visus est, dilectam filiam suam communitatem Florentiæ suosque cives hortatur, requirit & monet in Domino, ut velint & operam adhibeant, quod quia contra justitiam & æquitatem de facto exspoliatus fuit obedientia, quam possederat per xxx. annos & ultra, in prædicta civitate & dominio suo, de facto restituatur in ipsa; quoniam exspoliatus est de facto, ante omnia debet restitui.

Sperat enim sanctissimus dominus noster papa Gregorius, immo certus est, quod nisi seducti fuissetis per quosdam, nunquam hoc scan-

scandalum eveniffet. Certus insuper est, quod si sanctitatis suæ volueritis veritatem & justitiam, juxta vestrum debitum, audire, de ipsa plene informati malignantium A fallaciis confusis, veritas & justitia domini nostri papæ Gregorii apud vos gloriosa venerabitur.

APPENDIX AD CONCILIUM PISANUM

SALVUS CONDUCTUS ALTER FLORENTINORUM.

Ex autog. transmisit D. abbas Laur. Mehus.

NOs priores artium &c. tenore præsentium damus, & concedimus plenam, & liberam licentiam, atque salvum conductum reverendissimis in Christo patribus, & dominis, dominis episcopis, presbyteris, & diaconis cardinalibus sanctæ romanæ ecclesiæ, utriusque collegii veniendi ad quascumque nostras civitates, terras, castrum & loca quæcumque nostræ jurisdictionis semel, & pluries totiens, & quotiens voluerint collegialiter, conjunctim, separatim, & divisi, & quomodocumque eis placuerit, & in ipsis, standi, discedendi, atque ad libitum eorum voluntatis redeundi cum omni utriusque collegii præfati, & cujuslibet de dictis collegiis comitiva, seu c[illegible]a, & eorum, & cujuslibet eorum socii[illegible] equis, jumentis, bonis, navigiis, & rebus eorum, vel alicujus eorum quibuscumque, non obstantibus aliquibus obligationibus publicis, vel privatis, aut aliis quibuscumque rebus, quæ dici, vel excogitari aliquo modo possunt, ac etiam non obstantibus aliquibus conditionibus, limitationibus, aut reservationibus, in certis aliis nostris Salvis-conductibus præfatis reverendissimis dominis cardinalibus alias per nos concessis adpositis. Mandantes insuper omnibus, & singulis rectoribus, & officialibus nostris, sub quibuscumque nomine, vel vocabulo nuncupentur, ac etiam nostris gentibus armatorum tam equitibus, quam peditibus, vel quæ in nostris finibus morarentur, quatenus præfata collegia reverendissimorum dominorum cardinalium, & quemlibet eorum cum omni ipsorum, & cujuslibet ipsorum curia, & comitiva, libe- B re permittant ad quæcumque nostra loca venire, stare, recedere, atque redire, eisdem collegiis dominorum cardinalium, & cuilibet eorum iter, transitum, ac etiam moram in nostris locis trahere libere permittant, atque exhibeant cum personis, equis, mulis, rebus, & arnensibus quibuscumque eorumdem, vel alterius ipsorum, aut curiæ, vel comitivæ ipsorum absque aliquo impedimento reali, vel personali modo aliquo inferendo sine aliqua solutione pedagii, oneris, vel gabellæ. Ita tamen, quod præsens securitas ad aliquem civem vel subditos nostros pro condemnationibus aut bannis pecuniariis, aut personalibus nullatenus C extendatur, præsentibus valituris sex mensibus proxime secuturis. Præsentem vero licentiam aut salvum-conductum quo majorem firmitatem, atque robur habeat una cum nostris collegiis servatis servandis deliberavimus, atque firmavimus. Datum Florentiæ die quarta mensis augusti MCCCCVIII.

COLLECTORIS PRÆMONITIO

In sequentes duas epistolas.

GEminas has epistolas quanquam absoluto jam concilio scriptas, subjungendas tamen censui, cum rerum in concilio definitarum ceu complementum quoddam haberi jure meritoque possint.

ALEXANDRI PAPÆ V. EPISTOLA

F. Thomæ de Firmo Ord. Præd. generali magistro, ut schismatis fautores a censuris ecclesiasticis absolvere possit.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Thomæ magistro ordinis FF. Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.

Affert P. Bremond in Bullar. ord. Præd. t. II. ex archi. ord. asserit exemplar extare in archivo apostol. li. VII. fol. 247. Meminit hujus & Fontana in Monum. D.

PErsonam tuam, nobis & apostolicæ sedi devotam, paterna benevolentia prosequentes illa tibi libenter concedimus, per quæ aliorum animarum saluti & statui salubriter consulatur. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati tibi absolvendi quascunque personas ordinis prædicatorum & in eodem ordine degentes & altissimo in humilitatis spiritu famulantes ab excommunicationis sententia, quam forsan adhærendo vel favendo seu alias credendo perditionis & iniquitatis alumnis Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & Angelo Corario, qui Gregorius XII. in suis obedientiis appellabantur, vel eorum fautoribus aut sequacibus & eis adhærentibus, quæ quidem personæ ab obedientia & devotione nostra ac sedis prædictæ se qualitercunque subtraxerunt, ad obedientiam & devotionem nostram præfatam redire volunt, prius præstito per ipsas personas & recepto ab earundem singulis de stando nostris & romanæ ecclesiæ mandatis fidelitatis debitæ juramento juxta formam inferius adnotatam & injunctis earum singulis pro modo culpæ poenitentia salutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda; cum illis quoque ex personis prædictis quæ sic ligatæ celebrando divina vel se illis immiscendo: eis tamen ad tempus de quo tibi expedire videbitur a suorum

rum ordinum executione suspensis; demum suffragantibus eis meritis, & alio canonico impedimento non obstante, dispensandi plenam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Forma autem juramenti prædicti talis est. „ Ego N. ordinis FF. Prædicatorum „ professor, comperto divisionis & schismatis laqueo, quo tenebar, credendo, favendo & adhærendo perditionis alumnis „ Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & „ Angelo Corario, qui Gregorius XII. in „ suis obedientiis appellabantur, sibique & „ aliis credentibus, faventibus & aliis receptatoribus adhærentibus, defensoribus „ complicibus & sequacibus eorum præstando auxilium vel favorem, & propterea „ nunc diutina mecum deliberatione pertractans prona & spontanea voluntate ad unitatem sedis apostolicæ divina gratia reversus fateor publice me erraffe, & de „ præsenti tenere catholicam fidem, ac credere & tenere quidquid credit & tenet ac „ docet S. mater ecclesia, cui præest D. noster D. Alexand. divina providentia papa V. „ & quod idem D. Alexander fuit & est verus romanus pontifex, & verus vicarius „ Jesu Christi Petrique successor, canonice „ electus, inthronizatus, & coronatus in „ romanum pontificem per cardinales, ad „ quos, vacante sede apostolica, inthronizatio & coronatio pertinebant. Quodque „ privati perditionis alumni, tanquam hæretici, & nutritores schismatis antiquati, „ ac totius Christianitatis invasores, & destructores, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ separati, a Christifidelibus persequendi sunt, donec ad cor reversi, suos „ recognoscant errores, & ad gremium revertantur ecclesiæ antedictæ; & quod tam „ ipse Petrus de Luna, & Angelus Corarius, quam omnes eorum fautores & sequaces in hac parte fuerunt, & sunt veri schismatici, apostatici, excommunicati, anathematizati, ac divisi, & separati a communione fidelium, & ab unitate „ S. Dei ecclesiæ, & tanquam hæretici puniendi, & ut tales fuisse, & esse juste, & „ sancte de schismate, credentia, fautoria, „ adhæsione, sequela, & erroribus prædictis „ condemnatos, & incidisse in poenas, & „ sententias, tam a jure quam ab homine, „ in talia pertractantes promulgatas, & in „ processibus contentas, & declaratas; & „ ne simulate reversus existimer, sub honoris mei casu, & anathematis obligatione, „ & sub poena, quæ relapsis, a jure, vel „ ab homine, imponi debet anathematizo, „ & abjuro omnem hæresim & schisma, & „ nominatim damnatum schisma, credentiam „ et adhæsionem præfatorum, Petri de Luna, & Angeli Corarii, et me ad ipsorum „ aliquem, de quo Redemptoris nostri gratia ereptus sum, nunquam reversurum; „ sed semper me in unitate ecclesiæ catholicæ, cui præest præfatus D. N. Alexander papa V. mansurum; ac sponte promitto, non ficte, sed voluntarie, et sincere juro ad sancta Dei Evangelia, corporaliter per me tacta, quod stabo, et „ parebo mandatis ecclesiæ, et dicti D. Alexandri papæ, super rebellionibus, fautoriis, et cæteris poenis, ac sententiis, „ quas ob præmissa, et ea tangentia incurri, et quod dicto D. N. papæ, et ejus „ successoribus canonice intrantibus obediens et fidelis de cætero ero, et eis reverentiam debitam exhibebo; non ero in „ consilio, vel tractatu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri sunt per literas, vel nuncium, ad „ ipsorum damnum, vel præjudicium nemini pandam, vel communicabo; et si scivero fieri, vel tractari aliquid, quod in „ ipsorum damnum, vel præjudicium vergat, illud pro posse impediam, ne fiat; „ et si impedire per me non potero, hoc „ eis aut aliis per quem, vel per quos id „ credam ad notitiam ipsorum pervenire „ personaliter vel per literas aut per nuncios significare curabo. Papatum R. et „ regalia S. Petri ac jura, et jurisdictiones „ præfatæ R. E. et dicti D. N. papæ majestatem, honorem, et statum illæsos manutenebo totis viribus et defendam, et adjutor eis ero ad recuperandam, et recuperatos manutenendum contra omnes homines et specialiter contra præfatos Petrum de Luna et Angelum Corarium, et „ quoscumque credentes, adhærentes, fautores, receptatores, et defensores, complices, et sequaces eorumdem, cujuscumque præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, vel status existant, etiam si pontificali, regali, vel reginali, vel quavis „ alia præfulgeant dignitate ecclesiastica, „ vel mundana, etiamsi fuerint dictæ S. R. „ E. cardinales; et contra quoscumque per „ prædictam ecclesiam denotatos, vel in „ posterum denotandos, quamdiu extra gratiam et communionem dictæ ecclesiæ fuerint; nec cum præfatis schismaticis, apostatis, et rebellibus, vel eorum complicibus, fautoribus, et sequacibus, quamdiu stabunt in rebellione ecclesiæ, seu aliis hæreticis, et schismaticis et rebellibus, ac illorum fautoribus, et sequacibus, per dictam ecclesiam denotatis, deinceps ero; nec eis, seu quibuscumque „ aliis contra dictam ecclesiam, et D. N. „ PP. dabo consilium, auxilium, et favorem per me, vel alium, seu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte; „ nec ab eis, quantum in me fuerit, si impedire potero, præstari, seu dari permittam, nec cum dictis schismaticis, apostatis, et rebellibus, aut quibusvis aliis in „ rebellione præfatæ ecclesiæ existentibus „ contra ipsam ecclesiam colligationem, „ vel conspirationem faciam seu ligam; sed „ eos, et eorum quemlibet, juxta tenorem „ processuum prædictorum, pro posse meo „ persequar, et invadam, donec convertantur, ac revertantur ad gremium ecclesiæ „ memoratæ. Sic me Deus adjuvet, et hæc „ sancta Dei evangelia. Datum Pisis 4. id. „ Aug. Pontificatus nostri an. I.

EJUSDEM AD EUMDEM

Ut quæ tempore schismatis a generalibus Capitulis Ordinis Prædicatorum sancita sunt, comprobari, vel rescindi possint a generali Capitulo proxime futuro.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

An. 1409. die 10. aug. Ib. ex archivo ord. accepta ex archivo apost. lib. 7. fol. 225.

QUoniam interdum ex his, quæ pro quiete, et pace religiosarum personarum, quarum intentio & studium debet esse, ut calcatis spretisque seculi pompis, & abdicatis illecebris, præstent virtutum altissimo famulatum, provide sunt statuta, pacis æmulo procurante, scandalorum materia generatur, consuevit sedis apostolicæ providentia circumspecta statuta hujusmodi quandoque, vel in parte moderationis suæ lima corrigere, vel obscura dilucidare, vel in totum revocare, & solicitudinis suæ partes adhibere, ut æquo judicio singula dirigantur. Dudum siquidem post obitum piæ memoriæ Gregorii papæ XI. prædecessoris nostri, & interea usquequo proh dolor! perniciosum schisma duravit, & postmodum, divina nobis suffragante clementia, fuimus cum unione ecclesiæ ad apicem summi apostolatus assumpti, secundum morem ordinis Fratrum Prædicatorum generalia per dilectos filios Fratres dicti Ordinis quam plurima fuerunt capitula in utraque obedientia celebrata, in quibus constitutiones, & ordinationes nonnullæ conditæ extiterunt, ex quibus verisimiliter formidatur, ne inter Fratres prædictos scandala, & dissensiones pro tempore oriantur. Quare pro parte dilecti filii Thomæ magistri Ordinis antedicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum in brevi debeat celebrari generale Capitulum, super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Christi fidelium, & præsertim sub religionis habitu incedentium, pacem appetimus & quietem, ac ipsorum scandalis libenter, quantum cum Deo possumus, obviamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & hac irrefragabili apostolica constitutione decernimus, ut præfatum generale Capitulum quam primum celebrari contigerit, constitutiones, & ordinationes hujusmodi, si ritas & legitimas ei fore videbitur, acceptare, & observare, illas vero, quas ei acceptandas, & observandas fore secus videbitur, infirmare, & irritare in totum, vel in partem, libere & licite possit, constitutionibus & privilegiis apostolicis, necnon statutis, & constitutionibus Ordinis antedicti, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Pisis IV. idus augusti, pontificatus nostri anno primo.

IN SEQUENTEM DISSERTATIONEM PRÆFATIUNCULA EDITORIS.

DUbius aliquantisper hæsi, num scriptum istud hic locorum collocarem, ubi suam sibi sedem, aliis alio ablegatis, poscunt scripta illa, quæ sive in concilio sive ad concilium data fuisse constaret. Edendi tandem consilium assumpsi, ea persuasus ratione, quod consultationem promerem viri docti nondum vulgatam, quæque aliquot licet annis concilio posterior est; adhuc tamen ad afferendam concilii hujus authoritatem valebat plurimum; nec alia mente ab authore suo elucubrata est, nisi ut jus pontificale Joannis XXIII. vindicaret jure Pisani concilii in abrogatione Gregorii XII et Benedicti XIII. asserto ac demonstrato. Quare licet non ad concilium, nec in concilio, pro concilio tamen scripta est. Hinc totus est author in tuendo Pisano concilio, ac legitima Alexandri V. electione propugnanda. Nonnulla etiam de Pisano illo concilio prodit alias haud ita explorata, ut illud de provocatione Cardinalium statim post suam a Gregorio secessionem ad collegium unitum; quæ sane provocatio non usque adeo congruit cum ea, quam dat Labbeus pag. 1279. et ego ex Martene hic pag. 849. Fieri tamen potuit ut factum illud cardinalium minus accurate exploraverit ille, ex quo id tenere se author noster affirmat. Respuisse Gregorium *viam* quam vocabant, *cessionis*, quod illam hæreticam et perniciosam haberet, ex relatione viri comperta narrantis affirmat Cataldinus: Hæc sin minus vera, nova saltem fuerint. Cæterum si quid asperius in Gregorium pronunciat, si maledictis illum fœde proscindit, dandum id est authori, studio partium addicto. Profecto si æmulis Pontificibus licuit se mutuo incessere dicteriis, diris devovere; cur non id pariter indulgeamus scriptoribus singulorum illorum causam defendentibus? Inclinat etiam in sententiam de conciliorum authoritate supra Pontificem: ferebant id mores ætatis illius, qua certa erat ecclesia, pontifices ambigui. Notus est scriptor iste alio edito libro inscripto. Cataldinus de Bonis Compagnis; sive Boncompagnus de Visso *de translatione Concilii Basileensis*. Extat pariter opus istud in oceano Juris to. XIII. Qui vero hic editur tractatus ignotus hucusque eruditis, ex MS. codice Feliniano acceptus est.

CA-

CATALDINI DE VISSO

Ad SS. Patrem, & D. Clementissimum D. Joannem XXIII. sacrosanctæ & universalis ecclesiæ unicum SS. & verum pastorem

TRACTATUS.

DEi sub expressione Trinitatis nomine invocato, qui in personis est trinus, & in substantia unus; existit de consecratione dist. 5. cap. finali de SS. Trinitate, & fide catholica cap. 1. & 2. qui solus curare potest meæ imbecilles animæ passiones, de B consecr. dist. 1. *omnis christianus*; & ipsius augere potentias, & virtutes, de pœnit. dist. 2. *Dum sanctam*; qui magis inspicit conscientiam quam opus, 15. q. 6. cap. 1. & in se sperantes non fallit, 22. q. 2. *quæritur*, ad ipsum cum David psal. 50. humiliter porrigo preces meas dicens: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*.

Et si apostolicos duos esse fides Christi & canones refragentur, 7. q. 1. *Non autem*, in gl. Jo. 24. q. 1. loquitur unam quidem esse catholicam ecclesiam, & unum caput, sic definitum in cantico canticorum: *una est columba mea, una est perfecta mea, una est* C *matris suæ, electa genitricis suæ*, de consecrat. dist. 4. *alium*, & dicto cap. *loquitur*. Una est enim ecclesia, unus populus, una spes nationis nostræ, unus Domin. una fides, una columba dicto cap. *loquitur* 24. q. 1. & causa, & q. 7. ca. *scisma*; cum unitas non recipiat divisionem de præben. *tuæ fraternitatis*, & ca. *Majoribus*, & cap. *Dilecto* et de rescriptis *pastoralis* & §. 1. cum infinitis similibus. Cumque in præsentiarum, ut ita dixerim, vigeant duo papæ, sæpe mecum alias disceptavi quis eorum apostolicus & alter apostaticus sit dicendus. Sæpius cum ecclesia jam orando: *Deus qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti; da ut una* D *sit fides mentium, & pietas actionum*. Pro hac enim Christum tunc patrem legimus adorasse, Joan. 22. *Rogo*, ait, *ut unum sint, &c.* meminique creberrime .... verbum illud: *Tu autem qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*; act. 1. Ad calamum tamen manum porrigere non præsumpsi, cum cibus iste mihi ignaro non competat. Nam magistris competit definitio quæstionis, & non illis qui formam discipuli non suscipiunt, de electione officii 48. dist. *Prohibentur*. Cum quis primo debeat esse discipulus, quam magister, 59. dist. *ordinatos* 61. dist. *miserum*, 16. dist. *si clericatus*. Verum quia generosos animos labor allicit E & invitat, nec est viri timere sudorem, nec est strenuus nuncupandus qui laborem fugit, nisi crescat eis animus ex ipsarum rerum difficultate, testante in epistolis Seneca ad Lucillum, & refert Joannes Andreas de renunc. *Nisi cum pridem* §. *Porro*. Confisus de omnipotentis subsidio, qui *dat omnibus affluenter, & non improperat*, Jac. 1. Nam dicebat apostolus ad Cor. 2. *fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*; scribam quid sentiam de præmissis. Labores namque velut amor appetimus, ut quietem mihi valeam & si non aliis præparare. Dicit SS. imperator in aut. *ut divi* jussi coll. 8. de SS. eccl. 2. de resti. spol. *Frequens* l. 6. ne contingat mihi dicere cum propheta: *Væ mihi quia tacui*. Et ideo scribitur Math. 10. *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod aure auditis, prædicate in tectis*; quia quilibet christianus pro indagine hujusmodi veritatis, pro animæ suæ salute insomnes ducere noctes in aut. *ut jud.* sine quo suffertur in prin. col. 2. Durus autem est hic sermo, & quis potest eum audire; de pœnit. dist. 4. *si ex bono*. *Propter* enim *peccata nostra* (ut cum scriptura conveniam) *& iniquitates patrum nostrorum ..... & populus tuus Domine in opprobrio sunt omnibus per circuitum nostrum. Exaudi igitur Deus orationem populi tui, & preces ejus, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum memor eris propter temetipsum Deus meus. Exaudi & placare Domine, attende & fac, quia nomen tuum invocatum est super civitatem, & super populum tuum*; scribitur Daniel 8. Verum quia veritas sæpius exagitata magis splendet 35. q. 9. *grave*. Incipiam omisso longo prologo jam conscripto, ubi statim romanorum pontificum, atque imperatorum decursa schismata, eorumque tempora descripseram singillatim, ne ad nauseam adducam lectores, & pariter auditores.

Et pondus diei, & æstus constitit in potestate, & virtute concilii Pisanensis, in quo Gregorius XII. notorius schismaticus, nec non pacis & unionis universalis ecclesiæ turbator scandalosus & manifestus voti quoque liciti, & irremissibilis, ac juramenti suorum super eadem unione procuranda per ipsum sponte præstiti transgressor, quinimmo & hæreticus pertinax, nec non a fide catholica devius extitit declaratus. Præsupposito quod ipse Gregorius per prius fuisset canonicus, apostolicus, et verus papa; videamus primo an per declaratoriam in dicto concilio promulgatam idem Gregorius nunc apostaticus & non apostolicus sit dicendus. Et videtur in hac ardua & dubitabili quæstione probabiliter posse dici, quod dictus Gregorius verus adhuc apostolicus sit dicendus, tum quia illud non potuit dici concilium, sed potius conciliabulum appellatur, cum generale concilium sine sedis apostolicæ licentia nullum valeat celebrari, 17. dist. *multis* cap. *generalia*, & cap. *de conciliis* notat speculator tit. de leg. §. *superest videre*. Sed nunquid legatus Ecclesiæ Romanæ cum remissionibus, & de præbendis grave de his quæ fi. a præla. c. ult. & de offi. leg. *quod translat.* in glossa 1. & plenius super ea; cum

cum ergo ad convocationem, & congregationem hujus concilii licentia Gregorii tunc papæ non intervenerit; ergo quidquid factum eſt in illo, irritum eſt de jure. Omnia enim ad id referuntur, unde vim capiunt formam & originem, ff. ad l. fal. lib. 1. rat. 1. §. *Si filio*. Ut omnes opes patris; Et cauſa 2. tantum operatur quantum a prima ſibi .... & non ultra ff. de lege. 2. leg. peto §. prædictum ff. locati ſi quis domum, §. huic, & diſt. pericul. & eo rei vend. l. neceſſario & quod notatur ff. ad Falc. 1. liber §. *ſi ex duobus* in gloſſ. ordinaria. Quoties enim a lege traditur certa forma de diſpoſitione alicujus actus, ea vel aliqua ejus parte non ſervata, totus ille actus diceretur nullus. De verborum obligatione l. 1. & l. qui Romæ §. Flavius C. de ...... of. l. univerſa de elect. Quia propter de ſacra un. cap. unico in principio de poenit. diſt. 2. *tantas* de uſuris cum l. VI. de elect. reſtitutionem §. 1. C. de lit. contrarium offeratur 12. q. 2. *ſanctum*: hinc dicitur quod mutata forma interimitur ſubſtantia rei de......... d. 1. ſi notum 12. q. 2. *aurum*, de conſtit. eccleſiæ vel alt. *cap.* 1. et cap. *quod in dubiis* ff. com. l. 3. unde congregatio & convocatio dicti concilii facta ſine papæ licentia, et auctoritate defecit in ſalutari ſuo: igitur quodcumque in eo factum fuit, caret prorſus efficacia et virtute. Illud enim quod impedit faciendum, reſolvit jam factum ff. de furto l. inter omnes §. Recte. Conjuncta lege *Uranius* §. 1. de fidejuſſoribus. Ceſſatio ergo licentiæ convocationis hujuſmodi concilii Piſanenſis actum in illo irritat, et infringit. De hæredibus inſtit. Si non lex, et non de diverſo l. ultim. §. *ait lex*. Quoniam omiſſio neceſſaria ad actum irritat ipſum actum, et notat Bartolus ff. de teſt. l. prima. Præterea de eſſe concilii requiritur, quod ſit canonice inſtitutum, et quod canonice congregetur, et quod agenda ſint de primis veritatibus (de puris) 25. q. 1. *quod ad perpetuam*. Item concilium non poteſt judicare papam, patet aperte, 21. diſtinct. *nunc autem* 9. quæſt. 3. *nemo*, ubi dicit textus, quod nemo judicabit primam ſedem, neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex ſupremus judicabitur; & gloſſa dicit ibi eſſe argumentum, quod concilium papam judicare non poteſt, allegat. de elect. *ſignificaſti*. Quinimmo ſubdit ibi, quod ſi totus mundus ſentiret in aliquo contra papam, papæ ſententiæ eſt ſtandum, & non aliorum, 24. q. 1. *Hæc eſt fides*. Præterea papa interpretatur, & tollit ſtatuta conciliorum, 15. diſt. *Sicut* 17. diſt. *nec licuit*; & probat cap. *Conſtitutus* & in cap. *ſtatut.* elect. lib. 6. & diſt. *Ne romani* §. *Sane*. Nec mirum, quia iſta corrigit, & immutat de n. ſtatutum lib. 6. & per doctores de elect. *ſignificaſti*. Item papa major eſt concilio 15. diſt. *Sicut* & quod ibi notetur 24. q. 1. *quodcumque*; & a nullo judicari poteſt, 9. q. 3. *aliorum*, nec etiam ab univerſali concilio per gloſſ. Joannis 2. q. 5. *mandaſtis*; & probatur 17. diſt. *Hinc etiam* 21. diſt. *non autem*, ar. ff. de legibus l. *princeps*; et licet non ſervet votum, vel juramentum, non eſt cogendus ſtare judicio alicujus; immo excipere poteſt: Dominus eſt, qui me judicat; ar. 9. q. 3. *aliorum*: ita dicit gloſſa 69. diſt. *Si quis pecunia*. Præterea poſtquam quis eſt papa, nihil poteſt ei obiici, etiam ſi ſit uxoratus, ut dicto capite *ſi quis pecunia*. Item contra papam non poteſt opponi exceptio, quod ſit laicus, 61. diſt. §. *His omnibus*: nam beatus Ambroſius, & beatus .... fuerunt clerici, & fuerunt laici, ut patet in dicto §. *His omnibus*. Quinimmo etiam ſi papa eſſet furioſus, jam promotus, et jam electus, removendus non erit; 15. q. 1. cap. finali. Sed ſi nondum eſſet promotus, ſed nominatus in ſcrutinio, et laborat per dilucida intervalla, non deberet eligi; ſed tamen electio tenet; ſed ſi jam eſt promotus non removebitur de jure; ſed ſibi debebit dari coadjutorem; de clerico ægroto cap. unic. lib. 6. Ita refert Gaſpar Cald. in cap. *licet* de electione, et ibi refert hanc exceptionem furoris oppoſuiſſe cardinales contra Urbanum IX. Item concilium non poteſt imponere legem papæ, 17. diſt. §. *huic etiam* de elect. *Significaſti* 15. diſt. *ſicut*: quia ipſe cunctos judicat, et a nemine judicatur 40. diſt. *Si papam*. Quinimmo, licet papa ſit hæreticus, ſi eſt paratus corrigi non deſinet eſſe papa, 21. diſt. *Nunc autem*: unde dixit Baldus in lege *quoniam liberi*, cap. *de teſte*, quod vivente papa, eſt crimen læſæ majeſtatis, conventiculas facere de papatu; allegat. cap *Veniens* de teſte, in novella; et eſt expreſſum 78. diſt. *Si quis papa ſuperſtite*. Et ideo dicebat Iſidorus lib. 4. de ſummo bono 40. cap. de propoſitis cannalibus, quod rectores a Deo judicandi ſunt; a ſuis autem ſubditis nequaquam judicabuntur; et hoc eſt, quod dicitur ſecunda q. 7. cap. 1. ubi dicit litera, quod non eſt a plebe, ſive a vulgaribus hominibus arguendus, ſive accuſandus epiſcopus, eadem cauſa et quæſtione cap. ſacerdotes, et reliqui eccleſiæ miniſtri omneſque plebes ipſos epiſcopos ſuos diligere debent, et eorum præceptis obedire, etiamſi ipſi aliter, quod abſit quam debeant agant, et ideo ſcribitur Matth. 7. *nolite judicare, & non judicabimini*; et Matth. 23. ait Chriſtus diſcipulis ſuis: *ſuper cathedram Moiſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum autem opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt*. Et alibi dicitur: *Servi ſubditi eſtote in omni tempore Dominis non tantum bonis, ſed & diſcolis*. Nec abſonum judicatur ſacras in re hac allegare ſcripturas, cum ille ſummis pontificibus, et decretalibus quibuſcumque alias præponantur, et de papa eſt expreſſum in dicto cap. 9. ubi litera dicit aperte, quod nemo judicabit illam ſedem. Patet ergo quod concilium prædictum in Piſanenſe, tum quia non legitime convocatum, tum quia ſibi eſt interdicta poteſtas, judicare papam non potuit ex prædictis auctoritatibus divinæ legis, item auctoritatibus SS. Patrum. Item per jus canonicum & humanum. Unde dicebat doctor meus in l. Item *ſtipulatorem* ff. de verborum obligationibus. Quod ſi quis ſchiſmatici animo, quid non facit, poteſt qui vult, papæ adhærere. Allegant notata ab Innocentio de conſt. *ne imitaris*. Quinimmo dixit

xit Baldus alibi, quod tempore schismatis quis potest esse neutralis. Ita dicit ipse in leg. *cum status*, *de ordi. cognit.*

Quid ergo dicemus? Credo, ideft ex fide sentio C. de jure cal. leg. firmissime quoniam attestor, nullatenusque dubito de ....4. firmissime de hæreti. firmiter Gregorium supradictum et Angelum Corarium, qui se pro Gregorio XII. gerebat, fuisse & esse intrusum, apostaticum, scismaticum & hæreticum manifeste, & sic per consequens apostolatu ipso jure privatum 79. dist. *Si quis pecunia*, ut infra clarissime & evidentissime ostenditur, & ipsum non Angelum fuisse, & esse, sed Dæmonem infernalem, & abominabilem ecclesiastico cultu, Deo & populo christiano, 12. q. 3. *omnis jactantia* 12. dist. *ridiculum*, qui sine lumine vel candore in profundum demersit, ut dicit archidiaconus 30. dist. *nonne*.

Is enim non Angelus, sed Diabolus dici debet, cum Angelus ad bonum dumtaxat libero arbitrio potiatur; Diabolus vero, quod similiter liberum habet arbitrium ad malum, in omnibus illud agit 33. dist. *qui episcopus*. Diabolico profecto opere, & non angelico damnatæ memoriæ, atque vitæ Angelus iste destinandus, foedus populo christiano, hæresiarca, ideft hæreticorum magister, & princeps, uni. q. 1. *ordinationes de scismate* cap. 1. in omnibus est potitus, hoc est lupus rapax, pater mendacii Dei & hominum inimicus, elect. *licet hostique iniquus ecclesiæ*, de elect. *Ne pro defectu*. Insuper lupus de heræti. ad materiam, Item a ... ecclesiæ reparavit, unde hæreticus est habendus, ut dicit gloss. notabilis in aut. de privilegiis Doct. *Nulli* col. 8. ibi ad hoc omnis, qui non se membris sanctæ Dei & apostolicæ ecclesiæ. Et probatur 4. q. 1. cap. 2. *Funestius scelus nullam*, 32. q. 7. *primum*, & cap. *quod in omnibus*: Nam quod nec convictionem pacis, nec unitatem ecclesiæ observavit, sed se ab ecclesiæ vinculo ac sacerdotum colloquio separat, pontificis nec potestatem habere potest, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem habere voluit nec pacem, 7. q. 1. *Novatianus* in fine. Alias quanto sanctius sibi fuisset, papatum cedere, ut poterat, & debebat 7. q. 1. *Nos autem* in glossa ut quod promiserat voverat, & juraverat scisma de medio tollere, opere adimpleret, de pact. qualiter 12. & *quia Joannes* q. 2. q. ultim. cap. final. de præbendis relatum in glossa, per suum quidem errorem corrigere quam expectare, quam ab aliis corrigatur, in aut. de nup. circa prin. col. 4. de accus. qualiter, & quoniam scire debuit irrevocabilis & obstinata sua pertinacia capitosa, cum in pectore suo recondita jura omnia lex præsumat de const. cap. 1. lib. 6. 36. dist. §. *ecclesiæ*. quod etiam ex nuda promissione facta Deo quis obligatur, & potest effectualiter conveniri 11. q. 2. *scimus* de sta. mo. *quod Dei timorem* in fine 17. q. 1. sunt quædam quæ etiam non voventes debemus; & quædam quæ nisi voverimus non debemus, sed postquam ea Deo promittimus necessario Deo reddere constringimur; & ibi est glossa magistra, an & quando a voto recedere permittatur, de quo 27. q. 2. c. 2. 27. q. 1. neque in gloss. p.

A quam differentiam facit inter deliberationem, propositum & votum. Quis namque vere catholicorum, & Christi benedicti fidelium dicat, illum papam verum, catholicum, & vicarium legitimum Jesu Christi, de translatione inter corporalia, Verbo *non enim* de elect. *ubi periculum* §. *Cæterum* lib. 6. & cap. *fundamenta* §. *decet*, & ibi concordantiæ. De summa Trinitate *damnamus* §. nos *igitur*; quis sanæ fidei, mentis solidæ, & verissimus christianus dicat illum apostolicum verum esse successorem Petri, rectorem universalis ecclesiæ, & gregis Dominici ductorem, qui in hostem ecclesiæ transtulit ecclesiæ facultates 17. q. 3. *Omnis*. Quis de Christi, & B. Petri & aliorum pontificum romanorum societa-
B te 21. dist. *cleros*, dicat illum catholicum & verum papam, qui non puri hominis, sed Dei vices gerit in terris de translat. quanto qui votum & gressu retrogrado deturpavit sese mendacem exhibens universo 12. q. 2. *sancimus*. Quis ecclesiæ catholicæ subditorum dicat verum papam & catholicum illum esse, qui contra apostolicas suas literas per universum orbem directas ducibus, principibus & prælatis & studiis universis de tollendo scismate, ut præfert intra annum, & tres menses papatus, quem cedere quidem sacra attestatione firmaverat, pertinaciter ac etiam obstinate a bono retrogradus sponte venit. Nonne malum est, dicit textus ab
C ecclesiæ unitate & obedientia resilire, & contra canonum statuta porrigere quod multi post sacramentum præstitum præsumpserunt, extr. de elect. *significasti*, cum non debeat in juramento intentio verbis, sed verba intentioni servire 22. q. V. *humane*. Cum Papa, nec dum sibi, sed aliis perjurii esse causa arceatur. Per Innoc. de rescript. *constitutus*; Cum nec juramento aliter corde sentiat; quam ore juratur 22. *q*. hujusmodi juramentum V. *juramenti*. Putabatne populum aliter interpretando eludere Christianum. Cum & Deus sic accipiat juramentum, sicut ille intelligit cui juratur 34. q. V. *quacumque*. Nonne Angele dejera-
D tio tua turpis saluti animarum populi cui indignus præfueras illudebat 22. q. 4. *quod david*. Nonne pro unitate fienda salubre, & Papæ permissum dicatur hujusmodi juramentum, ut patet de elect. *significasti* in glossa. Nonne sciebas, quod tanto majus perjurium, quanto est sanctius, & laudabilius, pro cujus observantia intervenit juramentum 22. q. 5. *qui pejurat* in glos. p. scire debebas quod non merentur ecclesias regere, qui sunt pejurii crimine irretiti, de jurejurando *querelam*, & ideo possunt dicta de causa ab ecclesia removeri, ut ibi notatur & de tempor. ordi. *directus* de rescriptis ex parte, de elect. *Venerabilem* in glos-
E sa *quamquam*, cum etiam ex perjurio infametur de jurejur. *quanto*, in gloss. & Capite *querelam*. Nesciebat miserrimus quod non potest homo solvere quando ad Deum dirigit juramentum, secus si ad hominem dirigatur, ut notatur de spons. *præterea*. Quid dicet miserrimus miserorum, nisi quod juramentum illud servare non tenebatur, quia non in salutis æternæ, sed nepotum, & fratrum interitum vergere conjectabat, quorum exal-

exaltatio excæcaverat mentem ejus, nam et alibi dicit glossa: *Quod cæci sunt episcopi erga nepotes* I. q. 3. *pervenit*. Quid dicet perversor fidei christianæ nisi quod votum illud implere minime tenebatur cum mentis alienationem saperet, et ipsius tristem spiritum conturbaret, de verb. signif. *dudum*, per Jo. And. quid dicet versutus hostis ecclesiæ qui caritatem vulnerare, et veritatem rescindere ecclesiæ est conatus, sanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere, et omnibus modis humanum genus evertere, et turbare, 16. Q. 2. *Visis*; nisi quod votum servare non tenebatur, quasi illum invitis fratribus, et nepotibus solemnizare et emittere minime potuisset, 23. q. 5. *quod Deo, quod Cler. vel vo.* cap. fin. per Osti. Quid dicet bellua indomita, cum homo dici non valeat, cum careat ratione. 27. q. 1. *Si Homo.* nisi quod nemo dominandi cupiditate inflammatus vel fastu dominationis elatus (non) desiderat habere consortem: 23. q. 7. *quod autem*, quid dicam, quid de te devoti ecclesiæ prædicabunt, quid coetus cardinalium de te dicet, nisi canonis verbum illud: si homo esses, aut aliquam discretionem habuisses, ita regularis debuisti disciplinæ custos existere, ut ea, quæ illicite committuntur, ante vindictam corrigerentur; sed dum te facit nimia stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad ulciscendum diffidiam tuam nihilominus provocamur; 27. q. 1. *Si homo esses*, ferro namque abscindenda sunt vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam p. q. I. *repertuntur* 1. dist. *Ferrum* Si te ipsum pertinacem convertebas dictis promissione juramento, et voto irrevocabilibus tanta solennitate emissis, & Christi populo, nunc pronuntiatis tuis novis erroribus, & perjuriis intellectibus adinventis minime obligatum. Et quod Hæreticalis labes non infecerit turpissimam, & abominabilem vitam tuam, pro ut de te universus Christi populus prædicabat, & ad promissorum observantiam Cardinales tecum jugiter insistebant, debuisti episcoporum, & prælatorum generale concilium congregare, ut antiquissimi pontifices in similibus faciebant, ut patet 15. 16. 17. Dist. 2. q. 5. *mandastis*, & tuis fratribus cardinalibus silentium non imponere, & mandare, ut de unione tam salubri auderent quomodolibet pertractare, nisi tua præsentia interesset. Ut & tibi digne dici valeat verbum illud: displicet tibi quod traharis ad salutem, cum tamen multos nostros ad perniciem traxeris 23. q. 4. *displicet*. Cum cardinales in exequutione pontificalis officii adsistant, quorum consilio debet Romanus pontifex quæcumque negotia terminare, dicit textus in capite *fundamenta* §. *ne autem* lib. VI. quia instigatione diabolica, & ausu temerario 16. q. 1. *latet*: prorupisti (proh dolor) ad tam detestabilem jussionem. Non sic beatum illum Gregorium, cujus nomen usurpas, fecisse legimus, qui ipsum redarguere volentem, quemlibet invitat, 2. q. 7. *Si quis nos*. Nam traditum est, quod qualitercumque possumus, debemus vexare malos ut cessent a malo 23. q. 6. *jam non*. Et alibi dicitur. quod ecclesia malos cogere debet ad bonum, sicut Christus Paulum coegit 23. q. 6. *schismatici*. Unde adversus hunc hominem malignantem cardinales dicere valeant cum Psalmista: *Sedens adversus fratres tuos loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum &c.* q. 1. *ex merito*; cum dicunt canones quod incauta locutio detrahit in errorem 43. dist. *sit rector*. Nonne clavis aperitionis dicitur esse sermo correctionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit, sicut ipse qui perpetravit, ut dicto capite *sit rector*, & ibi textus; & ideo dominus per Isaiam 58. admonet dicens: *clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam.* Præconis quippe officium suscipit quisquis ad sacerdotium ascendit, atque ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet declamando graditur, dicto cap. *Sit rector*, cum tuo erroris vulnere audientium corda percutis, & tristaris eadem dist. & *est secundum cum rector*. Et ideo dicit litera, quisquis loquitur nititur sapientem 1. magnopere metuat, ne ejus colloquio audientium unitas confundatur. Quæ igitur diabolica supplantatio te oppressit, ut ad tam detestabilem prorumperes jussionem, ac illud potius dicere debuisses si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, 2. q. 7. *Præsumunt*. Nesciebas, quod in exemplum culpa vehementem, quando pro reverentia erroris peccatum honoratur, 83. dist. *Nemo*. Quia qui aliorum errorem defendit, multo damnabilior est illis qui errant, quia non solum ille errat, sed in aliis erroris offendicula præparat & confirmat. Unde quia magistri erroris essent, non tantum dicerentur hæretici cardinales, sed hæresiarchæ debuissent penitus nuncupari, 24. q. 3. *qui aliorum*. Erroris namque alieni socium, vel a sui voluntarie proposito tramite recedentem, aut sacrorum patrum regulis, & constitutionibus non obedientem suscipere non possumus, nec debemus: dicit textus 2. q. 7. *alieni*; & glossa exponit non obedientem, §. *schismaticum* 19. dist. *Nulli* 25. q. 1. *Violatores*, & ideo alibi dicitur, qui justificat impium, & condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum, Prov. 17. Nesciebas pastor perfide, animarum vulnerator, quod melius est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba responsio, 11. q. 3. *injustum*. Nonne mandatum cardinalibus per te factum est in civitate Lucana, ad quam te venisse pro unione facienda ecclesiæ, ore, sed non animo prædicabas; cum dicat canon, quod pax labiis prædicata debet cum voluntate animi concordare, 93. dist. *Diaconum*. Te hæreticum comprobat & affirmat, cum per solum dictum quis hæreticus constituatur dicit glos. Jo. 24. q. 1. *Hæc est*. Dic mihi nefandissime foedus ordinis clericalis, scissura ecclesiæ lachrimantis cum in omni colloquio de re hac tam salubri, atque sancta volebas penitus interesse, nisi quod propter verecundiam procrastinationis & perfidiæ tuæ verentur, facta tua hæreticalia prædicare; sed illa potius sub silentio pertransirent; cum sit naturale adversus superiorem propter verecundiam quem tacere, per Baldum cap. *de nuptiis l. in conventione*, in verbo *cultu verecundiæ*; facit quod notat glos-

glossa in l. p. §. *quam honorande* quar. rer. ac non da. & quod notat Innocentius in cap. *Causam matrimonii* de officio delegati. Quinimmo nedum mandatum, sed blanditiæ potentium æquiparantur minaci furori, dicit glossa signata per Baldum cap. *Si verum precium* l. 1. Accedet quod notat Joannes Andreas in capite *insinuante*, quod clerici, vel vo. Nonne scire debebat tua pertinacia bestialis, quod quoties de fide agitur, tenetur papa requirere consilium episcoporum 19. dist. *Anastasius*, & tunc synodus major est quam ipse 15. dist. *Sicut*. Quid impudens aliud dicere ipse queat, nisi Juvenalis verbum sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Refert Joannes Andreas, quod clerici, vel vo. *ex literarum*. Juste de jure naturali § *secundum quid principi*, & de translatione cap. *de* in glossa super verbo. *vicem*. Quid dicit Angelus maledictus, fermentum scismaticæ perversitatis, qui tyrannorum furore collisus domini tunicam inconsutilem desuper textam per frusta decerpit, & Christi pro posse nisus est vineam supplantare, 24. q. 1. *quoniam vetus*. Summique piscatoris naviculam in naufragii profunda demergere, 23. dist. *in nomine*. Quidve dicere poterit nisi illud: Pervenerunt peccata mea usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum mearum, Apocalips. 18. sequebar turbam ad faciendum mala, & judicio plurimorum acquievi. Exod. 23. Quid de se ipso loquetur pravi atque iniqui hominis perversitas obstinata 23. dist. *in nomine*; qui contra universalem ecclesiam altare conatur erigere schisma fovens, 23. q. 5. *non vos*. Quidve ipsius superstitiosa calliditas pro suis scismaticis operibus respondebit, quæ orthodoxam ecclesiam funestarunt, nisi verbum illud scrutamini scripturas, ideft promissionem, votum, & juramentum; ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me: Joann. 5. Quid dicet Hipocrita testis, qui habuit oculum excæcatum, trabe collisum, aliorum præsumit damnare sententias, Matth. 7. 32. q. 6. *in principio*. Quid dicet perfidiæ insectator, qui veritatis a se fidem abjecit, & a Deo extitit infidelis 2. q. 7. *non potest*. Quid ajet ejus irrevocabilis pertinacia impudenda. Quid loquetur indocilis ac etiam obstinatus, de usur. *ex gravi*, §. final. in d. de scismat. cap. 1. 16. q. 1. *versantem*. Quid dicet Errorius sive erroneus appelletur, de quo 7. q. 1. *remote*. Quidve dicere poterit Errorius, nisi illud quod error sequitur ex errore, ut lex diverso ff. de rei venditione. Quid dicet apostaticus detestandus, ex quo e statu fidei & religionis retro stetit, 27. q. 7. *non observetis*. Quid dicit venia nullus dignus qui pacem ecclesiæ profugabat, nisi quod se ex hoc hæreticum, & scismaticum comprobavit, et omni apostolica dignitate privatum, 24. q. 1. *Pacem*. Quid dicet prævius in omnibus antichristus, qui scandalizavit ecclesiam & per consequens ipsum Deum, 93. dist. *Nulla ratione*, 8. q. 1. *Qui vos*. Taceo tuorum observantiam promissionum, taceo fidem tuam promissas toto orbi, cum probatione non indigeant manifesta, ff. de interrogatione testium l. 1. Cum rei satis demonstratæ frustra adiiciatur alia demonstratio, ff. de do. proleg. l. 1. cum supervacuis laboret impendiis, qui solem certat facibus adjuvare, 6. q. 1. *si omnia*. Si quidve in hujusmodi discursu dixerim a gravitate et venustate remotum quæso lector ignoscat, et auditui aures accommodet patienter 7. q. 1. *suggestum*. Non enim debemus multum dimittere opprobria illius, qui probra nostra delevit, de Judæis *in quibusdam* §. ult. quia longe gravius est divinam quam temporalem offendere majestatem, in aut. *ut non luxurietur contra naturam* in principio coll. 6. de hæret. *vergentis* et ibi notata.

Tandem post abyssum in laqueos Babylonis, de quibus superius aliqua memoravimus, ad cautelam scilicet, ut cognoscatur et cognita melius evitentur, restat, ne parenthesim faciam ulteriorem, ut ad reliqua conscribenda sollicite festinemus; et antequam alio stilum vertam, sciendum est, quod pestis ista scismatis detestandi multoties invaluit in ecclesia sancta Dei, et quasi humano (al. divino) judicio semper hi schismatici fuerunt a fide repulsi, ut 89. dist. *Si quis pecunia*; sic enim fuit tempore Leonis, & Adriani, nam Carolus capiens Desiderium, Longobardos vicit & restauravit ecclesiam 63. dist. *Adrianus*. Joannes papa XI. passus fuit magnas tribulationes & persecutiones a quodam Berengario. Octo qui vocatur primus rex Saxoniæ capiens Berengarium, ecclesiam restituit pristinæ libertati. Item Leo IX. fuit ab urbe expulsus & creatus Benedictus, quod audiens dictus Octo Romam reversus obsedit civitatem, donec sibi traditus fuit ille intrusus, & misit eum in exilium in Saxoniam, & ibi mortuus est. De isto habetis 68. dist. *in synodo*. Item Joannes XII. fuit expulsus per quendam Crescentium patritium, & Octo III. rex Saxonum ivit, & fugato illo Crescentio totam illam progeniem extirpavit, & tunc fuit creatus Gregorius V. & fuit de genere Octonis, dictus Crescentius, & Romani expulerunt dictum Gregorium, & creatus fuit Joannes episcopus Placentinus. Quod audiens dictus Octo iterum Romam rediit, & obsidens eos in castro S. Angeli cæpit utrumque & membris eos mutilavit. Item populus Romanus tempore Joannis XXII. recepit D. Ludovicum de Bavaria, qui se pro imperatore gerebat contra processus domini papæ & ecclesiæ Romanæ, & eum sicut imperatorem tractavit, & quod deterius fuit, quendam fratrem Petr. de Corbario ord. Min. in dictum pap. Nicolaum V. creaverunt clerus, & populus, antipapam prædicantes ipsum D. Joannem papam hæreticum. Fecerunt etiam plures cardinales: & ex hoc motus præfatus D. Joannes papa consuluit dominum ol. de laude, ut posset privare urbem, & Romanam ecclesiam omnibus privilegiis eisdem competentibus, vel saltem ipsam ad tempus suspendere. Fuerunt ergo quamplurimi, qui injuste Petri cathedram ac etiam imperium occuparunt. Ideo Octavianus, & Joannes maledicti; qui vocatur Victor injuste cathedram occupavit. Vixit autem in cathedra annis octo, & mensibus 7. Huic successit Guido, qui & Paschalis vocatus fuit; quorum

rum facta damnantur, de scismat. cap. 1. Octavianus etiam contra papam Alexandrum scisma movit, & fovit, ut tractant doctores de electione *quia diligentia*. Reprobus etiam & Valtemanus scismatici fuerunt in cap. *a nobis* de Sara n. 1. Fredericus etiam avus istius contra D. Gregorium IX. & tandem per D. Innocentium IV. depositus fuit in concilio Lugdunensi. Omittamus reliqua: nostra ecce ætate Ladislaum olim regem Siciliæ, feudatarium ecclesiæ, scismaticum manifestum, Christi exsufflatorem, dissipatorem, blasphematorem quoque ecclesiæ, & flagellum 23. q. 4. *Quando vult.* Qui sibi præter catholicæ communionem ecclesiæ christianum nomen usurpavit 8. dist. quo jure, adversus principem principum verum Christi vicarium temere cornua præsumpsit erigere, cernimus de præsenti contra canonum instituta d. cap. 1. in gloss. de appel. cum parati in gloss. ab Aquilone sedem ponens jussa & debita cælestis regis & domini sua præsumptione resolvere 23. q. 4. *Si is qui*; Dum nec subditus pacem vel ligam facere in præjudicium superioris possit per Bald. de pact. debitori C. & est glossa de fideicommiss. lib. l. *invitus* §. Alterius vel alterius effici censuales de probat. *licet*; nam suo domino subditus præstare tenetur perpetuam reverentiam & honorem, de majoritate & obedientia solitæ 11. q. 1. *magnum.* Proh Deus, feudatarius ecclesiæ, qui fidelitatis nomen assumpsit, quam domino præstare tenetur, de jurejur. *veritatis*; & capite *eam te*, adversus dominum bella movet, 32. q. 2. *latores*. Nam consilium, & auxilium fidelis Domino suo præstet, si de beneficio dignus videri vult, & salvus esse de fidelitate, quam juravit, 22. q. 5. dist. *Forma*. Cum & ille versutus hostis ecclesiæ, Lupusque rapax, mendax opere, & sermone, quem perdat ipse Deus, deberet dicere verbum illud; *& si alii scandalizati fuerint, sed non ego*; Matth. 26. q. 1. *imitare*. Rexque ille quem canon præcipit honorari, 8. dist. quo jure, adversus ecclesiam bella movet, qui contra ecclesiæ inimicos debet manus porrigere adjutrices, 23. q. 4. *non invenitur*; et cap. *quando vult* 24. q. *Cuncta regum*; & eadem causa q. 3. *Maximianus*. Nam ideo majestati regiæ titulus serenitatis adscribitur, cum ei proprium esse debeat pacem ecclesiæ diligere & amplecti, & finitimarum gentium tranquillitate haud aliter quam aeris serenitate lætari, hic guerras & damna molitur. Salubres namque reges catholici, & devoti debent posse tenus laborare, ut aberrantes a grege piæ matris, in ejus gremio revocentur, 23. q. 6. *scismatici*; & eadem causa q. 3. *quando vult Deus*. Non mediocriter profecto, offendit quia debita cælestis regis ex Domini sua præsumptione resolvit, 23. q. 3. *Si is qui*. Dicat mihi ille, quem sui aruspices alias prudenter facere profetizent, cur ecclesiam non desinit infestare, & repetitis malis crebrisque concussionibus columnas Dei viventis conatur opprimere, & summi pastoris naviculam intumescentibus procellis naufragii profunda demergere 29. dist. *in nomine*. Scire debet versutus hostis ecclesiæ, qui veritatem vulnerare conatur; & ecclesiæ rescindere unionem, humanumque genus evertere & turbare 16. q. 2. *visis*, quod etsi aliquando fluctuet navicula Petri, submergi tamen non potest, 24. q. 1. *non turbatur*; de qua beatus Hilarius loquebatur: *proprium est*, inquit, *ecclesiæ, ut tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc secura sit cum deseritur, tunc obtineat cum superata videtur*. De hac juris civilis sanxit auctoritas profitendo, quod ecclesia cultrix, & auctrix justitiæ & contra justitiam non patitur aliquid fieri in se, vel in alterum. Privatus vero semper obviat justitiæ in us. feri cap. 1. De hac quidem apostolus pollicebatur, quod sine intermissione de ea in orationibus suis facit mentionem, ut patet in epistola Rom. in principio: hæc enim non solum ecclesiarum est mater, domina & magistra, de for. Comp. cap. final. de sacrosanctis ecclesiis l. *omnium*, 12. dist. *non decet*, q. 3. *cuncta* de privilegiis, *Si papa* de poen. *felicis* lib. 6. de summa Trinitate, *damnamus* in fine; sed etiam caput & cardo, ut patet de immunitate ecclesiæ cap. 1. lib. 6. & ibi per Joannem Andream super verbo *tutela*. Hæc est enim illa ecclesia gloriosa, habitans in confidentia, & extra eam non est salus, toto c. 2. ubi fons sacerdotii reperitur in cor. ut eccl. Ro. in prin. illam enim imperator cælestis instituit, de elect. *fundamenta*; illam ipse solus fundavit, & ipsius privilegio fungitur, 22. dist. cap. 1. imo canon sacratissimus attestatur quod non ab apostolis, sed ab ipso Salvatore nostro primatum obtinuit eadem dist. cap. *Sacrosancta*. Ipse enim locum elegit, eamque ratione persecutionis deserere noluit. Nam Petrum persecutionem fugientem revocavit dicens: per se velle ibi pati; vel etiam crucifigi, antequam locum illum desereret; qui filii sint legi per venerabilem 3. q. 1. *Nulli*. Exemplo illius qui unicam suo proprio cruore defendit, 24. q. 1. *moneor*. Hanc enim Romanam ecclesiam divinam providentiam legimus incommutabili dispositione aliis prætulisse, ut in proemio lib. 6. ipsa enim est tabernaculum illud quod nequaquam transferri poterit nec auferetur ..... ejus in sempiternum. Isaiæ 33. & ideo Zachariæ 14. de ecclesia loquens dicebat, sedebit Jerusalem secura & merito, quia a superiore monte superari non potest; idest ab aliquo Tyranno seu rege, quia tyrannico more vivit: & mons Domini præparatus in vertice montis, Isaiæ 2. Et ideo dicit Chrysostomus: *ecclesia impugnari potest, expugnari non potest: tela mittuntur, sed ejus manus non perforantur; machinæ præparantur, sed turris davidica non eliditur*.

Est insuper locus tutus, qui ab aliquo flumine non potest inundari, idest erroribus submergi; ergo nec flumina obruent illam: & est ratio quia universalis ecclesia errare non potest, ut dicit Augustinus super illo verbo *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Hujus rei figuram pertulit arca Noe, unde extra ecclesiam non est salus. Unde Augustinus contra Donatistas: extra, inquit, ecclesiam virtutes fieri possunt; sacramenta dari non possunt, sed prosunt. Et ideo dicit Augustinus super illo ver-

ANNO CHRISTI 1409.

verbo psalmi, *Sæpe expugnaverunt me*, ibi, *& non potuerunt mihi*: In Abel ecclesia incepit, & tunc Cain eam expugnavit, sed Abel est salvatus, sola ecclesia in Noe fuit, & Deus eum a diluvio liberavit; sola fuit in Abraham, & de Ur Chaldæor. ereptus est. Sola in Moyse & de manib. Pharaon. liberatus Deinde in David, salvo Saule Golia evasit, (alias facile & Golia evasit) Deinde in Macchabæis & ipsi liberati sunt. Postmodum in Domino nostro Jesu Christo, et captus, ligatus, & illusus et crucifixus mortuus est. Deus eum tertia die suscitavit. Et post hæc in apostolis, et ipsi persecutores patientes ad ultimum coronati ascenderunt in cælum. Sæpe ergo expugnaverunt me a juventute mea, dicit Israel, idest ecclesia, quæ hic videt Deum per gratiam, et in cælo per gloriam. Sed non potuerunt. Et hoc ideo est, quia ut dicit Chrysostomus in homil. in Pentecosten, propter ecclesiam patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres et ipse unigenitus Dei homo factus est. Sicut ergo omni tempore persecutionis bellum ecclesiæ Christus ordinate per suos milites instituit, ut semper in vita permaneat; nititur ergo in cassum flagellum Dei & hominum inimicus contra verum vicarium Jesu Christi, bella movere, qui non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris, de translatione Prælat. navemque submergere Petri; nam fluctuat, sed nunquam definit esse navis, cum successoris Petri potestas non sit ex homine, sed ex Deo. De judic. novit. Scilicet lites & bona timeri propter dubium finis 1. Regum 16. ff. de pec. l. Quod debetur. Sed hic finis & victoria recta est. Qui ecclesia Christi, quæ verus Vicarius sponsus, pugilque ecclesiæ gloriosus Joannes vir fortis prælii, quem Deus posuit ducem tutum, 1. Machabæor. 13. veritatem sequitur, quæ semper vincit, & prævalet Esdræ. 1. 8. dist. *consuetudo*. Super petram solidam fundata est, ideo ruere non potest, 21. dist. *in novo*, 24. q. 1. *Loquitur*; & est navicula Petri, fluctuare potest, ut dixi, perire non potest, 24. q. 1. *non turbatur*. Contra hunc igitur principem malignantem insurgat Christi Vicarius Joannes vir fortis prælii, Machab. 13. qui potens est opere et sermone, de officio ordin. Inter cetera de statu Mo. cum ad monasterium ultorque gladio .... hominis atque pravi diabolica supplantatio supprimatur, qui adversus successorem Petri, rectorem universalis ecclesiæ & gregis Dominici ductorem, ut dictis juribus, bellica bella movit. Armetur conatus ecclesiæ & pro domo Israel murum obiiciat inexpugnandum, 2. q. 3. *Salvatori*; irruat in eum Christi potentia, quia status universalis ecclesiæ infestatur. 24. q. 1. *memor* de. Judæ ad abolendam personam, cruxque coram illum scismaticum prædicetur, 23. q. 7. fortem, & cur pridem & indulgentiæ concordante capite caus. & q. *omni timore*. Quinimmo verus sponsus & pugil ecclesiæ gloriosus, qui ad portum deduxit Petri naviculam, hactenus fluctuantem, præsentialiter irruat contra eum. Sic enim legimus Leonem papam Romam aggressum contra hæreticos jam fecisse ea caus. & q. *Cum*; *sive* cum nempe pacis Italicæ per-

...us insatiabilis

A turbatio, immo loquar ut propius, sarmentum schismaticæ perversitatis, perversor fidei christianæ pejor sit Saracenis, q. *Nonne*. Ad defensionem ecclesiæ adversus hujusmodi perfidiæ sectatorem principes undique convocentur, 23. q. 5. *Principes*, & cap. *de Liguribus*, & cap. *quali*, cum necdum interfectores scismaticorum excommunicationis laqueum non incurrunt, 23. q. 5. *excommunicatio*; immo maximas indulgentias assequuntur eadem caus. & q. *omnium*. Hic etiam invasor ecclesiæ, destructor totius christianitatis a liminibus sacræ Romanæ ecclesiæ separatus, 23. dist. *in nomine*, conquerens undique exteras potentias contra universalem ecclesiam conatus suos erigere est B molitus 23. q. 5. *Non vos*; totius orbis sententiæ transgressor existens, & concilii Pisanensis maturitate, & solemnitate digesti, & undique ex mundi partibus convocati. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Jo. X. de elect. *fundamenta*. Romanam ecclesiam nixus est sua præsuntione confundere, & turbare contra statuta concilii attentando. Anathemate & excommunicatione perpetua labefactus, cum impiis, qui non resurgent in judicio, deputetur, omnipotentis contra se iram sentiat, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum præsumit ecclesiam in hac vita confundere, furorem sentiat in futuro. C Fiat habitatio ejus deserta, & uxor ejus vidua; orbis terrarum contra eum pugnet, & cuncta elementa sint ei contraria; & omnium sanctorum quiescentium merita eum confundant in hac vita; super eum apertam vindictam ostendant, 23. dist. *in nomine Domini*. Ut parvulus quidem ego devotus ecclesiæ dicere ipse possum: videbam Satanam sicut fulgur cadentem de coelo, Luc. 10. de poenit. dist. 2. *sicut*, gravabat eum inquitas sua secundum psalmum, & corruet, & non adiiciet ut resurgat. Ignorat miserrimus verbum Christi: qui scandalizarit unum de pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in D collo ejus, & demergatur in profundum, Matth. 18. & de renunc. *Nisi cum pridem* §. pro gravi, de operis novi nunc: *Cum ex injuncto*; unde adversus ecclesiæ turbatores Dei filius loquebatur dicens: Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti, facienti fructum, id est regi Christianissimo & gloriosissimo Ludovico. Hic est enim quem canon præcipit honorari, 8. dist. *quo jure*; cujus sacrum inclytæ majestatis diadema unicum, & decus gloriosum eo magis glorificatur & illustratur, quo propensius quies, idest pax ecclesiæ ab ipsa severitate efficacius procuratur. Item labores ipsorum justi edent. Item omnia sunt justorum, dicto capite, *quo* E *jure* 23. q. 7. cap. 1. 2. & 3. arg. ne clerici vel monachi; *relatum*: regnumque illius hominis pestilentis tradi debeat, ut dixi, regi catholico occupandum, de hæreticis, *excommunicamus*, §. Si vero Dominus temporalis. Tum etiam quia idem hostis ecclesiæ negligens invenitur circa regni requiem, & justitiam faciendam, cujus exercitium jam diu a sua procul aula exulavit, 17. q. 4. *Si quis deinceps* 11. q. 1. *nullus*, 23. q. 1.

præceptum. Unde Zacharias papa Ludovicum regem Francorum prædeceſſorem Pipini patris Caroli hac de cauſa digne depoſuit. 15. q. 6. *alius*. Reſtat modo, ut attingamus indaginem propoſitæ veritatis. Et in hoc diſcurſu de pluribus eſt videndum. Et primo ex quibus cauſis poſſit papa apoſtolatu privari; ſecundo an Angelus Coriarius, qui ſe pro Gregorio XII. gerebat, fuerit privationis crimine irretitus. 3. quis ſit judex competens de præmiſſis, & de concilii poteſtate, & an cardinales potuerint generale concilium convocare, & an potuerint recedere a dictis dominis Angelo Corario, atque Petro de Luna, antequam fuiſſent per concilium de irretito crimine condemnati. Quarto, an dictus Angelus Coriarius, ubilibet convocatus, fuerit de irretito crimine legitime convictus. 5. an electio facta de ſanctæ & felicis recordationis D. Alexandro papa V. per cardinales collegii utriuſque & per conſequens electio facta de SS. ac BB. D. N. D. pap. Joanne XXIII. ſummo & vero pontifice per cardd. eoſdem fuerit & fuerint canonice & rite factæ, & ſic ipſe dominus noſter papa Joannes, & prædeceſſor ejus fuerit, & fuerint veri apoſtolici, & canonice inſtituti. Circa primum ex quibus cauſis poſſit papa apoſtolatu privari breviter me expedio; nam de nullo crimine præterquam de hæreſi poteſt ſedes apoſtolica irretiri 2. q. 4. *Præſul*. Et tunc debet, ut Diabolus condemnari, ut ibi dicit glo. Jo. & patet 79. diſt. *Si quis pecunia*, 11. diſt. *Si papa*; 19. diſt. *Anaſtaſius*, 29. q. 1. *Acatius* & cap. *Qui contra pacem* de hæreſi; ad abolendam 9. q. 3. *nemo*. Eo enim ipſo quod papa hæreticus eſt, eſt minor quolibet catholico, ut dicto cap. *Acacius* 12. q. 1. *Sancimus*; & ipſo jure eſt apoſtolatu privatus, ut dicto cap. *Si quis pecunia*, & 1. q. 1. *Si quis de eccleſia*, 16. q. 5. *ſane*, 24. q. 1. *dicimus* & cap. *Audivimus*, & cap. *putamur*; §. his auctoritatibus, & ſeipſum privat, 21. diſt. *Nunc autem*. In hoc ergo caſu hæreſis papa alium papam ligare poteſt. Nec obſtat quod par in parem &c. ut notatur in dicto cap. *Acacius*, & in dicto cap. *Si quis* de eccleſia cum concordantibus ſuperius allatis. Dictus eſt autem hæreticus & herciſcis, ideſt divido dividis, inde familiæ herciſcundæ, ideſt judicium ſubſtantiæ dividendæ, unde idem eſt, quod quaſi diviſus ab aliis. Ita & hæreſis dicitur diviſio, ideſt ſeparatio a fide catholica. Eodem conſimili modo ſi papa foret ſchiſmaticus, eſſet ſimiliter pro jure pontificali dignitate privatus, ut dictis juribus: quoniam ſciſmaticus volens eccleſiam Dei ſcindere, peccat in fide quoad articulum illum credo in Spiritum Sanctum, & in unam ſanctam eccleſiam catholicam 24. q. 1. *advocavit*, & quatuor capitibus præcedentibus; unde hæreticus judicatur, de uſuris ex gravi in diſt. 24. q. 3. *hæreſis*. Si quis igitur ab hac unitate recedat, diviſus eſt, & ſic ſciſmaticus: veſtimentum enim domini ideo ſciſſum non fuit, ſed de eo ſortiti ſunt, quia eccleſia ſcindi non debet, ſed tota in unitate conſtituitur, 16. q. 5. *Sicuti Domini veſtimentum*. Differt autem ſciſma ab hæreſi in principio, nam hæreſis in ſuo prin-

A cipio habet perverſum dogma, quod non habet ſciſma; ſed ſi perdurat, cadit in hæreſim per Oſtienſem, & Joannem Andream, quia fingit ſe ab eccleſia recte receſſiſſe, & ideo cenſetur hæreticus, 24. q. 3. *inter ſciſma*; & ſic peccat in illum articulum, credo in Spiritum Sanctum. Et quod papa ſciſmaticus apoſtolica ſede cadat, firmat expreſſe Oſtienſis de ſciſmate in ſumma 3. quæ poena; & dicitur & tenet doctor in cap. licet de Auctor. de electione, & probatur 24. diſt. *in nomine Domini* & 24. q. 2. *Sane præfertur*. Vel poteſt dici, quod inter ſciſma & hæreſim eſt talis differentia, qualis inter genus & ſpeciem, quia omnis hæreticus eſt ſciſmaticus, ſed non e converſo, niſi ſciſma
B duraverit ut dixi, & notat Oſtienſis de ſciſm. in ſumma §. 2. in fine; unde qui non eſt membrum eccleſiæ, hæreticus judicatur in aut. de privil. Doct. poſt prin. Cum ergo omne ſciſma intendat univerſalem eccleſiam impugnare, juxta ul..... nunquam poteſt eſſe ſine hæreſi ſecundum omnes doctores, & probatur 24. q. 1. *dicimus* & cap. *Pudend.* & cap. *Sciſma* & cap. *Loquitur*. Dicitur autem ſchiſma illicita diſſenſio eorum, inter quos unitas eſſe debet, vel illicitus ab unitate, vel univerſitate diſſenſus, vel illicita diviſio per inobedientiam ab unitate facta, 24. q. 3. *Inter ſciſma*; & nomen Græcum eſt, unde ſciſſura in unitate eſſe non
C poteſt, de elect. *quia diligentia*, in gloſſ. 1. Dicta eſt autem ſciſma e ſciſſura 24. q. 1. *Sciſma*. Cum enim fides catholica una ſit, & unionem deſignet; patet quod ſi aliquis ab hac unitate recedit, diviſus eſt, & ſic ſciſmaticus. Et licet alibi dicatur hæreſim inter ſciſma majus eſſe, eo quod primum locum tenet in poenis 22. q. 7. *quod in omnibus*; nam & ſi crimen hæreſis novo ſciſmate majus ſit; tamen ex quo quis in ſciſmate perſeverat, idem eſt crimen & utrimque eadem poena infligitur, ut patet ex his quæ ſuperius ſunt relata, quod tenet Oſtienſis de ſciſmate §. *qua poena*, verbo *nec obſtat*. Et quam grave; & deteſtabile ſit ſciſma fove-
D re, oſtendit Dominus in Core, Datan, & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, & omnis ſubſtantia eorum cum ipſis deſcendit ad inferos, cæteris cæleſti igne conſumptis, Num. 21. 24. q. 1. *non afferamus*, 2. q. 4. in principio. Alio etiam exemplo monſtravit, nam cum Tribus ſciſſæ fuiſſent a Tribu Juda & Beniamin, & relicto rege ſuo, alium ſibi foris conſtituiſſent, & tamen iret ad eos Roboam, ut peccata ſua exprobraret eiſdem, & ultionem ſuam prædiceret; panem apud illos edere, & aquam bibere vetitus eſt, quod cum non cuſtodiſſet, ſtatim divina cenſura percuſſus eſt, & inde regrediens impetu, ac morſu Leonis in itinere necatus
E eſt, 7. q. 2. *Denique*. Unde nec dubitandum eſt, ſceleratius eſſe delictum, quod eſt gravius judicatum, 24. q. 1. *non afferamus*, de elect. licet de evitanda: & hæc ſufficiant breviter quoad primum. Circa ſecundum an Angelus Coriarius, alias Errorius nuncupatus, quod ſe pro Gregorio XII. gerebat, fuerit privativo crimine irretitus, hic opus, hic labor eſt, & hic pendet pondus diei, & æſtus. Et licet me terreat natalis ſoli domi-

mini magnitudo, dominicusque metus illius cujus servitiis nuper adsum, qui mecum sunt ore in hac sententia discordantes, corde tamen, ut arbitror, uniformes, ad quod solum cor Deus respicit, & advertit, ut dicit gloss. in l. 3. de Donat. inter vir. & uxor. cujus cordis solus Deus dicitur scrutator, Luc. 16. & act. 1. 2. q. 5. *consuluisti*. Loquar tamen pro veritate intrepida verba mea: odivi enim ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo, & cum Psalmista conveniam; nam, ut dicit Gregorius: non se putet christianum, qui mori pro Christo non habet animum paratum. Qui enim metu alicujus potestatis veritatem occultat, Dei iram contra se provocat, quia magis hominem quam Deum formidat 11. q. 3. *Quisquis*. Nullo enim modo deberet propter persecutionem prælati & doctoris tacere, quoniam annunciat veritatem, 43. dist. *Sit rector*; & cap. *Scimus* in gloss. nam proditor esse dicitur veritatis, non solum qui mendacium pro veritate asseverat, sed qui non libere veritatem pronuntiat, quam pronuntiare oportet, 1. q. 3. *Nolite*. Melius est enim pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium, ead. caus. & quæst. *nemo peritorum*. Redeo igitur, ne ultra digrediar, ad propositum quæstionis, & videtur probabiliter dici posse Angelum, Errorium nuncupatum, qui se pro Gregorio XII. gerebat nullo modo de crimine privativo fuisse irretitum, cum, ut dixi, papa de sola hæresi convictus valeat irretiri, & tunc apostolatu ipso jure privatur, 79. dist. *Si quis pecunia*, cum concordantiis allegatis in discursu præcedenti. Nec constat, ipsum hæreticali macula labefactatum. Absit enim, ut quidpiam sinistre de his arbitremur, qui apostolico gradu succedunt, qui claves regni cælorum habentes ante judicii diem judicant, 11. q. 3. *absit*; cum bene de quolibet, & non male credere debeamus, dicit gloss. Joan. 7. q. 4. *quam magnum*. Et ideo dicit textus: mala audita nullum moveant; nec passim dicta absque certa probatione quisquis unquam credat, nec præcipitando quidquam mali agat, 30. q. ultim. *Nullum*. Vulgarisque fama quorumdam ipsius Gregorii opinionem, ac existimationem arguens crimen hæreticum non concludit. Dicit enim canon, quod non solum ille reus est, qui falsum de aliquo profert; sed etiam is qui aurem criminibus citus accommodat, 11. q. 3. *Non solum*, & alibi dicit textus: absit Christianorum judicio, ut ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta credimus in qualicumque modulo suspicionis adducti, quia & sacri eloquii testimonium tenemus, ut mala majorum cum forsitan dicuntur, nisi probata credi non debeant, sed citius probata ulcisci, 11. q. 3. *in cunctis*: Dicit enim Apostolus ad Rom. 15. nullum ante veram justamque probationem judicare debemus, 30. q. ultim. *nullum*; & subdit ibi litera; mala itaque audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam credat, nec præcipitando quidquam mali agat, unde verbum illud Gregorii dicere ipse potest: Quid enim si non nos homines laudant, & conscientia liberos nos demonstrat? 11. q. 3. *illaudantium*: dicit enim Paulus ad Cor. 2. gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ; & Job. 15. dicitur. Ecce in coelo testis meus. Si ergo est nobis testis in coelo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui. Quid enim volunt, quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi pulverem exsufflant in oculos suos, terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant, 11. q. 3. *illaudantium*. Nec videtur obstare sententiam concilii Parisiensis adversus eum latam in cleri multitudine copiosa; quoniam illud non potest dici concilium, sed potius conciliabulum appellatur. Cum non fuerit auctoritate, & licentia papæ, & sic legitime ut debuit convocatum, ut dixi supra in principio hujus tractatus; non repeto. Præterea scriptum est: non sequaris turbam ad faciendum malum, nec judicio plurimorum acquiesces, ut a veritate devies, Exod. 23. & alibi dicitur: non est qui invocet justitiam, nec qui judicet vere; sed confundunt homines in nihilo, & loquuntur vanitates, Isaiæ 59. & ideo dicebat Apost. ad Corinth. 1. scriptum est enim sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Et sequitur: Si qui videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens, idest ut illa sapiat, sciat, & faciat per quæ mundus fatuum eum reputet, ut sit sapiens apud Deum. In contrarium enim veritas manifesta, quam fideli devota professione fateor, firmiter teneo, & affirmo; quam firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium, & magistra, quam sequitur Orthodoxorum patrum, ac doctorum, & prædicatorum & prælatorum incommutabilis & vera sententia, de summa Trinitate cap. ultimo. Ad cujus evidentiam, pro declaratione dicendorum est evidentialiter præmittendum illud, quod est notissimum toto orbi, videlicet quod Gregorius sæpe fatus, post electionem de eo factam ad culmen Apostolatus per DD. cardinales, per apostolicas literas, atque bullas per universum directas significaverit se jurasse, vovisse, & promisisse ante electionem factam eodem vinculo efficaciter implendam, cum singulis ex ipsis cardd. in casu quo illorum aliquis ad apicem Apostolatus esset assumptus, papatui cedere, & omni via possibili laborare; ut scisma tolleretur & ecclesiæ integritas sequeretur; & post ipsam assumptionem ad ipsum, ad firmiorem constantiam juravit, vovit, promisit, & ratificavit, prout eædem bullæ, & literæ attestantur & latius patet publico instrumento inde confecto & manu propria ipsius Angeli Corario, qui se pro Gregorio gerebat subscripto, & roborato post electionem de se factam ad regimen pastorale, quo expresse promisit, juravit, & vovit, ut dixi, papatui cedere, & omni alia via possibili laborare pro ecclesiæ unione, nihil de contingentibus, necessariis, vel opportunis quomodolibet omittendo, & quod sic efficaciter faciet, attendet, & observabit bona, pura, & sincera fide, omni dolo & fraude cessantibus, ut scis-

ma tollatur, ut unionis sequatur integritas; quodque pro dictis promissione, voto, & obedientia & juramenti præstatione, & ecclesiæ observatione, ac omnibus & singulis supradictis absolutionem non petet seu impetrabit per se vel alium, & impetrata, seu impetranda non utetur, & sibi concessam nullatenus acceptabit, nec data potestate per ipsum alteri faciet se absolvi, seu etiam secum in aliquo dispensari; sed volet perpetuo obligatus dicto vinculo remanere. Hujus unionis conclusionem infra annum & tres menses a die inthronizationis de eo factæ in posterum mandans sub vinculo juramenti asseruit & firmavit firmiter se facturum, prout tenor instrumenti inde confecti manu propria ipsius Angeli Coriario roborati latius attestatur. An autem hæc pactio valeat et obliget ipsum electum, indubitatum est quod sic: non insisto ut ecclesiastica beneficia 28. dist. *De Siracusanæ*, 8. q. 2. *Attaldus*; licet electio a principio sub pacto fieri non possit, ut notat Innoc. de elect. *Significasti*. Rursus sciendum est, quod dictus hic ibidem per suas apostolicas & mendaces literas impetravit, alias ministravit, Petro de Luna præfato, qui se pro Benedicto XIII. gessit hortans & invitans eundem ad hunc pacis & unionis effectum, offerens se papatui, & juri suo cedere, & renuntiare, & quod sic efficaciter faciet, & adimplebit, si & quando Petrus de Luna prædictus juri, & papatui suo cedet, dummodo cardinales collegii utriusque velint simul convenire, ut unici Romani pontificis electio sequeretur; Oratoresque missurum in his literis testabatur, ut secum de loco habili, & decenti cum hujus rei perfectione disponat. Moxque tales misit, qui a dicto Angelo Corrario speciale mandatum habentes, cum eodem Petro de Luna suisque cardinalibus capitula formaverunt, locumque sanxerunt, & communiter elegerunt civitatem Saonam idoneam in præmissis, ubi deberent ambo simul dicti domini cum collegiis suis pro unione ecclesiæ exequenda personaliter convenire, ibique adesset cum dictis collegiis in festo S. Michaelis in fine mensis Septembris, salvo nisi propter impedimenta navigationis dictus Gregorius tunc impediretur, quo casu debebat adesse in festo omnium Sanctorum tum proxime sequente. Qui quidem tunc Gregorius, si dicta prorogatione uti voluerat, debeat notificasse dicto Benedicto tunc XIII. per totum mensem Julii tunc proxime sequentem, prout tenor dictorum capitulorum probat manifeste, quamquam turpiter resiliverit & resiluerint a promissis, & cum æterna eorumdem damnatione in proprio nostro quod subticeo, quia res ipsa loquitur. Nam in hoc tam felici, tamque beato mentis proposito sinistris adversantibus suasibus maxime fratrum, nepotumque ipse Angelus deliravit, atque etiam delirarunt, contra rectum sanctumque humanæ mentis propositum solida & constanti deliberatione vallatum. Quantum mortali fas sit animo, factum fuit, ut libertas arbitrii parum aut nihil eis valuerit ad beatitudinem assequendam. Hi enim paternæ pietatis obliti, flagitiosis & fraudolentis machinationibus unionem ecclesiæ, consolationem solidam populi christiani, & pacem ecclesiasticam propulsarunt. His pro præludio jam præmissis, redeo ad propositam quæstionem. An iste Angelus Corario detestandus, quem mundus erroneum vocat, & appellat, fuerit privativo crimine irretitus; et dico quod sic: quia pluries requisitus per literas & oratores serenissimorum principum, atque ducum, comitum & dominorum totius christianitatis, & DD. cardinalium, qui secum tunc temporis assistebant; quod juraverat, voverat, promiserat, & capitulaverat, recusavit opere adimplere. Qui enim alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ principatus sui gratia falsas, ac novas opiniones gignit, vel sequitur hæreticus est dicendus, 24. q. 3. *hæreticis*, nam promissionem juramentum & votum hujusmodi per se factum & populo Christi impertitum satagebat infringere novis & erroneis intellectibus adinventis, cum aliquem lædere quisque non valeat apud Deum, 22. q. 4. *qui pejerare*. Est enim Deus duplicitatis aspernator, & simplicem intentionem considerat: verborum artem aspernatur & odit, dicit textus in d. cap. *qui pejerare*. Fuit namque in suo errore pertinax manifestus, & nunquam suo paratus corrigi de errore. In suo ultimate se errore firmavit, detrectans, & aspernans suasus quoslibet ecclesiasticæ unionis; cum cauta sollicitudine ipsius ecclesiæ quærere debuerit unitatem. De cujus integritate informari tenuit opere impudente. Unde hæreticus est censendus, 24. q. 2. *dixit Apostolus*. Qui enim obstinata mente, & studio suos defendit errores, is hæreticus judicatur, de hæret. *quicumque*. Et probatur in lege militis ff. de re militari; noluit enim adhortationis monitores audire contra doctrinam apostoli: hæreticum, inquit, hominem post primam & secundam correctionem devita, d. cap. *dixit apostolus*. Lapsusque est in errorem audacia suæ præsumptionis seductus ab erroribus convinctorum, ideo hæreticus dici debet, ut dicto cap. *dixit*. Cumque pravum saperet, ut sanum, rectumque unionis ecclesiasticæ gradiretur, suosque pestiferos, ac mortiferos errores conregeret, resistens contumaciter emendare, se in suis erroribus defensavit; ideo hæreticus est censendus 24. q. 3. *qui in ecclesia*.

Asserebat enim, quod, & se pertinaciter defendebat ad hujusmodi juramenti, voti, & promissionis observantiam minime obligatum, cum hæc sit hæresis manifesta; & hujusmodi asserens, ut hæreticus est censendus: nam qui asserit, & pertinaciter contemnit propositionem contrariam veritati sacrarum scripturarum seu sacrorum canonum, ut hæreticus est censendus, quia hæresis est dogma perversum, 28. q. 3. *inter scisma*. Allego pro hoc bonum textum 24. q. 1. *non afferamus*. Nam sacris scripturis non debet modo aliquo contradici, 8. dist. *ego*, & cap. *Quis nesciat*. Quinimmo dicebat hic Angelus detestandus, se non teneri ad votum & juramentum seu obligationem, quam de se fecit, videlicet cedere juri apostolatus pro ecclesiæ unione. Imo dixit hanc viam perniciosam & ma-

malam, quam tamen viam veluti sanctissimam, & optimam, dogmatizavit, prædicavit, & promulgavit, & in quamplurimis suis bullis, & cum consensu DD. cardinalium firmavit, scribens regibus, principibus, universitatibus, & communitatibus omnibus, ipsam offerens tanquam viam pacificam, & bonissimam ad ecclesiæ unionem; & nunc in reprobum sensum ducit. Unde tanquam transgressor juramenti, promissionis, & voti irrevocabilis, & obligationis factæ de re licita, & possibili, atque sancta, & utrique homini utili hæreticus judicatur, cum sacris scripturis audeat pertinax dissentire, ut dicto capite *inter scisma*, 24. q. 3. Et probatur optime in cap. *non afferamus*, 24. q. 1. Nam Numer. 3. sic mandatur a Domino. Iste est B sermo quem præcepit dominus: Si quis virorum votum fecerit Deo, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum votum suum; sed omne quod promisit implebit. Et Deuteronom. 21. sic mandatur: Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, imputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem egressum est semel de labiis tuis, observabis, facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate ex ore tuo loquutus es. Profecto hæreticum est asserere & pertinaciter defensare consequenter obtestando se ad observan- C tiam juramentorum & votorum super re tam licita, atque utili, tam honesta pro ecclesiæ unione, tam necessaria reipublicæ christianæ, se minime obligatum, quamquam Papa legibus sit solutus. De usuris ex gravi §. *ult.* in Clem. et eodem lib. ex gravi §. ultim. in Clem. & cap. 2. de summa Trinitate cap. 1. §. porro. Nonnunquam posset Romanus pontifex super hujusmodi irrevocabili voto per se, vel per alium dispensare. Sed nunc magis convinceretur manifestissimo errore, cum nihil melius reperiatur, nihil utilius, vel honestius atque sanctius, in quo hujusmodi votum valeat permutari, 25. q. 1. *sunt quidam*, ubi est textus, & probatur, 19. dist. *nulli*. Et D ideo dicebat sanctus ille papa Gregorius in homil. communi, cujus nomen hic Angelus Corario usurpavit. Lectio sancti evangelii solicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris ab auctore mundi accepimus, gravius inde judicemur; Cum enim augentur dona rationes etiam crescunt donorum. Tanto igitur humilior, & ad serviendum Deo promptior quisque esse debet ex munere, quanto obligatiorem se conspicit in reddenda ratione. Et quod pertinaciter promissa defenderit Angelus detestandus, patet ex sua diuturna captiosa; noluit enim audire correctiones, ac monitiones, vel monitores; nam magistrum in Theologia carceravit ipsum E ad voti observantiam inducentem, & DD. cardinales reverendissimos de Aquilea, & de Mediolano ad hoc missos per collationem cardinalium apud Senas, ubi tunc iste retrogradus errorius morabatur, audire contempsit, & quampluries dictis DD. cardinalibus suis pertinaciter restitit; imo & contra eos sententias injustissimas fulminavit. Item patet ejus pertinacia ex promotione postmodum

A subsequuta, nam promovit, & promovet omnes suæ hæresi assentientes. Ex quibus & aliis pertinax convincitur, ideo hæreticus est censendus; De usuris ex gravi in Clem. de summa Trinitate cap. 1. §. Porro, 23. q. 3. *qui in ecclesia*, & cap. *dixit apostolus*. Et quanquam hæreticum, dummodo sit paratus corrigi, canon recipiat & admittat, 24. q. 1. *quam dignior*; tamen si usque ad annum corrigi postergaret, amodo pro hæretico est habendus, de hæret. *excommunicavimus*. Imo post annum non debet audiri; esto quod purgare causam suam velit; 11. q. 3. *rursus*: quod pulchre disputat Ostiensis de voto in summa §. utrum. Item ex quo. Et si dicatur, ergo non valet retractatio hæreticorum post annum. Respondeo, quod immo valet, si fiat in forma, quantum ad confessionem veritatis, & veritatis testimonium, & etiam ad salutem consequendam; non autem ad beneficium & dignitatem recuperandam, nisi de novo fiat ei collatio per illum, qui potest dare; alias ubi non esset certum tempus ad hoc, tunc papa posset illudere ecclesiam temporibus vitæ ejus, si tempus retractandi non esset a jure statutum; quid enim, si semper diceret; cras, cras faciemus? Ideo intra annum debet hæreticus suum errorem corrigere, & purgare. Sic & infra annum & tres menses invicem per capitula jam præfixos, debuit Angelus iste Corario, prout juraverat, voverat, promiserat scisma tollere, papatui cedere, & præfixo, & acceptato loco Saoniæ personaliter convenire; quod cum non fecerit, nec per successum temporis ad id sæpissime per oratores christianitatis, & ejus collegium cardinalium infinitis vicibus invitatus, & pariter monitus ac etiam provocatus, hæreticus & scismaticus est dicendus, ut d. cap. *qui in ecclesiam*, & cap. *dixit* 24. q. 3. de usuris, ex gravi §. ul. in Clem. & per consequens excommunicatus, & omni dignitate, & potestate privatus, ut dicto cap. *quam dignior*, & cap. *dicimus*, & q. 1. *audivimus*, & cap. *miramur* §. His authoritatibus, & cap. *expressum* 79. di. *si quis pecuniam*, cum concordantiis ibi allegatis. Ut sibi recte conveniat psalmi verbum illud: noluit intelligere ut bene ageret, 11. q. 4. *excellentissimus*. Nam quando duo de papatu contendunt, tenetur sacro concilio & sancto synodo respondere, 2. q. 7. *Simmachus*; maxime si fuerint requisiti. Quod si non venerint, & hujus sanctæ synodi fugiunt judicium, deberent pro convictis haberi, de præsumpt. *nullus*, 11. q. 1. *Christianus*, 3. q. 9. *decernimus*, 74. dist. *Honoratus*. Quinimmo duobus contendentibus de papatu, quis ipsorum sit verus apostolicus nominandus, debet concilium convocari; textus est apertus, conjuncta glossa 79. dist. *Si duo*. Errans itaque contra fidem, qui non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, pertinax hæreticus est censendus, 24. q. 3. *dixit apostolus*. Cum ergo tam Angelus Corario supradictus, quam Petrus de Luna recusarint, vel quomodolibet impedierint, ne error eorum rite, et legitime examinaretur in dicto concilio generali, non cauta solicitudine veritatem quærentes, sunt ut pertinaces hæretici judicandi, ut ex præmissis pa-

patet aperte; nam qui male agit, odit lucem, Jo. 3. de pænit dist. 1. *omnis qui*. Quinimmo posset dici, sub dubio forte, quod propter ipsorum hæresim manifestam non erat expediens ipsos requiri ad cedendum papatui, cum jam contenderent de papatu. Nam jure divino, & humano sunt ipso jure omni apostolatu privati. Patet Matth. 23. & est expressum 79. dist. *si duo*; & quanquam hic Angelus detestandus, & Petrus de Luna præfatus non cesserint papatui, ut promiserunt, ac firmaverunt, non tamen minus hæretici sunt censendi 19. dist. *Anastasius*, 24. q. 3. *hæresis*, & in d. cap. *Anastasius*, & est expressum de Anastasio papa, qui hæreticus mortuus est, nec cessit papatui: similiter legitur de Leone papa, & de Liberio, & alii scismaticis, quorum paucissimi, & fere nulli renunciantes fuerunt. Concluditur ergo præfatos, Angelum Corarium, & Petrum de Luna fuisse & esse hæreticos & scismaticos manifestos, quia hæreticus dicitur omnis ille, qui non tenet ecclesiæ unitatem, per sententiam Ostiensis de hæretic. in summa §. in fine. Quinimmo hæreticus deprehenditur, qui levi saltem argumento & suppositione licet non gravi judicio catholicæ religionis & tramite, sive a fide catholica detegitur deviare, cap. de hæretic. l. 2. Et sic eo casu indicia fidem faciunt arg. ff. ne vis fiat ci. l. Si quis, & de Carbo edit. l. Carbon §. causæ cognitio; quod tenuit Ostiensis de hæreticis §. 2. & intelligitur leve argumentum I. probabile quod quis de facili appareat, vel si gravis infamia laboret contra eum. Quid enim si non vult jurare? certe pro convicto habetur secundum eum. Sic & ille qui fovet scisma, & votum cessionis omissum sub vinculo juris adimplere recusat, pro hæretico est censendus, & pro convicto habetur. Sic debet intelligi de hæretici. Excommunicamus §. adiicimus, & §. Si quis autem; quia hæreticus dicitur qui sola suspicione habetur notabili, licet non gravi, quæ considerari debet juxta qualitatem ejus & personæ, dicto §. qui autem. Quod aatem iste Angelus noster, Errorius vocatus, fuerit de præmissis graviter cum scandalo infamatus patet lippis & tonsoribus, & rei satis demonstratæ frustra adiicitur alia demonstratio; ff. de do. prolog. l. 1. & manifesta probatione non indiget ff. de integrum restitutione l. 1. 2. q. 1. de manifesta. Est enim hoc notorium toto orbi, & ipsa rei evidentia demonstratur & oculo videtur, & digito tangitur; ideo probatione non indigent secundum doctrinam Innocentii de elect. *Venerabilem*, & si fiat probatio eo casu fit ex superabundanti, ut dicitur cap. de manifesta, & q. 1. Quinimmo litteræ sub bulla minutæ transmissæ per ipsum Angelum regibus, principibus, universitatibus, comitibus, dominis, & prælatis faciunt rem hanc esse notoriam, & ipsum Angelum notorium scismaticum, & hæreticum manifestum, quoniam bullæ pontificum Romanorum, & regum scriptura vel canonum notoriam rem faciunt, & designant, ut Barbarum fuisse prætorem, secundum Baldum alibi. Accedat quod ipse scribit in l. ultima cod. de accus. & in l. Barbarus cum sua materia ff. de officio prætoris. Quinimmo & gesta judiciorum, & omnia acta publica, quæ pro nostris ponuntur, dicuntur esse notoria *l.* 2. de origine juris, Cod. qui & adversus quos *l.* 1. & quod notorium in *l.* finali de interrogatione accu. & vocant Doctores hoc notorium juris. Fateor tamen, quod ex sola suspicione, quamvis vehementi, non tamen probabili quis de hæresi non damnatur ex quo negat, & paratus est ecclesiæ obedire. Sed ex suspicione & obstinatione & lapsu anni & trium mensium ad tollendum scisma, & papatui cedendum in literis Apostolicis instrumento inde confecto a capitulis expressato contemnendo ecclesiæ unitatem, ac in Petri claves, ut dicit cap. ult. de poenis, & cap. de Excessibus Prælatorum, cap. ult. Alias si sola suspicio habetur quasi vehemens, & paratus sit errorem corrigere, admittitur secundum Ostiensem, de hæres. in summa §. 2. verbo, *ergo sola suspicio*. Quanquam iste Angelus Errorius nuncupatus suum errorem in pertinacia tenuerit impudenter inrevocabilis indocilis, ac obstinatus, in perniciosum illius exitium & virus mortiferum detestandi scismatis novis machinationibus protrahendo, testetur Christi populus ipse scissus. Is enim rebellis ecclesiæ hæreticus judicatur ut in symbolo & cap. de hæret. de summa Trinit. l. I. Quis ergo illum hæreticum non affirmet? certe nullus; de usur. & gravi §. ultim. in Clem. de S. Trinit. cap. 1. §. Porro 16. q. 1. *Nos autem*. Qui a statu fidei, & religionis retro stetit, 27. q. 7. *non observetis*, perfidia insectatus, 2. q. 7. Non potest; in malo proposito tam perseveranter, quam permanenter insistendo dicto cap. 1. §. Porro, de Summa Trin. in Clem. per gloss. pertinax ut ejus perseverantia detestanda, a bono retrograda graviori gehennæ incendio sit plectenda, 90. d. *Si quis monachus*, & cap. seq. Cum perseverantia delictum augeat Cod. de super ex hac l. 1. lib. 10. ff. incffit. test. Papinianus §. meminisse de poenit. dist. 1. cap. 1. Et ideo cautum est, quod qui non est membrum ecclesiæ, hæreticus judicetur in aut. de privil. doct. col. 8. & probatur 4. q. 1. cap. 2. Sic & qui communionem catholicæ ecclesiæ non recipit, hæreticus judicatur. In autent. de privilegiis Doctor. v. *sacram communionem*. Quis ergo illum negabit hæreticum, qui unionem ecclesiæ præter vinculum juramenti, promissionis, & voti tam pertinaciter opere recusavit, ut dicto verbo igitur, & qui se a communione fidelium & sui collegii est divisus? Hic enim hæreticus est censendus, 4. q. 1. *Quod autem*. Quis illum dubitet hæreticum affirmare, qui Romanæ ecclesiæ privilegium ab ipso summo ecclesiarum capite traditum auferre conatur in hostem ecclesiæ transferendo ecclesiæ facultatem, 22. dist. *omnis* de hæretic. *firmissime* cum sacrilegus judicetur, qui alienat ecclesiæ facultates, 17. q. 3. *omnis*. Quis illum non prædicet hæreticum, & affirmet, qui hæreticalia facta egit? argumentum cod. de injur. *Si non convitii*, de hæretic. cap. 2. l. 6. 23. q. 5. *Si nos*, & de hæret. ad abolendam §. præsenti & cap. *Excommunicamus*. Quis illum hæreticum non affirmaret, qui

uni-

universalem ecclesiam perturbavit ? 9. q. 3. *per principalem*; & statum ecclesiæ destruere est molitus, 8. q. 1. scandalizando ecclesiam, & per consequens ipsum Deum, 93. dist. *nulla ratione*, 8. q. 1. *qui vos*; cum hæc sit sufficiens causa removendi ab omni dignitate contra pacem si quis esset, 24. q. 1. *qui contra pacem*. Et ideo alibi dicit canon, quod ligandi & solvendi potestatem non habet, qui unitatem pacis catholicæ non tenet, 24. q. 1. *omnibus*. Est etiam occulte hæreticus & excommunicatus ipso jure, 24. q. 1. cap. 1. de hæretic. *Excommunicamus*. Ipsi etiam hæretici non habent auctoritatem nec jurisdictionem, 24. q. 1. *dicimus*; & ibi patet, quod excommunicati hæretici non possunt absolvere, vel ligare, ut in cap. *Audivimus*: nam pro non dato habetur quod datur ab eo qui dandi potestatem non habet, de jur. pa. *Quod autem*; est enim hæreticus proprio ore & proprio judicio condemnatus secundum Apostolum ad Titum 3. 11. q. 2. *Excommunicatos*. Et ipso facto sine aliqua sententia ipse Angelus & Petrus de Luna præfati se ipsos ut hæreticos condemnarunt a fratrum suorum cardinalium sede divisos. Patet 1. q. 1. *Si quis de ecclesia*, ubi dicit litera, quod si quis de ecclesia violenta præsumptione exiverit, a semetipso damnatus est; & dicit ibi glossa, hic est casus in quo papa papam ligare potest, quia si papa efficitur hæreticus, est minor quolibet catholico, 1. q. 1. *fecimus*. Probatur hoc etiam, 16. q. *vel sane*, ubi dicit glossa, quod a communione Timothei Episcopi CPolis 40. Episcopi recesserunt, quia inciderat in hæresim jam damnatam, & sic sententia canonis erat lata in ipsum, & patet 19. dist. *Anastasius*. Quot autem modis quis hæreticus censeatur, late patet 24. q. 3. *quidam autem hæretici*, ubi ponuntur octo sectæ hæreticorum, quas Isidorus retulit Ethymolog. cap. 2. & notantur plene per glossam & Archid. 24. q. 3. *quia vero*. Conclusio est, quod multipliciter quis hæreticus judicatur, dicuntur enim hæretici qui contra statuta Patrum dicunt, 25. q. 2. *Si ea destruerem*. Item hæreticus dicitur qui falsas opiniones gignit, 24. q. 6. *hæreticus*. Item dubius in fide, de hæreticis cap. 1. & qui sacramenta pervertit, 1. q. 1. *fertur*, & cap. *quisquis*. & cap. *Eos qui*, 6. q. 1. §. *sed licet*. Item excommunicatus; nam qui non est membrum ecclesiæ pro hæretico judicatur in autentica de privil. Doct. post prin. col. 8. & probatur 4. q. 1. cap. 2. Item omnis ille, qui male interpretatur sacram Scripturam, 24. q. 3. *hæresis*; & qui novam opinionem invehit, eadem quæstione *hæreticus*, 38. dist. *relatum*, dicitur etiam hæreticus, qui privilegium Romanæ ecclesiæ ab ipso sanctissimo ecclesiarum capite traditum conatur auferre, 22. dist. *omnis*; & qui communionem catholicæ ecclesiæ non recipit, in aut. de privilegiis, de potestate principum v. *Igitur sacram communionem*: dicit namque canon, quod si quis a catholica ecclesia fuerit separatus, quantumcumque laudabiliter vivere se existimat, hoc scelere, quod a christianitate distractus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet su-

A per eum, 22. q. 4. *Si quis catholica*; qui enim se ab ecclesia dividit, hæreticus judicatur; hoc Græcum nomen secundum Isidorum Latine divisionem sonat, quæ divisio fit per electionem voluntatis, quia sibi eligit disciplinam, quam putat meliorem, ita dicit Jo. 33. q. 4. *hæresis*. Item consistit hæresis in voluntate deliberata, & electione cum divisione unitatis, & ab ipsa separatione, 1. q. 7. *querelantibus*. Item 24. q. 1. *qui alicujus*. Est etiam hæreticus, qui transgreditur præcepta legis Apostolicæ & qui vult repugnare decretis, & literis apostolicis, 18. dist. *Nulli*; & qui eas non recipit, 20. dist. De libellis; & qui adversatur catholicæ fidei secundum Innocentium
B de summa Trinitate *Firmiter*, & cap. *damnamus*, & de hæret. excom. & qui adversatur paci ecclesiæ hæreticus judicatur, 24. q. 1. *contra pacem*. Item rebellis eccl. hæreticus judicatur, ut in symbolo, & C. de sum. Trin. lib. 1. Item si quis per annum ex quacumque causa in excommunicatione steterit hæreticus judicatur secundum summam Ostiensis de hæret. §. 2. in fine, & de voto §. Verum v. *Item ex quo*; & qui suos defendit errores appellatur hæreticus manifestus, de verbor. signif. *super quibusdam*. Item præcepto deformans habitaculum ecclesiæ, 24. q. 1. *quæ digno*. Item transgressor canonum credens Romanam ecclesiam non habere po-
C testatem condendi canones, est ut hæreticus puniendus, 39. dist. *nulli fas*. Sunt etiam alii plures casus, ex quibus quis hæreticus judicatur, quos non prosequor, esset enim laboriosum, potius quam utile: sufficit aliquos retulisse; nam fere omnibus modis supradictis, & causis superius allegatis præfati Angelus Corarius, & Petrus de Luna hæretici judicantur. Advertendum tamen est, quod sive sit papa, sive imperator hæreticali labe pollutus, ipso jure sunt omni dignitate privati, & in hoc concordant omnes, & probatur 40. dist. *si papa*, 34. q. 1. *qui contra pacem*, de hæret. ad abolendam, § 1. & 2. Sic & si papa scismaticus argueretur,
D exutus esset ipso jure omni pontificali dignitate, quoniam idem crimen est hæresis, & schisma judicatum, & firmatum, & inveteratum secundum sententiam Ostiensis de scismat. §. qua poena, v. *nec obstat*, & tenent doctores in cap. *licet*, & de evitanda de electio: Et probatur 23. dist. In nomine omni; & dixi late in proximo præcedenti discursu; & his casibus degradatus traditur curiæ sæculari, ut ibi cum ultimo supplicio sit puniendus, cod. de hæret. *Amani*; de poenis l. ult. de consuetudine; tamen tales cremantur: Nam & crematio ultim. supplicium est, ff. de poenis l. *capitulum*. Fallit, nisi redire voluerit ad agendam poenitentiam, in carcere
E detrudendus, de hæret. excom. §. *damnati*. Concluditur ergo ex omnibus præmissis Angelum, & Petrum de Luna præfatos convictos de hæresi & scismate infallanter, & dicam in discursu quartæ principalis quæstionis, & sic a papatu ipso jure privatos, 28. 29. & dist. *Si papa* 2. q. 5. *præsul.* cum concord. superius allatis.

Quis ergo bene instructus negabit illum hæreticum et scismaticum manifestum, qui a suo proposito laudabili atque sancto retrorsum tanto cum dolore, et scandalo exorbitavit suæ legis atque voti, & juramenti irremissibilis transgressor existens, factus exinde infamis & abominabilis apud omnes 4. dist. §. de tregua, & pace, & cap. *pauper*, Joannes Andreas in cap. *generali* de elect. lib. 6. in glossa q. incipit *contrafaciens* promissionis juramenti vallatæ voti tam liciti et honesti pro ecclesiæ unione papatui cedere, et irremissibilis factus temerarius violator, hic enim indubie scismaticus, et hæreticus est dicendus: adduco bonum textum 24. q. 1. *non afferamus*; et quod notatur de jurejurando debitoris; nam ambo dicti domini satagentes ecclesiam Dei scindere in fine penitus errraverunt, peccando in illum articulum, *credo in Spiritum S. & sanctam catholicam ecclesiam*, 24. q. 1. *advocavit*, et quatuor cap. præcedent. Vestimentum enim Dom. scissum non fuit; sed de eo sortiti sunt, quia ecclesia scindi non debet, sed tota in unitate consistit, 16. q. *ut sicut domini vestimentum*. Et licet scisma ab hæresi differat in principio, tamen si perdurat, cadit in hæresim secundum Ostiensem, et Joan. Andræam, et omnes doctores, quia fingit ab ecclesia recte recessisse. Et ideo constat hæreticus 24. q. 3. *inter scisma*. Unde et eodem modo papa scismaticus sicut papa hæreticus apostolatu privatur secundum Ostiensem, qui hoc tenet aperte de scismate in scisma §. qua poena 10. et docent, et tenent doctores in cap. *licet* de evitanda, de electione, et probatur 23. dist. *in nom. domini*; & dicto capite *advocavit* superius alleg. Quisquis igitur ab apostolicis divisus est sedibus, in scisma eum esse nemo dubitat.

Et qui contra universalem ecclesiam altare conatur erigere 23. q. 5. *non vos*, ubi dicit textus, quod qui a communione semetipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, et noluit vocanti collegio consentire, et eidem acquiescere, hunc omnino damnare, nec unquam, vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Profecto de his duobus, Angelo Corario, et Petro de Luna scandalizatoribus ecclesiæ orthodoxæ, et eorum flagitiosa, et abominanda et nefaria vita profetizando loquebatur apostolus ad Timot. 3. Hoc autem, inquit, scitote, quia novissimis temporibus erunt homines se ipsos amantes, resistentes veritati, homines mente corrupti, reprobi contra fidem: Et hos devita; pervenerunt namque peccata eorum usque ad cælum; et recordatus est Dominus iniquitatum eorum Apoc. 18. Quis igitur ex vobis arguet me de peccato, si veritatem dico vobis Jo. 7. de hæret. *cum ex injusto*.

Circa tertium principale quæsitum, quando papa irretitur de hæresi vel scismate, quis erit judex competens in prædictis? Istam quæstionem ponit Joannes Andreas de hæret. in fi. lib. 6. super verb. *favorem*, et notatur 17. dist. §. Hinc etiam, ut et concludit idem Joannes sequendo Archidiaconum, quod hujus criminis competens judex est concilium, 17. dist. 9. *Hinc etiam* v. *ad hoc* 2. q. 7. *Simmachus*. Aliud est §. Item Symmachus; alias est sub §. item si Balaam in fine, quia omnibus major est urbe 15. diæ. *sicut*, et cap. *nemo* 11. q. 3. Quod dicit quia nemo judicabit primam sedem, intelligit de papa catholico et fideli; et hoc habet de indubitato de papa vivente; sed si papa defunctus de hoc accusetur, quæritur an ejus successor sit judex competens, ita quod ad agnitionem non sit necesse concilium convocari; et concludit quod sic; patet ex his quæ notantur 24. q. in cap. 1. Et an de hæresi post mortem possit quis post mortem a populo accusari, notat plane Joannes Andreas post Jo. Mo. de præscriptionibus cap. 2. lib. 6. et notatur de hæret. accusatus §. eodem libro. Et subdit dicitur Joannes in d. cap. in fidei favorem quosdam tenere, quod quamvis in concilio probetur contra papam tale crimen, non tamen papa damnabitur per concilium, sed ipse damnabit se ipsum, 21. dist. *nunc autem*; sed Archidiaconus, quem ipse sequitur, tenet contrarium, quod per concilium damnari poterit per cap. *si papa* 40. dist. ad finem: Et hoc, ut dixi, habet pro indubitato de papa vivente. Quinimmo quando duo contendunt de papatu, quia quilibet ipsorum dicit se esse verum apostolicum, debet ad hoc concilium convocari, quod de hoc cognoscat; et ipsum concilium, et non cardinales, est judex competens in præmissis; textus est conjuncta glossa 79. dist. *si duo*. Sed hic insurgit dubium, an concilium Pisanense fuerit ad hoc convocatum legitime. Non videtur quia dicti Gregorii tunc licentia, et auctoritas non intercessit; nam sine papæ licentia, & auctoritate non potest generale concilium convocari. Et alias convocatum non concilium, sed conciliabulum dici debet, 17. dist. *multis* et per *totam* illam distinctionem, et cap. *generalia*, et cap. *de conciliis* notatur in Specul. de leg. §. *superest videre* v. *sed nunquid legatus ecclesiæ Romanæ*, cum remission. et in cap. *Grave* de præbendis, et notatur de his, quæ fiunt a plur. cap. ult. et de offi. leg. quod translationem in gloss. et plenius super ea. Constat autem, quod cardinales, qui illud consilium convocaverunt, et ipsorum collegium, jurisdictionem papalem exercere non posse. De lib. cap. 2. cl. Ideo quidquid factum fuit in eo concilio, caret robore et firmamento, de el. *quia papa*, de poenitent. dist. 2. *charitas*. Illud enim quod impedit faciendum, resolvit jam factum, ff. de fur. *l. inter omnes* .§. *recte*, conjuncta lege *Uranius* §. 1. de Fideicommissoribus. Præterea cardinales in facto proprio judices esse non possunt, ut d. cap. *si duo* 79. dist. in glossa. Contrarium est veritas indubitata, quoniam hic quod dicitur in juribus superius allatis de licentia et auctoritate papæ debet generale concilium convocari, locum habet quando papa est catholicus; secus autem si esset a fide devius vel scisma foveret ecclesiæ, ut fuisse, in proposito præcedenti discursu legitime est monstratum. Item locum habet, quando esset unus papa indubitatus; secus autem si inter duo esset contentio de papatu, quia tunc collegium cardinalium ex duobus collegiis factum, unum poterit concilium convocare, cui competit eo casu potestas concilium convocandi secundum glossam in d. cap. *Si duo*, 79. dist. Et hoc fuit de mente Joannis Andreæ in d. cap.

in

in fidei favorem de hæret. lib. *6*. Præterea recusante papa concili. convocare aut de petitis contra eum in concilio respondere poterit absque ejus auctoritate concilium convocare; patet 17. dist. §. *Hinc* in verb. *ad hoc*. Cum ergo Angelum Corarium supradictum, et Petrum de Luna totus populus christianus hæreticos scismaticos prædicaret, rationibus et causis, supra in præcedenti discursu latissime explicatis, et sic per consequens omni pontificali dignitate ipso jure exutus, 79. dist. *Si quis pecunia*, 24. 1. *si quis de ecclesia*, 19. dist. *Anastasius* 40. dist. *si papa* cum similibus infinitis optime potuerunt præfati cardinales et ipsorum collegium ex duobus collegiis factum unum concilium convocare, quoniam solum concilium vulnerato pastore curandis ovibus adhibet medicinam, cum non debeat papa in facto proprio judex esse, sed arbitros eligere, 16. q. *6*. *consuetudo*, et consequenti. Cum ergo sedes Petri vacare per catholicos justissime diceretur, optime potuerunt cardinales illud concilium convocare, quia vacante sede jurisdictionem papalem permittitur cardinalibus exercere, ut ad electionem canonici unici Romani pontificis veniatur, de elect. *ubi periculum*, lib. *6*. et probatur in cap. 1. de scismate eodem libro, quia vacante sede potest ecclesia adunari, et etiam papa errante, ut patet Actuum 15. et Galat. 1. de Paulo reprehendente Petrum, in quo concilio Jacobus Jerosolymitanus præfuit, et non Petrus. Præterea cardinalium coetus in hac possessione, qua ardua quæcumque negotia ipsorum consilio mutentur et terminentur, ut notat Joannes Andreas post Jo. Mo. de hæretic. super eo lib. *6*. v. *nostrorum concilio*, et ibi plura exempla recitat. Præterea in causa fidei potest et debet concilium convocari, sicut patet in concilio episcoporum et sacerdotum coadunato tempore Marcellini, in quo data fuit audientia Marcellino, qui thura jactaverat Idolo, 21. dist. *nunc autem*; quia dubitabant episcopi, quo animo hic fecisset, an videlicet animo abnegandi Christum, an timore mortis. Idcirco videlicet ab ipso expetierunt, qui solus ipsos certificare poterat dicentes. *Tuo ore causam tuam judica*. Constat enim si illud animo abnegandi Christum fecisse se respondisset, ipse papa non erat, quia hæreticus factus omni dignitate privatur. Immo minor est quolibet catholico, 24. q. 1. *Acatius*. Et sic illud concilium fuit adunatum absque auctoritate Papæ. Aut si thura jactavit timore mortis, qui cadit in constantem, quocumque modo istud concilium fuit pro causa fidei adunatum et coactum. Et ipse papa ipsorum judicio se submisit. Et ibi quærit glossa, quare ipsum non judicaverit, quia confessus est hæresim incurrisse; et respondet, quia ipsum viderunt paratum corrigi, ideo non fuit depositus, 24. q. 3. *dicit apostolus*. Nam si vidissent ipsum pertinacem, proculdubio apostolatu ipsum privatum annunciassent. Cum ergo causa fidei sit communis, 86. dist. verb. *nam*, et ad universale concilium debet deduci, et maxime in casu nostro, nam ex illo duorum, Angeli Corario, et Petri de Luna contendentium de papatu hæresi notoria tota Romana ecclesia conquassatur. Idcirco ad determinandum de ipsis universale et generale concilium extat convocandum, 79. dist. *si duo* in gloss. 10. Sic cum fuit ad deponendum Anastasium II. cardinalium et episcoporum concilium convocatum 19. dis. *Anastasius*; sic etiam fuit epis. conc. convocatum ad deponendum Joannem XII. et non propter hæresim, sed propter incorrigibilitatem; quia venator et lubricus erat. Fortius ergo in casu nostro debuit concilium convocari. Non est minor causa præsens, quam illa, quia quælibet est de hæresi et ecclesiæ scandalo manifesto per cardinales quibus maxime notæ erant, ut sunt hæresis et pacta illorum contendentium de papatu. Et quod potuerit congregari, et convocari concilium absque licentia & auctoritate papæ recusantis illud convocare, & se subiicere judicio episcoporum, & prælatorum de his, de quibus ipse impetitur, patet aperte 17. dist. §. *Hinc autem* v. *ad hoc*, & notatur secund. q. 7. *Simmachus*. De multiplicibus autem conciliis, & eorum tempore hactenus celebratis refert Joannes Andreas de his quæ fiunt a pluribus cum apostolica in fine de elect. Nonne de incept. de decim. *nuper* lib. *6*. Præterea periculosum est dicere, & penitus inhumanum, quod non liceat papam accusare, nec possit ab aliquo judicari, quia immo potest ab Evangelicis, qui Angelos & Angelos judicabunt, ut dicit Apostolus ad Cor. 2. maxime quando a fide exorbitat, patet 2. q. 7. *Paulus*, & cap. *Sacerdotes*, & cap. *Oves*, ubi Paulus Petrum reprehendit, qui erat papa. Patet ad Gal. 2. Ideo Augustinus in libro Soliloquiorum dicebat, quia prælati non debent se non reprehendi præsumere, pro eo quia canones non eos passim constituant accusandos; quod tamen negatur solis criminosis, cum de reprehendendo veritas ipsa constituat, 2. q. 7. *præsumunt qualiter*; neque enim præsumimus, sed possumus, debemus vexare malos, ut cessent a malo, 23. q. 3. *jam vero*. Item ecclesia, quæ congregatio fidelium appellatur, cogere debet malos ad bonum, sicut Christus Paulum coegit, 23. q. 6. *scismatici*; & habemus de hoc exemplum B. Gregorii invitantis omnem eum reprehendere volentem, 2. q. 7. *Si quis nos*. Ubi patet, quod subditi prælatos suos possunt reprehendere, & accusare, ut patet in cap. seq. exemplum de Paulo archiepiscopo civitatis episcopo accusatus extitit & convictus de lapsu carnis, propter quod fuit depositus & alius loco ejus substitutus papa & de suis erroribus & defectibus damnatus patet 2. q. 3. *præsul*, & ibi glossa quod in condemnatione papæ duo testes sufficiunt; & in hoc est deterioris conditionis, quia sicut cooperatione aliorum creatus est major, ideo sine spe veniæ damnandus est ut diabolus, ut dicitur 2. prin. & extrav. de test. de pœ. & cap. *Super eo*. Præterea quando papa argueretur de hæresi etiam occulta, debet episcoporum concilium convocari, ut patet 15. dist. *sicut* in fine, & cap. *expressum* 2. q. 5. *mandastis*. Quod hic Angelus maledictus per crebra consilia, legationes quamplurimas laboriosissimas, sumptuosas omnium pene christianitatis regionum facere semper pertinaciter

ter recuſavit. Sed hic incidit dubium, an cardinales potuerint, & debuerint recedere ab obedientia dictorum Angeli Corario, qui ſe pro Gregorio XII. gerebat, & Petri de Luna, Benedicti XIII. nuncupati, antequam de impetitis criminibus eſſent per ipſum conventum concilium condemnati. Non videtur per caput *Nonne* 8. q. 4. ubi dicit textus, quod lex eccleſiaſtica pontificem ab aliis accuſatum &c. & extrav. *ut lite pendente* cap. 2. Nam alibi dicit textus, quod ſi quis a catholica eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter vivere ſe exiſtimet, hoc ſcelere, quod ab eccleſia disjunctus eſt, non habet vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum, 23. q. 3. *Si quis catholica*. In contrarium eſt veritas, quia in exemplum culpa vehementer oſtenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur, 83. diſt. *Nemo*. Nam papæ ſciſmatico, vel hæretico nullus debet reverentiam & honorem; quinimmo quando prælati ſunt hæretici, ſciſmatici, vel excommunicati, vel non ſervant canones, vel ſunt ſimoniaci, vel notorii fornicatores, poteſt & debet ante ſententiam ab eis recedi, 19. diſt. *nulli* 16. q. ultim: *ſane*, 22. diſt. *Nullus*; & in papa eſt expreſſum 19. diſt. *Anaſtaſius*. in illis clericis & cardinalibus, qui receſſerunt ab obedientia & opinione papæ Anaſtaſii II. qui favebat Acatio. Item habemus de Joanne XII. a quo cardinales ſe tanquam ab hæretico ſepararunt; quinimmo de ſolo ſciente papam finxiſſe hæreſim, ſeu ſciſma abſque eo quod de illis prædicet, potes & debes ab ejus obedientia reſilire, 23. q. 1. cap. 2. & eſt ratio prædictorum, quia non eſt cum hujusmodi hæreticis ſciſmaticis vel excommunicatis verbo, cibo, vel ſalutatione, neque quomodolibet participandum, 11. q. 3. *excommunicatos*, & cap. *cum excommunicato* de ſentent. excommunicationis *noverit* 24. q. 1. *Omnis*, & cap. *miramur* de ſent. excommunicationis, *quod in dubiis*; unde ſcribitur Num. 26. recedite a tabernaculo hominum impiorum, & nolite tangere quod ad eos pertinet, ne involvamini in peccatis eorum, & probatur 24. q. 1. *omnis qui*, & q. 1. *Si quis inquit*, & quod dicti domini cardinales deberent ab illis hæreticis & ſciſmaticis ſeparari contendentibus de pap. ceu hæreſi notoria, quod patet 1. per exempla de Clericis Romanis recedentibus ab obedientia papæ Anaſtaſii hæretici, ut dicebam, quod ex hoc ab eccleſia laudantur 19. diſt. *Anaſtaſius* in gloſſa. Item habemus exemplum de 40. epiſcopis, qui receſſerunt ab obedientia Metropolitani hæretici, qui condemnabat ſacra concilia, 16. q. *Ut ſane*. Item patet exemplo de Ermenegildo regis filio, qui eum permiſit occidi, qui cum hæreticis participare in facto ſacramentorum, & perceptione corporis Chriſti, de quo eccleſia laudatur, 24. q. 1. *cœpit Ermenegildus*. Item habemus exemplum de populo Iſrael, qui divino præcepto ſeparavit ſe a tabernaculis Datan, & Abiron, quia murmuraverunt contra Moyſem, Numer. 16. quod figurat fugiendos, & ſeparationem ab hæreticis & ſciſmaticis, & ſimoniacis, 1. q. 1. *Si quis inquit*, ubi clare de hoc. Item habemus exemplum aliud 23. q. 1. *omnis qui credit*, de ſancto Polycarpo epiſc., qui videns Cherintum hæreticum in balneis, ipſe lavari, ut indigebat, noluit, propter illum; ſed dixit: fugiamus hinc, ne balnea corruant, in quibus Cherintus tunc lavabatur inimicus veritatis. Item patet exemplo in chronicis B. Euſebii recedentis a communione Liberii papæ hæretici, & Valerii recedentis a Leone papa hæretico, & ideo dicit B. Ambroſius 24. q. 1. *quam dignum*, quod fides in primis quærenda mandatur: Si vero perfidus prælatus, aut præceptor hæreticus habitaculum eccleſiæ deformaret, vitanda eſt hæreticorum communio, & fugienda Synagoga cenſetur, excutiendus pedum pulvis, ut ibi. Et eſt ratio rationum omnium præmiſſorum quia dicti D. card. videntes dictos Angelum & Petrum de Luna ab unione promiſſa penitus deviantes, perverſoſque ſciſmaticos, & eccleſiæ ſcandalizatores, ſi cum eis degerent, ſe ipſos illorum facerent participes de errore; qui enim juſtificat impium & condemnat juſtum, utique eſt abominabilis apud Deum, Prov. 17. & alibi dicit textus, quod qui peccat, & peccanti conſentit, uterque damnatur 11. q. 3. *Ita corporis*, ut adverſus ipsos cardinales errorem illorum defendere ſatagentes dici digne potuiſſet canonis verbum illud, quia prævaricationem eorum tegere argumentis ſuis, & ſub quadam juſtitiæ ſpecie fucatis, quibuſdam & exquiſitis adinventionibus æquitatem obruere ſtuduerunt, fuerunt ab omni regimine & dignitate depoſiti, d. cap. *Ita corporis* 11. q. 3. Nam qui alterius errori conſentit, ſciat, ſe cum illo ſimili modo culpabilem judicandum, 11. q. 3. *qui conſentit*, 3. diſt. *quod enim*. Unde dicebat gloſſa 2. q. 1. Notum, quod conſentire quis dicitur tribus modis, primo ſi ad hoc cooperatur 1. q. 1. *Si quis epiſcopus*. ſecundo cum non corrigit quos ex officio corrigere tenetur 83. diſt. cap. 1. & 2. diſt. *inferior*. Tertio modo, cum defendit peccantem, vel cum ſua auctoritate relinquit, 11. q. 3. *qui aliorum*. Si quis ergo ex cardinalibus ſupradictis altero dictorum modorum ipſorum Angeli Corario & Petri de Luna conſentiret erroribus, hæreticus diceretur. Non enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſiſtit obviare, 2. q. 7. *negligere*. Et ideo dicit textus, quod non ſolum malitiæ hujuſmodi auctores, ut aliquorum præſumptio extimat, puniendos, ſed facientes & conſentientes pari pœna puniendos catholica damnat eccleſia, de ſentent. excommunicationis, quantæ, de offi. delegati c. 1. *notum*. Et alibi dicit textus, quod qui aliorum errorem defendit, multo damnabilior eſt illis, qui errant, quia non ſolum errat, ſed in aliis offendicula erroris præparat, & confirmat; unde quia magiſter erroris eſt, non tantum hæreticus ſed hæreſiarcha dicendus eſt, 24. q. 3. *qui aliorum*; & gloſſa dicit ibi, quod qui aliorum errorem defenderat, talis etiam hæreticus judicatur, & de hæret. *Cum ſit*; & ſi publice eos defenderent, ſunt publice excommunicati, ut ibi & alibi dicit gloſſa, quod peccat in fide qui defenſor eſt hæreticorum, 40. diſt. *Canones*, & probatur 24. q. 1.

ANNO CHRISTI 1409.

q. 1. cap. 1. & 2. & q. 3. *qui aliorum*; defensores enim & receptatores hæreticorum traditum est anathemati subjacere, de hæresi *sicut*. Hos quidem defensores hæreticorum excommunicat papa Honorius IV. de sentent. excommun. *noverit*, & dicit ibi glossa quod ipso jure pœnam excommunicationis incurrunt, credentes namque hæreticorum erroribus absque aliqua excommunicatione hæretici judicantur, dicit lex in cap. *Excommunicationis*. Credentes, de hæreticis; & ideo dicebat vir ille egregius super Apocalips. II. cap. *viri* electi & spirituales sequestrabunt se & suos a quibuscumque non consentaneis evangelicæ veritati. Et legimus quandoque concilia tulisse sententiam contra hæreticos a communione fidelium separandos, scilicet concilium Lateranense Innocentii III. de hæreticis excommunicatis I. concilium Carthaginense quartum 24. q. 3. *clericus*, ubi dicitur cum hæreticis non esse orandum, nec psallendum; & concilium Martini papæ I. q. 1. *non liceat clericis, vel laicis*, ut ibi textus. Stat ergo recta, & sancta, & vera conclusio ex omnibus præmissis, quod ex quo pravorum atque iniquissimorum Angeli Corario & Petri de Luna perversitas in Ecclesia Dei ita invaluit, quod sedes apostolica, quæ cunctis in orbe terrarum præfertur ecclesiis 21. dist. *quibus*, summique pastoris sagena procellis tumescentibus comperitur in naufragii profunda demergi, 23. dist. *in nomine*, cum nihil sit infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas veluti interior hostis roboratur, dicit textus 23. q. 1. *paratus* in fine cardinales qui a cardine ostii, quod est Christus, nomen sumpserunt, Jo. 10. quia per eos intratur ad Christum & S. Matrem ecclesiam, & ejus fidem; nam ipsi gerunt vicem ecclesiæ, de quibus sancta & universalis ecclesia merito confidit tanquam in cardinibus, qui portant orbem, Job. 33. & sicut cardine ostium regitur ac etiam substentatur, sic per cardinales universalis ecclesia regitur ac etiam gubernatur, dicit glossa Ber. de offic. archipresb. cap. 2. & probatur dist. *presbyteri*, volentes perditioni ecclesiastici cultus, animarumque saluti prudenter occurrere cum ecclesiæ medicina omnium salutem materna charitate acquirat, 23. q. 4. *quid faciet*; ne recidiva, quod absit, mala proveniant, juste atque sancte ab obedientia & honore eorumdem, & debite recesserunt, & ipsam obedientiam subtrahendam a cunctis fidelibus licite publicarunt; ne videlicet Christi oves non verum pastorem, sed decepti mercenarium sequerentur; ex quo a juramento & voto tanta solemnitate emissis retrogradi tanto cum errore & pertinacia voluntatis ecclesiam funestabant, hæretici & scismatici inde facti, de summa Trinit. Clem. 1. §. *Porro*; & de usuris *ex gravi* §. finali 24. q. 4. *dixit Apostolus*. Verum quia non sat erat recedere ab hujusmodi perfidis præceptoribus, qui habitaculum & regimen ecclesiæ deformabant, nisi ad electionem unici veri & Romani pontificis veniretur, cum non sufficiat abstineri a malo, nisi fiat quod bonum est, 22. q. 4. *de forma* in Cl. ult. de præbend. 22. q. 1. *duo*

A in fin. ut fieret Ecclesiæ unicus pastor, & unum ovile, de major. & ob. *solitæ*; iidem Cardinales de duobus collegiis factum unum Pisanense concilium solemniter convocarunt. In omnem enim terram exivit sonus eorum, Jo. 10. In quo concilio idem Angelus, olim Gregorius XII. appellatus, una cum dicto Petro de Luna, olim Benedicto XIII. nuncupato, ut canonis verbo utar, sicut antichristus invasor & destructor totius christianitatis cum fautoribus quibuscumque, fuit, atque fuerunt per totius orbis sententiam a liminibus sanctæ Romanæ ecclesiæ separati; & ab omni ecclesiastico gradu in quo fuerant prius depositi, 21. dist. *quamvis*: non enim debemus incultum dimittere opprobrium il-
B lius, qui probra nostra delevit, de Judæis in quibusdam §. ult. quia longe gravius est divinam, quam temporalem offendere majestatem, in aut. ut non lux. contra nat. col. 4. de hæretic. *Vergentis*; qualem enim fructum de illis iidem D. Cardinales poterant reportare, quorum gravi peste scismatis radix cernitur infecta, cum de sinistro principio nullus felix exitus speretur 1. q. 1. *feritur* in fin. Malum est scisma; per exteras etiam potestates hujusmodi debere opprimi homines, & canonica auctoritas, & paternarum nos regularum veritas docet, 28. q. 5. *non vos*. Adversus ergo Angelum Corarium supradictum justissime jam damnatum una cum
C canone vere possumus concludere verbum illud: ita corporis tui motibus cæde construxisti, relaxatis voluptatum habenis, temetipsum in locum miseriæ & in lutum fæcis prohibitum dejecisti, ut qui positus fueras ad gubernationem populorum, effectus sis ruina meritorum, 1. q. 3. *ita corporis*. Circa quartum dubium principale, an dictus Angelus, olim Gregorius, nuncupatus fuerit de irretito crimine legitime convictus, adeo quod ad ejus depositionem, & privationem potuerit per convocatum Pisanense concilium deveniri. Videtur probabiliter posse dici, quod non, quoniam nusquam dictus Angelus renuit vel recusavit
D quod juraverat, voverat & promiserat adimplere; imo se paratum semper asseruit, & ob hanc causam pro unione ecclesiæ adimplenda, e Roma recessit, & continuatis dietis ad civitatem Lucanam personaliter cum curia se transtulit & accessit. Noluit enim Deus hominem ab homine judicari ex arbitrio jurisdictionis, vel extraordinario usurpato judicio; sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesiæ suæ ultro confessum, seu accusatum, vel convictum. Et esto, quod contra ipsum Angelum Corarium, & eodem modo contra Petrum de Luna suspectio vehemens laboraret, tamen ex quo semper dicebat, se paratum, ut dixi, quod jurave-
E rat, & voverat adimplere, non potuit de hæretico, vel scismatico a nemine condemnari, juxta doctrinam & theoricam Ostiensis de hæreticis §. ult. ergo sola suspicione. Nec sufficit ad inquirendum de hæresi vehemens suspicio, aut præsumptio, nisi gravis infamia præcederet, secundum Joannem Cald. de præsumpt. *literas*. Præterea propter violentam præsumptionem absque monitione non est quis de hæresi condemnandus, de hæret. excom-

ANNO CHRISTI 1409.

commun. §. *qui autem*, & cap. 1. q. 7. *convenientibus*, 24. q. 1. *qui dignior*. De multiplici autem reprehensione notandus; Ostiensis in principio suæ summæ, & ibi ponit de pluribus speciebus reprehensionis. De trina autem reprehensione, scilicet imperativa, substantiali, & temeraria habetur 21. dis. *nolite*. Contraria est veritas indubitata & notissima toto orbi, quia imo fuit legitime convictus de crimine irretito prout late & amplissime est probatum in demonstrationibus factis super secundo dubio principali, quæ hic habeantur sine ulteriori epilogo pro repetitis. Et si dicatur: non sunt testes idonei contra Angelum irretitum. Respondeo, quinnimo sunt superidonei literæ suæ, & bullæ per universum orbem directæ, profitentes se B jurasse, vovisse, & promisisse infra annum & tres menses unionem ecclesiæ firmiter se facturum, & papatui se cessurum. Hæ enim literæ sub bulla minutæ, transmissæ, per ipsum per universum, ut ita dixerim, orbem, fidei, & promissionis voti & juramenti relaxatio ipsum hæreticum, & scismaticum fuisse & esse comprobant, & affirmant. Accedat, quod notatur de electione *significasti*. Fuit enim ex forma instrumenti in conclavi ante electionem dicti Angeli; & post electionem illius dictum votum irrevocabile, & juramentum penitus irrelaxabile, prout dicti instrumenti manu propria ipsius Angeli roborati tenore lucide innotescit. Et quamvis C papa in voto, juramento valeat dispensare, 15. q. 6. *juratos*, & extrav. de voto per totam; tamen in voto saluberrimo, quod non possit in melius sicut est scisma tollere, & papatui cedere pro ecclesia unienda, non possit in hujusmodi voto modo aliquo dispensare pro se, vel alium absolvendi, & dispensandi super voto & juramento potestatem alteri quomodolibet tribuendo, 25. q. 1. *qui ad perpetuam* glos. Jo. Imo votum tam salubre toto orbi, de quo per dictas bullas in omnium judicio clare constat, etiam invitus solemnizare, & servare deberet, at etiam teneretur secundum Innocentium de voto *per tuas*, & 27. q. 2. *agathosa*, de regularibus, *porrectum*, D et cap. *cum simus*. Cum etiam ex nuda promissione facta Deo quis obligetur & posset effectualiter conveniri, 12. q. 2. *scimus*; de statut. monachorum *quod Dei timorem* in fin. & 17. q. 1. *sunt quædam*; nam & cum promittitur fides, hosti debere servari, 23. q. 1. *noli*. Præterea mandata illa facta cardinalibus in civitate Lucana per hunc Angelum detestandum, quod non loquerentur simul collegialiter, vel particulariter, nisi sua præsentia interesset. Item, quod non loquerentur cum ambaxiadoribus Francor. ipsum Angelum proculdubio faciunt, aut reddunt hæreticum manifestum. A quo mandato ult. quia non loqueretur cum ambasciatoribus E Franciæ ecclesiæ solicitantibus unionem digne per cardinales ad sacrum collegium convocandum, & sacram Romanam ecclesiam extitit appellatum præsentata quidem apostolico supradicta, dicto Angelo Corario nuncupato, ut mihi relatum est per D. fratrem Bernardum nunc episcopum Castellanum tunc abbatem Podii Bonicii. Porro is Angelus detestandus vere fuit, & est pertinax in

A voluntate; ideo infallanter, & verissime hæreticus est dicendus, de summa Trin. Cle. 1. §. *porro*, de usuris *ex gravi* §. finali, 24. q. 4. *dixit apostolus*, ut & sibi dicere possumus verbum illud. Displicet tibi quod traheris ad salutem Dei, cum tam multos nostros ad perniciem traxeris, 23. quæst. 4. *displicet*. Is enim pacem ecclesiæ perfugavit, unde ut scismaticus omni debet dignitate carere, 24. q. 1. qui contra pacem scandalizando ecclesiam, et per consequens ipsum Deum 93. dis. nulla ratione, universalem quoque ecclesiam perturbavit, 9. quæst. 3. *per principalem*, & ut ita dixerim statum ecclesiæ nixus est pro posse deducere in ruinam, 8. q. 1. *Moyses*, unionemque catholicæ ecclesiæ non recipit. Unde ex his omnibus hæreticus judicatur in authentica de privilegiis in principio V. *igitur communionem*, dicit enim canon, quod ligandi, vel solvendi potestatem non habet, qui unitatem pacis Catholicæ non tenet, 24. quæst. 1. *omnibus*. Hic enim a fratrum suorum Cardinalium sede divisus hæreticus judicatur, 1. quæ. prima. *si quis de ecclesia*. Nam dicit lex, quod qui nec conventionem pacis, nec unitatem ecclesiæ observavit, & se ab ecclesiæ vinculo, ac sacerdotum collegio separavit, pontificis nec potestatem habere potest, nec honorem; qui episcopatus nec unitatem habere voluit nec pacem: textualia verba sunt 7. quæ. prima *Novatianus* in fine. Qui enim membrum ecclesiæ non est, pro hæretico judicatur in authentica de privili. doctorum in prin. col. 8. et probatur 4. q. 1. c. 2. hic enim versutus hostis ecclesiæ, et hæreticus manifestus, qui ad instar vulpeculæ latere dicitur; ut in cap. *inter solicit.* de purgat. can. non ex simplicitate, sed mente et utilitate suos defensabat errores, 24. q. 1. *afferamus*. Hæreticalia, et scismaticalia facta agens, ideo hæreticus est dicendus arg. c. de injuriis *si non convitii*, de hæretic. cap. 2. lib. 6. *si vos*, de hæresi ad abolendam §. præsente, et §. primo, et cap. *excommunicavimus*. Et uno verbo concludam nefarios, et scismaticos suos gressus dicam canonis verbum illud: vitæ via ipsa quoque opera sacerdotis clament. 43. dis. *sit rector* in fine. Nec obstat, quod idem Angelus ab urbe recedens se ad civitatem Lucanam transtulit pro unitate ecclesiæ, quæ semper dixerit, se paratum quod juraverat voverat promiserat adimplere; nam contrarium mihi constat per relationem plurium, qui in concilio Pisanense interfuerunt fuisse probatum per dominos cardinales, et illos fide dignos testes; videlicet ipsum Angelum maledictum dixisse viam cessionis quam juraverat, voverat, promiserat, et publicaverat per universum esse hæreticam, et pestiferam. Quorum cardinalium, et aliorum quorumcumque, esto quod in facto proprio deponerent, testimonio est credendum de hæresi in fine lib. 6. ubi notanda. Profecto pestiferum hoc dictum ipsum Angel. hæreticum manifeste comprobat, et affirmat. Nam per solum dictum quis hæreticus judicatur, dicit Glos. Jo. 24. q. prima *hæc est*. Præterea non sat erat dicere, quia se paratum, quia fides professionis sine operibus mortua est, dicit textus 1. prima parte *fertur*, unde alibi dicit

cit canon, quia pax labiis prædicata cum voluntate debet animi concordare, 93. dist. *diaconi*; qui enim pejerare paratus est, antequam pejeret pejurus esse videtur, Matt. 7. transumptive positum 22. q. 4. *qui pejerat*. Licet enim humanæ aures talia verba nostra judicent, qualia foris sonant; divina tamen judicia talia foris audiunt, qualia intus proferuntur. Nam non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio deservire verbis, sed verba intentioni, 22. q.4. humanæ & alibi dicit lex quod facto datur voluntas intelligi C. inst. et subst. lege reprehendenda; mendacium namque non solum in verbis, sed in simulatis operibus esse probatur, 22. q. 3. *de forma*. Et alibi dicit canon, quod omnes, qui amant mendacium, filii sunt Diaboli; non solum in verbis sed in simulatis operibus est mendacium. Mendacium namque est christianum se dicere, et opera christiani non facere. Mendacium enim est episcopum sacerdotem, vel clericum profiteri, et contraria huic ordini operari 22. q. 4. *cavete*. Et dicit ibi Glossa, quod factis negamus Christum, sicut verbis. Item factis mentimur, sicut verbis. Unde scribit Jacobus primo, quod *vir duplex animo inconstans* est in omnibus viis suis; ideo væ duplici corde & labiis scelestis. Et alibi dicit canon: *Deus duplicitatis aspernator, simplicem intentionem considerat: verba autem aspernatur & odit*, 22. quest. 4. *qui pejerare*; cum non apud Deum quisquam aliquem lædere, ut ibi; et licet idem Angelus, errorius dignissime vocatus, cui sit consequens rei nomen, ut inst. de donat. §. *est*, & aliud de episcopis & clericis *decernimus*. Et cur nomina sint rerum significativa, ut in authentica, de defensui. in principio col. 3. & ff. de officio quæstionis lib. 1. & in prœmio ff. §. *discipuli* se personaliter transtulerit ad civitatem Lucanam pro unione ecclesiæ per universos Christicolas magnopere diutius expetita, & jugiter affectata. Tamen cum res exitum expectaret, hic malignus hostis ecclesiæ retrocessit gradu retrogrado terga præbens, qualisque fuerit sua prava, & maligna intentio, ejus finis, & exitus demonstravit, cum a fine res quælibet debeat denominari ff. ad legem Falcid. lege *si is qui quadraginta* §. *sed si opus*, & de novi ope. nunc. leg. *stipulatio* §. *opus*; & ideo finis est in omnibus attendendus, ff. de mi. l. *denique*, & de inof. tes. l. *Papinianus* §. *meminisse* C. de natur. lib. l. *nuper* in fine, quia debet semper finis principio convenire, de pœnit. dis. 4. §. *finis*. Cui Angelo detestando digne dicere possumus verbum illud: *non ascendistis ex adverso, neque posuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*, 43. dist. *sit rector*. Sacerdos namque ingrediens moritur si de eo sonitus non auditur, quia iram contra se occulti judicis exigit, ut d. cap. *sit rector*, ut digne dici in persona Angeli Corario, & Petri de Luna pestilentium personarum valeat verbum illud: durus est hic sermo, & quis potest eum audire; atque ita abierunt retrorsum; Jo. 6. 24. q. 1. §. *sed notandum*, de poenit. dist. 3. *si ex bono*. Adversus igitur hunc Angelum Satanam malignantem digne occurrit dicere cum psalmista: sedens adversus fratres tuos loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum, 6. q. 1. *ex merito*. Nec obstat, quod ex vehementi suspicione non potuit Angelus prædictus de hæresi & de scismatico crimine condemnari; ex quo se paratum dicebat, quod juraverat & voverat adimplere; & sic se corrigere de errore; propter enim vehementem præsumptionem non debet quis de gravi crimine condemnari, de præsump. *literas*. Nam frustra de præsumptione tractamus. Cum omnis ejus vita, singulique progressus fomentum essent scismaticæ & hæreticæ pravitatis. Ut sibi vere conveniat verbum illud: *noluit intelligere ut bene ageret*, 11. q. 3. *excellentissimus*. Et illud quod dicitur, ex sola suspicione quamvis vehementi quis de hæresi non damnatur, intelligunt doctores de suspicione non probabili, ut quando ille negat & paratus est ecclesiæ obedire. Sed ex suspitione, & obstinatione, & infamia præcedenti, & lapsu anni, et trium mensium ad unionem hanc fiendam temporis præstituti, contemnendo ecclesiæ unitatem, & Petri claves, ipse Angelus sine aliqua probatione potuit ut hæreticus condemnari; ut dicit cap. ult. de poenit. de excessibus prælatorum cap. ultim. & ita sentit Ostiensis expresse de hæreti. in summa §. 2. *sola præsumptione*. Pro quo facit, quia lapso tempore per bullas apostolicas, & capitula jam præfixo pro convicto habetur, ut dixi de crimine irretito, 11. q. 3. *rursus*; & cap. *quisquis* de hæresi cum contumacia lib. 6. quinimmo hæreticus potest dici qui levi saltem argumento & suspicione, licet non gravi, a judicio catholicæ religionis et tramite dignoscitur deviare, C. de hæret. lib. 2. quæ considerari debeant juris qualitates suspicionis et personæ, de hæret. *excommunicavimus*. §. *qui autem*, et sic eo casu indicia faciunt fidem secundum sententiam Ostiensis in dicto §. 2. v. *et quia*. qui intelligit leve argumentum, idest probabile, et quod de facili appareat, vel si gravis contra eum infamia laboret, secundum eum ibidem; quoniam in hæresi minus suspicionis probatio exigitur secundum Innocentium de Simon. Sicut et falsum est dicere, quod idem Angelus paratus fuit corrigere se de errore; nam requisitus dum Arimini profugus resideret per literas et legato cardinalium prædictorum, et sæpius ad id et creberrime invitatus, ac etiam monitus per reverendissimos patres DD. Aquilegiensem et Mediolanensem, qui ad eum personaliter in civitate Senarum pro parte collegii accesserunt, ut vellet concilium convocare, in illoque interesse, et quod promiserat effectui tradere, et voverat et juraverat adimplere, semper pertinax recusavit. Immo, quod detestabilius fuit et est, ipsos audire contempsit, et contra eos sententias injustissimas promulgavit, magistrumque in theologia carceravit ipsum ad voti observantiam inducentem, in suo se firmavit errore, semper in sua pertinax voluntate, unde hæreticus judicandus Cl. 1. §. *Porro* de summa Trinit. Cl. *ex gravi* §. ultim. de usuris, 24. q. 4. *dixit Apostolus*. Ignorabat miserrimus et sceleratissimus super omnes, quod quando

do papa de aliquo criminatur, debet ejus auctoritate promittere concilium convocari, ut ſua criminatio deſtruatur, in eodem ut patet expreſſe 2. q. 5. *mandaſtis*, et 17. dict. §. *Hinc etiam*. Immo etiamſi de occulta hæreſi quomodolibet arguatur, debet epiſcoporum concilium convocari 15. diſt. *ſicut*, in fine, et d. cap. *mandaſtis*. Stat ergo concluſio omnibus ex præmiſſis, quod idem Angelus propter ejus vehementia et hæreſes notorias, ac etiam manifeſtas damnatus pro ſchiſmatico et hæretico per concilium digne fuit. Imo, ut verius loquar, ſciſmaticus et hæreticus extitit in eodem digniſſime declaratus, et ut cum ſcriptura conveniam; traditus eſt peccator pro delictis ſuis de eccleſia in poteſtate Zabuli, cum delictum ejus foret eccleſiæ manifeſtum 11. q. 3. *audi*. dicit enim canon, quod ſi prælati perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos proditionis exempla tranſmittunt, 11. q. 3. *præcipue*; quia ſicut in eccleſia eſt Chriſtus, ſic extra eccleſiam eſt diabolus, eadem cauſa 2. q. *omnis*.

Circa quintum & ultimum dubium principale, an electio facta de S. Domino Alexandro papa V. per Card. collegii utriuſque, & ſucceſſive electio facta de beatiſſimo domino noſtro papa Joanne XXIII. SS. & vero pontifice fuerint canonice & rite factæ, & ſic ipſe D. N. papa & prædeceſſores ejus fuerint & ſint veri apoſtolici canonici inſtituti. Iſta quæſtio eſt indubitata, & ſine hæſitatione aliqua, nec dubitationem recipit aliqualem, & ejus deciſio ex præcedentibus clariſſime luceſcit. Nam ex quo Angelus Corario, Gregorius XII. in ſua obedientia appellatus, notorius ſciſmaticus ac pacis & univerſalis unionis eccleſiæ turbator, ſcandaloſus & manifeſtus, votique liciti ac irremiſſibilis, ac juramenti ſuorum ſuper eadem unione procuranda per ipſum ſponte præſtiti transgreſſor. Quinimmo & hæreticus pertinax, necnon a fide catholica devius per ſententiam generalis concilii Piſanenſis extitit declaratus. Similiter Petrus de Luna, Benedictus XIII. in ſua obedientia nominatus ſimiliter ſciſmaticus & hæreticus ab eodem concilio extitit declaratus, & per conſequens omni apoſtolatu ipſo jure privatus, ut in juribus ſuperius ſæpiſſime alligatis: nulli dubium, immo debet omnibus eſſe clarum, ipſum Alexandrum per eosdem cardin. electum fuiſſe & eſſe verum & ſummum pontificem. Cum peſtis illa ſciſmatis lacrimanda, quæ tanto temporum curriculo eccleſiæ ſciſſerat unionem, per dictum ſacrum generale concilium extiterit funditus extirpata per novam electionem factam de eodem Alexandro V. ad regimen paſtorale, antidotum ſalutare. Et ſic unus paſtor, unum ovile, prout eſſe debebat in eccleſia factum fuit, de major. & ob. *ſolite* §. *Pe.* & illud verbum canonis eſt impletum. *Si duo*, inquit, *contra fas temeritatis concertantium fuerunt ordinati, nullum ex eis futurum ſacerdotem permittimus; ſed illum ſolum in ſede apoſtolica permanſurum cenſemus, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerint.* ſcribitur ad contextum 79. diſt. *Si duo*. Adepta eſt enim gloriam in converſione gentis eccleſia, & elevata eſt nubes de tabernaculo fœderis, profectique ſunt filii Iſrael per turmas ſuas, Num. 10. & juxta verbum pſalmiſtæ: *elevata eſt ſuper cœlos magnificentia tua*. In cujus Alexandri electione vere verbum canonis illius eſt impletum: *factus eſt epiſcopus de Dei & Chriſti judicio, de clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis ſuffragio, de ſacerdotum antiquorum, & bonorum virorum conſenſu, cum locus Petri & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret*. Quo occupato, atque omnium conſenſu confirmato, ſi quis ille fuerit, licet de ſe multum jactans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt; qui ſolus eſſe debet, factus eſt, jam non alter ille, ſed nullus; nec eccleſiaſticam ordinationem habet, qui eccleſiæ non tenuit unitatem, 7. q. 1. *factus*: ubi ſcribuntur ad contextum formaliter dicta verba. Nec expedit illud dubium ſubintrare, quo perſona illorum cardinalium ſciſmatica diceretur, ut ſi per illas non potuiſſet Romani pontificis electio celebrari, & ex eo capite iſte inutilis redderetur, de quo per gloſſam de elect. *quod circa* in Clem. per Innocentium plene in cap. *illa* de electione. Nam eligendi jus non poteſt communicari illis, qui non ſunt de gremio, de elect. ſcriptum, & ibi notata. Item quia in duabus partibus cardinalium eligentium papam non computantur intruſi, licet computentur excommunicati, de elect. *ne Romani* §. *Cæterum*, in Clem. & probatur cap. *ſi ubi periculum* §. *Sane* in 6. & notat. gloſſ. ultim. dicti cap. *quod circa* in fine; quia concilium Piſanenſe, de quo ſupra, primo providit, quod nulla partium reputaretur ſciſmatica, immo quod quidquid fecerat Gregorius XII. ac etiam Benedictus XIII. uſque ad diem ſecundam menſis maii anni milleſimi quadrincenteſimi noni, qua die ab unione receſſum fuit, valet & tenet. Item per prædictum ſacrum concilium generale omnes cardinales fuerunt approbati pro cardd. & de novo. Item per illud generale concilium data fuit eis poteſtas ſummum & Romanum pontificem eligendi, ut hæc omnia fide dignorum teſtimonio mihi relata ſunt, illorum qui in dicto concilio perſonaliter tunc temporis interfuerunt. Accedat, quod legitur Inno. in d. cap. *Illa* de elect. &, ut dixi, hæreticum eſſet de ipſius Alexandri canonica & vera electione, & de poteſtate concilii facere quæſtionem, quoniam errare eſt dicere contra concilium generale, maxime in iis, quæ fidem tangunt, & reintegrationem, & eccleſiæ unitatem, 25. q. 1. *quoniam ad perpetuam*, & ibi dicit gloſſa, quod non poteſt Papa contra generale concilium diſpenſare: nam etſi omnes ei conſentirent, non valeret ſtatutum; immo omnes eſſent excommunicati. Item papa non poteſt deſtruere ſtatum eccleſiæ, 8. q. 1. *Moyſes*. Palam eſt enim, quod in re dubia, ad fidem & conſuetudinem catholicæ eccleſiæ, valet auctoritas, 11. diſt. *palam*; quia hæc ſola catholica eccleſia unitas conſpicitur, 24. q. 1. *qui ex ſola*. Nam eccleſia, quæ coadunatio fidelium dicitur, errare non poteſt, 24. q. 1. *hæc eſt fides*, & cap. *pudenda*, 19. diſt.

in iis quæ pertinent ad fidem & mores, ut inferius explicat.

dist. *ita Dominus*. Et ideo traditum est, quod illa ecclesia, quæ est contra concilium generale, in iis, quæ pertinent ad fidem & mores, non est catholica, 25. q. 1. *quoniam ad perpetuam* in gloss. Joannis; nec auctoritatem habet ecclesia, cujus prælati & ministri communiter excommunicati esse dicuntur, 24. q. 1. *Acatius*, & cap. *Audivimus* de hæreticis. *excommunicamus*. Stat ergo vera & indubitata conclusio, quod ipse Alexander V. per cardd. canonice electus fuerit verissimus papa & apostolicus indubitatus, & unicus Vicarius Jesu Christi, ex quo Angelum Corarium totius orbis, atque sanctæ synodi hæreticum & scismaticum, & per consequens ipso jure omni apostolatu, & pontificali dignitate privatum sententia declaravit, cujus sanctæ synodus determinationi est penitus obsequendum; quis enim præsumat absolvere quem sacrum ligavit concilium, aut condemnare quem absolvit? Certe nullus; dicit textus 15. dist. *sicut*, quia sententia totius ecclesiæ est præferenda Romanæ, 24. q. 1. *quodcumque*, & cap. *arrepta*, & cap. *Pudenda*, si in aliquo sibi contradicunt, arg. 36. di. *legimus*, & ibi dicit per glossa, quod universalis ecclesia errare non potest, quia Deus non permittit per cap. *Arrepta*, & cap. *Pudenda*. Quærit autem glossa Joannis in d. cap. *Arrepta* de qua ecclesia intelligitur, quod errare non potest, & dicit, quod non de papa, quod de ecclesia dicitur, 7. q. 1. *scire de his*, quia clarum est, quod papa potest errare, 19. dist. *Anastasius*; & 40. dist. *Si papa*. Unde intelligit de congregatione fidelium. Hæc enim dicitur ecclesia, de consecr. dist. 1. *ecclesia*. Patet ergo, quod illa ecclesia, quæ non potest errare, intelligitur de congregatione fidelium, qui quoad singulos generum impossibile est quod possit errare; pro qua rogavit Christus, ut non deficeret in Petro. Unde dicebat glossa, 24. q. 1. *quam dignior*, duas esse ecclesias, una videlicet catholica, quæ in se non patitur habere pollutos, cum Christum habeat habitantem; alia est hæreticorum, quæ vera non est, & semper vitanda docetur, ne ariditate ejus polluamur; dicit enim textus ea causa & quæst. didicimus omnes omnino hæreticos vel schismaticos nihil habere potestatis, aut juris, & subdit in tali facinore non solum duces & auctores, sed etiam principes eorum pœnis destinari, nisi a communione malorum se separaverint, præcipiente per Moysem Domino & dicente: *Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pareatis in peccatis eorum*; ut ibi textualiter hæc patent magistri namque erroris existunt, qui veritatis discipuli non fuerunt, 24. q. 3. *quod autem*. Patet ergo clarissime ex præmissis sanctæ felicis et claræ memoriæ Alexandrum V. prædecessorem, et successive SS. ac BB. Dom. nostrum papam Joannem XXII. fuisse et esse verum papam, et indubitatum, et Angelum Corarium scismaticum, & hæreticum, et scandalizatorem ecclesiæ manifestum, omnique potestate et pontificali dignitate justissime ipso jure privatum, ac etiam per sententiam universalis conc. declaratum, ut ad exaltationem SS. D. N. papæ et suppressionem ipsius nominis erronii detestandi digne possumus dicere, verbum illud canonis: *Vos estis lux mundi: vos estis sal terræ, vos estis vasa aurea & argentea*: hic sanctus Angelus Corario maledictus, testea vasa, virgam ferream, et æternum asseruit ..... incendium, 24. q. 1. *quoniam vetus*. Falso enim Christi vicariatum tenet, et occupat sedem Petri; hic enim Pseudo Christus dicitur, de quo dicitur Lucæ 11. et Matth. 24. *Multi autem venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus: nolite ergo ire post illos*; et Matth. 24. *Multi venient in nomine meo dicentes: ecce in deserto est; nolite exire*. 1. q. 1. *Si quis pseudo*. 62. dist. cap. 1. Hic quidem hæreticus ad modum vulpeculæ latens, ut dicitur de purg. can. *inter solicitudines*, ne dum ultra montes expellitur, ut de papa Gregorio ultra montes expulso legimus, 23. dist. *in nomine Domini*; sed exul ab orbe factus est, ut in persona ejus possimus dicere verbum illud: *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidum; filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum*. Matth. 10. Ecce jam venit tempus, quo sol refulsit in terris, qui prius erat in nubilo, et ignis magnus ita ut omnes miraremur eum. Machab. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi Jo. 1. Fuit enim homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. J. 1. Inter natos mulierum major non surrexit, Matt. 11. Ecce constituit Deus illum principem super universam terram Ægypti, et tulit annulum de manu sua, et posuit in manu ejus; et de hoc loquebatur scriptura: ecce electus meus, quem elegi, in quo bene complacuit animæ meæ; ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus imperabit, Matth. 12. Salutant vos omnes sancti et maxime qui de Domo Dei sunt, 1. Cor. 13. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te. Tob. omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, Luc. 3. etc. Quæ, utpote supervacanea, nec ad verbum facientia omisit scriptor.

Cataldinus de Visso
manu propria authoris.

[Left margin notes, partly cut off:] ...mpe a ...pa non ...cathed. ...onun- ...tæ, quæ ...ns est ...onis ...us. — ...est de ...pa ut ...no est.

[Right margin note:] locus corruptus.

JO. DOMINICI MANSI

In sequentes chartas

Monitum.

POstquam concilii Pisani documenta, quæ suppetere poterant, collegi, collectaque typis tradidi curtis imprimenda, V. Cl. Laurentius Mehus, notum lectoribus meis, notum eruditis nomen, monumenta alia, iis quæ antea miserat plane cohærentia, ad me destinavit. Egregii viri munera ut haberent viri docti, hic, quanquam in loco non plane suo, curavi diligenter.

INFORMATIONE A VOI MAESTRO ANTONINO

Dell' Ordine de' Minori, Maestro in sacra pagina, et a Voi Messer Stefano Bonacorsi dottore de' decretali, ambasciadori al S. Padre, la quale si fa a voi per gli magnifici, et excelsi Signori Priori dell' arti, e pel Gonfaloniere della giustitia del popolo et comune di Firenze, et per gli loro venerabili collegj a dì 28. d' Agosto 1408.

ANdrete a Siena, e farete alla presenza del santo Padre, et allui farete quelle riverentie, che si convengono alla Sedia apostolica, et noi, et tutto il nostro popolo C raccomanderete alla sua Santità strettissimamente, come veri, et buoni figliuoli della santa Madre Ecclesia, offerendo noi et ogni nostra potentia essere prompta, et apparecchiata a ogni suo beneplacito, et in ciascuna cosa a noi possibile, et honesta. Poi farete il vostro principio in mostrare, quanto dispiacere, et molestia sempre abbiamo avuto di vedere nella Chiesa di Dio el detestabile scisma, come debba avere ciascuno fedele Cristiano. Et così e converso per noi si prese singolare allegrezza, et consolatione, essendo morto Papa Innocentio septimo, della buona, et santa dispositione del Collegio de' SS. Cardinali, & de giura- D menti, & degli obblighi, i quali per loro si feciono innanzi all' assumptione di decto Papa Gregorio, innanzi alla quale assumptione, come alla sua Beatitudine è noto, noi ferventissimi zelatori della santa unità, mandammo prima, che niuno altro Principe, o Comunità Cristiana, nostro ambasciadore al prefato Collegio a confortargli, e riducerli alla reconciliatione de' Cristiani. Poi dopo alla creazione della sua Santità ci crebbe la consolatione et l' allegrezza, inteso, che esso santo Padre era in tanta ardente dispositione di stirpare lo scisma, et sanare la Chiesa, et etiamdio avere ratificato, promesso, giurato, et provato quello medesi- E mo, che in singularità ciascuno de' cardinali, essendo in Conclave, s' era obbligato. Donde per vero zelo di unità mandammo, come a lui è noto, quattro ambasciadori de' più notabili cavalieri, & cittadini della nostra Città a confortare l' unità, et a offerire noi, & nostri luoghi ec. Soggiugnendo, che a noi allora crebbe la speranza, et la consolatione tanto, quanto facilmente dire non si potrebbe, quando et per sue lettere, et etiamdio per ambasciadori ci significò la sua santa, & accesa dispositione alla pace Cristiana, confortandoci, et richieggendoci, che ci adoperassimo nella decta santa unità, come confortò, et richiese nella decta forma tutti i Principi, et le Comunità de' Cristiani; et per queste richieste, et come desiderosi di vedere il popolo Christiano in pace, nacque, che noi puramente, et con vera, et santa intentione ci siamo sempre affaticati non risparmiando a spese, fatiche, o pericoli, mandando più, et varie ambasciate a Siena, a Marsilia, a Saona, & a Lucca; permettendo ancora, che per cagione d' essa unità traesse molte, et molte migliaja di Fiorini del Chericato della nostra giurisdizione; la qual cosa ne per Principi, ne per altra Comunita Cristiana è stata facta. Et che essendo noi in questa buona disposizione; et sperando sempre, cognoscendo sempre la santa volontà della sua Beatitudine in volere reconciliare secondo il suo obbligo il Cristiano Popolo, che lo effecto d' essa unità dovesse seguitare, tutta la nostra consolatione si ritornò poi in singulare amaritudine veggiendo la rottura, che seguitò nella Città di Lucca del tractato di essa unità, il quale si teneva per la sua santità colla parte aversa, perche ci pareva vedere conseguitare al contrario di quello, che per noi, e per tutti i fedeli Cristiani si desidera.

Et seguitando la vostra narratione exponete che dopo la decta rottura del prefato tractato della unità, essendosi per lui publicato il concilio, & ancora l' aversario suo avendo publicato esso di voler far Concilio, & veduto, che ragionevolmente al Concilio per la sua santità pubblicato non verranno se non di quegli della sua ubbidienza, & etiamdio considerato questi due Concilj pubblicati non potersi accozzare insieme, perocche si debbano fare in diversi tempi, et luoghi distanti; et per queste cagioni si comprende, et vedesi non solamente per noi, ma per qualunque altro, che dirittamente suol giudicare, che di questo Concilio della sua benignità non può seguitare lo effecto della unità della Chiesa, la quale per la sua santità si desidera, et per noi, et per tutti Cristiani.

Sicche cognoscendosi per noi, quanto di sopra si dice, che questo Concilio non può producere la pace Cristiana, et essendo richiesti dall' uno Collegio, et dall' altro de' Cardinali per più ambasciadori, et lettere, et etiamdio da de' Principi Cristiani non de' mi-

ANNO CHRISTI 1409.

minori, ma da de' maggiori, che per fare Generale Concilio di tutti Cristiani noi concedessimo loro la Città di Pisa per noi altra volta consentita alla sua Santità pel tractato d'essa onione, et per Papa Gregorio acceptata, volemmo diligentemente examinare questa richiesta, et il principio, el mezzo, el fine di quello, che si sponeva per decti Signori cardinali volere fare per la reconciliazione della Chiesa santa, et etiamdio volemmo examinare le conditioni, et termini, in che al presente è la decta Chiesa, et le disposizioni in le quali si veggono essere i Principi, et communità Cristiane; et come sopra ciò per questa Signoria si sono tenuti più varj, et diversi consigli, et più notabili Cittadini della nostra Città non in piccolo, ma in gran numero, et etiamdio de' più solenni Doctori decretisti, et huomini docti nella sacra Teologia, et in conclusione con loro consiglio s'è facta solemne, et legittima deliberatione per la nostra signoria insieme con quegli uffici, et cittadini, che di ciò anno piena balia, di concedere pel decto Generale Concilio a' decti Collegj, & cardinali la nostra Città di Pisa, e così s'è conceduta la decta Città; et tra noi, e' decti Signori Cardinali si sono fermati Capitoli, et conventioni sopra questa materia giusti, et honesti. Soggiugnendo, che essendo facta per noi questa concessione colla predecta matura deliberatione per honore di Dio, et acciocche ne' conseguiti quella pace, et unità de' Cristiani, la quale noi sempre abbiamo con sincero animo desiderate, di che Iddio, a cui niuna cosa è occulta, è testimone; noi vi mandiamo alla sua Sanctita a notificargli questa nostra concessione.

Et oltre a ciò vi commettiamo, che sporgniate alla sua Sanctità questa parte, et humilmente a lui supplichiate, che considerata la sua sancta, et fervente disposizione, la quale a sempre avuta, e dice avere, et si per la sua buona volontà, et si pel debito del giuramento, et del voto, a levare via tanta confusione, et exterminio, quanto è nella Chiesa di Dio. Et veduto, che il Concilio per lui pubblicato non può levare via questo grave scisma, et inducere la concordia, che esser si degni, come benigno Pastore, et sancto Padre, perche una volta si ponga rimedio a questo grave male, seguitando il nostro Redemptore Gesù Christo, humiliarsi di venire a questo Generale Concilio al tempo, che si congregherà.

Et sponetegli, seguitando la decta nostra supplicatione, che noi, come buoni suoi figliuoli, e ferventissimi zelatori della unità predecta, e del buono stato della sancta madre ecclesia, ci offeriamo essere presti et apparechiati a tractare, et a pratichare, in che forma, et modo la sua Beatitudine vengha al detto Generale Concilio al tempo, che si congregherà; la qual forma sia in maniera honesta, et ragionevole allo honore suo, et ancora acta a producere la decta unità, e al buono stato della Chiesa.

Se il sancto Padre volesse impugnare la ragionevole, et honesta nostra deliberatione, come non ben facta, ne giuridicamente; voi Messer Stefano, et così pensiamo ancora di voi Maestro Antonino, sete bene informati delle ragione, et della verità, et però fate, che in quello honesto modo che saprete, voi giustifichiate bene il nostro Comune; non intrando però in pratiche, ne in lunghe disputationi, et non soprastando però niente per questo; ma ben vogliamo, che oltre al narrare la concessione nostra essere giusta, et sancta, voi mostriate il fine ancora il perche ci affatichiamo, et inframettiamo, esser solo per Dio, per ben della chiesa, et per pace de' Cristiani; et così siamo disposti non ci straccare mai, non perdonando ne a fatiche, ne a spesa, ne a pericolo, per infino a tanto, che giusta nostra possibilità colla gratia di Dio, et per l'opere de' Principi, et de' Popoli, che in ciò si affaticano, la desiderata concordia Cristiana conseguiterà: et chome in tutte l'altre giuste imprese, che si sono facte per la nostra Comunità per fino a questo dì, mai ci siamo abbandonati per in fino alla conclusione; così in questa sanctissima operatione siamo disposti servare l'usata costanza, & sperando la Sanctità sua, secondo l'usata, & in questa medesima unirà procurare essere ferventissima.

Se dello aver noi ricettato, & honorato i Cardinali venuti alla nostra Cittade, & dello aver facto provisione, che e benefici, che sono nella nostra giurisditione, non si possano permutare, ne conferire ad altri, se non per morte, vi facesse doglienza, come a facto fare alla nostra Signoria pe' suoi ambasciadori, risponderete, con buono consiglio & a buon fine tucto essersi facto, & come saprete, giustificherete il nostro Comune; & expressamente vi facciamo proibitione, che socto quella pena, che è posta agli ambasciadori, che passano i loro mandati, non andiate a impetrare, o procurare per qualunque persona di che stato, o condizione, Comunità, o Università impetrare alcuno beneficio.

La excusatione, che avete a fare, dello avere noi provveduto, che e benefici non si possano permutare, gli è nota, che è per levar via gli schandoli, che erano per nascere tra nostri cittadini.

Vogliamo, che quando sarete stati chol Sancto Pad... visitiate i Signiori di Siena, & loro salutarete, come nostri buoni frategli, & amici; & poi narrerete loro lo effecto della vostra ambasciata, la quale avete a sporre al sancto Padre.

Farete il vostro rapporto di quanto avete seguito per scriptura al nostro Cancelliere, quel medesimo dì, che tornerete, o il seguente a noi, Messer Stefano socto pena ec.

Partirono a dì XXVIIII. decto mese d'Agosto 1408.

ANNO CHRISTI 1409.

Nota, & informazione a voi Messer Filippo Corsini Ambasciadore del Comune di Firenze a' Cardinali uniti al concilio per l' unità della Chiesa a Pisa, eletti da Signori Priori d' arti, e Gonfaloniere della giustizia co loro Collegi, a dì VIII di marzo MCCCCVIII. * *Indict. II.*

*Stylo veteri nostro 1409. Ex archivo Floren.

A Voi, che sete savio, et bene experto nella infrascripta materia, non è di bisogno di lunga, ma brieve informatione. Voi sapete, che qua è stato Messer Guffredo ambasciadore del Re Ladislao, et nella expositione della sua ambasciata hà fatto grande, et cordiale querela de' reverendissimi in Christo Padri, et Signori Signori cardinali, che sono in Pisa, che essi cercano contro allo stato della Maesta Sua; et fra le altre cose particulari, di che esso ha facto doglienza, si è; come gli imbasciadori di decti Signori Cardinali, e quelli andarono al Re d' Ungheria, richieggendo al decto Re d' Ungheria, che esso subtraessi l' ubidientia a Gregorio, et mandassi al concilio a Pisa, fra le altre cose dissono per inducerlo a questo, come Gregorio era amico, et colligato del nimico suo, chiamandolo, non Re, ma Ladislao di Durazzo; et che se esso subtraessi l' ubidientia, et essi priverebbono el decto Re Ladislao de' titoli, et ragioni, le quali esso hà nel Regno. Oltre acciò, si dolse d' essi Signori Cardinali, che nelle terre nostre parlando del Collegio Romano per baldanza di questa Signoria, gli facevano quello, che mai gli anno fatto pel tempo passato, cioè, che richieggiendogli egli, che decti Signori Cardinali gli osservassimo una obbligatione et promessa facta alla Maestà Sua per sicurta dello Stato suo, et in vari tempi, et più volte, et massimamente nella creazione di Papa Innocentio, et poi in quella di Gregorio, et facciendogli strieactamente pregare, che questa tale obbligatione essi la innovassino, dice al tutto essi Signori cardinali l' anno dinegato, et non che l' abbino voluta innovare; ma che essi anno decto quella obbligatione non valere niente, et essere carta da canochia; sicche di questa materia cordialmente si è doluto con noi, che noi ritegniamo in casa nostra essi, che tractano si expressamente contro allo stato suo; estendendosi sopra questa materia con molte parole, come a voi è noto. Et però noi vogliamo, che voi andiate a Pisa all' uno Collegio e all' altro de Signori cardinali, et amendue visiterete per parte di questa Signoria, confortando loro a proseguire con onestà il trattato dal' unità, e raccomandandoci, e offerendoci alle loro reverendissime paternità in ogni cosa a noi possibile, et honesta. Et in queste parti generali delle raccomandigie, ed offerte vi stenderete, come parra alla prudentia vostra si convenga al' onore della nostra Signoria.

Poi narrarete loro, quanto di sopra è expposto, delle decte doglienze, che essi fanno pel Re, et direte, che a noi è paruto necessario mandarvi alle lor paternita a notificare loro le priedecte cose, nelle quali ci siamo ingegnati con ogni diligentia a noi possibile excusargli, con dire, noi non potere credere, che niuna delle decte cose sieno vere; ma al decto imbasciadore, come a voi è noto, ci offerse più volte volere farci chiari con larga, et buona pruova, così essere vero; la quale cosa con onestà per noi si ricusò: et in conclusione prieghieretegli teneramente, che essi voglino avere ogni diligentia a loro possibile, che per loro passi o atti quello Serenissimo Principe non abbi giusta et ragionevole materia di doglienza, et che non possa dire, che nelle terre nostre si tracti contro a lui; ma che per nostra contemplatione, e quali siamo sempre stati devotissimi figliuoli di quello stocco ducale di Puglia, e da loro ricevuti, et dalloro facti molti, et grandi beneficj, et ancora per bene dell' unita, la quale per lorosi tracta. Ch' essi con tutto loro intellecto si ingegnino di fare tutte quelle cose honeste, che al decto Serenissimo Principe debbano ragionevolmente essere grate, acciocche dalle loro Signorie non manchi di dargli materia che esso sia a loro, et al Santo Concilio, et ancora a questa Signoria favorevole, benivolo, et non contrario. Et perche dalla parte delle loro R. P. et ancora dalla nostra, non si possa giustamente imputare alcuno mancamento in verso lui, direte, che a noi pare utile, che le loro Paternità giustifichino, et chiarischino al prefato Serenissimo Re delle sopraddette cose, delle quali esso fà doglienza, in quella forma, et modo, che a loro parrà più onesto: et in fino a quì è l' ambasciata, la quale vogliamo, che pubblicamente spognate all' uno Collegio, e all' altro. In segreto; più presto, che vi è possibile, vi comandiamo, che siate col collegio de' cardinali Romani, et che al loro riferiate per parte di questa Signoria, da noi ci rendiamo certissimi, che essi come prudentissimi Signori conoscono, quanto importa a favori del sagro, et universale concilio, et al disturbamento, et allo impedimento d' esso avere il Re Ladislao o benivolo, o inimico; et che considerandosi per noi quanto grande ostacolo essere può a questa sancta unità, e quanto esso è acto a turbare la pace, et la quiete di Italia, la quale turbatione è turbatione del concilio; considerato con quanta potentia di gente d' arme esso è vicino; et etiandio examinato, quanto si comprende esso avere a male, che questo tractato dell' unità della Chiesa si tiri innanzi, et si perche è contrario a' de' pensieri, che pare lui avere, et si perche teme di suo stato reconciliandosi la chiesa, et noi pare per le sopraddette ragioni sommamente necessario fare ultimo di potentia, non abbandonando però l' onestà, d' averlo benivolo, et che esso si conformi in questi facti della chiesa colla volontà loro, e colla nostra; la qual cosa se mediante la grazia di Dio si protesti fare, veggiamo rimossi questi gravi pericoli, li quali si veggono apparecchiare, et avere la indubitata pace della Chiesa. Et che però ci pare, che in questa parte, et a questo articolo le loro Paternità debbino avere altretanta diligentia, quanta a niuna altra co-

cosa, che a loro occorra; e che la via a noi parrebbe, che quello medesimo, che le loro paternità anno promesso altre volte al decto Re, per sicurtà dello stato del suo Regno, et etiamdio come a loro è noto l'anno promesso a questa Signoria per quella scritta segreta suggiellata co loro pendenti soggielli, della quale essi sono informati, et della quale ve ne diamo copia; essi di nuovo per autentica scrittura el promettessero al prefato Re; sicche la conclusione sia, che essi rinnovino la promessa, la quale, come decto è, altre volte anno facto al Re, ò facciagliene altra in forma onesta, et sufficiente sicuro dello stato del suo regno: et mostrerete loro, che per molti rispetti, et cagioni oltre alle predette, essi debbano essere contenti di fare questa sicurta, la quale sia giusta, et honesta, come di sopra si dice. Voi sapete di quanta importanza è questa parte, et quanto ella è considerata dalla nostra cittadinanza. Et però noi rimettiamo in sulle vostre spalle, che voi vi ingegniate di inducere e decti Signori cardinali a fare questa promessa, et obbligo, con mostrare loro e' pericoli, che ne seguono in dinegarlo, e quanto frutto ne conseguisce facendolo; sicche con ogni ragione, modo, et fama honesta, che potrete, fate di inducerli alla decta conclusione, certificandogli bene, che facciendosi per loro queste sicurta al Re, per noi s' e deliberato mandare a lui nostri solenni ambasciatori a tractare l'accordo, el quale potremo meglio conducere a fine essendo certificati della loro disposizione in fare quanto di sopra si dice per sicurtà del decto Re; et mostrando loro, che noi speriamo questo presupposto colle evidenti ragioni, giuste, ed oneste, che ci sono trarre fructi, fructo, & bona conclusione, el che sia mediante la grazia di Dio, che esso concorra colle loro R. P. et dove questi non conseguitassi, pure una volta essi e noi saremo giustificati nel cospetto di Dio, e degli uomini, et non dubitiamo, che Iddio non abbandonerà la loro, & nostra giustizia. Et se trovassi la cosa dura, la qual cosa non crediamo, pero rendetecene prestamente per vostra lettera avvisati. Voi sete informato, come ci sono venuti ambasciadori di Gregorio, i quali in effetto vengono a rispondere all'ambasciata che gli mandamo per messer Stefano, che gli piacessi andare al concilio. Ma in effetti lo dinega per molte ragioni, che assegna. Duolsi molto excessivamente della subtractione della ubidientia, et ingegnasi di mostrare essere cosa ingiustissima, & dice, che come di facto era subtracta, così di facto si rivocassi. Concludono che Gregorio è contento d' accozzarsi collo avversario suo, e co' cardinali, che sono in Pisa, et fare uno universale, et unito concilio sì veramente, che si facci in un luogo terzo. Et in caso, che l'avversario suo non venissi, è contento d' accozzarsi con decti cardinali, et che esso Gregorio eleggierà uno, et uno ne eleggino i cardinali, e' quali due abbino podestà di eleggere un terzo luogo, nel quale si accozzino a fare uno unito concilio. Per ancora non anno avuta da questa Signoria alcuna risposta, perche oggi ei anno sposto la decta ambasciata. Avvisate di questo l' uno collegio, et l'altro.

Oratoribus pro unitate ecclesiæ.

Informatione a Voi misser Lorenzo Ridolfi, et Nicholò di Giovanni da Uzzano ambasciadori diputati sopra i facti dell' unità della chiesa pe' magnifici, et excelsi signori dell' arte, el Gonfalonieri della giustizia del popolo, et commune di Firenze, et deliberata per decti magnifici Signori, et loro collegii a dì XXI. di aprile 1408. di quanto arete a seguire. Imprima:

Vogliamo, che ritorniate a Lucha, et che siate con misser Lorenzo vostro compagno, et tutti e tre insieme aderete al sancto Padre, al quale farete per parte di questa Signoria, & del nostro popolo la raccomandigie debite alla sedia Apostolica, & convenienti al nostro honore; le quali raccomandigie, et offerte, et anchora la nostra expositione vogliamo, che facciate nella presentia del decto padre, et del santo collegio de' nostri Padri Signori cardinali, in quanto e' vi sia possibile, come speriamo, et come è ragionevole d'avere questa pubblica audienza, et nolla possendo avere publica, alla sua beatitudine narrerete, quanto di sotto vi commettiamo. Ex archiv. Floren.

El principio della vostra expositione vogliamo che sia in narrare, come non veggendosi per questa Signoria seguire alcuno fructo dell' unità tanto desiderata, et cerchata, noi deliberammo di mandare per due di voi per essere ben chiari, meglio che per lettera non si può, particolarmente, et tostamente della materia di essa unità, et che essendosi inteso per noi, et etiamdio per la maggior parte de' cittadini notabili di questa comunità, in che termini le cose sono, noi, et universalmente per tutto il nostro popolo se n'era presa tanta molestia, et displicentia, et tanta turbatione d'animo, che in nessuno modo ne con penna, ne con lingua si potrebbe exprimere, considerato, che come per l' altre volte habbiamo facto noto alla sua Santità, niuna cosa è, che tanto ferventissimamente si desideri da noi, et da tutta la nostra cittadinanza, quanto vedere rimuovere lo scisma, et vedere riducere nel popolo cristiano la sancta unione. Sicche comprendendosi per noi, che la dispositione della pace de' fedeli non essere in quella buona dispositione, che la cosa merita, et noi desideriamo, ci dà grandissima turbatione, et displicentia, benche si debba credere, che questi sturbi, et turbationi, forse procedono più tosto per colpa della parte aversa, che per la sua.

Et che non obstante, che poco fructo, più tosto nullo, di tanti tractati, e pratiche, le quali si sieno vedute in questa materia dell' unità, per infino a oggi sia seguito; nientedimeno noi spronati dalla nostra buona volontà, et per amore, che portiamo alla sancta madre ecclesia siamo disposti di non volere abbandonarci dal laudabile principio per noi facto innanzi alla sua creazione, et co-

ANNO CHRISTI 1409.

come alla sua Santità è noto, da noi puramente seguito per fino a questo dì senza alcuna intermissione, et così siamo disposti; mai, mentre che vedremo potere fare alcuna cosa, che abia a producere il desiderato fine della riconciliatione cristiana, non ci abbandonane, ma ogni di più virilmente, di quello ci sia possibile, operare, abbiamo diliberato di rimandarvi alla sua benignità, et al sacro collegio de' cardinali a pregare, et a supplicare tanto divotissimamente, & stretamente, quanto ci è possibile, che esso si degni per honore di Dio, e bene del populo cristiano el quale per questo detestabile scisma stà tutto sospeso, et in angoscie, et pericolo dell' anime, & anchora per nostra consolazione, volere realmente, et puramente proposto ogni rispecto, et indugio venire dal canto suo agli effecti, e quali anno a producere l' unità della chiesa, avendo rispecto a' voti, giuramenti, obblighi, et promesse per lui facte in questa materia, & pubblicate tra tutti i cristiani per sua lettere apostoliche; intorno a questi conforti procurerete di stendervi, e parlarne tanto caldamente, quanto più potrete mostrando quanta fervente affectione in ciò si hà per tutto il nostro popolo.

Supplicnarete ancora alla sua Santità per parte di questa Signoria, che essendogli offerto per l' altra parte alcuno luogo, il quale fusse idoneo per fare questo tractato dell' unità, che esso si degni per acceleratione di essa unità quello accettare, acciocche una volta si vegga il fine tanto desiderato, et che dove questo non seguisse, che colla parte avversa non rimanesse d'accordo d'alcuno luogo fuori de' nostri, che noi, come altre volte abbiamo facto di nuovo gli offeriamo per tractato dell' unità ciaschuno luogo sottoposto alla nostra giurisdictione, el quale acciò si vengha a essere acto, ne' quali, come nella sua propria patria, o anchora più, se più è possibile, si può rendere sicuro, et che di quale luogho esso rimane d'accordo, o di nostro o d' altri, purche l' unità si facci tosto, & bene, niente ci curiamo.

Soggiugnarete anchora: Santo Padre quegli vostri figliuoli fiorentini non obstante, che fructo non sia seguito per infino a oggi, considerati i vostri obblighi et promesse, i quali per vostre lettere bullate a loro come a degli altri cristiani avete manifeste dichiarando in esse la vostra buona intentione in questa materia, non possono credere, che la vostra beatitudine non voglia venire a facti; come avete dato a intendere, perche eglino sono certi, che voi cognoscete, che non basta la buona volontà in questa materia, se non si viene agli effecti. Et se non fusse questa speranza, eglino avrebbono prestati gli orecchi a di quelle cose alle quali più volte sono stati sollecitati non da piccole potenze, ma de grandi, le quali cose non potrebbono avvenire senza sua displicentia: conchiuderete questa parte, che la fede, che noi abbiamo in lui, ci dà speranza, che esso darà buona, et presta conclusione a questa materia, et farete manifesti a tutti, che da lui non mancha.

Se arete, come speriamo, audientia nella A presenza de' signori cardinali, rivolgete il parlar vostro ancora a loro, dicendo, che colla loro paternità per parte di questa Signoria, et del nostro popolo cordialmente vi dolete del non seguitare l' effecto dell'unità, et che in simil forma, come avete facto al sancto Padre, voi gli confortate a questa necessaria operazione piu tosto divina, che humana, et le loro benignità strectamente preghiate, che con unità, e concordia, niuna cosa honesta omettendo, si degnino di fatichare, perche questo desiderato bene dell' unità conseguiti; et maximamente in confortare papa Gregorio, et lui con ogni favore, et consiglio a ajutare a conducere B questa sancta operatione con celerità, mostrando loro ne al santissimo Padre, ne al loro sagro collegio in niuna cosa, che ci sia possibile et honesta, mancherà mai alchuno nostro ajuto, favore, et consiglio.

Se questa expositione non potesse fare in pubblico, come decto è, sarete al collegio de' signori cardinali, et allora narrerete quanto alloro vi commettiamo, che spogniate a Papa Gregorio, confortandogli, come detto è, et con ogni altra buona ragione, che saprete, che essi non si abbandonino, et mostrando loro, et apertamente dichiarando la nostra buona dispositione, chiarificandogli bene, che in nessuno modo siamo disposti volere abbandonare questa materia, ma per C conducerla, quanto a noi si apparterrà, niuna cosa, e niuno rimedio lasceremo intentato.

Et se comprenderete, che per difetto di papa Gregorio s' andasse alcuna dilatione inutile, et non si seguitasse realmente, quanto si debba, comandiamo, che a lui, et etiamdio al suo collegio de' nostri cardinali diciate quanto avete in commissione in quello capitolo del primo vostro mandato, el quale voi v' avete riserbato, et per ancora non avete sposto, dicendo quello effecto ancora più largamente, sicche si comprenda bene chiaro nostra intentione.

In particularità vogliamo, che subito, D che avrete sposto, quanto vi diamo in commissione, al sancto Padre, et al suo collegio de' Signori cardinali, cioè la prima volta, che voi siate con quegli tre cardinali, co' quali ultimamente praticasti, et alloro direte per parte di questa Signoria, che molto c' è stato grato intendere la loro buona unità, et dispositione perfecta in questa materia, la quale noi commendiamo tanto, quanto dire si può, et larghamente giudichiamo, che se essi persevereranno, come speriamo, in questa dispositione, & concordia, avendo degli appoggi, che aranno et da noi, et da altri, che ci pare quasi impossibile, che quello, che essi, et noi insie- E me con esso loro desideriamo, non abbia buono, et presto fine con grande loro gloria nel cospetto di tutti i christiani, et che in questo noi ne glene confortiamo, perocche parrebbe superfluo atteso la loro buona dispositione; et che sopra e' facti della indefferentia, della quale s' è molte volte ragionato, s'è per noi tenuto consiglio, e pratica con più experti nobili et prudenti cittadini della nostra città, et che ne' decti nostri

stri

ftri configli s' è ultimamente conchiufo non A effere bene de facto così ex abrupto venire a questo acto della indifferentia, se prima la cosa non fosse desperata; et che più utile c' è paruto et acto di più gravità, et prudentia, provare anchora un brieve rimedio per vedere, se per altra via, che per questa della indifferenza questo tractato della unità potesse avere perfectione; perocche possendosi venire che alla intentione, che si desidera, senza perdere troppo tempo più laudabile, più sicura, et più utile via sarebbe mostrando, che la via della indefferenza noi nulla ricusiamo; ma che bene ci pare non venire a essa se non mancando le altre vie, sicche paja, che la necessità ad essa abbia B indocto, non la volontà; et che questo di provare, se niuno altro rimedio c' è, in brevissimo tempo, et pochi giorni si vedrà: et a' reverendissimi cardinali direte, come avete in commissione, comunque voi vedete in questo facto niuna inutile dilagione, di dire al sancto Padre, et alloro collegio, come noi non simo disposti di stare più in questi termini, ma di volere pigliare partito, et come avete nel primo mandato.

Soprattanto vogliamo, che caldamente confortiate per parte di questa Signoria e' decti reverendissimi cardinali chiarificandogli bene, che non pensiamo, che questo proceda per volere, che tempo si perda, o perche ci vogliamo ritrarre dalla via della neu- C tralità, ma solo per bene del facto, et per procedere di passo in passo, et con buona, et diligente maturità, et come richiede la grandezza di tanto facto; perocche noi veggiamo chiaro, che procedere così ex arrupto a questo atto della neutralità noi soli senza altra compagnia et maximamente senza quella de' Veneziani, e' quali furono e' primi, che a Siena parlarono di volere fare, et dire, et per ancora non sono venuti a niente, ne a nulla ci anno richiesti: che a fare noi questo soli ci sarebbe imputato a gran presumptione, et excitarebbe contro a noi non piccola invidia, la quale non apprezzaremo però troppo, purche potessimo fare tanto D bene. Ma a noi pare vedere, che solo per invidia potrebbe essere cagione di fare ritrare degli altri, che avessino simile buona dispositione per non parere avere a seguitare il principio, il quale dessimo, el di questo seguirebbe lo sturbo della pace, et concordia de' cristiani.

Et acciocche buona, & notabile unità conseguiti nella Chiesa di Dio, ci pare utile, anzi necessario, che non solamente una Potentia, ma più congiunte insieme vengano a questo acto della indifferentia a uno medesimo tempo, sicche il principio, & il fondamento sia tale, & si facto, che non si possa sturbare, & subvertere; subgiugnendo E anchora, che ogni volta, che a questo e Venetiani ci richiederanno, ci troveranno concorrere insieme con esso loro a questo acto, accioche el popolo di Dio esca di tanti errori, & pericoli, & non solamente concorreremo, ma etiamdio speriamo di fare, che altri verrà a fare questo medesimo con esso noi. Et se a detti tre Cardinali paresse loro, che fusse utile del facto, che si cercha, di praticare, essi cogli ambasciadori Viniziani, d'accordargli, & inducergli, che amendue queste Comunità concorressono a questo facto della indifferenza mancando le altre vie, siamo contenti, che lo tractino come da loro, non in nostro nome; & ogni volta che essi saranno in dispositione di volere realmente concorrendo noi colloro venire al facto della neutralità, ci troveranno disposti, & che non ci ritroverem' indrieto, ma colloro insieme ci faremo innanzi. Parci che debba essere molto più utile di questa santa materia, che per loro si tracti questo, che per noi, accioche non si pigli sospetto, che noi vogliamo essere il tutto di questa faccenda. Et se i decti tre Cardinali troveranno, che con effetto, & realmente i decti Viniziani sieno disposti a fare questa sancta operatione della indifferenza, sicche voglino fare altro che parole, & alloro paresse, che voi vi dovesse accozzare co' decti ambasciatori Viniziani, siamo contenti, che v' accozziate colloro a udire, & praticare questa faccenda, ma a conchiudere, o obbligare a niente nò, se altro non avete da voi, & in caso che detti tre Signori Cardinali non trovassino, che cogli effecti gli ambasciadori Vinitiani a venire a questo facto della indifferenza, non ne avendo mandato, supplicate alle loro paternità, che essi si degnino di rispondervi presto, acciocche noi possiamo essere avvisati di provvedere co' Vinitiani con altra forma onesta; perocche in niuno modo siamo disposti volere abbandonare questa sancta impresa, & necessaria alla salute de Cristiani.

Alle richieste, le quali e fanno per parte di tutto il collegio, di venire nelle nostre terre in caso, che altro accordo non vi fusse, & che il Papa si volesse ritornare addietro; dite loro, che voi volentieri in qualunque d' esse nostre terre, o tutte; parte, o insieme, o separati come nostri singularissimi Padri, & benefactori, siamo disposti graziosamente ricevergli, & che ne' vostri luoghi si possono rendere sidi, e sicuri, come in qualunque altro luogo, che sia nel Popolo Cristiano.

Et exporrete loro, che noi ci confidiamo nelle loro prudentie, & paternità, che essi sono di tanta discretione, che nelle nostre terre, & luoghi senza farsene conscienza essi non farebbono acto niuno, el quale a noi potesse essere cagione d' alchuno schandalo, ed alcuna infamia, o gravezza.

Sopra al facto de salvocondocto del Papa respondete loro, che la fede, la quale una volta s' è conceduta, quella per nostro honore, et debito vogliamo observare, & in alcuno modo contro a essa non faremo; ma perche noi siamo disposti volerci conformare con chi vuole unità, se non contro affacendo al nostro salvocondotto troviamo in alcuna forma impedire, che non torni a dietro, largamente siamo disposti di farlo; & se d' altra sicurtà o cosa avesse di nuovo bisogna, oltre a quella, non siamo disposti di volerci conformare, che con chi vuole unità, & non faremo cosa, la quale avessi in alcuno modo a impedire questa nostra buona intenzione.

ANNO CHRISTI 1409.

Al facto di sovvenire i Cardinali di alcuno denaio di quelli, che essi sostenessono, fingete di non vi ricordare ec. & se pure per loro ve se ne dimandassi risposta, direte loro, che quando saremo al facto della indifferenza, allora ne pigliaremo tal partito & di questo, & di beneficj, & dell'altre cose, che chieggono, che dovranno rimanere per contenti.

Intorno a questi pacti con buoni, & dolci parole generali, non obbligatorie però, vi ingegnerete di fargli bene contenti, come giudicheranno le vostre prudentie si convengha.

Una cosa s'era omessa, cioè, che se Papa Gregorio si concordiasse di andare a Pisa & l'avversario suo a Livorno, etiandio amendue deliberassono venire a Pisa con modi honesti, come sapete altra volta essere ragionato, noi siamo contenti di dare loro sicurtà, & obbligarci, o voglino a Re di Francia, Genovesi, Venitiani, & qualunque altra honesta, & simile sicurtà.

Fate di mettere ogni diligentia, & sollecitudine, che v'è possibile, & tener le mani in sù ciò, che si tracta di questa materia, & ogni partito, il quale per alcuna Potentia, o Signoria, si pigliassi sopra a questa materia, o d'indifferentia, o d'altro; & di quanto troverete che sieno cose vere, ce ne renderete prestamente avvisati.

Et questi tre Cardinali, co' quali avete a praticare, direte, come Batista Lomellino e venuto a questi di quà, & acci sposto certe cose sopra i facti della unità della Chiesa della intenzione della parte aversa, le quali cose sono tante conforme colla intentione loro, & colla nostra, quanto dir si potessi, abbiamo preso grande conforto: per ancora non si parte.

Paulum Guinisium

Vogliamo che andiate a visitare per parte di questa Signoria il Signore di Luccha, el quale saluterete come nostro buono amico; & poi vi dorrete, & direte, come per noi, & per tutto il nostro popolo s'è presa grande displicentia, & turbatione, veggendo, che niuno buono effecto intorno alla materia della unità è seguito dell'andata da Luccha, come noi speravamo, ma più tosto il contrario: la quale cosa noi siamo certi passare con sua singolare displicentia, perche siamo certi del suo buono, & fervente desiderio in questa sancta materia; & che non siamo disposti però di volere abbandonare, ma seguire ogni operatione a noi possibile ec. acciocche seguiti tanto bene: & che noi lo preghiamo, che come ha facto infino a qui, & anchora più ferventemente, se più può, esso si voglia & col sancto Padre, & col suo Collegio adoperare in bene, & perchè il facto habbi buona conclusione; & che considerato, quanto unitamente il Collegio de' Signori Cardinali è bene disposto a questa sancta operatione, che esso gli conforti in essa tanto, quanto saprà; che sà, & può assai; si che per pavento d'alcuna oppressione essi non fussono sturbati & rotti dalla loro buona intentione, e volontà in dare pace alla Chiesa di Dio, mostrarete di quanta utilità possono essere questi suoi conforti.

Et che più virilmente il Collegio de' cardinali possa attendere a producere questa materia della unità a conclusione, & fare ogni cosa la quale a ciò giudichino essere utile, o necessaria, siamo contenti, e commettianvi, che a quello tempo, & con quello ordine, & modo di parlare, che vi parrà più onesto, voi diciate questo effecto al signore di Luccha, che noi abbiamo tanta affezione a' facti dell'unità, che se a Sig. cardinali per questo facto dell'unità tanto fusse facto alcuna molestia, o novità, noi la reputaremmo facta a noi, & essere propria nostra, perche noi ci conformiamo in questo colle loro Paternità.

Se dagli ambasciadori Vinitiani, o da altri ambasciadori voi fussi domandati quello che voi avesti in commissione intorno al facto della indifferentia, vi commettiamo, che voi facciate quelle risposte, che vi parranno utili a bene dell'unione, & a nostro honore; non uscendo però degli effecti della presente commissione, & che si comprenda che non siamo disposti di lasciare a fare nulla, perche l'unione seguiti.

Alla parte, che sopra vi fu data per nota da quegli Rev. cardinali, co' quali praticasti, cioe che se Papa Gregorio venisse a Luccha, & volesse nel suo salvocondocto, che gli fussi, che esso potesse cognoscere de' suoi cortigiani ec. etiamdio nelle persone di cardinali, direte loro, come voi avete conferito questo colla nostra Signoria, e che da noi abbiate avuto risposta, che in quanto il caso avvenisse dell'andare a Pisa, allora noi pigleremo di questo tale e si facto partito, che essi rimarranno ben contenti.

A voi Messer Lorenzo, & a te Niccolò comandiamo, che non torniate senza nostra spressa licentia, comandando a Voi Messer Lorenzo, che insieme col decto Niccolò mettiate ad executione quanto nella presente commissione si contiene, non obstante, che Messer Maso sia rimasto qua, perocche così e deliberato per noi, & pe' nostri Collegi, non obstante la prima vostra commissione, la quale ancora farete d'osservare, & mettere en effecto insieme con questo in ciaschuna tua parte, salvo, che in quelle, le quali venissono a essere correcte da questa. Farete il vostro raporto.

Capitaneo, et Potestati Pisarum.

Dilectissimi nostri: voi sapete, che di proximo codesti Signori cardinali debbano intrare in Conclave per fare la electione del vero sommo Pontefice; e perche alla Signoria del luogo, dove si fa simile acto, si appartiene guidare il conclave, e fare gli acti, che son ordinati per la Sancta Chiesa, i quali non sono piccoli, ne di piccola importanza, ma grandissima; considerato, che niuna cosa importa più alla Fede christiana, che la electione del sommo Pontefice. Et però considerato, che voi costà rappresentate la nostra Signoria, et etiamdio confidandoci noi delle prudentie, e della moderatione vostra, per deliberatione facta per noi, et per nostri collegi sopra questa

ſta materia per le preſenti lettere vi commettiamo, et comandiamo, che al tempo ordinato voi ſiate a mettere i detti Signori Cardinali in Conclave, e poi ſtiate alla guardia di quello; e fate d'oſſervare, e di fare ciaſchuna coſa di qualunque importanza, la quale ſia ſtata ordinata dalla chieſa ſopra queſta materia: e acciocche non poſſiate pretendere ignoranza d'alcuna delle coſe, che e'ſi richieggono di fare in tale acto, noi commettiamo per noſtra lettera a meſſer Lorenzo Ridolfi, che particularmente vi informi di quello, che è neceſſario, et utile che ſi faccia per voi in queſto acto; e voi quello, che da lui ſarete avviſati, fare di mettere ad executione. Capitano, et tu Podeſtà non dubitiamo, che voi ſete di tanto intelletto, che voi bene conſiderate, et ponderate la grandezza, e la importanza di queſto facto, quanta, e quale è. Però non ci pare neceſſario di ammonirvi, che in queſto caſo mettiate quella diligentia, et ſollecitudine, che ſi richiede; che abbiate ſomma cura, che niuno ſcandolo, o inconveniente poſſa naſcere. Siamo certi, che uſerete tanta prudentia, et moderatione, che ſupplirete a quanto ſia di biſogno. Una coſa vi ricordiamo, che continuamente voi conſideriate, che per venire a queſto acto della electione d'uno vero Pontefice, et d'unire la chieſa, la quale coſa s'hà a fare hora, ſi può dire, nelle voſtre mani, per quaſi tutti e'Principi, et ogni comunita s'è durato tante fatiche, e fatte tante ſpeſe, e portati tanti pericoli, et conſiderate ancora che vegnendo ſchandolo alcuno, il quale noi penſiamo, che Iddio ceſſerà, quanti gravi ſcandali, et quanto ſterminio ne ſeguirebbe. Datum Florentiæ die XI. Junii MCCCCVIIII. indictione ſecunda.

Domino Laurentio de Ridolfis.

EGregie Doctor. Noi abbiamo fatto commiſſione al Capitano, e al Poteſta di codeſta Città di Piſa, che eſſi ſtieno a guardia del Conclave, et che faccino tutte quelle coſe, che ſono neceſſarie, et utili a ſimile acto, e che da voi piglino informatione delle coſe, che per loro s'anno a fare, et quelle mettino ad eſecuzione. Et però noi vi comandiamo, perche noi ſiamo certi voi ſapere pienamente tutte le coſe, che di ragione in ſimile caſo ſi debbano obſervare, che voi ſiate co' decti noſtri Rettori, et loro informiate; et ſe è di biſogno, date per nota tutto quello, che in ciò ſi debba per loro ſecondo l'ordine della Chieſa ſervare: ſicche fate, che mediante la prudentia voſtra e' prefati noſtri Rettori ſieno ſi informati, che dal canto noſtro non ſia alcuno manchamento, ne alcuno inconveniente ne poſſa ſeguire; e conſiderato, di quanta grande importanza è queſta materia, della quale noi crediamo niuna potere eſſere maggiore, acciocche ella ſi guidi, come ſi debba dal canto noſtro, fate, che con ſollecitudine per voſtra lettera ci avviſiate, ſe alcuno mancamento fuſſi, o ſe per noi ſi aveſſi a fare alcuna proviſione, che a queſto fuſſi, ò utile, o neceſſario. Datum ut ſupra &c.

CANTUARIENSE CONCILIUM

Anno 1413. *habitum.*

Fragmentum convoc. Cantuar. prov.

Ex reg. Arundel. fol. 266.

An. 1413. Ex Vvilk. t. III. p. 351.

DIcti vero tractatus combusti fuerunt apud crucem in coemeterio S. Pauli London. præfato domino archiepiscopo (Thoma) recitante populo causas combustionis eorundem. Et fuit dicta convocatio continuata usque in diem lunæ prox. post fest. Corporis Christi ex tunc prox. sequens per præfatum archiepiscopum. Et idem dominus archiepiscopus commisit interim vices suas domino episcopo London. per literas sub sigillo suo ad præsidendum in dicta convocatione, ordinandumque tractandum, & concludendum in eadem, ac, cum videretur expediens, finiendum & absolvendum eandem. Quo die lunæ, & certis diebus sequentibus, in domo capitulari prædicta, dicto domino London. præsidente, & tractante cum prælatis & clero provinciæ super quibusdam ordinandis ad honorem Dei & ecclesiæ; tandem certa proposita fuerunt pro parte cleri, super quibus ordinationes fieri jubebantur, & quæ clerus in scriptis redegit, quorum tenores sequuntur in hæc verba:

Supplicatur paternitatibus vestris per amicos juris & justitiæ, quatenus vos, qui canonum executores esse deberetis, & non solum pro vestris, sed omnium subditorum vestrorum peccatis, coram summo judice reddituri eritis rationes, ut arbor pallens foliis, populus vid. Anglicanus, reparata radice virescat; ut stomacho, sc. clero, bene disposito, materia subministrata, vid. doctrina ejusdem, in dulcedinem transeat nutrimenti, ut ora obloquentium juste, licet non rite murmurantium, celerius obturentur; canones & constitutiones provinciales ob animarum salutem sancte & religiose editas ad honorem Dei & ecclesiæ sanctæ dignitatem, ut tenemini, executioni debitæ demandare, præsertim in casibus infrascriptis. In primis de professionibus vestris, quod legantur coram vobis ad minus bis in anno constitutiones Octoboni; *Quid ad venerabiles* De visitationibus archiepiscoporum, episcoporum, archidiac. & aliorum, ad quos pertinet visitatio x. q. 1. *Decrevimus*: cum cap. *Se*, de offic. archid. cap. 1. junctis notis notat. de cens. c. *Romana* c. *Exigit* c. *Felicis*. Cum constitutionibus Ottonis De archidiaconis, Octoboni, *Naturales*. Oxon. *Prohibemus*. Cum concordantiis inde tractantibus.

De residentia & regimine episcoporum, constitut. Otto. *Quid ad venerabiles* Octoboni *Pastor bonus*. Oxon. *Statuimus*; cum similibus.

De regimine, gestu, & vestitu familiarium vestrorum & totius cleri natura titulorum, de vita & honestate clericorum constitut. Otto. *Quoniam de habitu*, Octoboni: *Cum S. Evangelii*. Oxon. *Et clerical.* Peckham: *Quamvis*, Stratford: *Exerce habitus*.

De pecuniis non recipiendis pro spiritualibus, nisi quatenus jura permittunt.

B De residentia cleri in beneficiis suis, natura tituli, De cler. non vest. constitut. Otto. *Cum sit ars artium*. De residentia Octob. *Christiana* §. *Volentes*. junctis Joh. Anton.

De prædicatione curatorum constitut. ed. apud Lamhyth *Ignorant. Sacerdotum*. Oxo. *Presbyterorum* junct. nova constitut. Oxon.

De publicandis articulis generalis sententiæ quater in anno constitut. Peckham *Iisdem temporibus*.

De poenitentia imponenda pro notorio crimine constitut. Otto. *Archidiaconis*. Octob. *Deus omnipotens*.

De debita impensione offic. circa executiones ultimarum voluntatum.

De legendis & observandis constitution. C provincialib. constitutionib. Otto. *Misericors Deus*.

De mercatis non fiendis diebus dominicis. De feri. c. 1. junctis suis comm.

De pactionibus cum patronis circa præsentationes constitut. Octob. *Plerumque* junctis & jure communi.

De tractatibus & obligationibus & juramentis permutare volentium, de jure patro.

De hospitalariis quod arctentur ad computum, de re Do. *quæ continget* in Cle. mot. 1. notat. & conc.

De perjuriis in assisis & aliter. De abstrahentibus fugientes ad ecclesias constit. Otto. D *Ad tutelam*. Bonifacii: *Porro*.

De effractoribus ecclesiarum. De incendiariis ecclesiarum.

De uxoratis, quod nullam exerceant jurisdictionem aut correctionem ecclesiasticam.

De judic. *Decernimus*.

De prædicantibus sine licentia contra jus commune & constitut. ult. edita, quod non solum ipsi prædicant, sed & omnes sibi adhærentes, consulentes, auctores, fautores, defensores, & procuratores incurrant sententiam majoris excommunicationis ipso facto.

Item, quia circa illam clausulam, quæ E ponitur in ultima constitutione Oxon. edit. vid. quod ecclesia, coemeterium sive locus, in quo prædicatum est contra constitutionem eandem, sit interdictum, repertum est fraudem factam in diversis locis; & ideo declaretur & statuatur, sive prædicatum sit in ecclesia, coemeterio, sive loco alio quocunque intra fines & limites cujuscunque parochiæ, ecclesiam & coemeterium ejusdem, ac tota illa parochia incurrat sententiam interdicti ipso facto. De

ANNO CHRISTI 1413.

De jurisdictione non tradenda ad firmam quovismodo constit. Otto. *Ecclesias*, Octob. *Indignum*, ac similibus.

De barbitonsoribus, quod non utantur officio diebus dominicis per totam provinciam.

De festo S. Georgii, quod sit duplex festum, & abstineatur ab omni opere servili, ferietur.

De festo S. Dunstani, quod duplex festum sit. Omnia ista sunt promissa, statuta, & concessa; & fiet executio per quemlibet, ad quem pertinet, prout respondebit coram Deo & proximo concilio provinciali. Et deinde fuit decretum & ordinatum pro executione eorumdem propositorum, & ipsa convocatio dissoluta.

Et fuit infra dictam convocationem una integra decima concessa domino regi.

Dictorum vero tractatuum, sic, ut praescribitur, combustorum, unus fuit in quaternis non ligatis, continentes plures modicos tractatus periculosissimos, ad subversionem fidei nostrae, & ecclesiae; & qui fuit domini Joh. Oldcastell, militis, domini de Cobham, captus prius & repertus cum uno Lymnore, in *Pater noster* Rovve, London, & Eluminand. Qui eluminator in ipsa captione dixit, cujus fuit liber. Alius vero fuit ligatus, & venit de Coventreia, plenus toxico & veneno contra ecclesiam Dei. In die vero, quo dicti tractatus fuerunt damnati & adjudicati igni cum combustione eorundem, certae de majoribus & periculosioribus conclusionibus, tractatus dicti domini Joh. Oldcastell fuerunt lectae coram rege, ac fere universis praelatis & proceribus Angliae, in interiori camera ipsius domini nostri regis apud Kenyngton, praesente & audiente praefato domino Joh. Oldcastell signanter ad hoc vocato. Ipse vero dominus noster rex maxime abhorruit conclusiones illas, ut pessimas contra fidem & ecclesiam, quas unquam audivit. Et inquisitus a rege dictus dominus Joh. Oldcastell, an putaret dictum tractatum fore juste & merito damnatum; dixit, quod sic. Interrogatus quare uteretur vel haberet tractatum hujusmodi; dixit, quod nunquam usus est eo, nec legit in eodem ultra duo folia.

Et memorandum, quod in dicta convocatione praefatus dominus Joh. Oldcastell fuit detectus per totum clerum provinciae Cantua. super infamia sua in erroribus & haeretica pravitate; & qualiter in pluribus dioecef. tenuisset, asseruisset, & defendisset conclusiones erroneas & haereticas; ac quod capellanos in hujusmodi erroribus & haeresibus suspectos, & etiam prius convictos, ad domum suam recepisset, favisset, recreasset, defendisset, & eos ad diversa loca provinciae ad praedicand. & seminandum hujusmodi semen malum in subversionem fidei & status ecclesiae transmisisset; fuitque supplicatum ex parte ejusdem cleri domino archiepiscopo & praelatis, ut vocaretur dictus dom. Joh. Oldcastell coram eisdem, super hiis personaliter responsurus. Et quia videbatur domino archiepiscopo & praelatis, dominum nostrum regem prius consulend. super isto, eo quod familiaris ejus extiterat; accesserunt ad dictum dominum regem apud Kenyngton praedict. & eum in reverentia debita consuluerunt super isto. Et dominus rex regratiabatur benevolentiis eorundem, & eis supplicavit, quatenus ob reverentiam suam, eo quod familiaris ejus extiterat, et etiam ob reverentiam ordinis militaris, deferrent processum et executionem omnimodam fiendam contra eum; promittentes eis, quod ipse vellet laborare circa eum ad ipsum reducendum in omni mansuetudine & lenitate ab invio erroris sui ad rectam semitam veritatis. Et quod si hoc non posset facere, traderet eum eis juxta sanctiones canonicas puniendum, & ad hoc eis assisteret in omni auxilio, & brachio seculari. Et dicti domini archiepiscopus & praelati, non absque murmure cleri, desideriis regiis quieverunt. Transcurso deinde aliquanto temporis, cum dominus noster rex circa dictum militem ad ovile Christi reducendum diu & variis modis laborasset, & nullum laboris sui fructum reportasset, sed semper ipse miles in deterius fuisset prolapsus, tandem idem dominus noster rex in sequenti mense augusti existens apud Wyndesore, omissa lenitate, praefatum dominum Johannem super pertinacia sua acriter increpabat. Et idem dominus Johannes, plenus diabolo, hujusmodi increpationem non ferens, illicentiatus recessit ad castellum suum de Cowlyng de Cantia; & ibi se incastellavit, prout haec omnia publice dicebantur. Misit deinde idem dominus noster rex pro domino archiepiscopo suprascripto, tunc Cicestriae in solemniis Assumptionis B. Virginis existente; cui ad dominum regem apud manerim suum in parco de Wyndesore accedenti, injunxit idem dominus rex, post recitationem laboris sui praemissi, & requisivit ex parte Dei & ecclesiae, quatenus contra dictum dominum Joannem Oldcastell, occasione praemissorum, omni celeritate, qua posset, procederet juxta canonicas sanctiones; & deinde idem dominus archiepiscopus ordinavit pro processu contra eum secundum juris exigentiam faciend. Et dominus rex misit interim domino archiepiscopo certas literas, quae scriptae sunt ad mandatum ejusdem domini archiepiscopi in proxima convocatione sequente. Processit vero idem dominus archiepiscopus contra praefatum dom. Johannem, juxta canonicas sanctiones; cujus processus summa sequitur in haec verba:

In Dei nomine Amen. Cum nuper coram reverendissimo in Christo patre & domino, dom. Thoma, Dei auctoritate Cant. archiepiscopo, & in convocatione praelatorum & cleri suae Cant. provinciae in ecclesia S. Pauli London. ult. celebrata, de & super unione & reformatione ecclesiae Anglicanae, cum eisdem praelatis & clero tractante, inter caetera per eosdem conclusum fuerat, quasi pro impossibili, scissuram tunicae Domini inconsutilis reformare, nisi prius certi magnates segni, auctores, fautores, protectores, defensores, & receptores horum haereticorum, qui dicuntur Lollardi, essent rigide reprehensi; ac, si opus fuerit, per censuras ecclesiae, una cum invocatione brachii secularis, a suis deviis revocati: ac facta subsequen-

ANNO CHRISTI 1413.

Anno Christi 1414. quenter in eadem convocatione inter procuratores cleri & alios, qui de singulis dioecef. ejusdem Cant. provinciæ ibidem in magno numero interfuerunt, inquisitione diligenti, repertum fuit inter eosdem, ac eidem reverendissimo in Christo patri detectum & delatum fuit, quod dom. Johannes Oldicastell, miles fuerat, & est principalis receptator, & fautor, protector, & defensor eorundem; A ac quod præsertim in dioecef. London. Roffen. & Hereforden. ipsos Lollardos ab ordinariis sive dioecesanis locorum minime licentiatos, contra constitutionem provincialem. *Cætera desunt in registro. Extat vero apud eundem VVilkins causæ hujus in Johannem Oldcastell prosequutio, quæ cum ad concilium non pertineat, ideo totam hic omittendam censeo.*

PARISIENSE CONCILIUM

Pro deputandis iis qui ad concilium Constantiense mitterentur ex provincia Rothomagensi

Anno 1414. habitum.

An. 1414. Affert Mart. Anto. II. p. 1538. Ex MS. Gemmet.

IN nomine Domini Amen. Noverint universi & singuli præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem domini millesimo quadringentesimo quartodecimo, indictione octava, die vero decima mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Johannis divina providentia papæ XXIII. anno quinto, in camera viridi regalis palatii, Parisius, in nostrum notariorum publicorum testiumque infra scriptorum constituti præsentia, & congregati quamplurimi reverendi in Christo patres & domini domini archiepiscopi, episcopi, abbates, procuratores nonnullorum dominorum archiepiscoporum, abbatum, & aliorum ecclesiasticorum absentium, aliique notabiles viri magistri & doctores, concilium ecclesiæ Gallicanæ de mandato domini nostri Francorum regis celebrantes, in præsentia magnifici viri domini cancellarii Franciæ, & plurimi aliorum, tam de magno consilio, quam de curia parlamenti ipsius domini nostri regis, super hiis quæ perfectionem unionis & prosperum statum universalis ecclesiæ conspiciunt celebrandis, & pro ampliori ac maturiori deliberatione agendorum in concilio Constantiensi, per præfatum dominum nostrum papam pro prosecutione unionis & reformatione ecclesiæ decreto et ordinato celebrari deliberant, tractantes, cupientesque mandatis domini nostri sanctissimi pontificis præfati, generale concilium apud Constantiam actu celebrantis, ex debito obedire: attendentes quod nimis grave & sumtuosum foret clero regni & Delphinatus, si indifferenter omnes mandati ad concilium accederent; quodque hoc in detrimentum ecclesiarum & regni nimium redundaret, providere in hiis indemnitatibus ecclesiarum & regni cupientes, inter alia salubriter & concorditer ordinatum fuit, quod ad præfatum generale concilium, de qualibet provincia aliqui domini archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri, doctores, & notabiles viri tam pro seipsis, quam aliis prælatis, & clero suæ provinciæ absentibus trasmittantur, & in dicto concilio compareant, ac pro eorum sumtibus et expensis supportandis ordinaverunt quod de..... pro parte cujuslibet provinciæ provideatur de vadiis & stipendiis competentibus, & quod quilibet dominus archiepiscopus mittendus ad dictum concilium Constantiense pro qualibet die de decem francis; quilibet dominus episcopus de octo francis; quilibet dominus abbas de quinque francis; quilibet doctor aut nobilis vel officiarius regis seu in dignitate constitutus de tribus francis; quilibet non doctor vel licentiatus de duobus francis, quamdiu huic commissioni & negotio, eundo, stando, & redeundo intenderint. Nominavitque dictum sacrum concilium pro provincia Rothomag. de consensu illorum de provincia dominos & magistros ad præfatum generale C concilium destinandos, scilicet reverendum in Christo patrem dominum episcopum Ebroicensem, venerabiles patres dominos Gemeticensem, sanctorum Wandregisilii, Georgii de Bauquiervilla, de cruce sancti Leuffredi, & de Bellobecco abbates; venerabiles, & circumspectos viros dominos & magistros archidiaconum Ebroicensem, Ursinum de *Talevande*, Jordanum Morini canonicum Rothomagensem, sacræ theologiæ professores, & magistrum Johannem de Masticone legum doctorem Thesaurarium Lexoviensem; pro quorum solutione stipendiorum dictorum dominorum ad præfatum concilium iturorum decrevit & ordinavit dictum sacrum conci-D lium levari in dicta provincia Rothomagensi unum subsidium, ad valorem unius mediæ decimæ, ab omnibus & singulis personis ecclesiasticis, regularibus, & sæcularibus, exemptis & non exemptis, privilegiatis et non privilegiatis, beneficia ecclesiastica, administrationes, vel officia taxata & non taxata obtinentibus: nominavitque & ordinavit dictum sacrum concilium pro provincia Rothomagensi prædicta receptorem generalem, venerabilem & circumspectum virum magistrum Johannem *Fillelul*, magistrum in artibus, & in utroque jure licentiatum: disposuitque & ordinavit dictum sacrum concilium, per receptorem generalem dictæ pro-E vinciæ Rothomagensis præfatum, de pecuniis per ipsum levandis, dictis dominis ad prædictum concilium generale mittendis persolvi integraliter de suis stipendiis, secundum formam superius expressatam, per quatuor menses integros, a die recessus computandos, si ipse receptor generalis receperit. Si vero contingat dictos commissarios aut eorum aliquos ultra dictos quatuor menses in dicto viagio insistere pro negotiis supe-

ANNO CHRISTI 1415.

perius expressatis, voluit & ordinavit dictum sacrum concilium, quod eisdem provideatur de dictis suis stipendiis de pecuniis supradictis, si supersint, aut de noviter imponendis, si videatur expediens. De quibus præmissis & singulis dicti reverendissimi patres ac domini concilium ecclesiæ Gallicanæ repræsentantes & facientes petierunt & requisiverunt a nobis notariis publicis infrascriptis publica instrumenta, unum vel plura. Acta fuerunt hæc sub anno, indictione, mense, die, pontificatu, & loco prædictis, præsentibus ad hæc venerabilibus & circumspectis dominis & magistris Petro *de Ogeix* decano Ebroicensi, Gerardo *Perriere*, Johanne Herardi, Adam de Cameraco consiliariis præfati domini nostri regis in sua curia parlamenti, necnon Johanne Marchia curato de Moranco Xanctonensis dioecesis, Michaele de Rivo, & Martino de Brueriis, cum pluribus aliis notabilibus viris testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.

Et ego Johannes Perrini diaconus Remensis dioecesis, bacalarius in decretis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius; quia præmissis supra scriptis, dum sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent, una cum dictis testibus & notario subscripto præsens interfui; ideo huic præsenti publico instrumento manu aliena scripto signum meum solitum signorum subscriptione ejusdem notarii apposui requisitus. *Petrini*.

Et quia ego Johannes *de Laubrelle* Laudunensis dioecesis oriundus subdiaconus & bacalarius in decretis, publicusque apostolica & imperiali auctoritate notarius, dum præmissa, sicut, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum testibus & notario præscriptis, præsens fui; ideo huic publico instrumento aliena manu scripto me pluribus occupato negotiis, solitum signum meum hic me subscribendo una cum signorum subscriptione prædicti notarii apposui requisitus.

AD CONSTANTIENSE OECUMENICUM CONCILIUM

Anno 1415. *& sequentibus celebratum*

ADDITIO.

COLLECTORIS PRÆFATIO.

SAnctum, universale Constantiense concilium cum patrum frequentia virorumque copia magnum, tum & rerum discussarum gravitate ac multitudine maximum habetur. Grande vero illud grandioribus voluminibus implendis par fuit; nam præter Labbeum, qui volumen integrum ejus commentationi dicavit; Hartius septem in folio voluminibus res ad hoc concilium spectantes complexus est. Nec materiem exhausit; non diu enim post excusa Hartii volumina Cl. Bourgeois de Castenet in archivis Gallicanis tam multa nactus est nova & prioribus incognita, ut magnum in quarti forma supplementorum volumen confecerit excusum Parisiis anno 1718. ne quid dixerim de Jacobo Lenfantio, qui paulo ante historiam concilii Constantiensis vulgaverat, in quam multa nova e MSS. petita contulit. Multa adhuc his omnibus intacta post Hartium & ante Gallicos illos scriptores e Codicibus Colbertino & Victorino eruit Dupinius, & ex iis volumen II. & V. editionis operum Gersonis a se adornatæ compegit. Venetus Labbei editor ex his omnibus, excepto tamen Dupinio, supplementum Labbeanæ de concilio Constantiensi commentationi adjecit, quo ea omnia suffecit quæ desiderari in actis Labbeanis, majorisque esse momenti judicavit. Mihi tertio in colligendis conciliis accedenti pronum esset vestem hanc bene longam stragulatam reddere; sed intelligens me, non commentarios tantummodo de rebus unius Constantiensis concilii scribere, quin potius omnium simul conciliorum collectionem dare; ne immensus sim, nec locum inter plura concilia distribuendum uni huic occupandum permittam; e tanta rerum strue, quæ ultro se offert, pauca seligam in opus hoc assumenda, reliquis prætermissis sive minus necessariis, sive in pervulgatis, nec ita raris voluminibus obviis, unde, si occasio postulet, facile a quovis repetantur. Eo consilio pauca tantum ex multis a Dupinio vulgatis huc transfero; omissorumque defectum suppleo relata integra synopsi chronologica, quam Dupinius ex monumentis a se vulgatis adornatam, in fronte tomi V. operum Gersonis collocavit. Ex ea intelligent lectores quid sibi jure poscant ex Dupinio; quid frustra quærant ex eo. Neque enim id sibi statuit scriptor ille, ut acta omnia concilii Constantiensis exhibeat; sed vel ea dare voluit, quæ in concilio illo egit tractavitque Gersonius; vel ea quæ ejus occasione ibi gesta sunt. Omnium vero Gersonianarum tractationum caput est causa Johannis Parvi, cujus controversiæ historiam hic paucis scriberem, nisi ex synopsi chronologica Dupinii satis intelligeretur. Sunt vero assertiones ille Johannis Parvi, de quibus damnandis tanta animorum contentione disceptatum est in synodo, novem illæ propositiones quas Venetus Labbei editor ex Hardtio opportune suggerit; quas tamen iterum hic reproducendas non una ratio suasit; primo quod, cum delatæ sint concilio, delationis hujus syngrapham hic exhibeo; secundo vero, quod assertionem illarum non vero earumdem censuram adjunctam ferant apud Hardtium; hic vero datur utrumque. Exciderant illæ Johanni Parvo, cum in causa ducis Burgundiæ confessi se necem per submissos sicarios intulisse duci Aurelianensi unico regis Galliarum fratri, rei partes defensaret; facinus enim illud extenua-

nuaturus demonstrandum sibi assumpserat, Aurelianensem, utpote tyranni mores referentem, jure interfici, incautum licet, & nihil sibi timentem, potuisse. Hinc plura asseruit de occisione hominis perniciosi, quæ Parisiensis universitas primum, dein Parisiensis episcopus de communi virorum doctorum consilio damnaverat. Ex hoc natæ celebres illæ novem assertiones, de quibus tam multa in concilio Constantiensi disputata sunt.

Præter selecta hæc ex opere Gersoniano libata, palantia multa ex variorum voluminibus conquisita supplementum hoc meum colligit. Ex Baluzio Miscellaneo. VII. duplex exhibeo monumentum, quod ut novitatis gratia aliqua aspergatur ad MSS. codices bibliothecæ ecclesiæ majoris Lucensis eandem Baluzianam lucubrationem referentes contuli, & variantia nonnulla ad extremum pagellæ limbum adnotavi; tum ex eodem codice adjeci epistolam Martini papæ V. statim post assumptionem suam ad Rentium de Columna fratrem suum scriptam, quam a me primum hic vulgari censeo. Ex Lunigii etiam spicilegio derivavi nonnulla, seu non visa seu neglecta a Veneto Labbei editore. Ex Benzelii Diario Vazstenensi pag. 200. habent hic lectores supplicem libellum archiepiscoporum & episcoporum Sveciæ pro adscribendis in sanctorum albo Nicolao episcopo Lincopensi, Brinolfo episcopo Scarensi & Ingride sanctimoniali ordinis S. Birgittæ Svecis. Sua etiam dedit Eccardus in corpore Historic. medii ævi tradita; sua Bassus in nova Hist. Viterbiensi to. 1. pag. 427. append. sua pariter Wilkins in conciliis Britannicis. Denique Schelhornius in suis Amoenitatibus to. XI. pag. 213. brevem narrationem adornat MS. cod. monasterii Blavifontani in Wittembergiensi ditione, in quo nova aliqua ad concilium spectantia continentur. Hæc pariter dantur in commodum lectorum. Hæ omnes profecto chartæ & documenta, maximi sunt momenti ad concilium Constantiense, commodoque eruditorum me consuluisse arbitror, si ex palantibus & per varios dispersæ codices hic simul junctæ habeantur. Si quæ vero ex tam multis hic allatis occurrerint S. R. ecclesiæ authoritatem labefactantia, sive conciliorum potestatem ultra quam par sit efferentia, hæc a me non quasi approbante, sed narrante potius quæ in concilio sive dicta sive scripta sunt, exhiberi sciant. Fateor denique alia plura suppetere quæ dari in rem præsentem aptissime potuissent; sed vel fusiora sunt, quam ut in hanc collectionem locum obtineant; vel scripta sunt, in concilio quidem digesta, non vero sive jussu concilii confecta, sive ut concilio proponerentur destinata. Cujusmodi ratio persuasit omissionem libelli articulorum theologicorum contra Petrum de Luna Johannis Gersonii; sicut & alterius ejusdem scriptoris opusculi: *Quomodo & an liceat in causis fidei a summo pontifice appellare*; opusculi Petri de Alliaco card. Cameracensis *de necessitate reformationis ecclesiæ in capite & in membris*; ejusdem *de ecclesiæ, concilii generalis, Romani pontificis, & cardinalium authoritate*.

Tam multa & varia quo ordine digererem anceps me cogitatio diutius occupavit. Succurrit demum ordo sessionum, ut singula ad proxime præcedentem sessionem additamenti loco referrem; sed nec omnia ad sessionem commode reducerentur; nec, si potuissent, id opportunum censeretur, cum hoc agendi institutum unius ejusdemque causæ documenta nimis intercisa aliisque aliarum causarum permixta atque confusa exhiberet. Ordo chronologicus haud absimilibus incommodis subditur. Optimum id arbitratus sum, ut singularum causarum documenta simul omnia dentur, ab aliis sejuncta, præmissa brevi præfatione quæ rei gestæ historiam synopticam narret. Cætera, quæ nullam continuatam documentorum seriem habent, ad singulas sessiones additamenti loco adscribo.

DE CAUSA ARGENTINENSI

In concilio Constantiensi discussa.

Argentinensis episcopi causa, in concilio Constantiensi agitata, major est quam ut leviter adumbrata & suis fere omnibus destituta coloribus in collectionibus concilii illius exhibeatur. Hinc ego supplenda ea duxi quæ huc usque ejus controversiæ desiderari in collectionibus animadverti; præmissa tamen brevi ejus historia, qua melius cætera intelligantur. Willelmus e baronibus de Diest Brabantinus Argentinensem episcopatum laicus exceperat & laicus per viginti annos administraverat, episcopatus muneribus alterius opera suppletis. Grave id Argentinensibus visum; nec tolerare diutius valentes, accitum illum per dolum tandem coeperant, & in custodia detinebant. Hæc viri ecclesiæ addicti captura nunciata est patribus Constantiensibus, & in generali, ut vocabant, nationum consessu discussa. Visum patribus, legatos e suo ordine mitti, denunciaturos Argentinensibus mandare concilium, ut episcopus sibi traderetur liber, simulque episcopatus oppida manibus patrum resignarentur. Actum id in cœtu nationum die XII. dec. 1415. Renunciarunt legati detrectare Argentinenses episcopi dimissionem; eo quod libertati permisso episcopo res episcopatus direptioni forent expositæ. Has causationes nihil morati patres die xx. februarii anni 1416. decretum ediderunt, nisi infra definitos dies episcopus dimitteretur, omnes, quorum opera captivus detinebatur, anathematis reos habendos. Prodiit decretum hoc E die x. Martii anni 1416. Ab hac sententia provocarunt Argentinenses ad concilium plenius his de rebus edocendum, & ad mox eligendum pontificem. Id vero ceu futile patres rejecerunt; ne tamen sententiam ratam decernerent obstitit aliquantisper Sigismundi imperatoris legatio, rogans dilationem, sequestremque se offerens pro impetranda dimissione episcopi ad concilium. Decre-

ANNO CHRISTI 1415.

cretum est igitur ut sexdecim delectis viris, tunc deputatis, ea causa cognoscenda remitteretur; qua de re literæ expeditæ die XVI. Maii, missique insuper a concilio deputati Argentoratum, qui ejusdem concilii nomine episcopum & socios e custodia eductos fidei suæ commissos reciperent. Non diu post prolatum est Argentinenses reos teneri poenarum in contumaces indictarum. Lata ea sententia in congregatione generali die 3. Junii anni 1416. Interea legati Constantienses venerant Argentoratum, iisque ad judicium residentibus plena querelarum in episcopum scheda oblata est, ad concilium ferenda; ac tum demum eorum potestati permissus est episcopus, & cum illo post dies aliquot cæteri ejusdem captivitatis socii. Atque ita tandem remissionem censurarum Argentinenses impetrarunt, obligata tamen prius fide sua de parendo iis quæ concilium statuisset. Quæ dein fuerit causæ ejusdem prosequutio, quis exitus ex actis quidem concilii non liquet; quanquam id ex eis constat, Argentinenses episcopi adversarios novam anathematis sententiam, concilio pronunciante anno sequenti 1417. incurrisse, ac dein altum de causa illa silentium.

Affert Lun'g. Spic. Ec. p.892.

INSTRUMENTUM APPELLATIONIS

Ad sedem apostolicam & generale concilium melius informandum, nec non ad futurum pontificem per concilium legitime eligendum.

Affert & Hardtius e quo variantes dantur.

IN nomine Domini Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo sextodecimo, indictione nona, apostolica sede vacante, die lunæ, vicesima septima mensis aprilis, hora primarum vel quasi, tempore sacri generalis concilii Constantiensis in nostrorum Notariorum publicorum testiumque infrascriptorum *ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum* præsentia personaliter constitutus honorabilis vir dominus Kuvvt alias Bell procurator, ut asseruit, & syndicus procuratorio & syndicatorio nomine venerabilium virorum dominorum Hugelmann decani & capituli, necnon Friderici de Zolre canonici venerabilis ecclesiæ Argentinensis, & etiam excelsorum dominorum magistri officiorum, necnon proconsulum consulum & universitatis magnificæ civitatis Argentinensis, nec non *Rulini* Barpfenning, Ulrici *Goßæ* & Michaelis *Melbruge* civium Argentinensium, tam conjunctim quam divisim, habens & tenens in suis manibus quandam appellationem papiri cedulam, quam ibidem palam & publice ac alta & intelligibili voce legit & publicavit ac *procuravit*; & appellavit & protestatus fuit aliaque dixit & fecit, quemadmodum in eadem appellatione continebatur, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. *Coram vobis notario publico & testibus*, hic præsentibus & astantibus. Ego Heinricus Kuvvt dictus Bell, procurator & syndicus, procuratorio & syndicatorio nominibus venerabilium virorum dominorum Hugelmann decani & capituli, nec non Friderici de Zolre canonici venerabilis ecclesiæ Argent, ac etiam excelsorum dominorum magistri officiorum nec non proconsulum, consulum & universitatis magnificæ civitatis Argentinensis, necnon Rulini Barpfenning; Ulrici Goffe & Michaelis Maleburge civium Argentinensium, tam conjunctim quam divisim, protestor solempniter & expresse, quod per præsentem & quemcumque alium actum per me dictis nominibus factum aut faciendum, non intendo me quibuscumque rite juste ac sancte per prædictum sacrum generale Constantiense concilium in Spiritu S. legitime congregatum diffinitionibus, decretis ac statutis & ordinationibus ac diffiniendis, *decernendis*, statuendis & ordinandis in aliquo opponere aut contra ea facere vel venire. Quinimmo volo semper & intendo diffinitionibus sanctis & justis, necnon decretis statutis & ordinationibus atque mandatis prædicti sacri concilii firmiter atque humiliter parere & obedire. Infra dictis tamen semper salvis, protestor insuper quod per præsentem actum, vel etiam alium quecumque per me factum aut faciendum nolo neque intendo ab appellatione & appellationibus per me nomine dictorum dominorum in præsenti causa interpositis & a gravaminibus eis illatis quoquo modo recedere neque resilire, sed eisdem volo firmiter inhærere; quibus protestationibus ipsis salvis appellando propono dictis nominibus & dico, quod quamvis prædicti domini decanus canonici & capitulum nuper desolationis, destructionis, *dilacerationis* bonorum eorum, possessionum, terrarum, opidorum & castrorum prædictæ venerabilis ecclesiæ Argentinensis alienationis per Willelmum de Dyest assertum electum ejusdem ecclesiæ dampnose & irrecuperabiliter factis; præsertim cum idem Wilhelmus tempore suæ dampnosæ & execrabilis promotionis prædictam ecclesiam Argentin. in triginta castris vel circa & opidis atque redditibus invenisset ad valorem triginta milium Florenorum auri annuatim abundare, quæ omnia temporibus suis miserrime dilapidavit, dissipavit & quasi ad nihilum reduxit. Ita quod hodie dicta ecclesia Argentin. nullum hujusmodi opidorum & castrorum in possessione habet, quod detestabile est audire; pie compatientes & cupientes quantum in eis erat indempnitati ecclesiæ prædictæ providere & finali ipsius ecclesiæ exterminio imminenti obviare, ad ipsius Wilhelmi (*arrestationem*) tunc fugitivi & suspecti propter præmissa per eum commissa & perpetrata volens tunc & intendens opidum Zabern ipsius ecclesiæ Argentin. penitus ab ipsa ecclesia alienare, prout publica vox & fama tunc de his in partibus illis erat, quemadmodum etiam quasi alienatum esse videtur; debita cum honestate processissent, cum non erat superior, ad quem statim posset recursus haberi, propter periculum instans, quem etiam in habitu laicali & absque tonsura clericali repetierunt, quemadmodum etiam semper incedere solebat & solet; & successive prædicto sacro concilio arrestationem, (*electi*) alienationem, destructionem, desolationem & finale exterminium per suos legitimos procuratores atque *amicos* (*nuncios*) solempni-

Margin notes: Deest ap. Hardtium [ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum] — H. *Reilini* — H. *Glori* — H. *Meelburg* — H. *proposuit* — Deest [Coram vobis notario publico & testibus] — H. *disponendis* — H. *Dilapidatione*

ANNO CHRISTI 1415.

pniter atque ſufficienter intimaſſent cum exhortatione & ſupplicatione tam humili quam devota deprecando, quatenus prædictum ſacrum concilium prædictis dominis decano, canonicis & capitulo & eccleſiæ Argentinen. in præmiſſis paterne conſulere, ipſique eccleſiæ tam miſerabiliter deſtructæ occurrere; necnon etiam dominum Bernardum comitem de Eberſtein prædicti opidi, una cum *VVyrico de Hoenburg* occupatorem & detentorem, tunc perſonaliter coram præfato ſacro concilio ſeu certis tunc in cauſa hujuſmodi deputatis conſtitutis ad reſtituendum eccleſiæ prædictæ opidum prædictum vel ad reponendum ipſum in manibus ipſius ſacri concilii, compellere & conſtringere dignaretur, prout hæc & alia in inſtrumentis publicis deſuper confectis, ad quæ me quo ſupra nominibus refero, & ea necnon omnia & ſingula acta, facta, dicta, geſta in præmiſſis & circa præmiſſa hic inſero & pro inſertis haberi volo quatenus tamen faciunt pro juſtificatione præſentis appellationis & non alias plenius continetur. Nihilominus tamen prædictum ſacrum concilium, cum omni ſemper benigna ſupportatione ejusdem loquendo, majoribus, *ut præſumitur*, propeditum negotiis ſupplicationem & exhortationem dictorum dominorum decani, *cantoris* & capituli uſque nunc exaudire in præmiſſis, paterne conſulere & occurrere & indempnitati eccleſiæ prædictæ providere diſtulit atque differt; & quamvis etiam prædicti domini decanus, canonici & capitulum nuper reverendiſſimis in Christo patribus dominis Johanni patriarchæ Conſtantinopolitano & Nicolao epiſcopo Merſeburgenſi in civitate Argentin. nomine dicti ſacri concilii exiſtentibus, nonnullas vias rationabiles ac juſtas & ſanctas obtuliſſent, & etiam apud eos debita cum inſtantia inſtitiſſent, quatenus indempnitati eccleſiæ prædictæ providerent, dictumque opidum ad manus ipſorum nomine prædicti concilii reciperent, & alias in præmiſſis eccleſiæ prædictæ ſalubriter ſuccurrerent, attentis maxime legitimis *cauſis* ſuſpitionis, perpetuæ alienationis opidi prædicti ac etiam *Borre*, quod etiam idem comes Bernhardus abſque aliqua requiſitione prædicti *proviſi* electi ac etiam ipſorum dominorum decani canonicorum & capituli de facto cum opido prædicto una cum prædicto Wyrico occupat; quæ etiam cauſæ coram eiſdem ambaxiatoribus allegatæ fuerunt continentes in effectu videlicet ex eo & pro eo quia idem comes Bernhard. abſque eorum dominor. decani, & cap. canonicorum; quinimmo contra ipſorum voluntatem ſe detentioni & occupationi eorundem caſtri & opidi intromiſit, licet vaſſallus ſit eccleſiæ tamen ad opidum & caſtrum nec huic ſacro concilio, nec eccleſiæ Argent. nec etiam capitulo ejusdem eccleſiæ reſtituere curat, neque curavit, cum tamen juramento fidelitatis quo eccleſiæ alligatur, (*a*) ipſe ſe dominis decano & capitulo oppoſuit ſupradictis, expreſſe ſe partem contra eos faciens tam coram prædictis reverendis patribus quam alibi. Quinimmo etiam idem comes cum volentibus eccleſiæ prædictæ ac capitulo movere guerram illegitime converſatur, & eiſdem alligatus exiſtat, ac ſimiliter ipſis dominis decano, canonicis et capitulo ex prædicto opido & caſtro guerram movere minatur, ſtudens obeſſe eccleſiæ; cum juxta exigentiam juramenti fidelitatis ſibi prodeſſe deberet, & ejuſdem indempnitati præeſſe. Tertio quia idem comes ſervitor & fautor ſpecialiſſimus fuit, et eſt illuſtris principis domini Ludovici ducis Bavariæ comitis Palatini, (*b*) qui etiam terras & opida eccleſiæ una caſtro Ortenberg de facto & contra jus detinet, & ſic vehementer ſuſpicatur eadem opida Zabern. & Caſtrum *Borre* ſibi ipſi uſurpare poſſe. Quarto quia potentia ipſius domini ducis & præfati comitis Bernhardi adeo eſt magna quod in caſu ceſſus vel deceſſus aut privationis ipſius Wilhelmi vel etiam hoc ſacro concilio diſſoluto, nunquam opidum & caſtrum prædicta de manibus ipſius comitis Bernhardi evelli poſſent. Quinto quia apparuit & apparet etiam magna ſuſpicio contra eundem comitem Bernhardum, ex eo quia alias idem comes recepit in hypothecam villam *Zaſsbach* cum fortalitio pro ſexcentis florenis auri a prædicto Wilhelmo ſine conſenſu capituli ad finem ut eidem Wilhelmo in guerra contra dominos decanum, canonicos & capitulum & civitatem Argenti. aſſiſteret; idem etiam comes eandem villam cum fortalitio eccleſiæ Argent. reſtituere noluit, niſi decanus, canonici & capitulum hujuſmodi villam & fortalitium ab eodem comite pro ſexcentis florenis de bonis eccleſiæ relevarent. Alioquin etiam in perpetuum ab eadem eccleſ. fuiſſent alienata. Sexto ex eo quia in inſtructionibus per dominos abbatem monaſterii in Elvvangen & Criſtian de Erpel hujuſmodi ſacri concilii nuntios nuper Argentinæ exhibitis continebatur & continetur inter cætera, quod idem comes Berhardus in omnem eventum retinere deberet & debeat poſſeſſionem caſtri & opidi prædictorum & ea reſtituere duntaxat dicto Wilhelmo *de* futuro præficiendo epiſcopo. Ex quibus etiam luculenter apparuit & apparet indempnitati eccleſiæ minime proviſum eſſe. Quinimmo etiam prædicta contra diſpoſitionem juris communis attemptata videntur. Nam in caſu ceſſus vel deceſſus prædicti Wilhelmi ac vacationis prædictæ eccleſiæ gubernatio & cuſtodia opidorum, caſtrorum & poſſeſſionum eccleſiæ ad decanum, canonicos & capitulum prædictos pertinent de jure, quo jure iidem domini decanus, canonici & capitulum in caſu hujuſmodi forent penitus deſtituti, ſi hujuſmodi opidum & caſtrum in manibus ejusdem comitis modo præmiſſo remanere deberent. Septimo apparuit & apparet ſuſpicio contra eundem comitem, quod ab initio receptionis caſtri et opidi prædictorum dixit idem comes coram pluribus fide dignis ſe eadem ſubintraſſe et ea detinere nomine Imperii et de juſſu prædicti domini ducis tamquam *ſubballiuus* imperii. Nunc autem dicit ſe eadem detinere & cepiſſe tanquam vaſallus eccleſiæ, et pro eccleſia, mutans verba per eum dicta. Et quatenus prædicti domini ambaxiatores et nuncii ſacri concilii prædicti rationabilibus cauſis, modis et viis eis per dominos decanum, canonicos et capitulum prædictos oblatis debuiſſent acquieviſ-

ſe

H. *Ulrico de Honberg*

H. *ut præfertur*

H. *Canonicorum*

H. *conſervationibus*

H. *Caſtri Vvirico*

H. *Bruſenſi*

(*a*) Addit Hardtius: *ſecundo quia idem comes non obſtante juramento fidelitatis quo eccleſ. obligatur ipſe*

(*b*) Addit Hardt. *Rheni*

H. *Boir*

H. *Salzbach.*

H. *vel*

H. *Subvaſſallus*

se et ecclesiæ prædictæ circa ejus invempnitatem providisse. Ipsi tamen domini patriarcha et episcopus et alii nuntii prædicti *communes* et singulas justas et sanctas ac rationabiles vias prædictas acceptare et ecclesiæ prædictæ in præmissis providere penitus recusarunt et denegarunt, dicentes, se ad præmissa nullum habere mandatum. Et quamvis sacra generalia concilia et prædictum sacrum Constantiense concilium per Spiritum Sanctum, ut pie creditur, regulata fuerunt, prout etiam ipsum sacrum Constantiense concilium regulari dicti domini mei firmiter credunt. Et propterea etiam ipsum sacrum concilium in aliquo errare quod absit, *aut tamquam inscitiam* in ipso denegare per quenquam asserere, foret ipsum Spiritum Sanctum reprehendere, quod absurdum *inimicum* censeretur; verumptamen quia prædicti domini appellationis veridica relatione didicerunt, quod præfatum sacrum Constantiense concilium in hujusmodi causa supradictæ ecclesiæ Argent. in præmissis compaciendo, nonnullis dominis prælatis atque doctoribus sedecim *immo* videlicet de quatuor deputavit, qui causam hujusmodi audiendi et cognoscendi usque ad sententiam diffinitivam exclusive habuerunt potestatem. Qui quidem domini etiam sedecim commissarii deputati inter se deliberaverunt & concluserunt in hunc modum, videlicet in primis applicando jura ad ea quæ facta sunt in materia, discussoque prius an super caracteris clericalis vel ordinis ecclesiastici sacri vel non sacri electi Argent. *excipiendo* perseverando sit ante omnia pronunciandum. Et utrum ab hujusmodi exceptionum excipiendo sint repellendi diversis considerationibus ad evitandum multa inconvenientia & consistentibus in facta resultancia ad faciliorem expeditionem causæ sine suspicione, & ut veritas habeatur, ac scandala & pericula imminentia evitentur, avisando deliberarunt: primo quod causa hujusmodi tam pro electo quam contra eum capitulumque & communitatem Argent. cum dependentiis emergentiis incidentiis & connexis committatur aliquibus judicibus per concilium cum plena potestate in forma juris tractanda in Basilea vel in alio loco insigni extra Constantiam & Argent. ex causa usque ad sententiam exclusive. Et tam ex officio nobili per inquisitionem quam mercenarii procedendo plenarie processu instructo & concluso assignata die ipsi electo et aliis quibus fuerit & videbitur assignanda Constant. ad comparendum personaliter vel peremptorie secundum exigentiam casus vel materiæ coram concilio, audituri relationem processus et ipsius exhibitionem postmodum judicando per ipsius concilii deliberationem. Item avisando deliberaverunt quod ante omnia deberent inducere, monere et requirere capitulum & communitatem Argent. ut dictum electum deliberent & relaxarent in manibus judicum deputandorum nomine concilii & hoc excommunicationis in singularum personas & interdicti in capitulum & civitatem & in eorum territoriis & dominiis & aliis poenis, tam juribus quam aliis, de quibus *indebite* eis quas ipsi *possint*, debeant & teneantur declarare, casu quo non fecerunt & processus facere contra particulares culpabiles. Item avisando deliberarunt, quod electo liberato, & in eorum manibus reposito immediate in eodem loco existente debeant inducere, requirere et monere, maxime dicti electi consensu interveniente, ut opidum Zabern et castrum Borre detinentes debeant relaxare et remittere pure et libere in potestate et custodia dictorum judicum nomine concilii *& hoc* per consimiles censuras & interdicta aut consimiles declarationes et per privationem feudorum et aliarum poenarum de quibus eis videbitur. Item avisando deliberarunt quod castrum & opidum hujusmodi debeant dari & committi in custodiam alicujus non suspecti fideli habita deliberatione cum ipso electo & aliis de quibus videbitur, & quod ultra redditus annuos dictorum castri & opidi pro custodia *exponendi* non possint & debeant, nec etiam etiamsi pro *communibus* expensis fieri possit, & quod pro stipendiis suis vel expensis vel quocunque casu dato fortuito vel alio non possit nec debeat differri expeditionem & traditionem castri & opidi prædictorum ad decretum & beneplacitum concilii vel specialiter ad hoc deputatorum; & de hoc debeant recipi juramenta obligationis & hypotecationis & alias securitates possibiles. Item avisando deliberarunt, quod qui castrum & opidi custodiam habebunt, debeant & teneantur jurare & promittere, non offendere capitulum vel communitatem Argent. quod eis debeat fieri inhibitio & similiter illis de capitulo & communitate Argent. sub poenis formidabilibus, donec per concilium vel suam auctoritatem aliud super hoc fuerit ordinatum. Et quamvis post prædictam deliberationem & etiam ante iidem domini sedecim deputati requisiti fuissent & cum instantia ab eis petitum fuisset, quatenus indempnitati ecclesiæ prædictæ, maxime circa opidum prædictum providerent, & si providissent quod nondum apparuit prædictos dominos decanum canonicos & capitulum de hoc certificarent, cum iidem domini tunc fuissent & essent parati præfatum Wilhelmum relaxare præstita per ipsum sola juratoria cautione de stando & parendo juri coram prædictis deputatis & sacro concilio, ad quod etiam ipsi domini paratos se semper obtulerunt. Prædicti tamen etiam domini deputati indempnitati hujusmodi saltem tacito pertransientes se deliberationem quam facere intendebant circa præmissa fecisse asserebant; dictos tamen appellantes de provisione indempnitatis hujusmodi certificare non curarunt. Cumque iidem domini deputati in causa hujusmodi juxta eis per prædictum sacrum concilium commissa procedere intendissent. Aliqui tamen pauci *animo* partiales prælati a Spiritu Sancto, ut *præsumitur*, recedentes, seque *procuratoribus* a magistris magnis inter sanctos dominos ibidem in eodem spiritu congregatos, tamquam principales gubernatores præsentantes, mittentes falcem in messem alienam, in angulis & non in publico quasdam particulares fecisse dicuntur in causa hujusmodi deliberationes a jure communi penitus devias & exorbitantes, licet su-

[Marginal notes: I. Omnes; I. Aut uiquam ustitiam; I. Nimium; I. In numero; I. Exeientes in ta decetione perverent; Videbitur; Pro nunc; H. Et hoc sine stipendiis sive expensarum restitutione. Et hoc.; H. Expendi; H. Minoribus; H. Numero; H. Præmittitur; H. Pro Rectoribus]

ANNO CHRISTI 1415.

ſuper hoc a prædicto ſacro concilio nil penitus habuiſſent in mandatis; ſaltem ſic deliberandi; qui etiam omnibus & ſingulis per prædictos ſedecim deputatos deliberationibus & concluſionibus contradixiſſe & contrarium feciſſe comprobantur, prout rei docuit, proh dolor! & hodie docet exitus. Et licet idem Spiritus Sanctus per organum prophetæ David locutus fuerit ſic inquiens, *recte judicate filii hominum*, quod etiam judicium non immerito ipſe idem ſpiritus in prædicto ſacro concilio procul dubio fieri ſemper voluit ac hodie vult, machinationibus partialitate exorbitantiis & particularibus deliberationibus iniquis & injuſtis perſonarum quarumcumque non obſtantibus quibuſcumque. Quædam tamen *prævisa* litera ſub ſigillo *sine* bulla dicti ſacri concilii partialiter & abſque prædictorum ſedecim deputatorum; quinimmo etiam præter & abſque inclitarum quatuor nationum prædicti ſacri concilii ſcitum conſenſum, voluntatem & mandatum, cameraliter & *non* angulariter contra omnem juris formam & debitam rationem etiam ſurreptitie & obreptitie contra prædictos dominos meos, etiam neſcitur ad cujus inſtantiam, emanata eſſe dicitur, in qua de omnibus & ſingulis oblationibus requiſitionibus exhortationibus dicto ſacro concilio per dictos dominos meos factis, nec non de alienatione, deſolatione, deſtructione periculis, exterminiis & aliis ſupradictis dilapidationibus per dictum Wilhelmum venerabili eccleſiæ Argent. prædictæ factis & præſtitis nulla penitus mentio facta apparet. Quinimmo per eandem *provisam* bullam exorbitantes prædicti domini mei per edictum, per modum monitionis requiri dicuntur, quatenus infra duodecim dies poſt lectionem, publicationem & affixionem ejusdem prævisæ bullæ in certis eccleſiis & locis, ibidem expreſſe factas prædictum Wilhelmum aſſertum electum nec non cantorem eccleſiæ prædictæ cum eorum familia abſque qualibet contradictione, obſtaculo plenarie in manibus dicti ſacri concilii ſeu commiſſariorum ab eodem ſacro concilio ad hoc deputatorum libere reſtituerent, ipſique ablata redderent & reddi ac reſtitui facerent, vel de ipſis ſi non extarent, ſatisfacerent aut ſatisfieri procurarent, competenter ſub excommunicationis & interdicti & aliis ſimilibus & cenſuris ac poenis. Quod ſi forſan hujuſmodi monitionibus & requiſitione in dicto termino parere contempnerent, infra alios duodecim dies domini Hugelmannus decanus, Fridericus de Zolre, necnon Rulinus Barſsfenning, Ulricus Goffe & Michael Melburge, perſonaliter in eorum propriis perſonis, & alii domini canonici & capitulum omnes legitime comparerent Conſtantiæ in loco ſeſſionis, ad videndum & audiendum ſe declarari in cenſuras & poenas, tam juris quam ſacri concilii prædictas incidiſſe, certificantes nihilominus omnes & ſingulos ſupradictos dominos et eorum quemlibet, quod ſine hujuſmodi monitionibus & requiſitione parere & obedire ac in præfatis terminis comparere curarent ſive non, ipſa nihilominus ſancta ſynodus ad omnia & ſingula præmiſſa & alia juris remedia in præmiſſis oportuna quomodolibet procederet, quæ utique ab ipſa S. ſynodo proceſſiſſe minime creduntur, ſed potius cameraliter, *particulariter*, atque furtive, ead. S. ſynodo penitus ignorante extorta præſumitur, maxime ex eo & pro eo quia quidam Gaſpar de Peruſia, quia ſemper atque frequenter prædictos dominos meos in prædicto ſacro concilio & in nationibus nequiter & mendoſe tanquam advocatus diffamando, prædictam prævisam bullam præter ſcitum conſenſum & voluntatem dicti ſacri concilii & ipſarum quatuor nationum, non per cancellariam; ſed angulariter & cameraliter expediviſſe comprobatur pecuniæ & muneribus corruptus, dictum ſacrum concilium vituperando & ſcandalizando. Nam in eodem prævisо monitorio inter cætera continetur, quod dicti domini decanus & capitulum eidem Wilhelmo debitam obedientiam promiſerint & præſtiterint, quod omni caret veritate. Quinimo idem Wilhelmus eisdem decano ſolempne præſtitit juramentum de non alienando bona eccleſiæ prædictæ; cujus tamen contrarium fecit perjurium incurrendo. Etiam non attendens eadem S. ſynodus, quod præfatus cantor fuit & eſt de jurisdictione dictorum dominorum decani & capituli, quodque etiam de conſuetudine legitime præſcripta correctio & punitio canonicorum dictæ eccleſiæ Argent. delinquentium, ac etiam arreſtatio, captio & detentio eorundem ad eosdem decanum & capitulum ſpectavit & pertinuit, quodque etiam ſi apparere poſſet, eundem cantorem & canonicum per decanum & capitulum prædictos fuiſſe captum, quod hujuſmodi captura rite & legitime ipſius cantoris & canonici de *causis* exigentibus facta fuit; & præſertim ex eo & pro eo, quia idem cantor ut laicus ſine habitu & tonſura clericalibus in armis equitando ſemper inceſſit. Quodque etiam juxta juramentum per eum præſtitum decano prædicto obedire ſæpius recuſavit, & contra juramentum ſuum veniendo capitulum ejusdem eccleſiæ rebus & bonis ſuis vi & manu armata ſpoliavit, ac ſæpius debellare et deprædare ſtuduit. Eosdem etiam decanum et capitulum ad indebitas exactiones ſpreto judicio et foro atque jurisdictione ſpirituali compulit, (*a*) nec juſtitia in foro eccleſiaſtico contentari voluit, ſed eosdem exactionare, depredare ad ſuæ libitum voluntatis, et quam plura alia enormia, contra juramentum fidelitatis et obedientiæ commiſit et perpetravit. Non attendens etiam ipſa S. ſynodus, quod præfatus Wilhelmus prævisus electus non fuit, neque eſt in aliquo etiam clericali vel *majori* ordine conſtitutus, quodque tanquam purus laicus armatus ſemper inceſſit ſine aliqua tonſura. Quodque etiam tempore ſuæ arreſtationis ſic repertus fuerit, et ſic etiam ejusdem correctiones et puniтiones ad præfatos dominos magiſtrum officiorum, rectores et officiales prædictæ civitatis Argentin. non eſt dubium pertinere. Quodque ad dictum ſacrum Conſtantienſe concilium de exceſſibus laicorum non ſpectat cognoſcere, et præſertim de exceſſibus in dicta civitate Argent. et ejus diſtrictu per dictum Wilhelmum de Dyeſt commiſſis & perpetratis inhi-

H. *Pratensa* · H. *Sive* · Deeſt *non* · H. *Pratensam* (& ſic ſemper · H. *Partialiter* · H. *Meritis* · (*a*) Deeſt *compulit* · H. *Minori*

hibendo, mandando, monendo vel aliis qualitercunque disponendo. Et licet prædictum prævisum monitorium, præter scitum voluntatem consensum atque mandatum dicti sacri concilii ac etiam contra juris et stili Romanæ curiæ (*a*) emanasse creditur, eique etiam tamquam nullo et jure communi exorbitanti, necnon subreptitie et obreptitie extortum fides aliqua non fuisset, neque esset adhibenda, sibique etiam minime parendum neque obtemperandum per prædictos dominos, monitos, ut dicitur, atque citatos quamvis de facto. Et quamvis etiam in prævisa forma dicti prævisi monitorii caveatur expresse, quod dictum prævisum monitorium per edictum publice foret in Romana curia, et extra in partibus circumvicinis affigendum. Nihilominus tamen etiam prævisa forma hujusmodi in exequendo minime servata esse dicitur, maxime cum originalis prævisa bulla hujusmodi minime reperiatur in aliquo locorum edicti hujusmodi, extra Romanam curiam fuisse in valvis ecclesiarum, ut moris et juris est affixa. Et licet præfatus dominus Gaspar de Perusio, advocatus dictæ partis, nuper coram omnibus dominis deputatis quatuor nationum hujusmodi sacri concilii in causa hujusmodi, tunc audientia illustris principis D. comitis de Wirtenb. necnon Basiliensis & Constantien. civitatum, nec non Bernensis. *Turicensis*, Schaffusensis, Lucernensis, Uberlingensis, Ravenspurgensis, Rotvylensis, Lyndovvensis, Pfullendorphensis & Vilingensis opidorum imperialium ambaxiatoribus, data in domo fratrum minorum Constantiensis congregationis, expresse postulasset & petivisset, quemadmodum etiam sæpe & sæpius pro parte dictorum dominorum decani canonicorum & capituli petitum & postulatum; quatinus hoc sacrum generale concilium indempnitati ecclesiæ Argentin. prædictæ provideret, prædictique etiam ambaxiatores coram eisdem dominis deputatis & a sacro concilio etiam cum instantia postulassent, quatinus prædictæ reverendissimæ P. & hoc sacrum concilium intuitu Dei & etiam propter bonum pacis & concordiæ & pro utilitate & statu reipublicæ totius patriæ terminum monitorii prædicti nec non etiam salvum conductum eisdem dominis, decano, canonicis & capitulo ac magistro officiorum proconsulibus & consulibus dictæ civitatis Argent. per idem sacrum concilium datum & concessum ad moderatum tempus, videlicet terminum quindecim dierum proxime futurorum, prorogare dignaretur; attento maxime quod iidem domini ambaxiatores mediante auxilio & consilio ejusdem sacri concilii sperabant inter partes hujusmodi se taliter interponere & amicabiliter tractare, quod causa hujusmodi absque magnis periculis concordaretur & terminaretur. Nihilominus tamen prædictæ reverendissimæ P. seu saltem prædicti domini deputati reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium, consensu nec non votis nationum hujus sacri concilii, ut creditur, minime super hoc audito, neque receptam petitionem prædictam expresse rejecerunt, seu saltem admittere recusarunt. Et *prædictus* reverendissime P. cum benigna semper supportatione earundem reverendissimarum paternitatum loquendo, ut dicitur, de prædictis non ignari aliasque nulliter & de facto in causa hujusmodi procedentes ad executionem dicti prævisi monitorii, nec non pœnarum & censurarum prævisarum in eodem expressatarum declarationem contra eosdem dominos meos monitos atque citatos procedere nituntur. Et quia prædicta omnia & singula fuerunt, erant & sunt vera publica & notoria, dictique etiam decanus canonicus & capitulum, necnon procurator & syndicus nominibus, quibus supra, prædicta omnia & singula fuerunt, & erant, quilibet ipsorum fuit, & hodie est probare paratus & *se* ad probandum prædicta si necesse fuerit admitti petunt, & quilibet eorum petit, inquantum onus probandi prædicta sibi incumbit, de quo etiam protestantur. Ideo procurator prædictus nominibus quibus supra sentiens se & dictos dominos suos & jura ipsorum per prædicta omnia & singula & eorum quemlibet fore læsos & læsa, timentque eos imposterum ab eisdem dominis prælatis deputatis sacri concilii, tamquam male informatis, & a prædictis particularibus deliberationibus & a dicto prævisro iniquo, nullo & invalido monitorio, necnon a prævisis poenis & censuris in eodem contentis & a singulis membris & capitulis in ipso expressatis, nec non etiam a dicta prævisa, iniqua & injusta excommunicatione ac etiam a dictarum petitionum *justarum* non admissione & non exauditione & a dicto prævisro processu prædictæ quam venerabilis ecclesiæ Argent. irrecuperabili dampnificatione prædictorumque opidi Zabern & castri Borre alienatione & prædicti comitis Bernhardi eorundem occupatorum tali quali tollerantia ipsiusque comitis expulsione, denegatione & ab omnibus aliis & singulis gravaminibus quæ ex præmissis & actis ecclesiæ hujusmodi elici possint, & quæ ad probandum sufficiunt, tam conjunctim quam divisim, non tamen a prioribus appellationibus in causa hujusmodi interpositis recedendo, ad sanctam sedem apostolicam & ad sacrum generale concilium (*b*) melius informandum & ad futurum Romanum Pontific. auctore domino per ipsum sacrum concilium eligendum, in hiis scriptis, dictis nominibus provocat & appellat ac apostolos petit primo, secundo & tertio ac instanter, instantius, & instantissime sibi dari & exhiberi, subiiciens se & dictos dominos suos & eorum quemlibet ac jura & bona ipsorum eisque adhærentium protectioni & tuitioni sedis apostolicæ & hujus sacri concilii, protestando solempniter & expresse quod hujusmodi *appellatione* pendente nihil penitus contra ipsos suos dominos attemptetur seu innovetur. Quodque etiam hujusmodi appellationem vult & intendit prosequi & *jure* debito terminare loco & tempore oportunis. Et quod etiam præsentem appellationem possit & valeat corrigere & emendare, eique addere & minuere, & alias protestatur ut fuit & est moris atque juris & stili sacri Palatii apostolici causarum & curiæ Romanæ, requirens vos notarios publicos infra scriptos ut de præmissis omnibus et singulis conficiatur unum

(*a*) Addit Formam

I. Cluniensis

I. Dicta

H. Et hodie

H. Instantiam

(*b*) H. Addit Constantiense

H. Approbatione

H. Fine

ANNO CHRISTI 1415.

num vel plura publicum vel publica et tot quot necessaria fuerint instrumentum vel instrumenta ad futuram rei notitiam. Acta sunt hæc in majori ecclesia Constantiensi sub anno, indictione die et mense quibus supra. Præsentibus ibidem reverendo in Christo patre domino Ludovvico episcopo *Bauvvarensi*, ac venerabili ac provido viro magistro Johanne de Breyda in Medicinis licentiato et Petro *Annotti* sacri palatii apostolici causarum auditoris, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

H. *Bangarensi*

H. *Amisti*

Et ego Gumperthus Fabri de Wildingen clericus Moguntiensis diœcesis publicus apostolica et imperiali auctoritate Notarius prædictis protestationibus, provocationi et appellationi, interpositioni, omnibusque aliis & singulis præmissis dum sicut præmittitur per supradictum dominum Henricum Kuvvt procuratorem & syndicum fierent & agerentur una cum infrascripto notario & testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum per alium me aliis occupatum scriptum una cum provido viro magistro Johanne Hees de Wener notario publico infrascripto exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum ejusdem magistri Johannis Hees Notarii signo & subscriptione signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Et ego Johannes Hees de Wener, clericus Padeburn. dioec. publicus apostolica & imperiali autoritatibus notarius, quia hujusmodi appellationi, interpositioni & lectioni cæterisque præmissis una cum prænominatis testibus atque notario supraescripto præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi; ideoque hoc præsens publicum instrumentum per alium fideliter scriptum una cum ipso notario exinde confeci, subscripsi & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis consignavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium et singulorum præmissorum.

DECRETUM

Contra appellationem Argentinensium.

Hardtius t. IV. p. 719.

CUm appellationibus frivolis nec justitia deferat, nec sit a judice deferendum, et constat, appellationem, in causa cujusdam monitorii, per sacrosanctam synodum Constantiensem in causa Argentinensi decreti, nomine decani et capituli ecclesiæ Argentinensis, et quorumdam aliorum in instrumento publico dictæ appellationis nominatorum, interjectam, super causis non veris et frivolis fundatam: Attenta maxime notorietate injustæ detentionis personæ venerabilis electi ecclesiæ Argentinensis, quodque illa etiam verba injustitia mediante sic de jure qualificent monitorium præfatum, quod non est procedendum contra appellantes præfatos, si in termino compareant, et pareant, et rationabilem causam cur parere non debeant, proponant, et justificent, sicque semper intellexerit præfata sancta synodus, dum dictum monitorium, decrevit, et expedivit: contineatque eadem appellatio multa juri et rationi dissona, sicut ex tenore illius evidenter colligitur: eapropter dicta sancta synodus præfatam appellationem tanquam *frivolam*, frustatoriam, temerariam, et inanem, in materia et forma peccantem, non admittit, præsentem responsionem pro apostolis refutatoriis concedendo, et poenam temere appellantibus infligendam loco et tempore sibi reservando. Mandans et præcipiens dictis appellantibus, ut, si aliquam causam rationabilem habeant, cur dicto monitorio parere non teneantur, illam in præsentiarum, juxta assignationem alias eis factam proponant, ut inde ad ulteriora procedatur, prout fuerit juris et rationis.

DECLARAT CONCILIUM ARGENTINENSES

contumaces in poenas decretas incidisse.

Affert Lunig. Spic. Ec. p. 898.

IN Dei nomine Amen. Ad compescendos temerarios ausus subditorum in superiores et prælatos suos, nec non laicorum, quos clericis infestos opido tradit antiquitas, personas ecclesiasticas et præsertim pastorale gerentes officium, tuendamque ecclesiæ libertatem, hæc sancta generalis synodus Constant. dudum ad eam, fama publica proferente, frequentique et clamosa insinuatione rem pene notoriam demonstrante, quod Hugelmannus decanus et Fridericus de Zolre canonicus de mandato capituli ecclesiæ atque de consensu proconsulum, rectorum et communitatis civitatis Argent. necnon Michaelis Melbruge, Rulini Barpfenning dictæ civitatis civium consilio, auxilio & consensu dilectos etiam filios Wilhelmum electum nec non Fridericum cantorem dictæ Argentinensis ecclesiæ cum nonnullis eorum bonis & rebus manu armata violenter & temere ceperant in quodam castro ad ipsam ecclesiam pertinente atque ad civitatem Argent. invitos adduxerant, carcerique mancipaverant, dictique Hugelmannus Fridericus alii supra nominati nec non capitulum, consules proconsules, civitas & communitas prædicti inclusos detinebant, prout adhuc detinent mancipatos, præfatum Hugelmannum decanum, Fridericum canonicum, necnon capitulum consules, proconsules, rectores, & communitatem, atque Michaelem & Rulinum præfatos, canonice & peremptorie monuit quatinus infra certa temporum spatia tunc futura nunc autem & diu elapsa, prædictos Wilhelmum electum & Fridericum cantorem sub poenis juris & sacrorum canonum, necnon excommunicatione in singulos interdicti in ecclesiam atque civitatem, communitatem, necnon in terras Dominis atque loca ad capitulum & communitatem prædictum & prædictam communiter vel divisim pertinentes et pertinentia eidem sanctæ synodo redderent et relaxarent, nisi tamen causam vel causas allegare vellent, quare ad præmissa minime tenerentur, ad quam seu quas allegandas eorum sancta synodo certum et peremptorie terminum præfixit et assi-

assignavit, et ad illos peremptorie citavit; alioquin eadem sancta synodus præfatas sententias et censuras ex tunc in scriptis promulgavit. Et quia præfati moniti hujusmodi monitioni parere, et coram eadem sancta synodo legitime ad præmissa in assignato et prorogato terminis et eorum quolibet comparere, causamque vel causas præmissas allegare minime curaverunt, immo contumaciter contempserunt. Ad hoc tamen diutius expectati. Idcirco eadem sancta synodus præfatos Hugelmann decanum, Fridericum canonicum, Michaelem et Rulinum cives, nec non consules et proconsules, et singulariter singulos excommunicationem, ecclesiam vero civitatem et communitatem, necnon terras, dominia et loca prædictas et prædicta interdicti sententias & censuras incurrisse, dictasque personas, singulariter singulas, excommunicationi; ecclesiam vero, civit. & com. atque terras, dominia & loca prædictas & prædictas eccl. subjacere interdicto, pronunciat, et declarat, præmissaque mandat per omnes ecclesiæ subditos, qui fuerunt super hoc requisiti, publicari, et de præmissis confici literas opportunas.

Notificatio declarationis.

Sacrosancta et generalis synodus Constantiensis, venerabili episcopo Anconitano, et dilectis ecclesiæ filiis Convantiens. et Spiren. officialibus salutem, et Dei omnipotentis benedictionem. Cum dudum ad audientiam nostram, post depositionem Baldassaris, olim Johannis pontificis vicesimi tertii in sua obedientia nuncupati, per nos factam fama publica referente deductum foret, quod Hugelmannus de Vynstingen decanus, et Fridericus de Zolre, canonicus ecclesiæ Argentin. Michael Melbruge et Rulinus Barpfenning cives Argent. de capituli et canonicorum ecclesiæ prædictæ, nec non consulum et proconsulum, atque communitatis civitatis Argent. consilio, auxilio et consensu hoc ratum, et gratum habentium, cum nonnullis suis in ea parte complicibus ad oppidum Mollisheim Argentin. dioecesis ad episcopalem mensam spectans, in quo tunc erat dilectus ecclesiæ filius, Willelmus electus Argentin. una cum dilectis ecclesiæ filiis, Friderico de Bytz, cantore ecclesiæ prædictæ, et familia ipsorum electi et cantoris proquibusdam ipsius ecclesiæ negotiis illic una cum eisdem decano et canonico, ut ipse credebat Electus, utiliter pertractandis, et promovendis, manu armata accesserant, et suadente diabolo, ac Dei timore, nec non reverentia et obedientia eidem electo per ipsos debitis inconsulte postpositis, in electum et cantorem prædictos ausu sacrilego manus injecerant temere violentas, eosque cum prædicta ipsorum familia ignominiose coeperant, et ad eandem civitatem perduxerant; ibique carceribus manciparant, ac ex post detinuerant, prout adhuc detinent electum ipsum incarceratum. Nec non eosdem electum cantorem et familiam bonis et rebus suis apud eos repertis spoliaverant; propterea excommunicationem, aliasque censuras ecclesiasticas, et poenas in tales a jure prolatas dampnabiliter incurrendo. Nos de tam gravibus excessibus prope, nos qui ad universalis ecclesiæ reformationem diu ante hic fuimus, prout adhuc sumus auctore domino insimul congregati, & ad quos super quibuscumque quæstionibus movendis, contra electum cantorem ac familiam prædictos communiter et divisim de facili poterat recursus haberi; non immerito dolentes, et volentes, prout ad nos spectabat, et spectat, super hiis diligentius inquirere veritatem, venerabiles fratres, Johannem patriarcham Constantinopolitanum, & Nicolaum episcopum Mersseburgensem ad civitatem prædictam, cum plena potestate super præmissis simpliciter et de plano inquirendi, seque informandi, et si ita esse reperirent, electum et cantorem, ac familiam prædictos cum rebus et bonis hujusmodi eis ablatis, ut præfertur, libere in nostris manibus restituti, faciendi, requisitionemque et monitionem hujusmodi, cæteraque circa hæc quomodolibet utilia et necessaria faciendi, nuncios speciales nostros duximus destinandos, parati, de ipso electo querulantibus omnibus reddere bonum et breve justitiæ complementum. Ex quorum, siquidem patriarchæ et episcopi, qui ad eandem civitatem, prout eis injunximus, propter præmissa personaliter accesserant, postquam ab inde ad nos reversi fuerant, relatione fide digna comperimus, quod quanquam prædictas captionem et detentionem fore notorias in illis partibus reperissent, ac de illis et aliis præmissis ibi esset publica vox et fama, ipsique decanum, canonicos et capitulum, cives, consules, proconsules et communitatem prædictos pro parte nostra requisivissent, et monuissent instanter, ut electum, cantorem et familiam relaxarent, electumque in nostris manibus, ut facere tenebatur, libere assignarent, cum oblatione justitiæ, quam apud nos, sublata difficultate qualibet, invenirent, si contra ipsos vellent aliqua proponere, coram nobis tamen decanus Fridericus, capitulum, cives, consules, proconsules et communitas prædicti requisitione et monitione hujusmodi obauditis aut spretis prædictos electum, cantorem et familiam relaxare, ipsumque electum in nostris manibus assignare, minus debite denegarunt aut saltem distulerunt, prout adhuc denegant et differunt de præsenti, propter quæ nos ad juris remedia concurrere, suggerente justitia, commoniti, et in hac parte ex officio contra ipsos procedere volentes, per nostras certi tenoris literas ad instar edicti publici majoris Constantiensis, et quarundam aliarum dictæ dioecesis ecclesiarum portis publice affixis, monuimus decanum Fridericum, capitulum, cives, consules et communitatem prædictos, ac etiam quoscumque alios in præmissis forte culpabiles, videlicet infra certum terminum peremptorie competenter tunc expressum decanum Fridericum, canonicum, capitulum, Michaelem et Rulinum, cives, consules, proconsules, communitatem, et complices præfatos, quatinus electum et cantorem cum hujusmodi eorum familia, absque cujuslibet contradictione, obstaculo et plenarie in nostris manibus seu commissariorum, per nos super hoc deputatorum, restituerent aut ponerent, eisque ablata ipsa redderent, aut reddi & restitui facerent, si extarent. Alioquin de illis satisfacerent, aut procurarent sa-

satisfieri, competenter sub excommunicatione, quam alias decanum & Fridericum canonicum, necnon cives, consules, proconsules & alias culpabiles in præmissis, ac etiam singulas personas ex capitulo & communitate prædicta incurrere; necnon interdicti poenis, quo ecclesiam Argentin. & civitatem præfatas, & omnia loca, terras & dominia capitulo & communitati prædictis in temporalibus subjecta, corporaliter volumus subjacere. Et nihilominus ex tunc etiam decanum, Fridericum canonicum, capitulum, cives, consules, proconsules, communitatem, & complices, nec non omnes & singulos in præmissis culpabiles sæpedictos, & eorum fautores per idem edictum peremptorie citavimus, ut infra alium terminum peremptorie competenter etiam tunc expressum, videlicet decanum, Fridericum canonicum, Michaelem & Rulinum cives personaliter in eorum propriis personis. Alii vero omnes legitime comparent coram nobis, *ad audiendum per nos declarari, se in poenas & censuras prædictas incidisse, vel ad docendam causam rationabilem, quare illæ ferri non deberent*. In quo quidem primo termino dilectus ecclesiæ filius, magister Johannes de Scribann. procurator in Romana curia & promotor hujusmodi officii per nos deputatus coram nobis in judicio comparens, ac de citatione prædicta nobis fidem faciens, per legitima documenta prædictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit. Et licet etiam postea decano Friderico, canonico, capitulo, civibus, consulibus, & communitati prædictis pro bono pacis, nec non ad obviandum scandalis & litibus quæ alias ex præmissis & eorum occasione possint verisimiliter exoriri, multas dilationes sub dierum competentibus intervallis dederimus ad expurgandum, per ipsos coram nobis hujusmodi nimis morosam contumaciam eorundem, & quanquam specialiter exhortatione charissimi ecclesiæ filii Sigismundi, Romanorum et Hungariæ &c. regis illustrissimi excitati dilectum ecclesiæ filium, nobilem virum Henricum dictum Latzenback, militem ad prædictam civitatem Arg. et capitulum prælibatum transmiserimus, pro hujusmodi liberatione et relaxatione concorditer facienda, certo termino præfixo, donec ejusdem Henrici responsio haberetur, jam elapso, eandem declarationem suspenderimus, putantes intercedentibus suffragiis ejusdem invictissimi Romanorum regis, prædictos consules, proconsules et capitulum nostris immo Dei et ecclesiæ jussionibus hujusmodi obedire debere; ipsi tamen decanus, Fridericus canonicus, capitulum, cives, consules, proconsules, et communitas in reprobum sensum dati requisitioni et monitioni, nec non citationi nostris prædictis obedire contumaciter non curarunt, nec in termino eidem Henrico præfixo debite et cum effectu responderunt, nec quæ cum eodem Henrico tractaveramus, effectui demandarunt. Postea vero præfatus magister Johannes coram nobis in judicio comparens, quandam petitionem summariam in hujusmodi causa dedit, nosque demum attendentes, quod ferro scindenda sunt vulnera, quæ fomenta respuunt medicinæ, ad instantiam præfati Johannis prædictos decanum Fridericum, canonicum, capitulum, cives, consules, proconsules et communitatem ad nostram in causa hujusmodi declarationis sententiam audiendam, in audientia publica, ut moris est, citari fecimus ad certum diem peremptorie competenter, in quo prædicto Johanne coram nobis in publica sessione in judicio comparente, ac præfatorum citatorum non comparentium contumaciam accusante, et in eorum contumaciam sententiam ipsam ferri petente, nos ipsos citatos, quod ad hoc prout erant reputantes merito contumaces in eorum contumaciam visis, per nos et diligentes inspectis omnibus et singulis actis et habitis in causa hujusmodi, ipsisque cum diligentia recensitis et examinatis, per hanc nostram sententiam pronunciamus, et declaramus præfatos Hugelmannum decanum, Fridericum canonicum, Michaelem et Rulinum cives, nec non consules, proconsules, et singulariter singulos excommunicationis; ecclesiam vero civitatem et communitatem, necnon terras, dominia et loca ad capitulum et communitatem communiter vel divisim pertinentes, et pertinentia interdicti sententias et censuras incurrisse, dictasque personas singulariter singulas excommunicationi, ecclesiam vero, civitatem et communitatem, atque terras, dominia, et loca prædictas et prædicta ecclesiastico interdicto subjacere. Quocirca discretioni vestræ per scripta nostra mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prædictam sententiam nostram ubi et quando expedire videritis auctoritate nostra solempniter publicetis. Nec non decanum, Fridecum canonicum, cives, consules, proconsules et singulas personas excommunicationi ad ecclesiam Argent. civitatem loca terras et dominia ipsa interdicto ipso, ut præmittitur, supposita in omnibus ecclesiis et locis, de quibus etiam fueritis requisiti coram multitudine populi publice nuncietis. Et ab aliis tamdiu denunciari dictosque decanum, Fridericum, canonicum, cives, consules, proconsules et personas arcius evitari ab omnibus faciatis, quousque ipsi absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, nec non aliis censuris et poenis eisdem a nobis aut unico et indubitato summo pontifice, in proximo Domino annuente, creando meruerint obtinere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum constantiæ tertio nonas junii, anno Nativitate Dom. millesimo quadringentesimo sextodecimo apostolica sede vacante.

DEPUTATIO QUORUMDAM EX PATRIBUS

Ad cognoscendam causam Argentinensem.

Sacrosancta et generalis synodus Constantiensis, dilectis ecclesiæ filiis Angelo Veronensi et Blanda Placentinensi S. R. E. cardinalibus sic vulgariter nuncupatis. Nec non Marino episcopo Apruntino, Thome de Aurelia sacri Palatii apostolici causarum audito- Affert Lunig. p. 901.

ANNO CHRISTI 1415. tori pro Germanica Patritio episcopo Cortagiensi et Richardo Derhaim sanctæ sedis apostolicæ prothonotario pro Anglicana natione committit omnes et singulas causam et causas tam civiles quam criminales, quæ vertitur vertuntur seu verti et esse sperantur inter dilectos ecclesiæ filios, Wilhelmum electum Argent. ex una, ac Hugelmannum decanum, Fridericum canonicum et capitulum ejusdem ecclesiæ Argent. et Rulinum Barpfenning, Michaelem Melbruge, magistros civium, consules et proconsules, ac communitatem Argentin. et eorum ab utraque parte complices et adhærentes conjunctim et divisim parte ex altera, de et super captivationibus dictorum electi et cantoris Argent. suorum familiarum et sibi adhærentium in hac parte, nec non spoliis violenciis et injuriis per unam partem contra aliam active et passive deductis et deducendis juxta tenorem cedulæ alias in sessione publica in præsenti materia lectæ, audiendi, cognoscendi cum omnibus et singulis emergentiis, incidentiis, dependentiis et connexis usque ad sententiam diffinitivam exclusive. Et cum potestate, et cum si omnes judices interesse non possint aut noluerint, major saltim pars in aliorum absentia procedere valeat simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii feriis non obstantibus, sola facti veritate inspecta, et terminis abbreviatis, etiam ex officio, cum potestate processus jam decretos vel in futurum simulandos, contra quoscunque quorum contumacia hoc exigit aggravandi, reaggravandi et brachium seculare invocandi totiens, quotiens opus erit. Et nihilominus decanum et capitulum, necnon Michalem et Rulinum, cives sepradictos singulasque personas, tam capituli Argent. quam communitatis ejusdem civitatis, a quibuscunque censuris in forma juris absolvendi. Et interdictum occasione præmissorum, ubicunque positum, relaxandi, vel ad tempus suspendendi, nec non omnes et singulos processus in hujusmodi causa decretos et decernendos fulminatos et fulminandos, tam in concilio Constantiensi, quam in partibus per edictum exequendi constitutionibus et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque.

ABSOLUTIO DATA ARGENTINENSIBUS

Ex iis quas incurrerant censuris.

Ex cod. p. 901. IN nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum pateat universis præsentibus atque futuris, quod anno a nativitate ejusdem domini millesimo, quadringentesimo, sextodecimo, indictione nona, sede apostolica vacante, die vero sabbati decima octava mensis Julii Constantiæ, provinciæ Moguntinensis in ecclesia cathedrali processionibus sive congregationibus publicis per sacrum concilium Constantiense super ordinationibus, diffinitionibus et conclusionibus teneri et servari solent specialiter deputata, ipsoque concilio in modum generalis congregationis super certos ibidem ordinandos concedendos et diffiniendos legitime congregatos, inter cæteraque ibidem statuta ordinata et diffinita fuerunt, idem concilium in finem et effectum ut provideri possit indempnitati ecclesiæ Argentinensis, ac reverendo patri D. Wilhelmo, electo Argentinensi, et Friderico Bitz, cantori dictæ ecclesiæ ex una, & Hugelmanno Decano et Friderico de Zolre Canonico & Capitulo ipsius ecclesiæ Argent. & Rulino Barphennig, Michaele Melbruge magistro, civium consulibus & proconsulibus, et communitati sæpedictæ civitatis Argentinensis et ipsorum ab utraque parte complicibus et adhærentibus conjunctim et divisim in causa et causis vertente, et quæ verti et esse sperarunt inter eos, et quæ una pars alteri, et altera alteri movet, movebit, seu movere intendat de et super nonnullis spoliis, violentiis, injuriis, dilapidationibus, et alienationibus, et aliis in ipsis, causa et causis deductis et deducendis, et eorum occasione partibus ex altera hinc inde plena justitia ministretur, et ex quo judices seu commissarii, alias per ipsum concilium ipsis partibus ad examinandam causam et causas prædictas, videlicet reverendissimi in Christo patres et Domini Branda Placentinensis, Angelus Veronensis presbyteri cardinales pro collegio reverendissimorum patrum dominorum S. R. E. cardinalium, Martinus episcopus Aprutinensis, et Thomas de Autelia sacri Palatii Apostolici causarum auditor pro Italica, Johannes Patriarcha Constantinopolitanus, et Johannes episcopus Gebenensis, pro Gallicana, Jacobus, episcopus Plocentinensis, et Nicolaus Vordus, ejusdem palatii apostolici causarum auditor, pro Germanica, Patritius, episcopus Cortagensis, et Richardus Derhaim, sedis apostolicæ prothonotarius, pro Anglicana nationibus uniformiter deputati fuissent, licet tunc plena potestate pro examinatione hujusmodi causæ et causarum usque ad diffinitivam sententiam, in ea seu eis proferendam, exclusive non suffulti, prout in quadam papiri cedula, die vicesima septima mensis julii proxime præteriti partim per organum reverendissimi in Christo patris et domini, domino Johannis, Patriarchæ Antiocensis, in simili congregatione ipsius synodi Constantiensis recitata; partim vero de mandato ipsius synodi et totius congregationis per venerabilem virum, magistrum Henricum de Piro, de Colonia, ipsius synodi Constantiensis promotorem, in scriptis tunc pronunciata, cujus tenor inferius est insertus, plenius continetur. Quapropter ipsa synodus ut præmittitur, loco et hora, quibus supra, legitime congregata, nihil de contingentibus et necessariis, quoad supra dictas causas atque partes omittere volens, supradictis Dominis judicibus et commissariis alias deputatis dedit, tribuit atque concessit plenam potestatem audiendi et cognoscendi causam et causas hujusmodi, prout et quemadmodum in simili papiri cedula per reverendum in Cristo Patrem et dominum, dominum Antonium, episcopum Concordiens. de mandato ipsius synodi sacrosanctæ in ambone, in quo edicta, decreta, ordinationes, statuta fuerunt et diffinitiones ipsius synodi legi solent, lecta et publicata, cujus tenor similiter inferius

rius est insertus, continetur et habetur. Tenores vero cedularum, de quibus supra fit mentio, sequuntur et sunt tales: Primo, quod persona domini electi Argentinensis offerat sacro concilio, cras in congregatione generali in loco sessionum faciendi, ibique per habentem verbum nomine dicti concilii cum honestate et honore debitis recipiatur, secundum quod decet honorem sacri concilii et ecclesiæ Argentinensis et personæ ejusdem domini electi consideratis. Item, quod attendatur, quod dictæ personæ oblatio fiat pure et simpliciter sine conditione et obligatione, quacumque, et si forsan aliqua conditio vel obligatio intervenirет, in dicta obligatione cassetur, ante omnia per dictum concilium et pure præfata persona recipiatur ad finem justitiæ inter partes et alias ex officio interstrandæ. Item, quod dictus electus ibidem offerat et præstet cautionem idoneam de non recedendo a concilio ante finem causæ, et de stando juri ac judicio sisti, et de parendo obtemperandoque et obediendo judicatis super omnibus propositis, et proponendis contra eum, tam ex officio quam ad instantiam datam et capituli ac civium Argentinensium, et maxime super hiis, quæ concernunt indempnitatem ecclesiæ Argentinensis prædictæ. Item quod viceversa præfati domini decanus et capitulum ac cives similem cautionem præstent, quoad proposita et proponenda contra eos pro parte dicti electi et alias ex officio, ne justitia dicti sacri concilii in aliquo videatur claudicare. Ista superius scripta non fuerunt lecta, sed solum per dominum patriarcham Antiochensem verbaliter dicta, sequens capitulum fuit lectum, prout sequitur. Item, quod deputentur per sacrum concilium, de qualibet natione duæ notabiles personæ, & ex parte collegii duo domini cardinales, qui habeant plenam potestatem recipiendi dictas cautiones, casu quo in prima congregatione non essent per concilium receptæ, & circa custodiam personæ medio tempore providendi in dicto casu, & etiam causam & causas & querelas partium prædictarum & alias ex officio motas & movendas audiendi, examinandi & generaliter omnia faciendi, quæ ad plenam discussionem hujusmodi causarum & querelarum pertinent, seu pertinebant usque ad sententiam diffinitivam. Tenor secundæ cedulæ. Sacrosancta & generalis synodus Constantiensis dilectis ecclesiæ filiis A. Veron. & B. Placentinensi sanctæ R. E. cardinalibus sic vulgariter nuncupatis, nec non Marino episcopo Apruntinensi &c. *ut supra* pagin. 1276. Qua quidem ultima papiri cedula potestatem concessam judicibus & commissariis prælibatis, in se continente, lecta, & ipsa cedula, ut sic lecta per eundem dominum Antonium episcopum Concordiensem Italicæ, Vitalem Tholonensem Gallicanæ, Nicolaum Merseburgensem Germanicæ, Patritium Anglicanæ nationum, & Johannem episcopum Ostiensem cardinales, collegii nominibus approbata, per verbum placet præfata synodus Constantiensis, ad honorabilis viri magistri Johannis de Scriban. promotoris ipsius synodi justam & requisitam, mandavit omnibus & singulis prothonotariis sedis apostolicæ, cæterisque notariis ipsius synodi Constantiensis unum vel plura, ac tot, quot sufficiant fieri publicum & publica instrumentum & instrumenta ad perpetuam rei memoriam, præsentibus ibidem reverendissimis in Christo Patribus & dominis dominis, Johanne Ostiensi, Vivarien. Angelino Penestrin. vulgariter Lauden. episc. cardinalibus, Antonio Bononiensi, Anthonio Aquilegiensi, Gabriele Senensi, Alamano Pisano, Angelo Veronen. Thoma Tricaritensi, Guillelmo sancti Marci, Anthonio de Challanto, Petro de Fuxi presbyteris, Reginaldo de Branchatiis, Ludovico de Flico, Amadeo Salutiarum, Lucido de Comite & Francisco Florentin. diaconis cardinalibus vulgariter nuncupatis, aliisque dominis, Patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, regum, principum, comitatuum & universitatum studiorum ambassiatoribus, doctoribus & magistris, ac procuratoribus ecclesiasticis & secularibus dictum concilium repræsentantibus, aliis Christianis in numero copioso ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Gunipertus de Wildnerghen, clericus Moguntinensis dioecesis, publicus, apostolica & imperiali auctoritatibus, notarius, præfatæque synodi Constantiensis, pro natione Germanica scriba, & prædictarum cedularum recitationi & lecturæ potestatis, traditioni, omnibusque & singulis aliis præmissis, dum sicut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis dominis cardinalibus, cæterisque dominis pro testibus in scriptis præsens successuris temporibus fui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum instrumentum hujusmodi cedularum lecturam, judicum deputationem potestatis dationem in se continens, per alium me aliis occupato scriptum de mandato synodi prælibatæ exinde confeci, publicam & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signari rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Quorum quidem instrumentorum, seu commissionum prædictarum vigore per nos in causa & causis hujusmodi inter partes prædictas ad certus actus rite & legitime processo, ac cautione idonea & sufficienti de non recedendo a sacro concilio Constantiensi prædicto ante finem causæ & causarum hujusmodi, quoad ipsum dominum electum duntaxat primo, deinde ab ipso domino electo, nec non ab ipsis dominis, decano, canonicis, capitulo, civibus & communitati Argentinensi subsequenter de stando juri & de judicio sisti, & de parendo obtemperandoque & obediendo judicatis super omnibus propositis & proponendis, contra alterutram partium, tam ex officio, quam ad instantiam alterutrius partis diligenter receptis. Et ad majorem cautelam & certitudinem præmissor. attendendorum & observandorum, aliisque quampluribus cautionibus a dictis dominis, decano, canonicis, capitulo, civibus & communitate solempni interveniente stipulatione, tam super restitutione ablatorum, quam expensarum ratione continenter factarum, & alias de parendo & ob-

ANNO CHRISTI 1415.

obtemperando mandatis dicti sacri concilii, atque nostris coram nobis datis & realiter exhibitis.

Tandem die & hora infrascriptis comparent in judicio coram nobis judicibus & commissariis præfatis ad hoc specialiter congregatis, dominus Hugelmannus de Vinstingen decanus, ac Thoringus de Arburg canonicus ecclesiæ Argent. prædictæ tam nominibus propriis, quam capituli & ecclesiæ Argentinen. citra tamen suorum procuratorum revocationem, ac idem dominus Toringus, & Mag. Henricus Kuvvt alias Belli in Romana curia, & dictorum dominorum Friderici de Zolre, canonici ecclesiæ, nec non Rulini Barphennig, Michaelis Melburge ac proconsulum, consulum, civium & communitatis civitatis Argentin. principalium procuratores, prout de ipsorum procurationum mandatis nobis legitime constabat, prout constat documentis in præsentia memorati domini Wilhelmi electi, tunc etiam coram nobis comparentis, ac ad actum infrascriptum per nos legitime requisiti, prædicti domini Hugelmannus decanus, ac Toringus canonicus, nec non magister Henricus Kuvvt. alias Bell, procuratores in personam dicti domini Friderici de Zolre, & capituli ecclesiæ necnon Rulini, Michaelis civium prædictornm ac proconsulum, consulum & communitatis Argentin. a prædictis excommunicationis sententiis absolvi, ac interdictum in quibuscunque ecclesiis, terris seu locis communiter seu divisim eisdem subjectis positum relaxari, per nos debita cum instantia postulavit, prout id etiam in quadam petitione summaria, in scriptis nobis oblata, humiliter flexis genibus petierunt, offerentes se in omnibus paratos stare juri, & parere mandatis sanctæ matris eccl. dictique sacri concilii atque nostris. Nos igitur judices & commissarii præfati attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & consonam rationi, & quod S. mater eccl. nemini claudit gremium ad eam revertenti, & veniam petenti, conscito nobis prius de relaxatione ipsorum dominorum, electi, cantoris et familiæ eorundem, ac demum receptis per nos ab ipsis dominis, Hugelmanno decano, principali ac Toringo canonico, nec non magistro Henrico Kuwt, procuratoribus procuratoriis nominibus, quibus supra, et per ipsorum quemlibet ad mandatum nostrum et in nostris manibus tacitis corporaliter scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei evangelia præstito juramento, ac insuper aliis cautionibus sufficienter de stando juri et parendo sanctæ matri ecclesiæ, dictique sacri concilii et nostris mandatis, necnon etiam recepta ab eisdem dominis, decano, canonico, et procuratore nominibus, quibus supra, cautione idonea, sine deposito ac promissorio sufficienti de restituendo effectualiter dictis dominis, Wilhelmo electo, Friderico cantori et familiæ eorum res ablatas hujusmodi, quæ extant, quarum facultatem restituendi habent infra viginti dies, a die dat. præsentium immediate sequentes, et de aliis secundum valorem earum sufficienter, competenter ad mandatum nostrorum judicum et commissariorum infra terminum per nos eosdem taxatione prima assignandum; consequenter prænominatos dominos, Hugelmannum decanum, principalem in persona propria Toringum et mag. Henricum Huwt, procuratores in persona dictorum dominorum, Friderici canonici, nec non Rulini et Michaelis, civium, ac proconsulum, consulum civitatis prædictæ etiam principalium. Et vice versa ipsos dominos, Fridericum canonicum, necnon Rulinum et Michaelem, ac proconsules, consules, cives civitatis ejusdem in personas dictorum Toringi et mag. Henrici Kuwt, procuratorum singulariter singulos ab excommunicationis sententiis, quas incurrerint propter contumaciam in non parendo monitorio supradicto, per sacrum concilium contra eos decreto, in quibus sententiis declarati incidisse extiterunt, præfertur, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. duximus absolvendos simpliciter, et absolvimus, ac interdictum in ecclesia, communitate civitatis Argentin. ac aliis quibuscunque ecclesiis, terris et dominiis, ratione contumaciæ prædictæ positum duximus suspendendum, et usque ad tres menses proxime futuros suspendimus per præsentes. Quæ omnia et singula acta et facta per nos Judices et commissarios antedictos vobis omnibus et singulis supradictis intimamus, insinuamus et notificamus, ac ad vestram et cujuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per præsentes. In quorum omnium singulorum fidem et testimonium præmissorum præsentes nostras literas absolutionis et relaxationis exinde fieri, et per Notarios publicos scribasque nostros infrascriptos subscribi et publicari mandavimus, ac dominorum Angeli et Brandæ cardinalium, necnon Joannis patriarchæ prædictorum sigillorum vice et nomine, et de consensu omnium nostrum judicium et commissariorum præfatorum fecimus appensione communiri. Datum et actum Constantiæ, provinciæ Moguntinensis, in aula episcopali Constantiensi, in loco solito, ubi per nos jura inter dictas partes redduntur, nobis inibi ad jura reddendum, pro tribunali sedentibus, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexto decimo, indictione nona, apostolica sede vacante, die vero jovis, vigesima tertia mensis julii, præsentibus ibidem honorabilibus viris, Wilhelmo de Sele et Johanne de Bluet de .... nuntio nostro in hujusmodi causa jurato clerico Leodiensis et Spirensis dioecesis, ac Ulrico Meyer, prothonotario civitatis Argentinensis, prædictis testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Ruenberg de Montemartis, clericus Padeburnensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali authoritatibus notarius, ac reverendissimi in Christo patris et domini, domini Angeli, cardinalis Veronensis, judicis & commissarii præfati, & hujusmodi causæ coram eo scriba. Quia prædictis absolutioni, relaxationi eorumque petitioni coram decreto, omnibusque aliis & singulis præmissis dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideoque hoc

hoc præsens publicum instrumentum per alium me aliis occupato negotiis, fideliter scriptum, exinde confeci ac una cum Antonio connotario meo prædicto subscripsi & in hanc publicam formam redegi signoque & nomine meis solitis & consuetis, una cum appensione sigillorum memoratorum dominorum, Angeli, & Brandæ cardinalium ac Johannis patriarchæ præfatorum signari rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Et ego Anthonius Bartholini Franchi de Pisis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius ac præfatorum dominorum judicium.

ARGENTINENTIUM ACCUSATIONES

In episcopum suum.

Ex eod p. 905.

IN nomine Domini Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo, quadringentesimo, sextodecimo, indict. nona, apostolica sede pastore carente, coram reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis miseratione divina, Johanne, patriarcha Constantinop. & Nicolao, episcopo Merseburg. nuntiis, & legatis sacrosancti generalis Constantiensis concilii, super unione & reformatione universalis ecclesiæ sancti Dei congregati ad civitatem & capitulum Argentinen. super liberationem & relaxationem D. Wilhelmi, electi Argentin. per cives Argent. & capit. antedictum personaliter detenti, specialiter destinatis in civitate ipsa & in loco, in quo capitulum ecclesiæ Argentinensis teneri consuevit & tenetur existentibus, in meique notarii publici & testium infrascriptorum præsentia personaliter constituti et existentes nonnulli religiosi & alii viri ecclesiastici qui abbates & archidiaconi & alii prælati civitatis & dioecesis Argentin. dicebantur & præsertim Dominus Burckardus, abbas monasterii Novillarensis, necnon Johannes Armbruster, abbas monasterii in Schuttern, & Johannes Wangenberg archipresbyter in Sletstad, nec non Jacobus .... plebanus ecclesiæ St. Andreæ Argentin. ut asserebatur, post debitam reverentiam eisdem dominis patriarchæ & episcopo, nuntiis, & legatis antedictis per ipsos dominos abbates archipresbyteros ut prælatos impensam ipsis dominis nuntiis & legatis per venerabilem & circomspectum virum dominum Hermannum Ritter advocatum curiæ Argentin. nec non clericum capituli dictæ Argentinensis eccles. ibidem præsentem proponi fecerunt multa gravamina et oppressiones, quibus ipsi & clerus Argentinensis affligebantur per malum regimen prædicti electi, præsentantes & exhibentes per eundem quendam papiri rotulum scriptum, cujus tenor de verbo ad verbum inferius est insertus de malo regimine dicti domini Argentinen. electi & oppressionibus ac violentiis ipsis factis per eundem multipliciter conquerendo, petentes humiliter ac etiam postulantes sibi super dictis oppressionibus violentiis & aliis in ipso rotulo contentis & expressis ac malo regimine antedicto per eosdem dominos nuntios & legatos de optimo remedio providere. Tunc vero iidem reverendissimi patres domini patriarcha & episcopus nuntii & legati prædicti hujusmodi rotulum benigne recipientes ipsis dominis abbatibus, archidiaconis & prælatis responderunt se velle concedere omnia juridica, offerentes se paratos ipsis conquerentibus, si aliqua volebant intentare juxta eorum possibilitatem ministrare justitiam; tenor vero rotuli antedicti superius, ut præmittitur præsentati & recepti sequuntur & est talis. Reverendi patres, hii sunt defectus & gravamina quibus prælati & clerus Argentin. dioecesis hactenus gravati sunt & fuerunt, circa quæ pro conservatione libertatis status ecclesiastici petunt eis provideri. Primo, cum oportet quid indistinte ecclesiastici viri dictæ dioecesis hactenus a domino Wilhelmo electo & confirmato Argentinensi indefensi sive sint religiosi viri abbates, præpositi, proceres &c. sive clerici seculares juri stent coram laicis judicum & districtuum dominorum temporalium & & juri pereant laicis responsari querelis ipsorum et a laicis recipiant justitiam & decreto judicum temporalium pereant cum effectu, per præconesque laicorum eisdem mandata observent et eorum advertant et eisdem obtemperent indistincte, ob quæ et qualia monasteria, conventus præbendæ eorum et alia depauperati sunt et depauperantur cottidie contra ecclesiasticam libertatem, quia sua consequi non possunt. Secundo, prælati et clerus dioecesis Arg. hactenus indefensi a dicto domino Wilhelmo electo et non protecti indistincte a laicis ad omnes exactiones, dacias tallias gabellas et alia onera laicalia subeunda et solvenda hortantur et compellantur sine omni misericordia, etiam de bonis monasteriorum, et quæ propriis sumptibus excollunt, ob quæ vires et facultates ipsorum exhaustæ sunt; et si exsolvere eadem recusant tunc bona ipsorum de facto ab eis auferuntur. Tertio, viri ecclesiastici, religiosi abbates priores et eorum monasteria necnon clerici seculares indistincte dioecesis Argent. propter indefensam domini Wilhelmi prædicti a laicis dominis temporalibus ratione advocatiæ seu exactionis turpis, quam tamen exactionem domini temporales laici, milites et militares dictæ dioecesis nominant et nominare consueverunt, jus advocatiæ omnem substantiam cleri extorquent, nam aliquis abbas domino suo temporali annue sexaginta vel octingenta modia frumenti advocatiæ nomine assignare annuo et singulis annis compellitur, ex quibus de cultu divino peragendo monachos suos alere debet, et sic juxta vires facultates indistincte omnes ecclesiastici viri extorquent a laicis; et non tantum in hoc opprimuntur, verum etiam ad mandata laicorum operas serviles facere et ministrare oportet, eisdem prout cæteri servi et villani præstando, currus seu quadrigas ipsorum famulas et alia animalia ipsorum in usus et commoditatem laicorum dominorum temporalium, ad eorum nutum et beneplacitum, ob quæ vectigalia immense gravantur. Quare quia a domino VVilhelmo, electo prædicto immense hactenus spoliati et deprædati sunt, variis viis, nam omni anno collectam habere voluit et extorsit ab eisdem sine mi-

locus obscurus.

se-

fericordia jam de qualibet marca reddituum annuorum, quas viri ecclefiaftici, religiofi et feculares pofiderunt quintam partem Florenorum Renen. ut puta quatuor blapphardos; aliquando de marca duos blapphardos; aliquando plus hoc annue continuando, ob quæ annue clerus tria milia florenorum cum quinquegentis florenis eidem exfolvit, aliquando vero duo milia vel mille octingentos florenos. Infuper a quocunque abbate, abbatiffa, præpofito vel priori electo a fuo conventu, et ab ipfo confirmando pro confervatione prædicta facienda tantum extorfit, et extorquere confuevit a confirmando et monafterio fuo et indiftincte omni tempore confirmationem fciente, quod vires facultates monafteriorum ipforum exhaufit, et proprietates et poffeffiones monafteriorum vendere coacti funt, et fuerunt; nam pro confirmatione alicujus abbatis vel abbatiffæ jam fexingentos, jam feptingentos, jam octingentos, jam quingentos, jam quadringentos florenos extorfit et extorquere confuevit; et fi infra anni fpatium vel quandocunque eundem confirmatum, vel confirmatam, decedere contingebat, iterato tantum pro confirmatione novi electi, vel electæ habere voluit, prout prius extorfit ab eisdem; infuper indiftinte ad fui libitum quofcunque facerdotes fuæ dioecefis, fine caufa & ratione, caufa extorquendi pecunias ab eisdem coepit, incarceravit & incarcerare confuevit, & rebus & bonis eorum ad fui libitum fpoliavit, & abftulit, tam in vita quam poft mortem ipforum, non vocati in jus non convicti, neque confeffi; & ne fimilia in humana eis contingant, decenter petunt mifericorditer eisdem provideri de remedio. Infuper judicia ecclefiaftica ordinaria, nec delegata in dioecefi Argentinenfi in dominiis dominorum temporalium, & imperii propter indefenfam domini Wilhelmi progreffum habere non poffent, nec mandata ecclefiaftica reciperentur, nec publicare per aliquem facerdotem præfumerentur, nec per metum aliquem ad publicanda præfentari fine examinatione fui ipfius & metu corporum; quare nec decimas cenfus, nec debita ipfis & eorum monafteriorum & præbendis competentia confequi poffunt, ob quæ depauperati funt hactenus & cotidie depauperantur & petunt provideri eisdem, ut de cætero mandata ecclefiaftica in dioecefi prædicta et diftrictibus dominorum temporalium recipiantur ob fua confequenda. Infuper fylvas et nemora ipforum monafteriorum et religioforum, abbatum, præpofitorum, priorum & ecclefiafticarum perfonarum necnon bona & jura fylveftria, feu foreftaria ob indefenfam antedicti domini Wilhelmi electi domini temporales recipiunt, & auferuntur ab eis indebite & prædictis ipfis fpoliant indiftincte: petunt fimiliter ut hiis provideatur; item juribus & operis fervilibus tam in vita quam poft mortem debitis & competentibus abbatibus, prioribus, præpofitis monafteriorum & aliis religiofis locis a fervis afcriptitiis & aliis perfonis monafteriorum eorundem a dominis temporalibus laicis fpoliantur & deftituuntur, atque fibi titulo prætenfe advocatiæ fub ipfis has operas & jura

A ufurpant & afcribunt in grave detrimentum ecclefiafticarum perfonarum, item jura jurifdictiones & alia privilegia, quæ & quas viri ecclefiaftici habent, & habere confueverunt, in certis villis & diftrictibus ad eorum monafteria pertinentibus, ipfi etiam laici eisdem ecclefiafticis perfonis ufurpant & deftituuntur; & ipfos impediunt, quominus ipfi gaudere poffint ipforum privilegiis et libertatibus; item ipfi laici et domini temporales propter indefenfam ipforum a dicto domino Wilhelmo decimas ad ipforum monafteria et abbatias et aliarum ecclefiafticarum perfonarum, præbendas ad menfam fpectantes fibi ufurpant, affumentes fibi vocabulum ironicum et repugnans, dicentes fore decimas laicales, cum tamen nulla decima poffit dici laicalis, cum poffeffio in eosdem laicos eorumdem non cadat, cum decimæ fint cibus in domo Domini; item laici et domini temporales, qui cum potentia armorum incedunt per dioecefin ut plurimum in monafteriis et locis religiofis fe locant, et bona ipforum confumunt fine mifericordia, ecclefiafticos et monafteria graviter lædendo et depauperando petunt circa eisdem obviari; infuper præfatus dominus Wilhelmus a tempore fui introitus in dictam ecclefiam Argen. indiftincte omnes benedictiones abbatum, abbatiffarum cæterorumque prælatorum, nec non ordines clericales cæteraque facramenta per

C fuffraganeum feu epifcopum titularem confert et conferre confuevit fymoniace pro pecuniis, immenfæque pecuniæ ob dationem ordinum, ob benedictionem, ob confecrationem ecclefiarum et cemiteriorum et reconfiliationem eorundem, hactenus a prælatis et ecclefiafticis viris extortæ funt et cotidie extorquentur, contra divinæ legis inftitutionem; et petunt fimiliter eisdem de remedio oportuno provideri: item ipfi domini abbates, præpofiti et priores monafteriorum et conventuum hactenus indiftincte ultra onera epifcopalia debita et competentia folita per ipfum dominum VVilhelmum coacti compulfi, et coartati funt ad exactiones indebitas

D annuas. Nam ipfe dominus VVilhelmus fagittariis five baliftariis, fuis porteneciis fiftulatoribus Coc.exponditaribus cellerariis et aliis familiaribus fuis falarii nomine nil vel parum tribuit nec tribuere vult ut afferuit, fed abbates, præpofitos et ecclefiafticas perfonas compellit per totam fuam dioecefim contra folitum fas et rationem ad fatis faciendum eifdem fuis familiaribus annue de falariis apud ipfum dominum VVilhelmum ferviendo debitis, ob quæ annuas contributiones ipfos abbates, præpofitos, priores et ecclefiafticos viros imponere oportet, nam talis abbas cortatur annue ad folvendum quatuor florenos, talis ad quinque, talis ad tres, talis ad

E fex et juxta vires & facultates petunt fimiliter ipfis provideri. De et fuper quibus omnibus et fingulis antedictis iidem domini abbates, archidiaconi et prælati petierunt, dictique domini nuntii et legati voluerunt et concefferunt, fibi unum et plura publica fieri inftrumenta per me notarium publicum infrafcriptum, acta fuerunt hæc anno die menfe indictione et loco quibus fupra, præfentibus venerabilibus et illuftribus viris Hugelmanno

ANNO CHRISTI 1415.

no de Vinstingen decano, Friderico comite de Zolre canonico dictæ ecclesiæ Argent. Nicolao Slendorpf decano ecclesiæ St. Sixti Merseburgensis, et Conrado Luppfer vicario in ecclesia Argentin. testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Ludovicus de Maurinis de Luca in legibus licentiatus, publicus auctoritate apostolica notarius ac præfatorum reverendissimorum in Christo patrum dominorum Johannis patriarchæ Constantinopo- A litani et Nicolai episcopi Merseburgensis una cum Nicolao de Slendorff decano St. Sixti Merseburgensis pro tunc notarius et scriba, cum prænominatis testibus, dictis præsentationibus exhibitionibus et requisitionibus ac singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, adfui, vidi et audivi, prius inde publicum instrumentum manu aliena fideliter scriptum me aliis occupatum negotiis conficiens in fidem præmissorum omnium et singulorum rogatus et requisitus.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

Eorum quæ acta sunt in negotio Johannis Parvi,

ex Dupinio Operum Gerson. to. V. in exord. volum.

Vide Præfationem ad hoc concil.

An. mens. & dies	RES *gestæ.*
1407. 23. novemb. regni Caroli VI. Francorum regis	Ludovicus dux Aurelianensis Parisiis occiditur, die mercurii 23. novemb. circa horam septimam pomeridianam. C
27. 24. & 25. novemb.	Duobus diebus sequentibus regium consilium habetur, in quo agitur de cæde ducis Aurelianensis. In posteriori consilio, agnoscit Joannes dux Burgundiæ, eam jussu suo perpetratam.
26. novemb.	Die 26. novembris, consilium regium habetur apud ducem Bituricensem, a quo dux Burgundiæ excluditur; qui statim Parisiis egressus, magna celeritate in Flandriam pervenit. D
	Ambianis, cum Ludovico Siciliæ rege colloquium habet, ac justam fuisse ducis Aurelianensis cædem contendit; causam hanc defendente M. Joanne Parvo (*Petit*) doctore Theologo Parisiensi, adjunctis aliis duobus pariter doctoribus.
	Rex vetat ne dux Burgundiæ Parisiensem urbem adeat; & ducissam Aurelianensem cum filiis benigne excipit. E
1408. Circa finem feb.	Spreto regis mandato, stipatus militibus, Lutetiam Burgundiæ dux ingreditur, & a Parisiensibus cum gaudio excipitur. Audito ejus adventu, ducis Aurelianensis vidua cum filiis Blesos aufugit.
8. martii.	Audientiam a rege petit dux Burgundiæ, quæ conceditur ei die 8. martii.
	Ibi Joannes Parvus longa oratione causam hujus tuetur in Aula Palatii S. Pauli.
	Dux Burgundiæ a rege litteras abolitionis obtinet, et cum eo, et cum regina reconciliatur.
5. julii	Die 5. julii, Parisiis egreditur, et Atrebatum contendit.
11. augusti	Die augusti mensis 11. ducis Aurelianensis uxor Lutetiam redit, et a rege de nece mariti sui judicium ferri postulat; necnon ejus memoriam a calumniis in illum a duce Burgundiæ per Joannem Parvum intentatis vindicari.
	Causam hujus perorat coram rege et consilio, in Castro Luparæ abbas S. Dionysii. Post longam deliberationem pluribus vicibus repetitam, dux Burgundiæ, nulla habita ratione litterarum, quas a rege obtinuerat, proscriptus est, et hostis publicus declaratus.
	At ille parta de Leodiensibus rebellibus solemni victoria Lutetiam ovans redit.
	De compositione inter diffidentes agitur.
4. decembris	Die 4. decembris Aurelianensis ducis vidua moritur.
1409. Circa finem martii.	Ducis Aurelianensis filii reconciliantur cum duce Burgundiæ in urbe Carnutensi. Burgundus in Flandriam secedit.
Mense julio.	Sed cito Lutetiam regreditur, & regni habenas suscipit.

Fa-

1410. Mense augusto. Facta inter ducem Borbonium, & Bituricensem, ac Aurelianens. confœderatione, Burgundus ex pacto recedit.

1411. Joannes Parvus moritur.

Diffidia inter factiones Burgundicam, & Aurelianensem.

1412. Inde bellum civile.

1413. Pax tandem inter partes inita.

Seditio Parisiis excitatur: cui favere creditur dux Burgundiæ. Ea sedata, dux Burgundiæ cum inferiorem se Aurelianensibus agnosceret, Lutetia discedit.

Tum Aurelianenses rerum potiti, nihil non moliuntur adversus Burgundiæ ducem, accenso in eum regis animo. Hinc in librum Joannis Parvi instituta quæstio.

4. septemb. Die 4. septembris, Joannes Gersonius cancellarius Parisiensis deputatur ab universitate, ad agendam causam apud regem, & eodem die in oratione, nomine universitatis coram rege habita, novem assertiones Joannis Parvi damnat ac reprobat.

6. septemb. Die 6. septemb. refertur in comitiis universitatis sententia Joannis Gersonii de septem assertionibus, eaque approbatur & confirmatur.

Alii quoque errores in iisdem comitiis proscribuntur.

7. octobris. Carolus VI. rex Franciæ episcopo Parisiensi, ejusque officiali injungit, ut adjuncto sibi fidei inquisitore, & adhibitis in consilium sacræ facultatis theologiæ Parisiensis doctoribus, ac laicis universitatis, in errores Joannis Parvi inquirat.

30. novemb. Joannes Cuderti licentiatus in legibus, officialis Parisiensis, deputatus Gerardi de Monte acuto episcopi Parisiensis; necnon Petrus de Florendinis, Joannis Poleti inquisitoris generalis hæreticæ pravitatis in regno Franciæ deputatis, habent comitia in Aula curiæ officialitatis Parisiensis, ad procedendum circa negotium Joannis Parvi. Lectæ in ea prima sessione litteræ regiæ; deputatio Gersonii per universitatem Parisiensem; censura propositionum Joan. Parvi, & aliorum errorum approbata & confirmata in comitiis universitatis Parisiensis: quibus lectis, triginta magistri sententiam ferunt, articulos legitime reprobatos fuisse, censent, & rem istam in judicio debere tractari: atque ita conclusum.

4. decemb. In secunda sessione habita die 4. decembris, cui adfuerunt episcopus, & Inquisitor, sexaginta quatuor magistri sententiam tulerunt circa propositiones Joannis Parvi. Quidam, propositiones extemplo damnandas censuerunt; alii a damnatione abstinendum, aut saltem supersedendum; omnes fere schedulas mittendas a doctoribus, priusquam sententia ferretur: atque ita conclusum.

A die 19. dec. anni 1413. ad diem 5. januarii anni 1414. Schedula propositionum Joannis Parvi data omnibus magistris, qui Parisiis aderant; horum suffragia ex scriptis recitata, a die 19. decembris ad 5. januarii; septuaginta novem magistri sententiam dixerunt. Omnes, paucis exceptis, propositiones falsas & erroneas esse judicarunt: ex iis quadraginta fere, nunc judicio episcopi & inquisitoris damnandas: ast alii supersedendum esse censuerunt, donec constaret eas esse ex libro Joannis Parvi fideliter excerptas. Ad id examinandum sexdecim magistri sunt deputati: & quia nonnulli dixerant, monendum esse ea de re ducem Burgundiæ, missus est ad eum Petrus Floure, qui ea, quæ agitabantur, ipsi exponeret. Interim facta est inquisitio per testes de doctrina Joannis Parvi.

Deputatis dati codices libri Joannis Parvi, ut eos cum propositionibus delatis conferrent, & ad episcopum Parisiensem ac inquisitorem referrent.

1414. A die 19. janu. ad diem 7. Feb. Deputati convenientes, a die 19. januarii ad diem 7. februarii, schedulam propositionum ex libro Joannis Parvi excerptarum, & cum

ANNO CHRISTI 1415.

& cum delatis collatarum confecerunt. Eadem die 7. februarii, ad magistros ea transmissa est.

12. febr. Deliberatio doctorum circa propositiones Joannis Parvi incepit die 12. febr. Quinquaginta quinque magistri sententiam dixerunt: ex iis duodecim tantum supersedendum esse a judicio censuerunt, aut rem ad curiam romanam remittendam; cæteri judicium ferendum.

23. febr. Die 23. februarii, convenerunt judices duo, episcopus, & inquisitor, cum prælatis, episcopis, abbatibus, doctoribus, & Baccalariis: habita oratio. Lecta deinde acta judiciaria in hoc negotio confecta, ac lata sententia, nomine Gerardi episcopi Parisiensis, & Joannis Poleti ordinis Fratrum Prædicatorum inquisitoris generalis, continens censuram novem assertionum Joannis Parvi, & damnationem ejus libri.

25. febr. Die 25. ejusdem mensis, crematus est hic liber in atrio ecclesiæ Parisiensis.

6. martii. Litteræ regiæ publicantur adversus librum Joannis Parvi.

16. martii Mandatum regis emittitur, quo cavetur, ut publicetur condemnatio Joannis Parvi, de justificatione ducis Burgundiæ.

Burgundiæ dux ab hac sententia episcopi Parisiensis & inquisitoris appellat ad sedem apostolicam.

23. martii Causa committitur in romana curia cardinalibus de Ursinis, Florentio, & Aquilejensi.

Mandat rex suis legatis ad concilium Constantiense, ne nomine majestatis suæ confirmationem damnationis propositionum Joannis Parvi in concilio urgeant: sed si quæstio illa in concilio moveatur, ut suo proprio nomine agant.

19. novemb. Litteræ regiæ ad universitatem, ut legatos mittat ad concilium Constantiense, qui damnationis propositionum Joan. Parvi confirmationem petant.

4. decembr. Coram rege, dominis & prælatis, in Aula S. Pauli Jonnes Gersonius, orationem habet adversus doctrinam Joannis Parvi.

27. decembr. Litteræ regis patentes adhortatoriæ ad eam fugiendam datæ 27. decemb.

Res defertur ad concilium Constantiense.

1415. 26. maii. Martinus Porreus episcopus Atrebatensis, & Petrus Cauchon licentiatus in decretis, legati ducis Burgundiæ litteras illius datas 15. die maii, concilio Constantiensi offerunt, ne in concilio de damnatione doctrinæ Joannis Parvi agatur: e contra Gerson regis Franciæ et universitatis Parisiensis legatus, ejusque collega Petrus de Versaliis, instant nomine privato, ut judicium ea de re a concilio feratur, promittentes ei se futuros obsequentes.

4. junii Recitantur in concilio litteræ Joannis ducis Burgundiæ. Purgat sese a querelis ducis Bavariæ, qui ipsum incusabat; quod scripsisset ad Sigismundum, quod occidendus esset insidiis ejusdem ducis.

Mense junio. Joannes Gersonius defert ad concilium propositiones Joannes Parvi. Episc. Atrebatensis quærit utrum nomine proprio, an nomine regis. Fatetur Gerson se id facere nomine proprio, et protestatur de personis se nihil dicturum. Instat Atrebatensis, ut secundum mandata regis, et ducis Burgund. altum sit ea de re silentium.

Post deliberationem quatuor nationum, annuente Sigismundo rege Romanorum, constituuntur judices in hac materia.

15. junii. Incipiunt judices ea de re cognoscere die 15. junii.

Instruitur causa.

25. junii Recusatur ab Atrebatensi Cameracensis cardinalis.

20. aug. Instat Gerson, aliique ut judicium acceleretur.

A mense junio ad finem anni. Multa hinc inde scripta commissariis exhibentur per reliquum annum.

Episcopus Atrebatensis hoc solum in se suscipit, assertiones non esse judicio fidei reprobandas.

Initio octobris, promotor a judicibus nominatur, cum Gersonius in judicio tanquam pars stare renuisset. Sen-

ANNO CHRISTI 1415.

Sententia cardinalis cameracensis circa propositiones Joannis Parvi, cum responsione Atrebatensis episcopi. A

Variæ schedulæ exhibitæ, continentes varia judicia de propositionibus Joannis Parvi.

8. novemb. Schedula data doctoribus et baccalariis qui aderant.

1416. 9. janu. Certos facit per epistolam commissarios fidei carolus VI. causam Joannis Parvi suam esse.

10. januar. Carolus VI. jubet procuratori suo in curia Romana, ut intermissam prosecutionem de damnatione propositionis Joannis Parvi resumat. B

15. januar. Interim die 15. januarii tres cardinales deputati a pontifice ad hanc causam judicandam, ad instantiam Joannis de Monte-justino procuratoris ducis Burgundiæ, in absentia episcopi Parisiensis et inquisitoris, præsente eorum procuratore Joanne Martineti; sed jurisdictionem illorum commissariorum non agnoscente, sententia tanquam in contumaces lata est, qua judicium per eos latum irritatur. C

6. febr. Scribit universitas Parisiensis ad concilium Constantiense, de damnatione Assertionum Joan. Parvi.

8. Febr. Die 8. ejusdem mensis, Constantiæ, cardin. Cameracensis exhibet schedulam judicii a concilio ferendi circa assertiones Joannis Parvi. D

18. febr. Petunt procuratores ducis Burgundiæ, ut sententiæ magistrorum, qui consulti fuerant in hac causa, nationibus tradantur.

Eadem die, Guillelmus Monnardi Caroli VI. regis orator, & Simon de Teramo ejus advocatus, interveniunt in hac causa nomine christianissimi regis, petuntque ad ejus prosecutionem admitti, & cardinalem Cameracens. aliis judicibus adjungi; recusatis cardinalibus de Ursinis, Aquilejensi, necnon abbate Clarevallensi & M. Ursino Taillenande. E

21. Febr. Contra hanc schedulam datæ exceptiones die 21. februarii.

Carolus VI. procuratores instituit ad hanc causam in concilio prosequendam, Remensem, et Turonensem archiepiscopos; et Joannem de Gersone, Jordanum Morini, Guillelmum Pulchrinepotis, et Petrum Versailles, magistros in theologia; Guillelmum Monnardum licentiatum in legibus, Joannem Campani licentiatum in decretis et Simonem de Grandis procuratorem in curia Romana.

23. martii Oratores ducis Burgundiæ obstant in natione Gallicana, ne nomine regis Franciæ hæc causa suscipiatur.

11. april. Joan. Gersonius in publica congregatione, nomine regis defert propositiones Joannis Parvi, et damnationem earum postulat.

Eadem die publicantur vota 87. magistrorum, quorum 20. pro parte affirmativa, eas scilicet judicio fidei improbandas; cæteri pro negativa.

16. april. Appellant oratores regis a votorum publicatione.

Procuratores regii, ac in primis Joannes Morini, in natione Gallicana negotium urgent, et queruntur de judicibus fidei.

21. april. Admittuntur a judicibus fidei ad hanc causam agendam oratores regii. Ab hoc decreto appellant procuratores ducis Burgundiæ die 21. aprilis.

5. maii. Longam orationem habet in concilio Joannes Gersonius, qua totum negotium Joannis Parvi complectitur, et simul plura exhibet scripta.

9. maii. Legitur in congregatione generali epistola universitatis, data 21. martii.

10. maii. Eadem Universitas, die 10. maii procuratores nominat, qui suo nomine urgeant damnationem assertionum Joannis Parvi.

11. maii. Lecta in concilio cardinalium epistola Sigismundi imperatoris, qua judicium commissariorum, circa negotium Joannis Parvi irritari postulat: et alia ad cardinales, registrata,

13. maii. data Parisiis die 6. aprilis, quæ rem vehementer urget.

15. maii. Respondent regi Romano-

ANNO CHRISTI 1415.

norum tres cardinales, se sententiam tulisse de consilio peritorum in utroque jure, atque ita judicasse.

I. Quia causa hæc, utpote fidei, reservata erat summo pontifici, nec pertinebat ad episcopum parisiensem de ea cognoscere.

2. Quod ab ipso non fuerint citati, quorum interest.

3. Quia nemo comparuerat coram ipsis ex parte episcopi & inquisitoris.

4. Quia cum appellaverint ab hac sententia, debent expectare finale judicium concilii, cui se suamque sententiam subjiciant.

26. junii. Declarant tres cardinales, qui judices fuerant deputati a sede apostolica, se per suam sententiam non approbasse propositiones novem Joannis Parvi; nec de veritate, aut falsitate earum judicasse, et illæsum manere ea de re judicium; sed visum esse iis judicium Parisiensis episcopi & inquisitoris irritum quia ad ipsos non pertinebat de negotio fidei judicare.

Mense julio. Deputati in materia fidei totum hoc negotium remittunt ad synodum generalem.

Mense augusto. Appellat dux Burgundiæ a judicibus.

Cardinali Veron. committitur istius causæ inquisitio.

Senatus Parisiensis decretum adversus propositiones Joannis Parvi.

17. octob. Appellat procurator regis ab iis, quæ fuerant a judicibus in negotio fidei ad concilium generale.

20. octob. Reiicitur ejus appellatio.

5. novemb. Protestatio oratorum regis.

7. novemb. Alia Protestatio cardinalis Cameracensis.

18. novemb. Censura facultatis decretorum Parisiensis adversus propositiones Joannis Parvi.

1417.

17. janu. Oratio Joannis Gersonii adversus doctrinam Joannis Parvi, incipiens *Nuptiæ factæ sunt &c.*

27. janu. Per archiepiscop. Gnesnensem Parisiis allatus est liber Joannis Falkenberg. Approbabat is sententiam Joannis Parvi, & jam tres excuserat Constantiæ libellos in ejus gratiam.

8. 9. & 10. febr. Joannes Falkenberg ob librum hunc in carcerem est conjectus.

11. 12. & 13. Congregatæ hoc tempore frequenter nationes, & cardinales librum Falkenbergii examinantes, ut perniciosissimum damnarunt.

1418.

21. feb. Galli, & Poloni de censura Joannis Parvi delata conqueruntur & protestantur. Hanc protestationem habet Joannes Gerson in Dialogo.

22. aprilis. In ultima sessione concilii, Poloni petierunt iterum damnationem libri Joannis Falkenber.

Gerson quoque damnationem propositionum Joannis Parvi urget, & scriptis protestatur.

Poloni, cum eis non satisfieret, ad concilium generale proxime futurum provocant.

21. feb. Joannes Gerson, & notarii concilii in causis fidei arbitros nominant, qui de debitis horum salariis statuant.

16. maii. Solvit Gerson 125. florenos auri notariis pro expensis & salariis in hoc negotio.

EPISTOLA DUCIS BURGUNDIÆ

Patribus concilii Constantiensis: & acta super ea re in concilio.

In nomine Domini amen.

PER hoc præsens publicum instrumentum, cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quintodecimo. Indictione octava. Die vero vicesima sexta mensis Maii in domo fratrum Prædicatorum Constantiensi, provinciæ Moguntinæ, in refectorio dictæ domus, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Joannis, divina providentia papæ vicesimi tertii, anno sexto &c. In congregatione nationis Gallicanæ, circa horam octavam, per mediam noctem, reverendus in Christo pater dominus Martinus, episcopus Atrebatensis, & venerabilis & circumspectus vir, magister Petrus Cauchon, licentiatus in decretis, vicedominus ecclesiæ Remensis, ambasiatores illustrissimi principis domini Joannis ducis Burgundiæ, quasdam literas clausas, ex parte dicti domini ducis dictæ nationi sic congregatæ præsentarunt, quas in eadem congregatione publice legi petierunt: & incontinenti, in dicta congregatione publice lectæ fuerunt,

Ex Dupin. hæc cum sequent. Op. Gers. t. V. p. 343. cum sequent.

Quar-

ANNO CHRISTI 1415.

Quarum quidem litterarum, sigilli dicti domini ducis impressione ab extra sigillatarum, & suo signo manuali, ab intra signatarum, ut prima facie apparebat, tenor, ab extra, videlicet in suprascriptione, talis est.

Reverendissimis in Christo patribus, ac venerabilibus & doctissimis viris nationis Gallicanæ, in sacro concilio Constantiæ existentibus, amicis meis præclarissimis.

Ab intra vero, de verbo ad verbum, tenor sequitur, & est talis.

Reverendissimi patres in Christo, venerabiles ac doctissimi viri.

Per reverendum patrem episcopum sancti Poncii, & demum per venerabilem patrem abbatem S. Joannis Reomensis consiliarium meum &c. Similis fere tenor.

Binas vestrarum circumspectionum literas nuper recepi; quæ primo, statum miserabilem ecclesiæ sacrosanctæ, provenientem ambitione contendentium de papatu; modos quos tenuit dominus noster papa modernus, quibus minime contentamini: suum recessum a vestro sacro consortio; quibus etiam subterfugiis differt implere quod debet & promisit, pro ipsius unione S. Matris ecclesiæ, seriosius narrant. Et tandem, per ipsas me gratissime rogatis & requiritis, quod ipsum dominum nostrum in meis dominiis nullatenus receptem vel recipiam: et si jam, tempore receptionis literarum foret ibi, taliter eum custodiam, quod de ipso, pro bono universalis ecclesiæ, possitis libere disponere, vel quod eum statim remittam ad concilium generale. Subjungentes, quod fidem indubiam dare velim præfatis reverendis patribus, super mihi per eos dicendis, parte vestra.

Quibus lectis, et eorum audita credentia, vehementer dolui, cum sperarem unionem optatissimam, ex oblatione sanctissima cessionis domini nostri nuper facta, celeriter assequendam, quam; proh dolor! jam cerno differri. Spem tamen concipio, si vestra sacratissima synodus a coeptis non desistat, quæ si perseveret, pulsantibus aperiet Deus ostium misericordiæ suæ, ad solatium singulare lamentabiliter divisorum; & ne vacillet vestra congregatio sanctissima; sed per veritatis nucleum, mendaciorum cortice sublato, pascatur; cui, malivolorum relatu, suggestum est, me prædictum dominum nostrum velle recipere, fovere, & conducere in præjudicium unionis ecclesiæ, & contra determinationes synodi vestræ sacratissimæ. Veritatem rei gestæ cui sine repulsa mendacii contradicere fas non erit, præsentibus vobis expono.

Post recessum domini nostri a Constantia ipse dominus noster statim misit ad me solemnes oratores suos, per quos mihi mandavit, omnino nescienti quomodo vel propter quid recesserat, quod ad hoc Constantiam dimiserat, solum ut præmissa compleret, in propria persona volens ire in Niciam ad renunciandum, sicut promiserat in cedula sua. Si humiliter, si reverenter ipsos debui recipere, & eis grate respondere; quos nuncios sciebam papæ patris nostri sanctissimi, ab ecclesia pro tali habiti, & tenti, non reprobati, non condemnati, promittentis se velle cedere & omnia facere quæ forent ad bonum unionis ecclesiæ, judicent vestræ paternitates. Insanum quippe credet, ut æstimo, vestrum quilibet, etiam prudentissimus, papam, qui ad omne bonum bene dispositus crederetur, dicere se nolle recipere, & præsertim sub spe ipsum inducendi ad quælibet meliora. Ea propter eis respondi, quod ipsum dominum nostrum animo libenti & jucundo reciperem, sic ut præfertur, dispositum; et tandiu tractarem honorifice, quamdiu perfisteret in sua bona voluntate. Si quæ præparatoria facta fuerint, ut securius ad patriam accederet, quorum rumor ad vestras circumspectiones pervenerit, referat, obsecro, ad prima responsa, quæ dispositioni fidem nullo modo possunt adoptari. Nempe reverendissimi patres, venerabiles ac doctissimi viri, de veritate gestorum vestris literis, & præfatorum reverendissimorum patrum relatione, plenius instructus, quibus asseritis recessum præfati domini nostri clandestinum, scandalosum esse; et si recipiatur a quoquam, per hoc præjudiciari non modicum ecclesiasticæ unioni, quam totis viribus, & toto posse perquirere vellem: non insane consilium mutavi, disponens nunquam contra deliberationes vestras, quibus omnino cum cæteris principibus catholicis adhærere conclusi, præfatum dominum nostrum recipere vel receptare: quin immo vobiscum cum præfatis unanimiter laborare, ad extirpationem præsentis pestiferi scismatis, per omnes vias, per vestrum coetum sanctissimum advisandas, & concludendas. Et si quid in contrarium per oblocutores differri contingat, curetis reiicere, precor, ut mendacia; nam nunquam mente concepi primitus, vel post, quod vergere crederem in præjudicium unionis prædictæ, vel conclusionum vestrarum.

Præterea, reverendissimi patres, & eruditissimi viri, relatu fide dignorum comperi, per nonnullos homines, paucos magni status, aliquos vero modici, ipsorum complices & fautores Constantiæ stantes, omnes autem inimicantes, mihi, quantum in eis est, honorem meum multipliciter aggravari, & præsertim in materia fidei catholicæ, occasione cujusdam propositionis nuper factæ coram domino meo Aquitaniæ duce, primogenito domini mei regis, & multis principibus Franciæ, omnisque status regni multitudine numerosa, in qua dicunt multos errores in fide fore contentos, per me, ut mendaciter asserunt, cum suis erroribus approbatæ: quibus, precor, nullam adhibeatis credentiam; attentis quæ prædicta sunt modis per eos tentis, non inverecundis tantum, sed etiam rabidis, de quibus per ambassiatores meos vobiscum stantes potestis, si placet, plenius informari.

Considerent, rogo, circumspectiones vestræ, quod licet immeritus, de domo gloriosissima Franciæ originem duxi, quæ gratia Dei, monstris hæreticæ pravitatis contaminata nusquam fuisse legitur. Patre non solum catholico, verum ferventissimo zelatore fidei progenitus, & ardentissimo prosequutore unionis ecclesiæ filio regis Franciæ, non theologus, non eruditus subtilitatibus fidei, sed firmiter credens, & confitens simpli-

pliciter quæ nobis per Christum, per apostolos, & per sanctam matrem ecclesiam tradita sunt, utpote Christianus princeps, miles & laicus, paratus non solum credere, quæ S. Mater decrevit ecclesia; sed etiam tueri & defendere, manu militari, usquead effusionem proprii sanguinis, & meos subditos ad ea credenda & defendenda compellere, si sit opus. Videant qui sunt delatores, quid movet eos dicere, quod approbando propositionem prædictam, errores approbavi quos nunquam cognovi, nec scivi, vel intellexi: cum, si qui fuerint, meum excesserint intellectum; si cuncta penseris, hodie dicuntur & insania, non fidei zelo; quod satis proh dolor! ostenderunt in Francia, dum eorum quidam vesania ducti, nisi sunt sub umbra veritatis fidei dogmatizare, nullam pacem mecum posse componi, ratione approbationis prædictæ.

Attendant ulterius, quæso, vestræ reverendissimæ paternitates, quid in propositione præmissa demeruerim, si etiam plurimos contineret errores, quod negant plurimi; si proferatur illa quæ veraciter per magistrum Joannem Parvi prolata est; non illa quæ sub suo nomine conficta dicitur Parisius per æmulos meos, & inimicos, me non vocato, vel dicto Parvi; loco non tuto, taliter qualiter condemnata: nam sola facta, quibus conclusionem volebam inferri, quam querelam dicto Parvi tradideram, qui litteratorum more, majorem factis proposuit prælibatis, ex quibus conclusionem intulit, in modum sillogici argumenti. Si quid de suo, mihi non cognitum quidem, nec quilibet eruditus bene percepisset, proposuit per approbationem generalem; quid mihi restat impingendum? Quod si mihi constitisset erroneum, nunquam approbarem; quin imo approbantibus quibuscunque restitissem. Ergo repellantur, supposito, qui tam inverecunde & mendaciter nituntur asserere, in fide me quidpiam deliquisse, & non solum repellantur, verum puniantur per justitiam sanctissimi concilii: qui, et quamvis simulent se nihil directe agere velle contra me; hanc tamen habent damnatissimam voluntatem, quia quærunt, dicta propositione damnata, guerram novam in regno Franciæ, quod avertat altissimus, perniciosissime suscitare; quam timet fore sopitam. Et me vestra synodus sacratissima catholicum teneat, vestris diffinitionibus factis, & fiendis, cæterorumque sacrorum conciliorum humiliter adhærentem, nec volentem quidquam sustinere quod sit erroneum, vel contrarium sanæ doctrinæ, seu fidei orthodoxæ. Et si per approbationem præmissam, sic generaliter factam, veniat, vel intelligatur aliquid approbatum, quod per S. M. E. decerneretur contrarium veritati fidei catholicæ, vel sanæ, vestro coetui sanctissimo notifico, me nunquam intellexisse, voluisse, vel velle talia approbare, & ea, supplico, pro non dictis, vel approbatis per vos haberi, quæ corrigenda diffinitionibus vestris submitto. Supplico tamen affectuosius, ut valeo, quod si quid in hac materia per præmissos, vel alios, coram vestris circumspectionibus producatur examinandum, cum expressione nominis mei, vel dicti magistri Joannis Parvi, seu aliter quorumcunque; taliter ventiletur & discutiatur, vocatis ambaxiatoribus meis, quod evidenter vobis constet de propositionibus per dictum Parvi veraciter probatis, ita quod aliæ, dictis nominibus, non damnentur per eos confictæ, vel mendaciter assertæ, quibus sufficeret id habere, quod in dedecus meum redundare posset, & discordias in hoc regno seminare; considerans quod vulgus, alta non sapiens, per malos & astutos faciliter inducitur, maxime sub spe boni, præsertim fidei, ad credendum quæ per hypocritas et futicios prædicantur. Quorum nonnulli de prædictis convincuntur fore similes, qui vestrum gloriosissimum coetum mendaciis voluerunt decipere, pluries asserentes regnum Franciæ perditionis expositum periculo, si propositio præmissa non damnetur, cujus errores singulares lætaliter infecerunt; cum revera nulla de dicta propositione fieret in regno vel quasi memoria, nisi prædicti sua malitia, in odium mei, & regni subversionem, modis tyrannicis, materiam dictæ propositionis, nomine meo, & dicti Parvi mendaciter confictæ, sicut fertur, excitassent ambasiatores meos, & servitores vobiscum executores, & procuratores in meis & suis agendis, velitis habere specialiter recommissos, & mecum rescribere quæque grata. Reverendissimi patres, venerabiles ac doctissimi viri, Christus vos conservet in vinculo pacis & charitatis, & taliter laborare concedat, quod pacem habeamus optatam in diebus nostris.

Scriptum Divioni, die XV. mensis maii.

Tenor subscriptionis, talis est. Joannes, dux Burgundiæ comes Flandriæ, Arthesii, & Burgundiæ, &c. sic signati, *Jehan G. le Bois*.

Quibus quidem præsentatione, lectura & publicatione duarum literarum, ut supra describitur, factis: venerabilis & circumspectus vir, magister Joannes de Gersonno, sacræ theologiæ professor, cancellarius ecclesiæ Parisiensis, ambaxiator, ut dicebat, serenissimi christianissimique principis, domini Caroli, Dei gratia Francorum regis, et almæ universitatis Parisiensis, protestatus fuit, & dixit, quod nomine suo proprio, ut privata persona, per tunc, super contentis in prædictis literis petebat, & supplicabat fieri & habere justitiam hujus sacri generalis Constantiensis concilii, cui etiam se submittebat, potestate sibi reservata, quod habita super hac deliberatione, nomine dictorum regis, & universitatis, si sibi videatur, illud idem facere possit & valeat. Et in continenti, venerabilis & religiosus vir, magister Petrus de Versailles, sacræ theologiæ professor, ordinis S. Benedicti, in dicta legatione regia dicti domini cancellarii collega; etiam nomine suo proprio, & tanquam privata persona; & simili protestatione facta, dicto domino cancellario se adjunxit, & dictis per eum adhæsit. Et tunc dictus dominus episcopus Atrebatensis, & magister Petrus Cauchon ambasiatores, & nomine dicti ducis Burgundiæ, dixerunt quod dictam summissionem admittebant & justitiam dicti sacri concilii petebant, & etiam nomine dicti domini sui, se submittebant deter-

ANNO CHRISTI 1415.

terminationi prædicti sacri concilii.

De, & super quibus omnibus & singulis supradictis, præfati dominus cancellarius et magister P. de Versailles, et eorum quilibet, petierunt & petunt per me notarium publicum, ibidem tunc præsentem, infrascriptum, sibi & eorum cuilibet, fieri atque tradi publicum instrumentum, seu publica instrumenta; unum vel plura.

Acta fuerunt hæc, anno, indictione, die, mense, pontificatu, & loco prædictis; præsentibus reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis Jo. Patriarcha Antiocheno, prædictæ nationis præsidente, Reginaldo Remensi ... Bisuntinensi & Jo. Viennensi archiepiscopis, domino Leone de Rosseto, decano Valentinensi, dictæ nationis promotore, cum pluribus aliis prælatis, doctoribus, & magistris, ac notabilibus personis, ibidem pro natione Gallicana congregatis: testibus ad præmissa vocatis, specialiter et rogatis.

Ego vero Michael Bolosonis, de Nantuaco, Lugdunensis dioecesis, clericus, autoritate imperiali notarius publicus, ac sacri Constantiensis concilii, pro natione Gallicano conscriba: omnibus et singulis supra-scriptis, in mei, et testium supra scriptorum, ut præmittitur, præsentia factis, dum sic agerentur & fierent, una cum ipsis testibus præsens interfui, eaque fieri vidi et audivi, et de ipsis notam recepi, ex qua hoc præsens publicum instrumentum, in hanc publicam formam redactum extrahi, et scribi, alterius mihi fideli substituti manu feci, meque manu propria subscripsi, signumque meum, quo in tabellionatus officio uti consuevi, apposui, requisitusque et rogatus tradidi, in robur et testimonium promissorum. Bolosonis. *Ainsi signé avec paraphe authentique au costé.*

Collattionné sur l'original en parchemin; conservé dans les arcqives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy A. Baz in Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

PROPOSITIO CORAM CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI.

Authore Jo. Gersonio universitatis Parisiensis cancellario.

Gers. II. p.

Reverendissimi patres ac domini præclarissimi, Deo insuper amabiles egregii ac spectabiles viri doctissimi, ac sapientissimi. *Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis* Ps. LXXXVIII. 8. mihi loquuturo, immo nobis humilibus ambassiatoribus christianissimi Francorum regis, pro parte sua, et veritatis catholicæ defensione loquuturis coram hoc sacrosancto concilio, in spiritu pacis, et lenitatis congregato, in quo glorificatur Deus, exorandus est imprimis ac sibi dicendum cum Propheta: *Deus judicium tuum regi da*. Accommodum satis est quod sequitur, *& justitiam tuam filio regis*. Ps. LXXI. 1. juste quidem sic exposcimus, rite sic exordimur quoniam dicente eodem Propheta: *Honor regis judicium diligit*. Ps. XCVIII. 4. Quæ ratio? nimirum quia constitutus est rex a Deo judex hominum, *in vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, 1. Petr. II. 14. *Neque enim sine causa gladium portat*, Rom. XIII. 4. Confitetur hoc ipsum pia, grataque recognitione idem rex suis patentibus literis, prout infra docebimus. *Sed væ mundo a scandalis!* Matth. XVIII. 7. Væ calumniantibus christianissimum regem superbis, ita ut exclamare fas habeat, tam apud Deum, quam apud hoc concilium, Dei nutu congregatum: *Feci judicium & justitiam, ne tradas me calumniantibus se*. Ps. CXVIII. 121. Et illud quod sequitur: *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi*. ℣. 122. Et a quibus, oro, calumniantibus quærit Rex eripi? Quales sunt istæ calumniæ? Dicemus pauca pro re tanta, ut protinus ad rem veniamus, quam exponere, atque defendere, missi sumus nos humiles, et devoti ejusdem regis ambasiatores.

Ecce calumnia dicentium etiam in hoc concilio, quam auribus his accepi: Quid quæritis? Rex vester non fecit judicium & justitiam super nece luctuosissima unici fratris sui, quam vel dissimulavit, vel indulsit. Calumniantur ex adverso plurimi dicentes: Rex utique justificationem mortis illius non juste damnari fecit, vel permisit, quam mortem non reprobare, sed approbare debuerat. Auditis calumnias quaquaversum, dextrorsum, & sinistrorsum, quas quomodo dissolvemus? Attendite, Patres Orthodoxi. Allegatum nuper hic audistis, & in epistola dominicæ currentis scriptum est: *Sequimini*, inquit, *vestigia ejus, qui peccatum non fecit*, 1. Pet. II., 21. & hic est Christus Jesus, quem invenimus proprias injurias æquanimiter indulsisse: *Qui cum malediceretur* (sicut subdit Petrus ℣. 23.) *non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*. Ipsum vero Patris sui Dei, divinæque legis suæ contumelias acriter repulisse legimus semper, adeo, quod referente Marco, dictum est quandoque de eo propter fervorem defendendæ legis Dei: *Quoniam in furorem versus est*. Marc. 3. 21. Notat ista Chrysostomus super illud Matth. XVI. 23. *Vade retro Satanas*, ubi nos inculpat, qui mites in injuriis Dei sumus, acres vero & implacabiles, immo crudeles in nostris vindicandis invenimur. Non sic Moyses, qui mansuetissimus existens omnium qui erant in terra, mira severitate prævaricatores legis divinæ vindicare curavit. Rex igitur christianissimus, & vere mansuetissimus, atque totus amabilis, sequendo *vestigia ejus, qui peccatum non fecit*, pronus fuit, ac indulgentissimus in personalibus injuriis, sicut fuerat ipse frater suus, quo jubente nemo unquam vita privatus est. Recogitat idem rex velut ad se dictum, quod reges Israel clementes sunt. Et illud Salomonis Prov. XX. 28. *misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia roboratur thronus ejus*. Quamobrem, sicut tradit in his patentibus literis, misericordia in eo superexaltavit judicium, dum de fratris amantissimi nece vindictam non accepit. At vero dum ad injurias divinæ legis, ac fidei, dum in adulterationem sacrilegam veri Dei processum est, ipse nulla ratione potuit hactenus induci, ut dissimu-

mulanter eas ferret, approbando justificationem sceleratam, hæreticalem, & impiam hujus execrandæ necis: tenuit misericordiam in primo, veritatem in altero custodivit. Accipite, patres conscripti, memoriter quemadmodum collaudavit, & gratias egit ipse rex huic sacro concilio, quod hanc assertionem: *quilibet tyrannus &c.* damnaverat ut hæreticam; quæ quidem assertio, sicut referunt prædictæ litteræ, inventa est ex testimonio fide digno, sufficienter contineri in damnata propositione defuncti magistri Joannis Parvi, qui justificare mortem hanc nititur horribilem. Et ecce testimonium sexdecim magistrorum in theologia in his litteris, quales sunt apud judices. Lectura vero tam istarum, quam aliarum litterarum, atque schedularum placet ut reservetur in finem, ne fiat interim nostra veluti cicatricosa narratio.

Porro licet habeat parvitas mea hoc loco, patres celeberrimi, grandem, & multam adversus calumniantes me respondendi materiam, nihilominus pudet me, & pudere debet, qui sum pulvis & cinis, si non ad imitationem Christi capitis nostri, si non exemplo christianis. regis, ut præfertur, si non ad publicam hujus sacri concilii jussionem, quamquam velut e cœlo sonantem, libens accipio; si non, inquam, nunc agam dissimulanter circa proprias injurias, quatenus illas Dei ac fidei morosius & eo efficacius, quo patientius, possim persequi. Decrevi præterea non insistere circa relationem eorum quæ sunt in facto, de quibus constare poterit & potest, quis vera, vel falsa dixerit in prospectu tam sacri concilii. Nam conari omnia falsa refellere, & mordentes remordere, contentio potius canina est, muliebris, procax, & indigna, quam gravitas christiana. *Christus*, jam dixi, & repeto, *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur* 1. Pet. II. 23. ubi satis quid sequamur admonuit legi, qui dixit: *verba iniquorum prævaluerunt super nos.* Sequitur fructus: *& impietatibus nostris tu propitiaberis*, Ps. LXIV. 4. Fructus plane salubris, & uberrimus fuit (ni fallor) rex David, cujus hæc verba sunt: qui cum malediceretur Semei, dixit ad Abisai, volentem eum confodere, *dimitte eum, ut maledicat, si forte reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hodierna*. 2. Reg. XVI. 11. 12. Porro, si quidem verbis constringam pusillum, vel magnum; neque enim glorior me perfectum esse, qualem Jacobus loquitur dicens: *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Jacob. III. 2. Veniam supplex peto. Denique quali zelo, vel intentione materiam hanc fidei castissima mentis integritate tractandam prosequutus usque modo fuerim, scis, o cordium Deus inspector, *testimonium mihi perhibente conscientia*, Rom. IX. quod *nihil mihi conscius sum*, 1. Cor. IV. 41. aliud intendisse principaliter deliberato & recollecto in se animo, nisi dilectionem, & emendationem hominum cum odio, & extirpatione vitiorum, & errorum, etiam usque ad certa discrimina corporis, & vitæ. Hoc odium habebat qui dixit: *Perfecto odio oderam illos*, Ps. CXXXVIII. 22. Glossa: *Perfectum odium est, diligere naturam, vel personam, culpam odisse*. Sed quid sequitur? *inimici facti sunt mihi*: propterea si mihi tale contigerit, admirari non debeo. Vetus enim, tritum vulgo proverbium est: *Veritas odium parit*; quod etsi, *nihil mihi conscius sum*, nihilominus proclamo tremens & pavidus cum Apostolo, quod *non in hoc justificatus sum: nam qui me judicat, Dominus est*, 1. Cor. IV. 4. Dominus ille magnus, & terribilis, ante cujus tribunal stabimus omnes. Illic aperte videbitur, quo quis zelo, qua sinceritate, & simplicitate fidem ac legem suam servaverit, defenderit, & pro ea certaverit. Felix, qui nunc dicere poterit ex vero corde: *Feci judicium & justitiam, non tradas me* &c. Ps. CXVIII. 121. Felix, qui imitatus fuerit, modo quo prædiximus, Christum, proprias tolerando, & divinas absque ulla miseratione injurias persequendo. Felix denique, cui pro zelo domus Dei dici potuerit: iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat supra firmam petram.

His itaque prælocutis liberatus videor ab onerosissima, inutili, & forte probrosa contentione respondendi punctualiter, vel articulatim ad omnia, quæ sunt in facto circa processum reverendi patris, episcopi Parisiensis, & inquisitores hæreticæ pravitatis in toto regno Franciæ, qui processus, si fit in hac civitate Constantiensi, postulamus, atque requirimus, quod ponatur in manibus concilii. Constanter affirmo, salva cujuscunque reverentia & honore, quod aliter pridie multa dicebantur, quam habeat in se verus processus, qualem authenticum speramus in brevi recipere. Proinde quoad processus alios hic habitos, intendimus, dum postulatos judices habuerimus, copiam petere, ac deinde procedere, & causam instruere pro parte christianissimi regis, prout rationis ordo postulabit, & cum omni debita celeritate; quia procrastinationes non quærimus, sed quod justum est, quærimus juste fieri: *Quod justum est* (inquit Lex) *juste exequeris*. Credite, quod talis obinde fuit ad Deum deprecatio præmissa: *Deus judicium tuum regi da*, Ps. LXXI. I. Verum submisimus ex persona regis ejusdem: *Feci judicium, & justitiam, non tradas me calumniantibus me*, Ps. CXVIII. 121. Illis itidem addimus: *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua*, ℣. 134. Supersunt itaque plurimi secundam foventes calumniam; ut interim de prima sileamus, cujus purgatio litteris istis inseritur. Hæc est calumnia. sicut audivit coetus iste sanctissimus, quod propositionem defendentem magistri Joannis Parvi, & assertiones novem exceptas ab ipsa, rex idem Christianissimus non recte damnari per ordinarios judices fidei fecit, permisit, vel approbavit. Quæ quidem propositio justificare nititur mortem fratris sui, jubente domino duce Burgundiæ, per alios inflictam. Qua super re conqueritur ipse rex in his patentibus litteris. Testor attamen Deum in primis, non me læto ea, sed mœsto ore recitaturum quæ continent, nisi quod ita fieri defensio causæ regis, immo catholicæ veritatis, & fidei nunc impellit. Protestor igitur, quod non ad injuriam cujus-

juscumque, non in causam criminalem, vel personalem, recensebo unam præsentium litterarum particulam, qua sic habetur ex persona regis: subinde, inquit, quid injustius justificatione criminis; & talis criminis, in quo quid laudemus, quid remuneremus perpendite. Nunquid auctorem laudamus? sed in eo defuit judicialis autoritas & regiam nostram spernens, invalidamque prædicans, & enormiter lædens usurpavit, tot abutens beneficiis, tot necessitudinibus, quibus majestati nostræ, etiam ipso jactante, tenetur obnoxius. Nunquid ministros laudabimus? Sed eorum impietate, proditione, vecordia, crudelitate, sævitia, cupiditate, nihil execrabilius, fœdius, tetrius excogitari potest. Nunquid facti modum laudabimus? Sed hic per præmeditatas diu insidias, per confœderationum plurium simulationes blandas, per mille amicitiarum signa fallacia ad subitum fraterni regiique sanguinis exitium, tanquam de bestia processum est; & hoc hora tenebrarum, in tali civitate, ubi securitas plebeis etiam & advenis esse debuerat. Nunquid operis rationem & causas laudabimus? At nihil ibi probabile prius, nihil posterius inductum est pro testimonio, quod tali notorie constet, qualem secundum Leges divinas, & civiles esse necesse est, ubi vilissimus etiam homo rite vita privatur. Qualis nempe lex, non præmonitum, non auditum, non convictum, morte damnaverit sicut ait Nicodemus *Joan. VII.* 50. sicut & a Festo notatum est? Act. XXV. 27. Nunquid tandem facinoris hujus eventum laudabimus, & remuneratione dotabimus? Sed obinde florentissimum istud pridem regnum nostrum jam per septennium tot calamitatibus infandis attritum est, tantum in eo sanguinis humani fusum fuit, ut æstimationem omninam effugiat. Hic plane est verus casus, Patres æquissimi atque sapientissimi, hic est casus cum acuto, brevis, sed validæ reprobationis, telo positus authentice. Quo cognito quid adhuc egemus testibus, quid ambagibus verborum, quid circumitionibus frivolis evasionum frustra niti necesse est, ubi mortem hanc comitatæ sunt læsa majestas regia; assassinorum crudelitas impia; juramentorum violatio fallax & blanda; legum omnium divinæ, naturals, & humanæ prævaricatio notoria; denique regni totius infanda calamitas & foeda? Nihilominus, o mores! o tempora! sunt etiam in hoc sacro concilio, qui tales circumstantiarum notas vel non advertentes, vel nescientes, vel dissimulantes (negari quippe non possunt) calumnias struere non cessant adversus damnationem reprobissimæ justificationis hujus latam.

Calumnia prima. Calumniantur aliqui primo, dicentes, assertiones istas assertore caruisse; nec ex consequenti veniunt judicio fidei reprobandæ. Sed respondemus primo, quod in errorum damnatione non oportet assertionem dari, ubi notorium est, & patens scandalum ex doctrina tali. Et utinam nec haberent, nec habuissent hujusmodi assertiones assertorem; sed habuisse processus indicat, & nunc plurimos habere in hoc sacro concilio, adversam non pudet partem gloriari. A qua factum est, ut a loco hoc

A sancto, & celebri, unde veritatis elucidatio sperabatur, inde, proh dolor! falsitatis tenebræ depressiores per populum Christianum respersæ sunt. Dedit occasionem decretum publicationis votorum, seu deliberationum, priusquam examinarentur inter magistros, & conferrentur ad invicem causæ, rationesque dicendi. Quibus aspectis, & libratis, pars adversa nihil probabilitatis, nihil solidi fundamenti, nullum denique robur autoritatis comperta fuisset habuisse. Et hoc perspicue videbitur, domino propitio; sed ægre ferimus, quod non citius, atque prius.

Calumnia secunda. Calumniantur alii secundo, quod assertiones istæ sunt infideliter, et perperam præfato magistro Joanni B Parvi per æmulos attributæ. Monstrant hæ litteræ regis contrarium, quod monstrabitur in processu; et ex ipsa propositionis inspectione liquesit, quam hic examinandam, et damnandam judicialiter offerimus. Hæc illa est, vel similis, quam in camera sua se præsente partim pronuntiavit, partim pronuntiari fecit, multis transcribentibus, idem Joannes Parvi, quæ postmodum per exemplaria multa venditioni publice fuit exposita. Veritas est, nec negamus, quod de conclusione finali propositionis istius sceleratissimæ, quæ conclusio est domini ducis Burgundiæ, sicut asseruit sæpe, et loquitur singulariter de ipso, quod in nullo culpari C debet, dum fecit interfici ducem Aurelianensem, sumptæ sunt quinque, sex, septem assertiones non prorsus dolo malo, vel ad veritatis impugnationem, sed ut honor ipsius ducis Burgundiæ, quantum fieri potuerat. celando nomen ejus servaretur. Quale est igitur, ea quæ in obsequium facta sunt, in maleficium retorquere? Porro non secus evenit in hoc concilio, dum assertiones absque asserentis nomine nunciatæ sunt, quod versum vidimus in grande præjudicium causæ fidei, et catholicæ veritatis; quia non ita potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi.

Calumnia tertia. Sequitur aliorum calumD nia tertia, idem dicentium quod priores, sed ex alio capite. Contendunt enim, magistrum Joannem Parvi veritates octo pro sua majore posuisse, quæ ab ipsis assertionibus plurimum sunt dissimiles. At vero calumnia talis non relevat in aliquo, sed aggravat, et gladio proprio facientem jugulat. Primo, quoniam prætensæ veritates istæ quædam reperiuntur in fide, et moribus erroneæ, ut tertia, quarta, sexta, et septima, Aliæ vel falsæ, vel injuriosæ, scandalosæ, et piarum aurium offensivæ, immo et sacrilegæ, si examinatio debita fiat. Fatemur proinde, assertiones istas novem non esse totaliter extractas ex prætensis octo veritatibus; quia ex E conclusione principali tres, ut præmittitur, sumptæ sunt, reliquas vero cum pluribus aliis continent articuli quatuor hac illac sparsim inducti pro majore, cum suis probationibus. Quis præterea nescit, potuisse propositiones plures, et varias, scriptas fuisse pro eadem conclusione justificanda; immo et sic actum esse bis, aut ter, forsitan inveniretur testimonio fide digno. Fuit autem una variationis occasio, propositio facta Parisiis

in

in castro Luparæ, pro parte dominæ, tunc ducissæ Aurelianensis ad impugnationem præfatæ propositionis Joannis Parvi, ita quod non est verum; salva pace dicentis; quod illa sua propositio non fuerit, ipso vivente quomodolibet impugnata. Cur autem non damnata judicialiter fuerit, plurima dici possent, sed amica brevitas, et loquendi sobrietas non patitur. Notum est illud Ciceronis: *Inter arma silent leges*; qui audit, intelligat. Denique hanc cum prioribus calumniam unum verbum dissolvit; quia nihil actum est, nihil processum judicialiter contra personam aliquam, sed duntaxat contra quaternum istum, et alios similis tenoris, damnando doctrinam in eis pestiferam cum assertionibus istis novem et aliis illic positis, quisquis actor, vel non actor extiterit.

Calumnia quarta. Sequitur aliorum calumnia quarta. Veritatem, inquiunt, habent assertiones istæ, specialiter prima principalis, et hoc in casu divinæ revelationis. Sed facilis est responsio, dicere: doce me de revelatione; nam absurdum et blasphemiæ proximum est, detorquere divinam revelationem passim in casibus assertionis illius. Bullas e coelis super hoc non recepimus; sed in oppositum scripturas de coelis habemus authenticas.

Calumnia quinta. Veniamus ad alteram calumniam quintam. Assertiones istæ (dicunt multi) veræ sunt in casu inevitabilis necessitatis. Hic est principalis locus refugii partis adversus; delitescunt in hoc antro subdolæ et oberrantes ratiocinationum vulpeculæ. Docuit hoc lectura quaternorum, et allegationum, fulcire conantium partem istam. In loco hoc publicæ sessionis convincuntur, et hoc per inspectionem omnium fere schedularum, ratiocinantium pro verificatione hujusmodi assertionum. At vero credite, patres Orthodoxi, *defecerunt scrutantes scrutinio*, Ps. LXIII. 7. & *meditati sunt inania*, Ps. II. 1. Repetemus hic pauca de plurimis, quæ adversus calumniam istam et allegata, et scripta sunt. Sunt nimirum assertiones istæ, præter octavam, universaliter positæ, neque ad casum inevitabilis necessitatis coactæ; immo potius exclusæ, quo casu et etiam inevitabilis necessitatis, negaremus eas ex forma loquendi veras esse: quod scilicet meritorium esset nedum occidere, sed occidi facere per insidias, et villane sine diffamatione, &c. Omissa vero contentione super hoc, constat, ut prædiximus, assertiones istas octo sumendas esse pro universalibus ex quadruplici radice. Primo ex usu communi, et vulgaris acceptionis. Secundo ex forma suæ locutionis. Tertio ex modo syllogisticæ applicationis. Et quarto ex theologicis sermonibus, ac moralibus regulis, in quibus indefinita pro universali solet poni. Declamationes omittere fastidii timor cogit, nam in prima multiplex distributionis signum ponitur, dum ait: *Licitum est unicuique subdito*, &c. Sed et quarta palam est universalis dicens, quod *quilibet tyrannus debet interfici per insidias*, &c. Porro quid dicemus de nona, quæ sic habet: *In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confoederationis factarum ab uno milite ad alterum, quocunque modo id fiat, aut fieri possit; si contingat, quod istud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confoederatorum sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas servare*. Oro, quid universalius, ac proinde quid absurdius, quid falsius, quid dementius dici potest? Sed non minus inepta est defensio, qua dicunt aliqui, istam ideo veram esse, quia præjudicium capitur tantummodo pro præjudicio animæ, quod est peccatum mortale, vel veniale. At vero forma propositionis vulpeculam hanc interimit, quoniam homo non jurat in præjudicium animæ uxoris suæ, vel liberorum. Confutatur et ex communi modo loquendi apud vulgus, apud juristas, & judices. Unde & Papias dicit, præjudicium esse impedimentum in causa. Rursus æque turpis & frivola est fuga, dicendo quod præjudicium analogice dicitur de præjudicio spirituali, & temporali. Postremo, etiam ubi præjudicium concederetur non posse dici nisi de præjudicio animæ, quod esset contra jus; veruntamen homo pro conservatione juramenti deberet hujusmodi præjudicium non quidem facere, sed ab alio factum pati, pro conservatione juramenti. Patet in juramentis per metum extortis. Quanta est igitur, o salutifer Christe, scandali materia adversus hoc concilium, & constituentes ipsum, bonos, & graves, literatissimos & peritissimos utroque jure, quod jam per undecim menses, vel eo circa ventilari visa est hæc doctrina tam patenter hæreticalis, immo et sacrilega, tanquam de propositione dubitabili, vel opinabili, aut forsan vera, quæ sæcularibus illiteratis, nedum christianis, sed & judæis, paganis, & barbaris debet esse notissima, prout in his patentibus literis rex peroravit. Haberet hoc loco parvitas mea justissimam invehendi causam adversus famosos quosdam libellos, innitentes super hoc casu inevitabilis necessitatis, qui traditi sunt per primum ex judicibus in judicio, & protinus decreta copia est habere volentibus. In quibus quot atroces injuriæ dicantur adversus hoc concilium super condemnatione errorum adversus christianissimum regem francorum, & enormiter supra modum adversus præfulgidum illud jubar ecclesiæ Parisiensis universitatis, demum contra personas diversæ dignitatis, & gradus, recogitare, nedum legere prorsus horror est. Quibus tamen addita est hæc injuria, quod respondendi locus negatus est, vel non datus. Illic autor inter cætera cadit in foveam quam fecit, dum damnat, & irridet ignorantiam logicæ apud illum, qui consequentiam istam facit: contradictoria illius; *Licitum est unicuique*, &c. est vera, ergo ipsa falsa, per legem contradictoriarum, qua nulla melior est consequentia. Nulla vero fallacior illa, quam ipse facit ex adverso, saltem implicite, dum arguit sic: verum est in aliquo casu possibili, ut puta, inevitabilis necessitatis, quod licet occidere tyrannum, ergo licitum est unicuique &c. nam oppositum consequentis stat cum antecedente in casibus plurimis centum, vel mille. Sed hæc interim modestiæ, & brevitatis zelus prætereat.

Ca-

Calumnia sexta. Veniamus ad sextam calumniam dicentium, quod assertiones istae sunt satis exponibiles ad aliquem sensum verum. Respondemus negative; si juxta regulam Hilarii praeallegatam, & in schedula fratrum Mendicantium positam perspicue, pro nostro proposito, intelligentia dictorum ex causis assumatur dicendi, combinando scilicet conclusionem cum praemissis, & praemissa cum probationibus ad invicem. Ceterum et si verum esset id quod allegatur de exponibilitate ad aliquem sensum verum, nihilominus propter casus longe plures falsissimos, & notorie scandalosos, redderentur condemnandae, ut alias in quodam sermone & in schedulis quae legentur, deductum est.

Calumnia septima. Respondemus alteri calumniae, quae a veritate vacua, per numerositatem conatur evincere, dicens: assertiones istas plures habere defensores, quam oppugnatores; sunt idcirco verae, vel saltem opinabiles. O fallacissima, & haereticis, atque erroribus favens calumnia. *Non sequeris* (inquit lex Exod. XXIII. 2.) *multitudinem ad faciendum malum*. Quare? quia *stultorum*, & etiam malorum, *infinitus est numerus*. Eccle. I. 15. Nihilominus si ad numerum, & meritum placeat attendere, non dubitamus, multo plures atque gravioris autoritatis nos habere, tam in hoc sacro concilio, quam alibi, attento quod plures magistri, praesertim saeculares, nondum dederunt deliberationes suas, ut intelleximus, sicut illi de inclyta natione Anglicana, prout fertur; quos tamen vidimus strenuos, & industrios pugiles adversus haereticam pravitatem, absque ulla acceptione personarum, vel patriae etiam propriae. Attento praeterea modo deliberandi, quem fecerunt fratres Mendicantes de quatuor ordinibus, qui sunt illi facientes hunc numerum. Putamus enim non esse cum eis duos magistros in theologia saeculares, vel si veniant ad ternarium, totum est. Attento rursus, multas esse causas extrinsecas, quae moverunt, aut movisse praesumuntur praedictos fratres ad ita deliberandum in modum cujusdam conventiculi, ne dicamus conspirationis: qualis sit ipsorum habitudo ad universitatem Parisiensem plures norunt. Sed hoc reserare dimittentes, offendiculi formidine, dicimus ad excusationem multorum, quod informatione plenaria caruerunt, & in jure & in facto, ex quo jus oritur. Quid igitur mirandum, si ad pauca aspicientes de facili enunciaverunt? quibus si collationi mutuae majorum ad invicem, & cum eis interesse datum fuisset, quemadmodum tanta & tam diuturna quanta est instantia a dominis commissariis in causis fidei, existimare non possumus quin mutassent vota sua. Rursus attendendum est, quod materia praesens non est sic appropriata theologis, quin conveniat dominis canonistis & legistis, apud quos materia praeceptorum decalogi propter applicationem eorum faciendam ad judicia, particularius & exquisitius enucleata est, quam apud theologos; quales plurimi sunt qui canones, jura, & leges, etsi speculative studuerunt, ad praxim tamen operis judicialis nequaquam traduxerunt. Erunt igitur tales, immo & laici prudentes & boni judicii, magistri insuper moralibus eruditi super eorum deliberatione quid sentiant, consulendi.

Calumnia octava. Subjungamus pro calumnia octava eorum, qui dicunt, quod assertiones istae, ideo quia reprobatae ac damnatae sunt Parisiis, & hic reprobari quaeruntur, pepererunt infinita scandala, & parient etiam usque ad totalem destructionem communitatis. Fatemur cum christianissimo rege ac universitate Parisiensi, sicut & experientia, proh dolor! nimis edocuit, quod assertiones istae & propositio continens eas, dederunt infinita scandala; sed quod ex reprobatione & damnatione sua scandalum tam multiplex datum sit, vel negamus omnino; vel dicimus, quod scandalizati per hujusmodi condemnationes, nedum non habuerunt causam rationabilem scandali; sed ex hoc reddunt se ac de scandalo in fide & de bonis moribus, immo & de pertinacia multipliciter, ac vehementer suspectos. Videant igitur, qui retorquent injurias, quae contigerunt, & calamitates ac reprobationem hujus pestiferae doctrinae, ne dum alios inculpare satagunt assentientes damnationi; ipsi dissentientes incidant in foveam & laqueum inextricabilem, non solum haereticae pravitatis, & fautoriae homicidiorum, perjuriorum, ac insidiarum, ac seditionum sine numero, sed in pertinacis obstinationis damnabilem, & vix egressibilem labirinthum se detrudant, ac detrusos manifestent. Neque enim certior est errantium pertinacia, quam si ob veritatis publicationem vel damnationem erroris notorii guerras moveat quis, seditiones, & bella, aut moventibus proinde faveat, atque consentiat; sed in his pro nunc insistere non est nostrum.

Calumnia nona. Superadditur nona calumnia dicentium, assertiones istas spectare non ad judicium fidei, sed ad causam sanguinis, & quia concernunt praecepta decalogi, quae idcirco ad fidem non pertinent, quia continent evidentiam in lumine naturali. Concedamus in primis, quod homicidium in se se consideratum spectat ad causam sanguinis criminalem: sed homicidii justificatio, praesertim per jus divinum, atque canonicum, tanquam illud sit licitum, laudabile, & meritorium, pertinet utique ad judicium, & judices fidei. Est enim longe aliud loqui de homicidio, aliud de homicidii justificatione; sicut aliud est furtum, aliud est furti approbatio. Porro dum addit haec calumnia, praecepta decalogi non esse de fide, etiam proprie dicta, fallit, & fallitur, sicut alibi perspicua & irrefragabili ratione monstratum est; edocuit hoc tituli formatio obinde proveniens, ut fertur, dum quaesitum est, utrum hae novem assertiones sint fidei judicio reprobandae; sed hoc fieri procurans incidit in foveam, quam fecit.

Calumnia decima. Subinfertur tandem ultima pro nunc calumnia, quae me pariter cum rege quaerit involvere, tanquam aliquid execrabile commiserim. Ecce, inquiunt, iste Christianissimum regem exponit discrimini turpis notae erroris vel haeresis in causa quam non voluit, nec vult assumere. Hic re-

ANNO CHRISTI 1415.

respondeo primo, quod neque regem, neque prudentissimum consilium suum totum, neque universitates, neque prælatos, neque clerum sui regni, ita in manu mea teneo, quod eos sufficiam, vel debeam prohibere ad defensionem causæ fidei; neque certe volo. Ob hoc enim rex dicitur christianissimus vel antonomastice, quia fidem protegit & defendit. Dico secundo, quod antequam rex veniret hic in causam, assumpsi mihi causam ipsam modo, quod decebat theologum, a quo modo neque discessi, neque discedo, neque discedam, Deo mihi propitio, sicut reperiri debet in actis me ita respondisse. Erat modus procedendi per denunciationem evangelicam contra doctrinam erroneam in fide & moribus, ac multipliciter scandalosam. Dico tertio, quod dum sensi commissarios in causis fidei aliter intendere, quia citabant me ut irem Divionem, & tutius mihi forte fuisset ire in Babylonem; quia insuper nihil intendebam procedere contra personam qualemcunque, nec per strepitum, & figuram judicii: interrogatus, si facerem meam partem: respondi, quod hujusmodi denunciationem contra personam neque feceram, neque faciebam: & retribuat Deus in bonum illis qui contra satagentes oppositum, quibus ignoscat Deus, meam in hoc innocentiam, & simplicitatem relevarunt: hoc memori, grataque mente retineo. Dico quarto, quod si materia stetisset in puris terminis theologicis, tractando eam stylo theologico, qualis prædescriptus est, ita quod de interesse personali cujuscunque personæ nequaquam fuisset actum, non opus fuisset introducere regis authoritatem. Nunc autem, dum res tractata est, & tractatur per advocatos, & procuratores, & notarios, & per strepitum, & figuram judicii, sensit adversa pars, credite, sentimus & nos, quod divitibus, & divitiis opus erat: & ecce litteras instructionis missas per partem adversam ex hoc loco in Burgundiam, quæ satis hoc indicant; sed eas propalare jussio sacri hujus concilii cum proposito modestia non permittit. Hic vero juridicus procedendi modus, qualis prædictus est, multos exterruit, ne manifestas hæreses hic dogmatizatas, & notorie prædicatas, vellent, vel auderent denuntiari judicibus. Quis autem sit stylus in hac fidei materia practicandi, schedula posterius legenda docebit. Concludo tandem, & constanter affirmo, me firmiter credere, & nullatenus dubitare, quod hæc doctrina propositionis defendentis magistrum Joannem Parvi, cum suis assertionibus, sicut inventa, & in isto codice continetur, est erronea in fide & moribus, ac multipliciter scandalosa. Quod si fuerit aliquis, vel aliqui, quantumcumque multiplices, volentes christianissimum regem calumniari, quod non fecerit in hac parte judicium, & justitiam, credendo, & credi mandando, sicut modo diximus, & sicut operatus est: ego, nedum nomine regis christianissimi, sed etiam proprio nomine constituo me partem defendentem ad poenam talionis, pro me & mihi adhærere volentibus in hac parte, & coram hoc sacrosancto, & universali concilio Dei nutu congregato. Dico, partem defendentem, attendite, quam partem accusantem contra personam aliquam neque feci, neque facere pro nunc, nisi quid aliud urgeat, disposui. *Non enim mihi colluctatio est adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum harum* Eph. VI. 12. Faciat igitur similiter; ponat personam propriam in querela Domini sui, immo certe consilio meo non faciat, aut si fecerit, conquiescat. Abiit a me, ut gaudeam super iniquitate, & non congaudeam veritati. Sed ecce, Patres orthodoxi, Deo jure amabiles, dum inter loquendum retorqueo mentis oculos ad præsumptum thema, quo diximus: *Deus judicium tuum regi da*, Ps. LXXI. 1. rapior quodammodo de vivis ad mortuos, dum id quod subditur, intueor, *& justitiam tuam filio regis*. Et animadvertite, precor, interim, Patres benignissimi, viri misericordiæ, quorum justitiam oblivionem non acceperunt. Advertite nunc paulisper ad me auribus vestræ carnis, & oculis; atque spiritualibus oculis, auribus, quid filius regis & frater istius, Ludovicus inclytæ memoriæ, dux olim Aurelianensis mansuetissimus, & benignus, elegantis formæ, perspicacissimæ sagacitatis, eloquentiæ singularis, & pene incomparabilis; quid, inquam, nunc ipse, immo quid sanguis suus clamet ad hoc sacrum concilium, misericordi pietate pensate, compatientes estote ex innata teneritudine miserationis cordialis, revolventes vobiscum intra misericordiæ viscera, quo clamore, quo gemitu, quo plangore quærat modo justitiam. Non equidem, sicut æstimo, tantumdem pro ipsa morte naturæ, quia scit quod mortuus est quandoque moriturus, quantum pro tali mortis modo conqueritur; quantum præterea pro crudelissimæ necis suæ justificatione, quæ est infamiæ mors altera, mors continua, mors indigna, neque minus fugibilis, quam sit ipsa mors naturæ. Hæc siquidem infamiæ mors civilis, nedum viventes interimit, sed desævit in mortuos; non unum, vel duos interficit, sed posteritatem totam, totum genus, & affines diro lacerat ignominiæ telo: vos tres præcipue, filios illustres, ac ingenuos superstites, quorum unus obses, alter captivus tenetur in Anglia; non ut proditores quidem, sed ut vestri regis, ac regni fidelissimi defensores. O si datum esset his liberis, pupillis, orphanis, & captivis, astare coram reverendissimo ac celeberrimo coetu præsenti; si fas alloqui, plus planctibus, plus suspiriis, plus singultibus, lachrymis, & gemitibus, quam ore, vel vocibus clamarent. Date Patri, date nobis justitiam. O si procumbentes eos, & advolutos vestris sanctis pedibus cernerent hi misericordes oculi vestri, concipite quibus jaculis intimæ compassionis vulnerarentur piissima corda vestra; quia neque verbis extra proferre, neque intra me pro rei magnitudine comprehendere sufficio quod cupio; perficite quod nequeo. Ceterum nunquid non, obsecro, sufficere debuerat, Patres sapientissimi atque misericordissimi, naturæ mortem immaturam taliter inflixisse Patri? Tollatur ergo mors altera, quam sacrilega impietate crudeliter inferre, ac renovare non cessant, tam Patri mortuo, quam fu-

superstiti generosissimæ proli suæ, libellus hic vere famosissimus, ut rex scribit, vere hæreticalis, scandalosus, humani foederis æmulus, catholice condemnatus, sceleratissimus, viperinus, legis decalogi impugnativus: quin etiam misereamini pereuntium animarum, patres, ac domini misericordes, (illorum vicem multum dolendo) qui damnabiliter (ita profecto est, damnabiliter) in perniciem propriæ salutis & alienæ, libellum hunc lethiferum pertinaci animositate defendunt, & servare contendunt, ne pereat. Et ego nunc in spiritu lenitatis, in spiritu sacri conc. præsentis (qui est spiritus pacis & concordiæ, spiritus charitatis, quæ *benigna est*, quæ *nec inflatur*, nec *irritatur* 1. Cor. XIII. 4. 5.) converto vocem meam, ad vos, B reverende pater ac domine, domine Atrebatensis, cum quo vixi olim familiariter, & benigne: ad vos similiter, magister Petre, vice domini Rhemensis, compatriota charissime, quos ego diligo in veritate, dilexi, & diligam, Domino propitio; (nam *qui non diligit; manet in morte*, 1. Joan. III. 14.) optabilius autem esset, perdere vitam carnis, quam in tali vivere morte mentis. Interrogo vos nunc aliqua; respondete, precor; immo, tacentibus votis, respondebo ipse pro vobis. Nonne diligitis salutem temporalem simul & spiritualem illustrissimi principis, domini ducis Burgundiæ? diligitis, scio. Non diligitis securitatem inclytæ posteritatis suæ, C in dominiis hæreditandis? Diligitis, scio. Nunquid prætererea non animadvertitis vero judicio rationis, mortem de qua loquimur, pravo consilio perpetratam: qualem, & qualiter nunquam pater prudentissimus, recolendæ memoriæ Philippus attentasset? Puto, quod sic animadvertitis, neque, si affuissetis, (eratis enim tunc in Italia) dedissetis tale consilium, de quali, dum aliquando, vivente patre præfato, fuisset aliquis sermo habitus per nonnullos, continuo cameram exiens, & medicum suum inveniens, moestus ac turbidus clamavit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, Ps. 1. Denique cognitum est, quod mortem hanc, mox D ut patefacta est, & annotata, sic ipse dominus dux præsens exhorruit, detestatusque est, ut diceret dominis de regio sanguine, *Diabolus*, inquit, *mihi persuasit*: quod si mors injusta fuit, sit justificatio pejor, sit defensio justificationis pessima, consequens est. Vincat igitur vos, non ego, sed veritas, sed ratio, sed pietas, per salutem animarum vestrarum, & per illam quam vos expavescere, ac refugere convenit, poenam errantium; per illam denique severitatem sententiæ, qua christianissimus rex Francorum supremus dominus noster communis, per litteras patentes suas (credite dicenti, his oculis vidi, his manibus palpavi eas) E damnat hunc libellum, tanquam injuriosum regiæ majestati suæ; mandatque plecti defendentes illum poena crimini tali debita, quæ qualis sit, non latet vos, scio: & hæc cohibeat temporalis poena, si non retrahere sufficit canonica, vel æterna.

Tandem ego ipse revertor ad vos, patres orthodoxi, supplicans, petens, & obtestans, per desiderium illud quod habent reverendis-

A simæ ac Deo amabiles paternitates vestræ ad salutem animarum, ad extirpationem errorum, & correctionem errantium, si quid movet illa Ezechielis, immo Dei per Ezechielem expavescenda horribilis tuba, quæ pereuntium in erroribus, & peccatis intonat, *sanguinem a speculatore muto requiram*, Ezech. XXXIII. 6. Tollatur per judicialem hujus sacrosancti concilii sententiam libellus iste famosissimus, mortifer, & hæreticalis, & eradatur memoria ejus a populo christiano. Ut quid etiam membranas occupat? Ut quid legentes, & audientes sua contagione foedat, inficit, conculcatque? Hoc in recessu suo quæsivit serenissimus rex Romanorum: superest schedula patens, cui sigillum suum impressum est: & quid Parisiis egerit famæ vox insonat. Hoc ipsum petit, hoc suadet, hoc obtestatur christianissimus rex Francorum; hoc præclarissima Parisiensis universitas, & alii quamplurimi: hoc nos postremo humiles sui ambassiatores supplicibus votis exoramus, quatenus in hoc adjutores sitis, dando regi judicium, & justitiam filio regis, sequendo vestigia Christi, qui ad hoc venit in mundum, ut oves errantes ad se reduceret. Sic itaque de prius errantibus, si non obdormiverint, si non in errore coepto pertinaces (quod absit) extiterint, dicetur ex sententia illud de epistola dominicæ currentis: *eratis aliquando sicut oves errantes, sed nunc conversi estis ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum*, 1. Petr. II. 25. Ad hoc quippe tendit oratio proposita vice thematis: *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio Regis*, Psalm. LXXI. 1. Terminavimus in hoc primam præsentis actus partem, reliquam per lecturam litterarum quarumdam, & schedularum, quantum audire placuerit, finietur.

DELATIO NOVEM ASSERTIONUM JOANNIS PARVI,

Facta concilio Constantiensi, ab ambassiatoribus regis Franciæ, anno XV.

In nomine Domini Amen.

Tenore præsentis publici instrumenti, cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octava, die veneris septima mensis junii, post meridiem, S. sede apostol. pastore destituta. In refectorio fratrum Minorum Constantiæ, Moguntinæ provinciæ; ubi reverendissimis, reverendisque patribus & dominis, Petro, tituli S. Grisogoni, presbytero, Cameracensi; & Francisco, tituli sanctorum Cosmæ & Damiani, diacono Florentino, cardinalibus, vulgariter nuncupatis, præsidentibus, & aliis nationum, ac super facto fidei & sacrum Constantiense concilium deputatis, una cum pluribus aliis archiepisc. episcopis, abbatib. et prælatis, nec non in theologia, et jure magistris & doctoribus, aliisque notabilibus personis, in magna multitudine, propter infrascripta, & alia negotia factum fidei concernentia specialiter congregatis; in nostrum notariorum & testium infrascripto-rum

Ex Gerf. t. V. pag. 353.

rum præsentia, præfatus reverendissimus pater dominus cardinalis Cameracensis, narravit commissionem sibi, & aliis deputatis super facto fidei factam, & quasdam hæreses pullulasse in pluribus locis, & præsertim Turingia; super quibus dixit fore providendum, & subjunxit quod serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ &c. rex, zelo orthodoxæ fidei, alias & pluries institit, & sollicitavit, tam supradictos, quam alios dominos nationum deputatos super facto fidei, & totum concilium, quod ante recessum suum apud Niciam materia fidei tractaretur, & omnes hæreses & errores, quantum esset possibile, extirparentur, & causæ super hoc inchoatæ terminarentur, & non coeptæ inchoarentur; aut saltem fieret diligentia possibilis ante ejus recessum: quoniam desiderabat esse particeps cum sacro concilio tanti boni; & quæ indicata forent per ipsum sacrum concilium, executioni debitæ demandari, & idcirco si essent aliqui, qui aliqua alia, materiam fidei tangentia scirent, illa proponerent, & provideretur de opportuno remedio: protestans tamen quod non deberent tangi, seu nominari personæ; sed materia exponeretur secundum facti veritatem, ad evitandum scandala, quæ propter expressionem nominum oriri possent.

Quibus, sic, vel alias consimiliter in effectu dictis & prolatis per dictum dominum cardinalem Cameracensem, venerabilis vir magister Johannes de Gersonno, in sacra theologia magister, cancellariusque ecclesiæ Parisiensis, narravit alias in natione Gallicana proposuisse, et adhuc proposuit, de, & super certis erroribus & assertionibus condemnatis Parisius, per reverendum patrem, dominum episcopum Parisiensem; quos errores, seu assertiones, & eorum condemnationem contineri dixit in quodam papiri folio, seu cedula, quam legendam ibidem exhibuit, & tradidit, seque tunc submisisse, prout adhuc se submittit, judicio, & correctioni dicti sacri concilii, cum aliis protestationibus tunc factis, et nunc repetitis, et alias, ut in talibus est moris. Quæ quidem assertiones, cum condemnatione earum, in dicto folio papiri descriptæ, fuerunt ibidem alta et intelligibili voce lectæ, per venerabilem virum dominum Bertholdum de Wildughen, decretorum doctorem, ac sacri palatii apostolici causarum auditorem: quarum tenor, de verbo ad verbum sequitur, et est talis.

Prima Assertio.

Licitum unicuique subdito, absque quocunque mandato vel præcepto, secundum leges naturalem, moralem & divinam, occidere, vel occidi facere, quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem regis sui, & supremi domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam dominationem; & nedum licitum, sed honorabile & meritorium; & maxime quando est tantæ potentiæ, quod justitia non potest bono modo fieri per supremum.

" Erronea in fide et moribus, ac multi-
" pliciter scandalosa "

Secunda Assertio.

Leges naturalis, moralis & divina, autorisant unumquemque subditum, de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

" Erronea in fide, et moribus; ac legi-
" bus naturali, morali, et divinæ scandalosa.

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem & infidelem suo regi & supremo domino, per dolos & insidias; & est licitum dissimulare & silere voluntatem suam de sic faciendo.

" Falsa & erronea et scandalosa. "

Quarta Assertio.

Jus est, ratio & æquitas, quod omnis tyrannus occidatur viliter, per dolos & insidias, & est propria mors qua debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, dolos & insidias.

" Erronea, crudelis et impia.

Quinta Assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & rex non debet solum esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & autorisare, quantum opus, vel necessitas esset.

" Erronea in fide et moribus, scandalo-
" sa ac regiæ dominationi injuriosa. "

Sexta Assertio.

Rex debet præmiare & remunerare illum qui occidit, modo qui dictus est, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in opibus, honoribus & divitiis; exemplo remunerationum factarum sancto Michaeli Arcangelo, pro expulsione Luciferi a regno Paradisi; & nobili homini Phinees pro occisione ducis Zambri.

" Erronea in fide, & moribus, scandalosa,
" ac regiæ dominationi injuriosa.

Septima Assertio.

Rex debet plus amare, quam prius, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis, & debet facere prædicare suam fidem, & bonam fidelitatem per suum regnum, & extra regnum facere publicari, per literas in modum epistolæ, & aliter.

" Erronea in fide, & moribus, scanda-
" losa; ac regiæ Dominationi injuriosa.

Octava Assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat, 2. Cor. III. 6. hoc est dicere, quod semper tenere sensum literalem in Sacra Scriptura, est occidere animam suam. Ex-

„ Expositio indiscreta, & erronea.

Nona Assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat, quod istud versatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, vel suorum liberorum; ipse de nullo tenetur eas observare: hoc probatur ex ordine caritatis, quo quilibet plus tenetur se ipsum diligere, uxorem, & liberos, quam alterum:

„ Falsa, & erronea, secundum se, & ad „ perjuria viam præbens.

Post cujus quidem cedulæ lecturam, reverendus pater Atrebatensis episcopus, unus de Ambassiatoribus, ut dixi, illustrissimi principis Burgundiæ, tanquam Ambassiator in dicto concilio generali Constantiensi, & nomine dicti domini ducis Burgundiæ, dixit, & proposuit, quod sibi, & aliis ambassiatoribus ejusdem domini ducis visum est, quod dictæ assertiones condemnatæ, ut præfertur, tangebant quandam prætensam sententiam, per præfatum dominum episcopum Parisiensem, & inquisitorem hæreticæ pravitatis in regno Franciæ latam, in præjudicium honoris, famæ & status præfati domini ducis, ad sanctam Sedem apostolicam, & concilium generale, in quantum sua intererat, & quatenus ipsum dominum ducem ipsa sententia tangebat, aut tangere posset in futurum, extitit legitime appellatum. Idcirco dictus dominus Atrebatensis episcopus, quo supra nomine, a dicto domino cancellario Parisiensi petiit, si ipse loqueretur & proponeret prædicta, ut ambassiator christianissimi principis domini regis Francorum, naturalis, & superioris domini dicti domini ducis, & sui; aut si alio, & quo, seu cujus nomine loquebatur.

Secundo, quia ipse magister Johannes de Gersonno fecerat mentionem de quadam sententia, lata per dictum dominum episcopum Parisiensem; etiam interrogavit eum, si intendebat loqui de illa prætensa sententia lata per dictos dominum episcopum Parisiensem, & inquisitorem, contra propositionem magistri quondam Johannis Parvi, semel & unica vice verbaliter propositam Parisius, de mandato dicti domini ducis, quæ sententia dicitur fuisse lata XXIII. die mensis Februarii, anni quadringentesimi XIII.

Super quibus, etiam idem dominus episc. Atrebatensis petiit interrogari ipsum dominum cancellarium, per dictos dominos præsidentes.

Cui domino Atrebatensi dicti præsidentes responderunt, quod fuerat alias ordinatum, præsente præfato serenissimo principe, domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ &c. rege, quod ita intendebant facere, & non alias, & de hoc protestati fuerunt.

Et tunc præfatus magister Johannes de Gersonno cancellarius respondit, & dixit quod ipse pro nunc, seu de præsente, loquitur & loqueretur tanquam magister in Theologia, seu Theologiæ professor, denunciator præfatæ sententiæ domini episcopi Parisiensis, latæ tanquam catholicæ Parisius, super novem assertionibus erroneis in dicta cedula contentis, & in dicta sententia damnatis, ut etiam in hoc concilio reprobarentur.

Præfatus vero dominus Atrebatensis episcopus, nomine quo supra, narravit qualiter a dicta sententia fuerat appellatum ad sanctam sedem apostolicam, pro parte dicti domini ducis, quatenus sua intererat; & causa commissa in Romana curia reverendissimis patribus dominis cardinalibus de Ursinis, Florentino, & Aquilegensi, & citatio ad partes decreta, & inhibitio facta &c.

Verumtamen ex ordinatione, & propter inhibitionem dudum factam per olim Johannem papam XXIII. conciliumque & dominum regem Romanorum prædictis ambassiatoribus dicti domini ducis; & etiam propter inhibitionem etiam super hoc factam per christianissimum regem Francorum, prout apparere poterat ex tenore quarundam instructionum suis ambassiatoribus trasmissarum; & etiam propter quamdam ordinationem eis factam per dictum dominum ducem, in favorem unionis sanctæ matris ecclesiæ & præsentis concilii, noluerunt hanc materiam propalare in dicto concilio generali, agendo, aut appellationem prædictam active prosequendo; ne ex ista materia scandala insurgerentur, occasiones ministrarentur, propter quæ seu quas, prosecutio unionis ecclesiæ sanctæ Dei turbari posset in aliquo, aut quomodolibet impediri, minime processerunt; sed pure passive se habuerunt in præmissis, usque ad præsens tempus, nec procedere intendunt, nisi quatenus artati erunt procedere, neque facere aliquid contra instructiones & voluntates dictorum dominorum regis & ducis: & de hoc protestatus fuit, licet per dictum magistrum Johannem de Gersonno plurima jam fuissent dicta, scripta & attentata contra præmissa, prout dixit. Et ut omnibus pateret evidenter de præfatis inhibitionibus, & voluntatibus dictorum dominorum regis Franciæ, & ducis Burgundiæ, ipse dominus episcopus Atrebatensis exhibuit quandam papiri cedulam, quam dicit fuisse translatam de Gallico in Latinum, in earum sensibus & formis, in quibus sunt in originalibus literis, quam idem dominus episcopus publice legit in forma quæ sequitur.

Sumptum in instructionibus serenissimi domini nostri regis Franciæ XXI. maii, in civitate Constantiensi apportatis per magistros Jordanum Morini, & Guillelmum Pulcrinepotis, præsente domino episcopo Carcassonensi, magistris Guillelmo prædicto, & Petro de Versellis, se gerentibus pro ambassiatoribus ejusdem domini ducis Burgundiæ; archiepiscopis Bisuntino, & Viennensi, episcopo Atrebatensi, vicedomino Remensi, & eleemosinario præfato domini ducis, se gerentibus pro ambassiatoribus ejusdem domini ducis.

ITem domini magistri Jordanus & Guillelmus, dicent ambassiatoribus prædictis, quod rex ad requestam domini ducis Brabantiæ, & aliorum de sua comitiva ordinavit, vult, & eis mandavit, quod in facto condemnationis propositionis magistri Johannis Parvi non se faciant partem, nec faciant prosecutionem ex parte regis in petendo, proviso quod similiter mandetur per dictum dominum ducem Burgundiæ suis ambassiatoribus existentibus in dicto loco Constantiensi; & quod faciant similiter: quamvis sit voluntas & ordinatio regis quod ipsi deffenderent dictam condemnationem, si materia esset mota ex alia parte, & videretur esse expediens; & similiter responsa super hoc facta, poterunt communicari dicto imperatori & alibi. Datum Parisius per regem, in suo consilio XXIII. die martii anni millesimi quadringentesimi quarti decimi. Et sunt signatæ dictæ instructiones, isto modo. Charles. *Par le Roy, en son Conseil*, Malliere, P. Beaunieps.

Hæc clausula translata est de Gallico in Latinum, & Gallicum extractum est signatum manu propria Guillelmi Pulcrinepotis, apud ambassiatores dicti domini ducis.

Episcopus Atrebatensis dixit verba sequentia in Sessione publica celebrata die XV. junii IV. C. XV. nomine ambassiatorum illustrissimi principis ducis Burgundiæ.

Nos humiles ambassiatores illustrissimi principis domini ducis Burgundiæ, in quadam causa per aliquos nuper introducta, si, & pro quanto, & in quantum ista causa tangeret, aut tangere posset directe, vel indirecte præfatum dominum nostrum, stamus in protestationibus per nos alias factis, quantum ad reverendissimum patrem dominum cardinalem Cameracensem, & ab eo excipus *, quod ad causam istam, donec aliud a præfato domino nostro habuerimus in mandatis, propter causas alias loco & tempore opportunis allegandas; de quibus præfatus dominus episcopus, nomine quo supra, petiit instrumentum &c.

* *locus corruptus.*

B R U N E T I

Jo. Guiardi habet notam Instrumenti

Prima Cedula.

PRimo. Sententia episcopi Parisiensis, & inquisitoris Franciæ, quæ de jure est nulla, ut non dicatur iniqua, verbum temperando, adnulletur, & quidquid inde & ex ea secutum est, irritum & inane declaretur.

Item. Cum super principali materia nullus apparuit accusator, nec denunciator, nec insinuatio clamosa; judices commissorii, sive sacrum concilium, non intendunt, sicut non debent in causa, & ulterius procedere; tam veritates Parvi, quam assertiones per Johannem de Gersonno eidem Parvo falso impositas, in sua probabilitate relinquendo; silentium perpetuum imponentes supradicto episcopo, & Johanni de Gersonno, atque promotori super hac causa, propter abusus per eosdem commissos in hac parte propter supra dicta.

Item. De calumniosa denunciatione, quam fingit Johannes de Gersonno fore evangelicam, quoad hoc satis debet sufficere quod ad arbitrium judicum poenæ impositio relinquatur moderanda, prout exigentia materiæ & status requirunt tam illustris ac generosi Principis & præpotentis, cujusmodi est princeps inique super his diffamatus.

Propter præmissa, non intendunt recedere a requesta alias per eos petita, super condemnatione illius propositionis: *Quilibet tyrannus &c.* quæ fuit eos taliter qualiter denegata; sed volunt in primis illam de verbo ad verbum, & per decretum explicari.

Cedula tradita XV. maii, per dominum procuratorem Cluniacensem.

Pro parte domini ducis Burgundiæ proponitur, quod male & injuste contra rei veritatem, & contra suam bonam famam, per inimicantem eidem domino duci, episcopum Parisiensem, dudum condemnata fuit quædam propositio facta per magistrum Joannem Parvi, in aula sancti Pauli Parisiensis &c. & per eundem dominum Burgundiæ advocata; ab ejusmodi condemnatione, ad Sedem Apostolicam, vel concilium generale, per eundem dominum extitit appellatum.

Pro parte vero domini Cancellarii ecclesiæ Parisiensis, & quorundam aliorum sibi in hac parte adhærentium, proponitur, quasdam assertiones, novem in numero, videlicet &c. nescitur a qua persona, aut quibus personis emanasse, & in certis codicibus scriptas & repertas esse, ut dicitur; ex quibus, judicio domini Cancellarii, & sibi adhærentium prædictorum, scandalum & veritatis catholicæ præjudicium sequi possent, nisi hujus sacri conc. determinatione providetur.

Ad igitur ostensionem veritatis, prædictorumque domini Burgundiæ & magistri Joannis Parvi honorem reparandum & famam, & ad serenationem animorum dictorum domini Cancellarii, & sibi adhærentium super dicta veritatis catholicæ materia; pariterque ad potiorem firmitatem initæ pacis principum & regni Francorum, adimpleantur sequentia, & per modum istum.

Primo. Ab hac sancta synodo, aut suis, vel sedis apostolicæ ad hoc specialiter deputan-

tandis aut deputatis, processus & sententia dicta condemnationis factæ per dictum dominum episcopum Parisiensem, visitabuntur; & pro quanto defectuosi reperti fuerint, adnullabuntur, prout fuerit rationis.

Item. Octo propositiones principales, cum suis probationibus, quas dictus magister Joannes Parvi in dicta sua propositione, veritates appellat, in quibus fundavit majorem ipsius propositionis; a quibus quidem octo veritatibus certas propositiones, quas censent erroneas, dicuntur extraxisse, & ratione quarum dictus dominus episcopus Parisiensis hujusmodi propositionem dicti magistri Joannis Parvi, tanquam errores multipliciter continentem, damnavit; per dictam sacram synodum, seu ejus ad hoc deputatos vel deputandos visitabuntur, prout in dicta propositione præfati magistri Joannis Parvi vere & formaliter continentur, an sint aliæ a prædictis assertionibus, per dictum dominum episcopum damnatis, vel ex eis sequentes: & an sint veritati, aut probabilitati, aut bono intellectui, seu piæ expositioni dissonantes vel consonantes, aut absque morum, vel fidei præjudicio sustinibiles.

Item. Et quod dicti dominus Cancellarius, pariter & sibi adhærentes, ad reformandum & reparandum læsionem famæ & honoris, quæ dictis domino duci Burgundiæ, & magistro Joanni Parvi, per dictos processus & condemnationem facta extitit, & ex dictis processu & condemnatione contra eosdem dominum ducem, & magistrum Joannem Parvi insurrexit, in quantum potuerunt intendant, & possetenus procurabunt; quodque etiam hoc mediante dictorum domini Cancellarii, & suorum adhærentium instanter procurabitur, & certissime obtinebitur in eo qui facit utraque unum, & est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Cedula tradita per dominum cardinalem Cameracensem.

Hæc * autem sancta Synodus declarat quod per promissam condemnationem novem propositionum, vel etiam per condemnationem nuper factam de illa propositione: *Quilibet tyrannus &c.* eadem sancta Synodus non intendebat, nec intendit juri alicujus personæ, seu famæ ipsius, vel honori præjudicare, seu quomodolibet particulariter derogare; cum nullus particularis assertor seu deffensor earundem, coram dicta sancta Synodo fuerit specialiter, vel judicialiter accusatus.

* Deest aliquid

Per manum abbatis Clarevall. in conventu prædicatorum, dominica, scilicet undecima die Augusti.

Cedula episcopi Atrebatensis.

Cum pro bono pacis pectoris & temporis reformandæ in ecclesia militante, hæc sacrosancta Synodus Constantiensis, in Christi nomine, Spiritus sancti instinctu noscatur A congregata, ut tandem populum christianum, redemptum Christi Sanguine pretioso, ad pacem æternitatis reducat, & deducat, scandala cupiens ab agro ecclesiæ tollere, eorum causas radicitus excidens, aditus futuris possibilibus præcludens, quantum potest, diffinit, decernit, & declarat, quod cum occasione quarumdam novem assertionum, quarum tenor sequitur, & est talis &c.

Aliqua scandala in quibusdam mundi partibus, ut dicitur, fuerunt per malevolos suscitata, & verisimiliter suscitari in posterum timentur oritura, & præsertim apud minus doctos: quæ tamen dictæ novem assertiones non sunt tanquam erroneæ con-B demnatæ, eo quod de earum possibilitate sive evidenti contradictione fidei, sacræ scripturæ, & bonorum morum, sunt opiniones graves magnorum doctorum eas asserentium probabiles, ut præfertur, testimonio scripturarum naturalium, moralium, & divinarum.

Ea propter hæc sancta Synodus erroneas in fide, & moribus fore non declarat; sed ne occasione earumdem scandala sequerentur graviora, earum probabilitati derogare non intendens, ipsarum tamen doctrinam publicam suspendit, sub poenis &c. Verum quod episcopus Parisiensis, & inquisitor in regno Franciæ, quamdam prætensam sententiam tulerunt, qua visi sunt eas tanquam C erroneas in fide, & moribus condemnare; quod tamen tam ex defectu judiciariæ potestatis, quam propter prædictarum assertionum probabilitatem, & conformitatem ad prætactas scripturas minime facere potuerunt; quapropter dictam suam sententiam adnullat, & nullam fuisse, aut esse, præsentium tenore diffinit, & declarat, perpetuum silentium imponendo dictis episcopo, & inquisitori, & quibusvis aliis præsentibus, & futuris; ne occasione dictarum assertionum novem, aut dictæ prætensæ sententiæ sic adnullatæ, & pro nulla declaratæ, imponant, aut imponere audeant quomodocumque, aut qualitercumque, directe vel D indirecte, per se, aut per alium, occulte, aut publice, cuicumque, aut quibuscumque, personæ aut personis, vivæ, aut defunctæ, vivis aut defunctis, dictas assertiones, aut occasione ipsarum hæresim, seu errorem audeant imponere in futurum, sub prædictis poenis, et impositoribus criminum hæresis, et erroris in fide, et moribus a jure inflictis, et declaratis.

Cedula Cisterciensis, & Clarevallensis.

Ad hoc quod super processu & concordiæ tractatus utilis, & efficax habeatur, decer-E ni poscitur in sanctæ synodi sessione.

Primo, quod sententiæ episcopi Parisiensis, & inquisitoris fidei, in condemnationem assertionum &c. latæ Parisiis tali die &c. Cum autem juris ordine, multipliciter exorbitasse reperiantur, irritæ cum sequelis suis decernantur, & omnino nullæ; episcopo tamen ipso ab omni, si placuerit, inspectione super hoc immuni semper, & libero permanente.

Item. Propositio condemnata pridem: *quilibet*

libet tyrannus &c. modificetur per concilium, quod non intendit quibuscumque viventibus, vel mortuis per ejus condemnationem in aliquo derogare; cum hoc addendo, quod nulli fas sit assertionem imponere vel attribuere cuiquam, extra judicium, nisi reus in hoc inventus legitime fuerit, & convictus.

Item. Ne discordiarum renovetur immanitas; quod nullus possit, aut debeat, occasione dogmatizationis, approbationis, vel defensionis, usque in præsens, harum assertionum, de suspicione, vel errore contra catholicas veritates, & sanam doctrinam, argui quomodolibet, vel notari.

Item. Quia dictarum assertionum liberam dogmatizationem, seditionibus, homicidiis, & perjuriis viam præbere dicit denuncians, & omnimode magis earum judicialis per concilium reprobatio, vel condemnatio, tamquam omnis excussiva timoris, tam principantium, quam hostiliter sævientium tyrannidi, oppressioni subditorum irremediabili, totiusque reipublicæ subversioni, faciliter occasiones, & ausus aperiret effrænes: pensatis similiter doctorum celebris famæ non paucorum sententiis, assertiones hujusmodi probabiles, & illæsa fide substinibiles esse, quidam dictis, aliis vero scriptis asseverantium autenticis, quodque, nec assertorem habent, neque scandalo fuerunt, nisi quantum adversæ partis molimina suscitaret: sancta Synodus assertiones ipsas, sine judiciali decisione, vel in alteram partem obligatoria determinatione relinquendas pro nunc esse statuat, & decernat.

Item. Cum ex præmissarum assertionum dogmatizatione, sensus quidam extranei & scandalosi, licet ab æmulis, unde supra prodeuntes, recepti fuisse dicantur, & cum in futurum verisimiliter elici possent; sacra synodus fidelium Christi semitas ad æternam salutem rectas facere, solidare vincula pacis, scandala tollere de regno Dei, quod est ecclesia, votis communibus inardescens, earum dogmatizationem, & in publicis actibus allegationem, prædicationem, aut alias promulgationes approbative, vel reprobative sessionabiliter prohibeat, & catholicis omnibus interdicat sine præmissis, & eorum quolibet, ne restaurabitur enormitas, contumelia, & inhonoranda crudelitas, tot modis, et vicibus in principem tantæ majestatis evomita, qui debitor est ad honorem proprium, et famam suam negligere non intendit.

JOANNIS GERSONII DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS

Sermo contra assertiones magistri Joannis Parvi,

Circa præceptum

NON OCCIDES.

Ex Gers. t. II. p. 338.

Oportet *hæreses esse*, sicut dicit apostolus 1. Cor. XI. 19. *ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis*. Probati, inquam, per fidem in intellectu; per caritatem in affectu; per exercitationem in effectu. Providentia nimirum divinæ sapientiæ, *quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponit omnia*, Sap. VII. 1. non fineret mala fieri, (teste Augustino) si non posset, sciret, et vellet inde bona elicere; disponens finem amoris perversi ad finem finis boni, atque gloriosi: quod vidit apostolus, dum ait: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. VIII. 28. Et sic *omnia* (inquit Guido Carthusianus) *ut etiam aliena mala, imo & propria: dum ex peccato consurgit quis humilior*. Fit autem hic ex hæresibus hoc salubre, quatenus, sicut *corde creditur ad justitiam*; ita fiat *ore confessio ad salutem*. Rom. X. 10. profitendo scilicet fidem suam extrinsecus, quod cadit sub præcepto obligante ad semper, non pro semper, nisi casibus certis, qui possunt ad præsens quatuor nominari. Unus est coram infidelibus, & tyrannis, sicut tempore martyrum. Alter coram perfidis hæreticis, ut tempore doctorum. Tertius ad testificandum, vel respondendum, sicut fit coram judicibus. Quartus doctrinaliter, & judicialiter erudiendum, sicut fit a prælatis, & doctoribus. In casu primo exercetur patientia, uti hymnus loquitur. In secundo patientia, & plerumque constantia, juxta dictum Augustini. In tertio meritum acquiritur, ut dum Petrus respondit: Matth. XVI. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; dicit glossa quod *Hoc fuit ad meritum*. In quarto doctrinale & pastorale officium exercetur. Job. 10. & Matth. ult. & Malach. 2. & 1. Pet. 3. &c. Ex qua distinctione, protinus elicitur, quod quia professio fidei fit extrinsecus ad salutem, nedum ore, sed etiam gestu, vel opere (ut assistendo confitentibus, vel docentibus veritatem:) illi, patres reverendissimi, & ceteri qui pridie remanserunt cum aliis assistentibus, quique nunc remanent, vel assistunt, collaudandi sunt tanquam *beati, qui audiunt verbum Dei*, sicque eorum merces copiosa Deus, quia quid retribuam non habeo. *Qui ex Deo est*, inquit Christus, *verba Dei audit*; timendum est, quod sequitur, refugientibus; *propterea non auditis, quia ex Deo non estis*. Joan. VIII. 47. Sed reprimo, cohortor autem per illud apostoli in epistola dominicæ currentis originaliter ad Ephes. V. 17. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*, ut dicamus ei: *Fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra*; Matth. VI. 9. Quod utique prohibet fieri triplex sapientia, *terrena, animalis, diabolica*, Jacob. XIII. 17. Elicitur præterea, quod si quis voluerit testimonium suæ fidei palam dicere, quisquis ille fuerit, præsertim eruditus, audientia sibi publica dari debet: meretur insuper dum refugit esse doctor nocturnus, & in angulis aliter quam Nicodemus, *qui venit ad Jesum nocte*: Joan. XIX. 39. Trepidos nempe, & obscuros suæ fidei professores arguit Christus dicens: Matth. X. 27. *Quæ in tenebris audistis, prædicate super tecta*, quia *qui me erubuerit* (Luc. IX. 26.) *& sermones meos, & filius hominis erubescet eum coram angelis Dei*. Itaque sit fides uniuscujusque in ore, sit in oculis, sit in fronte. Ex quibus ita prælocutis, protinus eliceretur veritas duplicis ultimæ partis nostræ conclusionis quadri-

drimembris, alias positæ, quæ talis est.

Novem assertiones cum suis reprobationibus judicialiter nunciatæ spectant ad fidem etiam explicite, & sunt prout in schedula continentur, rationabiliter qualificatæ. Potuerunt insuper per doctores, & ordinar. locorum doctrinaliter, ac judicialiter condemnari. Sunt denique per hoc sacrum concilium, vel per sedem apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc vere, vel interpretative. Ad elucidationem ponebatur casus longus dans intellectum de A. & B. vasallis C. Regis. Additus est casus brevis iste: *Quilibet tyrannus &c.* Propositæ sunt quatuor conclusiones: responsum est per conclusionem quadrimembrem tam firmiter in sermone, quam certitudinaliter; apud me est in corde, quia quod scimus loquimur; & credidi propter quod locutus sum. Nam & ubi *intenderis* (ait Julius Cæsar) *ingenium valet. Nemo* autem *facere metuit* secundum Vegetium, *quod optime didicisse cognoscit. Vis bene loqui*, dixit Socrates, *nil loquere, nisi quod bene didiceris.*

Prima pars conclusionis principalis.

Et quidem prima pars conclusionis sufficienter probata ex pluribus forte verbis quam necesse fuit eruditis in Theologicis sermonibus; sed fortassis non pluribus quam oportuerat pro non eruditis. Itaque deducta est hæc pars ex quadruplici radice: Ex fidei descriptione, quæ *est habitus certus, & verus per auditum verbi Dei acquisitus*, ad Rom. X. & Hebr. II. Cujus fidei objectum est propositio credenda, vel collectio plurium, ac omnium credendorum, sicut accipit Athanasius in hoc symbolo: *Quicunque &c.* Alias fidei acceptationes rejicio, nisi pro quanto fides infusa requiritur ad credendum catholice. Dehinc scripturæ testificatione, quoniam omnia in sacris scripturis bibliæ contenta formaliter, vel sententialiter, & in effectum; & per consequens decem præcepta sunt de fide, quoniam cum opposita assertione pertinaci non stat fides. Unde Gratianus: *Jus naturale est, quod in lege & in evangelio continetur, quo quisque jubetur facere quod sibi vult fieri, & probibetur inferre quod sibi nolit fieri.* Dehinc ex ecclesiæ observatione, quæ damnat ut hæreses, nedum illa quæ contrariantur articulis speculativis nostræ fidei (ut ista, *Deus est*) verum etiam quæ contrariantur principiis & dictaminibus practicis, ut quod *Deus est diligendus super omnia; & proximus sicut nos: In quibus duobus tota lex pendet & Prophetæ;* quæ utique lex est fides nostra, vel de fide. *Unde in scripturis sacris*, Augustino teste, *quidquid alibi noxium est, damnatur.* Denique ex hæresis descriptione, quam Hieronymus dicit, esse dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium. Et illic habita est distinctio, quod quædam sunt pure de fide sub quadruplici gradu; quædam pertinent ad fidem & opposita sapiunt hæresim; quædam sunt impertinentia, quia non apparet quod repugnant, vel sequantur ad fidem. Inferebatur hoc corollarium, quod hæc consequentia impossibilis est, & hæreticalis:

A Decem præcepta Legis sunt evidentia, in lumine naturali; ergo non spectant ad articulos fidei, nec ex eis deducuntur. Ex hinc rationabiliter motus fuit reverendissimus magister Petrus de Versa, exhibere schedulam quam tradidit. Alii vero dicunt; qui volunt quosdam hæreticare, videant ne erroribus se involvant.

Secunda pars conclusionis principalis.

Ceterum pro secunda partis deductione, sunt inductæ contra primam assertionem: *Licitum est unicuique &c.* rationes in triplici quaternario &c. Fundatur prima super hujus B adverbii significat. *maxime*, jam præsertim, jam specialiter, Gallice (mesmement) quia præsupponunt veritatem illius quod præcedit. Altera super hoc complexo: *Absque mandato quocumque, vel præcepto*, deducendo ad contradictionem; quia Lex Dei mandatum est &c. Tertia super intellectu plano, ac resoluto hujus præcepti, *Non occides*, scilicet hominem propria voluntate, sed vel jubente Deo per revelationem, vel per publicæ administrationis admissionem, Matth. XXVI. 52. *Omnes qui gladium acceperint &c.* glossa, *propria auctoritate &c.* Unde lex occidit & non homo; *Mihi vindicta &c.* Rom. 11. 19. Quarta super defectu jurisdictionis, C vel judiciariæ potestatis in occidente tyrannum, sicut ponit assertio. *Quis es, qui judicas alienum servum &c.* Rom. XIV. 4. Fundatur prima ratio secundi quaternarii super condemnatione trium articulorum Hus & Wicles, *de prædicantibus absque missione: de popularibus corrigentibus ad libitum dominos &c. Et dominis bona ecclesiasticorum rapientibus &c.* quoniam occisor in casu assertionis; & pejus facit, quam in his casibus tribus fiat. Fundatur altera super omni politia vera, vel prætensa; ut puerorum sub magistro, & inter se; ut latronum, vel paganorum, immo ut dæmonum pro statu præsenti. Matth. XX. ut omnium bo- D norum, quibus omnia ordinata sunt. Est autem „ ordo parium dispariumque rerum unicuique jus suum tribuens, iniqua non usurpans.„ Tertia, super comparatione tyrannidis ad hæresim, & alia vitia deteriora, propter quæ non veniunt homines passim occidendi, & quomodolibet, & absque mandato. Quarta & octava in ordine, super comparatione non habentis auctoritatem judiciariam ad habentem, sicut est rex; qui quidem rex non posset sine juris ordine, non monitum, non vocatum, non convictum interficere; quanto minus ergo censendus est dare autoritatem implicitam, vel interpretativam alteri, cui non mandatum est, E immo legibus regis prohibitum? Pro his loquitur Textus *Actor.* XXV. & *Nicodemus* XVII. & in Lege: quod justum est juste exequeris *Deut.* XVI. 20. Demum prima ratio tertii quaternarii fundabatur super multiplici notorietate juris, aut facti, quæ requirebatur pro qualibet circumstantia, seu clausula hujus assertionis, ut quod notorium esset talem machinari &c. quoniam ex incertis nullo pacto potest certa mors inferri.

ri. Et si non potest quis occidi ad testimonium unius, quanto minus nullius? Altera, quod hæc assertio, quantumcumque circumstantionata, non potest habere veritatem de privata persona extra casum divinæ revelationis notoriæ, vel casum inevitabilis necessitatis; sicut ex rationibus adversariorum, quas quidem pridem vidimus, satis constat; nec tamen casus iste necessitatis semper excusaret. Fundabatur undecima ratio, exaggerando quod hæc assertio se præjudicialem ostendit ad omne genus hominum active, & passive, licet contracte poni videatur: extendit se ad papam, ad episcopos, ad abbates, ad principes, ad patres, ad maritos, ad sacerdotes, ad clericos, populares, & ad omnes in communi; patet consideranti quia cuilibet tali dici potest: *Tu es tyrannus; vel machinabaris in mortem Domini tui*. Postremo pro quarta ratione, duodecima in ordine, & ultima, fiebat epilogus sic arguendo: Contradictoria hujus assertionis, quæ est particularis, vel singularis negativa, est vera, & catholica; igitur ista est falsa, & non catholica, & consequenter hæretica, quod tenet per legem contradictoriam, per dicta Aristotelis & Dionysii, quod verum & bonum sunt ex omnibus circumstantiis; falsum autem & malum ex unica: antecedens est manifestum in multis casibus; ut, dum occidens non habebit sufficientem notorietatem, ut procedat ad certam mortem non moniti, non convicti &c. vel dum potest servare juramentum fidelitatis, vel est sacerdos; & provideri potest regi per alterum, vel alio modo &c. Exclamabit hic aliquis, & dicet; ponimus casum necessitatis extremæ, ponimus quod omnia sunt notoria, quæ proponuntur. Responsio, quia hic non investigo, quod alii dicant, sed quod ponit assertio, & in quibus terminis se regulat. Replicabit alter dicens; truncata est assertio. Responsio, quia nec hoc pro nunc inquiritur, quamvis non desint testes hic etiam præsentes, omni exceptione majores, quod nihil truncatum est &c. Supersunt auctoritates sanctorum, superest multitudo exemplorum, & historiarum.

Sed interim discurramus per alias octo assertiones; & ad hæc inducenda postmodum ponitur secunda assertio sic: *Leges naturalis, moralis, & divina, autorizant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum*; damnatur ut erronea in fide, ac moribus, & legibus naturali, morali, & divinæ injuriosa. Deducitur hæc condemnatio ex radice quadruplici; immo quod insana & sacrilega.

Prima, quia Leges divina, naturalis, & humana prohibent explicite & expresse, quod *nemo* accipiat *sibi honorem* judiciarium, vel dominandi jus in jurisdictionem, *sed qui vocatur* sicut *Aaron*; patet in epistola ad Hebræos. C. V. 4. Non igitur autorizant non vocatum; alioquin suprema Lex, Deus scilicet, dissensionis Deus in hoc esset. Est & contra Apostolum; nec daret unicuique quod suum est, & sic esset summa perversio modi, speciei, & ordinis, dicit Lex, judiciorum vigor, juris publici tutela in medio constituta est, ne quis de aliquo, quantumcumque A sceleribus implicito, assumere valeat ultionem. Hæc est etiam Lex puerorum. Nota de Bruto, cur filium occidit: „ Qui „ inscio principe, inquit Lex, bellum ge„ rit, reus est læsæ majestatis. „ Altera radix est, quoniam Leges divina, naturalis, & humana, prohibent, ne idem sit erga alterum, pars, judex, & testis, quod soli Deo proprium videtur. Unde, dum ex officio procedit judex contra errores, qui sunt sicut Leges læsæ majestatis, pars rea constituitur promovens, vel instigans, tenens locum partis accusantis; propterea reprobari non potest sententia judicis in causa appellationis, vel aliter, ipso non vocato vel audito. B Amplius tertia radix est, quia secundum Leges divinam, naturalem, & humanam, nemo debet ex incertis causis, & conjecturis, vel ex eis quæ secrete geruntur (sicut sunt machinationes, & cogitationes cordis) publice puniri, præsertim ad mortem; quia cogitationis poenam nemo meretur, quoad forum scilicet præsentis vitæ, secus quoad forum conscientiæ. *Nemo* (inquit Lex) *ad testimonium unius moriatur*. Demum quarta radix est, quia nemo vellet quod a non judice suo damnaretur ad mortem, præsertim non vocatus, non auditus, non monitus. Lex autem naturalis dicta est & sumpta Matth. VII. 12. *Omnia quæcumque* C *vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*, glossa, *velle debetis*. Procedamus ad reprobationem tertiæ simul & quartæ assertionum, quia connexæ sunt, & sic habent: *Licitum est unicuique subdito, honorabile & meritorium &c.* Et dicunt in sententia, quod *Quilibet tyrannus potest, & debet occidi a quocunque viliter, & per insidias, & quomodo hæc est propria mors, qua debent mori, occidere scilicet ita eos*.

Assumitur pro reprobatione quadruplex fundamentum. Primum sumitur ex causis condendi decretalem illam in concilio Lugdunensi. *Lib. 6. pro humani*, quarum prima est, ne quis christianus subito & improvise D moriatur in periculum damnationis æternæ; quod ibi dicitur horrenda inhumanitas, detestandaque sævitia. Altera, quoniam omnis potestas tribuitur a Domino ad justitiam, rectumque judicium exercendum. Tertia quoniam hoc in Christianitatis opprobrium cedit. Alterum fundamentum, ex reprobatione insidiarum, dum frater per mendacia, aut perjuria aut per finem illicitum, sicut notat Thomas 2. 2. *qu. de insidiis*. Unde Lex dicit: *hominem homini insidiari nefas est*; Et Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum suum, evelles eum ab altari meo, ut moriatur*. Constat autem quod in insidiis, de quibus fit hic E mentio, concurrunt frequenter hæc tria: mendacium, perjurium, ac finis scilicet subita mors, & vilis alterius cui fides data erat; unde etsi quædam possunt esse insidiæ justæ, non tamen istæ, attentis mediis, & fine, & non diffidatione. Sumitur aliud fundamentum ex dictis sanctorum, reprobantium in Judith, Aod, & similibus mendacia, & fictiones falsas, licet in eis collaudetur zelus ad cultum Dei, & salvationem po-

populi; & oppositum sentire hæreticum est, ut deducit Augustinus ad præmium &c. Demum pro quarto fundamento sumitur descriptio tyranni data ab assertione: *Tyrannus est, qui in republica non iure principatur, vel principari conatur*. Constat enim juxta venerabilem Ægidium de Roma, in suo *de regimine principum*, & experientia loquitur, quod vix est aliquis Dominus qui non tyrannus in aliquo jure, vel interpretatione, judicetur. Et ita debebit active & passive, viliter, & insidiose per subditos interfici. Cujus falsitatem deducit Oresmius *super quinto Politic.* Ubi Aristoteles dicit, quod *boni non faciunt seditionem*.

Veniamus consequenter ad quintam, sextam, septimam simul assertiones, quæ dicunt *Regem debere amare, remunerare, & glorificare talem mortem &c.* Hæ tres simul ex inconvenienti quadrupliciter reprobantur. Primo quidem, quia rex teneretur amare, remunerare, & glorificare peccata, qui ideo positus est *in vindictam malefactorum*: *non enim sine causa gladium portat*, sicut dicit Apostolus *Rom.* XIII. 4. Unde etsi posset ad tempus dissimulare vindictam, sicut fecit David de Joab; non tamen potest absolute remittere culpam; præsertim non poenitente, sed peccatum justificante palam, et in eo perseverante in scandalum subditorum: quæ justificatio neque in Cain, neque in Antiocho sceleratissimo, neque in Juda perfido inventa est, quia dixerunt, *peccavi*. Amplius secundo, quia Rex per has assertiones deducitur, nedum ad peccatum mortale committendum, sed ad hæresim: dum dicitur quod tenetur tanquam licitum, laudabile, & meritorium, amare, remunerare & laudare id quod de se iniquum est. Et quia dicente sapiente Eccli. X. 2. *Qualis est rector civitatis, tales & habitantes in ea*. Et Claudianus ait.

Regis ad exemplum totus componitur orbis: sequeretur hæreticatio omnium fere subditorum. Attendant hic omnes, præsertim domini Commissarii, qualiter hæc materia tangit plures & magnos, immo maximos, quia regem cum toto clero suo, quibus imponitur, nedum hæresis, sed quod sunt hæretici, dum eorum sententia pro non catholica reprobatur, quia determinare falsam doctrinam pro vera, nequit fieri sine pertinacia, ut deducit Okam *quarto primæ partis dialogi*: Rursus tertio includitur in his blasphema comparatio de Michaele & Phinees, quasi Michael occiderit Luciferum sine mandato Dei & præcepto quocunque; similiter & Phinees ipsum Zambri; quorum patet oppositum, tam ex ratione, quam ex epistola Judæ de Michaele, *qui non est ausus judicium inferre blasphemiæ &c.* Judæ IX. et de Phinees *Num.* XXV. Unde si Phinees occidisset licite sine mandato adulterum, vel idolatram Zambri: cur non similiter tunc, & nunc alter idem posset? Sic argueretur de Moyse respectu litigantium.

Denique notatur, ut ex assertione tertia, (sicut etiam res se habet) quod hæc pestifera doctrina multiplicata est per populos, & regna, sub epistolis, et propositionibus has assertiones continentibus. Deducamus propterea falsitatem octavæ assertionis ad intellectum ponentis; quoniam si liceat unicuique judicare lege divina, ut de illa *Non occides*, Exod. XX. 13. & eam interpretari secundum epikeiam suam et conscientiam, relinquendo planum, rotundum, ac solidum sensum positum per doctores sanctos; epikeia, & conscientia quælibet poterit Scripturam intelligere sacram aliter quam Spiritus S. efflagitet, quod est hæresis, secundum descriptionem Hieronymi. Et hæ inconvenientiæ consequuntur.

Primo quod poterit quilibet interpretari præceptum illud, *Non furaberis*: Exod: XX. 15. Sicut inventus est unus dogmatizans, quod pro nutritione pueri bonæ indolis ad eruditionem theologiæ, vel utilitatem reipublicæ, poterit rapi pecunia a divite. Alii, quod licebat committere usuram pro sublevatione pauperum: alii, quod simoniam pro necessitate ecclesiæ: alii, quod rapinam pro fundandis ecclesiis, vel hospitalibus, nemo aspiciens ad malum &c.

Amplius secundo, idem arguitur de hoc præcepto, *Non moechaberis*, Exod. XX. 14. quia diceret aliquis rex, vel præpotens: sterilis est uxor mea; recipiam alteram, ne successione defrauder heredis. Alter idem faciet pro multiplicatione prolis ad cultum Dei.

Rursus tertio contingit hoc idem circa præceptum hoc, *Non mentieris*. Mentiar, inquit, aliquis, ut salvem proximum, vel me ipsum a morte, seu damno, seu vituperio: mentiar ad salutem aliorum corporalem, vel spiritualem: mentiar ut licentius perdantur impii tyranni, vel hæretici; immo et confessionem revelabo, ne perdantur reliqui.

Postremo, licebit etiam sic parentes occidere in senectute, ne langueant diutius: sic occidere seipsum ad evitationem indigentiæ, servitutis, vel stupri, vel contumeliæ Dei; sicut fuit tempus, dum *omnis, qui* interficiebat christianos, *arbitrabatur se obsequium præstare Deo*. Joan. XVI. 2. &c.

Advertitis autem quam late pateat hæc ruina. Si cuilibet non secundum leges vivere, sed de lege judicare licuerit, contra illud decretum vulgatum: *Ejus est interpretari, cujus est condere legem*. Et illud Augustini *de vera religione dist. 4. can. In ipsis temporalibus legibus*, ubi dicit, quod dum institutæ sunt leges, non licebit etiam judici de eis judicare, sed secundum ipsas: unde fatemur, sensum legis, non verba, facere sensum literalem; sed de sensu periti definiunt, non quilibet pro seipso. Denique cum ex solo sensu literali scripturæ sumitur efficax argumentum solidum, sic literalis sensus scripturæ in aliquo falsus diceretur etc.

Tandem reprobetur assertio nona, quæ in schenula minus damnata est rigide in casu societatis juramenti, hæretica est, sacrilega est, perniciosissima est. Primo quidem, quia perjurium, secundum genus suum (si Thomæ creditur) gravius est homicidio; quoniam est immediatius contra Deum, et contra præceptum primæ tabulæ. Cedit insuper in subversionem graviorem totius reipublicæ, dum vinculum ejus, quod est jura-

amentum, rumpitur, et dissolvitur; unde *juramentum est omnis controversiæ finis* secundum Apostolum Hebr. VI. 16. Porro, si perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium, Ps. V. 7. ita quod nulla adjectione potest licitum fieri; quid de perjurio censebimus judicandum? Negetur ratio Augustini quare mendacium non recipit compensationem ut fieri licitum possit. Rursus exemplis sacræ scripturæ docemur 4. *Reg.* et 2. *Paral.* in fine, quod Sedechias cum toto populo Judæorum ideo peremptus est, quia non tenuerit pactum cum idololatra Nabuchodonosor, seductus per sacerdotes dicentes quod cum idololatra perfido, tyranno foedus initum non tenebat, ex quo erat sine fide. Exemplum aliud est de Simeon, et Levi, quibus jam maledixit pater, quia fregerant pactum cum Sichimitis initum *Gen.* XXXIV. Exemplum aliud apud Gentiles de Regulo, et Fabricio, ac multis similibus, de quibus loquitur Cicero *lib.* 8. *de Officiis*. Notetur quid recitet tempore Hannibalis de duobus remissis per Romanos. Exemplum de perfidia Carthaginensium, quæ subvertit eos, quibus dictum est: per quos Deus jurabit, et ubi? Exemplum de fide militum, de fide mercatorum, de fide Joannis regis Franciæ, et aliorum quotidie sine numero quos constat servasse, et hodie servare confœderationes, et vera juramenta nedum in præjudicium temporale sui, vel suorum, sed etiam in præjudicium vitæ propriæ, quod est ultimum præjudiciorum temporalium. Nota de Lombardis, nota de Lotharingis, qui reducerentur captivi a suis, si fugerent. Denique quæritur, si confoederatus, de quo loquitur hæc nona assertio, poterat servare juramentum suum, non occidendo, vel occidi faciendo tyrannum illum, cum quo juramentum et foedus habebat; et si sic, tenebatur illud observare, cum non cederet in præjudicium animæ suæ, vel salutis æternæ: si vero non potuerit observare, consequetur primo, quod tenebatur de necessitate salutis tyrannum illum sibi confoederatum vel occidere vel occidi facere; quod improbatum est prius, quia non erat Judex ejus, ut supponitur, et quia Judex etiam observare fidem hosti debet. Sequitur præterea, quod talis præsentiens illum esse tyrannum dignum morte, cui nec servanda fides erat, secundum eum juravit in mendacio, et dolo malo. Unde literalis intellectus, planus, et grossus apud omnes, istius præcepti, *non perjurabis*, quod est, omne juramentum deliberate, et licite factum tenendum est, etiam usque ad præjudicium mortis temporalis; quoniam plus tenetur observare fidem suam, quæ est quædam integritas, et virginitas animæ, quam corpus proprium, vel alienum, et est ordo rectus charitatis. Promiseramus inducere rationes cum autoritatibus, et historiis; summabimus illas plures: itaque continentur 2. 2. q. 5. et q. 8. in Augustino et Hieronymo; plures in summa confessorum super his vocabulis *bellum*, *homicidiam*, *insidiæ*, *perjurium*. Sanctus Thomas ad idem 2. 2. q. 64. multis articulis, & q. *de insidiis* & q. *de juramento*. Item q. *penul. secundi*. Item lib. 1. c. 6. *De regimine principum ad regem Cypri*, determinans hanc quæstionem ex intentione, fundans se in hac authoritate Petri, *servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*, 1. Pet. II. 18. Exemplificat de multis Romanorum imperatoribus, sub quibus christiani passi fuerunt sponte, licet eos potuissent occidere, ut patet de sacra legione Thebæorum Sarreburiensium. Insuper * * * * qui ab aliis distorte, vel truncate allegatur, facit pro dictis *lib.* 3. cap. 16. ubi dicit quod tyrannus est, qui vult contra leges dominari. Et lib. 8. cap. 19. tradit, quod *nullus, quantumcumque tyrannus, etiam notorius & intolerabilis, interficiendus est contra jusjurandum, neque per venenum*. Exemplificat de David respectu Saul. Et tandem dat consilium simile sancti Thomæ. Sed addi potest, quod per generale concilium possunt tyranni judicari, vel deprimi, non propria præsumptione. Est ad idem Alexander de Hales diffuse, tertia parte summæ super hoc præcepto. Ad idem Augustinus *lib. de libero arbitrio*, & epistola secunda *contra Faustum*. Ad idem lib. 1. *de vitiis*, Tractatu de ira c. 12. Ad idem leges civiles. Exempla sunt in scriptura de Cain sceleratissimo, de quo non licuit alteri, ut interficeret eum. Item de Judæis, qui licet Christum reputarent tyrannum pessimum, noluerunt tamen interficere propria authoritate.

Concludamus tandem ex istis omnibus veritatem secundæ partis conclusionis nostræ principalis, scilicet, quod hæ novem assertiones rationabiliter, & catholice, prout in schedula continetur, qualificatæ, reprobatæ sunt; immo profiteor cum reverendissimo patre domino cardinali Cameracensi, & firmissime teneo & nullatenus dubito, quod hæc doctrina est hæretica, & damnata per hoc concilium in ista; *Quilibet tyrannus &c.* Nec super hoc oportet me judicio concilii, tanquam sim dubius, submittere, quia crederem, me peccare sentiendo de fide certissima rem incertam.

Habent ecce criminatores quod intendunt, me confitentem, quod opponunt &c. Elicitur ex his, quod nullus a commissione, circa materiam fidei repellendus est tanquam suspectus, si dixerit, hanc esse fidem suam; quemadmodum fecit idem reverendissimus pater dominus cardinalis Cameracensis, Præceptor meus clarissimus, ad requestam serenissimi regis Romanorum. Sic & præfulgidum decus canonistarum, & flos gratissimus dominus cardinalis Florensis; contestim ut alias, me præsente, legit has assertiones, admiratus: *Et potuerunt*, inquit, *inveniri defensores, quin mox fuerint aliqui contradictores*; adeo sibi manifestus error videbatur. Sequitur tandem juramentum fuisse licitum de repugnando talibus erroribus.

Tertia pars conclusionis principalis.

Demonstratis itaque duabus primis partibus nostræ conclusionis, ita ut non sit relictus dubitationis scrupulus apud illos qui nolunt *fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*, Ephes. V. 17. nam & ra-

ratio evidens & auctoritas convincens, & hoc sacrum concilium determinans, multipliciter hoc credere tradunt, & impellunt &c. Expediamus nos breviori sermone de partibus reliquis duabus. Dicit tertia pars, quod hæ novem assertiones potuerunt per doctores & ordinarios locorum doctrinaliter, ac judicialiter condemnari. Stabiliamus hoc quadrupliciter. Primitus in jure divino; spectat itaque ad prælatos etiam inferiores pascere gregem pabulo doctrinæ. Joan. X. 19. *Bonus Pastor &c.* & Matth. ultim. ℣. 11. *Docete omnes Gentes &c.* Isa. LVIII. 1. *Clama ne cesses*, & Jerem. XXIII. 1. *Væ Pastoribus* &c. Ezech. XXXIV. 2. *Væ Pastoribus Israel.* Et XXXIII. 6. *Si speculator viderit &c.* Et simile ejusdem III. 18. *Si dicente me ad impium &c.* Thren. II. 24. *Prophetæ tui viderunt &c.* Deut. XIII. & 16. Contra hæreticos 1. Tim. IV. ad Titum III. ad Gal. II. 5. & 6. Item Act. XX. 28. *Attendite vobis & universo gregi &c.* Ex quibus omnibus fundatum est in scriptura sacra, quod doctores & prælati possunt & debent populum subditum in doctrina sana pascere, & ne errent providere. Stabiliamus secundo partem eandem ex jure naturali, & positivo. Ex naturali quidem, quo pater debet erudire filios, sapiens insipientes dicere, videns cæcos ducere, caput in membra sensum influere, & ita de reliquis similitudinibus naturalibus. Ex positivis vero juribus judicatur *Extra de hæretic. cap. Ad abolendam, & cap. Excommunicamus, & cap. Sicut, & Extra de Simo. cap. licet Heli. & LXXXIII. distinct. can. Nil illo pastore &c.*

Stabiliamus tertio partem hanc, & approbationem hujus sacri concilii per practicam ejus: collaudat enim condemnationes factas contra errores Wicleff, per universitates Oxoniensem & Pragensem, & per ordinarios eorundem locorum; quas velut temerarias, & iniquas reprobare debuerat, si nequaquam eis condemnatio talis licuisset. Inducerentur similia plura de prioribus conciliis tam generalibus, quam provincialibus, etiam ante Nicenum concilium &c.

Stabiliamus denique quarto partem eandem ex consuetudine laudabili in diversis dioecesibus, præsertim in Parisiensi. Illic enim damnati sunt articuli, & damnantur quotidie per doctores sacræ scripturæ, & per episcopos, & jurant baccalaurei priusquam legant sententias in manu Cancellarii Parisiensis, quod si quid audierint dici in favorem articulorum Parisiis condemnatorum, revelabunt infra octo dies episcopo, vel cancellario Parisiensi, qui erunt pro tempore. Scripsit & hoc idem sacræ Theologiæ facultas in Parisiensi universitate, in tractatu quem misit ad Clementem VII. solvens rationes, vel allegationes in oppositum sumptas ex juribus male intellectis. Cujus facultatis authoritas major est in hac parte, quam unius Glossatorum; quia decreta sunt dicta doctorum, sanctorum theologorum, quæ melius intelligi possunt a theologis, quam a solis juristis, sicut architecta judicat de ceteris. Concedamus tamen, quod nulli inferiores ad papam, vel ad generale concilium, faciunt determinationes in fide, quæ ligent generaliter omnes christianos, ut præcise sunt talium. Præterea dicuntur inferiores prælati causas fidei magis ventilare, quam terminare; quia reservatur authoritas superiori qui potestatem habet universalem definiendi, & obligandi. Quod si dicatur, quia prælati inferiores, & inquisitores, quandoque sunt ignari literarum (sicut arguit Ockam, quod plane ita fuerunt quandoque summi pontifices) propterea concedimus, prælatos inferiores non debere quæstiones fidei judicialiter decidere, nisi concurrentibus istis causis.

Prima, quod scandalum fuit ortum ex aliquibus assertionibus in sua dioecesi, quia de his quæ foris sunt nihil ad eos, nisi forte requisiti sint in fidei subsidium. Secunda, quod assertiones tales sunt, quæ sine periculo non possunt diu admitti, vel tolerari, nec eorum falsitas ignorari seu dubitari. Tertio, dum habetur sufficiens copia doctorum in sacris litteris hominum scientium discernere si tales assertiones sunt explicite contra fidem & per sacram scripturam reprobatæ in sententia, vel affectu. Possunt itaque, immo & debent prælati & doctores scire multa esse contra fidem explicitam, qualia populus nescit, nisi implicite. Unde regulariter nec papa, nec generale concilium debet facere determinationes fidei, nisi concurrant hæ tres causæ: quod si dicitur prælatos & doctores posse facere de aliquibus assertionibus declarationes quæ sunt contra fidem, non tamen posse determinare; hoc nihil est: quia papa, vel generale concilium determinando de fide, seclusa revelatione speciali, non faciunt aliud nisi declarare, talia esse de fide cum poenarum adjectione. Denique non potest allegare contra prælatos, vel doctores, si prius damnent assertiones doctrinaliter, & judicialiter, quam evocent, & damnent assertores. Exemplum multiplex de numismate falso, & de morbo canceris, & similibus. Hoc insuper practicatum est in hoc sacro concilio de erroribus Wicleff, & de isto: *Quilibet tyrannus &c.* & in aliis conciliis, & de hæreibus & apocriphis dogmatibus sine actione damnatis. Est enim prius damnare hæreses, quam damnari possint errantes: propterea perversissimus, ac perniciosissimus est, non quidem ordo juris, sed illius confusio, nolle quomodolibet tractare prius de interesse fidei, quam discussum, vel decisum fuerit de interesse personali. Et hic locum habet dictum Christi Matth. XV. 6. *Irritum fecisti mandatum Dei propter traditiones vestras.* Nunquid non est judicium sufficienter fundatum, ubi error nunciatus est, reus, promotor accusans, judex damnans? Advertant prælati ea quæ sequerentur inconvenientia, si passim ac libere aliqui prædicarent quidquid vellent; neque possent corrigi, nisi referendo causas ad sedem apostolicam, ubi plerumque pauci sunt Theologi, nisi forte tales qui possunt esse rei, & pars. Audenter, non arroganter, affirmo, quod in damnatione novem assertionum, plures fuerunt magistri in theologia, ac licentiati, absque baccalaureis formatis, & aliis, quam sunt in hoc sacro concilio: & tribus mensibus dura-

ANNO CHRISTI 1415.

ravit eorum deliberatio, quæ fiebat publice, & libere, proteſtando, quod ſolum ad extirpationem errorum (ſicut ſua profeſſio requirit) intendebant. Propterea, non evocata eſt facultas decretorum tota, ſicut theologi omnes vocati ſunt; quia de ſolo fidei intereſſe quærebatur. Addo, quod nullus unquam inventus eſt, me ſciente, qui auderet dicere, quod aſſertiones iſtæ, & ſimiles eſſent veræ, quamvis aliqui diverticula confingerent, ne reſponderent ad rem iſtam. Rurſus executio facta eſt, non per unum, aut per duos; ſed per ſedecim magiſtros, ad hoc judicialiter deputatos.

Quarta pars concluſionis principalis.

Supereſt declaranda quarta pars & ultima dicens, quod hæ aſſertiones novem ſunt per hoc ſacrum concilium, vel per ſedem apoſtolicam de neceſſitate ſalutis reprobandæ, & hoc vere, vel interpretative. Redditur hæc pars perſpicua, tam ex prioribus reprobationibus, quam ex probationibus partis præcedentis, videlicet ex jure divino, ex jure naturali, & humano. Non enim minus, immo amplius, concilium generale obligatur vigilanter intendere ad extirpationem errorum, & emendationem errantium, quam prælati inferiores, vel etiam ipſi ſæculares principes: qui qualiter obligantur, notum eſt ex prioribus, et *ſcientibus legem loquor*, Rom. VII. I. Deinde patet eadem pars ex verbis hujus ſacri concilii poſitis in condemnationem hujus aſſertionis: *Quilibet tyrannus &c.* ubi ſic dicitur.

„ Præcipua ſollicitudine volens ſacroſancta Synodus ad extirpationem errorum in diverſis mundi partibus invaleſcentium, procedere, ſicut tenetur, et ad hoc collecta eſt: nuper accepit etc. „ Denique ſumitur probatio partis hujus ex notorietate multiplicis ſcandali, quod veriſimiliter tolli non poteſt, niſi per determinationem hujus ſacri concilii. Scandalum unum eſt inter prælatos etiam ejuſdem regni, pluribus definientibus unam, aliis murmurantibus, et virtualiter reprobantibus; dicendo, quod de opinione fidem facere volunt; quod ſententiæ Pariſiis latæ, per regem, et univerſitatem approbatæ, ac per regnum acceptæ, ſunt iniquæ, ut pridie dicebatur in publico. Revera bene dixit Apoſtolus de hæreſi, quod ipſa *ſicut cancer ſerpit*, 2. ita Tim. II. 17. quoniam ex una jam centum exortæ ſunt, quod *ſanguis ſanguinem tangit*. Ozee IV. 2. Scandalum aliud eſt inter doctores et ſcholaſticos aliquos, ſicut patet, quamvis non expreſſe, reprobant ſententias iſtas, ſed profecto ſeducunt ſe, diffamant ſe, nec juramentum cuſtodiunt. Scandalum aliud eſt, et fuit multiplex, et horrendum inter ſæculares; ſed væ, per quos; quia non per fidei defenſores, neque per hæreſum reprobatores (viderint ipſi, qui fecerunt, et faciunt opere, et conſilio, unde ſcandalum tale venit) quia profecto non datum fuit, ſed acceptum. Eſt enim *pax multa diligentibus legem* Domini, & *non eſt illis ſcandalum*. Pſ. CXVIII. 165. Ego fidenter pro me reſpondeo, quod nec tam potens ſum, quod poſſim operari deſtructionem talem totius communitatis aut regni; nec tam perverſus, & nequam, ut hoc vellem, Deo propitio. Et ad veritatem perſcrutandam eſſet vigilantius attendendum quid importent voces tales, ut occurreretur deſtructionis periculo, ſi tale ſit, & unde ſit hæc percuſſio. Eſt, inquiunt, in deſtructionem communitatis totaliter &c. Dicere habet omnis bonus civis; ecce *ſi propter me tempeſtas hæc orta eſt, mittite me in mare &c.* Joan. I. 12. Sed reprimo.

Cum hæc ita ſe habeant de tantis ſcandalis, dum ſacrum hoc generale concilium poteſt occurrere, & opem ferre, ſi diſſimulet, ſi procraſtinet, ſi in perſonarum acceptionem velit habere fidem Jeſu Chriſti, nonne judicabitur in ſe, & in ſuis membris reprehenſibile? Nonne de reatu apud Deum & homines arguetur? Cur ita? Quia unico ſententiæ definitivæ verbo tantis malis occurrere poteſt, devios ad ſe reducere, & errantes revocare. Quod quanti meriti ſit, Jacobus oſtendit c. v. ℣. 20. Dicunt itaque omnes definitive perhibemus recte quod non perhibetis. Faciunt pro hac parte dicta ſcripturæ, & ſanctorum, *Extra de hæret. cap. II. Qui alios cum poteſt &c.* 23. *q.* 4. *can. ita plane*, LXXIII. *diſt. can. error cui non reſiſtitur approbatur*; *Extra. de homici. cap. ſicut dignum, qui potuit hominem liberare* &c. & *Matth.* XVIII. 16. 17. de tollendis ſcandalis & membris nocentibus in corpore myſtico; ac de illa Lege; *Dic eccleſiæ; quod ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*: debet etiam ibi loqui ſic ut audiatur: & 1. Petr. III. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti &c.* Obſecro, peto, & obteſtor, per matrem omnium bene viventium, charitatem per illam, ſine qua Deo nemo placere poteſt, neque ſalvari, fidem ſcilicet catholicam: per beatam denique felicitatis ſpem: *nolite fieri* (ſicut monet Apoſtolus, Epheſ. v. 17.) *imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei*. Conſtat autem, quantum eſt ad præſens dicere, talis intelligentia in quatuor conſiderationibus, in quibus mox finis erit. Proteſtor nihilominus ſolemniter, & ſuppoſito quod mihi non præjudicet modeſtia mea, quam hactenus tenui coram dominis commiſſariis, & hic nolendo quicquam dicere, et reſpondere circa materiam harum novem aſſertionum; præter id quod ad reprobationem earum theologicam ſpectat, et ad apertionem theologicam, prædicando quod altera pars ſimiliter ſe habeat; aut ſi contigerit quod fiat deſcenſus ad perſonalia qualiacunque tangentia vel chriſtianiſſimum regem Franciæ, cujus legatione fungor, vel ſacram theologiæ facultatem, aut illam, cujus pars eſt, univerſitatem Pariſienſem, aut perſonam meam, in fama, doctrina, vel aliter,; detur et pateat mihi legitimæ defenſionis, et reſponſionis locus. Sic ſpero firmiter in Domino, quod potentiſſima veritas vincet, et fides, in qua eſt mundi victoria. „ Habet veritas ſimiliter, et juſtitia (dicente Auguſtino) quamdam lu-

cem

„ cem suam, quæ velut orbiculariter se dif- „ fundit, et terminatur ad umbram: a qua „ luce dum quis refugit, excæcatur, et magis ac magis in tenebrosa demergitur.

Intelligamus igitur *quæ sit voluntas Dei* sub considerationibus paucissimis. Intelligere convenit, quod *hæreticus est* (sicut dicit Augustinus *in lib. de utilitate credendi cap.* 1. & habetur 24. *q.* 3.) *qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas, ac novas opiniones, vel gignit vel sequitur.* Ecce quod dicit, & nedum assentiens, quoniam dubius in fide infidelis est, dum videlicet dubitat in eis, quæ explicita, & certa fide tenetur credere, profiteri, vel docere, ratione sui status, scientiæ, vel gradus; propterea dixi, me non dubitare. Intelligere convenit, quod hæresis sola non facit de per se hæreticum, nisi dum conjungitur depravatio pertinax ipsius voluntatis, juxta illud Augustini: *Errare potero, hæreticus non ero.* Et hic locum habet protestatio, ac submissio conditionalis, quæ pertinaciam excludit: Hoc verum est in dubiis, sed in certis illam inquinat potius quam salvat, & est duplex iniquitas, &c. patet in hæreticis dicentibus, se fidem catholicam semper velle profiteri. Intelligere convenit, quod ille censendus est pertinax, qui non dimittit errorem suum, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, vel quæsitæ, & doctæ non obedit: cujus pertinaciæ multa sunt signa, sicut enumerat. Ockam, *prima parte dialogorum lib.* 4. ponit decem & novem signa, ego redigo ad duodecim; inter quæ illud est præcipuum, & pessimum; dum error defenditur verbis, & factis, minis et terroribus, cautelis, et ambagibus. Aliud signum est in eis, qui consentiunt errantibus sicut dicitur ad *Rom.* 1. quanto amplius qui errores, vel errantes defendere satagunt malis modis? Intelligere postremo convenit, quod non licet homines ea nescire quæ spectant ad officium proprium, sicut oportet judices cognoscere ea de quibus judicare habent, ut de homicidiis, furtis et similibus. Similiter, oportet prælatos & doctores scire, nedum implicite, sed etiam explicite veritatem nostræ legis, tam in speculativis quam in agibilibus, quæ necessariæ sunt, et utiles *ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia*, sicut dicit apostolus, 2. Tim. III. 16. 17. *ut perfectus sit homo Dei, ad opus bonum instructus.* Nihil autem magis scire convenit populo Christiano, et in omni republica, quam quod servanda sunt pacta seu juramenta ad Deum, et proximum; et quomodo non inferenda sit injuria proximo, præsertim in re sibi, charissima, quæ est vita corporalis; et spiritualis, scilicet animæ; neque occidatur a non vero judice suo; neque impediatur per subitam mortem æterna salus sua. Quod denique non usurpet, cui non est concessa sibi, potestatem, neque velit esse judex, testis, et pars, et sibi jus dicere, quod nefas est; et ita de similibus præceptis moralibus &c. Hoc attendentes, *nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Ephes. v. 17. et sicut corde creditis ad justitiam, sic potens et constans vestra sit oris confessio ad salutem: quatenus *qui probati sunt, manifesti fiant*, Philip. IV. 7. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Jesu Domino nostro*, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Alias etiam de hac ipsa causa Joannis Parvi orationes pro concilio recitavit Gersonius. Sed cum nec ipse pariter concilii hujus historicus Hardtius recitandas illas censuerit, satis habens synopsim illarum retulisse, remisso lectore qui integras optaret ad operum Gersonianorum volumina; idem consilium mihi pariter assumo.

LIBELLI DUO.

Dati a Joanne Gersonio ad accelerandum judicium causæ Joannis Parvi.

Sequitur libellus diffamatorius datus pro parte adversa * die Martii XX. Augusti. IV. XV.

Videatur hæc exhortatio, ad remediandum in materia fidei.

Poscitur a vobis, reverendissimis patribus dominis magistris, & doctoribus, commissariis per hoc sacrum generale concilium super omnibus causis fidei.

Poscitur ratio de ea quæ in vobis est fide, quam reddere, jubente Petro, parati semper esse debetis, nedum uni vel alteri, sed omni.

Poscitur autem hæc ratio jam pridem, & imitantes, super certis assertionibus damnatis, tam doctrinaliter, quam judicialiter in christianissimo regno Franciæ per diversas provincias.

Denique poscitur hæc ratio, non per unum dumtaxat, vel alterum; neque per homines contemtibilis status, quibus tamen debitores essetis.

Poscitur per christianissimum regem Franciæ sub litteris patentibus, sub instructionibus publicis et repetitis.

Poscitur a charissima ejus filia universitate Parisiensi, per nuncios ad hoc ipsum juratos et instructos.

Poscitur a serenissimo Romanorum rege, ex certo et fervido devotionis zelo, et intuitu præmissorum.

Petit hoc ipsum tota per regnum Franciæ et delphinatum ecclesia, sciens occurrendum esse scandalis animarum et corporum, trahentibus originem ex his assertionibus pestiferis.

Petit hoc, ex officio, promotor hujus concilii, speciali ad hoc per vos commissione fortiter astrictus.

Petit hoc denique vester honor, vester zelus ad fidem, vestra ad Deum et ad hoc sacrosanctum concilium obligata devotio.

Has igitur postulationes audire, his petitionibus intendere, his clamoribus altis auditum præbere, quo pacto differtis? Qua ratione dissimulatis? Nunquid ideo forte quia fidei veritas in hac re non satis explorata est? At vero per summos et celeber-

berrimos theologos et doctores, diu multumque deliberantes data est certitudo, omni exceptione major, quæ si contradicentes inveniat, eo magis operam dare vos oportuerat; libere loquimur; ut per novam celeremque examinationem, contradictionibus hujusmodi scandalosissimis via clauderetur: Quamvis qui aperto verbo directe palam obsitat, necdum vidimus; est hic adeo veritas perspicua: (*) res in tenebris agitur; timore fugaque. Numquid præterea dilatio fit, quia vel assertor ignoratur vel minus esse potens cognoscitur? Atqui primum testimoniis patentibus et multis refellitur, quibus derogare nedum incivile est, sed pene impium; alterum tollit Jacobi jussio: Jac. II. 1. *Nolite*, inquit, *fratres in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.*

* locus corruptus

Si papæ ipsi concilium hoc non pepercit, non eum timuit; cui parcendum est? Quem timendum judicabitis? Sed lædetur honor magni principis et seditiones orientur. Videte, quæsumus, ne contingat illud: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*: Job. VI. 16. illud itidem

Decidit in scillam, cupiens vitare caribdim.

Quoniam si hoc non feceritis, lædetur honor, non cujuscunque hominis, sed Dei, sed fidei, sed hujus sacri concilii, sed vestri omnium, sed christianissimi regis Franciæ, et christianissimæ filiæ suæ Parisiensis universitatis; immo et serenissimi Romanor. regis, si confundatur hic ab expectatione sua, et a petitione tam verbo, quam scripto cui sigillum proprium est affixum: ceterum, si non seditionibus et bellis finem, sed fomentum et continuationem vestra hæc dissimulatio præbuerit, nutriet hæreses, et errores mortiferos. Quid dicimus, nutriet? Augebit potius, fortificabit, cumulabitque.

Quam vero crudelis si pietas impietatem nutriens et errores, quos ipsi videritis formidare: præterea seditiones ex veritate, et hæresum damnatione per aliquem suscitatum iri. quid aliud est quam illum talem, vel tyrannum, vel juxta Christi verbum, canem aut porcum reputare?

Æquali * proinde erit, proh Dei atque hominum fidem! huic finis negotio, si non nuda in se veritas fidei pulcherrima castissimaque diligitur, si non ipsa inanes hominum favores fortissima vincit. *Qui observat ventum*, inquit sapiens, *non seminat: & qui considerat nubes nunquam metet*. Eccle. XI. 4. Qui præterea Deum non invocat, illic dicente Psalmista trepidat timore, ubi non est timor: Ps. XII. At e contra. *Time Deum*: consulit Augustinus, *& homines non timebis*. Quod si quis formidolosus, abscedat, tanquam ex lege ineptus bello: neque velit fieri judex, nisi virtute valeat irrumpere iniquitates.

* f. & qualis

Postremo si quæritur cauta prius tali moderamine terminari, ut neminem lædat, hoc fieri non potest, credite; tanget aliquos et magnos quidquid actum, vel non actum tandem extiterit. Tangantur vero non immeriti, sed meriti; tangantur, petimus, et læ-

A dantur ad sanationem, et salutem, in spiritu lenitatis et veritatis, non in spiritu vehementi contritionis et perditionis. Præponatur, obsecramus, amor et lex spiritus, legi carnis; honor perpetuus, decidenti flosculo gloriæ præsentis. Felix itaque confusio quæ supra modum immensum gloriæ pondus operatur, miserente eo qui propter nos saturatus opprobriis, Deus bene dictus in sæcula; in quo bene valete, viriliter agite, fideliter atque feliciter.

Sequens requesta fuit producta judicialiter per N. de Gonnessia, Jordanum Morini, G. Pulchrinepotis & Jo. Baldoini. die martis xx. mensis augusti anno XV. in loco sessionis.

B EXponitur coram vobis, reverendissimis patribus et dominis, et ceteris commissariis per sacrum concilium in causis omnibus fidei etc. Quod cum materia fidei sit favorabilissime tractanda, et aliter quam materiæ profanæ, cessantibus diffugiis et dilationibus non necessariis, sine figura et strepitu judicii. Cum præterea possint hæreses & errores damnari, non habendo respectum ad personas; sicut novissime visum est omnibus nationibus, jam practicatum est in hoc concilio, & in aliis multis conciliis. Cum insuper novem assertiones exhibitæ, & expositæ vobis dominis commissariis, non C nabeant in hoc concilio aliquos, qui se dicant ipsarum assertores, vel defensores esse vel fuisse, proprio vel alieno nomine: nihilominus vos, domini commissarii, loquendo cum reverentia debita nondum processistis, nec proceditis ad examinationem veritatis, vel falsitatis earundem novem assertionum, jam a novem hebdomadis & ultra vobis insinuatarum. Placeat ad exaltationem fidei, & celerem errorum extirpationem, conformiter ad factam vobis super hoc commissionem, & ad intentionem seu petitionem serenissimi principis domini regis Romanorum, qui conclusionem super prædictis novem assertionibus habere ferventer exoptat, & ad D tollendum scandala jam exorta & verisimiliter oritura, procedere ad celerem examinationem prædictarum novem assertionum, ut consequenter ad conclusionem debitam, hoc sacrum procedat concilium: alioquin timendum est de offensa Dei, & læsione christianæ fidei, & quod hoc sacrum concilium principaliter congregatum, ad hæresum extirpationem, & emendationem errorum, non habeat causam legitimam vos super prædictis quomodolibet arguendi. Ib. p. 381.

SCHEDULA JOANNIS GERSONII

Circa novem assertiones Joannis Parvi.

E Quæritur utrum novem assertiones, fidei judicio sint reprobandæ.

EGo Johannes de Gersonno, magister in artibus & in theologia, cancellarius Parisiensis, volens parere mandatis reverendissimorum patrum, ac ceterorum dominorum commissariorum in causa fidei; dico affirmative quod hæ novem assertiones exhibitæ, sunt Ib. p. 391.

ANNO CHRISTI 1415.

sunt judicio fidei reprobandæ per hoc sacrum concilium, et quod jam nimis tardatum est; sive intelligantur quod sint reprobandæ, idest, quod digne reprobari, quod discernere maxime spectat ad theologos; sive sic accipiatur, quod reprobandæ, idest, quod expedit eas reprobare, quod spectat ad omnes qui possunt temporum atque personarum perpendere * ita quod dicere volo quod has assertiones reprobare licet, decet et expedit, imo necesse est, necessitate præcepti divini affirmativi, sicut inferius docebitur.

* Deest aliquid

Sto præterea in deliberatione reverendissimi patris domini cardinalis Cameracensis publice tradita, quod hæc doctrina est erronea in fide & moribus, et tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa; et ad fraudes, deceptiones, mendacia, ac proditiones et perjuria viam præbens, et quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici, et ut tales, juxta canonicas et legitimas sanctiones puniendi.

Deberent autem sufficere rationes et auctoritates allegatæ, cum auctoritate tanti viri, imo cum auctoritate tot sapientissimorum doctorum et aliorum in sacris literis eruditissimorum, nedum universitatis Parisiensis, sed de aliis universitatibus, ac provinciis regni Franciæ, qui doctrinam hanc pestiferam doctrinaliter reprobaverunt, et judicialiter condemnandam esse senserunt, quibus non minus deferendum fuerat, quam delatum fuit per hoc sacrum concilium universitatibus et ordinariis de Anglia et de Praga, circa improbatione doctrinæ Wicleff et Huss.

Nihilominus, pro elucidatione majori materiæ, distinguo novem has assertiones in quatuor partes, juxta diversitatem materiæ.

Reprobatur itaque quarta assertio dicens: „ Jus est, ratio et æquitas, quod omnis „ tyrannus occidatur viliane, Gallice, *vilainement*, per explorationes et insidias; „ et est propria mors qua debent mori tyranni, occidere scilicet eos per bonas cautelas, explorationes et insidias: quoniam „ hæc est universalis, nec dependet ex aliquo casu, et debuerat proponi tanquam „ una maxima, respectu primæ assertionis, „ et aliarum quinque ex ea sequentium vel „ collateralium, quæ tyrannum contrahunt „ ad unam speciem tyrannidis.

Reprobatur secundo octava assertio, quæ sensum literalem scripturæ sacræ dicit aliquando falsum esse, sive mortiferum.

Item, reprobatur tertio una assertio, quæ nullum juramentum dicit esse tenendum, si vergat in præjudicium jurantis, vel uxoris suæ, vel liberorum.

Reprobatur quarto prima assertio cum secunda, tertia, quinta, sexta, et septima, quæ dependent ab invicem, propter casus connexionum; licet quælibet addat malitiam specialem ad primam unde dependent.

Epilogans igitur, dico primo, quod hæ assertiones spectant ad fidem, sicut ista: *Quilibet tyrannus*, quæ damnata est tanquam erronea in fide, et moribus, et hæretica, et per consequens spectans ad fidem. Contrarie et oppositum dicere, reputo hæreticum.

Dico secundo, quod errantium multitudo per depravationem affectus, vel ignorantiam, aut aliter, non facit prædictas assertiones probabiles; cum *stultorum infinitus est numerus:* Eccle. I. 15. similiter et hæreticorum.

Dico tertio, quod reputantes has assertiones probabiles, habent consequenter dicere quod sunt temerarie assertæ in fide et bonis moribus pro regula et lege vivendi; et quod ex talibus reputatis probabilibus procedere ad certam mortem, non absolvit, sed accusat homicidam.

Dico quarto, quod eæ assertiones non possunt verificari per fugas adversariorum, scilicet fingendo casum mortis inevitabilis, vel casum divinæ revelationis, vel voluntarie glossando, vel allegando casum aliquem singularem vivificationis aliquarum, cum sint universaliter positæ; et ita de reliquis diffugiis.

Dico quinto, quod non est licitum prælatis doctoribus, poenitentiariis, judicibus etiam secularibus, in causis civilibus, seu consiliariis eorum, vel confessoribus negare, vel dubitare falsitatem harum assertionum, postquam fuerunt eis sufficienter propositæ, atque declaratæ. Non enim solum hæreticus est qui asserit contra fidem; sed qui falsas opiniones contra eam gignit, vel sequitur, secundum diffinitionem Augustini.

Dico sexto, ad formam propositæ quæstionis, quod eæ assertiones sunt fidei judicio reprobandæ, idest debent digne reprobari; imo de necessitate præcepti affirmativi debent reprobari, prout deductum est.

Prætendunt deffensores aliqui doctrinæ hæreticalis novem assertionum, et condemnationum earum, quia directe non possunt per indirectum impedire. Turbaret, inquiunt, pacem factam, et divisiones induceret ista condemnatio. Sed respondetur in oppositum primo; quia doctrina hæc est radix divisionum, qua remanente non succussa, magis ac magis divisiones pullularent &c.

SEQUITUR RESPONSIO AD CEDULAM

Quæ incipit.

Prætendunt defensores, &c. Gerson.

Seditiosi Belial filii, furiis infernalibus agitati, cum se concernunt a suarum seditionum finibus impeditos, more canum hiantes, rabie virulenta, patulis rictibus, ipsorum obices possetenus se disponunt, & quos non valent mordaciter toxicare, latratibus rabidis aerem infectibus afficere non postponunt. Ib. p. 393.

Sane quemdam Augusti Cæsaris sub edicto coelestis militiæ canticum decantatum melliflue continentem Lucæ II. a Christi *Pacifici testimonium* .... prædicantem, per indirectum publicant impeditorem damnationis erroris, eo quod inducebat * seditionem istorum nutrire schismata, ac pacis inita foedera violare, quod ii seditiosi refellunt doctrinam per ipsos falso erroneam æstimatam inquientes divisionum radicem, qua nunc

* locus corruptus fere per tota

nunc succissa intentius & extensius pullulabunt, ex literis regiis & universitatis Parisiensis suum falsum propositum confirmare nitentes: quas literas qualiter extorserunt effectus monstrat pacis per eos crebrius impediatæ, ad plenum, Dei gratia, reformatæ, ut literæ patulo demonstrarunt publice in hoc sacro Constantiensi concilio generali.

Delatrantes 2. doctrinam, quam nequiter pestiferam nominant, de qua sermo, omnem pacis firmitudinem enervare, dum, inquiunt, homicidia insidias & perjuria fovet, sicut liquet cuilibet intuenti; sed mentita est iniquitas sibi; ipsa nempe tyrannicidia suffert, proditiones aufert, in regum diademata conspirantes, quod isti seditiosi non penitus sunt exortes * juramenta priora & fortiora judicans per carentia suis comitibus nullatenus temeranda.

* locus corruptus

Sed tertio, clamitare rabide non cessant, & materiam in hoc sacro concilio non condemnandam, juxta dictum canonis approbari. *Error cui non resistitur, approbatur*: Quod male subsumi clare liquet, non enim est error omne quod erroneum ab infectis per errores pestiferos judicatur; sicut nec amarum quod a palato infecto humoribus falso judicatur amarum. Non enim ex ipsa relinquitur fore indifferenter homines occidendos, sed tyrannos & infideles proditores, suorum Regum diademata usurpare conantes; nec etiam perjuria licita fore docet; sed juramenta obligatoria per inconvenientia pro debito non existere violanda.

Quarto vero, suos ulutatus obsons taliter prosequuntur. Consueverunt, inquiunt, hæretici postquam suorum errorum venena vomuerunt, dicere: sileatur, pacis vincula non rumpantur. Et exemplificant de Dario cum fautoribus suis; sed liquet nequiter perperamque subsumi, falso applicando proposito quod hæresis nulla macula sordidatur: sed ut ex immediate præcedentibus est ostensum, hujusmodi seditiosi Cerbero colligati, quæ ad pacem faciunt justitiam & veritatem, & dominorum, ac eorum dominiorum altissimorum conservationem hæreses fatagunt nominare, ut sic seditionem proditionumque optatum sortiantur effectum, qui jure prosequuntur judicialiter per appellationem, & juxta demerita amplius prosequentur ursinis unguibus justitiæ per sacrum concilium finaliter & sententialiter lacerandi.

Rursus provocant ad ulterius attendendum, non posse dici majorem injuriam alicui christiano, potissime principi, vel prælato consiliario, sive principum confessori, quam quod suscitabit guerras, divisiones, si materia fidei terminetur; quod false ad hypothesim applicatur. Sed amplius fuerunt inquientes: Illi sunt seditiosi & scandalosi qui doctrinas scandalosas & seditiosas seminant, non qui jam pestifere seminatus & nimis; proh dolor! adultas eradicare contendunt: sed ii seditionum actores, bonum semen reputant zizaniam, ita enim ipsos furiarum malitia excæcavit, ut bonum semen malum reputent: & e contra, *Væ igitur iis qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* Isaiæ V. 20.

Denique, malitiose & quasi blasphemis vocibus impingunt in sacrum concilium generale, quærentes ubi fidei veritas ostendetur, si in concilio generali subticenda censetur? Nonne Gregorius, inquit, *utilius scandalum nasci permittitur, quam fidei veritas relinquatur*? Sed falluntur isti, ut sæpius præmissum est, substrahendo, cum hæc materia non pertinere ad judicium fidei debeat merito declarari.

Demum & finaliter, quærunt malitiose hujusmodi quæstionem.

Qualis tandem crudelior impietas, quam errantibus in via mortis nolle petitum tramitem ostendere veritatis? Sed proculdubio, quæsitio ista sit ad procaciter subsumendum cum sacrum concilium omnibus errantibus ostendere sit paratum callem sacræ fidei veritatis.

Est autem immanissimum & Deo displicibile super cuncta, cum malitiæ stimulis agitati, nituntur seminare discordias inter fratres; præsertim ex quorum discordia cunctorum malorum genera sunt exorta; et plura, nisi seditiosorum istorum malitia retundatur disposita sunt oriri; quos ab iniquitatis via, ad semitam suæ gratiæ, fraternæque & pacificæ caritatis perducat rex pacificus Jesus Christus, qui est pax nostra, & Deus dilectionis & pacis, qui caritas est, regnans cum Patre & Spiritu sancto per omnia sæculorum. Amen.

SCRIPTUM EPISCOPI ATREBATENSIS,

De novem assertionibus Joannis Parvi.

Attente, si placet, motivum sequens consideretur.

Quæritur ab adversariis: si istæ novem assertiones pertineant ad fidem, cum non fuerint alias damnatæ per ecclesiam, nec corrumdant directe aut formaliter aliquem articulum fidei, nec ex eis sequatur corruptio alicujus articuli: qua temeritate condemnavit eas episcopus Parisiensis, cum scire teneatur quod fidei declaratio & novorum articulorum ordinatio, atque symboli explicatio ad summum pontificem pertineant & ad concilium generale? & habent dicere quid hæreticum et quid catholicum debeat reputari, prout declarat S. Thomas secunda secundæ q. 1. articulo ultimo: & habetur XXIV. q. *Quotens*. Ib. p. 394.

Numquid non alii episcopi particulares similiter, & eadem auctoritate dicent, quod licet eis similiter propositiones hujusmodi ad fidem trahere, & de illis novos articulos facere, aliquas earum condemnare, condemnatione hæreticali; & contrarias approbare, approbatione catholica & fideli?

Et sic contigeret, quod, stante varietate opinionum diversorum doctorum, diversi episcopi de eisdem propositionibus diversas ferent sententias & omnino contrarias; quibus sententiis præciperent & mandarent suis subditis universis, ut fide tenerent oppositas propositiones talium propositionum sic per eos damnatarum.

Cum igitur aliqui eorum tales assertiones fide

ANNO CHRISTI 1415.

fide approbarent; alii vero reprobarent: evidenter sequitur incertitudo fidei, & impositio oneris gravioris religionis christianæ, quod patres nostri non portaverunt, & divisio catholicæ veritatis.

Si autem dicunt adversarii, quod dictæ novem assertiones ad fidem sic de facto non pertinent ante determinationem ecclesiæ, sed quod eas debet tanquam hæreticas condemnare. Qua temeritate, ante hujusmodi condemnationem ecclesiæ eas prædicaverunt & affirmaverunt publice hæreticas; cum hæreticum sit aliquid fide tenere, quod non est fides, aut quod est non fides?

Nam si licuit beato Augustino dicere quod non crederet evangelio, nisi ad hoc ipsum commoveret ecclesiæ auctoritas; rationabiliter dicitur istis adversariis, quod ante dictam determinationem nondum factam, cum dictas assertiones hæreticas fide tenuerunt & publicant ac inverecunde publicant in hoc sacro concilio generali; reges, principes, & cunctos Christi fideles qui eos audierunt, fefellerunt, ut pseudo-prophetæ, & deceperunt, oberrare eos facientes in invio, & non in via, unde contentio, proh dolor! mortifera inter eos est effusa, quam placare celeriter dignetur ille qui est pax nostra Jesus Christus Filius Dei benedictus.

Ad dubium quo quæritur: *Nunquid novem assertiones &c. sint fidei judicio reprobandæ?* non transcendendo de genere in genus, si sunt veræ vel non veræ; quia vitium est, secundum Philosophum, secundo posteriorum, ad propositum respondens, salva determinatione ecclesiæ semper; dico quod non, et hoc ex doctrina & fundamento S. doctoris Thomæ de Aquino parte prima q. 32. art. 4. dicentis, quod quando circa ea quæ etiam ex scripturis sacris sequuntur, sunt opiniones diversæ doctorum, ad illa credenda nemo obligatur, quoad usque per eccl. præcipiantur aut ordinentur credenda.

Unde in primitiva ecclesia multæ erant opiniones doctorum sustentabiles, & sine fidei præjudicio, quas hodie asserere esset hæreticum, quia oppositum per ecclesiam extat determinatum: ut de processione Spiritus S. de baptismatis forma; de visione animarum; de paupertate Christi, & similia.

Ex quo fundamento sequitur quod omnes assertiones ex sacra scriptura opinabiles, circa quas diversæ sunt opiniones doctorum, sunt materiæ fidei impertinentes, ut gratia exempli de observatione legalium *ad Galatas* II. de qua Hieronymus & Augustinus adversantur: uno dicente, in earum observantia Petrum peccasse, scilicet Augustino: alio vero, scilicet Hieronymo, simpliciter illud negante.

Similiter de occisione Ægyptii per Moysen Exod. II. de qua Ambrosius & Augustinus opposita sentiunt. Nam unus actum commendat, ut Ambrosius in libro, *De officiis*; alter vero actum culpat, ut Augustinus, in *De quæstionibus Exodi*.

Unde et per locum a majori correptione sequi videtur quod cum circa novem assertiones præfatas diversa & opposita doctores sentiant, nec per ecclesiam quid sit tenendum determinatum, quod ad materiam fidei minime trahi debent.

Hæc protestatio fuit facta XXIV. die Octobris, in ecclesia cathedrali Constantiensi, de mane.

Ego Martinus episcopus Atrebatensis, humilis in sacra theologia magister, protestor primo, quod in hoc actu, nec in quocunque alio per me, Dei gratia, imposterum fiendo, sicut nec in præcedentibus dudum per me factis quibuscunque, nunquam intendi, nec de præsenti intendo aliquid dicere, aut asserere: immo intendo non dicere, quod sit contra determinationem sacrosanctæ matris ecclesiæ, sacratissimorum conciliorum generalium, aut hujus sacrosancti concilii generalis Constantiensis, seu contra veritatem fidei catholicæ, seu sacræ scripturæ, aut etiam contra bonos mores: vel quovis modo possit offendere pias aures. Quod si oppositum contingeret, quod Deus avertat, vel ex ignorantia mea, quæ magna est; vel ex alia causa quacumque, ex nunc, pro ut ex tunc, omne tale dictum, aut assertum habeo pro non dicto, aut asserto, & illud ex nunc prout ex tunc, revoco, casso, irrito & adnullo, & offero me humiliter promptum & paratum, ad suscipiendam emendationem, & correctionem hujus sacri concilii generalis, & ad revocandum omne tale dictum, cassandum, irritandum, & adnullandum, ubi, quando & qualiter dictaret illud per me debere fieri sæpe dictum hoc sacrum concilium generale; cujus diffinitionibus, & decretis jam factis, & fiendis; ac etiam conclusioni, & conclusionibus per ipsum eligendæ, vel eligendis, determinandæ, vel determinandis super novem assertionibus, de quibus materia hic ventilatur, adhæreo firmiter, indubie & inconcusse, & adhærere intendo, quamdiu vitam duxero in humanis. Ib. p. 471.

Secundo, protestor quod in præsenti actu non gero ambassiatam principis, aut alterius personæ, sive status cujuscunque, nec intendo gerere, nisi pro quanto fuerit opus, aut necesse: sed solum vices gero quæstionem proponendi de mandato reverendissimorum patrum, & excellentissimorum doctorum, in causis fidei deputatorum per hoc sacrum concilium generale, qui XVI. die octobris mensis hujus, mihi per expressum injunxerunt, ut partem negativam aperirem rationibus, & scripto tenus, hujus quæsiti: scilicet, utrum novem assertiones coram ipsis, per magistrum Johannem de Gersonno, cancellarium ecclesiæ Parisiensis agitatæ, fidei judicio sint reprobandæ.

Et quia eorum mandatis volo, prout teneor, pro semper obedire; idcirco tanquam organum ipsorum & bajulus, proponam quoque proponenda.

Tertio, protestor quod non intendo aliquid dicere, quod sit proprie in injuriam personæ cujuscumque: sed solum intendo ad elucidationem catholicæ veritatis, & ad declarationem iniquæ falsitatis.

Et si non haberem verba adeo reverencialia in omnibus dicendis, non credant ali-

qui quod propter hoc intendam excedere a charitate & dilectione fraterna; quia debitam reverentiam & honorem cordiales volo semper habere ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Et finaliter, quæque jam dicta, aut dicenda in præsenti actu, dicam probabiliter, & secundum quod dictamen rationis & conscientiæ, ac instinctus Spiritus S. mihi ministrabit, secundum formam juramenti per me emissi in præsentia, & de mandato reverendissimorum dominorum judicum.

ALIUD SCRIPTUM EPISCOPI ATREBATENSIS,

Adversus cardinalem Cameracensem.

Cardinalis Cameracensis XXV. octobris

Conclusiones Astrologicas præposuit Theologicis: inde leviter intulit, principia fidei versari circa principia legis naturalis.

Responsio.

Ib. p. 472. SI collegium in hoc vellet partem assumere, quia cardinalis est, & sustinere vellet propositionem male sonantem; exponeret se magno periculo &c.

Item, in materia præsenti quæ tangit multos principes, sub quorum dominiis habent sua beneficia, possessiones &c.

Item, si per medium collegii, cum violentia, importunitates aut alias condemnarentur aliquæ propositiones, & præsertim istæ &c.

Notetur quod multæ sunt universitates solemnes, quæ eis non assentirent in tali condemnatione; sic esset destruere statum cardinalium, & cujuslibet eorumdem, & quod de præsenti se redderent inhabiles ad electionem &c. Et si procederent ad talem electionem &c. forsan non reciperetur pro summo pontifice per eos electus, propter suspicionem de hæresi.

Item, status cardinalatus non attenditur, quoad approbationem, vel reprobationem aliquarum assertionum, tanquam approbandarum fidei judicio; sed episcopi & doctores, de mandato sanctæ sedis apostolicæ, tales materias debent tractare, & super illis deliberare, & quid sit de illis de fide tenendum declarare; papa vero concludere habet, & diffinire &c.

Item, si singulariter aliqui cardinales vellent se constituere partem, aut promotores, in causa fidei; hoc non obstante, a prosecutione non est desistendum, nec subticendum est, quin veritas catholica palam fiat, si secus autem fieret, per tales modos, & comminationes, quod collegium assumat sibi causam, propter honorem collegii, quia cardinalis est, & nihilominus fovet assertiones erroneas & hæreticas, esset tyrannizare in religionem Christianam, quod nequaquam permitterent principes christiani. Avertant igitur domini cardinales, si qui sint, ne dijudicent causam eis ignotam, & de qua ad eos non spectet judicialiter, cognoscere, & omni favore, odio &c. postpositis, veritate comperta, conjudicent concilio generali æquitatem.

PROPOSITIO FACTA IN LOCO SESSIONIS, 24. & 30. diebus octobris, anno millesimo quadringentesimo decimo quinto.

Episcopus Atrebatensis.

IN præsentia hujus sacratissimæ celsitudinis, cujus gesta magnifica per orbem universum gloriose prædicantur.

In assistentia suæ subtilissimæ limpitudinis, cujus circumspectione, catholicæ ecclesiæ status & mores virtuose regulantur, de præsenti materia, tam dignissimæ altitudinis, ut etiam ingenia Jerarchica eam non concipiant, nisi divinitus luminose doceantur, loqui pertimesco, pensata dicendorum arduitate, auditorum subtilitate, sensus & intellectus meorum exiguitate. Nec mirum, quoniam grandes materias ingenia parva non sufferunt; sed mox in ipso suo conatu ultra vires ruunt & succumbunt.

Fateor siquidem quod quantumcumque quis de fonte Pegaseo sit potatus; etiam si linguis hominum loquatur, aut Angelorum; si in Mercurium transformetur, aut Tullium; si dulcescat Titi Livii lactea eloquentia; aut certe si Demonsthenis suavitate peroret; digna loqui nequaquam poterit de dicendis. Nihilominus tamen ego, cujus sensus modicus, intellectus brevis, memoria labilis, sed eloquia incomposita in tantum existunt, ut non nisi æs sonans, & cymbalum tinniens a prudentibus debeam merito judicari.

Sed oro, ut is, qui docet hominem scientiam, osque mutorum aperit, & linguas infantium facit disertas, nunc det sermonem rectum & benesonantem in os meum, ut & intellectum meum vero fidei lumine infundat & illustret, affectum quoque igne caritatis inflammet: sed & labiis pollutis calculo ignito, seraphico ministerio, expurgabit, linguam refrænans temperet, & os meum adornet præconio catholicæ veritatis, cujus veritatis inardescentes fervore adversus errores carnalium, atque animalium hominum, arcem turris Davidicæ, clypeis theologicarum rationum communitæ, Spiritu Sancto vos evocante, conscendistis. Vos scilicet, sacratissimi ecclesiæ pavores, & experitissimi rectores, atque eruditissimi doctores & magistri, qui estis belli hæreticalis duces triumphales, super cujus turres estis speculatores positi, & custodes pariter & defensores, ut per vos cunctis adversitatibus, erroribus, & hæresibus eliminatis, & destructis, Deo uno & vero, christiana religio, tranquilla devotione gaudens, pacifica ac secura, perennique serviat libertate. In quo bello constituti, contra hæreticam pravitatem se extollentem adversus Dei scientiam, & doctrinam ecclesiæ sacrosanctæ, vos hortatur ipsa catholica veritas, ut veros suos pugiles, & athletas strenuos & fideles, quatenus sitis fortes in bello, & pugna cum antiquo spiritu, in principio spiritualis belli hujus.

Stantes in facie primæ aciei proponens in medio ecclesiæ verba sancti apostoli: *Confor-*

ANNO CHRISTI 1415. *fortamini in domino, & in potentia virtutis ejus, & induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*, ad Ephes. VI. 10.

In quibus verbis confert audaciæ stabilitatem.

DECLARATIO CARDINALIS CAMERACENSIS,

Circa propositiones Joannis Parvi.

EGo Petrus cardinalis Cameracensis, tanquam doctor theologus, in testimonium veritatis requisitus, dico, & per juramentum affirmo, me firmiter credere, & nullatenus dubitare, quod quælibet dictarum novem assertionum catholice condemnanda est in forma superius scripta.

Et nihilominus, ex condemnatione hujus propositionis; *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vassallum suum, sive subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationem; non obstante quocunque juramento, seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato cujuscunque judicis.* Quæ condemnatio in una sessione hujus sacri concilii facta est; patet manifeste condemnatio earundem propositionum. Nam continent doctrinam illam virtualiter, & in simili radice fundantur, & addunt circumstantias alias plurimum aggravantes, sicut de auctorisatione cujuslibet legis divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii in secunda propositione.

Item, de turpitudine & vilitate mortis, in tertia.

Item, quod rex debet approbare tale homicidium in tribus sequentibus.

Item, ad confirmationem erroris, addit quod litteralis sensus scripturæ sacræ occidit animam.

In octava denique, quod in nullo ligat juramentum, vel confoederatio facta inter aliquos, si vergat in præjudicium alterius jurantium, vel confoederatorum sponsæ suæ, aut liberorum. Et ita de reliquis.

Quare patet, quod doctrina hæc & similis condemnanda est, prout & prædicta propositio condemnata, videlicet tanquam erronea in fide & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias præbens; & pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici, & ut tales, juxta canonicas sanctiones puniendi.

In testimonium præmissorum, manu mea me subscripsi.

ADDITIO CARDINALIS CAMERACENSIS

Pro sua opinione, die VIII. novembris.

Anno MCCCC XV.

EX quo manifeste sequitur quod asserere inter Catholicos dictas propositiones esse probabiles, vel forsan veras, est erroneum, & sapiens hæresim: & quod doctor Theologus hoc publice in hoc sacro concilio, & coram judicibus fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus.

Unde pro fundamento condemnationis hujus pestiferæ doctrinæ, licet multa possent allegari de jure naturali, divino, & humano; tamen specialiter, contra eam pauca sufficiant quæ sequuntur.

Primo, quia hæc doctrina est contra duo præcepta Decalogi, videlicet contra illud, *Non occides*, Exod. XX. 13. scilicet absque auctoritate judiciaria; & illud, *Non perjurabis*, Levit. XIX. 12. ubi omne juramentum jubetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ; & contra illud Exodi XXI. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum & per insidias, ab altari meo evellas illum, ut moriatur*; & contra illud, XXIII. q. V. Cap. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, libro *de Civitate Dei*, ubi dicitur: *Iis igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus Sanctus justitiæ Deus, specialiter jubet occidi, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et XXIII. q. VIII. cap. *Quicunque*, quod sumitur ab eodem Augustino, eodem libro, ubi dicitur: *qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tanto acrius, quanto non sibi a Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit.*

Est denique contra rationes condendi decretalem illam, *Pro humani de homicidio. lib. VI.* editam in concilio Lugdunensi; ubi contra interfectores per assassinos ponitur poena excommunicationis, depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, ipso facto: & quod quicumque talis fuerit, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus est: sic quod postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversus eum sententia requiratur.

Item, dicta doctrina multo magis est condemnanda, quia multo pejus circumstantionata est, quam illa damnata propositio Johannis Wicleff, quæ ponit quod populares possunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Item, hujus doctrinæ condemnatio non minus fieri potest absque speciali expressione de ejus assertore, quam illa quæ nuper in una sessione facta est contra errorem in Bohemia, de communicatione populi sub utraque specie &c. In testimonium præmissorum, manu propria me subscripsi. P. *Cardinalis Cameracensis*. Hoc totum sequens est de sua manu.

RESPONSIO EPISCOPI ATREBATENSIS

Ad deliberationem domini cardinalis Cameracensis.

Ex Gerf. t. V. p. 475.

CUm vos, reverendiſſimi in Chriſto patres, & domini commiſſarii, in cauſis fidei per hoc ſacrum concilium deputati, ordinaveritis, quod quilibet doctor theologiæ habeat vobis dare, infra certum terminum, ſuam intentionem, videlicet utrum novem aſſertiones, pro examine, ſint fidei judicio reprobandæ; & liceat unicuique doctori in facultate prædicta, etiam ſuper hoc publice reſpondere, prout experientia comprobavit, per reſponſionem publicam, factam VIII. die B novembris, per reverendiſſimum patrem in chriſto dominum cardinalem Cameracenſem, & veſtris paternitatibus exhibitam, & per eaſdem receptam.

Idcirco, Ego M. epiſcopus Atrebatenſis, tanquam doctor theologus in teſtimonium veritatis requiſitus, ſalva tamen determinatione ſacroſancti concilii, & ſanctæ Sedis apoſtolicæ, credo & affirmo quod nulla dictarum novem aſſertionum eſt fidei judicio reprobanda, nec aliqua illarum eſt condemnanda, ex condemnatione illius propoſitionis: *Quilibet tyrannus* &c. Cum nullo modo ſequatur ex aliqua illarum novem aſſertionum, ſed nec ex omnibus ſimul, nec con- C tinent doctrinaliter illam, vel virtualiter, nec in ſimili radice fundantur, quod patet.

Non enim ſequitur. *Licitum eſt unicuique ſubdito* &c. *occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, ſortilegium* &c. *Ergo quilibet tyrannus* &c. Tum quia ibi arguitur a parte in modo, ad ſuum totum in modo, cum diſtributione.

Et clarum eſt conſequentiam non valere, ſicut nec valet. *Licitum eſt unicuique interficere vel furem nocturnum, qui venit ad occidendum. Ergo quilibet fur nocturnus poteſt & debet licite interfici a quocumque.* Sicut nec ſequitur: *Quemlibet hominem album vi-* D *deo; ergo quemlibet hominem video.* Tum quia in aſſertionibus fit de tyranno taliter ſpecificato. In illa vero, *Quilibet tyrannus* &c. de tyranno univerſaliter capto.

Tum quia ad mentem aſſertionum a parte ſubjecti, ly *unicuique ſubdito* capitur pro vaſſallo immediate regi ſubdito. Et in illa, *Quilibet tyrannus* &c. capitur pro quocunque, etiam ſubdito tyranno, ſive ſubjecto.

Patet, quod nec ſequitur ex prima, nec ex ſecunda, neque tertia; cum in ſecunda ſpecificetur, dicendo quod *Leges autoriſant de occidendo dictum tyrannum proditorem & infidelem ſuo regi* &c. Nec ſequitur ex quarta. Licet enim dicat quod *Omnis tyrannus* E *infidelis ſit villane occidendus*; non tamen dicit, *a quolibet ſubdito ſuo.* Nec ſequitur ex quinta, ſexta & ſeptima. Non ſequitur: *Ille qui occidit ſupra nominatum tyrannum, non debet de aliquo reprehendi*, ut dicit quinta; *imo debet præmiari*, ut ait ſexta; *& illum debet rex plus amare* ut canit ſeptima; *ergo quilibet tyrannus* &c. Nec ſequitur ex octava: *Littera occidit* &c. clarum eſt. Sed

A nec ex prima, *in caſu ſocialitatis* &c. quæ eſt nona.

Sed quod nec ex omnibus ſimul, patet, quia ſi ex aliquibus debeat ſequi, videretur quod ex prima & quarta. Quarta enim dicit quod *omnis tyrannus infidelis, eſt villane occidendus*: & prima dicit quod: *Licitum eſt unicuique ſubdito* &c. Ergo videtur quod ſequatur quod *omnis tyrannus infidelis, eſt villane occidendus*: & prima dicit quod *licitum eſt unicuique ſubdito* &c. Ergo videtur quod ſequatur quod: *Omnis tyrannus ſit occidendus villane, a quolibet ſubdito ſuo. Quolibet tyrannus* &c.

Sed manifeſtum eſt, quod ſubjectum primæ aſſertionis *Licitum eſt unicuique ſubdito*, ſupponit, & accipitur reſpectu prædicati, quod eſt, *Quemlibet tyrannum qui per cupiditatem* &c. Quod prædicatum eſt taliter qualificatum. Et in ſecunda capitur ſubjectum univerſaliter, ſed non reſpectu cujuſlibet ſubditi, ita quod ly *a quolibet ſubdito*, in nullo ſupponit, reſpectu talis prædicati, *Quemlibet tyrannum* &c. nec in ambabus ſimul.

Unde ſi quia in quarta ponitur, *Omnis tyrannus* &c. Non tamen reſpectu talis prædicati, *a quocunque ſubdito*. Et in primo ponitur, quod *Licitum eſt unicuique ſubjecto* &c. non tamen reſpectu talis prædicati, *quemlibet tyrannus* &c.

Eodem modo inferam de quocunque demonſtrato ut determinato, forte inferam iſtam: *Hic eſt diabolus*, ex dictis & contentis in ſacra ſcriptura: unde capiam iſtud complexum. *Hic eſt*, Matthæi, *XVII.* & iſtud prædicatum, *diabolus* Matthæi IV.

Sic igitur apparet manifeſte quod iſtæ novem aſſertiones non continent virtualiter illam: *Quilibet tyrannus* &c. nec per conſequens veniunt fidei judicio reprobandæ ex condemnatione illius.

Dico ulterius quod ex nulla circumſtantia aggravante ſunt dictæ propoſitiones fidei judicio reprobandæ. Non enim propter primam, ſcilicet authoriſationem talis tyrannicidii: quinimo iſta circumſtantia eſt alleviens in ſecunda propoſitione; nec propter illam de villanitate &c. qua dignus eſt talis tyrannus occidi, ut in tertia & quarta.

Nec propter illam qua rex debet approbare tale tyrannicidium, ut in ſexta, quinta & ſeptima.

Nec ex additione confirmationis erroris, ut dicit dictus dominus cardinalis, cum non ſit error quod: *Semper tenere ſenſum litteralem, occidit animam*; qui ly *ſenſum litteralem*, ſupponit ibi confuſe tantum. Et clarum eſt quod ſemper accipere ſenſum litteralem quem faciunt propoſitiones in ſacra ſcriptura, eſt error, imo inducit in errorem, ut ait expreſſe Gregorius, in moralibus Lib. 1. cap. 3. in Prologo, ut in octava.

Hæc ex illa circumſtantia, quod: *De nullo tenetur miles ſervare promiſſiones, ſeu confoederationes factas alteri militi, ſi vergant in præjudicium* &c. *in caſu ſocialitatis* &c. cum prius & amplius teneatur ex ordine caritatis vitare ſuum præjudicium, quam alterius.

Nec eſt verum quod hæc doctrina & ſimilis ſit condemnanda, prout hæc prædicta propo-

positio: *Quilibet tyrannus* &c. est condemnata; videlicet tanquam erronea in fide & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, & perjuria vias præbens.

Ex quibus omnibus infero.

Primum, quod hanc doctrinam asserentes opinabiliter, citra determinationem sacri concilii generalis, & sanctæ sedis apostolicæ, non sunt hæretici, & ut tales, juxta canonicas sanctiones legitimas puniendi.

Secundo infero, quod non sequitur manifeste, imo totum oppositum, quod asserere inter catholicas dictas propositiones esse probabiles, aut forsan veras, non est erroneum, aut sapiens hæresim, nec doctor theologus hoc taliter publice asserens, in hoc sacro concilio, & coram judicibus fidei, est habendus de hæresi vehementer suspectus.

Tertio, infero quod oppositum testificans, sub juramento temere jurasse videtur. Nec contra has assertiones fiunt, aut factæ sunt aliquæ rationes, seu deductæ in medium, quæ videantur alicujus ponderis, vel momenti.

Unde, cum dicitur primo, quod hæc doctrina est contra duo præcepta decalogi, videlicet: *Non occides absque authoritate judiciali*. Et illud: *Non perjurabis*: ubi omne juramentum jubetur observari quod non vergit in detrimentum animæ; & contra illud Exodi XXI. *Si quis per industriam occiderit proximum suum...... & per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur*. Et contra illud XXXIII. q. v. cap. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Libro *de civitate Dei* ubi dicitur: *Iis igitur exceptis, quos lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus justitiæ Deus specialiter jubet occidi; quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et XXIII. q. VIII. cap. *Quicunque*, quod sumitur ab eodem Augustino, eodem libro, ubi dicitur: *Qui sine aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membrum debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tanto acrius, quanto non sibi a Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit*. Est denique contra rationes condendi decretalem illam. *Pro humani*. Lib. VI. editam in concilio Lugdunensi.

Ad quæ omnia dicitur primo, quod hæc doctrina non est contra illa duo præcepta. Patet. Non est enim contra primum, cum dicitur: *Non occides*; quod glosatur distorte, & aliter quam Spiritus sanctus efflagitat, cum dicit, *absque authoritate judiciaria*. Si enim ista glossa esset convertibilis cum præcepto, tunc sequeretur quod nullus posset occidere furem nocturnum; sed nec etiam vim vi repellere liceret. Ergo occidens in multis casibus, non occidit judiciaria officiaria authoritate; tamen occidit authoritate legis, cujus est minister, in casu, & non ex officio, ut declarat doctor irrefragabilis Alexander de Halles, de occidente invasorem suum ad mortem: *Quem*, inquit, *occidit ut minister Legis & justitiæ, non tamen ex officio*. Et dat exemplum de laico baptizante in casu necessitatis, qui baptisat, non ex officio, & licite ut legis minister, in casu necessitatis. Non ergo sic glosatur illud præceptum, nec ita communiter glosatur, sed sic: *Non occides, scilicet innocentem, livore vindictæ, aut propria authoritate*.

Constat autem quod tyrannus non est innocens, nec talis subditus eum interficit authoritate propria, sed legum; non livore vindictæ, sed amore conservationis Principis sui, & reipublicæ. Nec contra præceptum illud, *Non perjurabis*, ubi juramentum jubetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ: quod verum est, si tamen adsint tres comites, judicium, justitia, & veritas. Et etiam conditiones, quæ infinite subintelliguntur in omni juramento promissionis, quæ sunt secundum...... Lib. II. rubrica XXIV. de jure jur. §. *quot sunt species*, ubi dicit sic: *In omni juramento intelliguntur istæ conditiones tacite. Faciam hoc; si Deo placuerit; Si papæ, quia ejus authoritas videtur excepta*, XXV. q. 1. §. *ultimo*; *versu*, ipsi namque. *Item, si res in eodem statu permanserit ut videtur. Qui gladium suum deposuit, & illum furiose repetet, non teneor reddere, etiamsi juravi*: XXII. q. 2. *Ne quis*.

Idem Raimundus, §. XVII. *In Summa*. Et Innocentius, *in glosa* super cap. *Quemadmodum*.

Idem. *Si mihi fidem servaveris. Non servanti enim fidem, fides non est servanda. Unde si non facis quod promisisti, non teneor*, ut *extr. de jurejur. Pervenit*. 2. cap. *Sicut*. Idem Raimundus. Idem etiam Innocentius.

Item, *Si præcipiatur tale quid quod juratus non fuissem, Si mandatum tale scivissem*. & *extr. de jujur. veniens*. Et cap. *quintavallis*. Et pariformiter videtur dicendum, si tale quid eveniat quod non jurassem, si illius rei scivissem eventum.

Ubi apparet quod juramenta non obligant, quæ non habent conditiones requisitas. Esto quod possent salvari, sine animæ detrimento. Unde sine animæ detrimento, si mihi fidem non servas, possum servare tibi fidem; & tamen non teneor, ut patet ex dictis.

Ad secundam.

Ad illud Exodi XXI. *Si quis per industriam* &c. habet intelligi necessario, livore vindictæ & authoritate propria: quia aliter occidens inimicum suum, in justo bello, per insidias, esset ab altari dominico evellendus & moreretur. Quod falsum est, & contra illud cap. *Dominus*, XXIII. q. 2.

Ad tertiam.

Ad illud Augustini libro, *De civitate Dei*. Illa authoritas solvit se ipsam, & facit pro assertionibus, quoniam Lex justa, naturalis, moralis & divina talem occisionem generaliter authorisant.

Ad quartam.

Ad illud etiam Augustini, habetur necessario intelligi, authoritate privata; alias non

non liceret furem nocturnum occidere, nec vim vi repellere; quod est falsum. Licet enim eos interficere, publica administratione, intelligendo per illam authoritatem judiciariam ordinariam, ut supra.

Ad quintam.

Ad illud quod dicitur quod est contra rationes condendi decretalem illam &c. apparet quod est manifeste falsum, ex textu decretalis, quæ loquitur de illis, qui ex vindicta sitiunt humanum sanguinem, immanitate horrenda, & sævitia detestanda.

Ratio vero de occisione corporis & animæ, licet currat contra illos qui sic agunt, livore vindictæ; non tamen currit in hoc casu; sicut nec in subito perimente latronem nocturnum, vel vim vi repellente; cum secundum Augustinum, ille qui sic vadit ad furandum de nocte, vel invadit ad mortem, ipse sit causa mortis propriæ corporis & animæ utriusque.

Ad sextam.

Ad sextam, cum subjungitur quod dicta doctrina multo magis est condemnanda, quia multo pejus circumstantionata est, quam illa damnata propositio Johannis Wicleff; quæ ponit quod *populares possunt ad eorum arbitrium corrigere suos dominos delinquentes*: negatur simpliciter; & quia aliter non probatur, nec ad propositionem aliquam respondetur, nec etiam est ad propositum.

Item, cum dicit quod hujusmodi doctrinæ condemnatio non minus fieri potest absque speciali expressione de ejus assertore, quam illa, quæ nuper in una sessione facta est contra errorem in Bohemia, de communicatione populi sub utraque specie &c. dicitur quod non est simile, quia nullus in speciali extitit diffamatus de illa communicatione; sed tantummodo in generali, saltem quod constiterit sacroconcilio.

De istis autem novem assertionibus diffamatus fuit falso, inique & perperam, mortuus perlucidæ memoriæ magister Johannes Parvi, & illustrissimus princeps dominus dux Burgundiæ, ut patet in sententia episcopi Parisiensis prætensa, & in propositionibus factis coram serenissimo rege Francorum, per magistrum de Gerssono, & in tractatibus suis quibusdam.

Ex quibus sequitur quod prima assertio, cum secunda & tertia, & similiter quarta, sunt vere absque fidei præjudicio, aut sacræ scripturæ sustinibiles, terrenæque reipublicæ, & omnis justi principatus, ac fidelitatis inter principes & subditos conservativæ.

Patet hoc, quia sacra scriptura omnis veritatis quam ratio colligit, authoritatem continet, cum illam aut aperte affirmat, aut nullatenus negat; sed sacra scriptura, ex nulla ejus parte, assertionibus contradicit; maxime dum præceptum, *non occides*, quod magis ceteris videtur eis contradicere, in nullo contradicit: ergo &c. Minor patet tam per præcedentia, quam per XXIV. rationes, & per authoritates doctorum, ac allegationes sacræ scripturæ, factas in propositione partis negativæ quæstionis.

Sed pro verificatione quartæ assertionis, sic arguitur: Supposito quod explorationes & insidiæ sint a Domino præceptæ, ut patet *Numer.* XXI. 5. *Josue* XVIII. Cuilibet tyranno, secundum rigorem justitiæ, tali tyranno hostili de quo loquitur assertio, debetur pro poena, non solum occidi villane, sive ignobiliter per bonas cautelas, explorationes, & insidias; sed etiam ipsi ex justitia debetur, juxta illud: *Misericordiæ enim Domini, quia non sumus consumpti.* Thren. III. 22.

Tertio. Igitur omnis tyrannus, secundum rigorem justitiæ, meruit graviora, quam occidi villane, seu ignobiliter, per bonas cautelas, explorationes & insidias. Sed dum comparativus præsupponit positivum, consequens est omnino quod *Omnis tyrannus meretur occidi villane* &c. Sed quoniam jus est, ratio & æquitas, quod unicuique reddatur, & pariter debetur quod meretur; ideo omni semoto dubio, apud quemlibet scientem jus, est ratio & æquitas quod omnis tyrannus occidatur villane per explorationes & insidias. Et est propria mors.

Sequitur ulterius quod quinta, sexta & septima assertiones sunt veræ ex eadem radice, qua præcedentia.

De octava vero dicitur, quod est catholica & vera. Probatur: quia sumo istos textus sacri evangelii, *Matthæi* XVIII. & XIX. capp. quibus dicitur: *Si oculus, manus, aut pes tuus, te scandalisant, abscinde eos* &c. *Sunt enim Eunuchi qui castraverunt se ipsos propter regnum coelorum.*

Aut adversarius recipit istos textus secundum sensum litteralem, & licet se ipsum mutilare, quod prohibetur hoc præcepto, *Non occides*: vel redibit quod *Licitum est in casu, occidere absque judiciaria potestate*, quod est prima assertio: aut transibit ad sensum spiritualem literæ: & habebitur propositum hujus octavæ assertionis.

De nona dicitur, quod est vera in sensu propositio, & ad perjuria, multaque alia peccata & damna temporalia viam præcludens. Quod patet, tam in rationibus factis in proponendo pro parte quæstionis negativæ, quam per supra dicta.

Et confirmatur sic. Justitia enim, dum est comes juramenti, manifestum est, quod nullum juramentum socialitatis, quocunque modo sit, obligat, nisi ad æqualitatem justitiæ. Sed æqualitate justitiæ nulli sit præjudicium, sed duntaxat inæqualitate justitiæ, ad quam nullus obligatur, nec potest obligari. Et liquet ex quaterniis * præjudicii quod præjudicium importat inæqualitatem justitiæ. Ergo manifestum est quod in casu socialitatis juramenti, seu promissionis &c. sicut in assertione. *Locus corruptus*

Ex quibus omnibus concluditur, salva tamen determinatione hujus sacratissimi concilii generalis, aut sanctæ sedis apostolicæ, quod pars negativæ quæstionis est tenenda, scilicet quod eæ novem assertiones &c. non sunt fidei judicio reprobandæ.

Et hæc dicta sint cum omni humilitate & reverentia, & cum cauta sollicitudine inquiren-

ANNO CHRISTI 1415.

rendi catholicam veritatem, qua comperta, semper fui, sum & ero paratus eidem indubie & firmiter assentire.

JOANNIS DE ROCHA ADVISAMENTA

Super ulterius agendis.

Primo.

Ib. p. 481. REpellendus est ab examine cedularum reverendissimus pater, & dominus cardinalis Cameracensis, & ab omni actu judiciali in facto fidei, in hac causa, cum se fecerit partem; & ita promiserit in domo Augustinensium dicens: *Postquam non vultis me judicem, ego ero promotor*. Et ita etiam facto ostendit. Nec valet cum dicit quod libere se absentavit ab interesse &c. non enim vult se absentare ab hac causa, cum utraque causa importet præjudicium & interesse &c. ex falsa attributione.

Secundo.

Non solum est a judicio in hac causa repellendus; sed etiam a testimonio, cum testificatus fuerit, etiam medio juramento, ut dicit, ante requestam, vel mandatum factum sibi per judices, & sic se ingessit, & qui se ingerit &c.

Tertio.

Omnes qui juraverunt sententiam episcopi Parisiensis sustinere, sunt a testimonio repellendi, cum sint pars manifestissima.

Quarto.

Nullo modo est negotium differendum, neque amplius disputandum in scriptis & verbis, cum consenserint, post materiæ disputationem, in cedulis dandis magistris. Et si disputetur, fit injuria examini dictorum magistrorum; tum quia nunquam isto modo erit finis; quia ipsi replicant, & alii respondebunt, & sic consequenter; tum quia judices in causa fidei habent judicare secundum testimonia magistrorum, non secundum disputata; tum quia ex hoc sequetur briga non modica; tum quia iterum oportebit venire ad cedulas magistrorum, & idem quod prius.

Quinto.

Non est differendum, propter materiæ arduitatem & sublimitatem; non enim est subtile & arduum judicare utrum dictæ assertiones sint fidei judicio reprobandæ. Imo est valde, utrum pertineant ad fidem, vel ne, secundum quod dicit dominus Cameracensis & ita tenet illa pars tota.

Sexto.

Non est differendum propter hoc, ut videatur quæ regula dabitur universalis in facto morum per sacrum concilium, & in pœnitentiaria, quia si declarentur ad judicium fidei non pertinere, sicut nec pertinent; nec approbabuntur, & sic non dabitur regula moralis, nec lex.

Septimo.

Ista practica, in condemnatione illius, *Quilibet tyrannus &c.* facta ad instantiam ipsorum, non fuit observata de disputatione magistrorum. Imo multi fuerunt contempti, ut potest ostendi per instrumenta.

Octavo.

Ista practica non fuit Parisius observata in sententia prætensa episcopi Parisiensis de disputatione, cum etiam magistri fuerint contempti nec vocati. Imo multi dixerunt quod non erant judicio fidei reprobandæ &c. Alii vero quod sedes apostolica erat consulenda, vel Concilium generale.

Nono.

Item nono; mirum est quod nunc petatur dilatio, & quod materia fidei non expediatur, nisi simul cum interesse; cum oppositum fuerit petitum isto anno totiens, dicendo causam fidei non debere impediri per causam profanam, cum sint causæ distinctæ; quia una causa est devoluta per appellationem, alia per solam denunciationem; & per consequens habens judices distinctos per potestates distinctas delegatos. Unde papa tunc commisit factum appellationis, & sacrum concilium causam fidei super denuntiatione.

Decimo.

Cum sint distinctæ; ideo dicit dominus Cameracensis se absentasse ab una, & non ab alia.

Item, sunt compescendi per judices qui minantur magistris, quod si teneant assertiones istas non fore judicio fidei reprobandas, rex Franciæ hæreticabitur per illas. Quod falso & nequiter dictum est; quoniam esto quod unus laicus ad seductionem prælati sui credat falsum; dum tamen intendat credere quod sancta mater ecclesia credit fideliter, catholicus est.

CEDULA EXHIBITA DOMINIS COMMISSARIIS,

lecta die XXIII. Decembris.

PEtunt humiliter, & cum instantia requirunt ambassiatores illustrissimi principis ducis Burgundiæ per V. R. P. mandari opiniones & testimonia egregiorum Magistrorum, & aliorum, de quibus constat per cedulas, juxta ordinationes vestras productas in actis, & processu, redigi, & incorporari, rejectis cedulis illorum qui jurarunt sustinere & defendere sententiam & condemnationem episcopi Parisiensis, nec non illorum qui se partem constituerunt, de quibus eisdem P. V. constat satis; & quanto ci-

ANNO CHRISTI 1415.

citius fieri poterit relationem, ut inde sententia ferri possit per sacrum concilium, specialiter ante instans festum Nativitatis, seclusis quibuscumque aliis disputationibus exquisitis.

REQUESITÆ

Factæ dominis judicibus in causis fidei, per episcopum Atrebatensem VIII. die novembris IV. XV. *

*MCCCC-XV.

PRimo, quoniam fidei nostræ sacrosanctæ non est humana cognitio, quæ decipi potest, sed veritas divina in sacris scripturis, & doctrina sanctæ matris ecclesiæ revelata & declarata; ideo non sufficit ad condemnationem cujusvis datæ propositionis, quod magistri in theologia dicant eam esse hæreticam, si non assignaverint regulam fidei, aut passum sacræ scripturæ, seu doctrinæ sanæ ecclesiæ sanctæ Dei, cui talis propositio adversatur.

Quapropter petit, nomine æquitatis & rationis, præfatus episcopus, qui de mandato vestro asseruit partem negativam quæstionis coram vobis ventilatæ, ut in deliberatione magistrorum præfatus modus observetur.

Item quia materia novem assertionum pro magna earum parte, pertinet ad doctores juris canonici & civilis, eo quod dicitur in aliquibus eorumdem, *Licitum est &c. secundum leges, naturalem, moralem & divinam:* & in ultima ipsarum agitur de juramento promissorio; petit ut dicti doctores ad deliberationem istam admittantur, & nequaquam ab ea excludantur; quia processus episcopi Parisiensis fuit & est vitiosus, eo quod in concilio suo eos non vocavit; sed ipsis contemptis, fecit dictum suum processum vitiosum, ut patet de se, & patebit in processu. Et ut melius & clarius materia aperiatur eisdem doctoribus, ipsis vocatis coram vobis dominis judicibus, dies brevis & juridica assignetur partibus, scilicet affirmative & negative, ad allegandum una vice, & sub eodem contextu, hinc & inde, prout moris est in curia Romana, & dictis doctoribus porrigantur cedulæ, recepto eorum juramento.

PRODUCTA IN JUDICIO

Sequens cedula per magistrum Jo. de Salinis, die VIII. novembris IV. XV.

REverendissimi patres, quia de illis XXV. assertionibus alias per me &c. et pro mihi adhærentibus evangelicæ denunciatis ecclesiæ, apparuit assertor, scilicet magister Joannes de Gersono, cancellarius ecclesiæ Parisiensis, in eo quod quasdam expositiones satis frivolas dictarum assertionum fecit legi per quemdam suum familiarem, penultima die octobris; propter quod peto in fidei favorem, ut dictæ XXV. assertiones tradantur examini doctorum utriusque juris.

CEDULA SEQUENS

Fuit exhibita per dominum episcopum Atrebatensem, die VIII. novembris IV. XV. coram præfatis dominis commissariis.

QUoniam quidam familiaris magistri Joannis de Gersono, cancellarii Parisiensis, quamdam cedulam legendo die penultima octobris, in primo articulo dixit quod hæc propositio: *Non est fere ita modicus, si vellet exponere vitam suam pro tollendo vitam tyranni, qui non posset invenire modum & viam ipsum interficiendi, & ab eo liberare patriam.* Est vera in forma, sicut & aliæ septem per me episcopum Atrebatensem, male tractæ, ut falso asserit, ad meum propositum: respondeo sibi, quod quidquid sit de veritate, aut falsitate dictæ propositionis, de quo non ago de præsenti, hæc est sua in forma, cum decem aliis, sicut paratus sum ostendere eidem incontinenti, nisi opuscula sua negaverit, super quibus fundavi XII. rationes, quarum octo probant efficaciter hanc assertionem: *Licitum est unicuique &c.* Et tres aliæ probant illam assertionem octavam, quæ incipit: *Litera occidit, spiritus autem vivificat &c.* Et si velit audire sibi non placentem veritatem.

CEDULA CARDINALIS SALUCIARUM

22. novembris.

DEclaramus per dictum Parisiensem episcopum vocari debuisse hæredes quondam magistri Joannis Parvi, nec non & dominum Burgundiæ, pro suis in causæ præsentis, si quæ habebant, interesse; qui tamen non vocati & omnino indefensi fuerunt: eosdem Parvi, & dominum ducem Burgundiæ pronuntiamus, in præfata sententia Parisiensis episcopi nullatenus comprehensos, nec comprehendi posse, quovis modo.

Per hoc autem non intendimus sententiæ prædictæ, hic per appellationem devolutæ, in iis quæ spectant ad veritatem fidei derogare, quam Romano pontifici in proximo futuro concilio generali remittimus terminandam.

ALIA CEDULA

Ultima novembris, Vivariensis, & per Patriarcham Antiochenum, prima decembris.

* PEr hanc autem nostram diffinitivam sententiam non intendimus aliquas propositiones fidem tangentes approbare, vel reprobare, iis ad quos de jure pertinet determinatio simpliciter.

* *Hæc clausula supponit cassationem sententiæ episcopi Parisiensis.*

RE-

ANNO CHRISTI 1415.

RESPONSIO.

Tertia decembris &c. Patriarchæ prædicto per episcopum Atrebatensem.

SEntentia prætensa episcopi Parisiensis diffiniatur, et decernatur fuisse et esse nulla, et quod novem assertiones, de quibus fit mentio, in eodem judicio fidei non veniunt reprobandæ. De ceteris autem propositionibus fidem tangentibus, ordinet sacrum concilium, prout Spiritus Sanctus illud inspirabit.

In casus fidei.

Pro parte dominorum judicum et commissariorum in causis fidei deputatorum, intimatur omnibus et singulis dominis doctoribus et magistris in theologia, ac bachalariis formatis, tam prælatis, quam aliis, qui cedulas quarundam novem assertionum ab eisdem dominis commissariis receperunt, & nondum opiniones suas super eisdem tradiderunt, quatenus in favorem fidei per totum diem veneris proxime instantem hujusmodi suas opiniones tradant, prout alias juraverunt, & etiam ordinatum extitit. Alioquin pro non datis habebuntur; nec deinceps recipientur, vel admittentur, & non dantes de perjurio merito reprehendentur. Datum die mercurii undecima mensis novembris.

*Data per Gersonitas pervenit ad manus meas * tertia die decembris.*

Desideramus nos de Francia scire et informari a dominis prælatis & doctoribus aliarum nationum, & specialiter in quibus sunt universitates solemnes, & studia theologiæ super duobus articulis sequentibus.

Primo. Si condemnentur unquam errores aliqui, etiam sub nomine errantium, ut Wicleff Huss, non facto simul processu contra errantes, hoc est, non evocatis prius eis judicialiter, sive tales sunt mortui, sive vivi.

Secundo. Si super materiis quæ non concernunt immediate & expresse, sub propria verborum forma, articulos fidei contentos in symbolo, vel quæ materiæ non sunt damnatæ per ecclesiam, sub propria verborum forma, procedant unquam ordinarii locorum, damnando scilicet errores qui sunt contra scripturam sacram, & contra præcepta decalogi, & contra bonos mores, referendo semper tales causas ad sedem apostolicam terminandas.

** Episcopus Atrebatensis loquitur.*

Ad Cedulam prædictam immediate respondetur.

Sciant illi qui se esse de Francia dicunt, suisque desideriis Franciam adhærere falso se jactant; sciant ipsi nunquam in Francia naturale lumen cognitionis taliter occubuisse, nec eos, qui viri * Franci sunt, Franciamque per figmenta insaniæ, potius quam ignorantiæ nullatenus maculare nituntur, ad

*forte veri

A tantum cæcitatis affectum devenisse, quod dubitaverint partem aliquam penitus inauditam, super eo quod error pro libito æstimatur, & nihilominus falso, atque distorte ascribitur, non posse, neque debere, contra lumen totius æquitatis, etsi omne jus positivum extinctum esset, sine partis evocatione, & cum ipsius accusatione, vel ascriptione condemnari. Nec judex omnium Deus, judicia sua fecit, neque ipsius primi & radicalis omnium peccatorum vindictam judicialem accepit, quin partem vocaret. *Adam ubi es?* Gen. III. 9.

forte parentis.

Quantum ad secundum articulum veritas suggerit, & jura clamant, ad quem de non jam determinatis per ecclesiam ad fidem pertinentibus determinatio statuenda, vel etiam B prætermittenda pertineat. Quod si non soli sedi apostolicæ, vel generali concilio; tunc a diversis sedibus episcoporum, per sensuum diversitatem credibilia statim plurimum augerentur, & interdum mutuo repugnarent.

Quod autem error contra præcepta, & bonos mores levi judicio, & corde affectato in dicta cedula latenter supponitur, nunc provida deliberatione magistrorum, quid aut quale sit, & an fidei judicio reprobari debeat, videndum esse inquiritur.

CEDULA EPISCOPI ATREBATENSIS.

C *VIII. decembris anno XV. Cedula quædam &c.*

DEclarentur sententiæ episcopi Parisiensis, & inquisitoris nullæ simpliciter; quæ tamen una cum hoc deberent dici & decerni falsæ, & iniquæ, eo quod illustrissimo principi domino duci Burgundiæ devotissimo christiano ac fidelissimo; & lucidæ memoriæ magistri Joannis Parvi crimen hæresis malitiose imposuerunt, & eos publice & notorie diffamaverunt de eodem, quodque novem assertiones in dictis sententiis contentæ, secundum judicium famosissimorum theologorum hic & nonnullis aliis locis exi-D stentium judicio fidei nequaquam sunt reprobandæ.

Ponderentur sequentiæ, si placet, quomodo a duobus annis citra, dictus Princeps fuit publice diffamatus, occasione prædicta, & specialiter hic in concilio generali.

Item, quod si quæ litteræ, aut instructiones, a rege Franciæ emerserunt, de quibus Johannes de Gersono & ceteri in hac materia frequentius loquuntur, extortæ fuerunt, & surreptitie impetratæ, tanta rei veritate tempore guerrarum suscitatorum propter prædictam ad defensionem veritatis in præmissis. *

E Item, quoad materiam prætensarum sententiarum, magistri Jordanus Morini, & Guillelmus Pulcrinepotis, cum quibusdam aliis, nequaquam debent audiri; tum quia non sunt ad hoc sufficienter fundati; tum quia dicunt se defensare præfatas sententias, & de hoc emiserunt juramentum incaute & temerarie, cum sciunt, aut scire debeant dictos episcopum, & inquisitorem, nullam in hac parte habuisse jurisdictionem, neque tenuisse processum juridicum: sciuntque insu-

locus corruptus.

ANNO CHRISTI 1415.

per illas novem assertiones nunquam fuisse per dictum Parvi propositas, nec in sua propositione esse contentas, in propriis sensibus, substantia atque forma; nec ignorare debent eas ad judicium fidei nequaquam reprobative pertinere.

Item, non debent movere animos quorumcunque allegationes quarumdam litterarum, quas prætendunt circa hanc materiam a rege emanasse; cum per litteras regis hic publicatas cum magna maturitate consilii dicti regis, pro pacis confirmatione, postremo & nuperrime datas revocatæ sint & adnullatæ.

Item, non debet aliquem movere regressus & præsentia serenissimi regis Romanorum, eo quod timetur ne ipse debeat moveri & inclinari ad condemnationem dictarum novem assertionum: quia si prima illarum condemnetur, quæ tamen non venit condemnanda, ut petitur, lex imperialis divi Henrici septimi imperatoris orthodoxæ recordationis, proavi ejusdem domini regis, * quæ incipit. *Quoniam nuper &c.* condemnaretur eadem condemnatione qua prima assertio, si contigerit eam condemnari, quod non libenter permitteret dictus dominus Rex, prout possunt æstimare sapientes.

Hic aliquid deest

Item, non valet, si dicatur quod attendatur qualiter illa propositio, *Quilibet tyrannus &c.* fuit condemnata; quia latissima differentia est inter ipsam, & illas novem assertiones; quia hæc: *Quilibet tyrannus &c.* ad destructionem principum tendit; istæ vero ad eorum conservationem. Sunt multæ aliæ differentiæ, ut patet intuentibus eas, & ad invicem comparantibus diligenter; quare non est simile.

Finaliter & conclusive, debet sufficere ad minus quod prædictæ prætensæ sententiæ diffiniantur, & determinentur nullæ, & omnia inde secuta; ut taceatur falsè & inique: & quod novem assertiones, de quibus fit mentio in eisdem, non sunt fidei judicio reprobandæ; ut taceatur quod sunt veræ & approbandæ.

Alioquin petimus nobis fieri judicium; & nihilominus quod in nullo differatur propter præmissa.

Item propria.

Dicetur sententiam, seu sententias episcopi Parisiensis, & inquisitoris, ipso jure nullam, & nullas fuisse & esse, ac pro nullis declarabuntur, quidquid inde sit secutum, ipsasque novem assertiones in præsenti concilio denuntiatas in propositione defuncti magistri Johannis Parvi, in materia, forma & sensu nullo modo contentas esse, sive comprehensas: imo octo veritates, quarum tenor talis est &c. contentas in dicta propositione magistri Johannis Parvi, alias esse ab illis novem assertionibus in sensu & in forma fore sustinibiles, ac fidei judicio * esse reprobandas.

* Addenon

DECLARATIO HENRICI VII.

Romanorum imperatoris,

X. decembris, tradita domino des Ursinis. Anno XV.

Ex Gers. t. V. p. 487.

HEnricus septimus, divina favente gratia, Romanorum imperator, et semper augustus. Ad reprimenda multorum facinora, qui ruptis totius debitæ fidelitatis habenis, adversus Romanum imperium in cujus tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo animati, conantur, nedum humana verum etiam totius * præcepta, quibus jubetur quod omnis anima Romanorum principi sit subjecta, sceleratissimis factionibus, & assiduis rebellionibus demoliri: ne ex eorum absentia in detestando læsæ majestatis crimine retardetur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita, hac edictali, Deo propitio, perpetuo valitura sancimus, ut in quocunque læsæ majestatis crimine, et maxime ubi contra Romanorum imperatores, vel reges aliquid quod dictum crimen tangat asseritur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denuntiationem, summarie, et de plano, sine strepitu et figura judicii, prout illi, qui jurisdictioni præest videbitur expedire.

* Deesse aliquid videtur.

Ad hæc, si qua communitas, corpus, vel collegium, vel alia quævis persona, cujuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine, per nuntium, vel litteram, seu etiam per edictum publice propositum citata, vel citatum, neglexerit in termino, personaliter, legitime comparere, contra ipsam vel ipsum: per vim, ac si præsentialiter omnibus interfuisset, ut lis foret legitime contestata, tam ad receptionem testium, quam ad sententiam diffinitivam, et ejus executionem procedatur; legibus, vel consuetudinibus non obstantibus quibuscunque.

Hanc autem generalem legem extendi jubemus ad præterita, præsentia, et futura, quam ex nunc, absque alterius temporis expectatione transcursus, integrum rigorem decernimus obtinere.

Quoniam nuper ad auditum nostrum deductum est, quod inter nonnullos fideles, et subditos nostros, Lombardiæ provinciæ, aliorumque locorum Italiæ, disceptationes et dubia sæpius oriuntur; an infidelis et rebellis imperii quisquam reputari debeat, nisi prius per nostræ majestatis sententiam condemnandus appareat: nos attendentes, quod acta prava malorum, potius quam verba sententiarum, ipsos faciunt poena condignos; et eo ipso quod quis peccat, correctionem meretur; et quanto plus differtur punitio, tanto amplius culpa crescit, et gentibus in exemplum perniciosius transit: tenore præsentium declaramus, decernimus, et pronuntiamus, quod illi omnes, et singuli sunt rebelles et infideles nostri Imperii, qui quomodocunque publice, vel occulte, contra nostrum honorem, infidelitatis, et re-

ANNO CHRISTI 1415.

rebellionis opera faciunt, et in nostram, et imperii prosperitatem aliquid machinantur, contra nos, sive officiales nostros, in iis quæ ad eis commissum officium pertinent rebellando.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam declarationis et pronuntiationis infringere, vel casu temerario contraire. Si quis aliter attentare præsumpserit, indignationem nostram, et poenam mille librarum, nostræ cameræ solvendarum, se noverit incursurum. Datum Pisis IV. non. aprilis, regni nostri anno quinto, imperii vero anno primo.

Nota quod martis XVII. decembris, magistri Jordanus, ac Pulchrinepotis petierunt a dominis commissariis sibi dari publicam audientiam, quam eisdem concesserunt prædicti commissarii, ad diem jovis sequentem, & eam acceptarunt, sed minime illam compleverunt.

TYPI SENTENTIÆ

Nomine concilii ferendæ.

SAncta Synodus etc. Visis actis et actitatis in causa IX. assertionum denunciatarum coram judicibus et commissariis super causis fidei per ipsam synodum deputatis, et visa relatione eidem synodo per dictos judices et commissarios facta: viso etiam processu facto per dominos de Ursinis, Aquilegiensem, et Florentinum cardinales, et volens totam hanc causam simul terminare, pronunciat, decernit et declarat sententias latas per episcopum Parisiensem, simul cum inquisitore hæreticæ pravitatis, in et super dictis assertionibus, et condemnatione propositionis Joannis Parvi, quam appellavit justificationem, quæ sic incipit &c. fuisse & esse nullas, & nullius roboris, vel momenti, & in quantum de facto processerunt ad illud quod tangit vel aliquo modo tangere potest illustrem dominum dominum ducem Burgundiæ, seu ejus statum, vel honorem: vel quatenus eidem posset directe vel indirecte aliquod afferre præjudicium; & similiter etiam quatenus in aliquo concernit, vel concernere potest honorem, seu memoriam quondam magistri Joannis Parvi, seu eidem, vel ejus honori, seu memoriæ, seu ejus hæredibus & successoribus, directe, vel indirecte aliquid afferre præjudicium, illud revocat, cassat, irritat & adnullat, ac nullius roboris, vel momenti esse decernit & declarat; & hoc multis rationibus & causis, de quibus constat in dictis actis: & maxime, quia visa dicta propositione Joannis Parvi, constitit, atque constat quod IX. assertiones præmissæ, non fuerunt dicti Joannis Parvi, seu contentæ in dicta sua propositione, in forma neque sensu. Et in omnibus & singulis prædictis, dicta synodus præfatum dominum ducem, & dictum Joannem Parvi, & ejus memoriam, ejusque hæredes & successores absolvit & liberat per præsentes, decernens & statuens, quod dictus dominus dux, aut quondam Joannes Parvi, seu ejus memoria, vel ejus hæredes, & successores, occasione, vel causa dictarum sententiarum latarum per episcopum Parisiensem, & inquisitorem prædictos, vel ab ipsis sententiis dependentium vel connexorum, vel ad ipsas quoquomodo pertinentium, nullo unquam tempore possunt impeti, molestari vel inquietari, de jure, vel de facto.

* Easdem autem assertiones, visis prædictis, auditis per dicta synodum variis opinionibus plurium doctorum solemnium, quorum aliqui eas asserunt veras, & sustinuerunt, absque fidei contradictione, fideique judicio fore non reprobandas; aliique easdem fore eodem judicio reprobandas; dicta synodus, justis & rationabilibus causis ad id suadentibus, differt terminare, seu approbare: sed eorum determinationem, seu approbationem ad concilium generale futurum reservat.

Hæc conclusio non acceptatur

CEDULA PROPRIA

XIX. decembris tradita dicto domino cardinali, pro quæstione præcedenti.

* *EAsdem autem assertiones per doctores in theologia disputatas, & examinatas diligenter, repertasque per multo majorem partem, & saniorem probabiles & sustinibiles, sine fidei & sacræ scripturæ corruptione, & per consequens non fore fidei judicio reprobandas; aliis ex doctoribus aliter sentientibus de eisdem, suæ probabilitati relinquentes, earum ampliorum declarationem & determinationem certis de causis, reservat proximo futuro concilio generali.*

PETRUS CAUCHON.

XIX. decembris.

DE dictis autem novem assertionibus disputata publice & solemniter, diebus pluribus inter doctores quæstione, an judicio fidei sint reprobandæ; examinataque materia diutius per singulos eorum, ex ipsorum opinionibus scripto traditis, comperta est multo major & sanior tenore easdem fore probabiles, & minime fidei judicio reprobari debere.

Nihilominus tamen, certis de causis, ulteriorem determinationem circa eas differt, usque ad primum instans futurum concilium generale, eas sub probabilitate relinquendo; interimque, ne occasione sumpta ex ipsis, suscitentur rixæ, & jurgia inter aliquos, prohibet ne quis temere legendo, disputando, docendo, vel prædicando, aut alias assertive, sive reprobative eisdem utatur quoquo modo.

ANTIOCHENUS PATRIARCHA,

XVIII. decembris. CCCC. XV.

SAncta synodus &c. Visis actis & actitatis in causa novem assertionum denunciatarum coram judicibus & commissariis super causis fidei per ipsam synodum; & visa relatione eidem Synodo per dictos judices & commissarios facta; visoque processu facto per

per dominos de Ursinis, Aquilegiensem, & Florentinum &c.

Et volens totam causam simul terminare, pronunciat, decernit & declarat sententiam latam per episcopum Parisiensem, simul cum inquisitore hæreticæ pravitatis &c. super dictis assertionibus, fuisse & esse nullam, & nullius roboris, vel momenti. Et ulterius eadem sententia pronuntiat, decernit, & declarat eadem sancta synodus, illustrem dominum ducem Burgundiæ, & quondam magistrum Joannem Parvi, seu ejus memoriam, eorumque hæredes & successores, ab omni processu dictæ causæ, contentisque in eadem, fore absolvendos, & absolvit: decernens & statuens, quod nullo unquam tempore possit dictus illustris dominus dux, vel dictus quondam magister Joannes, seu ejus memoria, vel ejus heredes & successores, occasione, vel causa sententiæ latæ per dictos Parisiensem episcopum, & inquisitorem, vel ab ipsa sententia dependentium, vel connexorum, vel ad ipsam quoquomodo pertinentium impeti, molestari, vel inquietari, de jure, vel de facto. Inhibens ex certis causis animum suum moventibus, omnibus & singulis cujuscunque status vel conditionis existant, etiamsi sint prælati, vel in sacra pagina magistri, ne de dictis assertionibus, aut super eisdem publice vel occulte aliquid tractare, disponere, vel innovare præsumant legendo, scribendo, prædicando: vel aliter quomodocumque, ad usque proximum futurum concilium generale. Adjiciensque, quod si qui temerario ausu, contra prædicta, vel aliquod præmissorum venire præsumpserint, per judices competentes, tanquam hujus sacræ synodi contemptores, poenis canonicis coerceantur.

EPISTOLA CAROLI VI.

Francorum regis.

Sequens litera fuit primo lecta in natione Gallicana die 3. februarii. Deinde fuit exhibita aperta dominis judicibus fidei, & lecta coram ipsis. Die 21. ejusdem mensis an. XVI.

Dilectis & fidelibus consiliariis nostris & ambaxiator. nostris Joanni Gerson, Jordano Morini, Guillel. Pulchrinepotis, & Petro de Versaillis sacræ paginæ professoribus.

Ex parte regis.

Dilecti & fideles nostri.

CUm nos in pacis auctore, nostrorum regni & subditorum pacis habentes affectum, carissimo cognato nostro duce Brabantiæ, nunciisque & oratoribus carissimæ nostræ ducissæ Hollandiæ, necnon & deputatis communitatum trium statuum Flandriæ, pro parte carissimi consanguinei nostri ducis Burgundiæ missis ad nos, requirentibus vobis, & aliis in sacro Constantiensi concilio nostris nunc ambassiatoribus, mandassemus, a prosecutione propositionis defuncti magistri A Johannis Parvi, dudum per dilectum & fidelem consiliarium nostrum Parisiensem episcopum, & fratrem Joannem Poleti, hæreticæ pravitatis in regno nostro, eo tunc inquisitorem; convocato fidei consilio celebriter Parisius condemnatæ, & per diversas regni nostri civitates nostris publicatæ mandatis, tacente eodem consanguineo nostro, taceretis; nostroque nomine prosequi, partemve facere cessaretis; sperantes similiter pro dicti consanguinei nostri parte cessari, prout a prædictis, sui parte, precantibus receperamus in promissis.

Verum, cum nuper fide digno relatu cognoverimus, pro dicti nostri consanguinei, & suorum parte dictas condemnationem, advocationem & publicationem, multis mediis impugnari, contra nostræ concessionis intentum, qui eam velut Dei & propriam, manutenere, & defendere voluimus & volumus, nec deserere valemus indefensam, salvo nostræ regiæ majestatis honore: vobis propterea mandamus, quatenus ad dictæ condemnationis defensionem, velut nostræ regiæ majestatis propriam, sicut erga nos fideles haberi cupitis, viis omnibus juridicis, prout vestræ viderint discretiones expedire, celeriter et diligenter intendatis, secundum nostras instructiones et litteras alias concessas a nobis; sic agentes in earum defensione, quod Dei zelus, fidei favor, nostræque regiæ majestatis honor, in vestrarum diligentiarum prudentia manifestior appareat: remque tam arduam in consistorium publicum, prout aliarum hæresum materias tractatas scivimus examinandam, si videritis expedire, requirendo fidem de dicendis in hac re, parte nostri, præsentium exhibitori, quem propter id destinamus ad vos, plenariam habentes. Datum Parisius X. Januarii.

Charles.

J. Malliere.

LIBELLUS SUPPLEX

Plurium magistrorum Parisiensium Reverendissimo in christo patri, ac domino metuendissimo, domino cardinali de Ursinis, supremo sanctæ sedis apostolicæ poenitentiario.

SUpplicant, petunt et requirunt, cum quanta possunt instantia et devotione, plurimi magistrorum Parisiensium, plures que alii diversorum studiorum, in sacro concilio existentium, quod cum ipsi priusquam advenerint ad hoc sacrum concilium, crediderint indubitanter, quod in casu novem assertionum denunciatarum, non esset licitum in foro conscientiæ sic agere, vel docere, sicut prætendunt istæ assertiones, propter præcepta Dei ad oppositum data, de non occidendo propria authoritate, et de non procurando, ubi juramentum potest servari sine peccato, et non occidendo per insidias hominem non præmonitum, non diffidatum. Ib. p. 491.

Crediderint insuper quod scriptura sacra verissima sit, in omni sensu suo litterali, qui est primarius, et principalis sensus suus: et credant præterea quod hæc assertio. *Quilibet*

ANNO CHRISTI 1415.

libet tyrannus &c. fuerit rationabiliter condemnata, ut erronea in fide, et moribus, et hæretica: quæ assertio sufficienter in hiis novem includitur.

Et cum ad vos, reverendissime pater, ratione officii vestri prædicti, et ad alios inferiores poenitentiarios, et similiter ad fratres quatuor ordinum Mendicantium, qui se de confessionibus audiendis intromittunt, spectet cognoscere, et certificare, quid de talibus dubiis, in foro conscientiæ sentiendum sit, et agendum; placeat responsionem veram, certam, et celerem dare prædictis supplicantibus, super præmissis assertionibus: quid scilicet agere et consulere debeant in conscientia, super eisdem; quia tales casus possunt sæpe contingere, et de facto jam contigerunt: super quibus oportet præbere, et habere salubre consilium, ab illis maxime qui se de confessionibus audiendis intromittunt; sicut a medicis ægritudines, et remedia cognosci necesse est.

Est igitur petitio hæc in effectu; utrum hæ novem assertiones sint in foro conscientiæ, tanquam veræ et laudabiles, salubriter approbandæ, sic quod agentes, vel docentes conformiter ad has assertiones, sint laudandi, remunerandi et multipliciter honorandi, prout dictæ assertiones exprimunt manifeste. Fit hæc eadem supplicatio, seu petitio reverendissimo patri domino cardinali Ragusino, qui de officio magnæ poenitentiariæ, tanquam sibi debito, nuper contendebat.

Et in casu quo non dederitis, prout tenemini, ex debito officii, super præmissis salubre consilium et responsum, protestantur habere recursum ad concilium generale.

CONTESTAITO LITIS

De negotio Johannis Parvi, inter cardinalem Cameracensem & Gersonem, ex una parte; Et Johannem de Rocha, ordinis fratrum minorum, ex altera.

In nomine Domini. Amen.

Ibid.

PEr hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, et sit manifestum, quod anno a nativitate domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto, indictione nona; mensis vero januarii die quarta, apostolica sede pastore carente, coram reverendissimis in christo patribus, et eruditissimis viris, dominis commissariis, in omnibus causis fidei per sacrosanctum generale Constantiense concilium deputatis, ac quamplurimis egregiis magistris, doctoribus & bachalariis formatis in theologia, ad mandatum, & requestam dictorum dominorum commissariorum, in aula episcopali Constantiensi, provinciæ Moguntinæ solemniter congregatis; in meique notarii publici, ac testium infrascriptorum ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia. Quia reverendissimus in Christo pater & dominus, P. cardinalis Cameracensis, ibidem tunc præsens, resolvendo materiam novem assertionum alias coram ipsis dominis commissariis denunciatarum, ad terminos paucos & claros, dixerat quod hæ novem assertiones pertinent ad fidem, quia ad eam sicut & ad scripturam sacram sequuntur, vel repugnant, & reducuntur ad hunc articulum symboli, *Qui locutus est per prophetas &c.*

Dixerat secundo, quod saltem spectat ad mores, & sic veniunt judicio fidei reprobandæ, quemadmodum practicatum est in hoc sacro concilio, & in multis aliis, de propositionibus quæ minus videbantur ad fidem pertinere: sicut etiam invenitur in bulla Mendicantium, de multis articulis.

Concluserat tertio, quod hæ assertiones veniunt judicio fidei reprobandæ: imo sunt jam sufficienter reprobatæ, in condemnatione facta per concilium, de illa propositione. *Quilibet tyrannus &c.* quæ similis est quartæ assertioni, junctis prima & ultima: & adduntur in aliis assertionibus aliæ malitiæ.

Tunc religiosus vir, magister Joannes de Roqua, de ordine fratrum Minorum, surrexit & & dixit ea quæ sequuntur, vel similia, in sententia, & effectu.

Ego volo loqui propter honorem fidei, propter honorem christianissimi regis Francorum, propter honorem quatuor ordinum Mendicantium; & ex consequenti, propter honorem meum.

Et dico primo, quod fides, capiendo proprie, est de illis quæ sunt pure credibilia; juxta illud Augustini: *Quid est fides? nisi credere quod non vides.*

Dico secundo, quod fides capitur magis large, pro omnibus quæ continentur in sacra scriptura, vel quæ sequuntur ex ea.

Dico tertio, consequenter, respondendo ad prædicta tria puncta tacta per prædictum dominum Cameracensem, quod hæ novem assertiones non sunt de fide, nec proprie, nec large sumpta: quia non repugnant scripturæ sacræ, nec contentis in eadem, neque præceptis decalogi contrariantur in aliquo; sed conformantur eisdem.

Dico consequenter, quod hæ novem assertiones non sunt contra bonos mores.

Dico finaliter, quod propter præmissas causas, non sunt judicio fidei reprobandæ.

Quibus auditis, venerandæ circumspectionis vir, magister Joannes de Gersonno, cancellarius Parisiensis, dixit in effectu, quod expediebat ista scire, scilicet intentiones fratrum Mendicantium, de quatuor ordinibus, in suis deliberationibus. Unde, licet dolendum esset, ut dicebat, quod virus esset in vulnere; gaudendum tamen erat quod aperiretur, & sanies efflueret; quia per hoc citius, & salubrius sanaretur.

De & super quibus omnibus et singulis supra dictis, præfatus dominus cancellarius Parisiensis, petiit a me notario publico, infra scripto, sibi confici, atque tradi publicum instrumentum, seu publica instrumenta, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc, Anno, Indictione, Mense, Die & loco prædictis: præsentibus venerabilibus & circumspectis viris magistris Nicolao de Gonnessia, magistro in theologia; Joanne Campani, licentiato in decretis; Dominis Joanne Reginaldi, et Andrea de curia, presbyteris Laudunensis, Remensis,

ANNO CHRISTI 1415.

sis, Cameracensis et Parisiensis dioecesiorum, una cum pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Guillelmus Picardi, clericus Bituricensis dioecesis, publicus, apostolica et imperiali authoritate notarius, præmissorum, hinc inde, verborum prolationi præsens, una cum prænominatis testibus interfui: idcirco huic publico instrumento, alia manu scripto, signum meum solitum publicando apposui, hic me manu propria subscribens, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus, et rogatus. *Avec sa parraffe authemtique a coste.*

Collationnè sur l'original en parchemin, conservè dans les archives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy ainsi signè F. N. Bazin *Prieur det dits Peres Celestins.*

PROTESTATIO CARDINALIS CAMERACENSIS.

Circa schedulam concordiæ, in negotio novem assertionum.

In nomine Domini Amen.

Ib. p. 483.

NOverint universi, et singuli præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexto decimo, indictione nona. Die sabbati, quarta mensis januarii, coram reverendissimis in Christo patribus, dominis cardinalibus, et nonnullis dominis prælatis, et doctoribus in materiis fidei, per sacrum concilium generale constantiense deputatis commissariis, in magna aula palatii episcopalis Constantiensis, pro tribunali sedentibus, et in plurium doctorum, et bachalariorum in sacra pagina, ibidem super materia fidei convocatorum, nostrorumque notariorum infra scriptorum præsentia; personaliter constitutus reverendissimus in Christo pater, et dominus Petrus cardinalis Cameracensis.

Post plura inter eosdem magistros, doctores, et bachalarios super quarundam novem assertionum materia per honorabilem virum magistrum Joannem de Gersonio, cancellarium ecclesiæ Parisiensis coram ipsis commissariis denunciatarum altercata; petiit instanter, et requisivit, quatenus ipsius, et ambassiatorum christianissimi regis Francorum ibidem præsentium, pro parte, duæ cedulæ pro modo concordiæ in materia novem assertionum prædictarum, ut dicebat, alias compositæ, et exhibitæ, quarum una, ut etiam asseruit, fuit alias præfatis dominis commissariis per ipsum reverendissimum patrem dominum cardinalem Cameracensem; et alia quasi ejusdem sententiæ vel effectus, postea per dominos ambassiatores prædictos præsentata, legerentur: quarumque cedularum, una videlicet dictorum ambassiatorum, fuit ibi lecta; quas quidem cedulas etiam requisivit ipse dominus cardinalis Cameracensis examinari per magistros, et bachalarios in sacra pagina, ad sciendum si in ipsis cedulis servabatur honor fidei, et ostendendum, quod ibi non laedebatur honor domini ducis Burgundiae, aut cujuslibet alterius personae. Tenor autem cedulae praedictae ibi lectae sequitur, et est talis.

„ Recogitans haec sancta synodus Constantiensis se divino munere congregatam esse, ad procurandum totis conatibus ea quae pacem nedum spiritualem, sed temporalem respiciunt. Sentiens praeterea quod in christianissimo Franciae regno divisiones plurimae subortae erant, quae, Domino miserente, conquiescere sperantur: unde congaudet in Domino haec sancta synodus, et gratias agens congratulatur actoribus, et conservatoribus verae pacis. Ipsa nihilominus eadem synodus satagens, exemplo boni medici, tollere radicitus occasiones divisionum hujusmodi; et attendens quod durantibus iis divisionibus, fuerunt super materiis quarumdam assertionum nunc per quosdam publicatarum verbo vel scripto, nunc per alios reprobatarum contentiones variae perlatæ etiam ad sanctam sedem apostolicam; deinde ad hanc synodum Constantiensem: super quibus si non apponeretur finis debitus, non est dubium spiritualem inde tranquillitatem, ac temporalem posse turbari.

„ Qua in re praehabitis deliberationibus maturis declarat hæc sancta synodus, decernit, & diffinit, quod novem assertiones judicialiter commissariis super omnibus causis fidei etim per promotorem concilii absque assertore denunciatæ, non sunt dogmatizandæ, sustinendæ, vel asserendæ; et ita dogmatizationem ipsarum omnium, et singularum, cum propositione, in qua contineri dicuntur, prohibet, et reprobat deinceps fieri, tanquam de doctrina in fide, & bonis moribus erronea, sub poenis a sacris canonibus institutis.

„ Declarat nihilominus eadem synodus, quod nec ab sententia, nec ab alia lata Parisius, vel alibi, quæ concernat novem has assertiones, vel propositionem eas continentem, illustris princeps Johannes, & dux Burgundiæ etiam tenetur, vel ligatur: cum nulla, sicut accepimus, lata fuerit contra personam ejusdem ducis judicialis sententia, sicut nec dari debuit, aut potuit, ipso non vocato, vel audito.

Super hujus quidem cedulæ lectura, publicatione, & exhibitione ibidem factis, prælibatus dominus cardinalis Cameracensis petiit sibi a nobis notariis publicis infra scriptis fieri, atque tradi publicum, seu publica instrumentum, vel instrumenta.

Acta sunt hæc Constantiæ, provinciæ Maguntinæ, in aula majori curiæ episcopalis Constantiensis; sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, indictione, die, & mense de quibus supra, apostolica sede pastore carente. Præsentibus ibidem venerabilibus, & egregiis viris, magistris Nicolao de Gonnessia, in sacra pagina; Jacobo de Cyresio, & Johanne majoris, in artibus magistris, Laudunensis, Trecensis, & Remensis dioecesum, ac aliis in multitudine copiosa testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

CE-

ANNO CHRISTI 1415.

CEDULA.

Data per magistros Jordanum Morini, G. Pulchrinepotis, domino cardinali de Ursinis, quinta januarii.

Haec Cedula fuit iterum data per Joannem Gerson, mercurii VIII. januarii, coram dominis judicibus. Anno XVI.

Ib. p. 495.

SI causa fidei circa novem assertiones, incipiendo ab illo, quod novissime dictum est pro parte quatuor ordinum Mendicantium, per organum magistri Joannis de Rocha cordigeri, poterit haberi celerior finis B in dicta causa, sine querendo aliud interesse personale, cum istae assertiones hic habeant assertores, atque defensores; nec oportebit praeterea per diversa, vel aequivoca vagari; cum haec causa posita sit in patenti contradictione, scilicet ista. *Eae assertiones sunt verae*; *Eae assertiones non sunt verae*.

Restat igitur solum videre, quae pars habebit potiores rationes. Et hoc poterunt judicare non theologi, sicut qui sunt theologi; imo & laici, vigentes in judicio naturali rationis, & in experientia publicae consuetudinis. Et si reperiatur ipsas esse falsas, consequens est de necessitate, quod sint errores in fide, & moribus, & judicio fidei C reprobandae.

Ad hoc autem exequendum clarius, honestius, & efficacius, pro relatione facienda apud nationes per vos dominos commissarios, videtur quod habenda est disputatio inter paucos, ut puta duos de una parte, & duos de alia, qui apunctacius elucidabunt, & resolvent materiam, sine contentione, quam fieri possit per solas scripturas; dum homines non se mutuo intelligunt, nec in idem conveniunt.

Placeat igitur reverendissimis, ac sapientissimis paternitatibus vestris ordinare, quod sic fiat in prima convocatione concilii fidei, & in sequentibus usque ad complementum. D

CEDULA

Tradita per magistrum Stephanum Paletz, magistrum in theologia, nationis Germanicae, die mercurii VIII. januarii, dominis commissariis in causis fidei.

Ib. p. 496.

REverendissimi patres, et domini caeteri venerandi. Sicut in proxima convocatione hic in loco fuit humiliter supplicatum ex parte plurium magistrorum, ut scripta doctorum in materia novem assertionum ve- E stris dominationibus praesentata, sine nominatione personarum, quae nolunt nominari, in favorem fidei publicentur; sic ex nunc supplicatur vestris paternitatibus, ut petitio eorum, cum sit justa et rationabilis, exauditionis mereatur effectum; attento quod in materia beneficiali, vel injuriarum, ante prolationem sententiae, sit necessarium dicta testium publicari; quanto magis in ista mate- A ria arduissima, sic solemniter, et publice ventilata, necessarium est scripta doctorum coram doctoribus in isto auditorio publicari, quae dicta testium repraesentat, cum eadem in favorem fidei, et testimonium veritatis catholicae perhibuerunt, juramento medio requisiti: attento etiam quod reverendus in christo pater, dominus episcopus Atrebatensis, cum scriptura super materia illarum novem assertionum doctoribus per vestras dominationes injuncta et commissa, hoc idem postulavit; asserens quod nollet stare *supplici* assertioni doctorum, in condemnatione, vel approbatione dictarum assertionum, nisi scriberentur motiva, & probarentur per authoritates, & rationes. f. simplici

ANNO CHRISTI 1415.

Eadem die mercurii, dominus episcopus Atrebatensis coram dominis judicibus exhibuit quamdam cedulam hujus tenoris.

In vestro judiciali conspectu, patres reverendissimi, denuntiatas dudum quasdam novem assertiones tradidistis examini doctorum sacrae theologiae, ac bachalareorum formatorum, quos de diversis regionibus convenisse in unum, ac huic sanctae synodo assistere reperistis. Qui vestris mandatis obtemperantes, suas opiniones dederunt, juxta vestram ordinationem, & secundum juramentum per eosdem in vestris manibus emissum, super quaestione proposita, & publice ac solemniter disputata, pro sua qualibet parte.

Nunc autem suppliciter petimus, nos ambassiatores illustrissimi principis domini ducis Burgundiae, ut vestrae commissionis officium ulterius peragatur, potiorem effectum colligentes salutiferi consilii, & optimae deliberationis doctorum, & bachalariorum praedictorum; et eum referentes huic sacrae synodo, ut fiat denique sessionalis, atque sententialis responsio, pro salubri informatione conciliorum christi fidelium, si dictae assertiones judicio fidei veniant reprobandae, aut ne.

Nam hoc ipsum, juxta conditionem materiae titulo prudenter instituto, perquiritis; nec in re tanta bubulcos, rusticos, idiotas, laicos, & ignaros, sed totius orbis litteratissimos, et eruditissimos consules, et peritissimos sollicite quaesivistis, et Dei gratia, hic copiosissime invenistis.

Eja igitur, non jam videantur in hoc sacro concilio negligi, sacrosanctae fidei consules et doctissimi theologiae professores, quos jussu vestro, solertissimos, et sagacissimos illius materiae digestiones, decisionesque dictis praeclaris, et sententiis solidissimis, nunc institisse, diligenter, et fideliter cognoscitis laborasse, ac id quod major, et sanior pars, insuspectaque doctorum praedictorum peritia demonstrat, ad salutiferam judicii consummationem celeriter deducere dignemini, et velitis. Hoc enim petitur instantissime, ne querelae de vestri judicii tarditate materiam habeat illustrissimus dux Burgundiae antedictus, cujus interesse adjudicastis, justitia suadente.

Hoc

ANNO CHRISTI 1415.

Hoc dein poposcit frequentius dudum harum assertionum denunciator; et ut celeriter occurratur toti mundo, ut fingit ab hoc pereunti exemplo, ad hoc taliter qualiter apostolicas falsi numismatis compti sanctis * letiferi panis, aquae toxicatae sive potionis, cancri, serpentis ignisque accendentis.

* locus corruptus

Poposcit id ipsum frequentius Henricus de Piro sacrae synodi promotor. Poposcit insuper ille idem, qui vestrae modicae dilationi, per eum aestimatae contumeliosae detrahendo, Paganos, vel Judaeos in judices fidei peroptavit. Poposcit iterum A ille, et sui sequaces, ut examini citissime eadem materia praeberetur, et in ea concluderetur. Et id ipsum nunc poscitur a nobis praefatis ambassiatoribus, ut de illo peritissimo, ac digestissimo examine suscepta vestrae quidem circa assertiones prætactas formatae quæstionis sanior, major, atque peritior doctorum, ac bachalariorum prædictorum determinatio, authoritate hujus sacræ synodi roboretur.

Et petiit ut hæc cedula in actis, & actitatis hujus processus poneretur. Et petiit instrumentum tunc sibi fieri.

Reliqua hujus Concilii dabimus in sequenti volumine.

AP-

APPENDIX
AD CONCILIA
PRÆCEDENTIUM SÆCULORUM.

PRÆFATIO COLLECTORIS.

AD propiora ætati nostræ concilia dudum pervolo, tum demum ab operis extremo me retrahit ad caput amicorum quorumdam doctissimorum in opus istud meum sedulitas, & eruditio. Cum enim anxie perquirere me concilia in MSS. codicibus latentia intellexissent; continuo, quos quisque in pluteis Bibliothecarum suarum recondebat codices, protulit, oblulitque ea quibus juvari studium meum potuisse judicabant. Ex his quædam in tempus venerunt ut sua singula in loca disponerentur; quædam vero, utpote serius suffecta, in appendicem ut reiicerentur necessitas ipsa coegit. Hinc nata, quam ad calcem voluminis hujus retraho, appendix, concilia offerens in annos jam decursos referenda. Horum aliqua debentur eruditioni ac liberalitati reverendissimi D. Josephi Antenoris Scalabrini in Majori Ferrariensi ecclesia Canonici, qui vetusta ecclesiæ Ferrariensis archiva scrutatus, hæc nactus conciliaria scripta, ad me, qua est humanitate, transmisit. Nec res conciliaris tantummodo hoc viri docti labore proficit; sed & Ughellii de Italis episcopis tabulæ mirifice his adjumentis promoventur. Alter cui nova hæc supplementa debeo, vir est magni inter literatos nominis P. Angelus Calogiera Camaldulensis Ordinis S. Benedicti Monachus, qui oppignoratam mihi olim fidem de præbendo in meos usus concilio quodam Remensi, e MS. cod. Monasterii sui S. Michaelis de Morano prope Venetias petito, tandem liberavit. Quanquam non Remense, sed Nemausense appellandum esse; nec plane latuisse huc usque eruditos, hic, selecta quædam ex his actis exhibiturus, demonstro. Addo Concilium Patavinum anni 1350. dudum quidem illud vulgatum, sed in libro haud passim obvio de vetustis Ticinensis diœcesis constitutionibus usque ad annum 1403. latis. Ex eo acceptum hoc concilium hic exhibetur. Aequi bonique faciant lectores sedulitatem hanc meam, & ad rem conciliarem promovendam tot clarorum virorum exemplis se incitari permittant.

RAVENNATENSIS SYNODUS

A Johanne XII. pontifice, præsente Ottone I. imperatore,

Anno 967. habita.

Ex Arch. Ferrar. Major. Ec. misit D. Can. Scalabr.

IN nomine Domini. Johannes episcopus servus servorum Dei, omnibus Dei & sanctæ ecclesiæ fidelibus denunciantes mandamus, qualiter post justam, & legalem electionem, & consecrationem Martini episcopi Ferrariensis, in sancta Romana ecclesia a nobis factam, in civitate Ravennæ venimus cum ipso venerando Martino episcopo, aliisque quampluribus de nostra urbe Romanis, & in generali placito cum dopno Ottone imperatore diversas causas, lites inspiciendas, & deliberandas, & nobiscum tum residentium quoque astantium populorum multitudo clericorum, & laicorum, episcoporum, & abbatum de quampluribus regionibus infra basilicam beati Apollinaris convocatur; novus occurrit sermo prædicti Martini episcopi Ferrariensis supplicans & petens a nobis, ut omnia quæ a sancta Romana universali ecclesia per papam Vitellianum, & Adrianum, & Leonem sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifices antecessores nostros in tempore Constantini, & Caroli imperatoris, per antiqua privilegia fuerant largita, tradita, & confirmata; ita & nos per hoc nostrum confirmaremus præceptum; cujus scilicet precibus, & petitionibus, & omnium principum, episcoporum, & abbatum, aliorumque clericorum, & laicorum inclinati pro Dei timore, & illius venerabilis fratris nostri præsulis Martini, omnia, quæ a sanctis nostris antecessoribus, Romanæ sedis pontificibus, per antiqua privilegia Ursonem judicem Ferrariensem perlecta sanctæ Ferrariensis ecclesiæ beati Georgii, tempore Martini, & Andreæ, & Johannis prædecessorum prædicti Martini tradita esse cognovimus per hoc nostrum a parte sanctæ Romanæ ecclesiæ beati Petri apostoli in prædicta sancta Ferrariensi ecclesia beati Georgii similiter coram cunctis astantibus, & videntibus per hoc nostrum confirmamus præceptum, Massam videlicet Babilonicam illam, quæ vocatur Ferraria, in qua ipsa sancta ecclesia beati Georgii sita, & consecrata est cum duodecim fundis suis; cui alias omnes massas minores positas infra nostrum ducatum, & comitatum Ferrariensem cum omni obedientia, & securitate subjugamus; massam scilicet & ripam Pullariolus, cum duodecim fundis suis, & massam Constantiacus cum duodecim fundis suis, & massam quar-

Anno Christi 967.

quartisianam cum duodecim fundis suis; & massam Doncro cum duodecim fundis suis; sicque massam Petriculi cum duodecim fundis suis; & massam Popularis cum duodecim fundis suis; similiter massam Curuli, & massam Salectam cum viginti quatuor fundis suis; & massam Seneticam, & Castilionem cum omnibus fundis suis; similiter & massam Firmianam cum omnibus fundis, & pertinentiis suis. Has quidem omnes massas cum omnibus juribus sibi pertinentibus, sicut a sanctis nostris supradictis antecessoribus in praefata sancta Ferrariensi ecclesia beati Georgii largitum fore cognovimus; ita & nos per hoc nostrum, sicut supra dictum est, in sancta nostra eccl. & sibi praedicto Martino confratri, & episc. nostro, et successoribus tuis infra totum ducatum, atque comitatum, et episcop. nostrum Ferrariensem in singulis massis, ecclesias, clericos, presbyteros, diaconos ordinare, et consecrare. Super haec quidem omnia, omnibus tam praesentibus quam absentibus notum fieri volumus, per praedictum episcopatum Ferrariensem, et ecclesiam S. Georgii, & te Martinum episcopum, tuosque futuros successores, episcopos, utramque parochiam perpetuo, sicut supradicti nostri antecessores habuerunt, et tenuerunt in suo dominio; ita et nos in jure, et dominio, seu privilegio sanctae nostrae Romanae ecclesiae beati Petri apostoli, & nostro nostrorumque successorum semper tenemus. Ut sit semper sub nostra electione, ordinatione, investitione, et consecratione, et districtu. Et non liceat unquam nemini de tuis successoribus futuris, eligendis in ipso episcopio episcopis ad nullius electionem, neque investitionem, vel consecrationemire, nisi ad nostram sanctissimam sedem Romanam et apostolicam beati Petri apostoli nostrorumque successorum; et non liceat nemini nostrorum successorum, vel alicui regni magnae personae, regis scilicet vel ducis, episcopi, neque archiepiscopi hunc praefatum episcopum, et ecclesiam sancti Georgii, neque episcopos a dominio, et jure, et electione, ordinatione, investitione, consecratione, districtu sanctae Romanae ecclesiae beati Petri apostoli separare. Si quae vero persona hujus nostri regni, regis, vel ducis parva, vel magna hanc supradictam nostram Ferrariensem sanctam ecclesiam beati Georgii a jure, et dominio et potestate episcoporum suorum, electione, consecratione, et investitione sanctae ecclesiae, et sedis Romanae beati Petri apostoli separaverit, vel alienaverit, aut si de omnibus, quae a sancta Romana ecclesia sibi sunt data, et tradita diminuere vel molestare tentabit ullo modo, vel ingenio unquam in aliquo tempore anathematis vinculo a parte omnipotentis Dei, et beatae virginis Mariae, et beatorum apostolorum Petri, et Pauli, et omnium sanctorum, et nostra perpetuo alligamus, cui omnes qui aderant ibi responderunt dicentes: fiat, fiat. Quorum nomina sunt hic in parte descripta, idest in primis:

Martinus episcopus sanctae Sutrinensis ecclesiae.

Wido episcopus sanctae Sersenatis ecclesiae.

Johannes episcopus sanctae Corneliensis ecclesiae.

Azio prothoscrinarius et apocrisarius sanctae Romanae ecclesiae.

Johannes dux urbis Romae, qui vocatur Gambaruto.

Stephanus iniculator urbis Romae.

Nec non Paulus Gloriosus judex.

Vigo judex Ferrariensis.

Petrus Dativus istius civitatis Ravennae.

Johannes Dativus Ferrariensis.

Leo Dativus de civitate Faventia.

Petrus et Stephanus Dativi Ferrar.

Petrus comes.

Garardus, et Hirardus de comitibus.

Arderatus, et Rambertus germani comitibus.

Johannes dux de Romano.

Johannes et Almericus germani filii sui.

Paulus et Petrus ducibus Travesaria.

Petrus filius ipsi Pauli.

Romualdus dux.

Paulus filius Vitabiani.

Johannes consul, et patricius.

Heraldus filius Jaraldi ex genere ducum.

Atelbertus, et Sergius germani ducibus.

Andreas filius quondam Amabil Dativus.

Deus dedit de Ponte Augusto.

Gasirius filius Johannis consulis.

Vitalis de Liuto.

Joannes et Luicio germani, filii quondam Anastasii consulis.

Leotarius.

Petrus de Malo.

Mauricius Spaza inferno.

Vitalis filius Vitalis de Marino.

De tabellionibus autem cives Ravenn.

Johannes consul de Tabellio, qui vocatur Uter..

Stephanus tabellio.

Dominicus Tabellio. Apollinaris Tabellio.

Sergius Tabellio.

De cancellariis autem.

Vitalis cancellarius.

Martinus cancellarius & sarsore.

Leo cancellarius.

Sarius de Cisterno.

Dominicus & Bernardus cancellarii de arbore Gaudenti. Isti omnes de civitate Ravenna.

De Ferrariensibus autem. Johannes archipresbyter sanctae Ferrariensis ecclesiae.

Lopicinus archidiaconus.

Petrus presbyter. Georgius presbyter. Bonizo presbyter, & primicerius. Johannes archisubdiaconi.

De Laycis.

Leo de Andrea consul.

Rofredo filio ejus. Leo consul.

Gregorius de Danielis, & alius Gregorius consul. Petrus consul filius Leonis consulis. Anselmus consul filius Raimbaldo. Paulus consul, qui vocatur de Nastasia. Johannes qui vocatur de Cristinia; & aliorum hominum multitudo, quorum nomina esset longum ad scribendum.

RO-

ROMANUM CONCILIUM

Benedicto papa VII. & Ottone II. præsentibus

Anno 981. habitum.

Ex archivo Major. Eccles. Ferrar. misit D. Canon. Scalabrin.

" AN synodus hæc Romana eadem habenda sit cum synodo ejusdem loci, quam anno 981. habitam in causa Gisileri Magdeburgensis archiepiscopi Pagius ad A. 983. num. 10. contendit, ambiguus hæreo. In meis enim ad eumdem Pagium adnotationibus demonstratum arbitror, synodum in causa Gisileri nonnisi anno 982. B convenisse. Nostram vero hanc habitam anno 981. chronicæ omnes notæ, recte inter se constantes, demonstrant. Fit ergo, ut synodi duæ per duos succedentes annos Romæ celebratæ censeri possint.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Domno nostro Otto, divina favente gratia, augusto imperatore, anno quarto decimo, sitque domno Benedicto summo & universalis papa de apostolica sacratissima beatissima beati Petri Apostoli domini anno septimo. in mense marcio & indic. nona, in Roma, residente magnifico domno Ottone imperatore, & feliciffimo papa Benedicto in sinodali concilio, in ecclesia sancta Lateranensi, & cum eis innumerabilis populus, episcopi, egregii, nobiles, sapientes, Romani, Saxones, abbates diversi, nomina quorum gravissimus est transcurrere afirmacionis causa (sic legitur) paon. litera narrat, patriarcha Aquilegensis, Homo episcopus, Benedictus episcopus, Azo episcopus, Comaclensis episcopus, Fantinus episcopus, Gebizo episcopus, Leo Vercellensis episcopus, episcopus, episcopus, episcopus. Ugo abbas, abbas, abbas, abbas. Et omnibus his residentibus & de communi hutilitate sanctæ ecclesiæ loquentibus, occurrit sermo de Leone episcopo Ferrariense dicens: Queritur sancta Ferrariensis ecclesia beati Georgii episcopato coram universo concilio ad hanc D sanctam universalem ecclesiam matrem omnium ecclesiarum; & ego Leo, indignus administrator de prædicta sancta Ferrariense ecclesia, de Onesto archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ, a quo multa injuria & contumelia ipsa prædicta filia vestra Ferrariensis, & ego jam dictus indignus Leo procurator illius continue patimur; de hoc scilicet quod sancta Romana ecclesia per beneficium in ipsa sacrosancta Ferrariensis ecclesia dedit, tradidit, atque in perpetuum emancipavit Massam idem quartisianam quæ vocatur capore, quam domnus Leone summo & universalis papa in tempore de Andrea ipsius sancta Ferrariensis ecclesia episcopo emancipavit, una cum aliis undecim massis in nostro territorio Ferrariensi sine omni condicione, & coram universo concilio ipso instrumento emancipacionis atque tradicionis perlecto & audito. Questo est iterum de prædicta Massa quartisiana quam ipse Onestus archiepiscopo, volens nobis malam consuetudinem imponere, nunquam deprædare & C devastare non cessat. Quo audito, jubente universalis papa & prædicto domno Ottone imperatore, omnibus resident. ibi atque adstantibus laudantibus refutavit ipse Onesto archiepiscopo ipsam Massam quartisianam in ipso Leone episcopo Ferrariense. In tali tenore & pacto, quod si ipse aut sui successores ipsam in futuro depredare, aut devastare ...... aliquo modo vel ingenio, promisit & obligavit se in manu ipsius episcopi Ferrariensis dare & componere sibi suisque successoribus pena auri libras quadraginta; & soluta pena in sua semper maneat firmitate & anathematis vinculo universalis sedes teneatur. Hujus rei testis estat sancta & universalis sedes cum omnibus circumstantibus. Et ego Stefanus scriptor sanctæ Romanæ ecclesiæ scripsi, complevi & dedi.

ROMANUM CONCILIUM

Sub Alexandro papa II.

Post annum 1067. *habitum.*

Ex eodem archivo.

Alexander episcopus servus servorum Dei omnibus Christifidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Notum sit cunctis sanctæ ecclesiæ filiis & electione cleri & totius populi Ferrariensis ecclesiæ, consilio quoque multorum ecclesiasticorum virorum consecravimus *Germanum* episcopum; etiam bis & ter excommunicavimus & anathematizavimus Samuelem ejusdem ecclesiæ invasorem; hunc autem cum consilio episcoporum, abbatum, se cum etiam omnium clericorum qui interfuerunt sacro concilio confirmavimus, Gratianum episcopum eum esse decrevimus, omnesque fautores, sive adjutores ejus abundantia benedictionis replendos disponimus; Samuelem autem invasorem iterum excommunicamus & anathematizamus, & omnes fautores ejus in hac superbia.

Gratianum

Ego Alexander, licet indignus, sanctæ Romanæ & apostolicæ ecclesiæ episcopus ss.
Ego Bonifacius episcopus ss.
Ego Joannes dictus Portuensis episc. ss.
Petrus Damianus episcopus interfui.
Ego Ubaldus Sabinensis epis. ss.
Ego Leopertus Prenestinus epis. ss.
Dodo Rusellanus epis. ss.
Ego Geminianus a Vale ss.
Ego Bernardus Dei gratia Populoni episcop. ss.
Ego Bernardus cardinalis presbiter de titulo apost. ss.
Ego Raynaldus Cumanus epis. ss.
Ego Ugo cardinalis presbiter de titulo S. Clementis ss.
Ego Joannes cardinalis presbiter de titu-li S. Sixti ss.
Ego Leo card. presbiter S. Laurentii in Lucina ss.
Ego Joannes card. presb. de titulo S. Ciriaci ss.
Ego Tarymondus sanctæ Fesulanæ episcopus SS.
Ego Joannes Albinensis epis. ss.
Ego Azzo.
Ego Andulfus Seleftranæ ecclesiæ episcopus ss.
Ego Arduinus epis. ss.
Ego Gerardus Anconitanus epis. ss.
Ubaldus Eugubinus epis. ss.
Ego Unichilelus Senogalien. epis. ss.
Moneo Cima epis.
Ego Adalbertus Narnien. epis. ss.
P.F. Crininten. epis. ss.
Ego Dominicus Valven. epis. ss.
Ego Dominicus Gradicen. ecclesiæ inic. patriarca ss.
Ego Aldusbrandus Capuanus archiepiscopus ss.
Ego Dedalaricus Beneventanæ ecclesiæ archiepiscopus ss.
Ego Ruperius Civitanen. ecclesiæ episcopus ss.
Ego Arnaldus Acheruntinæ sedis archiepiscopus ss.
Ego Ingelbertus sanctæ Fusianæ ecclesiæ epis. ss.
Ego Ugo Camerinen. epis. ss.
Ego Casinus epis. Fisuen. ss.
Ego Bernardus secundus Asculanus episcopus ss.
Ego Albertus Boian. epis. ss.
Ego Hermanius episc. Mea ss.
Ego Laurentius Spalatren. ecclesiæ archipresb. ss.
Ego Hugo Hydruntinus archiep. ss.
Ego Godefredus Perusinus epis. ss.
Ego Leo abbas ss.
Maginardus Silve candide episcopus interfui.
Ego Joannes sancte Lavicane ecclesiæ episcopus ss.
Ego Ambrosius episcopus Teracine ss.
Ego Constantinus Aretinus epis. ss.
Ego Senoiis Adalbati. ss.
Ego Lanfrancus dei gratia Clusinus episcop. ss.
Ego Henricus Meramaucen. epis. ss.
Ego Petrus Iteramnen. epis. ss.
Ego Joannes Calinen. epis. ss.
Ego Ubertus Adrien. epis. ss.
Ego Vvlielmus Numanus epis. ss.
Ego Abizo abbas interfui.
Ego Agino Asisien. epis. ss.
Benedictus Sempronienfis epis. ss.
Ego Ugo Consecratus epis. ss.
Ego Lotarius Auces. eccles. ep. ss.
Ego Petrus Germinen. epis. ss.
Ego Pandulfus Marsicen. epis. ss.
Ego *Druno* Potentinus epis. ss. *f. Bruno*
Ego Dedatricus Firmanus epis. ss.
Ego Joannes Sutrien. epis. ss.
Ego Hermanus epis. ss.
Ego Joannes archiepiscopus Neapolitanus ss.
Ego Dominicus Alberti sancti sepulchri archipresb. ss.

IN

IN DECRETUM ALEXANDRI II.

JO. DOMINICI MANSI

ADNOTATIONES.

Concilium Romanum. In veteri Ferrarienſi codice, unde ſcriptum hoc prodiit, concilii titulus non occurrit; concilio tamen ſententiam hanc deberi nullus dubito, cum epiſcoporum cauſæ vix aliter tunc quam in Concilio definirentur,; tum & ſubjecta tot epiſcoporum nomina concilium reipſa deſignant. Quo vero anno concilium hoc aſſignandum ſit, haud ita facile expediretur. Cum tamen inter tam multos epiſcopos adſcriptum legatur nomen Arnaldi Acheruntini Archiepiſcopi, idemque non prius anno 1068. pallium acceperit ab Alexandro, ut ſcripta ea de re Alexandri epiſtola, apud Ughellium in Acheruntinis legenda, declarat; nec ulla ſuccurrat ratio, cur diu poſt electionem ſuam Arnaldus iſte pallii receptionem illam diſtulerit; inferre hinc licet, nonniſi poſtremis Alexandri annis, nempe poſt annum 1067. hoc, de quo agimus, concilium conveniſſe. Imo, ſi vera ſcribit Ughellius de Ambroſio Teracienſi epiſcopo, nonniſi anno 1071. renunciato, Synodum iſtam poſt annum illum rejici oporteret, cum ejus epiſcopi nomen hic legatur.

Samuelem invaſorem iterum excommunicamus. Ex his intelligimus Samuelem in Synodo alia præcedenti damnationem ab Alexandro tuliſſe; quo exauctorato, forte Gratianus(ita enim legendum cenſeo, quamquam ſuperius in hoc ipſo decreto, ex incuria, ut reor, amanuenſis, *Germanus* dicitur; cum & in tabulis Ughellianis per hos ipſos annos Gratianus inter Ferrarienſes epiſcopos recenſeatur) ſuffectus fuit. Quæ ſi valuerit conjectura, emendandæ eſſent ejusdem Ughellii tabulæ, in quibus Samuel Gratiano ſucceſſor exhibetur. Potuit tamen Samuel iſte in gratiam Apoſtolicæ ſedis dein rediiſſe, eaque permittente poſt Gratiani obitum priſtinam dignitatem recepiſſe.

Bonifacius epiſcopus, Albanenſis utique, cum inter epiſcopos Prænestinum, Oſtienſem, Portuenſem, & Sabinenſem hic compareat; quæ omnes ſedes ſunt epiſcopales primariæ, Romanæ cathedræ ſociæ. Porro Bonifacius quidam per hos annos Albanenſes infulas gerebat, Ughellio monente.

Petrus Damianus, Oſtienſis epiſcopus, ſanctimonia, & ſcientia celebris.

Geminianus a Vale. Quis iſte? Maluiſſem Valvenſem epiſcopum dicere, niſi obſtaret fides vetuſtiſſimæ adnotationis adſcriptæ in extrema ora codicis Vaticani vitam S. Pelini tutelaris Valvenſis referentis, de qua adnotatione Ughellius; ex ea etenim conſtat, alium tunc a Geminiano epiſcopi dignitatem illam obtinuiſſe. Hic unus aliquis ex epiſcopis Etruriæ habendus videretur; locatur enim poſt Groſſetanum ſeu Roſellanum & ante Populonienſem. Porro ne Valvenſis habeatur obſtat pariter catalogus iſte, in quo Dominicus Valvenſis inferius cenſetur.

Joannes Albinenſis. An forte legendum *Albingenſis* pro Albigaunenſi poſitum; ita enim ſe ſubſcribit Romano concilio ſub Nicolao Gaudentius Albigaunenſis epiſcopus. Nullus tamen eſt in ſerie Ughelliana horum temporum Joannes epiſcopus Albigaunenſis. Commode etiam emendaretur Albenſis; licet enim tunc Albenſes infulas gerebat Benzo, cujus eſt liber integer de laudibus Henrici III. imperatoris a Menkenio Rer. German. vulgatus; forte tamen ſchiſmaticum illum epiſcopum repudians Romanus pontifex, Joannem hunc ſubſtituerat.

Azzo, forte Emonenſis, cujus nominis epiſcopus per hæc tempora eccleſiam illam tenebat.

Adulfus Feltranus. Ignotus Ughellio epiſcopus.

Arduinus. Forte Tudertinus epiſcopus, haud ignotus Ughellio.

Gerardus Anconitanus. Ingentem in ſerie epiſcoporum Anconitanorum lacunam utcumque minuit.

Ubaldus Eugubinus. An idem cum Hugone Eugubino, de quo Ughellus?

Unichildus Senogallienſis, poſt Guillelmum apud Ughellium reponendus.

Moneo Cima. Purum mendum; ſed quomodo corrigendum?

Adalbertus Narnienſis; inter Martinum & Radulfum reponendus apud Ughellium.

P. F. Crinitenſis. Ignotus omnino epiſcopus.

Caſinus Fiſuen. An Triventinus? Lacuna eſt in Ughellio in epiſcopis Triventinis horum annorum.

Senonis Adalbati. Ignotus ignotæ ſedis epiſcopus.

Lanfrancus Cluſinus. Cœpit ergo epiſcopus iſte ante Gregorium VII. cum apud Ughellium non niſi ſub Gregorio VII. pareat.

Petrus Iteramnenſis. Non ergo uſquequaque vera ſcribit Ughellius, tradens a ſæculo octavo adusque decimum tertium deſtitutam ſe paſtore eccleſiam hanc luxiſſe.

Joannes Calinenſis. An Callienſis inter duos Hugones apud Ughellium reponendus?

Ubertus Adrienſis. Prætermiſſus ab Ughellio, & inter Athonem & Petrum inſerendus.

Guillelmus Numanus. Forte legendum *Humanus* apud Ughell. in Aprutinis, nam diplomati Victoris II. ſignati anno 1056. ſubſcriptus legitur, *Vuillelmus Umanus*. Hinc *Hugo* ille *Numanus* inter patres concilii Romani anni 1059. quem pro epiſcopo Humanatæ accipit Ughellius, non Humanus, ſed Nomentanus epiſcopus habendus eſt.

Agino Aſiſienſis. Deeſt in Ughellio.

Benedictus Sempronienſis. Epiſcopum agebat anno 1049. quo ſubſcripſit ſe bullæ Leonis IX. apud Ughell. in Portuenſibus. Adamum ergo illum Sempronienſem epiſcopum, S. Petro Damiano notum, cujus obitum commemorat lib. 5. epiſt. 16. Benedictum hunc præceſſiſſe vix dubito; quare ſeries Ughelliana, in qua poſtponitur, corrigenda.

Ugo Conſecratus. Nihil, ne conjectans quidem aſſequor.

Lotarius Aues. Vix dubito quin *Auximanus* ſcribendum ſit, cum ejus nominis epiſcopus ſub Alexandro II. memoretur apud Ughellium to. I. pag. 498. nov. edit.

Petrus Germinenſis. Nec de ſede, nec de nomine quidquam. An Guardienſis, cujus nominis & ſedis epiſcopus ſubſcripſit bullæ Alexandri II. pro conſecratione eccleſiæ Caſſinens.

Pandulfus Marſicenſis; nempe Marſorum, notus ex antiquis monumentis epiſcopus.

Bruno Potentinus. Cum epiſcopus iſte Firmanum hic proxime præcedat, viderint eruditi, num ea ſatis firma ſit conjectura, ad deſignandam Piceni urbem olim epiſcopalem inter Firmum & Anconam ſitam; longe plane diverſam ab urbe Lucianæ ejusdem nominis ſed alterius loci.

Dedatricus Firmanus; idem forte ac Uldericus inter patres concilii Romani anni 1059. ſub Ni-

Nicolao II. & cum Oderico, de quo S. Petrus Damianus epistolar. lib. IV. epist. LXI.

Joannes Sutrinus. Episcopum hunc ex diplomate Alexandri. II. Lucentius in correctione Ughellii detexit. Vide novam Ughell. edit. to. I. pag. 1275.

Anno Christi 1284.

AD NEMAUSENSEM SYNODUM

Anno 1284. celebratam

EMENDATIONES.

COLLECTORIS ADMONITIO.

IN *MS. codice sæculi, ut ex apicum indicio colligimus, decimi tertii exeuntis, vel alterius ineuntis apud religiosiss. Camald. ord. S. Bened. monachos coenobii S. Michaelis prope Moranum Venetiis asservato synodus ista legitur; & ita legitur, ut præter nomen loci, in quo habita designatur, parum vel nihil differat a constitutionibus Synodi Nemausensis ex MS. Cod. biblioth. Chisianæ in Labbeo t. XIV. pag. 795. vulgatis; nisi si forte aliqua alternatim scriptoris oscitantis vitio, seu desunt, seu depravata lectione deformata sunt. Id vero quod de loco habiti concilii dixi, ambiguum me tenuit aliquandiu; nam cum in edito sit* Nemausensis Synodus, *idemque semper nomen occurrat quandiu dioecesis illius, cui statuta hæc dantur, nomen exprimitur; in codice illo pro Nemausensi semper* Remensis *dioecesis nomen ponitur. Discrimen est etiam in anno, nam constitutiones Nemausensis annum 1284. exhibent; codex vero annum 1252. habet adscriptum. Primum quidem cogitanti mihi occurrit, num forte editas prius pro Remensi ecclesia constitutiones anno 1252. Bertrandus Nemausensis episcopus anno 1284. sibi pariter adoptaverit, & in usum ecclesiæ suæ traxerit. Neque ea res carebat exemplo, quod a me in præmonitione ad Dunelmense concilium, anni 1220. indicatum est. Propius tamen rem considerans, intellexi tandem titulum hunc in MS. codice vitiatum esse, & ubique, quoties* Remensis *nomen legitur, semper emendandum esse* Nemausensis. *Id vero probat episcopi nomen, quod utrimque litera B. indicatur. Ex Remensibus vero archiepiscopis toto illo sæculo nemo, qui ea litera exprimi potuerit, occurrit. Anno vero 1252. in codice signato, Remenses infulas Thomas de Beaumes gerebat. Vicissim autem anno 1284. quem Nemausenses constitutiones præferunt, ecclesiam illam Bertrandus de Languisel administrabat. Insuper in capite constitutionum illarum postremo admitti vetantur quæstores eleemosinarum nisi literas exhibeant episcopi Nemausensis vel archiepiscopi Narbonensis. Porro archiepiscopus Narbonensis utrimque tam in edito, quam in MS. codice exprimitur. Cur vero in archiepiscopatu Remensi admittendæ fuerint literæ archiepiscopi Narbonensis ratio nulla suadet; vicissim autem in Nemausensi dioecesi id optime injungitur; est enim Nemausensis episcopus Metropolitani Narbonensis suffraganeus. Quin & ad statuta pro Narbonensi provincia harum constitutionum author ubique provocat, ex quo discas ipsas constitutiones ad Narbonensem illam provinciam, non vero ad Remensem pertinuisse. Reformandus est igitur titulus Veneti codicis, ut pro illo:* Liber synodalis ecclesiæ Remensis; *ponendum sit:* Liber synodalis ecclesiæ Nemausensis, *sicut & annus 1252. corrigendus est 1284. ut ex episcopi Bertrandi nomine discimus. Corruptus est etiam subinde codex ille Venetus ex injuria temporis, ut non raro literarum vestigia humidus aer, cui expositus jacuit, corruperit. Cum his tamen difficultatibus strenue colluctatus P. Anselmus Costadoni ejusdem coenobii monachus, vir doctrina & humanitate eximius, a P. Angelo Calogiera viro celebri, mei causa exoratus, id pervicit, ut integras, quoad fieri poterat, lacunis tamen subinde relictis, constitutiones istas describeret, descriptasque mihi transmitteret. Contuli illico hæc cum editis Nemausensibus, & præter optimas quasdam variantes, nactus ex iis sum prolixam illam laciniam, quæ in editis in fine mutilis desideratur; ex quo factum, ut ex utroque scripto integras utcumque Nemausenses constitutiones, & multo quam prius correctiores habeamus.*

Ne-

Nemaufenfe editum apud Labbe anni 1284.

Incipit liber fynodalis ecclefiæ Nemaufenfis; editus a domino B. epifcopo Nemaufenfi.

Anni 1284.

In Prolog. B. epifcopus Nemaufenfis.
Aut funt de jure.
Euchariftiæ.
Contentiofas jurisdictionem

Scituri &c. intimentur &c. refrænentur.
Infantem uxoris fuæ.

De Bapt. Sufceptorus. Si autem &c.

Si tamen una immerfio facta fuerit erit &c.

Paternum vel maternum.
Spiritus S. Amen.

Si quis autem feipfum &c. propter fidei Sacramentum.

Regularis admittatur &c. nocet aliquid baptizato.

De pœnitentia.

Oris confeffio.
Ut ait Johannes.
Ad peccata fpecialia vel fpeciales circumftantias.
Aliter cogitare.
De rebus acquifita.
Toties vel quoties.
De mendacio, dolo.
Vel touttæ.
Ejusdem dioecefis fi viciniores fuerint.

Quando venerint ad ecclefias caufa prædicationis.
Nolumus tamen &c. Sacerdotis periculum imminere &c.
Sacerdos provincialis.
Ifte funt cafus in quibus poenitentes ad epifcopum funt mittendi.
Cum fanctimoniali confecrata vel non confecrata.
Deeft.

De celebratione Miffarum. *De facramento Euchariftiæ, & Extrema unctione.*
Severe moneant.
Ecclefiæ Nemaufenfis.
Quam cito poterit confiteri.

Si vero contritionem &c. copiam facerdotis. Si pollutio.
Confeffionem factam non teneatur a celebratione miffæ neceffario abftinere; honeftum tamen eft, quod a celebratione miffæ abftineat illa die, maxime &c.
De veneratione ecclefiarum.

Ad proceffionem,
Aut feminis effufione.

Remenfe in Cod. MS. anni 1252.

Incipit liber fynodalis ecclefiæ Remenfis editus a domino B. epifcopo Remenfi.

Ann. D. 1252.

B. epifcopus Remenfis, *& fic ubique.*
Aut funt divinæ auctoritati atque juri.
Euchariftiæ, & extrema unctione.
Contentionem, interdictionem, & earum ftrepitum &c.
Deeft hoc.
Infantem proprium vel infantem uxoris fuæ ex alio.
Sufcepturus, vel juxta difcretionem proprii facerdotis eis condigna pœnitentia injungatur. Si autem &c.
Si tamen iterato immerfio facta fuerit erit &c.
Patrinum vel maternam.
Amen erit infans nihilominus baptizatus. Item dicimus &c.
Deeft hoc totum.

Deeft totum

De confeffione & pænitentia injungendis.

Oris confeffio & operis fatisfactio.
Ut ait Hieronymus.
Ad peccata fpiritualia vel fpirituales circumftantias.
Alias cogitare.
De rebus ecclefiæ acquifitis.
Coltis vel quæftis.
De datis dolo, ufura &c.
Vel coltæ.
Ejusdem dioecefis vel alterius dioecefis fi viciniores &c.
Deeft.

Deeft totum.

Sacerdos poenitentialis.
De majori excommunicatione clericorum & aliis fubfcriptis.
Cum fanct. confecrata.

Item clerici qui fcienter celebrant in ecclefia interdicta.
De confervatione Euchariftiæ, & Extrema unctione.
Secreto moneant.
Ecclefiæ Romanæ.
Quam cito poterit habere copiam facerdotis confiteri.
Deeft totum & incipit: Si pollutio.

Confeffione facta a celebratione abftineat illa die, maxime &c.

De gubernatione ecclefiarum & aliarum rerum ipfarum detinendæ fub cuftodia ne diftribuantur.
Ad prædicationem.
aut interfectione.

De

Nemausense editum apud Labbe.	*Remens. in Cod. MS.*
De alienatione rerum ecclesiarum & obligatione ipsarum.	*De non alienando, nec locando bona ecclesiarum sine licentia prælati.*
De vita & honestate clericorum.	*De vita & honestate clericorum, de enormitis expresse eis prohibitis, prout scribitur subsequenter.*
Constituti .... in conspectu.	Constituti quatenus in conspectu.
In viniis.	In mimis.
Et aliis bonis studiis.	Et aliis horis studeant
Aut indicent.	Aut judicent.
De testamento.	*De testamentorum confectione & eorum solemnitate cum robore.*
Sive bestiis quæ.	Vel bestiis, exceptis illis bestiis quæ &c.
Ista fiant.	Ista fiant, atque episcopum præsentem esse volumus & vocari.
Superius in illo.	Superius in isto libro & capitulo
De sepulturis.	*De sepulturis eligendis per testatores & parochialium permutatione.*
Patribus & antiquis .... esse noscitur.	Sanctis & antiquis cognoscitur institutum.
Deest.	Si vero in infirmitate, de qua moritur religionem intret, de bonis ibi ablatis parochialis ecclesia, a qua sumptus est, debet habere canonicam portionem.
Oblationibus & poenitentiis.	Oblationibus, dapnis, & poenitentiis.
Omnibus Usurariis.	Assassinarii & prædones manifesti.
De decimis & primitiis.	*De decimis quam primitiis debentibus parochialibus ecclesiis.*
Vel taschæ.	Vel tassæ.
Caseorum.	Anserorum.
Eademque ecclesia censeri.	Eademque ecclesia diverso jure censeri.
Horologia.	Hordologia.
De sponsalibus & matrimonio.	*De sponsalibus cum matrimonio inde fiendis in ecclesiis more debito.*
Ad nos mittantur ut super hoc &c.	Ad nos mittentur literæ supplices quod fuerit mediante justitia faciendum.
Octavam Paschæ.	Octavam Epiphaniæ, & a septuagesima usque ad octavam paschæ.
Vel nutriti.	vel mariti
Efficiendo.	Causa officiandi.
Sed in ecclesia.	Sed si ecclesiæ rector jurisdictionem habeat temporalem potest expellere ipsum... Si non habeat jurisdictionem & jam excommunicatus noluerit exire ecclesiam.
Constitutum.	Constitutum. Et hæc servanda sunt pro illo, qui publice & nominatim est excommunicatus.
Exeat caute de Ecclesia.	Exeat ecclesiam. Etsi monitus exire noluerit, exeat caute de ecclesia ille, qui.
vitandus est ab eo.	Monendus est ab eo.
Pro patenti.	Pro latenti
Sæcularibus exemptis.	Et sæcularibus exemptis, & non exemptis.
In concilio Lateranensi.	In Lateranensibus conciliis.
Propter violationem ecclesiarum.	Propter ablationem, violationem ecclesiarum, incendium.
Qui proprium est misereri.	qui proprium est miserere semper & parcere, suscipe deprecationem, & famulum tuum, quem delictorum & excommunicationis catena constringit miseratio tuæ pietatis absolvat per Xptum Dominum nostrum amen.
Excommunicationis qua ligatus eras.	Excomun. & præcipue a sententia excommunicationis a qua &c.
Incontinenti faciat.	Incontinenti faciat juxta posse, & si non potest in continenti facere quod forte.
Vel fœmina vel unum pedem.	Vel foemina, cœcus aut persona habens unum pedem.
Incontinenti de expensis.	In continenti debet expensis & damnis datis satisfacere; si haberi non possit clericus injuriam passus præcipiat &c.
De perjuriis & pœnis ipsorum.	*De perjuriis commissis & pœnis eis imponendis exinde.*

Et

Nemausense editum apud Labbe.

Et causis ecclesiarum.
De perfidis Judæis,

Rosam portent.

Quæ Domino Jesu.
Post omnia supradicta ponuntur hic quædam capitula non habentia titulos speciales.

Præsumat usquead aliam.

Et vivant sine proprio atque caste
Ne Cappellani.
Nomine ecclesiarum donationes.

Satisfecerit petenti.
Item prohibemus...

Remens. in Cod. MS.

Et causis propriis vel ecclesiarum.
De Judæis & vita eorum ut valeant omnibus diebus discerni.

Rotam portent. *Ita etiam habet Conc. Narbonense anni 122. cap. II.*

Quæ Apostolo permittente.

De representatis ad ecclesiarum titulum, non præsumendo possessionem, sive impetraverit literas confirmatorias etiam cura synodali.

Præsumat, vel quod ad aliam synodum ejusdem festi B. Lucæ.

Et vivant tamen proprie, atque caste.

Ne parochiani Cappellani &c.

Nomine ecclesiarum & ipsorum etiam infirmorum, qui tales donationes.

Satisfecerit competenter.

Item prohibemus, ne creditores.... seu cartas super debitis...... confectas præsumant manifeste, & occulte retinere, postquam ..... debitis ejusdem creditoribus....fuerit satisfactum; quod si fecerint, excommunicabimus, quod statutum est in Narbonensi concilio..... In Narbonensi concilio fuit sub obtestatione inhibitum & præceptum principibus, & baronis, bajulivis, & consulibus, ut si contingat aliquem laicum pro injuria, dicto, vel facto illatu..... vel pro aliqua quæstione ecclesiastica excommunicari per ordinarium vel judicem delegatum, vel aliter pro tali causa puniri, ad res vel bona ejus clerici vel parentum suorum occasione prædicta manus suas extendere non præsumant, aut interdicere furnum, molendinum, aut aliquod aliud commercium commune; quod si fecerint, nisi legis timore moniti cessaverint, excommunicationis vinculo debent innodari. Et hoc per ecclesias laycis intimetur publice statuit concilium Valentinum quod &ç.

Item statutum est in concilio Narbonensi, ut clerici occasione patrimonii sui, vel personæ &c...... felicis recordationis domino Honorio summo pontifice excommunicationis sententia est prolata contra omnes statutarios & scriptores statutorum, quæ fiunt contra ecclesiæ libertatem, nec non contra potestates, consules, rectores, consiliarios locorum. Ut hujus statuti constitutiones editæ fuerint, & servatæ, nec non contra illos qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere in ..... & hoc per apostolicæ..... tur, quia colligatores..... seu conjuratores.... quorum nomine censeantur, reprobatæ sunt canonibus & constitutionibus, vel conciliorum factorum per legatos sedis apostolicæ.. in partibus & provinciis istis omnino interdictæ & cassatæ, & excommunicatio lata in fautores sicut in Valentino concilio continetur. Ideo prædictis conciliis inhærendo, auctoritate prædictorum conciliorum districte prohibemus, ne aliqui conjuratores, colligatores.... seu alias quascumque fide vel juramento seu firmitate qualibet interpositis. .... vel contra ecclesiam.... personas seu ecclesiasticam potestatem poenas timentes superius..... consiliis canonibus..... hoc est in ecclesiis publice proponendum.

Quia periculosum est omnibus sententiam excommunicationis incurrere, &.... sustinere animo indurato, districte præcipimus sacerdotibus ecclesiarum parochialium universis, ut parochianos suos publice moneant, & frequenter singulis annis ne culpa sua se permittant excommunicationis vinculo se innodari, denuntiando eis quod ..... cumque post legitimam admonitionem se excommunicari permiserint, in novem libras & unum denarium Turonensem punientur, sicut statutum fuit per dominum Ludovicum regem Franciæ in consilio..... amia celebrato, quod.... stiam approbatam..... magnificetur eisdem paro.... quod si per annum continuum (in) excommunicationis sententia permanserint, bona eorum omnia cadent in commissum, sicut ab illustri domino Ludovico rege Francorum filio prædicti domini Ludovici fuit constitutum & præceptum observari in provincia Narbonensi, super quo literas suas patentes dedit, &.... ist universis episcopis provinciæ Narbonensis quæ omnia etiam fuerunt postmodum per ecclesiam approbata.

PADUANUM CONCILIUM PROVINCIALE

A Guidone Cardinali A. S. L.

Anno 1350. *celebratum*.

An. 1350. " Concilium quoddam Paduæ habitum " præside Guidone Bononiensi S. R. " E. cardinali A. S. L. novit Venetus Labbei editor, a Raynaldo ad annum 1350. e- " doctus. Nihil tamen præter nomen habe- " re se quod daret, professus est. Non vi- " dit ille profecto acta integra inserta in " constitutionibus ecclesiæ Ticinensis, & cum " illis edita in collectione peculiari, quæ pri- " mo quidem prodiit Papiæ anno 1487. dein " recusa itidem Papiæ anno 1652. hoc titulo " *Sanctæ Ticinensis eccl. constitutiones ante* " *an.* 1403. *editæ*. Ex illo igitur opere ut hic " haberent lectores mei curavi; quos tamen præmonitos volo editiones illas mendosissimas esse, adeoque & meæ hujus errata excu- " sent.

Infrascriptæ sunt constitutiones nuper editæ Paduæ in Concilio per reverendissimum in Xpto patrem & dominum dominum Guidonem tituli sanctæ Ceciliæ presbyterum cardinalem in tota Lombardia Apostolicæ Sedis Legatum.

" In Xpi nomine Amen. Anno ejusdem " Nativitatis millesimo trecentesimo " quinquagesimo, indict. tertia pontificat. " domini Clementis Papæ VI. anno nono, " die dominico vigesimo mensis junii per " adhuc in episcopali palatio præsentibus ve- " nerabili viro domino Barchonato Stephani " domini Adomilphi de Comite canonico ec- " clesiæ sancti Laurentii de consilve dioece- " sis Paduen. presbytero, Nicola de Cara- " manico capellano capellæ sanctorum Er- " macoræ, & Fortunati sitæ in palatio epi- " scop. Paduen. ac Theodorico de bona- " villa quondam Thomæ de Herveto ambo- " bus ultimis familiaribus, infrascripti do- " mini episcop. Paduen. testibus ad hæc ha- " bitis atque rogatis & aliis. Cum reve- " rendissimus in Xpto pater & dominus do- " minus Guido tituli sanctæ Ceciliæ presby- " ter cardinalis apostolicæ sedis legatus man- " daverit ac expresse oraculo vivæ vocis " commiserit reverendo patri domino Ilde- " brandio permissione divina episcopo Pa- " duen. quod de constitutionibus infrascri- " ptis editis nuper per eundem dominum le- " gatum in provinciali concilio per ipsum " Paduæ celebrato, omnibus & singulis ip- " sarum constitutionum copiam habere vo- " lentibus, recipientium tamen sumptibus & " expensis copiam, in publica seu privata " forma det & assignet, prout de commis- " sione prædicta constat publico instrumen- " to scripto per me Ugenium notar. infra- " scriptum sub anno domini, & indic. præ- " dicta, die lune, quarto decimo mensis maii. " Ea propter subscriptus dominus episcopus " Paduanus volens juxta mandatum & com- " missione præfati domini legati, reverendo " patri domino Bonifacio Cumano episcopo " ipsas constitutiones pro se & clero suo " petenti copiam in forma publica facere " & exhibere, mandavit mihi notario supra- " scripto, & infrascripto, quatenus eas- " dem constitutiones portandas & assignan- " das domino episcopo Cum. prædicto ad " requisitionem ipsius domini episcopi Cu- " mani Bertolacio de Avinione ejus nuncio " sub signo, & nomine meo in forma pu- " blica debeam assignare. Tenor ante præfata-

Anno Christi 1350.

„ fatarum constitutionum talis est.

Guido miseratione divina tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, venerabili patri Patriarchæ Aquilegensi salutem in domino. Ad utilitatem ecclesiarum quietem & salutem fidelium, præcipue consistentium in regno Ungariæ, ac Aquilegien. Graden. Sillizburgen. Mediolanen. Janven. Spalacen. Antibaren. & Bagulin. provinciis, nec non Strarien. Bonon. Mutin. Redin. & Perman. civitatibus & dioecesibus, in quibus nobis est ab apostolica sede officium plenæ legationis injunctum, salubriter procurandas, diuturna nos cura sollicitat, ut communi omnium statu bene disposito clerici & populi præfatarum provinciarum mores & actus præstante domino ordinationibus salubribus regulentur. Sane per nonnullos prælatos, clericos, & laicos provinciarum prædictarum in principio nostri adjectas (aditus) ad provincias supradictas fuit nobis expositum, quod in eisdem provinciis ab olim per legatos apostolicæ sedis & locorum ordinarios fuerint constitutiones plurimæ promulgatæ, quarum aliquæ graves & poenas duras continent, aliquæ vero in desuetudine abierunt, & quod non servantur, multa exinde pericula perveniunt (proveniunt) animarum, & fuit nobis per eosdem instanter humiliter supplicatum, ut super premissis constitutiones ipsas mutando, penas quoque in ipsis adjectas tollendo, aut mitigando, novas & constitutiones edendo, providere de opportuno & salubri remedio dignaremur.

Nos itaque, attendentes quod statuta humana, quæ mutabilitati semper subjacent, pro qualitate temporum utiliter immutantur, ipsorum supplicationi duximus annuendum. Et propter hoc principaliter concilium prælatorum & aliarum personarum ecclesiasticarum supradictarum provinciarum ad octavam diem præsentis mensis maii in civitate Paduæ duximus convocandum, ubi convenientibus venerabilibus patribus Bertrando Patriarcha Aquilegensi, Andrea Patriarcha Gradensi, Nicolao archiepiscopo Jadrensi, & nonnullis aliis episcopis, nec non archiepiscoporum, episcoporum & capitulorum procuratoribus aliisque personis ecclesiasticis, regularibus & sæcularibus de provinciis supradictis, constitutionibus prelibatis diligenter recensitis, & omnibus quæ prænominati prelati, procuratores, & personæ ecclesiasticæ, regulares & sæculares dicere & proponere voluerunt, auditis, & plenius intellectis, constitutiones quæ sequuntur duximus promulgandas, mandantes eas in prænominatis provinciis & dioecesibus integraliter observari, constitutionibus legatorum apostolicæ sedis dudum editas; in eisdem provinciis & dioecesibus, quo ad impositiones penarum quæ continentur in illis, omnimode revocatis; constitutiones vero provinciales & synodales in supradictis provinciis & dioecesibus per ordinarios editis nisi fuerint expresse per has nostras constitutiones revocatæ, in suo statu volumus remanere. Quare vobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus per vos seu alium seu alios in eccl. vestra & locis aliis vestræ dioecesis, de quibus vobis videbitur expedire, infra duorum mensium spacium post præsentationem præsentium, coram clero & populo easdem constitutiones publicare curetis, transmissuri easdem infra eundem terminum omnibus episcopis vel eorum vices gerentibus vestræ provinciæ; eisdem tam nostra authoritate, quam vestra, præcipientes ut ipsas in suis civitatibus & dioecesibus congregato similiter clero, infra similem terminum post mandatum vestrum studeant publicare; & nihilominus in primis synodis quas vos & episcopos prædictos celebrare contigerit, publicari easdem solemniter faciatis. Ita quod earum notitia ad omnes quos tangit, valeat pervenire. Insuper operam detis, ut constitutiones ipsæ, postquam publicatæ fuerunt, diligentius observentur si quos (non) ex prædictis prælatis inveneritis negligentes eos ad hæc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, mandatum nostrum taliter impleturi quod diligentiam vestram exinde valeamus in Domino commendare.

De occupatoribus monasteriorum, ecclesiarum, jurium jurandi, & bonorum immobilium & mobilium quorumcumque ad ecclesias monasteria & personas ecclesiasticas qualescunque communiter vel divisim pertinentium.

De invasoribus rerum & bonorum ecclesiasticorum.

Monasteriorum, ecclesiarum infra terminos nostræ legationis consistentium affectantes indepnitantibus providere, monemus patriarchas, archiepiscopos, episcopos & abbates atque priores, infra eosdem terminos constitutos, eisque in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, quod prædicta monasteria & ecclesias vel eorum bona immobilia seu mobilia vel jura quæcunque non occupent & invadant; & si quarum fortassis invaserint, illa dimittant & restituant, infra spacium unius mensis post publicationem præsentis constitutionis, personis ad quas pertinent, seu illis quibus fuerit de illis præfata restitutio facienda; eos vero qui monicioni et mandato nostro circa præmissa non paruerint suspendimus a divinis, et tamdiu volumus suspensos remanere, donec supradictis nostræ monicioni et præcepto satisfecerit cum effectu.

Bonæ memoriæ domini Latini episcopi Osten. olim in partibus Lombardiæ apostolicæ sedis legati, laudabilibus vestigiis inhærentes, monemus omnes clericos, et laicos, et quoscunque nostræ legationis, eisque in virtute sanctæ obedientiæ, auctoritate qua fungimur, districte præcipimus et mandamus, quatenus clerici qui ecclesias quaslibet seu monasteria propria temeritate invadere vel occupare præsumpserit, et easdem sic occupatas detinere non metuunt; laici vero qui quomodocunque ecclesias occupatas detinent, et illis faciant per alios deserviri, ecclesias ipsas cum omnibus bonis mobilibus, et immobilibus ac juribus quoquomodo pertinen-

tinentibus ad easdem infra duos menses postquam præsens constitutio fuerit publicata in civitate seu dioecesi, in qua ecclesiæ prædictæ consistunt libere et absolute dimittat, ut per illos, ad quos de jure pertinent, possit præfatis ecclesiis, de personis idoneis provideri, et provisionem hujusmodi occupatores prædicti nullatenus publice vel occulte per se vel per alium impedire præsumant; si qui vero huic nostro præcepto parere contempserint clericos prædictos ecclesiis et omnibus beneficiis ecclesiasticis, quæ infra nostræ legationis terminos obtinent, omnino privamus, et inhabiles reddimus ad alia beneficia infra eosdem terminos obtinenda; laicos vero, qui contra præmissa fecerint, excommunicationis sententias incurrere volumus ipso facto, a qua non possint absolvi nisi per apostolicam sedem vel legatum a latere domini Papæ missum; et nihilominus ecclesiastica careant sepultura, donec ecclesiæ, ut præmittitur, occupatæ liberæ fuerint in manibus episcoporum vel aliorum ad quos spectant dimissæ, et de earum fructibus per occupatores ipsos perceptis fuerint personis, quibus debentur, ad mandatum ordinarii, satisfactum. Illi quoque qui in futurum ecclesias occupaverint, intra terminos nostræ legationis, sive clerici, sive laici fuerint, ipso facto supradictis poenis noverint se subjectos; omnes vero clerici et religiosi, sæculares et regulares, qui occupatores prædictos ante satisfactionem ut præmittitur factam et absolutionem obtentam ad sepulturam scienter et sponte receperint, ab officio et beneficio per unum annum noverint se suspensos: illi autem ad quos præfatarum ecclesiarum collatio seu provisio pertinent, eisdem studeant quanto citius poterint de personis idoneis providere.

Constitutionem venerabilis patris Patriarchæ Aquilegensis, editam in concilio Aquilegensi, inter alia continentem, quod occupantes aliqua bona ecclesiastica immobilia, decimas, jurisdictiones, honores seu jura spiritualia vel temporalia, vel res quaslibet spectantes ad cultum divinum per se vel per alium seu alios directe vel indirecte, aut personas ecclesiasticas in possessione prædictorum molestaverint, quominus ea seu reditus et proventus eorum pacifice percipere valeant, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quo ad præmissa approbantes, statuimus quod occupatores seu molestatores, qui in qualibuscumque partibus nostræ delegationis de cetero similia commiserint, ipso facto sint vinculo excommunicationis astricti; eos vero qui in præmissis vel aliquo præmissorum hactenus deliquerunt, et omnia taliter occupata per eos infra spacium quatuor mensium postquam hujusmodi nostra constitutio fuerit publicata, eccl. seu personis ecclesiast. (non) restituant integraliter, ipso facto sententiæ excommunicationis decrevimus subjacere. Ea vero quæ in præfata constitutione de poena interdicti continentur quo ad civitates Trivisinam, Paduanam, Vicentiam, Veronam, Mantuanam cum Feltrensi, et Belinensi et Terestina, et earum dioeceses revocamus.

Quod contra laicos injurias prælatis & personis ecclesiasticis irrogantes, seu res bona ecclesiastica occupata, quomodolibet detinentes, Judex ecclesiasticus possit procedere quoad ea quæ commissa essent in sua diœcesi statuimus & etiam declaramus.

Rubrica.

PEr constitutionem bonæ memoriæ Guidonis tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis olim in provincia Scilzburgensi apostolicæ sedis legati ordinatum fuit, quod nullus clericus vel laicus prætextu advocatiæ seu patronatus bona clericorum decendentium auderet invadere vel occupare, et qui contrafacerent sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto. Nos itaque constitutionem hujusmodi ad alias provincias nostræ legationis extendentes, præcipimus, quod nullus clericus vel laicus cujuscumque status, ordinis, seu conditionis existat, cui, seu quibus de jure hoc non competat, bona mobilia excedentia valorem quinque florenorum aurei ecclesiarum vacantium seu clericorum decedentium capere vel occupare præsumant; et qui contrafecerint ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi satisfactione præmissa, nullatenus absolvant; bona vero mobilia clericorum ab intestato decedentium in utilitate ecclesiarum, quas clerici prædicti obtinebant, per ordinarios convertantur, et (f. nisi de) de approbata consuetudine seu privilegio aliis debeantur.

Monemus omnes & singulos detinentes, infrascripta privilegia, & alia jura ecclesiarum seu quarumcumque ecclesiasticarum personarum, quod illa eis, ad quos pertinet incorrupta & integraliter sine dolo & fraude infra mensem post publicationem præsentis constitutionis restituant; nec non omnes scientes illos, qui ea detinent, quod detentores prædictorum locorum ordinariis infra terminum supradictum nominare et denunciare percurrent. Et si contrarium steterint, illi, qui in præmissis culpabiles fuerint per mensem prædictum, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Nonnulli clerici per se vel alios frequenter procurare nituntur, quod per minas seu preces comminatorias personarum potentium ecclesiasticarum vel secularium, directas et factas per nuncios vel per literas hiis qui habent beneficia conferre, provideant eisdem de beneficiis vacantibus vel in eisdem eligantur, confirmentur, instituantur, vel præsententur per eos ad quos electio, confirmatio, institutio vel præsentatio noscitur pertinere, et super hoc ab eisdem petentibus executionem petunt et recipiunt, per quorum ministerium pro cathedralibus et collegiatis ecclesiis seu monasteriis vel ecclesiis et beneficiis aliis quibuscunque se admitti et recipi faciunt; nos itaque præmissa acceptari vel fieri in posterum inhibentes, eos qui præmissa vel aliquid præmissorum fieri procurant, qui

et qui se sic admitti vel recipi faciunt, ad quascunque prælaturas seu dignitates ecclesiast. et ad quæcunque ecclesiast. beneficia perpetuo privamus voce capituli in ecclesiis capitularibus, et eos inhabiles reddimus ad prædictas prælaturas seu dignitates retinendas, et ad omnia alia beneficia ecclesiastica similiter retinenda; et nihilominus omnis electio, collatio, institutio, seu præsentatio de personis prædictis sic facta, sit ipso jure inanis et irrita.

Bona et reditus ecclesiarum fabricis vel ad alias expensas pro ecclesiis seu altaribus, vel pro divino cultu deputata seu deputatos, episcopi vel eorum superiores calbellani ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, earundem quoque canonici, abbates, priores, et quæcunque aliæ ecclesiasticæ personæ exemptæ et non exemptæ in usus proprios vel alios quam ad illos ad quos deputata seu deputati sunt nulla ratione convertant; et si contrarium fecerint, duplum præfatis ecclesiis solvere teneantur: et si ad recipiendos præfatos reditus non sunt certæ deputatæ personæ deputentur ad prædictas expensas faciendas personæ idoneæ, quæ exinde possint, et debeant ordinariis vel superioribus suis, et de prædictis debitam reddere rationem.

De vita & honestate clericorum, & quod eorum concubinæ ipsarumque filii ex ipsorum testamentis nihil capiant.

Rubrica.

Clerici, sive sint, sive non sint, in sacris ordinibus constituti, honeste vivere studeant; a fornicationibus abstineant et publice nullatenus teneant concubinas. Qui vero concubinas publice vel notorie tenent, vel in futurum, diabolo suadente, tenebunt, postquam constitutio fuerit per ordinarios vel alios de ipsorum mandato in propriis civitatibus vel dioecesibus publicata, & clerici ipsi in synodis vel alias generaliter seu nominatim fuerint moniti de concubinis prædictis ulterius non tenendis, & ex tunc infra mensem huic nostro præcepto & præfatæ narrationi parere contempserint, voce capituli, si fuerint in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis beneficiati, ipso facto noverint se privatos, si in hujusmodi duratione per alium mensem immediate sequentem perstiterint; sive in cathedralibus, sive in collegiatis vel aliis quibuscunque ecclesiis curatis vel non curatis beneficiati fuerint a perceptione fructuum omnium beneficiorum, quæ obtinent, noverint se suspensos. Quos fructus eisdem auferri per ordinarios eorum præcipimus, ac per eosdem in utilitate ecclesiarum, a quibus fructus ipsi percepti sunt, volumus eos sine aliqua diminutione converti; & si præfati clerici non sit (f. sic) a tam detestando scelere se emendaverint, post lapsum alterius mensis, absque alia monitione ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; & nihilominus ordinarii supradicti, si eis expedire videbitur, contra eos ad poenam privationis, per alia juris remedia procedere non omittant; si vero se correxerint, ordinarii prædicti clericis ipsis beneficium absolutionis impendant, vocem in capitulo restituant, & ad perceptionem fructuum pro tempore futuro ipsos admittant.

Concubinæ clericorum manifestæ, publicæ vel notoriæ ex testamentis clericorum, vel alicujus eorundem ultimæ voluntatis, quod ipsas in tali concubinatu tenere non erubuerunt, nihil omnino jure institutionis, legati, vel donationis causa mortis capere possint; filios quoque & filias, ex prædictis concubinis sumptas, simili sententiæ volumus subjacere. Et quidquid præfatis concubinis vel earum filiis a præfatis clericis relictum fuerit quovis modo, ab eis, tanquam ab indignis, per ordinarios auferatur, & in utilitatem ecclesiæ vel ecclesiarum, in quibus clerici prædicti instituti erant, integraliter convertatur; testamenta quoque præfatorum clericorum, si tempore mortis vel infirmitatis, de qua mortui fuerunt, concubinas prædictas publice tenebant, ipso jure sint invalida, exceptis legatis factis ad pias causas. Si quod vero in fraudem præsentis constitutionis factum fuerit, sit irritum & inane; bona quoque praefatorum clericorum, nisi sint immobilia, quae liquide perveniunt ad eos aliunde quam de bonis ecclesiasticis, praefatis ecclesiis applicentur.

Olim cum in provincia Salzburgensi clerici contra clericalis status decentiam tabernas nimium frequentarent, auctoritate venerabilis patris archiepiscopi Salzburgensis in concilio seu synodo per eundem archiepiscopum in provincia sua habitis, contra praefatos clericos quasdam constitutiones inhibenres clericos eosdem ab ingressu tabernarum; cum contrarium facientes poenas aliquas infligentes factae fuerunt, quae constitutiones, quantum ad poenarum impositionem, graves esse dicuntur; nos itaque praefatum archiepiscopum & episcopos per Salzburgensem provinciam constitutos hortamur, quod circa praedicta judicant clericos ad servandum decentiam & modestiam clericalem; & si secus fecerint, puniant eos secundum canonicas sanctiones. Poenas vero in praefata constitutione stabilitas & ad instantiam archiepiscopi supradicti, & episcoporum de provincia sua totaliter revocamus.

Prava consuetudo, vel potius corruptela in quibusdam partibus inoluit, quod clerici cum laicis nec non & clerici adinvicem litigantes pro terminatione quaestionum super quibus litigant seu litigare volunt, coguntur per se vel alium subiici duello; quam consuetudinem omnimode reprobantes, statuimus, quod cogentes clericos ad hujusmodi duellum subeundum, cujuscunque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, etiam si regali vel quacunque majori fulgeant dignitate, & clerici illud sponte suscipientes ipso facto sententiam excommunicationis mereantur, & excommunicatos (excommunicati) per ordinarios denuncientur.

Religiosi exempti etiam ordinum mendicantium, clausuras vel ecclesias monasteriorum monialium eisdem non subjectarum prorsus & omnino non intrent ex aliqua causa, ne-

neque cum monialibus ipsis infra eadem monasteria, seu ecclesias quoquomodo loquantur, dioecesanorum seu vicariorum earumdem licentia non obtenta, & si contrarium fecerint superiores fratrum mendicantium prædictorum episcopo per se vel alios vel in eorundem absentia vicariis ipsos nunciantibus & requirentibus, teneantur prædicti superiores infra octo dierum statim (f. spatium) post requisitionem prædictam eosdem fratres de locis ipsorum removere, & eos ad alia loca transmittere, ipsosque ad loca unde remoti fuerint ante annum unum completum (non) revocare, & eisdem imponere penas, quæ secundum ordinationem ipsorum debent pro gravioribus culpis imponi. Superiores quoque prædicti teneantur super præmissis credere & stare verbis & assertioni præfatorum episcoporum seu vicariorum. Si vero præfati superiores huic nostræ constitutioni obedirecontempserint, nos ipsos ab officio eorum suspendimus, & tamdiu suspensi remaneant, donec præfatæ nostræ constitutioni paritum fuerit cum effectu; & nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ superioribus eorum præcipimus, quod in hoc delinquentes etiam alia pena sic coerceant, quod ulterius in similibus non delinquant; & ordinarii locorum faciant illos, qui in hoc deliquerint, per suos subditos in ecclesiis sibi subditis publice nominari; & hortamur tamen prælatos prædictos quod præfatis religiosis, si fuerint bonæ conversationis & vitæ, eundi ad præfata monasteria pro causis honestis & licitis licentiam benigne concedant; & præsertim pro divinis ministeriis in præfatorum monasteriorum ecclesiis celebrandis. Volumus tamen quod religiosi prædicti, quando fuerint in itinere constituti, in locis ubi sui ordinis monasteria non habeant, & honesta hospicia commode invenire non possint, ad præfata monialium monasteria accedere valeant, & extra domos quas moniales habitant hospitari; & tunc in ipsorum monasteriorum ecclesiis per (pro) divinis celebrandis intrare, & cum monialibus loqui, accedente ad hoc abbatissæ monasterii, ad quos declinaverint, voluntate, & debita honestate in omnibus observata.

Abbatissa & moniales cujuscumque ordinis locorum ordinariis subjectæ monasterio earum sine licentia episcopi vel sui vicarii & abbatissarum vel priorarum suarum omnino non exeant; & si contrarium fecerint; præter poenam spiritualem vel corporalem, quam eisdem ordinarii prædicti duxerint imponendam, una die ac totis diebus aliis jejunare compellant, quot eas contigerit extra proprium monasterium remanere; & tunc pane & vino & uno tantum ferculo sint contentæ.

De poenitentiariis habendis, & modo indulgentiarum.

Episcopi & superiores prælati unum vel plures pænitentiaros seculares vel regulares providos & discretos, prout & quando eis videbitur, habere procurent, qui poenitentes, quos interdum ipsi audire non possint, eorum vice audiant, & absolvant, vel cum opportunum fuerit eosdem remittant; & diligenter attendant, ne aliquos absolvant in casibus sedi apostolicæ specialiter reservatis; sed eos ad apostolicam sedem remittant. Casus vero sedi apostolicæ reservatos, & quos supradicti prælati sibi dumtaxat reservant determinare & notificare studeant inferioribus sacerdotibus, ut illos de cætero non ignorent.

Cum plerique modum indulgentiarum statum in concilio generali per felicis recordationis Innocentium papam III. non observent, nos volentes tam prælatis ipsis quam Christi fidelibus providere, præcipimus sub virtute sanctæ obedientiæ prælatis eisdem, quod modum determinatum in institutione prædicta nequaquam excedant; & si contrafecerint, sint per unum mensem a potestate concedendi indulgentiam ipso facto privati; insuperque nonnulli per importunitatem, ne quid deterius exprimamus, a quibusdam prælatis extorquent, quod simul vel divisim ipsorum pluribus sigillis indulgentiarum literis appensis, procurant per quemlibet quadraginta dies de indulgentia Christi fidelibus, sicut ipsorum literæ continent, concedi, quæ concessio nullius penitus est momenti; hoc fieri de cætero prohibemus, & indulgentias sic concessas, licet sint nullæ, tamen ad majorem clarificationem, tenore præsentium revocamus; episcopos vero & eorum superiores quam modo prædicto, indulgentias duxerint concedendas ab ingressu ecclesiarum & divinis suspendimus, & sic suspensos volumus remanere, donec ab apostolica sede, vel legato de latere, super hæc meruerint absolutionis beneficium obtinere.

Ad exhibendum debitæ reverentiæ devotionis obsequium sacratissimæ eucharistiæ sacramento, cupientes Christi fideles eo reddere promptiores, quo illud fideliter venerantes fuerint amplioris gratiæ privilegio conjuncti, hac constitutione semper valitura concedimus, quod fideles Christi, qui tunc, vel infra octo dies proximos sequentes, vere poenitentes fuerint & confessi associantes sacerdotes deferentes sacratissimum Christi & redemptoris nostri corpus ad infirmos; si die hoc fecerint decem; si vero de nocte cum lumine suo vel alieno, viginti dies de injunctis eisdem poenitentiis relaxationem in Domino consequantur.

De usuriis & executionibus ultimarum voluntatum, & male ablatis incertis.

Quamvis per jura canonica usurarii teneantur contra se libros suarum edere rationum, ut facilius convicti sint de usuris; quod plerumque ipsi seu eorum filii vel hæredes hoc facere contradicunt, præsenti constitutione statuimus, quod manifesti usurarii teneantur libros, quaternos, cedulas, seu cartas, vel scripturas quaslibet publicas vel privatas super eorum mutuo, usura, contractibus alias confectas, postquam usuras exercuerint, ordinariis tradere vel eorum nomine recipientibus cautionem; quod si facere recusaverint, denegentur eis sepultura, & ec-

& ecclesiastica sacramenta; nec audiantur, si dicant vel jurent se nullos libros vel scripturas habere, nisi per ipsorum usurariorum habere seu quoscumque successores, consanguineos vel amicos ostensum fuerit per probationes, vel verisimiles & per habiles conjecturas, quod codices, libri seu cartæ vel instrumenta rationum & debitorum per ignem seu alio quocunque casu fortuito sint perdita. Nec quisquam reputet quod in præmissis dare (f. dure) agatur contra usurarios supradictos, cum sit præsumptio vehemens contra eos, quod tales scripturas hi fecerint, habeant, ex quibus rationes sortes usurarum cum suis debitoribus calculabant, sicut suas rationes edere tenentur, de quo loquitur lex civilis. Insuper statuimus, quod postquam manifesti usurarii confessi fuerint, se certam quantitatem pecuniæ extorsisse per usurariam pravitatem, vel ab aliis convicti fuerint de eadem, proclamationibus consuetis publice factis, si non appareant repetentes usuras, vel non appareant tot quibus illa pecunia usuraria sit restituenda, tunc prædicta pecunia usuraria, quæ a nemine repetitur, restituatur episcopo, qui eam debeat in virtute sanctæ obedientiæ & sub poena maledictionis æternæ expendere in elimosinam pauperum vel alios pios usus; cum turpia lucra sint ab usurariorum hæredibus extorquenda. Per præsentis auctoritatem constitutionis non intendimus in aliquo derogare aliis constitutionibus & juribus editis contra usurarios, tam in conciliis provincialibus & synodalibus, quam etiam per jus commune; sed eas potius in suo statu firmas volumus permanere.

Executores seu fidei commissarii ultimarum voluntatum et maxime ad pias causas constituti, infra annum, a die mortis testatoris computandum, executiones eis commissas adimplere omnimode teneantur, et nisi fecerint, executionis officio sint privati, et illud etiam ipso facto in ordinarium transferatur, nisi testator ipse in testamento adjecerit tempus vel tempora, infra quod seu quæ mandari executioni suam voluerit voluntatem; vel nisi ex forma verborum testamenti, et qualiter legati seu relicti, evidenter appareat, quod executio voluntatis testatoris sit in tempus aliud producenda; executores quoque prædicti de gestis per eos in executione testamentorum locorum dioecesanis teneantur reddere rationem. Notarii quoque rogati de testamentis faciendis, seu aliæ quæcumque personæ, quæ testatoris scripserint voluntatem infra spacium trium mensium post mortem testatoris de forma et qualitate testamenti, teneantur sub poena X. librarum usualis monetæ, integre et sine diminutione ordinarios vel eorum vicarios informare et reddere certiores; prædictam intelligi nolumus nisi in locis ubi per consuetudinem approbatam aliter esset provisum.

Male ablatorum incertorum dispositionem et ordinationem ad solos locorum ordinarios declaramus et decernimus pertinere; quidquid ex illis ad manus eorum pervenerit, teneatur sine dolo et fraude per se vel alios pauperibus vel in refectionem ecclesiarum indigentium seu alios pios usus fideliter erogare; quod nisi fecerint, in examine divini judicii teneantur usque ad ultimum quadrantem de hoc reddere. Ceterum si de consuetudine prædicta male ablata incerta alicui loco ecclesiastico vel personis aliis consueverat assignari, per præsentem constitutionem præfatæ consuetudini volumus (lege nolumus) derogari; mandamus tamen quod assignatio fiat per locorum ordinarios vel per eos quos ad hoc duxerint deputandos.

De patientibus defectum natalium. Rubrica.

Statuimus quod patientes defectum natalium non possint admitti ad canonicatus et præbendas ecclesiarum cathedralium, nisi fuerit cum eisdem per sedem apostolicam despensatum; quod præfato defectu natalium non obstante, possint ad hujusmodi canonicatus & præbendas admitti; & nulla alia, quantum ad hoc illis qui defectum natalium patiuntur, vel imposterum patientur facta vel facienda ordinariorum quorumcunque dispensatio suffragetur, quam ex nunc irritam fore decrevimus & inanem. Mandamus quoque episcopis et eorum superioribus nec non omnibus aliis personis, ad quas præfatorum canonicatuum & praebendarum collatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet, quod patientes defectum natalium ad prædictos canonicatus & præbendas nec recipiant nec admittant, neque de ipsis illis quoquo modo provideant; & qui contrarium fecerint a collatione beneficiorum, in ecclesia seu ecclesiis supradictis consistentium, per annum sint ipso facto suspensi. Et nihilominus quod contrafactum fuerit, sit irritum & inane.

De clericis a suis ecclesiis expulsis.

Quia contingit interdum, quod clerici beneficiati sine eorum culpa ab ecclesiis, in quibus instituti sunt, violenter & indebite expelluntur; statuimus quod clericis sic expulsis residentes in ecclesiis, a quibus praefati clerici expulsi fuerint, teneantur cum requisiti fuerint de fructibus & proventibus beneficiorum, quæ præfati expulsi tenebant in ecclesiis supradictis, providere, sicut eisdem providebantur, quando residebant in ecclesiis praelibatis.

De renunciationibus Rubrica.

Statuimus quod renunciantes, seu renunciare volentes beneficiis suis, & praesertim dignitatibus seu beneficiis causam habentibus animarum, renunciationes prædictas faciant in manibus episcoporum vel vicariorum eorundem, seu illorum qui habent in beneficiis supradictis jus instituendi, & destituendi, & renunciationem aliter facere non valeant.

De mansionariis seu custodiis ordinandis cappellanis in fabrica ecclesiarum.

Ut in divinis officiis melius in ecclesiis cathedralibus serviatur, statuimus, quod in ecclesiis cathedralibus infra fines nostrae lega-

gationis in Italia constitutis, in quibus non sunt ordinata beneficia, quae vulgariter mansionariae, custodiae vel vicariae nuncupantur, episcopi, cum consilio & assensu suorum capitulorum, de praebendis in eorum ecclesiis proxime vacaturis, si quae tamen non debeantur clericis in eisdem ecclesiis expectantibus praebendas auctoritate apostolica, ordinentur de praebendis ipsis cum vacabunt beneficia ad arbitrium praefatorum episcoporum & capitulorum moderanda, quae assignentur personis in sacris ordinibus constitutis, vel qui possint ad sacros ordines promoveri, qui teneantur in praefatis ecclesiis continue residere, & se facere ad eosdem ordines promoveri, & in eisdem in divinis officiis deservire, prout præfati episcopi & capitula duxerint ordinanda.

Quia contigit interdum quod in quibusdam ecclesiis cathedralibus & collegiatis, infra fines nostræ legationis in Italia constitutis, sunt plures capellaniæ adeo in redditibus tenues & exiles, quod de ipsarum fructibus capellani earundem se nequeunt sustentare; statuimus quod ipsi cum consensu & consilio capitulorum suorum possint & debeant capellanias ipsas unire. Ita tamen quod fructus vel redditus unius capellaniæ summam XX. flor. aurei vel circa aliquatenus non excedant; & si capitulum ecclesiarum sine causa rationabili ad hoc consentire noluerit, episcopus solus auctoritate præsentis constitutionis uniones prædictas faciat. Si vero capitulum alicujus ecclesiæ cathedralis unionem hujusmodi fieri vellet, & ad hoc nollet requisitus episcopus absque causa rationabili consentire; superior suus hoc facere possit, ejus contradictione non obstante; servata in utroque casu moderatione praedicta, & capellani, ut præmittitur, ordinandi, teneantur in eisdem ecclesiis servire in divinis ac in eisdem personaliter residere.

Si pro fabrica ecclesiae cathedralis seu pro faciendis expensis luminarium & aliorum, quæ pertinent ad divinum cultum, non sunt aliqui certi redditus assignati; tunc in ecclesiis cathedralibus in italia, infra nostræ legationis terminos constitutis, absque præjudicio expectantium præbendas auctoritate apostolica, unius præbendæ canonicalis vel duarum, si episcopo & capitulo videatur, fructus & redditus deputentur perpetuo pro hujusmodi expensis faciendis; et ex tunc non censeantur esse præbendæ, nec alicui pro præbendis vel beneficio assignentur; sed fructus ex ea vel eis provenientes per eos, ad quos pertinet, in ecclesiis praedictis dispositio, & collatio praebendarum, assignetur (f. assignentur) alicui ecclesiastico fideli, qui fructus ipsos expendat in utilitatem ecclesiarum; & in usus praedictos, & de receptis & expensis per eum factis teneatur episcopo & capitulo reddere rationem.

De excommunicatis postquam denuntiati fuerint non admittendis ad divina. Rubrica.

Religiosi ordinum mendicantium quorumcunque, noverint quod si excommunicatos & publice denunciatos; ita quod hujusmodi denunciatio ad eorum noticiam deducatur; ad divina officia vel confessiones eorum admiserint, pœnam in decretali quæ incipit *episcoporum*, positam extra. de privilegiis, li. VI. incurrunt; & nos ordinariis locorum præcipimus, quod contemptores decretalis prædictæ faciant in suis ecclesiis pœnam prædictam interesse (sic) publice nunciati.

Quod statuta laicorum non ligant clericos & ecclesiasticas personas. Rubrica.

Declaramus quod statuta facta in civitatibus Italiæ, infra terminos nostrae legationis constitutis, statuentia directe vel indirecte quod ecclesiae & personae ecclesiasticae non possint acquirere quovis titulo bona mobilia vel feudalia seu censualia, vel in perpetuum livelata ad laicos pertinentia, non ligant ecclesias ecclesiasticasque personas; et illi qui talia faciunt, vel observant, aut extendunt incurrunt paenas contra libertatem ecclesiasticam facientes, tam in jure canonico quam in civili stabilitas.

Cum vulnerantes clericos seu in ipsos manus injicientes temere violentas latam a canone sententiam excommunicationis incurrant, mandamus locorum ordinariis, quod si eisdem per facti evidentiam vel alias legitimas probationes de hoc constiterit, percussores praedictos faciant (detineri) in carceribus, et (in) aliis eorum ecclesiis, de quibus eis videbitur, usque ad satisfactionem condignam & absolutionem obtentam excommunicatos publice nunciari.

Quod non utatur aliquis scienter instrumentis, scripturis vel testibus falsis. Rubrica.

Prohibemus ne aliquis clericus vel laicus in curia ecclesiastica, & præcipue in causis spiritualibus vel matrimonialibus falsis litteris, instrumentis, vel testibus scienter utatur. Nullus etiam testes in eadem curia producentes audeat subornare; & qui contra praemissa vel aliquid praemissorum fecerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, praeter poenas contra tales a jure statutas.

Quod rectores ecclesiarum parochialium non possint se a suis ecclesiis absentare, licentia ab ordinariis non obtenta. Rubrica.

Mandamus quod rectores ecclesiarum parochalium, quocunque nomine nuncupentur, volentes se a propriis ecclesiis absentare, teneantur ab eorum ordinariis licentiam petere; quod si non fecerint (et) infra mensem non redierint, quarta parte suorum fructuum sint ipso facto privati, per episcopum posita in utilitatem ecclesiae, quae deservire debebant, convertenda. Et si canonice moniti post alios sex menses immediate sequentes ad ecclesias suas praedictas

ctas non redierint, sint illis ipso facto privati. Salvis nihilominus aliis modis contra eos procedendi.

Quod constitutiones privantes clericos privilegio clericali sint nullæ.
Rubrica.

Constitutiones provinciales & synodales, vel per ordinarios quoslibet promulgatas, quod clerici delinquentes priventur beneficio clericali, nisi in casibus expressis in jure, cassamus et totaliter revocamus; et similes fieri in posterum prohibemus, & si fierent decernimus irritas & inanes.

Quod rectores ecclesiarum parochialium possint sibi eligere confessores.
Rubrica.

Concedimus prælatis inferioribus & ecclesiarum parochialium rectoribus, quod possint sibi eligere confessores idoneos, qui ipsos absolvant, exceptis casibus sedi apostolicæ vel locorum ordinariis quomodolibet reservatis.

Quod episcopi incogniti non admittantur ad pontificalia exercenda.

Episcopi vel archiepiscopi qui in locis extraneis & ignotis dicunt se ad archiepisc. seu episc. fore permotos, ad exercenda pontificalia infra terminos nostræ legationis nullatenus admittantur. Et si contrafecerint, episcopi, qui sic eos admiserint, a collatione ordinum per annum sint ipso facto suspensi, nisi de ipsorum episcoporum ordinatione seu promotione constet per litteras apostolicas omni vitio & suspitione carentes, vel nisi episcopi ipsi fuerint post electionem de ipsis canonice factam per aliquem de infrascriptis patriarchis vel archiep. confirmati videlicet Aquilegensi & Grandensi patriarch. Salzburgensi, Strigonensi, Colocensi, Mediolanensi, Januensi, Jadrensi Spalatensi, Ravenatensi vel Pisano archiepiscopis.

Quod ordinarii non participent cum notariis in salariis.

Mandamus ordinariis locorum quod salaria notariorum scribentium in causis, quæ in eorumdem curiis peraguntur ad debitam quantitatem & moderationem ordinent & reducant, & idem faciant de infrascriptis literis & scripturis quibuscunque, quæ fient in electionibus, confirmationibus, collationibus beneficiorum spectantium ad eorundem ordinariorum confirmationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, nec non & litteris infrascriptis seu scripturis quibuscunque factis vel faciendis super dispositionibus vel quibuscunque aliis actibus spiritualibus per eosdem ordinarios peragendis. Insuper sub virtute sanctæ obedientiæ eisdem præcipimus, quod cum notariis seu scriptoribus supradictis lucra percipienda pro instrumentis, scripturis vel litteris supradictis nulla ratione participent directe vel indirecte; & si contrarium fecerint ab ingressu ecclesiæ sint ipso jure suspensi, & tandiu in suspensione permaneant, donec lucrum, quod de eisdem perceperint, fuerit per ipsos vel de ipsorum mandato per alios pauperibus erogatum.

De bannis in ecclesiis faciendis, & de pœna contrahentium clandestinum matrimonium.

Rubrica.

Præcipimus quod ordinarii locorum mandent rectoribus ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, quod saltem semel in mensem constitutionem apostolicam prohibentem matrimonia non debere contrahi bannis non editis, & pænam appositam in eadem constitutione, studeant suis parochianis in eorum ecclesiis infra missarum solempnia publicare. Quicunque vero matrimonia clandestina bannis non editis consenserint vel contraherent in futurum præter pænam statutam in canone, sint communione sacramentorum ipso facto privati, ad quam, nisi in mortis articulo, sine licentia episcopi nullatenus admittantur. Insuper cum illi qui contrahunt scienter matrimonia in gradu prohibito latam a canone sententiam excommunicationis incurrant; mandamus dioecesanis locorum & terrarum, ecclesiarum parochialium rectoribus qui illos, de quibus eis constiterit matrimonia hujusmodi contraxisse vel contrahent in futurum, nominatim & personaliter moneant, quod se ad invicem separent; & si personaliter eos monere non possunt, faciant monitionem hujusmodi ita notorie & manifeste, quod ad prædictos monendos possit præfata monitio verisimiliter pervenire; & nisi per eosdem monendos seu nominatos coram præfatis dioecesanis vel eorum vicariis fuerit sufficienter probatum, quod cum eisdem qui taliter matrimonium contraxerunt, fuerit per sedem apostolicam dispensatum, quod potuerit admittere matrimonium contrahere vel jam contracto licite remanere, ipsos dioecesani et rectores prædicti denuncient excommunicationis sententiam incurrisse.

Quod de bonis monasteriorum, ecclesiarum parochialium inventaria fiant.
Rubrica.

Volumus & mandamus, quod abbates & priores monasteriorum, & archipresbyteri seu prælati ac rectores ecclesiarum parochialium, & quicunque inferiores ab episcopis ecclesiarum prelati non exempti, ad abbatias, prioratus, archipresbyteratus seu prælatas, rectorias vel dignitates quascunque in posterum assumendi inventaria de bonis & rebus mobilibus monasteriorum prioratuum seu ecclesiarum, ad quorum seu quarum regimen assumuntur, postquam corporalem & pacificam prædictarum abbatiar. prioratuum & ecclesiarum possessionem fuerint adempti, infra unius mensis spacium inventarium per publicum instrumentum facere teneantur; & illud infra spacium alterius mensis proximi sequentis teneantur locorum ordinariis vel eorum superioribus, seu in talibus vicariis assignare, & hujusmodi constitutionis contempto-

Anno Christi 1350.

ptores decem libris usualis monetæ pro pæna præfatis ordinariis vel superioribus solvere compellantur: exempti autem abbates seu priores præfatum inventarium coram suo conventu facere teneatur.

De visitatione monasteriorum, ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum. Rubrica.

Ordinarii locorum & alii, ad quos de jure, consuetudine seu legiptima præscriptione pertinent monasteria monachorum & monialium & quorumcunque personarum religiosarum sibi immediate subjecta per se, si possunt, visitent, aut per alios idoneos secundum ordinationes & moderationes sacrorum B canonum & apostolicarum constitutionum visitare procurent.

Quamvis de jure communi competat locorum ordinariis suam cathedralem & alias civitatis & dioecesis suæ ecclesias & ecclesiasticas personas non exemptas visitare; tamen nihilominus statuimus, quod ordinarii supradicti possint & debeant ecclesias & personas prædictas, secundum moderationem juris communis visitare, nisi ecclesiæ & personæ prædictæ sint exemptæ, vel nisi personis aliis quibuscunque sit jus visitandi præfatas ecclesias & personas competat, quod ipsi soli possint & debeant easdem personas & ecclesias visitare. Nos cum eisdem ec- C clesiis & personis in jure exemptionis, & faciendæ ac exercendæ visitationis, si quod eis competit quoquomodo, nec aliis defensionibus & juribus eorundem; neque etiam juribus, quæ competunt venerabili patri Patriarchæ Acquilegensi in visitationibus faciendis in civitatibus dioecesis & provinciæ Aquilegensis seu in quibuscunque ipsius provinciæ monasteriis, ecclesiis & locis aliis per A præsentem constitutionem nolumus aliquid præjudicium gravari.

Præcipimus quod clerici infra nostræ legationis timor (f. terminos) constituti monasteria monialium, prædicatorum, minorum, hæremitarum, & carmelitarum ordinum superioribus seu eisdem ordinibus immediate subjecta, & eorum monasteriorum clausuras vel ecclesias prorsus & omnino non intrent ex aliqua causa, neque cum monialibus ipsis infra eadem monasteria, seu ecclesias quoquomodo loquantur, præfatorum superiorum licentia non obtenta; & si contrarium fecerint pro qualibet vice X. lib. usualis monetæ præfatorum clericorum ordinariis pro pecunia solvere compellantur; & si eisdem ordinariis videatur contra ipsos etiam majori pena procedant. Dat. Paduæ XIII. Kalen. junii pont. domini Clementis papæ VI. anno nono.

„ Ego Ugerius filius Mayfredi de Padua „ imperiali auctoritate judex ordinarius, & „ notarius publicus & familiaris officiarius „ & scribanus supranominati reverendi pa„ tris & domini domini Ildebrandini divina „ providentia episcopi Paduensis, suprascri„ ptas constitutiones reverendissimi patris „ & domini domini Guidonis tituli sanctæ „ Luciæ presbyteri cardinalis apostolicæ se„ dis legati nuper editas in concilio per ip„ sum Paduæ celebrato, scriptas & supra„ scriptas per me in his duodecim foliis, ut „ prædicitur, de mandato dicti domini epi„ scopi Paduensis in sanctis *viget* (sic) co„ missionis ejusdem domini legati transmit„ tendas et assignandas reverendo patre „ domino episcopo cum prædicto scripsi fi„ deliter et in hanc publicam formam re„ digi in testimonium præmissorum me in „ quolibet latere cujuslibet folii suprascri„ psi, meique signum consuetum apposui.

FER-

Anno Christi 1106. 1110.

FERRARIENSES SYNODI DUÆ

Anno 1106. & 1110. *habitæ.*

Ex Collectaneis Peregrini Prisciani Hist. Ferrar. edit. to. VI. antiq. differt. 72.

TEmpore quo dom. Landulfus episc. per dom. papam Paschalem a Roma rediit consecratus, convocavit omnes clericos, proceres, valvasores, consules, & majores populi civitatis Ferrariæ, & in concilio residens dicit. Volo, atque præcipio, ut omnes laici relinquant ecclesias, refutent oblationes, decimas, & primicias in manus meas. Cumque omnes laici indignarentur, et se non facturos penitus causarent. Dominus Guilielmus Manhiselle filius dixit, quod episcopus quærit, ratio exigit. Non enim debent laici ecclesias habere, nec oblationes cum clericis dividere, nec decimas et primitias retinere vel a clericis exigere: Quid multa? velit nolit, laici venerunt, & in manus dom. Landulfi episc. & clericor. civitatis Ferrar. refutaverunt ecclesias, oblationes, decimas, & primicias, & amplius non exigere a clericis permiserunt, atque ita diffinita est lis et altercatio, quæ neque tempore Graciani episc. neque tempore Guidonis Aritini episc. potuit diffiniri. Laudaverunt episcopus et clerici dom. et beatum Georgium pro laicis communiter oraverunt. Postquam hoc bonum totum factum est, ait episcopus. *Alia* controversia, quæ adhuc viget inter monachos, et hujus civitatis clericos sic terminare, et deinceps volo certum finem ponere: ut si episcopus cum canonibus ad corpus alicujus mortui affuerit, majorem missam celebrabit. Vel si archipresb. majoris ecclesiæ & non episcopus similiter majorem missam celebrabit, vel si archipresb. conventus, aut alicujus congregationis archipresb. affuerit cum omnibus ecclesiasticis majorem missam celebrabit. Excepto in ecclesia S. Bartholomei, & S. Silvestri, & S. Romani, ideo quia ordinem, & regulam servant. Omnes pariter qui aderant laudaverunt. Tempore quod factum est anno dominicæ incarnationis MCVI. pontificatus autem dom. Paschalis secundi papæ anno sexto.

Ex Archivo Ferrar. misit D. Can. Scalabrin.

Anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo decimo. in palacio B. Gervasii, actum breve recordationis quod ego Landulfus per Dei gratiam Ferrarien. episc. & omnes canonici nostræque civitatis clerici, communi consilio. Statuimus, ut in quacumque ecclesia, vel monasterio nostræ civitatis ad defuncti corpus fuissemus, si episcopus interesset, quod ipse majorem missam celebrare debeat; si vero non adesset, canonicorum major. ecclesiæ foret missa & officium. Si autem neque episcopus, neque canonici afforent missæ majoris ministerium sibi sument ad celebrandum clerici, excepto in cenobio B. Bartholomæi & S. Silvestri atque Romani, quia de eis fuit concessum, quia talis conventus est per regulam & ordinem servat, Dopno Antonio S. Bartholomæi abbate nec non dom. Johanne de Pinarolo S. Romani priore, dom. Johanne de Borsello S. Michaelis priore, Adelmario priore S. Nicolai, dom. Michaele priore S. Johann. consentientibus, & jubentibus Gisone archipresb. S. conventus, & congregationis S. Johannis, presb. Petro S. Crucis, presb. Petro de Vigarano cum omnibus confratrib. suis, Johanne archipresb. Copatis de congregatione S. Clementis, presb. Tebaldo, presb. Martino S. Vitalis, & Petro diacono cum omnibus confratribus suis, archipresb. Petro S. Georgi morante apud S. Mariam de Bueco, presb. Martino S. Martini, presb. Petro S. Petri & presb. Romano S. Stephani cum omnibus confratribus suis præsentibus, consentientibus, & jubentibus.

F I N I S.

[illegible]



